UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

urn:nbn:de:hbz:466:1-62668

Visual Library

M III
30
Th. 4797.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITVTIONVM CANONICARVM

SIVE

IVRIS ECCLESIASTICI,

PRÆLECTIONIBUS & EXERCITATIONIBUS ACADEMICIS

AD

GREGORII P. IX. DECRETALES

IN

Alma, Catholica & florentisſima Studiorum
Generalium Univerſitate
INGOLSTADIENSI
à

P. JACOBO WIESTNER

Soc. JESU SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctore
Jurísque Primario quondam Profeſſore explicati,

LIBER III.

Adjecto ad finem Operis Rerum ac Verborum Notabilium Indice
Generali.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſar. Majeſt. Approbatione Academica
Permiſſúque Superiorum.

Collegii Sochis MONACHII, Jesu Paderbornæ 1740

Sumptibus JOAN. JACOBI REMY Bibliopolæ.
Formis MATHIÆ RIEDEL.

Anno M DCC V.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHVS
TITVLORVM,
Hísque Subjectorum
ARTICULORUM
LIBRI III. DECRETALIVM.

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

ARTICULUS I. De Clericorum Nomine & Probatione Clericatûs. Foliô 3.

II. De Clericalis vitæ Honestate Interna. 7.

III. De ejusdem vitæ Clericalis Honestate Externa. 17.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum. 25

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis

ART. I. De Clericis Minoribus, Matrimonia ineuntibus. 30.

II. De Clericis Majoribus, eadem attentantibus. 35.

TITULUS IV.

De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda

ART. I. De Obligatione ad Residentiam. 40.

II. De Causis, excusantibus à Residentia, & illegitimè absentium Pœnis. 44.

III. De Distributionibus quotidianis. 51.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

ART. I. De Natura Beneficiorum Ecclesiasticorum. 57.
II. De eorum Varietate. 62.
III. De Beneficiorum libera Collatione. 67.
IV. De Beneficiorum Reservatione, & Germaniæ Concordatis generatim. 73.
V. De Dignitatibus & Beneficijs in Germania Reservatis. 80.
VI. De Alternativa inter Sedem Apostolicam & Collatores inferiores. 91.
VII. De Beneficijs, Alternativæ subjectis, ab eâve exemptis. 99.
VIII. De Annatis, seu fructibus primi anni. 105.
IX. De Primis Precibus Imperatoris ac Regis Romanorum. 107.
X. De Pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum. 116.

TITULUS VI.

De Clerico Ægrotante vel Debilitato. 125.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

ART. I. De Institutione, tituli beneficji Collativa. 133.
II. De Institutione Authorizabili. 141.
III. De Investitura & missione Clerici in Beneficij possessionem. 144.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis. 151.

TITULUS IX.

Ne, Sede Vacante, aliquid innovetur.

ART. I. De actibus, vacante Sede, Capitulo permissis. 160.
II. De actibus, vacante Sede, Capitulo interdictis. 169.

TITULUS X.

De Ijs, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli. 176.

TITULUS XI.

De Ijs, quæ fiunt à majori parte Capituli. 186.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

ART. I. De Reservatione fructuum Beneficij vacantis. 197.

II. De

II. De Pensionis impositione. 199.

TITVLVS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

ART. I. De acceptione nominum Ecclesiæ & Alienationis. 202.
II. De Rebus Ecclesiæ, liberè alienari prohibitis. 210.
III. De Rebus, liberè alienari permissis. 217.
IV. De Causa, Necessaria ad rerum Immobilium & Pretiosarum Alienationem. 222.
V. De Alienationis Forma, sive Solennitatibus. 228.
VI. De Consensu Apostolico, ad rerum Ecclesiasticarum Alienationem requisito. 239.
VII. De rerum malè alienatarum Revocatione. 246.
VIII. De Prælatorum &c. Ecclesiarum suarum res malè alienantium, Pœnis. 253.

TITVLVS XIV.

De Precarijs.

ART. I. De Precario. 257.
II. De Precarijs, seu Precaria. 259.

TITVLVS XV.

De Commodato. 262.

TITVLVS XVI.

De Depositо. 267.

TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

ART. I. De Emptionis Venditionis Natura & Varietate. 272.
II. De Emptoris ac Venditoris mutuo Consensu. 277.
III. De rerum Venalium Pretio. 286.
IV. De Re seu Merce. 295.

TITVLVS XVIII.

De Locato & Conducto.

ART. I. De Locatione & Conductione. 301.
II. De Emphyteusi. 310.

TITVLVS XIX.

De Rerum Permutatione.

ART. I. De Permutatione Rerum Temporalium, præsertim Ecclesiasticarum. 319.
II. De Permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum. 223.

TITVLVS XX.

De Feudis.

ART. I. De Feudi Natura & Varietate. 330.
II. De Feudis, quæ ab Ecclesia conceduntur. 335.
III. De Feudis, quæ ab Ecclesia obtinentur. 345.

TITU-

TITULUS XXI.

De Pignoribus & aliis Cautionibus. 348.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus. 358.

TITULUS. XXIII.

De Solutionbus.

ART. I. De Mutuo. 369.
II. De Cessione bonorum & Privilegio Competentiæ. 373.
II. De Solutione Debitorum ex mutuo, à Prælatis &c. nomine Ecclesiæ vel Monasteriy acceptô, contractorum. 378.
IV. De Indebitè soluti Repetitione. 384.

TITVLUS XXIV.

De Donationibus.

ART. I. De Donationis Natura & Varietate. 486.
II. De Donationum Revocatione. 389.
III. De Donationibus rerum Ecclesiasticarum. 395.
IV. De Hæreditatis & Legati, Ecclesiæ vel Monasterio relicti, Repudiatione. 399.

TITVLVS XXV.

De Peculio Clericorum.

ART. I. De Bonis ipsarum Ecclesiarum. 403.
II. De Bonis Clericorum Patrimonialibus, vel quasi. 408.
III. De Bonis eorundem Beneficialibus. 409.

TITVLVS XXVI.

De Testamentis & Ultimis voluntatibus.

ART. I. De Natura & Origine Testamenti. 418.
II. De Personis, Jure Permissis ac prohibitis testari. 421.
III. De Testamenti condendi ac mutandi libertate. 429.
IV. De Testamento Solenni. 433.
V. De Testamentis non-Solennibus & privilegiatis. 441.
VI. De Hæredis Institutione. 448.
VII. De Legatis. 455.
VIII. De Falcidiæ deductione .464.
IX. De Substitutione Directa. 467.
X. De Substitutione Indirecta. 476.
XI. De Testamenti Resolutione. 485.
XII. De Portione Canonica Episcopali. 495.
XIII. De Ultimæ voluntatis Executoribus & Executione. 501.
XIV. De Ultimæ voluntatis Commutatione. 505.

TITVLVS XXVII.

De Successionibus ab Intestato.

ART. I.

ART. I. De Succeſſione Clericorum inteſtatorum in bonis verè & quaſi-Patrimonialibus. 511.
II. De Succeſſione in bonis ipſorum Beneficialibus. 518.
III. De Hæredibus Novitiorum & Profeſſorum Inteſtatorum. 520.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

ART. I. De Sepultura Sacra, & de perſonis eâ indignis. 528.
II. De Sacræ Sepulturæ loci electione. 532.
III. De Sepultura Maiorum. 536.
IV. De Sepultura Parochiali. 537.
V. De Portione Canonica Parochiali. 542.

TITULUS XXIX.

De Parochijs & alienis Parochianis.

ART. I. De Eccleſiæ Parochialis conſtitutione. 545.
II. De Juribus Parochiarum. 547.
III. De earundem Limitibus & Limitanearum Cauſarum Judicio. 552.

TITVLVS XXX.

De Decimis, Primitijs & Oblationibus.

ART. I. De Decimarum Natura Varietate & Origine. 559.
II. De Rebus, ex quibus: & Modo, quô Decimæ ſunt ſolvendæ. 562.
III. De Perſonis, ad Decimas ſolvendas obligatis. 566.
IV. De Exemptione à ſolutione Decimarum. 571.
V. De Iis, à quibus Decimæ percipiuntur. 576.
VI. De Modis acquirendi Jus Decimas percipiendi. 581.
VII. De Decimis Novalium. 587.
VIII. De Cauſarum Decimalium Judice, Decimásque fraudantium Pœnis. 591.
IX. De Primitijs. 596.
X. De Oblationibus. 597.

TITVLVS. XXXI.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem.

ART. I. De Perſonis, ingreſſûs Religionis capacibus. 603.
II. De Novitiatu. 607.
III. De Obligationibus & Juribus Novitiorum. 612.
IV. De Renuntiatione bonorum, à Novitijs præmittenda Profeſſioni. 616.
V. De Profeſſione Religionis. 623.
VI. De Profeſſionis Ratificatione. 628.
VII. De Effectibus validæ Profeſſionis. 631.
VIII. De Tranſitu ab una ad aliam Religionem. 637.

IX. De

IX. De Religiosis Fugitivis & Ejectis. 645.

TITVLVS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

ART. I. De Religionis Ingressu post Matrimonium Ratum. 656.
II. De Ingressu Religionis post matrimonium Consummatum. 662.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium. 667

TITVLVS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

ART. I. De Voti Natura & Varietate. 669.
II. De Voti Obligatione. 675.
III. De Voti Redemptione & Relaxatione. 682.

TITVLVS XXXV.

De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium.

ART. I. De Origine, Natura & Varietate Religionum. 692.
II. De Voto Paupertatis. 696.
III. De Voto Castitatis. 704.
IV. De Voto Obedientiæ. 708.

TITVLVS XXXVI.

De Religiosis Domibus; ut Episcopo sint subjectæ. 715.

TITVLVS XXXVII.

De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum. 722.

TITVLVS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

ART. I. De Natura & Varietate Juris Patronatûs. 727.
II. De Origine & Causis Juris Patronatûs. 734.
III. De Personis, quibus competit Jus Patronatûs. 741.
IV. De Juribus & Obligatione Patronorum. 747.
V. De Præsentatione Clerici ad beneficium vacans. 751.
VI. De Variatione in Clerici Præsentatione. 759.
VII. De Personis præsentandis. 763.
VIII. De Modis, quibus Jus Patronatûs in alios transfertur. 772.
IX. De Juris Patronatûs Probatione. 781.
X. De Juris Patronatûs Amissione & Judicio. 786.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.

ART. I. De Censibus. 790.
II. De Exhibitione Monetæ in Censuum aliorúmque debitorum pecuniariorum solutione. 793.

III. De

III. De Exactionibus Prælatorum, seu Subsidio Charitativo. 805.
IV. De Exactionibus, quæ imponuntur à Potestate Seculari. 809.
V. De Procurationibus. 817.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

ART. I. De Ecclesiæ & Altaris Consecratione. 822.
II. De Ecclesiæ violatæ Reconciliatione. 828.

TITVLVS XLI.

De Celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiæ & Officijs Diuinis.

ART. I. De Sanctissimo Missæ Sacrificio. 835.
II. De Sacrificandi Obligatione & Sacrificij Applicatione. 843.
III. De Officio Divino. 850.
IV. De Missarum & Officiorum Divinorum Reductione. 857.

TITVLVS. XLII.

De Baptismo & ejus Effectu. 862.

TITVLVS XLIII.

De Presbytero non Baptizato. 871.

TITVLVS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum. 875.

TITVLVS XLV.

De Reliquijs & Veneratione Sanctorum. 878.

TITVLVS XLVI.

De Observatione Jejuniorum. 884.

TITVLVS XLVII.

De Purificatione post Partum. 893.

TITVLVS XLVIII.

De Ecclesijs Ædificandis & Reparandis.

ART. I. De Ecclesiarum, præsertim Parochialium, Ædificatione. 895.
II. De Congrua Sustentatione Parochi, & de Vicarij Portione. 901.
III. De Ecclesiæ Ædiumque Parochialium Reparatione. 906.

TITVLVS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmiterij & Rerum ad eas pertinentium.

ART. I. De Immunitate Locali. 911.
II. De Asyli sacri Origine & Sanctitate. 913.
III. De Gregorianæ Constitutionis Obligatione & Interpretatione. 921.
IV. De Locis, Sacræ Asyliæ privilegiô gaudentibus. 926.
V. De Personis, ad Loca Sacra & Religiosa confugientibus. 934.

VI. De Criminibus, quorum Rei ſacrô Aſylô non proteguntur. 942.
VII. De Reorum, ad Sacra & Religioſa loca fugientium, Privilegijs. 952.
VIII. De Cognitione, an Reus gaudeat Immunitate, & iſtâ privatorum ex Aſylo Extractione. 958.
IX. De Pœnis violantium Immunitatem, earúmque Relaxatione. 963.
X. De Eccleſiarum Immunitate Reali. 966.

TITVLVS. L.

Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotijs ſe immiſceant. 975.

IN NO-

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, AMEN.

INSTITUTIONUM CANONICARUM LIBRI III.

SUMMA.

IUdici Judicióque Ecclesiastico succedit Clerus, sive Causæ, eum cæterásque Personas, Res & Loca Ecclesiastica concernentes, & in illo solitæ pertractari: quas tertiô hôc Compilationis suæ Libró Gregorius IX. orditur à Vita, sive istius morúmque & conversationis Clericos addecentis Honestate, & ex officio statúq; suo ipsis imminente in Ecclesijs residendi hísq; personaliter deserviendi obligatione. Inde progreditur ad Præbendas ac Dignitates, sive officio & obligationi illi Apostolicâ authoritate annexa Beneficia Ecclesiastica: & in his vacantibus illorũ Institutionem atque Administrationem, Ecclesiarũ Prælatis plenâ, & vacante Sede, Capitulis competentem: hísq; subijcit rerum Ecclesiæ im̃obilium, hísq; æquivalentium ac pretiosarum alienationem, Administratoribus Ecclesiasticis indiscriminatim omnibus interdictam, si liberè: & permissam, si, justa causa poscente, cum debita solennitate decernatur. Ab Administratione Alienationéq; transit ad Contractus, quorum celebratione legitimâ Ecclesiarum & Monasteriorum subievatur necessitas, aut utilitas promovetur. Tum agit de Clericorum Peculio, seu bonis rebúsque, ab ijs hæreditaria successione, legatô, contractu, alióve titulô merè prophanô, vel Spiritualis ministerii officiique Ecclesiastici intuitu comparatis: déque eorum, inter Vivos, aut supremæ Volunta-

voluntatis elogiô disposítione, & intestatorum successione, in alios Jure inhibitâ permissáve translatione. Post hæc verò, propositis sacræ Sepulturæ, Decimarum, Primitiarúmque & Oblationum, præcipuis juribus Parochialium Ecclesiarum, progreditur ad Regulares: eorúmque Professione & ad strictioris observantiæ Ordinem Transitu Statúque, Votíq; Religione ac Redemptione declaratis, Episcoporum in Ecclesias cæteráque Sacra & Religiosa loca jurisdictionem aliáque ipsis, & ex Ecclesiarum fundatione dotationéque & constructione Patronis competentia jura exequitur. Demum de earundem Ecclesiarum & Altarium Consecratione Reconciliationéq; & (Missarum & Divinorum Officiorum, Sacramentorum quorundam administratione, Sanctorum Reliquiis & Veneratione interjectis) de earum Ædificatione, Reparatione & Immunitate agit: & tertium hunc Decretalium Librum absolvit, coronidis locô adjectâ complurium Sæculi, à Clericorum statu & Religiosorum professione alienorum, negotiorum munerúmque enarratione.

LIBRI

LIBRI III.
INSTITUTIONUM CANONICARUM
TITVLVS I.
De Vita & Honestate Clericorum.

AJudiciis ad Causas in iis pertractari solitas, sive res & jura Personis aut Locis Ecclesiasticis competentia progreditur Compilatio Gregoriana, illásque orditur ab ipsis Clericorum personis, eísque conveniente planéque necessaría Vitæ Morúmque Honestate; quòd ad hanc fideles cæteri nulla re efficaciùs quàm ipsorum exemplô instituantur & excitentur.

ARTICULUS I.
De Clericorum Nomine & Probatione Clericatûs.

SUMMARIUM.

1. *Christiani vel Laici, vel Clerici:*
2. *Et utrique vel Seculares sunt vel Regulares.*
3. *In favorabilibus Populi nomine Clerici quoque;*
4. *Et istorum nomine Regulares, etiam laici:*
5. *In odiosis verò soli Clerici simplices:*
6. *Et aliquando soli Sacerdotes intelliguntur.*
7. *Clericatus non præsumitur: sed probandus est,*
8. *Per Formatas, vel depositiones testium:*
9. *Ex illius quasi possessione diu continuata:*
10. *Ex fama, indiciis aliis,*
11. *Et delatione habitûs ac tonsuræ Clericalis:*
12. *Et aliquando partis adversæ confessione.*

CHristianorum, sive hominum per Baptismi januam Ecclesiam ingressorum, duo sunt genera: Laicorum unum, alterum Clericorum, *can. Duo sunt 12. q. 1.* 1.

Laicorum, à Græco nomine λαός, *Populum* denotante, sic dictorum, appellatione Jure nostrô veniunt non solùm populares & homines plebei, sed quicunque sexûs utriusque & cujuscunque ætatis statûs & conditionis homines, ullô Ordine Ecclesiasticô & primâ etiam Tonsurâ non initiati. Nomine autem Clericorum in-

rum intelliguntur personæ ex fidelibus electæ, & sacrô aliquô vel minori Ordine aut primâ saltem Tonsurâ ad Dei cultum & Ecclesiæ Christi ministerium specialiter deputatæ, *can. 1. pr. dist. 21. & can. Clericus 5. q. 1. cit.* ut indicat ipsum nomen derivatum à Græco κλῆρος denotante *Sortem* vel *Hæreditatem*: à qua sic nominantur; quòd, ut *can. Clericus cit.* asseritur *vel de Sorte Domini*, hoc est, ad Divina ministeria specialiter ordinati sint: *vel Domini partem* & hæreditatem habeant, *can. 1. cit. pr.* hoc est, Oblationes, decimas & primitias, quæ Domini Dei sunt, *can. Quisquis 12. q. 2.* Glossa *in can. 1. cit. V. Partem*, Panormit. *ad hanc Rubr. n. 8.* Turrecremata *in can. Clericus cit. n. 9.* & Bellarmin. *Lib. 1. de Cleric. cap. 1.*

Neque, bimembrem hanc Christianorum in Laicos & Clericos partitionem convellit rescriptum Innocentii III. Clericos laicos agnoscentis *c. Ad audientiam 31.* ibi, *Quod quidam laici clerici, de Rescript.* ut habet plenior lectio *c. cit.* relata à Gonzalez; quia, ut nihil dicam; quòd in Decretalium editionibus vulgatis *laici* nomen sit omissum, *c. cit.* laicorum clericorum, in pleniore lectione expressorum, nomine veniunt Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum canonici & cæteri clerici Seculares, sive personæ, non quæ nullo Ordine & prima etiam Tonsurâ non initiatæ: sed quæ tali quidē initiatæ, nullā tamen alicuj⁹ à Sede Apostolica approbatæ Religionis Regulam sunt professæ; ut adeò *c. cit.* Laici clerici Regularibus clericis opponantur, ut *in c. cit.* cum Cironio notat *cit.* Gonzalez *n. 2.*

2. Utrique, tam Laici quàm Clerici, vel Seculares sunt, vel Regulares: quorum illi nullā, isti aliquā à Sede Apostolicâ approbati Ordinis Regulā sunt professi, ut jam dictum & notat Turrecremata *in can. Duo sunt cit. pr.*

Quantumvis autem *Laicorum* nomine denotetur Populus Christianus, istius tamen nomen aliquando latiùs patet, quàm Laicorum; quia illius, non etiam istorum nomen aliquando cum laicis etiam clericos comprehendit, *arg. l. 1. C. de Summa Trinit.* Quod præcipuè contingit, si materia sit favorabilis, vg. si populo indultum sit privilegium; tali enim populo indultô etiam clerici gaudent: nisi ad hos id non porrigi, ex tenore, materia subjecta, vel circumstantiis constet, Panormit. *in c. 1. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.* 3.

Licet etiam Christiani ex Laicali ad Clericalem Statum transferantur ipsâ primæ sive, ut eam ipsam ob causam etiam nuncupatur, clericalis Tonsuræ receptione, *arg. can. Duo sunt cit. & c. Cùm contingat 11. de Ætat. & qualit.* & propterea Tonsurâ illâ initiati omnes, quacunque etiam Pontificali præfulgeant, aut Cardinalitiâ emineant dignitate, cum ipso Papa seu Pontifice Romano clerici propriè sint; quòd sint de sorte Domini & Domini partem omnes habeant, *can. 1. pr. dist. 21.* Usu tamen Clerici nomen aliquando latiùs, & aliquando minùs latè patet, & Christianos plures vel pauciores significatione sua comprehendit pro materiæ diversitate; cùm in dubio, si materia favorabilis sit, clerici appellatio non solùm prædictos omnes, sed Religiosos quoque laicos, ut sunt Conversi & Societatis JESU Coadjutores temporales, comprehendat, Felinus *in c. 1. de Hæret. n. 6.* Sylvester *V. Clericus 1. n. 1.* Tuschus *Pract. V. Clericus concl. 377. n. 2.* idem esse asserens in materia indifferenti. Si verò ista sit odiosa, vg. si de Censura aliáque pœna, de damno vel incommodo incurrendo tractetur, clerici nomen restringendum sit 4. 5.

dum sit ad clericos simplices; ut nec Abbates, Præpositos, Archidiaconos aliósque in Ecclesiastica dignitate constitutos, Decius *in c. Non liceat 2. de Præbend.* Beroius *Vol. 1. consil. 153. n. 6.* Riccius *Prax. Aur. resol. 292. n. 2.* neque Canonicos, Beroius *Consil. 3. à n. 29.* multóque minùs Episcopos complectatur, *arg. c. Inquisitores 16. de Hæret. & c. Quia periculosum 4. de Sent. excom. utrobique in 6.* neque etiam extendatur ad Monachos cæterósque Regulares, Panormit. *in c. 1. Ne clerici vel monach. n. 7.* & Tuschus *concl. cit. n. 2. & 3.* quos propterea Interdictô Ecclesiasticô latô in Clerum non teneri, cum Panormit. *in c. Bonæ 3. de Postulat. n. 2.* notat Sylvester *V. Interdictum 2. n. 17.* Pro ratione horum omnium Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 39. n. 10.* reddit Regulam, *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, quæ est, 15.
6. *in 6.* Rectè etiam *cit.* Doctor *n. 11.* advertit, multoties Clericorum nomine denotari Sacerdotes. Quando autem, desumendum est ex materia subjecta, puta, si de conferenda absolutione Sacramentali, de sanctissimo Christi corpore conficiendo, aliáve potestate, in clericos presbyteris inferiores non cadente, agatur.

7. Dubium est de Clericatûs probatione. Et in dubio quidem eum non præsumi, sed ab allegante probandum, desumitur ex *can. Lectum 2. q. 1.* & cum Decio *in c. Cùm adeò 17. de Rescript. n. 13.* & Ripa *in c. Decernimus 2. de Judiciis n. 4.* tradit Gomez *in Regul. de Annali possess. q. 58.* Ratio plana est; quia clericatus homini neque à natura, neque communiter inest; cùm homines omnes laici nascantur, & tales esse plerique perseverent: qualitatem autem, quæ neque à naturâ neque communiter inest, non præsumi, sed ab allegante probandam esse, dictum est *ad Rubr. de Probat. n. 18.* Quâ ratione ductus Menochius *Lib. 6. præsumpt. 76. n. 2.* eum, quem constat esse clericum, sacris Ordinibus esse initiatum, si non probet, non credi, ait.

Quare dubium solummodo procedit de Clericatûs probandi modo. Et 8.
eum quidem *Formatis*, ut vocant, sive Authenticis literis Episcopi, primam Tonsuram vel Ordinem, qui probandus est, à se collatum testificantis, legitimè probari, disertè habetur, *l. Si quæ per calumniam 22. C. de Episc. & cleric.* quâ relatis Theodos. & Valentiniani Impp. rescriptis, qui talibus literis non est munitus, pro clerico vel monacho non habetur.

Verùm hæc probatio, licet usu receptissima & SS. Canonibus approbata sit, *can. Primatus 6. can. Extraneo 7. & c. dist. 71. c. Inter quatuor 2. & c. Tuæ 3. de Cleric. peregr.* non desiderantur tamen, & recipiuntur etiam aliæ, tam veræ quàm præsumptivæ ejus probationes; cùm Clericatus etiam probetur.

Primò duorum triúmve omni exceptione majorum, Ordinationis actui se interfuisse, deponentium testimoniis, si clericatûs literæ sint amissæ, *c. Inter & c. Tuæ cit.* Felin. *in c. Licet 23. de Test. & attest. in fine* Rebuff. *de Nominat. q. 14. n. 32.* & Garcias *p. 7. de Benefic. cap. 1. n. 39.* Quin clericatum etiam unius testimoniô probari, cum Glossa *fin. in c. Licet cit.* volunt Felin. *l. cit.* & Baldus *in c. Licet cit.* Quod, licet ad celebrandi & similes actus tertio non præjudicantes exercendi licentiam obtinendam verum sit, in judicio tamen, in quo lis vg. super beneficio est, non admittitur: sed, deficiente scripturâ, clericatum duorum testimoniô vel aliter probari, est necesse, Rebuff. *q. cit. n. 32.*

Secundò clericatus probatur ex diu- 9.
turna possessione; ut, si quem longo tem-

pore pro clerico habitum, vel in beneficio vg. Missas celebrandô, Evangelium vel Epistolam solenniter cantandô, deserviisse per testes probetur, is clericatûs probandi onere relevetur, & in beneficii, quod obtinet, possessione manuteneatur: licet ex ejusmodi possessione orta præsumptio non sufficiat; ut alicui beneficium adjudicetur vel conferatur: sed ad hoc vera aut aliis adminiculis suffulta clericatûs probatio exigatur, Innocentius *in c. fin. De eo, qui furt. ordinat. pr.* ubi Panormit. *n. 8.* & alii apud Mascard. *de Probat. concl. 304. à n. 18.* & Menoch. *cit. præsumpt. 76. n. 25.*

10. Tertiò idem probatur per famam seu communem existimationem, Garcias *cit. cap. 1. n. 140.* Mascard. *concl. 305. n. 11.* & Barbosa *in c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6. n. 9.* cùm enim fama seu reputatio communis in judicio allegata & probata regulariter semiplenæ probationis vim obtineat, per tradita *Lib. 2. tit. 19. n. 38.* de Clericatu quoque iis casibus, quibus leviores probationes admittuntur, sola: iis verò, quibus plena probatio exigitur, unius testimoniô alióve adminiculô accedente, fidem facere valebit.

Quartò, argumentis, indiciis, seu conjecturis aliis, Glossa *in c. Inter cit. V. Per argumenta, citt.* Garcias *n. 140.* & Mascard. *concl. 305. n. 7.* quæ singula quâ in occurrentibus casibus vi polleant, judicis illorum & effectûs, ad quem probatio exposcitur, qualitatem & circumstantias ponderantis arbitrio & prudentiæ est relinquendum.

11. Quintò clericatûs probatur ex delatione habitûs & Tonsuræ Clericalis, præsertim diu continuata; quod ista quasi possessionem & præsumptionem clericatûs inducat, *c. Si judex cit.* Verùm, esto hoc ita sit, quando agitur de modico præjudicio, sicut fit cùm versamur in præparatoriis judiciorum, vg. quando delinquens in habitu clericali reperitur; cùm talis à Curia Seculari detineri nequeat, sed ad Ecclesiasticam remittendus & sub ejus custodia retinendus sit, donec clericatûs quæstione judiciô Ecclesiasticô discussâ, laicus esse pronuntietur, *c. cit.* cujus §. *Idem esse* Bonifacius VIII. ait, *Idem*, sive malefactorem ad Ecclesiasticum judicem remittendum, *esse censemus, si reus ipse ante deprehensionem pro laico publicè se gerens deprehensus fuerit in habitu clericali, Tonsuram videlicet & vestes deferens clericales; nam talem debemus clericum (donec constet de contrario) reputare: nisi ante deprehensionem pro laico publicè se gessisset.* Ratio est; quia in dubio talis quis esse præsumitur, qualis in exteriori habitu reperitur, donec contrarium fuerit probatum, Baldus *in l. Non ignorat 9. C. Qui accus. non poss. n. 4.* Franc. *in c. Si judex cit. §. Idem esse, not. 3. citt.* Rebuff. *q. 22. n. 13.* Menoch. *præsumpt. 76. n. 7.* & Mascardus *concl. 302. n. 3.* Non tamen procedit, cùm agitur de magno præjudicio; cùm ex sola delatione habitûs clericatus sufficienter non probetur; ut, qui illum defert, ad altiores Ordines promoveatur, aut ei conferatur vel adjudicetur beneficium; ad hos enim effectus titulum sive Ordinationem exhibitione authenticæ scripturæ vel duorum triúmve testimoniô aut aliis adminiculis probari, est necesse, *citt.* Menoch. *n. 4.* & Mascard. *n. 1.* Eadem habitûs delatio hodie non sufficit, ut clericus in minoribus constitutus gaudeat privilegiô Fori Ecclesiastici; cùm, ut illô gaudeat, ultra delationem illam alia exigantur à Concilio Trident. *sess. 23. cap. 6. de Reformat.* ut à *num. 53.* pluribus tradetur.

12. Sextò demum partis quoque, super beneficio litigantis & adversarium suum clericum

clericum esse asserentis, confessione clericatum probari, scripsit Cravetta *Consil. 93. n. 4.* non quidem quoad titulum, ut aliis adminiculis non concurrentibus ex ea sola in Petitorio beneficium collitiganti adjudicetur: sed, ut saltem obtineat in Possessorio, & confesso silentium imponatur; quia in hoc judicio leviores probationes admittuntur, Felin. *in c. Olim 25. de Rescript. n. 10. citt.* Cravetta *à n. 4.* & Mascard. *concl. 305. à n. 6.* Addenda his sunt deducta *ad Rubr. de Cleric. peregrinis à n. 7.*

ARTICULUS II.

De Clericalis Vitæ Honestate Interna.

SUMMARIUM.

13. *Honestas vitæ Clericalis vel Interna vel Externa est.*
14. *Interna intentionem Deo in Clericatu serviendi,*
15. *Et animæ seu conscientiæ puritatem exposcit.*
16. *Primam Tonsuram sine intentione illa recipiens non vacat culpâ:*
17. *Quæ tamen verisimiliùs non est lethalis.*
18. *Parochiam sine Sacerdotii recipiendi intentione acceptans, tenetur ad fructuum restitutionem:*
19. *A qua excusatur ejusmodi intentionem habens solummodo conditionatam:*
20. *Non etiam, qui de Sacerdotali Ordine recipiendo dubius hæret.*
21. *Alias dignitates & beneficia sine annexi Ordinis recipiendi intentione acceptans, perceptos inde fructus ipso Jure non amittit.*
22. *Illis tamen & beneficiis est privandus.*
23. *Ex parochiali beneficio, sine Sacerdotii recipiendi intentione obtentô, percepti fructus restituendi sunt ante omnem sententiam:*
24. *Nisi mutatâ voluntate ad Sacerdotium intra annum promoveatur.*
25. *Post illud bonâ fide obtentum à Sacerdotii recipiendi intentione recedens, neque ante,*
26. *Neque post mutatam voluntatem perceptos fructus ante sententiam restituere tenetur.*
27. *Eosdem restituere non tenetur, qui parochiam acceptat animô resignandi:*
28. *Nisi Sacerdotalis Ordinis recipiendi careat voluntate.*
29. *Conscientiæ puritas Sacramenti ministro cuicunque necessaria est, non ad valorem:*
30. *Sed ad honestatem administrationis:*
31. *Ante quam Gratiæ Statum non procurans, peccat mortaliter:*
32. *Extra casum necessitatis, illius procurationem non admittentis.*
33. *Alia, quàm administrationis Sacramenti ratio est Ordinis actuum aliorum.*
34. *Pro Eucharistiæ sumptione Gratiæ Status procurandus est per Confessionem Sacramentalem:*
35. *Consuetudine contrariâ, quòd præceptô Divinô adversetur, non obstante.*

VItæ morúmque Honestas, Clericis omnibus, præsertim Sacerdotibus curatis & constitutis in dignitate, præscripta duplex est: Interna una, altera Externa: 13.

quarum illa subjecta est judicio solius Dei, qui solus cor hominis intuetur, *1. Reg. cap. 16. v. 7.* istam verò intueri & dijudicare etiam hominibus est datum, *c. Sicut tuis 33. & c. Tua 34. de Simonia.*

14 Illa sive Interna honestas exposcit duo, rectitudinem Intentionis, & Animæ seu conscientiæ puritatem, Wagnereck *ad hanc Rubr. not. 2.*

Rectam intentionem ut clericus habeat, necesse est; ut non sequiore aliquô meréque terrenô: sed cælesti ac supernaturali motivô, Deóque in Ecclesia deserviendi studiô ductus primâ Tonsurâ & Ordinibus Ecclesiasticis initietur: atque ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas promoveri se patiatur aut curet, non tam consequendi ex illis provenientis emolumenti seu commodi temporalis, quàm obeundi officii seu ministerii spiritualis &, si quæ illis annexa est, animarum curæ per Sacramentorum aliorúmque Divinorum administrationem, aut Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium gerendæ; horum enim intuitu beneficia & dignitates Ecclesiasticæ clericis conferuntur, *c. fin. de Rescript. in 6. & l. Generaliter 52. §. 1. C. de Episc. & cleric.* Hinc certè S. Synodi Tridentinæ Patres non Ordinibus solùm, sed primâ quoque Tonsurâ initiari vetant eos, *De quibus probabilis conjectura non est, eos ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse, Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* &, qui dignitates aliáve beneficia Ecclesiastica canonicè consecuti sunt, Sacros Ordines illis annexos recipere sub amissionis pœna jubentur *c. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora de Elect. c. 1. de Ætat. & qualit. & c. Licet canon. 14. de Elect. in 6.* Imò, ad Ecclesias Parochiales sine Sacerdotii recipiendi intentione promoti, ex illis provenientes fructus non faciunt suos, sed eos restituere tenentur, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Commissa 35. de Elect. in 6.*

Puritas animæ seu conscientiæ exigit 15
immunitatem ab omni labe seu culpa gravioris: ad cujus consecutionem & perfectionem plurimùm confert desiderium vivendi secundùm Divinæ & Ecclesiasticæ legis præcepta, studiúmque Theologicarum & Moralium Virtutum. Eam verò Animæ puritatem clericis omnibus, præsertim Sacerdotali, Pontificali, aliáve dignitate Ecclesiastica conspicuis, pernecessariam & sollicitè procurandam, omnino exploratum est; cùm illi ex officio suo imprimis deputati sint ad laudandum suáque intercessione placandum Deum: *Non sit autem speciosa laus in ore peccatoris*, Ecclesiastici *cap. 15. v. 9.* qui displicet Deo; ut periculum sit, ne ejus intercessione irati numinis animus ad vindictam provocetur potiùs quàm placetur, *can. In gravibus 3. q. 7.* Panormit. *ad hanc Rubr. n. 3.* Deinde sanctam & immaculatam hostiam Deo offerant sumántque: eam autem oblaturum ac sumpturum deceat, *Ut sit sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus* Hebr. *cap. 7. v. 26.* utque *Probet seipsum*; ne, si hostiam illam, sive sanctissimum Christi corpus & sanguinem sumat indignè, *judicium sibi manducet ac bibat, non dijudicans corpus Domini, 1.* Corinth. *cap. 11. v. 29.* Demum sint ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, *1.* Corinth. *cap. 4. v. 1.* sive à Christo Domino institutorum Ecclesiæ Sacramentorum: quæ cum fontes sint Gratiæ sanctificantis, eorum administratores ac dispensatores munditiâ cordis & cogitationis puritate excellere, Fidei Spesque firmitate & fervore Charitatis, omniúmque virtutum aliarum ornamentis decoratos esse, est necesse; ut sancta tractare ac sumere valeant sanctè; &, dum fideles cæteros

gratos

gratos reddunt Deo, ipsi tanquam Gratiæ Divinæ exsortes non reprobentur, contra monitum Apostoli 1. Corinth. *cap. 9. v. 27.* De hactenus declarata vitæ clericalis Honestate

16. Dubium est primò, an prima tonsura & Ordines minores recipi nequeant sine intentione in clericatu Deo in Ecclesia serviendi. Illum certè & hos sine tali intentione, imò cum proposito in clericatu non perseverandi & conjugii ineundi licitè aliquando recipi, ait Laiman *Lib. 4. tract. 9. cap. 7. n. 2. in fine*, ductus exemplò Rectorum Academicorum, in una alteráve generalium studiorum Universitate eâ solùm intentione minores Ordines aut primam saltem tonsuram recipere solitorum; ut essent capaces jurisdictionis in clericos exercendæ.

Verùm, quia ab hoc usu in Academiis illis recessum: &, ubi earũ Rectores Ecclesiastici non sunt, jurisdictio in Clericos fere in illarum Pro-Cancellarios, Sacræ Facultatis Decanos, aliásve personas Ecclesiasticas translata est, non magni valoris ab usu illo ducitur argumentum, & verisimiliùs culpâ non vacat Ordinum minorum & primæ etiam tonsuræ receptio sine intentione Deo serviendi in clericatu, vel cum istius deferendi proposito attentata, ut non obscurè insinuat S. Synodus Trident. *cap. 4. cit.* primâ tonsura initiari prohibens eos, *De quibus probabilis conjectura non est, eos non secularis judicii fugiendi fraude*, & Ecclesiastici fori privilegiò fruendi animò, *sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*; his enim verbis sine animo fidelem Deo cultum præstandi, & solâ privilegiò illò gaudendi intentione primam tonsuram recipientem S. Synodus apertè arguit fraudis ac deceptionis, quæ utique culpâ non vacat; atque idcirco, ne privilegiò illâ fruendi animò facilè committatur, eadem S. Synodus *Sess. cit. cap. 6.* primâ tonsura & minoribus Ordinibus initiatos fori Ecclesiastici privilegiò defendi in posterum noluit: nisi beneficium, ratione cujus ad spirituale officium obligantur, actu habeant, vel habitum & tonsuram clericalem deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario clericorum, vel in studiis quasi in via ad majores Ordines versentur.

Quantumvis autem tonsuram illam 17.
& minores Ordines contra Ecclesiæ mentem sine intentione fidelem Deo cultum præstandi in clericatu, & hunc deserendi animò recipiens non vacet culpâ, istam tamen (malò fine, circumstantiâ sequiore & contemptu seclusis) lethalem esse dicere non ausim cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 108.* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 31. n. 17.* Bonacina *disp. 8. de Sacram. q. unic. p. ult. in fine* & Diana *p. 1. tract. 8. resol. 10.* contra alios, numerò & nomine non inferiores, in ejusmodi Ordinum & tonsuræ clericalis receptione gravem culpam agnoscentes, & præcipuè permotos paritate cum eo, qui Religiosi Ordinis Novitiatum ingreditur animò non profitendi, sed ad seculum redeundi.

Sed paritas cum isto non est; cùm enim iste in re gravi decipiat Prælatum, ad Religionis Novitiatum, Institutum & secreta cognoscenda, vitæque Regularis communionem admittere non intendentem nisi eum, qui in ea, quam præ se fert vocatione constans fore speratur; eum enim, qui talem se fingit, cùm non sit, à gravi culpa meritò non absolvunt *citt.* Sanchez *n. 20.* & Laiman *n. 2.* & ad sumptuum in eum factorum restitutionem rectè obligat Gobat *Experient. Tract. 8. n. 30.* licet aliud sentiat de proposita receptione primæ tonsuræ & Ordinum

mino-

minorum; quòd horum, sine animo perseverandi in clericatu, receptio minùs Ecclesiasticæ & Seculari Reipublicæ, quàm Religioni præjudiciosa & gravis sit assumptio habitûs & ingressus in Novitiatum sine animo perseverandi.

18. Dubium secundò est, an ad beneficium parochiale recipiendum necessaria sit Sacerdotalis Ordinis recipiendi & in clericatu perseverandi intentio absoluta, vel sufficiat conditionata: nisi superveniens nova circumstantia seu causa suadeat mutationem voluntatis, vg. nisi ante sacrum Ordinem receptum status clericalis minùs convenire iudicetur: nisi primogenitus aut unicus frater decesserit, aut prolem masculam non susceperit: nisi opulentum & ad familiam conservandam vel ad odia & lites extinguendas opportunum matrimonium se offerat: cujusmodi conditionatam intentionem sufficere cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 5. art. 6.* negat Guttierez *QQ. Canon. lib. 2. cap. 5. n. 22.* permotus textu *c. Commissa cit.* cujus §. *Cæterùm* Bonifacius VIII. *Si*, inquit, *promoveri ad Sacerdotium non intendens parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneris ad restitutionem fructuum eorundem; cùm eos receperis fraudulen-*

19. *ter.* Verùm, quia non absolutam, sed conditionatam quoque Sacerdotii recipiendi intentionem habens Ordinem illum sacrum suscipiendi voluntate non caret, §. *cit.* dispositione non obstante, conditionatam ejusmodi intentionem in clerico beneficium parochiale acceptaturo sufficere, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 118.* verisimiliùs affirmant Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 45. n. 10.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 131.* Garcias *p. 3. de Benefic. cap. 4. à n. 46.* Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 14. n. 9.* & alii. Ratio est; quia hujusmodi conditionata intentio sæpe valde rationabilis, & non reprobata est ab Ecclesia, ex ejusmodi causis factas beneficiorum renuntiationes sine difficultate admittente; quòd iis non rarò magna bona promoveantur.

Dubium est tertiò de eo, qui cùm 20.
parochiale beneficium recipit, adhuc dubius hæret, an ad sacros Ordines promoveri & in clericatu persistere velit; nam & hunc à fructuum restitutione absolvit Garcias *cap. 4. cit. n. 49.* ita dubitantem cum volente sub conditione confundens, aut hac in re faciens parem. Sed perperam; alia enim, quàm sub conditione volentis, ambigentis ratio est; cùm enim is, qui an ad Sacerdotium ascendere & persistere in clericatu, vel hunc deserere velit, dubius & anceps est, ad Ordinem illum ascendendi necdum habeat voluntatem, ejusmodi Ordinem exposcens beneficium parochiale acceptare nequit, ex eóque acceptato perceptos fructus restituere in utroque foro tenetur, vigore §. *Cæterum cit.* nisi, animô postea mutatô dubióque depositô, intra annum sacris Ordinibus initietur, aut saltem eos recipiendi propositum habeat, *citt.* Sanchez *n. 10.* Laiman *n. 10. quæsito 1.* & Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 7. n. 5.*

Dubium quartò est an §. *Cæterùm* 21.
cit. dispositio afficiat solas Ecclesias & beneficia parochialia; illâ enim dignitates quoque curatas comprehendi, existimat Vasquez *de Benefic. cap. 3. n. 33.* quòd hujusmodi dignitates parochialibus beneficiis æquiparentur: eadémque illarum, quæ istorum, ratio sit; cùm sub annexi Ordinis sacri recipiendi conditione etiam ipsæ conferantur, §. *Inferiore cit.* & *c. 1. de Ætat. & qualit.*

Quin

Quin Garcias *cit. cap. 4. n.* 38. & ab eo relati alii §. *cit.* dispositionem porrigi, ajunt, ad beneficia simplicia, quibus sacer Ordo est annexus; quòd ab eo, qui talis Ordinis recipiendi intentione caret, æquè fraudulenter hujusmodi, quàm ab alio parochiale beneficium acceptetur, ex eóque provenientes fructus percipiantur.

Verùs tamen §. *cit.* dispositione neque dignitates curatæ neque simplicia beneficia afficiuntur; quia tam *c. Licet canon.* quàm §. *Cæterum citt.* tenor parochialium duntaxat beneficiorũ facit mentionem: dispositio autem beneficiorũ aut fructuum privationem inducens, ut *c. & §. citt.* est, cùm pœnalis sit, extensionem à casu expresso ad non expressum non admittit, *arg. Reg. Odia* 15. *& Reg. In pœnis* 49. *in* 6. *citt.* Navarrus *n.* 118. Sotus *q.* 3. *art.* 6. Sanchez *n.* 13. & alii relati à *cit.* Garcia *n.* 35.

Neque dignitatum & simplicium beneficiorum eadem, quæ parochialium, ratio est. Dignitatum quidem, cùm; quia ejusmodi dignitates diversæ à parochialibus beneficiis rationis sunt, & tanquam ab his diversæ referuntur §. *Inferiora cit.* tum verò; quia ad illas promoti, si intra annum ad Sacerdotium moniti non ascendant, dignitatibus receptis privari jubentur Synodali decretô
22. Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reformat.* non, ut parochialia recipientes, etiam nullâ monitione præcedente, ipsô jure privati asseruntur, *c. Licet. & §. Cæterùm citt.* Simplicium autem beneficiorum; quia minorem culpam continet sine sacri Ordinis recipiendi intentione facta acceptatio beneficii simplicis, quàm curati; cùm in hoc, non etiam in illo agatur de periculo animarum.

23. Dubium quintò est, an qui parochiale beneficium sine Sacerdotii intra annum recipiendi intentione acceptat, ex illo provenientes ac perceptos fructus restituere ante omnem sententiam teneatur. Ratio dubitandi est; quòd beneficii collatio ei facta Jure subsistat; cùm, si voluntate mutatâ intra annum initietur sacerdotiô, beneficium cum perceptis fructibus retinere valeat sine nova collatione, argumentô satis perspicuô, collationem, ex qua antè facta beneficium obtinuit, fuisse validam, & ex ea perceptorum fructuum dominium ipsi acquisitum; ac proinde eos non restituendos ante sententiam criminis declaratoriam; quòd ante hanc jure jam quæsito per restitutionem se privandi obligatio in conscientia non detur, per tradenda *Lib. 5. tit. 37. n.* 18. Verùm, quia juxta ibidem dicenda *n.* 16. hoc de jure absolutè quæsito, non primùm quærendo aut solummodo quæsito sub conditione procedit: ex ejusmodi autem beneficio fructus quæsiti non sunt absolutè sed sub conditione recipiendi Ordinis sacri, vel purgandæ fraudis & voluntatis per sacerdotalis Ordinis intra annum receptionem mutandæ, eô ipsô; quòd fraudis purgatio & voluntatis mutatio secuta intra annum non sit, percipientis desinunt esse, *arg. l. Necessario 8. §. 1 ff. de Periculo & commodo rei vend.* Quare fructus, ex beneficio sine sacerdotii intra annum recipiendi voluntate perceptos, ante omnem sententiam restituendos, cum Glossa *fin. in c. Commissa cit.* Franco *ibid. §. Porro n.* 2. & Dominico §. *Illum n.* 2. rectè sustinent *citt.* Sanchez *n.* 10. Lessius *n.* 100. Laiman *n.* 10. & Vasquez *cit. cap.* 3. *n.* 41.

Dubium est sextò, an, si parochiale beneficium sine sacerdotalis Ordinis recipiendi intentione acceptans voluntatem mutet, & Ordine illô initietur, ante eam voluntatis mutationem perceptos 24.

fructus restituere teneatur. Quod contra Sotum *cit. q. 5. art. 6.* communis DD. sententia meritò negat, & negandum §. *Cæterùm cit.* non obscurè insinuatur; cùm ex isto fructus ante percepti restitutioni obnoxii sint: *Nisi* ejusmodi beneficium percipiens *mutatâ voluntate* ad sacerdotium intra annum *fuerit promotus.* Unde à contrario infertur, antè, etiam cum fraude, perceptos restitutioni obnoxios non esse, si mutatâ voluntate intra annum ad sacerdotium fuerit promotus. Cùm ergo cum fraude percepti ii tantùm fructus sint, qui percepti fuerunt ante ejusmodi voluntatis mutationem, secutâ hâc mutatione, ante eam percepti fructus restitutioni obnoxii procul dubio non erunt; quòd eâ mutatione fraus purgetur, ut cum Glossa *in §. cit. V. Mutatâ* advertunt *citt.* Sanchez *n.* 7. Lessius *n. 133.* & Vasquez *n. 35.*

25. Dubium septimò est, an, qui beneficiò bona fide & cum sacerdotalis Ordinis intra annum recipiendi intentione obtentô, postea verò mutatâ voluntate sacros Ordines non recipit, vel à clericatu omnino recedit, ad perceptorum fructuum restitutionem teneatur. Certum est, talem non teneri ad restitutionem perceptorum ante voluntatis mutationem; quòd circa hos ulla fraus commissa non sit.

26. Idem de fructibus, post animi mutationem intra annum perceptis, cum Navarro *cit. n. 118.* sustinent *citt.* Sanchez *n.* 11. Lessius *n. 134.* & Palao *p. 7. n. 9.* Ratio est; quia beneficium antè legitimè obtentum, animô etiam mutatô, non amittitur ante lapsum anni, *c. Commissa cit. pr. & c. Licet canon. cit. V. Is etiam,* & fructuum post mutationem voluntatis perceptorum privatio ullô Jure non est expressa; cùm §. *Cæterùm cit.* disertè sermo sit de parochialis beneficii dolosa receptione sine animo ascendendi ad Ordines sacros: à qua ad beneficii, bonâ fide obtenti, malitiosam retentionem non rectè ducitur argumentum, partim; quia dolosæ beneficii receptioni §. *cit.* imposita fructuum restitutio pœnalis & odiosa est: partim verò; quia graviùs delinquit, beneficium malâ fide & sine sacerdotii recipiendi intentione acceptans, ut ejus fructus per totum annum percipiat, quàm illud bonâ fide obtentum, mutatâ voluntate & sacerdotalis Ordinis intra annum recipiendi intentione depositâ retinens, ut residuô anni tempore percipiat fructus ex illo provenientes, ut probè observant DD. *citt.* licet talem, compertâ & probatâ fraude, fructibus à mutatæ voluntatis tempore perceptis & ipsô quoque beneficiô privari posse, inficias non eant.

Dubium est octavò, an ad fructuum perceptorum restitutionem etiam obligetur, qui beneficium parochiale acceptat animô id permutandi aut aliter resignandi. 27. Quod resolvendum est auxiliô distinctionis; vel enim sacrum presbyteratûs Ordinem recipiendi, beneficio inserviendi, & huic annexis oneribus satisfaciendi animum habet, vel non? si posterius hoc, eum perinde, ut non residentem, fructus ex illo provenientes restituere teneri, satis exploratû est ex §. *Cæterùm cit.* quòd in re gravi decipiat Ecclesiam, beneficiis deserviendi animum in collatariis exposcentê, *arg. c. fin. de Rescript. in 6. & l. Generaliter 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric.* Si prius, eum ad 28. fructuum restitutionem obligari & graviter peccare, cum Navarro *Consil. 24. de Præb. & dignit. n. 2.* negant *citt.* Sanchez *n.* 12. & Lessius *n. 136.* quòd beneficium recipiens id perpetuò retinere non teneatur; & si, donec id ex permutationis

tionis vel alia causa resignandi opportuna se offerat occasio, ei deserviat & satisfaciat oneribus annexis, Ecclesia ullum vel saltem notabile detrimentum non patiatur. Hactenus de rectitudine intentionis. Nunc de animæ puritate, requisitâ ad vitæ Clericalis honestatem.

29. Dubium est nonò, an & quomodo ea sive, ut etiam loquuntur, fides & probitas ministri necessaria sit ad Sacramentorum administrationem. Qua in re frequentissimò DD. calculò approbata est distinctio inter administrationis valorem & honestatem.

Et illum quidem sive Sacramenti valorem à clerici & cujuscunque alterius ministri fide ac probitate, seu vitæ honestate interna non pendere, Catholica & à S. Synodo Tridentina *Sess. 7. can. 12. de Sacram.* definita veritas est; cùm, Novæ legis Sacramentorum valorem & efficaciam à probitate & puritate animæ ministri pendere, neque voluerit Christus Dominus, neque fuerit conveniens; quia Christus illis contulit vim causandi gratiam sanctificantem ex opere operato & meritis suis, non ex ministri sanctitate: quæ si ad valorem necessaria foret, omnia Sacramenta dubia redderentur; quòd, an minister in Gratiæ vel lethalis peccati statu sit, ignoremus. Unde, si Sacramenti substantialia, materia scilicet & forma cum debita intentione, à ministro adhibeantur, Sacramentum validè administrabitur, quantumvis minister in peccatum mortale & ipsam hæresin lapsus sit, S. Thomas *3. p. q. 64. art. 5.* Suarez *3. p. disp. 13. s. 4.* Laiman *Lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 6.* & Bonacina *disp. 1. de Sacram. q. 3. p. 2. §. & n. 1.*

30. Istam verò, sive Sacramentalis administrationis honestatem à clerici ministri fide, probitate, seu honestate morum interna pendere, & cujuscunque Sacramenti in peccati mortalis statu scienter peractâ administratione à clerico grave peccatum committi, cum *cit.* Doctore Angelico & TT. aliis tradunt cæteri DD. pro hac & priori quoque distinctionis parte allegantes *can. Omnia 1. q. 1. & can. fin. 15. q. 8.* quorum locorum priori S. Augustinus, *Omnia*, inquit, *Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus* sive administrantibus, *prosunt per eos dignè sumentibus.* Posteriori relatum Nicolai I. ad Bulgaros, *De Sacerdote, qui cum adulterii aliòve gravi crimine pollutus Sacramenta administrare præsumpsit*, consulentes, Responsum est, *Ab eo, usquequo judiciò Episcoporum reprobatur, communio percipienda est; quoniam mali bona administrandò se tantummodo ladunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.* Eôdem fere sensu Gregorius IX. clericos pro quolibet peccato quoad seipsos, non quantùm ad alios suspensos asserit *c. fin. de Cohabit. cleric. & mulier.* quòd, licet ipsi officium suum, priusquam pœnituerit, obeundò, vg. sacrificandò graviter peccent, aliis pro quibus offerunt sacrificium, prosint. Ratio est; quia clerici eò ipsò; quòd ex officio suo sint publici ministri Christi & novæ Legis Sacramentorum dispensatores, magnam irreverentiam, tam in ipsum Christum Dominum, quàm in Ordinem & officium suum committunt, quando in inimicitia Dei &, diabolicæ servitutis statu non depositò, sancta tractare indignè &, dum ipsi peccatorum sordibus inquinati sunt, per sacramentorum administrationem sanctissimorum Christi meritorum thesaurum dispensare temere præsumunt. Rationi huic non parùm roboris addit ipsorum collatio cum antiquæ Legis sacerdotibus ac Levitis; cùm enim in his exigeretur sanctitas

ſpecialis, & quicunque corporis maculâ aut immunditiâ aliquâ inquinati eſſent, à ſacris & ſacerdotio ſeveriſſimâ comminatione removerentur, *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos*, Exodi *cap. 19. v. 22.* & *Omnis homo, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*, Levitici *cap. 22. v. 3.* quanta ſanctificatio ſive honeſtas vitæ, præſertim interna & animæ puritas expoſcetur in ſacerdotibus & cæteris novæ Legis Sacramentorum miniſtris? cùm hi Ordinatione ſacrâ ad functiones dignitate ac virtute multò quàm illi præſtantiores deputati & diſpenſatores ſint novæ Legis Sacramentorum, ex virtute meritorum Chriſti conferentium gratiam, quæ ſpiritualis vita & ſanctitas eſt animarum, futuræque in cœlo gloriæ pignus.

31. Atque hæc reſolutio quoad utramque partem veriſimiliùs non ſolùm in Epiſcopis & presbyteris, ſed in diaconis quoque & cæteris clericis, imò & laicis procedit; ut quandocunque ſacramentum aliquod, ſive ex proprio officio, ad quod per ſacram Ordinationem deputati ſunt, ſive propriô miniſtrô deficiente per accidens publicè aut privatim adminiſtraturi ſunt, ſtatum Gratiæ procurare teneantur: &, ſi illud in peccati mortalis ſtatu ſcienter adminiſtrent, graviter delinquant, ut cum Navarro *in can. 1. §. Sacerdos diſt. 6. de Pœnit. n. 10.* ſentiunt Vaſquez *cit. diſp. 136. cap. 3. n. 38.* Petr. Ledeſma *de Matrim. q. 42. art. 3. §. Ad ultimum* & Palao *Tract. 18. diſp. unic. p. 5. n. 9.* contrà non paucos & magni nominis Theologos, veriſimiliter aſſerentes, ad ſtatûs Gratiæ procurationem Sacramenti receptioni quidem quòscunque, adminiſtrationi verò præmittendam, eos duntaxat graviter obligari, qui illa adminiſtraturi ſunt ex officio, ad quod per ordinationem ſpecialiter ſunt deputati. At, licet hos ad Sacramenta dignè adminiſtranda præ aliis graviter obligari, inficias non eam, gravis tamen culpæ reatum contrahi exiſtimo etiam ab aliis, illa adminiſtrare præſumentibus in ſtatu peccati mortalis; quòd gravis irreverentia & injuria Chriſto fiat, ſi ejus perſonæ repræſentatio, & theſauri meritorum diſpenſatio ab hoſte Dei & diaboli mancipio aſſumatur.

Excipiendus tamen eſt caſus neceſſitatis ita urgentis; ut, ſi moribundi infantis Baptiſmo, vel alterius in ultimo agone conſtituti Sacramentali abſolutioni peccati mortalis ſibi conſcius ſacerdos præmittere vellet Confeſſionem aut etiam Contritionem, periculum eſſet, ne moribundus ſine Baptiſmo vel abſolutione decedat; quòd tali caſu ipſa Sacramenti celeriter adminiſtrandi neceſſitas irreverentiam Chriſto & ſacro Ordini inferendam purget, & à peccato excuſet, *citt.* Laiman *n. 8.* & Palao *n. 9.* 32.

Dubium eſt decimò, an puritas animæ ſeu conſcientiæ à gravioris peccati labe immunitas clericis neceſſaria ſit ad alios Ordinum actus exercendos. Et minorum quidem Ordinum actuum exercitium in ſtatu peccati mortalis graviter peccaminoſam eſſe, DD. paſſim negant. Majorum autem actus proprios in eo ſtatu exerceri ſine gravi peccato non poſſe, Sylveſter *V. Clericus 2. n. 2. ad finem* Navarrus *Manual. cap. 25. n. 72.* Cajetanus *in 3. p. q. 64. art. 3. ad 1.* & alii deſumunt ex *c. fin. de Temp. Ordinat.* quô textu relati Gregorii IX. *De Sacerdotibus vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falſi teſtimonii bonum conſcientiæ rectæ perdiderunt*, conſulti reſcriptum eſt, *Si non pœnituerint, monendi ſunt & ſub interminatione* 33.

Divini

Divini judicii obtestandi, ut in testimonium sæ damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent. Cui Apostolico rescripto accedit ex Divino Jure petitum exemplum Ozæ 2. Reg. *cap. 6. ỳ. 7.* repentinâ morte percussi, ob indecentem contactum Arcæ, cui per contactum illum illatâ non minor est irreverentia, quæ sancto sacrificio & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento infertur per diaconi aut subdiaconi peccatorum sordibus inquinati solenne ministerium ad Altare.

At, licet ista relatæ DD. Opinioni probabilitatem non modicam conferant, non minùs tamen probabilis & benignior est doctrina Soti *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. ad 1. citt.* Suarez *disp. 16. s. 3.* Vasquez *disp. 136. n. 50.* Bonacinæ *q. & p. 3. §. 1. ad 4.* & Palao *p. 6. n. 22.* quibuscum moderni TT. permulti non-Sacramentales Ordinum functiones indiscriminatim omnes, ac proinde non solùm Evangelii & Epistolæ decantationem solennem, sed collationem quoque primæ Tonsuræ, sacri Chrismatis confectionem, Benedictiones aquæ, olei, Nuptiales, & ipsam etiam Ecclesiæ, Altaris & Sacrorum vasorum consecrationem, similésque actus alios (uti & Verbi divini prædicationem) graviter peccaminosos esse negant ex eo; quòd à lethalis culpæ conscii exerceantur. Ratio est; quia memorataruṁ functionum indignô exercitiô lethalis culpa non committitur ob irreverentiam in Christum Dominum ejúsque merita; cùm enim functiones illæ alicujus Sacramenti confectio & administratio non sint, per eas Christi meritorum thesaurus non dispensatur, & non confertur gratia ex opere operato: neque etiam ob irreverentiam, quæ fit Ordinibus, quorum exercitium & actus sunt, cùm; quia tales actus etiam sunt functiones solennes Ordinum minorum, quorum in gravi peccato executione lethalem plerique, & non pauci venialem etiam culpam committi negant: tum verò; quia eô ipsô; quòd functiones memoratæ ad sanctificationem ex opere operato conferendam proximè non tendant, indignum eorum exercitium ad lethalis culpæ gravitatem non ascendit; cujusmodi culpam, ex plurium DD. sententia, etiam non commisit Oza: licet incautus contactus Arcæ, ad augendam ejus reverentiam, à Deo temporali morte fuerit punitus.

Neque huic resolutioni adversatur *c. fin. cit.* quia imprimis hôc textu non condita nova, sed solummodo explicata est Lex Naturalis: & recitata verba exaudienda sunt secundùm materiam subjectam & qualitatem ministerii; cùm non indiscriminatim ministerium Ordinis quodcunque, obitum extra Statum Gratiæ, graviter peccaminosum sit; hoc certè nemo facile asseret de ministerio seu functione etiam solenni Ordinum minorum. Deinde; quia *c. cit.* clerici de peccatis non pœnitentes ministrare dicuntur non *in damnationem*, sed *in damnationis testimonium*; quòd ipsô ministeriô, quod sanctum est, testentur se propter peccata antè commissa damnatione esse dignos; cùm hanc ipsô ministeriô non promereantur: nisi hoc tale sit, quod in peccato mortali obire graviter prohibitum, aliunde constat. Demum; quia graviter prohibitum cujuscunque Ordinis ministerium tum demum est, cùm ejus actus in peccati statu exercetur cum scandalo, vel cum formali aut virtuali contemptu, vel cum proposito ministerium ita continuandi, ut cum *cit.* Suarez *s. 3.* advertit Laiman *cit. cap. 5. n. 10.*

Dubium undecimò est, an clericus peccati mortalis sibi conscius Sacramenti administrationi præmittere teneatur confessionem Sacramentalem: vel satisfaciat, si ante 34.

si ante illam eliciat Contritionem. Quâ de re, licet quoad cætera Sacramenta Jure nihil definitum reperiam; atque idcirco à Sacramenti ministro statum Gratiæ per Contritionem reparari sufficiat, Sacramenti tamen Eucharistiæ sumptioni, ac proinde hanc antecedenti illius confectioni à sacerdote, qui gravis peccati se reum agnoscit, Sacramentalem confessionem præmitti necesse est, juxta illud Apostoli, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*, 1. Corinth. *cap.* 11. *v.* 28. & 29. Qualis autem ea probatio sit, explicat S. Synodus Tridentina *Sess.* 13. cujus *cap.* 7. de Eucharistia loquens ait, *Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus, perpetuò servandum esse, decrevit.* Quibus verbis non Consilium duntaxat, sed Præceptum proponi, & ex isto Confessionem differri non posse, Alexander VII. luculenter valde declarat decretô 18. Martii 1666. editô inter alias Neotericorum laxioris sensûs Doctorum etiam proscribens ac damnans duas, ad propositam dubitationem pertinentes Propositiones: quarum prior & à Papa damnatarum 38. est, *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ex necessitate cum peccato mortali confitendi Quam primùm, est Consilium, non Præceptum*: Posterior verò & 39. *Illa particula Quamprimùm intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.* Quare ante Missæ sacrificium & sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem per peccatum mortale amissum Gratiæ Statum, per Sacramentalem Confessionem reparandi necessitas omnino explorata est.

Dubium tamen duodecimô est, an 35.
ea necessitas tolli valeat contrariâ Consuetudine: cujus resolutio pendet ex ejus Origine; cùm illam, si ex Naturali vel Divino Jure descendat, nulla Consuetudine tolli non posse, extra omnem controversiam sit; quòd Naturali & divino Juri quacunque Consuetudine non possit aliquatenus derogari *c. fin. de Consuetudine*, & hæc, quatenus ejusmodi Juri derogat, apertè corruptela sit, & nuncupetur *c. cit.* ut *Lib. 1. Tit. 4. n. 38.* est dictũ.

Ex quo autem Jure ea, de qua agimus, necessitas descendat, inter DD. controversia, istiúsque verisimilior resolutio est, illam descendere ex Jure Divino, látô à Christo Domino, & à S. Paulo *l. cit.* promulgatô. Ratio est; quia Ecclesia declaravit verbis illis, *Probet autem seipsum homo*, ab Apostolo proponi præceptum, de Sacramentali Confessione à fidelibus Eucharistiæ sumptioni & Missæ celebrationi à Sacerdotibus præmittenda, ut ex recitato S. Synodi decreto liquet: Apostolus autem præceptum hoc non proponit, ut conditum à se: sed ut acceptum à Christo Domino; quia imprimis id subjicit verbis, *Ego enim accepi à Domino; quod & tradidi vobis, v.* 23. quæ ad omnia subjecta referri videntur. Deinde; quia Corinthios reprehendit; quòd absque probatione, de qua ipse loquitur, de pane illo ederent & de calice biberent: cui reprehensioni locus non fuisset, si ejus probationis præceptum non traditum antè, sed ab ipso primùm conditum fuisset; cùm leges ac præcepta non ad præteritos, sed ad futuros actus referantur, *c. Cognoscentes 2. & c. fin. de Constitut.* Demum; quia eam probationem Apostolus fidelibus pec-

bus peccato gravatis proponit, tanquam unicum remedium vitandi Eucharistiæ sumptionem indignam: cujusmodi remedium non esset, neque Corinthiis fuisset, si ante latum à Christo non fuisset. Quæ ratio, à Sacerdotibus & fidelibus cæteris, mortalis peccati conscientiam habentibus, Sacramentalem confessionem celebrationi Missæ & Eucharistiæ sumptioni ex præcepto Divino præmittendam, Soto *in 4. dist. 12. q. 12. art. 4.* Covarruviæ *in c. Alma p. 1. §. 1. n. 7. citt.* Suarez *s. 3. concl. 3.* Vasquez *disp. 207. à n. 40.* & aliis præcipui nominis TT. meritò persuasit.

Neque contra eam facit; quòd S. Synodus præceptum illud pro Apostolico non obscurè habuerit, dum communicare volenti revocandum in memoriam ait præceptum Apostoli; quia deducta ratio non obscurè evincit, S. Synodum loqui de præcepto, non ab illo primùm condito, sed Corinthiis solummodo promulgato.

Neque etiam; quòd, licet divini Juris sit præceptum, ut ante Eucharistiæ sumptionem homo se probet, non tamen illius Juris sit probatio per Sacramentalem confessionem potiùs, quàm per Contritionem; fere sicut licet divini juris sit præceptum sumendi Eucharistiam, istius tamen sumptio annua non divini, sed Ecclesiastici tantùm est Juris, *c. Omnis utriusque 12. de Pœnit & remiss.* Non, inquam, etiam hoc contra illam Doctorum sententiam facit; quia probationem, de qua loquitur Apostolus, ex præcepto ab isto promulgato per Confessionem faciendam Ecclesiæ consuetudo non introduxit, sicut introduxit, ut communio esset annua: sed solummodo declaravit, ut Synodalis decreti lectio planum reddit.

(O)

ARTICULUS III.

De ejusdem Vitæ Clericalis Honestate Externa.

SUMMARIUM.

36. *Maximopere ista Clericis commendata est à Concilio Tridentino.*
37. *Consistit 1. in morum & conversationis integritate,*
38. *Castitatem sive abstinentiam ab omni Libidine,*
39. *Præsertim in Sacerdotibus & Curatis:*
40. *Sobrietatem sive abstinentiam ab ingluvie,*
41. *Atque ad æquales haustus provocatione,*
42. *Et Avaritiæ fugam exposcente.*
43. *Judex Ecclesiasticus admittere nequit munera.*
44. *Esculenta tamen aliquando modica & sponte oblata,*
45. *Et in debiti laboris compensationem accipere non prohibetur.*
46. *Pro injusta vexationis omissione nihil exigi à judice:*
47. *A parte tamen litigante offerri ei aliquid potest.*
48. *II. In decentia habitûs externi,*
49. *Præter alia excludente gestationem armorum illicitorum:*
50. *Quibus tamen clericum spoliare nequit judex Secularis.*
51. *Ad vestem & Tonsuram Clericalem adstringuntur clerici Majores & beneficiati,*
52. *Juxta morem regionis & Episcopi ordinationem.*
53. *Minores clerici habitum & Tonsuram non deferentes &c. non gaudent privilegiô Fori.*

54. Cano-

54. *Canonis tamen privilegiô defendantur.*
55. *Fori etiam privilegium recuperant, reassumptô habitu,*
56. *Etiam postquam delictum perpetratum:*
57. *Nisi reassumatur præcisè in fraudem Curiæ Secularis.*
58. *III. In omissione variorum exercitiorum,*
59. *Sub pœnâ amissionis privilegiorum clericis interdictorum,*
60. *Inflictâ à Jure, sed declaratoriam sententiam exposcente.*

36. CLericalis Vitæ honestas Externa consistit in dictis factisque, sive moribus & actionibus, secundùm Divinæ Legis & Sanctionum Canonicarum Regulam ordinatis. Quæ clericis specialiter commendatur huic Rubricæ subjectis textibus, & à S. Synodo Tridentina *Sess.* 22. cujus *cap.* 1. *de Reformat.* relati Decreti tenor est, *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt; Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere; ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum ac Religione plenum, præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

Externa ista Honestas Vitæ Clerica-
37. lis tria præcipuè exposcit: Morum & conversationis integritatem, decentiam Habitûs externam, & exercitium Munerum atque Officiorum, convenientium Statui Clericali, Wagnereck *ad hanc Rubr. not.* 2. & Pirrhing *ibid. pr.*

Ad Morum integritatem spectat im- 38.
primis Continentia sive Castitas: cui clerici sic studere debent; ut non solùm ab omni libidinis, præsertim ejus, quæ contra Naturam est, & iram Dei ultricésque flammas super Sodomam, Gomorrham & reliquas civitates de cælo evocavit, *c. Clerici* 4. *de Excess. Prælat.* vitio sic abstineant: sed ut alicujus incontinentiæ etiam suspicione non maculentur apud homines, & in conspectu Dei purô ac mundô corde valeant ministrare, *c. Ut clericorum* 13. cùm Ecclesiam deceat habere ministros, qui nullâ carnis contagione corrupti, continentiâ Castitatis relplendeant, & toti populo honestatis præfulgeant exemplis, juxta monitum Apostoli, *Exemplum esto fidelium in Verbo, in Conversatione, in Charitate, in Fide, in Castitate,* 1. Timoth. *cap.* 4. *v.* 12.

Eâ verò Continentiæ virtute præ 39.
aliis clericis excellere Sacerdotes & curati, sollicitéque curare debent, ut ad peragenda Divina mysteria purô corde & impolluto corpore accedant; ut eos, quos verbô & exemplô ad conversationis integritatem instruere ex officio tenentur, pravis sermonibus & perversis moribus non seducant & impellant in ruinam: quod vel maximè facerent, qui filias suas spirituales turpiter polluere non verentur. Unde in hujusmodi seu incestûs seu Sacrilegii reos depositionis aliæque gravissimæ pœnæ meritò constitutæ, *can. Si quis Sacerdos & can. fin.* 30. *q.* 1. Si verò statûs & salutis suæ penitus obliti eò progrederentur, ut ad pœnitentium sollicitationem ad flagitia & quosvis actus venereos ipsô sacrô tribunali abuti non verentur, in eos, quod de sancto saluberrimóque Pœnitentiæ Sacramento malè sentire videantur, tanquam de hæresi suspectos,

spectos procedendum: & convicti severissimæ coërcitionis pœnis afficiendi forent, secundùm Apostolicas *Constitutiones* Pii IV. quæ incipit *Venerabili 6. April 1561.* Gregorii XV. quæ incipit *Universi 30. Aug. 1622.* &c. publicatas.

40. Deinde, Sobrietas & abstinentia ab ingluvie, à crapula & ebrietate, *can. fin. dist. 4. can. 1. & c. dist. 35. & c. A crapula 14. hîc*, quô relatô Lateranensis Concilii decretô Innocentius III. ab hoc vitio Clericos omnes seriò dehortatur ex gemina ratione. Unâ; quòd mentis exilium & quasi insaniam inducat: dum visum cæterósque sensus obtundit obturbátque, aufert memoriam & rationis lumen obscurat confundítque &c. Barbosa *in c. cit. n.* 3. Alterâ; quòd sit libidinis incentiuum, *Luxuriosa enim res est vinum*, ait Regum Sapientissimus Proverb. *cap.* 20. *v.* 1. quia; ut Basilius Seleuc. *in vita S. Teclæ* loquitur, *Ebrietas voluptatis incendium est, ventérque merô æstuans despumat in libidines:* &, ut Terent. *in Eunuch.* ait *Sine Baccho & Cerere friget Venus.* 41. Unde S. Gentium Doctor, *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria* Ephes. *cap. 5. v. 18.* & laudatus Summus Pontifex Clericis provocationem ad æquales haustus & fœcundiores calices interdicit, constitutâ in transgressores pœnâ suspensionis ab officio & beneficio, per sententiam infligendâ, si moniti ab ea se ingurgitandi Consuetudine non desistant, *c. A crapula cit. V. fin.*

Tertiò, fuga Avaritiæ, quæ malo- 42. rum omnium est radix, *can. Bonorum 7. dist. 47.* & clericalis Statûs honestati sic adversatur; ut vix ullum sit vitium, quô is magis infametur, ut hîc cum Zœsio *n. 7.* observat Engel *n.* 13. Unde id suô meritô sancta Dei Ecclesia semper detestata est: & Clericis sub gravissimarum pœnarum comminatione interdixit omnem negotiationem secularem, *c. fin. hîc & c. Secundùm 6. Ne Clerici vel monach.* auri & argenti Alchimici confectionem usúmque, *Extravag. Spondent, inter communes de Crimine falsi* & omne genus exercitii usurarum, *c. 1. & c. de Usuris* ut ad has *Rubricas* magis declarabitur. Dein *c. Cùm ab omni 10.* judicibus delegatis (& ob rationis identitatem Ordinariis quoque, Panormit. *in c. cit. n. 9.*) ut gratis judicent, præcepit, vetuítque; ne super decima vel alia litis parte tanquam salario cum litigantibus paciscantur, contrariâ Consuetudine non obstante, partim; quòd clericis deputati sint reditus Ecclesiastici; ut ex ipsis honestè vivere possint: partim verò; quòd nec justum judicium vendere liceat, & venales sententiæ ipsis legalibus sanctionibus reprobentur, *l. Solent. 6. §. fin. ff. de Offic. Proconsul. & l. Unic. §. 1. C. de Contract. judic.* & irritentur, *l. Venales 7. C. Quando provoc. non est necess.* Unde

Dubium oritur de muneribus: quo- 43. rum acceptio, & multò magis exactio generaliter & graviter interdicta est à Bonifacio VIII. *c. 1. de Sent. & re jud. in 6. & c. Statutum 11. §. Insuper de Rescript. in 6.* ubi accepta restitui jubentur. Ratio gravissima est; quòd ex una, judicium nullâ re faciliùs pervertatur, quàm muneribus, habentibus vim obcæcandi oculos judicum; ne, quid justum, injustúmve sit, videre: aures obturandi; ne litigantium voces rectè percipere: constringendi linguam; ne secundùm Juris & æqui normam valeant pronuntiare. Ex altera verò parte, Clerici, & præsertim Ecclesiastici judices ex præcepto Apostoli 1. Thessal. *cap. 15. v. 21.* abstinere debeant ab omni specie mali: & vel maximè avaritiæ injustitiæque: cujus refert speciē, & suspicionē præbet munerū exactio acceptioq; Gonzalez *in c. Cùm ab omni cit. n. 13.* Mo-

sina *Tract. 2. de J. & J. disp. 84. n. 1.* & Laiman *in c. Statutum cit. n. 13.*

44. Neque munera recipientibus patrocinatur; quòd §. *Insuper cit.* sedis Apostolicæ delegatis permittantur esculenta & poculenta; quia non permittuntur, nisi quæ, spectatâ tam accipientis quàm dantis conditione, modica, & merâ liberalitate, hoc est, sine ulla exactione vel petitione etiam indirectâ, atque omnino sponte offeruntur; ut ea neque in compensationem laboris judicandi, neque judicii pervertendi animô oblata, ulla suspicio esse possit, Glossa *in* §. *Insuper cit. V. Consumi.*

45. Excipi tamen hîc solent casus Primò, quô delegatus extra suum domicilium ad causam cognoscendam proficisci debet; tali enim casu moderatas itineris expensas æqualiter à partibus litigantibus, quarum commune negotium geritur, si earum personæ pauperes non sint, accipere permittitur, §. *Insuper cit.* laudati Molina *n. 2.* & Laiman *n 12.* Secundò, quô judex congruam sustentationem ex beneficio & reditibus Ecclesiasticis non habet; talis enim eam accipere à partibus non prohibetur, Panormit. *in c. Cùm ab omni cit. n. 11.* Tertiò, quô judex ad celeriorem causæ expeditionem in se suscipit laborem extraordinarium, & adhibet diligentiam, ad quam ex officio suo non obligatur; istius enim compensationem aliquam admitti posse, cum Navarro docet Sanchez *Consil. Lib. 3. cap. unic. dub. 1. n. 22.*

46. Dubium etiam est de redemptione indebitæ vexationis, quæ à judice, vg. causæ cognitionem aut sententiam differente, infertur. Pro qua etiam, sicut & pro ferenda sententia justa illicitè aliquid exigi & accipi à judice: & accepta restitutioni obnoxia esse, explorati est Juris, *l. 1. §. fin. & l. Ut puta 2. ff. de Condict. ob turp. caus.* Ratio est partim; quòd præsumptio sit, non sponte data, sed extorta per injuriam, & ad majus damnum vitandum: sicut solutio usurarum, quas esse obnoxias restitutioni, extra omnem controversiam est, *c. 1. & c. Debitores 6. de Jurejurando:* partim verò; quòd, cùm per ejusmodi protelationem inferendæ indebitæ vexationis omissio à judice partibus debita sit, sine ulla bonorum suorum jactura; ac proinde, quin pro ea pretium exhibeatur, pars, si eam pretiô redimere cogatur, non consequatur totum, quod sibi à judice debetur; quia sententiam à judice sibi absque ulla jactura debitam sine ista non consequitur, nisi pretium quoque recuperet; ut adeò, hoc quoque à judice ei restitui, sit necesse, *cit.* Molina *disp. 88. n. 4.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 2. n. 351.*

Pro eadem indebitæ vexationis omissione illicitè, sicut aliquid exigi à judice, sic etiam à partibus ipsi offerri, cum Glossa *in can. Qui rectè 11. q. 3.* Sotus *Lib. 4. de Justit. q. 7. art. 1. ad 2.* & Salycetus *in l. 1. cit. n. 1.* desumunt ex *l. Ut puta cit.* Verbis, *Hic quoque crimen contrahit, judicem enim corrumpere videtur,* & *Novell. 124. cap. 1.* cujus *pr.* litigantes ex quacunque causa judici munera offerre prohibentur. Ratio est; quòd ex tali etiam causa aliquid offerens, judicis ex ea accipientis peccato cooperetur.

47. At veriùs, id parti licitum *in c. Cùm ab omni cit.* cum Glossa *V. Abstinere* & Panormit. *n. 8.* defendunt Sylvester *V. Restitutio 2 n. 1.* Covarruvias *in Reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 1.* Menoch. *de Arbitr. casu 342. à n. 8.* Molina *disp. cit. n. 3.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 14. n. 64.* &, aliis DD. relatis, Barbosa *in c. cit. n. 13.* Ratio est; quia id turpe & illicitum non est, spectatô Jure Naturali, sui defensionem

sionem omnibus permittente: leges autem Positivæ id vetantes fundantur in præsumptione pravi animi judicem corrumpendi, ut planum est recitatis verbis *l. Ut pacta cit.* Neque apertè vetant ejusmodi dationem, factam præcisè ob sui defensionem. Unde quoad hanc obtinet Jus naturale, *arg. l. Præcipimus 32. C. de Appellat.*

Neque hujusmodi redemptionis inhonestatem evincit ratio, quâ impugnatur; quia non omnem, præsertim coactam sive necessitate extortam cooperationem ad peccatum illicitam, liquet ex solutione usurarum, permissâ ob Religionem juramenti aliámve necessitatem. Unde in casu necessitatis præsertim, quâ vexatio aut sententiæ certa iniquitas aliter vitari sine gravi incommodo non potest, munus licebit adhibere, Covarruvias *cit. n. 1.* qui tamen cum *cit.* Glossa apud Barbosam *n. 15.* rectè monet, à litigante judici simpliciter & nullâ causâ expressâ datum in dubio, si aliud non probetur, illius corrumpendi potiùs, quàm injustæ vexationis redimendæ animô oblatum, præsumi.

48. Ad conservandam Externam Habitûs decentiam, Clericis interdicta olim fuit nutritio comæ & barbæ, *c. Clericus 5.* ut illam vel hanc prolixam ferentes tonderi etiam inviti, *c. Clericis 7.* & contumaces excommunicari juberentur, *c. Si quis 4.* Quarum tamen Constitutionum rigori cum tempore contraria Consuetudine in multis locis est derogatum; ut jam, si capillis aures tegant & alicubi prolixam etiam barbam ferant, decenter incedere clerici censeantur, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 21.*

49. Ex eadem causa clericis vel maximè interdicta est gestatio armorum militarium, *c. Clerici 2.* cùm enim clericorum arma sint Orationes & lacrymæ, *can. Non pila & can. Convenior 23. q. 8.* gladios, bombardas, aliáque ad offensionem & defensionem comparata arma deferre ipsis non licet sine justa causa, vg. obsidionis aut itineris per loca infesta latronibus, Glossa, *in c. Clerici cit. V. eôdem, ubi* Panormit. *n. 8.* & Barbosa *n. 3.* Quâ aliáve simili causâ non urgente arma deferentes clerici excommunicationis censuræ per sententiam infligendæ obnoxii de Jure sunt, *c. cit.* Religiosi autem, sine licentia Prælati ea retinentes intra septa monasteriorum, excommunicationem ipsô Jure latam incurrunt, *Clement. 1. §. Quia verò de Statu Monach.* ubi

Dubium est, an clericus lege vel statutô Seculari, simpliciter vel certô tempore aut locô, prohibita arma gestans, iis spoliari valeat à ministris Curiæ secularis. Affirmant id Clarus §. *fin. q. 35. n. 26.* & Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 18.* quòd, cùm ejusmodi lex & statutum concernat utilitatem publicam & SS. Canonibus non adversetur, eô clerici quoque obligentur, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. n. 116.* Sed, esto hoc ita sit, coactio tamen ad ejus observantiam, & transgressoris clerici coërcitio, juxta *ibidem* dicta *num. 118.* solius Ecclesiasticæ, non Secularis est potestatis; quia à jurisdictione seculari clerici utrôque Jure sunt exempti *c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Auth. Statuimus C. de Episc. & cleric. &c.* Quare ejusmodi clericum, nisi in flagranti crimine aut istius machinatione deprehendatur, ab eóve inferenda injuria aut damnum impediri aliter non possit, armis etiam specialiter prohibitis spoliari secularis magistratûs jussu posse, cum Panormit. *in c. Si verò 4. de Sent. excom. n. 6.* Navarro *Manual. cap. 27. num. 8.* & aliis à

Barbosa *in c. Clerici 2. hîc n. 6.* & Pignatello *Tom. 3. consult. 5. n. 70.* relatis meritò negant Ugolinus *de Potest. Episc. cap. 13. §. 12. num. 3.* Guazzinus *de Reor. defens. p. 120. cap. 9. n. 1.* Piasec. *Prax. Episc. p. 2. cap. 4. n. 25.* & Suarez *Defens. Fid. lib. 4. q. 34. n. 14.*

51. Eadem habitûs decentia Externa ut conservetur, clerici in sacris sive majoribus: uti etiam in minoribus Ordinibus constituti, si dignitatem, personatum, officium, aut beneficium Ecclesiasticum qualecunque obtineant, vestem & coronam ac Tonsuram Ordini suo congruentem deferre sub gravibus pœnis tenentur, ex decretis Conciliorum Lateranensis *c. Clerici 15.* Viennensis *Clement. Quoniam 2. hîc* & Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* cujus tenor est, *Omnes Ecclesiasticæ personæ quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus ac officio & beneficio ac fructibus & proventibus ipsorum beneficiorum: nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coërceri possint ac debeant.*

52. Porro, licet nullus certus & proprius habitus clericis præscriptus: & vestis clericalis honestas ferè desumenda sit ex cujuscunque regionis usu, *can. Si quis virorum 15. dist. 30.* & ordinatione Episcopi, præscribentis formam modúmque vestium, juxta Trident. *cap. 6. cit.* eas tamen talares esse voluit Sixtus V. *Constitut.* quæ incipit *Sacrosancta, edita 18. Jun. 1589.* atque insuper cautum est; ne militaris aut laicorum more sit virgata vel partita, hoc est, diversos colores panno intextos aut superinductos habens, neque etiam viridis aut rubra vel aliàs composita ad luxum, *Clement. Quoniam cit.* exceptis S. R. E. Cardinalibus: quibus rubri galeri & purpuræ usus ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi est concessus, Piasecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. art. 2. n. 29.* Unde

Dubium oritur primò, de clerico 53.
constituto in Ordinibus minoribus & carente beneficiô Ecclesiasticô: qui ad habitum quidem clericalem non adstringitur, *Fori tamen privilegiô non gaudet*; ut coram Seculari judice conveniri valeat: *nisi eum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur*, decretum est S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 6 de Reformat.* secundùm quod, ut clericus minoribus Ordinibus aut saltem primâ Tonsurâ initiatus & beneficiô carens Fori Ecclesiastici privilegiô defendatur, duo simul exiguntur. Prius est; ut deferat habitum & Tonsuram clericalem. Posterius; ut de Episcopi mandato alicui Ecclesiæ inserviat, aut saltem de ejus licentia versetur in Seminario clericorum aut in Schola aliqua vel studiorum Universitate: quorum proinde alterum si ejusmodi clericus non observet, Fori privilegiô non defendetur, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 12. n. 14.* & Palao *Tract. 12. disp. unic. p. 2. n. 7.*

Non Fori duntaxat, sed Canonis 54.
quoque privilegium clerico minori, duas illas conditiones non observanti, *cap. 6. cit.* ademptum; ut eum percutiens in excommunicationem majorem, Sedis Apostolicæ absolutioni reservatam *can. Si quis sua-*

quis suadente 17. q. 4. non incidat, existimat Suarez *de Censur. disp. 22. s. 1. n. 11.* eúmque secutus Engel *ad hanc Rubr. n. 9.* uterque eâ ductus ratione; quòd privilegium Canonis facilius amittatur, quàm Fori; cùm hoc Divini, illud autem Ecclesiastici tantùm sit Juris. Sed, esto non eôdem Jure utrumque sit introductum, quod multi verisimiliùs negant, Canonis tamen privilegium ejusmodi clerico non adimi, cum Navarro *de Privileg. Consil. 24.* defendit Molina *Tract. 3. de I. & I. disp. 54. n. 9.* & à Cardinal. declaratum, testis est Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloss. & §. 5. n. 7.* Ratio est; quia neutrô privilegiô excidit ante Tridentinum: à Concilio autem hoc restrictum solummodo est privilegium Fori; ut proinde privilegium Canonis sub dispositione Communis & Antiqui Juris relictum videatur, *arg. l. Præcipimus 32. C. de Appell.*

Neque legitima ad id illatio est à privilegio Fori; quia imprimis Canonis privilegium ab illo diversum: istiúsque privatio, tanquam odiosa, restringenda potiùs est, quàm extendenda, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Dein; quia privilegium Canonis magis necessarium est, quàm Fori; cùm clericalis status utique magis inhonoretur clericum percutiendô, quàm eum conveniendô coram judice seculari. Demum; quia privilegiô Canonis nulli præjudicatur, sicut privilegiô Fori; hoc enim aliquô modô derogat potestati curiæ secularis, Palao *Tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. n. 4.*

55. Dubium secundò est, an clericus in minoribus, habitum cum tonsura clericali semel dimissum reassumens, recuperet privilegium Fori. Negat id Avendanno *Lib. 1. de Exeq. mandat. Reg. cap. 22. n. 15.* Ratio, quâ movetur, est; quòd illorum dimissio (stabilis ex nulla necessitate aliáve causa urgente, sed sponte itáque facta, ut quasi laicus publicè existimetur, Barbosa *in cap. 6. cit. n. 22.*) sit quædam renuntiatio privilegii: quâ semel factâ pœnitentiæ non est locus, *arg. c. Unici de Postulat. præl. in 6. & c. Ut quis duas 25. §. fin. de Elect. in 6.* ubi unâ, scilicet postulationis viâ electâ, ad aliam sive electionis viam redeundi licentia negatur; cùm, *Quod semel placuit, amplius displicere non possit*, ut habet *Reg. 21. in 6.*

Sed meliùs affirmant Clarus §. *fin. q. 36. n. 15.* Covarruv. *Practic. cap. 31. n. 8.* Petr. Barbosa *in l. Titia 35. ff. Soluto matr. n. 33.* Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. 46. n. 29.* Suarez *Lib. 4. de Immunit. cap. 27. n. 18.* & alii, id colligentes ex *Clement. 1.* quâ Clerici ob habitûs dimissionem &c. clericale privilegium amittere asseruntur, *Quamdiu præmissis insiterint:* quâ clausulâ eos, si à præmissis desiterint, privilegium clericale recuperaturos, apertè insinuatur. Ratio est; quia habitum non deferentes privilegium non amittunt ob ejus renuntiationem; cùm clericali privilegio renuntiari à clericis non possit, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* sed ob non servatam conditionem, in clericô eô gaudente requisitam: quæ dimissa cùm reassumi valeat, cum ea etiam poterit privilegium reassumi. Atque ita à S. Congreg. declaratum, refert Barbosa *in Remiss. Concil. ad cap. 6. cit. Declarat. n. 6.*

Dubium non leve tertiò est de ejusmodi clerico delinquente, postquam privilegium Fori per dimissionem habitûs amisit: à quo, istô etiam reassumptô, illud non recuperari, cum Claro & Petr. Barbosa *l. citt.* docet *cit.* Sanchez *n. 4. & 10.* quòd ejusmodi delictum commissum sit ab homine subjecto jurisdictioni seculari; & propterea ab ista punien- 56.

dum; quia, cujus fori delinquens sit, desumendum est ex tempore delicti, *arg. l. 1. ff. de Pœnis*, quâ, eâ pœnâ quem afficiendum, statuitur: quam subiret, si sententia lata esset tempore delicti.

Sed ab isto quoque, habitum & tonsuram clericalem bona fide reassumente, privilegium Fori recuperari, verior doctrina & ratio est; quòd privilegium hoc clericis minoribus concedatur: dummodo beneficium habeant, aut, si istô careant, habitum ac tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ inserviant &c. Unde quamdiu & quandocunque hoc bonâ fide observant, illô gaudent, *per Clem. 1. cit.* junctâ Glossâ *V. Quamdiu.* Quæ confirmantur *arg. l. Hos accusare 12. pr. ff. de Accusat.* legatum de crimine ante legationem commissô accusari non permittentis. Unde inferunt, clericum quoque de crimine ante clericatum, aut, quando non gestavit habitum ac tonsuram, commissô, accusari non permittendum coram judice seculari; quia habitu reassumptô jam apparet persona Ecclesiastica, habens omnia à Jure ad privilegium Fori Ecclesiastici requisita.

Neque adversatur *l. 1. cit.* quia in clerico, habitum bona fide reassumente, non tam illius, quàm *Clement. cit.* & decreti Conciliaris *cap. 6. cit.* ratio est habenda.

57. Aliud esset, si habitus non bona fide, sed in fraudem reassumeretur timore judicii & supplicii impendentis: sicut fieri præsumeretur, si habitus & tonsura, aut Ordines minores (non si majores) primùm post citationem, accusationem, inquisitionémve, aut delicti diffamationem, aut etiam post id perpetratum immediatè reassumerentur; ex talibus enim circumstantiis habitus clericalis assumptus judicaretur non serió animô in eo perseverandi: sed timore judicii ac supplicii, & præcisè ad evitandam jurisdictionem secularem, Farinac. *Consil. 767. n. 3.* Unde talis clericus privilegium Fori non recuperaret, & à curia seculari apprehendi ac puniri posset: non quidem pœna corporali; quia hæc à seculari curia infligi Clerico non degradato non potest, ut idem notat *n. 13.* sed pecuniariâ sive in bonis delinquentis, cùm; quòd fraus & dolus ei patrocinari non debeat, *c. Ex tenore 16. de Rescript.* tum verò; quòd aliàs clericorum privilegium fomentum esset delictorum, Clarus §. *fin. q. 36. n. 43.* & Menoch. *Lib. 6. Præsumpt. 76. n. 35.*

58. Ad obtinendam evitationem exercitiorum munerúmque, statûs clericalis dignitati non convenientium, prohibita clericis sunt Primò officia & commercia secularia, maximè inhonesta: cujusmodi plura referuntur *c. Clerici 15. hîc c. 1. &c. Ne clerici vel monach.* ad quam Rubricam hac de re sermo redibit. Secundò, vanæ & lascivæ Musicæ in Officiis Divinis, *Extravag. Unic. inter com.* exhibitióque ludorum theatralium & scenicorum in templis, si prophani, & multò magis, si inhonesti sint, *c. Decorem 12.* Non etiam, si sint pii, & animos excitent ad devotionem, ut *in c. cit.* notant Glossa *V. Larvatum* & Panormit. *n. 2.* Tertiò; ne mimis, joculatoribus & histrionibus intendant, *c. Clerici cit.* Imò clerici, qui se joculatores sive goliardos aut buffones, vulgò Gauckler / Schalcksnarren / Meistersinger &c. faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, aut, postquam ter moniti sunt, breviori tempore exerceant, infames fiunt: omníque etiam Canonis privilegiô ipsô Jure privantur, quantumvis constituti sint in Sacris, *c. Unic. in 6.* 59. Demum, clerici carnificum, hoc est, lanionum, macellario-

cellariorum vel tabernariorum officia publicè & personaliter exercentes, si nominatim, seu propriis nominibus expressis, & tertiò moniti ab iis non desistant, eáve resumant, privilegia clericalia amittunt: Conjugati quidem omnino, hoc est, utrumque, tam Canonis quàm Fori, privilegium, quibus aliàs gaudent clerici, qui cum una eáque virgine contraxerunt, *c. Unic. de Cleric. conjug. in 6.* non conjugati clerici verò solummodo quoad res: nisi incedant ut laici; ita enim incedentes illis excidunt etiam quoad personas; ut coram seculari magistratu valeant conveniri, eósque percutientes excommunicationem Canonis non incurrant, ex decreto Concilii Viennensis *Clement.* 1. relatô, Suarez *de Censur. disp. 22. s. 1. à n. 14.* Molina *cit. disp. 54. à n. 6.* & Palao *Tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. à n. 8.*

60. Dubium est, an clericus in Sacris joculatorem, lanionem &c. insuper habitâ Ecclesiæ monitione, agere pergens & incorrigibilis Fori privilegium amittat ipsô Jure. Ratio dubitandi est; quòd clerici in sacris Fori privilegium non amittant, donec eô à judice Ecclesiastico per sententiam denudentur, *arg. c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis*, ubi clerici omnino incorrigibiles magistratui seculari traduntur: non ab isto, quasi ipsô Jure privati, statim apprehenduntur. Unde ad ejusmodi privationem judicis sententiam exigunt Suarez *Lib. 4. Defens. Fidei cap. 17. n. 24.* & Laiman *Lib. 1. Tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 4.* Sed contra apertum Jus, si condemnationem requirant; cùm eos ipsô Jure, sicut reddi infames, sic omni privilegiô clericali excidere, *c. 1. cit.* junctâ Glossâ *V. Careant*, & *Clement. 1. cit.* id amittere *eô ipsô* sive ipsô factô, verbis ipsô Jure inflictam privationem denotantibus, asserantur, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 32. not. 4.* & Palao *cit. disp. Unic. p. 6. n. 5.* rectè monens; ut in hujusmodi clericum tanquam suæ jurisdictioni subditum curia secularis procedere valeat, opus esse sententiâ declaratoriâ incorrigibilitatis, *arg. c. Cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.*

TITVLVS II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

SUMMARIUM.

1. *Clericis interdicta est habitatio cum fœminis:*
2. *Non quibuvis, sed suspectis,*
3. *Sub variis pœnis, proditis Jure antiquô,*
4. *Ipsis concubinarum dimissionem sine abjuratione indicente.*
5. *Pœnæ in beneficiatos ac pensionarios,*
6. *In alios clericos concubinarios,*
7. *Et ipsos Episcopos latæ novissimô Jure Tridentini:*

8. *Quod*

8. *Quod hodie observandum est,*
9. *Etiam in clericos indulgentes fornicationi.*
10. *Eô tamen latæ pœnæ ferè exigunt criminis declarationem.*
11. *Clericus concubinarius occultus quoad se:*
12. *Notorius etiam quoad alios suspensus est:*
13. *Non tamen propriè dictâ suspensione.*

1. DE incontinentiæ vitio, vitæ Honestati præ aliis repugnante, suspectam reddere clericorum vitam solent consortia & familiaritas mulierum: à quibus proinde & periculo lapsûs ut remotiores sint, mulieres saltem eas, de quibus suspicio esse solet, ut sunt extraneæ juvenes, Glossa *in can. Volumus 22. V. Eôdem dist. 81.* in domo sua vel extra eam detinere, & cum ipsis ullam consuetudinem habere prohibentur, *can. Interdixit 16. dist. 33. can. Cùm omnibus 25. &c. cit. dist. 81. c. A nobis 9. hîc* & à Trident. *Sess. 25. cap. 14. de Reformat.*

2. Interdicta tamen ipsis non est cohabitatio cum aliis mulieribus non suspectis: cujusmodi censentur imprimis personæ primô vel secundô consanguinitatis gradu conjunctæ, puta matres, aviæ & materteræ, amitæ, sorores, filiæ fratrum & sororum, *can. Interdixit & can. Cùm omnibus citt.* & uxores filiorum, in quibus naturale fœdus nihil sævi aut fœdi criminis suspicari permittit, *c. A nobis cit.* Deinde, quæ de hujusmodi mulierum conjunctarum familia sunt, velut famulæ & pedissequæ & uxores servorum, *c. Cùm omnibus cit.* Et demum aliæ fœminæ ætate provectiores, Vallens. & Pirrhing *ad hanc Rubric. uterque n. 1.*

Si tamen etiam hujusmodi mulieres; quarum cohabitationem sacri canones aliàs clericis permittunt, lubricæ & incontinentis vitæ suspicionem & scandali occasionem præbeant, earum etiam cohabitatio, clericis interdicta est *c. 1.* non ex Moguntini, ut habet Vulgata, sed Nannetensis Concilii *can. 3.* in Decretales translatô, ut eruditè ostendit Gonzalez *in c. cit. n. 1.* Ratio prohibitionis est; quòd inventi sint, qui diabolicâ suggestione incestus & stupra commiserunt, Navarrus *Comment. 4. de Regular. n. 65.* & Barbosa *n. c. 1. cit. n. 4.*

Pœnæ autem in clericos, suspectis 3.
mulieribus contra SS. Canonum præscriptum cohabitantes, veteri Jure proditæ permultæ: in iisque infligendis ordo non semper idem, & præ aliis consentaneus rationi & Praxi accommodatus est, vi cujus concubinarii in Sacris constituti, si moniti concubinam non dimitterent, à beneficiis Ecclesiasticis suspendi eorúmque fructibus privari, *c. Clericos 3.* Si post tertiam monitionem illarum commercium & conversationem non desererent, omninò excommunicari, *c. Si quisquam 2.* &, si ita censurati necdum resipiscerent, ab ipsis beneficiis perpetuò removeri debebant, *c. Sicut 4.* ut ita, crescente delinquentis contumaciâ & culpâ, etiam pœna augeretur, *c. fin. in fine, Ut lite non contest. & l. Relegati 4. ff. de Pœnis*, Glossa *fin. in c. cit.*

Ad abjurationem tamen concubinarũ, 4.
sive earũ dimissionẽ cum juramento, præstando de illis non recipendis, clericos compelli vetuit Alexander III. *c. Clericos cit.* eâ ductus ratione; quòd ex una, juramentum sit remedium subsidiarium, hoc est, quod non adhibetur, nisi deficientibus aliis mediis, æquè commodis & efficacibus ad propositum finem obtinendum, præsertim, cùm subest periculum

culum perjurii facilè incurrendi, *c. Etsi Christus 26. V. Sic & juramentum, de Jurejurando*: ex altera verò parte, alia remedia eos à concubinis abstrahendi æquè comoda & efficacia sint suspensio, depositio &c, quæ proinde laudat⁹ Papa meritò prætulit abjurationi, ad perjurii verisimiliter incurrendi periculum evitandum; cùm durum sit assueta relinquere, præsertim vitia carnis, ob magnam istius fragilitatem, *can. 1. dist. 34.*

Neque cum his pugnat; quòd clerici in sacris constituti uxores, quibuscum matrimonium sacrilegè de facto contraxerunt, abjurare cogantur, *can. Ab isto 35. q. 6. & c. Ex literarũ 2. Qui clerici & vovent.* & *c. Ad abolendam 9. de Hæreticis*, abjuratio hæresis præcipiatur, perjurii periculô non obstante; quia priori textu agitur de matrimonio, quod, sicut consensu temerè est contractum, *l. Nuptias 30. ff. de R. I.* sic distrahi dissensu debet, *arg. c. 1. de R. I.* de vero autem consensu & dissensu interno, sicut & de depositа hæresi, quæ error intellectus est, constare Ecclesia vult: & nullô modô meliùs, quàm delatô & præstitô juramentô, potest, Barbosa *in c. Clericos cit. n. 3.* ex doctrina Navarri *Manual. cap. 12. n. 2.* Covarruviæ *in c. Quamvis de Pactis in 6. p. 1. §. 6. n. 2.* & Suarez *Lib. 3. de Juramento cap. 14. n. 10.*

5. Eosdem concubinarios, aliósque turpiter & scandalosè viventes clericos puniri etiam præcipit S. Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 6. & Sess. 25. cap. 14. de Reformat.* Et priori quidem decretô eos monitos coërceri jubet: &, si non resipiscant, juxta sacrorum Canonum Constitutiones, beneficiis privari. Posteriori verò sive *cap. 14. cit.* novam, eámque valde accuratam in ipsos procedendi formam præscribit. Et primò quidem clerici quicunque, tam minorum quàm majorum Ordinum, beneficia vel pensiones Ecclesiasticas obtinentes, si concubinas vel alias suspectas mulieres in domo vel extra detineant, & primò moniti (monitione speciali in personam: non solùm generali per edictum, ut à S. Congreg. Cardinal. declaratum, perhibet Garcias *p. 11. de Benef. cap. 10. n. 186.*) ab iis non abstinuerint, ipsô factô privati sunt tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum quorumcunque suorum beneficiorum & pensionum: quæ Ecclesiæ fabricæ, vel alteri pio loco arbitriô Episcopi applicetur.

Ab hujusmodi clerico, post primam monitionem concubinam detinente, cum tertia parte fructuum & obventionum etiam quotidianarum distributionum, à Præbendæ fructibus distinctarum, tertiam partem amitti, cum Riccio *in Praxi decis. 307. n. 5.* & Moneta *de Distribut. p. 3. q. 10. n. 56.* existimat Barbosa *in c. Sicut 4. n. 5.* Sed; cùm versemur in materia pœnali, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* non displicet negativa, quam tenet & declaratione firmat Garcias *cit. n. 186. V. Nona.*

Si ejusmodi clerici, alterâ hac monitione insuper habitâ, cum eadem vel alia fœmina perseverent, eô ipsô amittunt fructus & proventus omnes, prædictis piis locis applicandos: atque insuper à beneficiorum suorum administratione, quamdiu Ordinario videbitur, suspendi debent. Quô factô amittunt etiam distributiones; quia Divinis Officiis in choro assistere, & quidem suâ culpâ & malitiâ non possunt, Garcias *l. cit.*

Si ita suspensi nihilominus concubinas non expellant, aut cum iis etiam versentur, beneficiis, pensionibus & Officiis Ecclesiasticis quibuscunque perpetuò privari: atque insuper ad ea, & ad honores ac dignitates quascunque inhabiles

biles reddi jubentur, donec post manifestam emendationem eorum superioribus cum illis ex causa videatur dispensandum. Demum, si etiam sic puniti à scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, sunt excommunicandi.

6. Secundò clerici, beneficia aut pensiones Ecclesiasticas non habentes, juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem pœnâ carceris, suspensione ab Ordine, inhabilitate ad beneficia, aliisve modis juxta sacros Canones puniri jubentur.

7. Tertiò Episcopi, si à tali crimine non abstineant, & à Synodo Provinciali moniti, se non emendent, ipsô factô sunt suspensi: &, si perseverent, deferendi ad summum Pontificem, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

8. Atque hæc S. Synodi in clericos concubinarios decreta pœnalia hodie potissimùm sunt observanda, *arg. c. 1. de Constit. in 6. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* utque ea districtè observari faciant Diœcesium Ordinarii, Pius V. *Constit. 1566. editâ* in virtute sanctæ Obedientiæ præcepit, Guttierez *Lib. 2. Q. Canon. cap. 7. n. 68.* qui tamen *n. 77.* cum *cit.* Garcia *n. 186.* probè advertit, Clericos, si ante primam monitionem specialem deliquerint, quòd Jure damnatum crimen commiserint, impunes esse nequaquam oportere: sed arbitriô judicis Ecclesiastici pecuniariâ, incarcerationis, suspensionis vel alia mitiori: aut, si inveterati vel notorii delicti ex eóve secuti scandali gravitas exigat, graviori pœnâ secundùm sacros Canones vel recepta statuta & consuetudines Diœcesanas plectendos juxta ea, quæ tradit Panormit. *in c. At si clerici 4. de Judiciis n. 35.* Ex dictis

9. Dubium oritur primò, an prædictæ pœnæ locum habeant in simplici fornicatione sine qualitate concubinatûs, sive absque assiduitate consuetudinis & commercii carnalis cum muliere soluta, domi & extra retentâ instar uxoris. Negativam cum Garcia *l. cit.* id decisum attestante, tenent Farinacius *Prax. Criminal. q. 138. n. 12.* & Barbosa *in c. Sicut cit. n. 4.* quòd Tridentini decretum, tanquam pœnale & odiosum, non admittat extensionem, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Quod licet ita sit, pro Affirmativa tamen stat Praxis plurium Germaniæ nostræ Curiarum Episcopalium, ita ferè in clericos fornicarios procedentium. Neque Praxis ista aliena est à decreto Tridentini, clericis prohibente detentionem non solùm concubinarum, sed aliarum quoque mulierum suspectarum, & cum iis, scilicet concubinis vel aliis mulieribus suspectis ullam, adeóque etiam fornicariam tantùm consuetudinem habentes, memoratis pœnis obnoxios reddente, ut observat Engel *ad hanc Rubric. n. 3.* & Wagnereck *in c. Si autem 6. not. 3.* Unde locus non est Regulæ *cit.*; quia pœnali decretô Tridentini clerici fornicarii sine extensione comprehenduntur.

Dubium secundò est, an pœna privationis à Concilio inflicta à clerico concubinario ita incurratur, ut fructus amissos statim & ultrò restituere teneatur. Qua in re *citt.* Garcias *n. 190.* & Farinacius *n. 66.* verius eum ad hoc obligari negant, antequam criminis concubinatûs reus per sententiam declaratur. Hæc tamen sententia, quoad restitutionem fructuum, ad criminis commissi tempus retrotrahitur. Ratio resolutionis est; quòd de facto præter censuras, irregularitates, & amissionem juris exigendi debitum carnale conjugi incestuoso inflictam, *c. 1. De eo, qui cognovit &c.* vix 10.

ulla,

ulla, imò spectatâ saltem consuetudine, nulla pœna sit, quæ re sive jure quæsitô ita privet; ut sententia saltem criminis declaratoria nequeat expectari, ut *arg. c. Cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.* docet Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 8. & 10. & Lib. 5. tit. 37. àn. 13.* pleniùs statuetur.

In proposito etiam casu ejusmodi sententiâ declaratoriâ opus esse, teste *cit.* Garcia liquet ex praxi clericorum concubinariorum, fructus nunquam restituentium, priusquam concubinatûs rei declarentur: & non obscurè colligitur ex ipso S. Synodi decreto, fructus ipsô Jure amissos fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco applicari præcipiente *Arbitriô Episcopi*, utique clericum criminis reum priùs declarantis, ut notat *cit.* Engel *n. 4. in fine.*

11. Dubium est tertiò, an clericus concubinarius & fornicarius notorius ipsô Jure sit suspensus. Qua in re facilè convenit inter DD. quoad se, sicut quemlibet alium mortalis peccati conscium, sic etiam notorium, imò & occultum concubinarium ipsô factô suspensum esse, suspensione impropriè dictâ: quæ, licet censura non sit, ante peractam tamen pœnitentiam illicitam reddit Sacramentorum administrationem & perceptionem, ut clarè habetur *c. fin.*

12. Quoad alios etiam concubinarium & fornicarium, saltem notorium, ipsô Jure esse suspensum, ut celebrandô Missam, aliorúmque Ordinum actus proprios exercendô irregularis fiat, cum Panormit. *in c. Vestra 7.* sustinet Clarus *§. Fornicatio n. 4.* & Azor *p. 1. Instit. lib. 6. cap. 7. q. 5.* Moventur *can. Hi qui sunt 15. dist. 81. & can. Præter hoc 5. dist. 32.* quorum priori hujusmodi clericus interdicitur ingressu Ecclesiæ: posteriori concubinarii Missa audiri prohibetur: & præsertim *c. fin. cit.* verbis, *Quantùm ad alios suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi notorium sit per sententiam aut confessionem judicialem vel evidentiam facti, quod nullâ tergiversatione possit celari.* Eidem Opinioni favet decisio, cujus meminit Barbosa in Trident, *cap. 14. n. 17.*

Nihilominus, ab ejusmodi concu- 13.
binario aut fornicario, etiam notorio, suspensionis veram censuram saltem hodie incurri, cum Covarruv. *in Clement. Si furiosus p. 1. §. 1. n. 5.* negant Guttierez *cit. cap. 7. n. 85.* Garcias *p. 7. de Benef. cap. 7. n. 19.* Suarez *de Censuris disp. 31. s. 4. n. 10.* & alii, id rectè desumentes ex usu seu consuetudine Ecclesiæ, ejusmodi suspensionem non agnoscentis. Idipsum non obscurè supponitur à Tridentino *cit. cap. 14.* præter eam, quæ contrahitur ab Episcopo post Synodi Provincialis monitionem, nullam suspensionem ipsô Jure contrahi, indicante verbis *Suspendantur* & *Juxta sacros Canones puniantur*: quæ cùm sint futuri temporis, & actionem judicis denotent, à clericis beneficiatis suspensio, & à non beneficiatis aliæ quoque pœnæ veteri Jure proditæ ipsô Jure & factô non incurrentur, secundùm Glossam *marg. in c. Quicunque 2. V. Innodetur de Hæret. in 6.* Jure etiam antiquô suspensionem non inflictam, desumitur ex verbis, quibus ea infligenda asseritur, *c. Clericos 3. c. Sicut 4. &c.*

Neque hunc de suspensione sensum convellunt in contrarium adducti textus; quia imprimis *c. fin. cit.* Clericus concubinarius, sicut quoad se, quando delictum occultum, ita cùm hoc notorium est, quoad alios suspensus dicitur non propriè, prout censura est: sed impropriè dictâ suspensione, prout seâ denotatur simplex prohibitio ad vitandum

scandalum, quod secum trahit publicum peccatum, Gonzalez *in c. cit. n.* 2. quô sensu Abbatissa clericos suspendere dicitur, *c. Dilecta* 12. *de Majorit. & Obed.* Dein *can. Hi qui sunt cit.* non de suspensione sermo est: sed de interdicto, quô clerico fornicario Ecclesiæ ingressus inhibetur. Demum *can. Eôdem can. Prætter hoc & c. Vestra citt.* clerici concubinarii in Divinis, præsertim in celebratione Missæ, vitari jubentur, non; quòd malitiâ & indignè celebrantis peccatô sacrificium inquinetur, *c. cit.* & Trident. *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Sacrif. Missæ* sed, ut ita à peccatis alii quidem absterreantur, ipse verò ad pœnitentiam perducatur.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

CUm voluptatibus ac desideriis carnalibus simul & Divinis obsequiis vacare Clerici non possint, eos Ecclesia non ab inhonestis mulierum commerciis duntaxat: sed à nuptiis quoque, & aliis licito mulierum consortio censuit abstrahendos.

ARTICULUS I.

De Clericis Minoribus Matrimonia ineuntibus.

SUMMARIUM.

1. *Clerici minores licitè ineunt matrimonium.*
2. *Eô tamen initô beneficiis privantur.*
3. *Discrimen inter privationem, quæ ipso Jure & per sententiam sit.*
4. *Clerici ductâ uxore ipsô Jure amittunt beneficia,*
5. *Pensiones Ecclesiasticas,*
6. *Et jura ad beneficia obtinenda:*
7. *Nisi matrimonia invalidè,*
8. *Aut sponsalia solùm de futuro inierint.*
9. *Ad beneficium cum conjugato solus Papa dispensat.*
10. *Clerici conjugati etiam amittunt privilegia clericatûs:*
11. *Si tamen unam & virginem duxerint, retinent Canonis,*
12. *Et Fori etiam privilegium in Criminalibus causis.*
13. *Iis tamen non gaudent eorum filii & uxores:*
14. *Quibus mortuis ipsi recuperant privilegia amissa.*

NOn eôdem tamen rigore, neque indiscriminatim clericis omnibus connubia ab Ecclesia sunt interdicta; cùm in minorib⁹ Ordinibus constitutis ea quidē non denegentur, *can. Si qui 2. dist. 32. & can. Quia tuæ 8. V. Si qui verò 12. q. 1.* ea tamen contrahentes ad beneficia Ecclesiastica obtinenda redditi sint inhabiles, & antè obtentis pri- 1. 2.

tis privati, *c. 1. c. Quod àte 3. c. Diversis 5. &c.*

Neque in contrarium facit; quòd *V. Si qui cit.* clericis extra sacros Ordines constitutis, uxores ducentibus, stipendia assignanda asserantur; quia ea Jura postea correcta, vel exaudienda sunt de stipendio temporali, quòd ex miseratione eis ad sublevandam inopiam, vel ratione laboris sive ministerii Ecclesiis exhibiti cantoribus, ædituo & similibus assignatur: non de redditibus provenientibus ex beneficio in titulum collato, Panormit. *in c. 1. n. 2.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 115.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 42. n. 19.* Quod hodie quoque locum habet, & alienum non est à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 17. V. Quod si de Ref.* quatuor Ordinum ministeriis exercendis, si clerici cælibes præsto non sint, iis suffici permittente vitæ probatæ conjugatos: dummodo non bigami, & ad ea munia obeunda idonei sint, tonsurámque & habitum clericalem, licet non ubique, saltem in Ecclesia gestent, Zypæus *Analys. Jur. Pontif. hac Rubr. n. 1.* Imò ex Consuetudine ad hæc ministeria in multis, Germaniæ præsertim nostræ, provinciis passim laici adhibentur. Ex dictis

Dubium oritur primò, an clerici minores, matrimoniô validè contractô, beneficia Ecclesiastica amittant ipsô Jure, vel
3. iis per sententiam sint privandi. Quod est magni momenti; cùm plurimùm interfit, utrô modô iis excidant; quia beneficium ipsô Jure amissum vacat à die, quô vg. ducta est uxor, vel posita est alia causa, aut commissum crimen ejusmodi privationem inducens: &, licet, quando privatio pœnalis est, sententia criminis declaratoria necessaria sit, ista tamen retrotrahitur ad diem, quô crimen ejusmodi privationem inducens est perpetratum. Unde beneficiô ita privatus imprimis omnes fructus, à tali die ex ipso provenientes ac perceptos, restituere tenetur. Dein ipsius beneficii permutatio aut etiam resignatio in favorem facta nulla est. Demum ipsum beneficium tanquam vacans impetrari ab alio, & huic saltem quoad titulum conferri validè potest, Cochier *in Regul. Cancell. 8. gloss. 7. n. 23.* & *cit.* Sanchez *n. 2.* Aliter res se habet, quando quis beneficiô privatur per sententiam judicis condemnatoriam; cùm ista non retrotrahatur ad diem criminis commissi; & propterea restituendi non sint fructus ante ejusmodi sententiam percepti: neque ante istam latam beneficium, utpote nondum vacans, ab alio valeat impetrari. Contrà verò ipsius resignatio, etiam in alterius favorem à clerico facta, Jure subsistat, Sanchez *cit. n. 2.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 17. n. 3.* Hôc præmissô

Non desunt DD. qui cum Alexand. Carerio *Lib. 3. de sponsal. cap. 3.* in casu proposito ad beneficii privationem sententiam judicis condemnatoriam requirant, propter textus *c. Quod à te & c. Diversis citt.* quorum illô clerici minores, qui uxores accipiunt, beneficiis *Spoliari*: istô verò iisdem *Privari* jubentur, verbis sententiam condemnatoriam primùm ferendam denotantibus.

Sed meliori jure ab ejusmodi clericis, matrimonium validum ineuntibus, 4.
beneficia Ecclesiastica antè obtenta & pacificè possessa ipsô Jure & factô amitti, *in c. 1.* cum Glossa *V. Relinquenda* Joan. Andr. *n. 6.* Panormit. *n. 4.* & Interpp. ac DD. aliis plerisque docent Sylvester *V. Clericus 2. n. 2.* Navarrus *Manual. cap. 15. n. 120.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 5. n. 43.* Garcias *p. 11. de Benef. cap. 8. n. 1. citt.* Lessius *n. 112.* Sanchez *n. 3.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 202.*

secundùm quos proinde DD. ejusmodi clericus post contractum, matrimonium, quæ obtinuit, beneficia Ecclesiastica dimittere, ex iisque ab illius initi die provenientes fructus restituere tenetur, nullâ judicis sententiâ expectatâ, ut colligitur ex *c. 1. cit.* ubi ab Alexandro III. Episcopi clericos, infra subdiaconatum constitutos, si uxores acceperint, compellere jubentur ad beneficia *relinquenda*: quô verbô, ut Glossa notat, indicatur, eos beneficiis privatos jam esse. Ratio est partim; quia status matrimonii in Ecclesia Occidentali seu Latina de Jure incompossibilis est cum beneficio Ecclesiastico, *c. Quod à te & c. Diversis citt.* ut adeò clericus, illum uxore ductâ amplectens, beneficio tacitè, seu ipsô factô, renuntiare præsumatur, *arg. can. Cùm renuntiatur 32. q. 1.* partim verò; quia in beneficii collatione saltem ex Ecclesiæ consuetudine includitur tacita conditio, *Si clericus permanserit in cœlibatu:* quâ proinde per assumptionem statûs matrimonialis deficiente, beneficium amitti est necesse, *cit.* Sanchez *n. 4. & 6.* rectè observans, ab hujusmodi clerico beneficium non recuperari: quantumvis uxor ante matrimonii consummationem moriatur, vel eâ Religionem professâ illud dissolvatur; quòd, matrimoniô per verba de præsenti validè initô, status cum beneficio incompossibilis jam sit assumptus: & jus beneficii semel extinctum sine nova collatione non reviviscat, *can. Quam periculosum 7. q. 1. & Clement. Gratiæ 4.* junctâ Glossâ *V. Resignaveris de Rescript. ubi* Zabarell. *q. 17. n. 10.*

5. Non beneficia duntaxat, sed pensiones quoque Ecclesiasticas ab ejusmodi clerico conjugium ineunte amitti & extingui, aliis DD. relatis tradunt Gigas *de Pensionibus q. 54.* id Curiæ Romanæ usu receptum, asserens *citt.* Garcias *cap. 5. n. 108.* Sanchez *disp. 44. n. 5.* & Barbosa *n. 206.* quòd hujusmodi pensio succedat locô beneficii, istiúsque naturam imitetur. 6.
Multò magis, quàm Ecclesiasticæ pensiones, ita expirant gratiæ Expectativæ, Accessus, Ingressus, Regressus, cæteráque jura, quæ ante illud initum clericis ad beneficia vacatura, aut jam vacantia ex collatione, nominatione, præsentatione competebant; quia beneficia primùm obtinenda, ad eáque competentia jura faciliùs, quàm jam obtenta & possessa amittuntur, *citt.* Garcias *cap. 8. n. 2.* Sanchez *disp. 42. n. 7.* & Barbosa *n. 205.*

Neque hanc propositæ dubitationis resolutionem difficilem reddunt *c. Quod à te & c. Diversis citt.* textus; quia exaudiendi sunt de spoliatione & privatione, non ipsius Juris sive tituli, sed solius possessionis beneficiorum: quæ, ex dispositione Juris jam amissa, de facto tantùm & injustè retinentur, *arg. c. Literas 9. de Conces. Præbend.* Glossa *in cit. c. 1. V. Relinquenda,* Panormit. *in c. cit. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 12.*

Neque obstat; quòd concubinarii fructus, & alii clerici beneficia &c. ob alia crimina ipsô Jure amissa restituere vel dimittere ante sententiam, saltem declaratoriâ, non teneantur per ea, quæ *arg. c. Cùm secundùm 19. de Haret. in 6.* dicta sunt *Tit. 2. n. 10.* quia id locum duntaxat habet in privatione pœnali: cujusmodi non est, quâ beneficium amittitur per matrimonium; cùm enim hoc ineundô clericus minor non delinquat, sententiæ judicis condemnatoriæ aut criminis declaratoriæ adversus eum locus non est: nisi beneficium ipsô Jure amissum injustè retinere præsumat, Azor *p. 1. Instit. lib. 5. cap. 8. q. 3.*

Dubium de iisdem clericis minoribus secundò est, an beneficia ipsô Jure amittant per matrimonium invalidum. 7.
Quod affirmant multi, *in* diversas Opiniones divisi, atque à Garcia *p. 11. de Benef. cap.*

vef. cap. 8. n. 4. & Gonzalez *in Reg. 8. gloſſ. 15. n. 44.* relati, eáque perſuaſi ratione; quòd, ſtatum cum beneficio incompoſſibilem aſſumendô, ei tacitè renuntiâſſe videantur, non obſtante conjugii nullitate; cùm enim Epiſcopus, propria authoritate ab uno Epiſcopatu ad alium tranſiens, priori excidat, licet non potiatur poſteriori, *c. Quanto 3. de Translat. Epiſc.* pari modo clericus minor conjugium iniens beneficiô cum eo incompoſſibili excidet, quantumvis illud Jure non ſubſiſtat, & ductâ conjuge non potiatur.

Sed meliùs, ab ejusmodi clericis beneficia ipso Jure amitti, cum Joan. de Lignano *in c. 1. de Sponſal. in 6.* negant *citt.* Leſſius *n. 113.* Sanchez *diſp. 43. n. 3.* & Palao *Tract. 13. diſp. 6. p. 3. §. 8. n. 9.* ſive ob defectum conſenſûs, vel ſolennitatis requiſitæ à Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Reformat. Matrim.* ſive ob conſanguinitatis aut aliud impedimentum dirimens conjugium irritum ſit.

8. Multò minùs ejusmodi clerici beneficia ipsô Jure amittunt, initis ſponſalibus de futuro, ut cum *citt.* aliisque DD. tradit & Rotæ deciſione firmat *cit.* Garcias *n. 19.* Ratio utriusque eſt; quòd ſacri canones, beneficiorum privationem inducentes, loquantur de matrimonio, eóque valido; nam *c. 1. cit.* clerici ob contractum matrimoniũ, ſicut ad relinquenda beneficia, ſic ad uxores retinendas compelli jubentur: quod illô invalidè initô fieri nequit. Sic etiam *c. Quod à te, &c. Diverſis citt.* Ratio, cur beneficia relinquenda ſint, ea redditur; quòd uxori & carnis voluptatibus operam dare, & Divinis obſequiis vacare ſimul non poſſint. Quæ ratio ceſſat, in matrimonio invalido, cùm hôc initô uxori & carnis voluptatibus non ſit addictus. Confirmatur hæc ratio; quia beneficii vacatio non inducitur in pœnam delicti, cùm; quia matrimonium invalidè iniri ſine delicto poteſt: tum verò; quia pœna privans jure jam quæſitô ante ſententiam ſaltem declaratoriam non debetur, *arg. c. Cùm ſecundùm cit.* neque ob tacitam renuntiationem, aut ſtatûs incompoſſibilis aſſumptionem; quia hujusmodi ſtatus verè aſſumptus non eſt, neque beneficio efficaciter renuntiatum; cùm non potiantur conjugiô, propter quod ſolùm beneficio renuntiâſſe præſumuntur. Unde in hujusmodi clericis matrimonium contrahentibus locum non habet ratio allata: ſed potius Regula, *Non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum*, quæ eſt *52. in 6.* cùm, quod nullum eſt, nullum producat effectum, *arg. c. Illud 8. de Jure Patronat. & l. Si ſe non obtulit 4. §. 6. ff. de Re judicata.*

Dubium tertiò eſt, quis cum clerico 9.
minore conjugato ad retinendum vel obtinendum beneficium valeat diſpenſare. Quidam inter ſimplex & curatum faciunt diſcrimen. Alii & meliùs cum ipſis, licet unicâ eáque Virgine ductâ deferant habitum ac Tonſuram clericalem & Eccleſiæ ſervire velint, ad quodcunque beneficium diſpenſandi poteſtatem ſoli Papæ competere, cenſent: ſuámque hanc Opinionem deſumunt ex *c. Diverſis 5.* ubi relatô Innocentii III. Reſcriptô ejusmodi clericus conjugatus beneficiô, ipſi ab Epiſcopo collatô, ſpoliandus aſſeritur per ſuperiorem: quod fieri nequaquam deberet, ſi cum ipſo ad beneficium diſpenſare Epiſcopus valeret; quia hoc ſcienter conferendô cum ipſo tacitè, & ipsô factô diſpenſâſſe præſumeretur, *arg. l. Quidam 57. ff. de Re judicata.* Ratio eſt; quòd clerici conjugati à ſacris Canonibus pro laicis reputentur, exceptis, ut mox ſtatuetur, Fori & Canonis privilegiis: laici autem beneficiorum Eccleſiaſticorum

sticorum incapaces sint Jure communi, *c. Cùm adeò 17. de Rescriptis:* cujus relaxatio Episcopo regulariter non competit, *can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* Panormit. *in c. Joannes 7. n. 7.* Selva *p. 1. de Benefic. q. 7. n. 17.* Flamin. *Lib. 4. de Resignat. q. 2. n. 28.* & Sanchez *cit. disp. 42. num. 18.*

Neque in contrarium facit; quòd *c. Joannes cit.* cum clerico conjugato ad beneficium dispensari posse, apertè supponatur; quia, ut omittam; quòd *c. cit.* beneficii nomine stipendium, quod ab Ecclesia aliquando laici accipiunt, venire existimet Hostiensis, veri beneficii capax esse clericus conjugatus supponitur, Apostolicâ, non Episcopali dispensatione, ut *ibi* cum Glossa *fin.* notant Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 1.*

Neque etiam; quòd ad beneficium simplex dispensare Episcopus valeat cum clerico homicida & irregulari, *c. fin. de Cleric. pugn. in duell.* & cum deposito ab officio & beneficio, *can. Salonitanæ 24. dist. 63.* qui sunt casus graviores; quia, præterquam quòd non eadem ratio sit clerici conjugati, quæ est prædictorum, in materia dispensationis locus non est argumentô ab uno casu expresè permissô ad alium non expressum, etiam minorem, Panormit. *in c. Joannes cit. n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 20.*

10. Dubium quartò de clericis conjugatis est, an gaudeant privilegiis Clericorum. Non quidem exemptionis à vectigalibus, tributis, & similibus oneribus, uti & privilegiô Competentiæ concessô *c. Odoardus 3. de Solut.* his enim eos non gaudere, explorati Juris est, *c. Unico V.* 11. *fin. in 6.* Sed Canonis & Fori, quæ sola ipsis communicantur, si contraxerint cum unica, eáque virgine, & deferant habitum ac tonsuram clericalem, atque insuper (quæ conditio pro Fori privilegiô specialiter exigitur à S. Synodo Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.*) alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem serviant, aut in studiis versentur; tali enim casu Canonis perinde, ut alii clerici, Fori autem privilegiô gaudent in causis saltem Criminalibus; ut in his, sive criminaliter sive civiliter agatur, trahi nequeant ad judicium Seculare, *c. Unic. cit. pr. & V. Et cum.*

Eosdem clericos conjugatos etiam 12.
in causis Civilibus à Seculari jurisdictione exemptos, defendit Francus *in c. & V. Et cum cit. n. 5.* desumítque ex ipso ejus tenore, quô, cùm adjudices Seculares non trahendi dicuntur, subjicitur, *Eos ab his condemnari etiam non debere pecuniariter:* quæ verba, ne otiosa sint, de causis Civilibus asserit exaudienda. Verùm, quia prioribus de tractione à parte litigante: posterioribus autem de quacunque condemnatione, etiam ad nullius instantiam facta sermo esse videtur, ista otiosa nequacquam sunt, licet de causis Civilibus non accipiantur. Unde in his eos coram judice Seculari conveniri posse, cum Panormit. *in c. Joannes cit. n. 3.* docent Sylvester *V. Clericus 1. q. 6.* Covarruvias *Pract. cap. 31. n. 6. cit.* Sanchez *disp. 46. n. 22.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. n. 7.* & Barbosa *in c. Unic. cit. n. 8.*

Hoc Fori privilegium cum Joan. 13.
Monach. *in c. Unic. cit. n. 1.* Panormit. *in c. Nullus 2. de Foro compet. n. 7.* Felin. *in c. cit. n. 3.* Tiraquell. *post Leg. Connub. gloss. 2. n. 5.* ad dictorum clericorum uxores, & Decianus *Tract. Criminal. lib. 4. cap. 9. n. 49.* ad filios quoque extendunt, eâ ducti ratione, quòd forum mariti sortiri debeat uxor, *l. Cùm quædam 19. ff. de Jurisdict.* & filius patris: &, quia maritus & uxor una caro, pater & filius una eádémque persona reputantur,

à Jure

à Jure concessa marito, etiã uxori concessa censeantur, Glossa *in can. Admonere V. Partem 33. q. 2.* & indulta patri ad filium porrigantur. Confirmatur; quia, sicut uxor de mariti, sic filius est de patris familia: &, qui de hac sunt, participant de privilegiis suorum dominorum, *c. fin. de Offic. Archidiac.* Ita isti

Sed verisimiliùs, sicut Canonis, *Si quis suadente 17. q. 4.* ex sententia omnium, teste Felino *cit. n. 3.* sic Fori quoque privilegium à marito ad uxorem, cum Alex. de Nevo *in c. Nullus cit. n. 21.* Franco *in c. Unic. cit. V. fin.* & aliis *cit.* Sanchez *disp. 47. n. 3.* & à patre ad filios extendi, negat Del bene de Immunit. *Eccles. cap. 4. dub. 23. n. 1. & 14.* Ratio est; quia, sicut Canonis, sic & Fori privilegium concessum est in favorem solius Ordinis clericalis: qui proinde cùm in solis personis Ordine aliquo initiatis, non etiam in eorum liberis & uxoribus reperiatur, sicut Canonis, sic & Fori privilegium, illis Jure competens, ad istos non porrigetur.

In contrarium adducta locum non habent, quando ratio, ob quam privilegium conceditur, aliis non potest convenire, aut privilegium specialiter conceditur à Jure. Cùm ergo Ordo convenire nequeat uxori, neque reperiatur in filio, eô non initiatô: & privilegium Fori in Criminalibus *c. Unico cit.* atq; à S. Synodo Trident. *cap. 6. cit.* concessum & stabilitum sit solis conjugatis Ordinatis: & his etiam non competat, nisi observent conditiones, quæ neque in uxore, neque in liberis reperiuntur, ad hos & illam non est extendendum.

14. Dubium quintò est, an clerici minores, uxore quàm unicam & virginem duxerunt mortuâ, privilegia immunitatis à vectigalibus, competentiæ, & similia, uti etiam Fori in causis Civilibus amissa recuperent. Qua in re Panormit. *in c. Clericus 6. de Vita & honest. num. 4.* Franci *in c. Unic. cit. V. Et cum num. 6.* Clari §. *fin. q. 36. num. 15.* Covarruviæ *Practic. cap. 31. n. 8.* Petr. Barbosæ *in l. Titia 35. ff. Soluto matr. n. 33. cit.* Sanchez *disp. 46. n. 29.* & aliorum, ea recuperari asserentium, verior Resolutio & istius ratio est; quia ejusmodi clericis, uxores ducentibus, privilegia illa non auferuntur perpetuò, sed solummodo suspenduntur: quamdiu non servant conditiones in clericis, ut privilegiis illis actu gaudeant, Jure requisitas, ut colligitur ex *Clement. 1. de Vita & honest.* verbis *Quamdiu præmissis insiterint.* Quare dictis immunitatis, competentiæ & similibus privilegiis, contractu matrimoniali amissis, denuo defendentur, si bigami non sint, tonsurámque & vestes deferant clericales: & fori quoque privilegiô in causis Civilibus gaudebunt, si de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant, vel de ejus licentia versentur in studio aliquo quasi in via ad Ordines majores, *c. Nullus 2. c. Si quis 4. &c. de Foro compet.* junctô Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.*

ARTICULUS II.

De Clericis Majoribus, eadem ineuntibus.

SUMMARIUM.

15. *His conjugia omnino interdicta sunt:*
16. *Non eodem tamen rigore Græcis & Latinis.*
17. *Eorum obligatio ad Continentiam non ex Jure Divino:*

18. *Sed ex voto, annexo sacri Ordinis susceptioni,*
19. *Et ex præcepto Ecclesiæ,*
20. *Ex justis & gravibus causis latô, provenit.*
21. *Contra quod conjugia ineuntes irregularitatem Bigamiæ*
22. *Et excommunicationem majorem incurrunt.*
23. *Secundùm aliquos etiam beneficia amittunt.*
24. *Verius his non privantur ipsô Jure;*
25. *Nec resipiscentes per sententiam sunt privandi.*

15. CLericis majoribus, sive in sacro aliquo saltem Subdiaconatûs Ordine constitutis, Ecclesianon solùm inhonesta mulierum commercia, sed ipsum etiam matrimonium interdixit, *can. 1. & c. dist. 28. can. Si quis 7. can. Placuit 13. & c. dist. 32.* ut id nec licitè, nec validè inire possint, ut apertè desumitur ex *c. 1. hâc Rubricâ c. 1. c. Ex literarum 2. Qui clerici & Vovent.* & à S. Synodo Trident. definitum est *Sess. 24. can. 9.*

16. Non eôdem tamen rigore clerici majores à conjugiis arcentur in Ecclesia Græca & Latina, *can. Aliter 12. dist. 31.* in illa enim clerici in minoribus Ordinibus constituti matrimonium non solùm inire, sed eô jam initô sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica obtinere valent: &, licet constituti in sacris matrimonium inire amplius nequeant, eô tamen ante Clericatum vel Subdiaconatûs Ordinem contractô uti permittuntur, *can. cit. c. Cùm olim 6. hic & c. Quæsitum 7. de Pœnit. & remiss.* in ista verò ad sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica conjugatorum nemo admittitur, nisi promissâ continentiâ, & consentiente, continentiámque promittente ac vovente uxore, si hanc unam eámque virginem duxit, *c. Sanè 2. hic & c. Conjugatus 5. de Convers. conjug.* Unde

Dubium oritur primò de Jure, quô Continentia sacris Ordinibus est annexa. 17.
Non defuêre, qui cum Majore *in 4. dist. 24. q. 2.* illam his annexam asserérent Divinô; quòd ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio Continentiæ lex in Divinorum ministris, præsertim Sacerdotibus, fuerit observata, manifestô indiciô, latam à Christo, per S. Gentium Doctorem monente, *Ne militans Deo se negotiis secularibus implicaret, 2. Timoth. 1. cap. v. 4.* Hodie tamen inter plerosque alicujus nominis ac notæ DD. convenit Primò, Ordinibus sacris neque Naturali neque Divino Jure continentiam annexam; quòd aliàs matrimonii antea legitimè initi usus Græcis sive Orientalibus permitti non potuisset; cùm Jura illa ab humana potestate relaxari nequeant, §. *Sed naturalia 11. Instit. de J. N. G. & C. & can. Sunt quidam 25. q. 1.* Secundò, Latinos sive Occidentales, in illis Ordinibus constitutos, ad continentiam obligari saltem ex Voto, *c. Olim cit. c. Unico de Voto in 6. & Extravag. Antiquæ Joan. XXII. eâdem Rubricâ;* quod antiquitus expressè, *can. Quamquam 6. dist. 23. can. Quando 3. & can. Præterea 7. dist. 28.* postea verò tacitè, sive ipsô factô, ut sacrum Ordinem suscipientis silentium pro consensu reputetur eorum, quibus sacri seu majores Ordines conferuntur, *can. 1. dist. 27. & can. Diaconi 8. V. Quicunque dist. 28.* Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 21.* *Azor p. 1 Instit. lib. 13. cap. 12. q. 6.* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 27. n. 10.* & Barbosa *de Offic. & potest. Epist. alleg. 15. n. 2.* 18.

Controversia autem est, an ea se continendi obligatio immediatè ex solo voto o- 19.

voto oriatur. Qua in re Affirmativam multis DD. allegatis Sanchez *cit. n. 10.* Negativam & veriorem cum non paucis ab eodem *n. 9. citt.* propugnant Guttierez *Lib. 2. Q. Q. Canon. cap. 27. n. 45.* Valentia *Lib. de Cœlibatu cap. 2.* eos insuper speciali lege Ecclesiastica ad castitatem obligari desumentes ex *can. 27. Apostol. can. Presbyterû 7. dist. 27. c. A multis 9. V. Verum de Ætat. & qualit. c. 1. in fine, Qui clerici & Vovent,* & Trident. *can. 9. cit.* qui textus omnes Legis Ecclesiasticæ expresse meminerunt. Ratio est; quia castè vivere etiam teneretur, qui sacros Ordines susciperet cum invincibili ignorantia voti illis annexi, aut malitiosæ voluntatis intentione votum excluderet. Quorum obligatio cum ex voto non oriatur, proveniet ex lege Ecclesiastica, ad Continentiam obligante eum, qui sciens ac volens sacro Ordine initiatur. *Sciens,* inquam; quia infans & alii, illis initiati ante usum rationis, ad continentiæ observantiam non adstringuntur; cùm ejus votum, liberum voventis consensum exigens, expresse vel tacitè non emiserint: Ecclesia verò ad imitationem Juris Divini eam obligationem nemini invito imponat. Unde infans aut alius ita ordinatus matrimonium validè & licitè contraheret: nisi, cùm ad usum rationis pervenit, ratam haberet sui Ordinationem expresse vel tacitè, non contradicendô, sed sacrum Ordinem liberè exercendô, aut aliàs statum Ecclesiasticum sequendô; hoc enim faciendô censeretur in obligationem servandi continentiam, sacri Ordinis susceptioni annexam, consensisse, Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 29. n. 15.* & Barbosa *alleg. cit. n. 4.*

20. Ratio autem, cur votum Continentiæ sacri Ordinis susceptioni annexum & clericis Majoribus ab Ecclesia Latina cœlibatus præceptus sit, non una, sed variæ à DD. afferuntur. Eorum præcipuæ sunt Primò Exemplum Christi & Apostolorum cæterorúmque ejus discipulorum, non solúm post vocationem suam uxores non ducentium, sed antè ductas deserentium: quod secuti omnes Episcopi ac presbyteri ab ipsis ordinati à conjugiis cæperunt abstinere, Gonzalez *in c. 1. n. 3.* Secundò; ut Divina mysteria puriùs ac sanctiùs tractarent; si enim in Veteri Sacerdotes ministrantes Deo in sacrificiis & panes Propositionis manducantes sanctificari, hoc est, ab uxoribus abstinere oportuit, Exodi *cap. 19. V. 15.* & 1. Reg. *cap. 21. V. 4.* quantò magis in Nova Lege ab illis & omni immunditia se continere decet eos, qui in sacrificio incruento immaculatam Deo hostiam offerentes sanctissimo Christi corpore ac sanguine quotidie reficiuntur. Tertiò; ut liberè & integrè servirent Deo; cùm, quantò à solicitudinibus, quas uxores ac liberi creant, cæterisque seculi negotiis minùs implicantur, tantò liberiùs serviant Deo, & ad Divina seriò tractanda sint expeditores, secundùm monitum Apostoli 1. Corinth. *cap. 7.* cujus *V. 32. Volo,* inquit, *vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum Uxore est, sollicitus* est, *quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori & divisus est.* Quartò; ut Fidelibus laicis majori essent veneratione, eósque non verbô tantùm, sed inculpatæ quoque & sanctæ conversationis exemplô abstraherent à vitiis, & ad Virtutis & Christianæ perfectionis studium excitarent. Quintò demum; ut reditus ipsis ab Ecclesia assignati juxta Fidelium offerentium intentionem non ad dotandos & ditandos liberos accumulare: sed ad exercendam

in pauperes liberalitatem, & hospitalitatem in peregrinos aliósque pios usus impendere studerent.

21 Porro clerici, qui post sacrum Ordinem susceptum, istius susceptioni annexô Continentiæ votô & ad eam obligantis Ecclesiæ præceptô insuper habitis, uxores ducere temere præsumunt, non solùm istis propter contractûs nullitatem non potiuntur, sed insuper gravibus pœnis obnoxii sunt. Et imprimis quidem ipsi in susceptis Ordinibus ministrare & ad altiores ascendere prohibentur, *c. 1. & c. Ex literarum 2. Qui clerici & vovent*, &, si matrimonium de facto contractum consumment, contrahunt irregularitatem Bigamiæ, quam DD. Similitudinariam vocant, ut *arg. can. Quotquot 27. q. 1.* dictum est *Lib. 1. Tit. 21. n. 10.* Cùm ipsis tamen pœnitentibus ad exercendos, quos habent, & altiores Ordines suscipiendos dispensare Episcopi permittuntur, *c. 1. cit.* nisi pœnitentia non vera, & præsumptio sit de incontinentia in futurum: vel cum corrupta aut vidua vel duabus matrimonium consummandô facti essent bigami Interpretativè; hôc enim casu cum ipsis dispensari ab Episcopo non posse, dictum est *cit. Tit. 21. n. 16.*

22. Deinde ipsô factô incurrunt excommunicationem, latam *Clement. Unic. de Consanguinit.* à qua tamen, quia Jure reservata non est, ipsos absolvi ab Episcopo posse, in *Clement. cit.* notant Glossa *V. Obtinere* & Barbosa *n. 24.*

23. Demum, eosdem beneficiis Ecclesiasticis ipsô Jure privari, cum Panormit. *in c. 1. n. 7.* Anchorano *in c. cit. n. 2.* & Interpp. aliis docent Sylvester *V. Clericus 2. n. 2.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 3. n. 4.* & Azor *p. 1. Instit. lib. 13. cap. 13. q. 6.* eâ persuasi ratione; quòd contrahendô matrimonium beneficiis renuntiare censeantur, non obstante illius nullitate; quòd talis, si post Ordines Sacros, mortuâ uxore susceptos, contrahat & consummet matrimonium secundum, Interpretativè *c. Nuper 4. de Bigamis*: si verò primum ineat, Similitudinariè bigamus reputetur ob attentationem matrimonii pravô opere carnalis copulæ subsecutô: licet propter illius nullitatem Verè bigamus non sit. Cur non pari modo clerici in Ordinibus sacris sive majoribus perinde, ut in minoribus constituti, beneficia ipsô Jure amittant ob matrimonium, licet hoc invalidè sit contractum. Cui argumento non parùm roboris accedit ex *c. Eum qui 18. de Præbend. & dignit. in 6.* ubi per secundi beneficii incompatibilis violentam occupationem, licet hæc invalida sit, priùs obtentum beneficium non minùs, quàm per assecutionem secundi validam, amitti statuitur ex ratione; *quòd Non deceat, ut stultus melioris quàm peritus conditionis existat; vel invasor eô, qui justè ingreditur, privilegiô gaudeat potiori.* Ne ergo clerici minores matrimonia legitimè contrahentes deterioris conditionis sint, quàm majores, illa contra Jus & defacto tantùm atque invalidè contrahentes, sicut illi, sic etiam isti beneficia ipsô Jure amittent.

At meliùs, ab istis beneficiorum privationem ita incurri, *in c. 1. cit.* negant Gloss. *fin.* Anton. de Butrio *n. 19.* Anchoran. *n. 14.* Francus *in c. Unic. cit. pr. n. 4.* Navarrus *Manual. cap. 25. n. 120.* Garcias *p. 11. de Benef. cap. 8. n. 17. cit.* Sanchez *disp. 43. n. 4.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 7.* & alii permoti *c. 1.* textu, quô relatus Alexander III. discrimen statuit inter clericos in minoribus, & in majoribus constitutos: &, matrimoniô initô, illos quidem ad beneficia, tanquam 24.

ipsô Ju-

ipsô Jure jam amissa, relinquenda: istos verò ad uxorum dimissionem & pœnitentiam per suspensionis &, si necessariũ sit, etiam per excommunicationis sententias compelli jubet: non officiis & beneficiis Ecclesiasticis spoliari aut privari. Ratio id ita statuendi fuit; quòd, cùm statum cum beneficiorum retentione incompossibilem verè non assumpserint, beneficiis renuntiâsse absolutâ & efficaci voluntate non intelligantur, hôc ipsô; quòd sortita non sit effectum; voluntas enim & conatus inefficax, cùm de contrahendis pœnis & impedimentis agitur, pro facto non habentur, nisi id Jure sit expressum, Sperellus *decis.* 137. *à n.* 29. prout de Bigamia *c. Nuper cit.* de amissione autem beneficii, à clerico in Sacris matrimonium de facto ineunte contrahenda, nuspiam est expressum.

Neque in contrarium facit decisio *c. Eum qui cit.* partim; quia pœnalis ejus dispositio à casu ad casum extensionem non admittit, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* partim verò; quia privatio beneficii in clericis minoribus non habet rationem pœnæ, sicut in majoribus: quos, cùm matrimonium de facto tantùm contrahendô Ordine & statu clericali nullô modô excidant, Ecclesia non beneficiorum ademptione ipsô factô contrahenda; ne necessariis alimentis privarentur: sed suspensionis, excommunicationis & aliis pœnis ad pœnitentiam voluit reduci, *c.* 1. *V. Sed si cit.* Unde

25. Dubium oritur, an tales clerici beneficiis privandi saltẽ sint per sententiam. Quod, licet passim asseratur aut supponatur, Juris tamen omnino explorati non est. In eam quidẽ rem allegatur *can. Decernimus 2. dist. 28.* quô relatũ Innocentii II. decretum est, *Ut ii, qui in Ordine subdiaconatûs & suprà uxores duxerint officio atque Ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum, vasa Domini & sacrarium Spiritûs sancti debeant esse & dici, indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire*, à decreto tamen hoc & Papæ mente non recessurus videtur, qui hac in re discrimen statueret inter eos, qui conjugiô, post sacram Ordinationem initô, moniti uxores de facto ductas dimittunt: & eos, qui ita ductas Ecclesiæ monitione insuper habita retinent, iisque adhærent; hos enim duntaxat, non etiam priores, ab officiis & beneficiis Ecclesiasticis per sententiam removendos, cum Glossa *in can. cit.* verisimiliùs sustinent Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 28. n. 7. in fine* & Gonzalez *in c. Diversis 5. n. 2. pr.* quòd hi tantùm cubilibus & immunditiis deservire intelligantur: non etiam ii, qui Ecclesiæ monitioni obtemperant & uxores dimittunt. Cui sententiæ, non parùm roboris inde accedit; quòd ex una, hos quoque ab officiis & beneficiis Ecclesiasticis removendos, iisque privandos, nullô aliô canone sit expressum; cùm *c. 1. V. Sed si cit.* ad uxores solummodo dimittendas & pœnitentiam agendam compelli jubeantur: & *c. Sanè 4.* à solo officio ad tempus remoti supponantur: ex altera verò parte, si privarentur beneficiis cum statûs Clericalis opprobrio mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere cogerentur, contra *can. Diaconi 22. V. Mendicat dist. 93.* & Concilium Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Reformat.*

TITVLVS IV.

De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

NOn solùm ad exemplaris vitæ honestatem, sed ad diligentiam quoque in Divino officio, propter quod beneficium datur, *c. fin. de Rescript. in 6.* Clerici obligantur: quæ diligentia præcipuè Residentiam in Ecclesia & in Divinis Officiis præsentiam exposcit.

ARTICULUS I.

De Obligatione ad Residentiam.

SUMMARIUM.

1. *Residentia est mansio in loco beneficii,*
2. *Causâ personaliter præstandi officii:*
3. *Quod tamen aliquando per Vicarium obitur.*
4. *Ad residentiam Jure tenentur beneficiati omnes.*
5. *Ab ea Simplices sæpe eximuntur vi Consuetudinis,*
6. *Prævalentiâ Juri Ecclesiastico, quô ad illam tenentur.*
7. *Curati residere tenentur eôdem:*
8. *Imò & Divino Jure,*
9. *Ab ipsis Pastoralem curam & assistentiam exposcente.*
10. *Ab ea vi nullius Consuetudinis:*
11. *Dispensatione tamen Apostolicâ aliquando liberantur;*
12. *Ut animarum curam Vicario committere valeant.*
13. *Duo beneficia obtinens, in eo, quod curatum est:*
14. *Si tale utrumque, in digniori, aut frequentiori:*
15. *Si omnino paria sint, in quo vult, residere potest.*

EST autem Residentia Mansio sive assiduitas commorationis in Ecclesia seu loco beneficii, causâ servitii Ecclesiastici personaliter præstandi, Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 1.* Secundùm quam definitionem, ut Prælatus, parochus, canonicus &c. in Ecclesia vel beneficio suo propriè & ad effectum percipiendorum fructuum residere censeatur, satis non est; quòd in ejus loco per intervalla, aut etiam assiduò moretur; talis enim in eo commoratio præcipuô Residentiæ effectu est destituta: sed insuper necessarium est; ut id faciat ob causam servitii, vg. curæ & vigilantiæ pastoralis, administrationis Sacramentorum, officii divini in Ecclesia persolvendi personaliter; nam residentia propriè dicta laboriosa est, non otiosa, 1. 2.

otiosa, ut colligitur ex *c. Relatum 4. c. Conquerente 6. &c.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 3.* & Barbosa *de Off. Epis. alleg. 53. n. 20.* Quare canonicus in loco sui canonicatûs quidem constanter manens, sed in choro & capitulo nunquam comparens, beneficii fructus ratione residentiæ competentes percipere, salvâ conscientiâ, non potest; quia ejus mansio in loco sui canonicatûs & Ecclesiæ præcipuo fine & effectu residentiæ omnino est destituta, Sylvester *V. Residentia n. 1.* & Laiman *cit. n. 1. pr.*

Quantumvis autem hæc ita sint, ejusmodi tamen canonicus in loco beneficii causâ servitii præstandi manens, licet aliquoties, aut etiam sæpius, & non sine culpa à Divinis absit, solas Distributiones præsentiæ seu assistentiæ in choro respondentes: non etiam fructus, ut vocant, grossos ratione Residentiæ debitos amittit: dummodo in choro & capitulo interdum, præsertim, cùm vocatur, vel auxiliò ejus opus est, se sistat, & horas Canonicas recitet privatim; quia ejus mansio in loco residentiæ sine non omnino caret, Laiman *l. cit.*

3. Imò alicubi Consuetudo obtinuit; ut canonici in choro præsentes, licet non per se, sed per substitutos vicarios psallant, pro verè residentibus & præsentibus habeantur: dummodo Horas recitent privatim. Quam Zypæus *Analys. Jur. Pontif. hac Rubr. n. 28.* non irrationabilem esse, existimat; quòd decantatio, præsertim si figurata sit, sic magis sit decens & accurata, prout etiam advertit Laiman *cit. cap. 6. n. 2.*

4. Porro ad Residentiam personalem in suis Ecclesiis obligantur Imprimis omnes clerici, obtinentes beneficium, cui annexa est cura animarum, ut sunt Patriarchæ, Primates, Archi- & Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores, Parochi & alii curati, & quicunque dignitatem, personatum & officium obtinentes, ex decretis Conciliorum Lateranensis, relati *c. Quia nonnulli 3.* & Tridentini *Sess. 6. & 23. utrobique cap. 1. de Reformat. & Constit.* Pii IV. quæ incipit *In suprema* edita Calend. Decemb. 1564. Deinde, canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, & quicunque in his obtinent dignitatem, præbendam vel portionem, *c. Cum ad hoc 16.* & Trident. *Sess. 24. cap. 12. V. Præterea de Reformat.* Demum, spectatô Jure communi, ad eandem adstringuntur clerici & quicunque beneficia Ecclesiastica etiam simplicia, quamvis tenuia, habentes, *c. Quia cit. c. Conquerente 6. c. Adhæc 13. de Præbend. & dignit.* &c. Glossa *in c. Conquerente cit. V. Deserviat.* Panorm. *in c. cit. n. 3.* Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 3. q. 1.* & Garcias *p. 3. de Benef. cap. 2. n. 1.*

Dixi, *Spectato Jure*; quia universalis Consuetudo passim obtinuit, ut in multis hujusmodi beneficiis non resideatur, Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 15. n. 26.* & Laiman *l. cit. n. 2.* sed beneficiatus, vg. capellanus, ad tria sacra in capella hebdomadatim legenda obligatus, nisi fundatio, statutum vel specialis usus aliud exigat, obligationi huic per alium satisfacere queat, Garcias *cit. cap. 2. n. 10.* id Rotæ decis. &c. confirmans. 5.

Imò clerici habentes solùm Præstimonia, hoc est, quasi stipendia temporanea, quæ subsidii locô, vg. ad studia prosequenda dantur, licet ad horas Canonicas vel Officiû B. Virg. privatim recitandum obligentur, Ecclesiæ tamen deservire, neque per se, neque per Vicarium tenentur, Azor *cit. Lib. 7. cap. 3. q. 2.* Ubi 6.

Dubium &, sicut olim vix ulla, sic temporum subinde novos, sed priscis rarò meliores, mores inducentium iniquitate ce-

tate celebris controversia hodie est de Jure, quô ad residentiam clerici beneficiati adstringuntur. Et beneficia quidem simplicia obtinentes ad residendum per se ipsos Jure solùm Ecclesiasticô teneri, facilè convenit inter DD. Eôdem, non
7. Divinô aut Naturali Jure ad personalem residentiam in Ecclesiis suis Episcopos, parochos, cæterósque curatos adstringi, si non primus, saltem tanquam propriam causam operosè defendit Ambrosius Catharinus *in Apolog. de Residentia contra Sotum.* Primò; quòd de obligatione illa ullus textus vel præceptum in Sacris literis non extet. Secundò; quòd diœceses & parochiæ institutæ non sint à Christo, sed ab Ecclesia: quæ proinde uni designatam alteri regendam committere, & illum à residentia liberare poterit. Tertiò; quòd obligatio ad personalem residentiam tolli valeat Consuetudine, secundùm Navarrum *Consil. 2. de Cleric. non resid.* quâ tolli nequeunt præcepta Juris Divini & Naturalis, *c. fin. de Consuetud.* Quartò demum; quod, si ea Episcoporum & Parochorum obligatio esset Juris Humanô altioris, in ea dispensari à Papa non posset, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.*

8. Sed recedendum non est à doctrina VV. eam residendi obligationem magno consensu refundentium in Jus Divinum: quam cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 21.* Cajetano *2. 2. q. 185. art. 5.* Carranza *Tract. de Residentia Episc. cap. 2.* Soto *Lib. 1. de Justit. q. 3. art. 1.* Vasquez *Opusc. de Benefic. cap. 4. §. 2. n. 121.* Moneta *de Commut. ult. volunt. cap. 4. n. 94.* & plerisque alicujus nominis ac notæ RR. à Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 2.* relatis, latè ac solidè defendit Fagnanus *in c. Ex parte 8. hac Rubric. à n. 21.* quòd id ex gemina S. Synodi Tridentinæ Propositione planâ & necessariâ sequelâ inferatur. Una est, *Præceptô Divinô mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium exemplô pascere, pauperum aliarúmque miserabilium personarum curam gerere & in cætera munia pastoralia incumbere, Sess. 23. cap. 1. pr. de Ref.* quæ Propositio de gregis sui agnitione liquet ex illo Proverbiorûm, *Agnosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera, cap. 27. v. 23.* de Doctrina & verbi Divini prædicatione apertè traditur à S. Paulo, qui, *Væ mihi*, inquit, *si non evangelizavero*, 1. Corinth. *cap. 9. v. 16.* & *Oportet Episcopum esse Doctorem &c.* 1. Timoth. *cap. 3. v. 2.* de vitæ exemplo patet ex S. Gentium Doctoris admonitione, *In omnibus præbe te ipsum exemplum*, ad Titum *cap. 2. v. 7.* & verbis ipsius Servatoris, *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, Matth. *cap. 5. v. 16.* de cura, & pastoralis muneris impletione à laudato Apostolo traditur in Actis Apostol. *Attendite vobis & universo gregi, cap. 20. v. 28.* & *Tu verò vigila, in omnibus labora ministerium tuum imple*, 2. Timoth. *cap. 4. v. 28. &c.* Altera S. Synodi Propositio continetur verbis primæ immediatè subjectis, *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt*: quæ habetur *pr. cit. & Sess. 6. cap. 1. V. Implere de Reformat.* & ex lumine & principiis Juris Naturalis est nota. Unde consequens est, Episcopos, parochos & cæteros curatos gregi suo invigilare & assistere, eúmque non deserere; ac proinde in Ecclesiis suis personaliter residere Jure

re Jure Divino teneri. *Quod confirma-*
9. *tur*; quia verbum *Assistere* ultra vigilantiam & solicitudinem pastoralem, verbô *Invigilare* expressam, denotat & exigit præsentiam corporalem: & verbum *Deserere* propriè acceptum talis præsentiæ subtractionem ac recessum significat, ut rectè observat Fagnanus *l. cit. n. 31.*

Neque à sic stabilito VV. sensu recessum persuadent, aut illum ancipitem faciunt, allata pro Opinione & causa Catharini.

Primum; quia, licet Sacris literis expressa non legantur verba, *Episcopi, parochi & curati resideant*, residere tamen ii jubentur per æquipollentia, quæ relatis & similibus textibus habentur.

Alterum; quia, esto diœcesium ac parochiarum divisio, earúmque assignatio commissa sit Ecclesiæ, suppositâ tamen earum partitione, commissione ac retentione, in iis residendi obligatio Divini Juris est ratione muneris Pastoralis, poscentis assistentiam, curam & vigilantiam præsentis.

10. Tertium; quia ejusmodi Consuetudo etiam immemorialis pro corruptela habetur *cit. Sess. 23. cap. 1. cit. in fine*: & meritò; cùm non appareat, quomodo licentia non residendi in beneficiis curatis esse queat consona rationi; cùm regulariter ex ea absentibus pastoribus Ecclesiæ patiantur damnum, & animarum cura per alios minùs solicitè administretur, Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 9.* & Jordanus *Lucubrat. Lib. 10. tit. 40. n. 69.*

Quartum; quia per accidens hæc Divini Juris obligatio aliquando cessat; cùm enim causa, propter quam Episcopi & curati alii ad residentiam Jure Divinô obligantur, sit salus animarum, pro quibus animam etiam suam ponere tenentur, Joan. *cap. 10. v. 11.* ideo, si animarum saluti & Ecclesiæ melius, aut saltem æquè bene per vicarium doctrinâ & authoritate præstantem provideri queat, poterit Episcopus & alii curati ad procurandum Ecclesiæ aut etiam propriæ personæ bonum abesse, salvô Jure Divinô, cujus obligatio tali casu cessat, S. Thomas *2. 2. q. 185. art. 5.* Manet 11.
tamen eô casu obligatio Juris Ecclesiastici, *c. Quia nonnulli cit.* & Trident. *Sess. 6. & 23. cap. 1. citt.* in quo Sedes Apostolica potest & sæpe solet dispensare vel declarare, quòd Juris Divini obligatio ob mutatas circumstantias in particulari aliquo casu vel persona cesset: sicut facere potest & frequenter solet in Votis ac Juramentis, S. Thomas *Quodlib. 9. art. 15. citt.* Covarruv. *cap. 13. n. 9.* Vasquez *cap. 4. n. 122.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 3.*

Confirmantur ista imprimis ex quo- 12.
tidiana & nota praxi Episcoporum, præsertim habentium valde amplas diœceses, ea etiam, ad quæ secundùm Tridentinum obligantur Jure Divino, ferè implentium per idoneos Vicarios aliósque Officiales & Mendicantium Ordinum Religiosos: quæ praxis ægrè defendi posset, si præceptô Divinô ea etiam, quando æquè bene aut meliùs possunt per alios, præstare tenerentur per se ipsos. Deinde ex eo; quòd Episcopi & cæteri curati privilegiô & dispensatione Apostolica à personali residentia aliquando liberentur ac deobligentur, nec rarò unus idémque obtineat duos vel plures Episcopatus vel parochias, licet in utraque vel pluribus simul nequeat residere.

Dubium secundò est, in quo resi- 13.
dere debeat, qui obtinet duo beneficia residentiam exigentia. Qua in re frequentiori DD. calculô approbata & usu recepta est distinctio inter tres casus. Primò enim, si unum beneficium sit cu-

ratum, alterum simplex, vg. canonicatus etiam Cathedralis, residere debet in curato; quia hôc casu non tam dignitatis beneficii, quàm necessitatis animarum ratio est habenda, ex *Constitut.* Pii V. quæ incipit *Cupientes, edita idibus Jul. 1568. citt.* Garcias *p. 12. cap. 2. n. 40.* Gonzalez *gloss. 6, n. 70.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 8. n. 12.*

14. Secundò; si utrumque parochiale vel simplex sit; residere debet in digniore: aut, si dignitas sit æqualis, in frequentiore: &, si utriusque frequentia par, sed unum in civitate, alterum extra eam sit situm, in civitate potiùs quàm extra hanc residere debet, *citt.* Garcias *p. 3. cap. 2. n. 179.* Barbosa *n. 8.* & Palao *Tract. 13. disp. 5. p. 2. n. 2.* perhibentes id à S.

15. Congreg. declaratum. Tertiò, in dubio de frequentia & dignitate, tam beneficii quàm loci, in quo hoc est situm, in arbitrio beneficiati erit, ubi velit residere: quod ab iisdem declaratum est, teste Garcia *citt. n. 179.* apud Palao *cit. n. 2.* & Barbosam *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 82.*

ARTICULUS II.

De Causis excusantibus à Residentia, & illegitimè absentium Pœnis.

SUMMARIUM.

16. *Residentia non obest brevis absentia ab Ecclesia:*
17. *A qua Episcopus ultra permissos tres,*
18. *Et parochus ultra duos menses absentes, amittunt fructus.*
19. *Ultra duos illicitè absunt Præpositi Regularium:*
20. *Qui tamen aliter puniuntur, quàm amissione fructuum.*
21. *His tamen privantur Canonici ultra tres menses absentes:*
22. *Nisi speciali Ecclesiæ Jure defendantur.*
23. *Amissio fructuum sententiam declaratoriam non exigit.*
24. *Absentia etiam Jure permissa exigit causam,*
25. *Et in parochis licentiam superioris:*
26. *A quo longior absentia permitti potest ex justa causa:*
27. *Quales sunt I. Christiana Charitas.*
28. *II. Urgens Necessitas.*
29. *III. Debita Obedientia.*
30. *In obsequio Episcopi duo Canonici Cathedralium:*
31. *Non etiam Collegiatarum Ecclesiarum abesse possunt.*
32. *IV. Evidens utilitas.*
33. *Studiorum causâ quinquenniô curati olim:*
34. *Et verisimiliùs in Germania hodie quoque,*
35. *Sicut & simplices beneficiati abesse possunt.*
36. *Causâ utilitatis publicæ Episcopi & alii prælati,*
37. *Non tamen, ut Principi in curia serviant,*
38. *Sine licentia Papæ abesse possunt.*
39. *Aliæ pœnæ Jure statutæ in Episcopos,*
40. *Et curatos inferiores, in Ecclesiis suis non residentes.*

BEneficia, etiam curata, obtinentibus Ecclesiasticô & Divinô Jure imposita obligatio residendi tam stricta non est; ut Episcopi aliique curati, & multò magis beneficiati simplices, ab Ecclesiis ex rationabili causa ad breve saltem tempus abesse non possint: dum- 16.

sint: dummodo ex absentia ipsis concreditæ oves & Ecclesiæ nullum patiantur detrimentum; cùm, *Qui aliquantisper tantùm absunt, ex VV. Canonum sententia abesse, quia statim reversuri sunt*, non videantur ipsis PP. S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 1. V. Quoniam autem, de Reformat.* In particulari

17. Primò Archiepiscopi, Episcopi, & verisimiliùs etiam alii Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, ex æqua causa ab Ecclesiis suis abesse quot annis possunt duobus, vel ad summum tribus mensibus: ultra quos si absint, præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis fructus non faciunt suos, quos proinde fabricæ Ecclesiarũ vel pauperibus loci applicari S. Synodus jubet, *cap. 1. cit. §. Si quis autem*, ubi Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 157.* additum aliquid existimat decreto *Sess. 6. cap. 1.* cujus *V. Si quis*, Episcopi per sex menses absentes quartâ: &, si per alios sex menses abessent, alterâ tantùm quartâ parte fructuum privabantur: præterea Episcopi & cæteri Episcopalis Ordinis prælati *Sess. 23. cap. 1. cit. V. Eosdem*, monentur; ne Adventûs, Nativitatis Domini, Quadragesimæ, Resurrectionis Domini, Pentecostes item & Corporis Christi diebus ab Ecclesiis suis absint: nisi eos Episcopalia munera in diœcesi sua aliò vocent; quòd his maximè diebus refici & Pastoris sui præsentiâ in Domino gaudere oves debeant.

18. Secundò, Parochi, aliique curati inferiores ab Ecclesiis suis per unum alterúmve mensem ex rationabili causa licitè abesse possunt: dummodo (quod etiam Episcopis observandum) substitutô interea idoneô Vicario Ecclesiæ non patiantur detrimentum. Si verò tales non petitâ licentiâ & absque gravi causâ ultra duos menses abessent, graviter peccarent, & pro rata temporis fructus non facerent suos, sicut Episcopi, ut *cap. 1. cit. V. Eadem omnino*, habetur: qui proinde fructus Ecclesiæ propriæ parochiæ vel ejus loci pauperibus, si tales ibi sint, erunt applicandi, Navarrus *Manual. cap. 21. n. 121.* Garcias *p. 3. de Benef. cap. 2. n. 31.* & Barbosa *in cap. 1. cit. n. 21.*

Eandem absentiam bimestrem, se- 19.
clusis specialibus cujusque Ordinis statutis, etiam Abbatibus, Prioribus & aliis Congregationum Regularium præpositis, in certum territorium & populum jurisdictionem quasi-Episcopalem non exercentibus, ex rationabili causa permissam, asserit Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 5.* & non obscurè Tamburin *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 15. q. 5.* quòd, duobus tantùm mensibus ex justa causa absens quivis curatus aliquantisper tantùm abesse; ac proinde ex VV. Canonum sententia non abesse, & propterea nec pœnæ obnoxius esse, visus sit Patribus Tridentinis *cap. 1. pr. cit.* Rectè tamen 20.
DD. *citt.* monent, dictos Abbates & Regularium præpositos in longioris absentiæ pœnam fructibus non privari; utique, quòd propter votum Pauperta-tis in Religione editum reditus propriè non habeant, & omnia monasteriis acquirant, *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* & ex præpositi sui delicto damnum sentire Ecclesia & monasterium non debeat, *can. Si Episcopum 16. q. 6. & Reg. Delictum 76. in 6.* Quare, horum à monasteriis suis absentiam aliis modis & pœnis, propriâ cujusque Ordinis Regulâ vel usu receptis, plectendam, *citt.* DD. observant cum Lessio *Lib. 3. de I. & I. cap. 34. n. 161.* ubi dispositionem de curatorum ab Ecclesiis suis absentia, & in eos, qui ab iis longiori tempore absunt, decretas pœnas in curatis tantùm secularibus, non etiam in Regularibus secularium

Eccleſiarum curam non obtinentibus, locum habere docet: ſuperiores autem Regulares in adminiſtratione monaſteriorum & curâ ſubditorum ſibi Religioſorum Regulis ac ſtatutis ſuorum Ordinum relinqui, ait: idque à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. aſſerit declaratum.

21. Tertiò, canonicis aliisque obtinentibus præbendas vel portiones in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis à S. Synodo permiſſa eſt abſentia trium menſium, *Seſſ. 24. cap. 12. V. Præterea de Ref.* (niſi tamen longiorem reſidentiam
22. exigant ſpecialia ſtatuta, quibus à Concilio non eſt derogatum) etiam non obtentâ licentiâ Ordinarii: qui tamen inhibere etiam per ſubtractionem fructuum poteſt; ne cum Dvini cultûs detrimento canonici omnes ſimul abſint, ut memorata S. Congreg. declaravit apud Garciam *cit. cap. 2. n. 315.* Si verò ultra tres menſes abſint, §. *Præterea cit.* ſtatuitur; ut dimidiò annô dimidiâ parte fructuum: poſtea verò omnibus fructib⁹ priventur: creſcente verò contumaciâ contra eos, ab Eccleſiis ſuis abſentiam protrahentes, juxta ſacrorũ canonũ conſtitutiones procedatur. Quamvis autem §. *cit.* addatur, talibus nullius ſtatuti vel Conſuetudinis vigore ultra tres menſes abeſſe licere, non cenſetur tamen S. Synodus derogâſſe fundationi, à laicis factæ, aut ſtatutis à Sede Apoſtolica immediatè & ex certa ſcientia & cum cognitione cauſæ confirmatis, quibus abſentia longior conceditur, Garcias *cit. cap. 2. n. 328.* partim; quòd Eccleſia non facilè deroget voluntati talium fundatorum; ne à fundationibus abſterreantur: partim verò; quòd ſtatuta ita confirmata propter duplex vinculum à Concilio ſublata non fuiſſe, declaratum ſit à S. Congreg. laudata, teſte Fagnano *in c. Licet 32. de Præb. & dignit. n. 58.* Atque ex his fortaſſis capitibus provenit, quòd in quibusdam Germaniæ noſtræ Eccleſiis canonici ad lucrandos fructus alicubi ſex, alibi tribus duntaxat menſibus teneantur reſidere: imò alicubi illos percipiant, ſi unô die vg. feſtô S. Michaëlis aut duobus diebus interſint, Garcias *cap. 2. cit. n. 330.* Unde

Dubium oritur primò, an ab Epiſcopis & cæteris curatis propter abſentiam amiſſi fructus dictis locis ante omnem ſententiam ſint applicandi. Ratio dubitandi eſt; quòd, exceptis cenſuris, irregularitatibus & amiſſione juris exigendi debitum conjugale in conjuges inceſtuoſos latâ, vix ullam pœnam ante ſententiam, ſaltem criminis declaratoriam, deberi, *arg. c. Cùm ſecundùm 19. de Hæretic. in 6.* dictum ſit *Tit. 2. n. 10.* Sed, hoc non obſtante, Epiſcopos cæterósque curatos & beneficiatos ad Dictos fructus Eccleſiis vel pauperibus applicandos ante omnem ſententiam in conſcientia obligari, diſertè ſtatuit S. Synodus *cap. 1. cit.* ibi *Aliâ etiam declaratione non ſecutâ.* Ratio eſt; quia prædicti fructus nondum percepti, atque idcirco non plenè, imò nec abſolutè debiti ſunt, ſed ſub conditione reſidentiæ: quâ proinde deficiente ipſos reſtituendi ante omnem ſententiam obligatio urget, Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 9.* Vaſquez *Opuſc. de Benef. cap. 4. §. 2. n. 153.* Palao *Tract. 13. diſp. 5. p. 3. n. 5.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 6. in fine*, ubi de *cit.* Concilii decreto notat, id quoad non requiſitam declarationem in tanto rigore receptum non videri, ſaltem ſi conſtitutô idoneô Vicario non negligatur cura animarum & Eccleſia damnum non patiatur: quod etiam notat Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 74. in fine.* 23.

Dubium ſecundò eſt de cauſa abſentiæ 24.

sentiæ per duos vel tres menses. Et quidem ex qua causa abesse valeant Episcopi, etsi istorum conscientiæ à Concilio relinquatur *Sess. 23. cap. 1. cit.* solius tamen honestæ recreationis aut visitationis consanguineorum gratiâ per dictos tres menses abesse ipsos posse, si notabile gregis detrimentum non timeatur, tradit Jordanus *Lucubr. lib. 10. tit. 40. n. 25. in fine.*

Ex simili causâ etiam curatis inferioribus absentiam, licentiâ Episcopi non requisitâ, permissam, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 121.* censet Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 4. q. 10.* quòd Jus antiquum, quô Episcopi licentiâ opus non fuisse, constat ex *can. Præsentium 7. q. 1.* expressè correctum non sit à Tridentino, bimestre parochis permittente, sicut trimestre Episcopis: quorum conscientiæ causa absentiæ relinquitur, licet ad residendum magis quàm parochi obligentur.

25. Sed, parochis ad bimestrem quoque absentiam Episcopi licentiâ opus esse, clarè satis desumitur ex *cap. 1. V. Eadem omnino cit.* ubi, cùm statuitur, à curatis inferioribus, quandocunque eos, causâ per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit, idoneum Vicarium ab Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquendum: cùm, inquam, hoc statuitur, sermo esse videtur de absentia bimestri curatorum; quia postea ad discedendum tempore longiori Episcopi licentiam non qualemcunque, sed in scriptis & causam gravem, puta majorem, quàm ad absentiam bimestrem esset sufficiens, requirit *cap. 1. & V. Eadem citt.* Atque ita tenet Ugolinus *de Offic. Episc. cap. 15. §. 5. n. 2. citt.* Vasquez §. 2. *n.* 149. Garcias *cap. 2. n. 22.* Barbosa *de Offic. Parochi cap. 8. n. 55.* Quod, licet de Jure verum, in praxi tamen usu receptum, non credit Lessius *cit. cap. 34. n.* 159. & de Episcopi licentia, an ad bimestrem absentiam necessaria, an continua exigatur, vel interpolata sufficiat, diœcesium statuta & consuetudines particulares spectandas & observandas, monet Laiman *cit. cap. 6. n. 7.*

Dubium tertiò est de causis absen- 26.
tiæ longioris: cujusmodi *cit. Sess. 22. cap. 1. V. Nam cùm* quatuor referuntur. Ex quarum tamen aliqua abesse ut liceat Episcopis, illa tanquam legitima à Papa vel Metropolitano, aut isto absente ab antiquiore suffraganeo approbari in scriptis debet: nisi propter munus seu officium Reipublicæ Episcopatui adjunctum sint abfuturi; istô enim poscente, cùm causa notoria & sæpe repentina sit, opus non est, eas ad sedem Apostolicam, Metropolitanum, aliúmve referri, *V. Nam cùm cit.* Curatis inferioribus ad absentiam ultra duos menses protrahendam opus est, ut causa in scriptis approbetur ab Ordinario, si non ultra annum: si verò ultra eum abfuturi sint, à Papa, qui pro longiori tempore in residentia dispensandi, aut ejus obligationem interpretandi facultatem, extra *c. Cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* & urgentis necessitatis casus, inferiorum nulli concessisse asseritur à Laiman *in c. Licet 14. de Elect. in 6. n. 2.* & supponitur à Fagnano *in c. fin. de Magistr. n. 17. §. Partem.*

Prima absentiæ longioris causa est 27.
Christiana Charitas, vg. si Episcopus aliúsve curatus ad provinciam aliquam vel diœcesin à periculo Hæreseos liberandam, ad pacem inter Principes & Magnates componendam, vel ad tollendas graves inimicitias à diœcesi vel parochia sua discedat: dummodo tamen ex absentia notabile damnum non patiantur Ecclesia & oves propriæ; cùm his succurrere ex duplici Charitatis & Justitiæ obligatione curatus teneatur, Barbosa *cit. alleg. 53. n. 6,* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 22.*

28. Secunda, urgens Necessitas, vg. hostilis incursionis, *arg. can. Pastoralis 7. q. 1.* infirmitatis corporalis, *can. Præsentium q. cit. & c. Ad audientiam 15. hîc,* capitalis inimicitiæ cum domino loci, aut insidiarum ab eo vel infesta plebe structarum, Glossa *fin. in c. fin. cit.* Barbosa *n. 7.* & Pirrhing *n. 23.* Epidemicæ tamen luis grassantis tempore &, quandocunque ovium sibi creditarum salus periculo exponitur, ab iis, periculô vitæ non obstante, recedere curatis quibuscunque non licet; cùm munus Pastorale adeò strictè obliget; ut minùs æstimare bonus pastor debeat jacturam vitæ suæ corporalis, quàm creditarum sibi ovium spirituale detrimentum, ex doctrina Servatoris, *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* Joan. *cap. 10. V. 11.* & tempore pestis ab his recedere non possit, licet Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta ministrare per alios possit. Quod ad instantiam S. Caroli Borromæi decisum, Barbosa *ad cit. Sess. 23. cap. 1. n. 60.* ex Selva refert. Alii tamen eum excusant, si tali tempore, dum corpore abest, animô tamen sive providentiâ præsens, ovium necessitati prospiciat per idoneos vicarios aut viros Religiosos substitutos, Laiman *Lib. 2. tract. 3. cap. & n. 3.* & Pirrhing *cit. n. 23.*

29. Tertia est debita Obedientia, vg. si absit mandatô Papæ & sedis Apostolicæ servitiô occupatus, *c. Cùm dilectus 14. & c. Ad audientiam 15.* tales enim, quòd Ecclesiæ Universali serviant, pro præsentibus & in Ecclesia sua residentibus habentur, Panormit. & Barbosa *in c. Cùm dilectus cit. n. 2.* Verùm, quia *cc. citt.* de Canonicis duntaxat sermo est, id nequaquam esse perpetuum: & Episcopos aliósque curatos solius servitii Papæ exhibendi causâ ab Ecclesiis suis abesse non posse, volunt Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 4. q. 1. §. Quinta* & Barbosa *l. cit. n. 3.* nisi id exigat necessitas aut major utilitas publica. Quin ipsos etiam S. R. E. Cardinales ex causa officii sui in Curia præstandi ab obligatione residendi in suis diœcesibus non excusari, censent *cit.* Azor *q. 7.* Flaminius *de Resignat. lib. 1. q. 10. n. 8.* Vasquez *cit. cap. 4. §. 2. n. 141.* & alii permoti Trident. *cap. 1. cit. V. Ne verò ea,* sicut alios pastores, sic etiam Cardinales Episcopos ad residentiam in suis Ecclesiis obligante: & eô etiam; quòd ante hoc Concilium Cardinalatus & Episcopatus fuerint beneficia incompatibilia, ut iidem *& in c. Bonæ 3. de Postul. Pral.* notant Panormit. *n. 6.* & Fagnanus *n. 23.* Vide dicta *Lib. 1. tit. 31. n. 28* Excipiendi tamen sunt sex Episcopatus Romæ vicini, qui à Cardinalibus in Urbe residentibus administrari facilè possunt, & ferè solent, Azor *l. cit.*

30. Dubium hîc est de Canonicis, an præbendarum suarum fructus percipiant, si ab Ecclesiis suis absint causâ servitii Episcopo suo exhibendi. Et ex Cathedralibus quidem Canonicis duos ex tali causa absentes illos integrè percipere, patet ex *c. Ad audientiam 15.* eique consono decreto Tridentini *Sess. 24. cap. 12. in fine de Reformat.* quô

31. An etiam Ecclesiarum Collegiatarum Canonici comprehendantur, non satis convenit inter DD. Barbosa enim *in c. De cætero 7. n. 4.* cum Moneta *de Distribut. p. 2. q. 8. n. 6.* decretum illud de his etiam intelligi, vult; quòd inter canonicos non distinguat: & ejus ad Cathedrales restrictionem non persuadeat ulla ratio præsertim; cùm canonicorum copia & præsentia propter suam dignitatem magis necessaria sit Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis. Alii tamen decretum illud ad Cathedrales canonicos restringunt; quòd, ne Juris sit correctorium,

referendum

referendum sit *ad c. De cætero & c. Ad audientiam citt.* quorum antiqui Juris textuum utroque agitur de Cathedralium Ecclesiarum canonicis: quibus indultum privilegium, ut quoad fructuum perceptionem pro præsentibus habeantur, cùm per fictionem inductum, & à communis Juris Regula exorbitans sit, non est extendendum. Accedit; quòd specialis ratio suaserit, id concedi Cathedralibus canonicis; quia isti tanquam membra cum Episcopo tanquam capite suo immediatè constituunt unum corpus, *c. Novit. 4. De iis, quæ à prælat.* & huic arctiùs, quàm Ecclesiarum Collegiatarum canonici uniuntur: eique in negotiis diœcesin spectantibus adesse præ illis tenentur. Ita cum Panormit. *in c. Ad audientiam cit. n. 8.* Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 8 n. 6.* Gonzalez *in c. De cætero cit. n. 6.* quorum Opinio præ opposita consona est rationi & Juri: cui contraria consuetudo, si alicubi idem Collegiatarum canonicis permittat, extendenda non est ad casum, quô eorum absentia minueret cultum Divinum & necessaria Ecclesiæ ministeria impediret; cùm tali casu etiam Cathedrales canonici nequeant abesse, ut ex Rebuffo advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. num. 29. not. 2.*

32. Quarta demum est evidens Utilitas, imprimis Ecclesiæ, vg. si Episcopus vel alius curatus ad defendenda Ecclesiæ suæ jura, ad litem super iis prosequendam, *c. Ex parte 13.* vel ad Synodum Ecclesiasticam vocatus, quamdiu hæc durat, absit, Azor *cit. c. 4. q. 4. in fine.*

33. Ad Ecclesiæ utilitatem revocatur causa Studiorum: quorum favore imprimis *c. fin. de Magist.* clericis permittitur, ut in Theologia (vel Jure Canonico Fagnan. *in cit. c. n. 13.* & Palao *Tract. 7. disp. 3. p. 9. n. 9.*) si docibiles, hoc est, ad docendum discendúmve habiles sint, Glossa *in c. cit. V. Per annos*, studere quinquenniô: docere autem, quamdiu volunt, & interea beneficiorum suorum fructus percipere possint. Deinde, à Bonifacio VIII. Episcopis conceditur facultas cum promotis ad Ecclesias parochiales dispensandi; ut in studiis, si idonei sint, usque ad septennium morari valeant: dummodo provideant, ut interea cura animarum per idoneos vicarios administretur, *c. Cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* cujus dispositioni, an derogatum sit à Tridentino, non convenit inter DD. & verisimiliùs, ei non derogatum, cum Navarro *Manual. cap. 35. n. 121.* Selva *de Benef. p. 4. q. 6.* Lessio *cit. cap. 34. n. 163.* & aliis censent Palao *cit. n. 9.* & Fagnanus *in c. fin. de Magistr. n. 11.* quòd beneficiatis docentibus & studentibus antiquô Jure *cc. citt.* indulta privilegia à S. Synodo firmata potiùs, quàm revocata videantur *Sess. 5. cap. 1. de Ref.* verbis *Docentes verò sacrâ scripturam* (aut Jus Canonicũ, juxta dicta) *dum publicè in scholis docuerint: & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum, præbendarum & beneficiorum suorum in absentia à Jure communi concessis, plenè gaudeant & fruantur:* Sicut & *Sess. 6. de Ref.* cujus *cap.* 2. cùm parochos, non obstante quôvis privilegiô vel indultô ad residentiam cogi jussisset, subdit, *Indulgentiis verò & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis* (sicut esse causam studiorum, ex *c. Cùm ex eo cit.* in margine notatis liquet) *tantùm concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.*

In contrarium quidem allegantur & à Garcia *cit. cap. 2. n. 81.* referuntur geminæ declarationes, de adempta Episcopis potestate parochis dandi licentiam, ut quinquenniô studiorum causâ absint, & interea fructus percipiant: eámque me-

que meritò ademptam, suadet ratio; quòd secundùm Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de Ref.* Ecclesiis parochialibus provideatur per Concursum, per quem eas assecuti idonei sunt de præsenti, ut eos studiorum causâ ab Ecclesiis suis abesse non expediat, ut observant Gonzalez *in Reg. 8. glos. 6. n. 51.* & Fagnanus *l. cit. n. 17. in fine* ubi ait, à Papa Episcopum ab ejus licentiæ
34. concessione jussum abstinere. Sed, licet de hoc & declarationibus illis authenticè constaret, quod *cit.* Palao *n.* 10. negat, Germaniæ tamen nostræ Ordinariis plerisque non obstarent; quia fundantur in Concursu, in plerisque istius Episcopatibus usu nunquam receptô, ut à colendissimo Præceptore meo & in Cathedra antecessore P. Weis *Different. Jur. Antiq. & Trident. assert. 32.* est observatum.

35. Sed, utcunque res se habeat cum parochis & aliis curatis, canonicis & aliis beneficia non curata obtinentibus studendi licentia concedi ob Ordinariis potest ac debet: dummodo id patiatur status Ecclesiæ, & Theologiæ vel Juri Canonico operam dent in celebri Gymnasio, atque insuper triginta annis sint minores, prout ab iisdem declaratum, refert *cit.* Garcias *n. 86.* & Barbosa *in c. Relatum* 4. *n.* 7.

36. Deinde, ab Ecclesiis suis abesse clerici beneficiati possunt causâ utilitatis Reipublicæ, cujus sunt membra; ut, si vg. Episcopi alive prælati, Seculares aut Regulares, tanquam Electores aut Status Romani Imperii vel Provinciæ comitiis & conventibus Provincialibus Reipublicæ causâ intersint, Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 2. & 6.* vel exigente istius evidenti utilitate obeant munus Oratoris aut Legati, *c. Cùm parati 19.* junctâ Glossâ *V. In legatione de Appellat. & can. Si Episcopus 11. dist. 18.* Barbosa *cit. alleg 53. n. 15.*

37. Ad officium etiam Præsidis, Consiliarii, Confessarii &c, in Regis aut Principis Secularis curia obeundum, Episcopis aliisque curatis ab Ecclesiis suis abesse licere, aliqui desumunt ex *Novell. 9. cap. 2. & Novell. 123. cap. 9.* ubi Episcopi ad annum, & cum facultate Cæsaris diutius in Curia morari permittuntur. Verùm, quia Episcopalis residentiæ causa spiritualis est, an, quando, quamdiu absentia iis licita sit, petendum non ex Imperialibus, sed ex Ecclesiasticis constitutionibus: quæ ad ejusmodi munia obeunda absentiam ab Ecclesiis suis Episcopis aliisque curatis permittunt causâ evidentis utilitatis Reipublicæ, eorum operam eô solum casu exposcentis, quô ad illa obeunda alii satis idonei non reperiuntur. Quô etiam 38.
casu, ut ejusmodi servitii Regibus aut Principibus exhibendi causâ ab illis absint, non tam istorum, quàm Romani Pontificis licentiam requirit, Azor *cit. cap. 4. q. 6.* Diana *p. 2. tract. 1. resol. 5. in fine* & Barbosa *cit. alleg. 53. n. 17.*

Dubium quartò est de aliis pœnis 39.
curatorum, ab Ecclesiis suis illicitè absentium: circa quod imprimis ex *Sess. 23. cap. 1. cit.* certum est, ab omnibus contrahi reatum culpæ lethalis: deinde Episcopi, spectatô Jure antiquô, si moniti non resipuerint, depositione & detrusione in monasterium puniri potuerunt, *can. Pervenit 7. q. 1.* Novissimô autem Jure Tridentini, si amissione fructuum non moveantur, à Metropolitano deferendi sunt ad Romanum Pontificem; ut in eos pro gravitate contumaciæ animadvertere & Ecclesiis de utilioribus pastoribus providere possit, *cit. Sess. 6. cap. 1.* cujus dispositio *Sess. 3. cap. 1. V. Si quis autem* est confirmata. Præterea Episcoporum, extra suas diœceses illegitimæ absentiæ tempore mortuorum, bona, cujuscunque quantitatis sint, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinent, vi

nent, vi *Constitut.* Pii IV. quæ incipit, *Suprema, edita 7. Calend. Decemb. 1564.*

40. Demum Parochos, ab Ecclesiis & ovibus suis absentes, Jure antiquo beneficiis fuisse privatos, aut saltem privari potuisse, exploratum est ex *c. Quia in tantum 5. c. Majoribus 8. c. Relatum 11. &c. de Præb. & dignit.* A Tridentino autem (seclusis diœcesium statutis & consuetudinibus particularibus, hodie observandis) arbitrio Episcoporum relinquitur, an contra eos absentes, si per Edictum (etiam unicum, sed peremptorium) etiam non personaliter & extrajudicialiter citati, contumaces fuerint, per censuras Ecclesiasticas, fructuum, quos suos jam fecerunt, subtractionem, sequestrationem, vel privationē beneficii procedere velint, *V. Si quis autem cit.* Unde manifestè colligitur, curatum ob absentiam post monitionem beneficiō non privari ipsō Jure; cùm, si istō sic privatus esset, in arbitrio Episcopi non foret, quō ex relatis remedjis uti velit, Flamin. *de Resignat. lib. 1. q. 10. n. 61.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 8. n. 72.* id declaratum, asserentes.

ARTICULUS III.

De Distributionibus quotidianis.

SUMMARIUM.

41. *Distributiones aliæ propriè, aliæ impropriè dictæ sunt:*
42. *Quarum istæ funguntur vice præbendarum:*
43. *Illæ ab his distinctæ,*
44. *Et introductæ sunt ad augendum in Ecclesiis cultum Divinum:*
45. *Eique assistentibus canonicis & aliis clericis debentur.*
46. *Non etiam absentibus: nisi absint ob infirmitatem,*
47. *Justam & rationabilem necessitatem corporalem,*
48. *Injustam carcerationem, excommunicationem &c.*
49. *Vel evidentem utilitatem Ecclesiæ:*
50. *Cujus negotia gerentes & Episcopo servientes canonici de Jure solos fructus beneficiales:*
51. *Vi consuetudinis etiam distributiones percipere possunt.*
52. *Ecclesiæ Præposito simul & Canonico præsenti debentur duæ.*
53. *Absentium distributiones aliquando accrescunt præsentibus:*
54. *Aliquando cedunt fabricæ, vel penes massam remanent.*
55. *Præsentes perceptas absentibus donare:*
56. *Non etiam remittere possunt.*
57. *Absentium distributiones percipiunt alii verè,*
58. *Non fictè tantùm, præsentes.*

41. Distributiones sic dicuntur; quod clericis juxta cujusque merita laborem & qualitatem tribuantur; distribuere enim suum cuique tribuere est, *arg. l. 1. ff. Famil. herciſc.* Moneta *de Distrib. p. & q. 1. n. 9.*

42. Sunt autem Distributiones duplicis generis; quædam enim funguntur vice præbendarum: sicut fit in Ecclesiis, quæ non habent præbendas distinctas, sed proventus sive reditus communes, ex quibus singulis canonicis aliisque clericis residentibus, uti & iis, qui Jure vel consuetudine pro præsentibus habentur, ut sunt vg. absentes causâ studiorum aut negotiorum, datur aliqua portio, vg. certa mensura panis aut vini, vel pecuniæ quan-

titas ad necessaria alimenta: quæ portio inter eos singulis diebus, hebdomadis, mensibus distribuitur & datur etiam, quando horarum decantationi aliisque divinis non intersunt: cujusmodi distributiones pro veris præbendis habentur; ne aliàs canonia sine præbenda, & beneficium sine fructibus detur, Glossa *in c. Unic. V. Receperit, in 6.* Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 7. q. 3. & cit.* Moneta *q. 3. n. 3.*

43. Aliæ verò & propriè dictæ atque à præbendis distinctæ Distributiones sunt portiones quædam reddituum Ecclesiasticorum, quotidie distribui solitæ iis tantùm clericis, qui statutis horis diurnis aut nocturnis officio Divino, puta sacrificio Missæ, Matutino, Vesperis &c. intersunt: quæ in Jure *Manualia* & *Victualia, c. De catero 7. hîc c. Unico in 6. & c. Olim 16. de V. S.* passim verò *Præsentiæ* nuncupantur: & plerumque in pecunia, alicubi in certis vini & frumenti mensuris solvuntur, Azor *cit. cap. 7. q. 1. & 3.* Barbosa *de Canon. & dignit. cap. 21. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 78.*

44. Hujusmodi & propriè dictas Distributiones, favore cultûs Divini in Ecclesiis conservandi augendique, introductas, planum est ex *c. Unic. cit.* & *ibi* notat Glossa *pr.* Joan. Monach. *n. 5.* & *cit.* Moneta *q. 5. n. 35.* ad cujus studium in clericis excitandum S. Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 3. de Ref.* præcepit, *Ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues sunt, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcunque proventuum & obventionum, tam dignitatum, quàm canonicatuum personatuum, portionum & officiorum separetur & in distributiones quotidianas convertatur.* Quam tamen, licet saluberrimam, constitutionem non ubique in praxin deductam, notat Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 7. n. 1. q. 2.* Ubi autem introducta est,

45. Regulæ generalis instar habetur, Distributiones quotidianas illis duntaxat clericis deberi, qui statis horis officiis Divinis intersunt: quæ desumitur ex *c. Unico cit.* & laudati Concilii *Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones, de Ref.* Ratio est; quia, ut dictum, institutæ sunt ad cultum Divinum augendum per præsentiam & frequentiam ministrorum. Unde, licet clerici in loco beneficii residentes istius fructus grossos percipiant, quantumvis à Divinis officiis subinde & sæpe absint, distributiones tamen non percipiunt, nisi dierum & horarum, quibus divinis officiis sunt præsentes, eorúmque celebrationi aut altari ministerium suum exhibent, textus & Glossa *c. Unic. cit. V. Adfuerint*, Covarruvias *Lib. 3. var. cap. 13. n. 3. & cit.* Laiman. *cap. 6. n. 1.*

46. Excipiendi tamen ab hac Regula sunt, qui à Divinis officiis absunt ex justa causa: cujusmodi *c. Unico cit.* tres referuntur.

Prima est Infirmitas: ob quam pro præsentibus in divinis habentur, & distributiones percipiunt canonici, qui ab iis absunt propter podagram aut aliunde provenientem corporis debilitatem, propter lepram, aliúmve morbum contagiosum, propter sumptionem medicinæ aut venæ sectionem, propter balneum aut iter recuperandæ sanitatis causâ aliquò susceptum, *cit.* Moneta *p. 2. q. 6. à n. 8.* & Barbosa *in c. cit. à n. 9.*

47. Secunda, justa & rationabilis Necessitas corporalis: propter quam pro præsentibus habentur, qui absunt propter senium, captivitatem, incarcerationem, exilium vel etiam excommunicationem injustam, propter periculum vitæ imminens ab inimico sibi insidiante: si tamen ita detenti interesse soliti sunt, quando infirmi-

infirmitate aut tali necessitate non impediebantur, *citt.* Covarruvias *n. 8.* & Moneta *n. 13. & 21.*

48. Dubium est de excommunicato, suspenso, incarcerato justè. Ratio dubitandi est; quòd ob infirmitatem etiam propriâ culpâ contractam absens distributiones non amittat: quod à S. Cong. Cardd. Interpp. declaratum, testis est Moneta *cit. q. 6. n. 11.* Sed alia ratio est talis infirmi, alia justè excommunicati, suspensi, incarcerati &c. quia infirmis generaliter & sine ulla inter morborum causas distinctione distributiones conceduntur *c. Unico cit.* Incarceratus autem, excommunicatus & suspensus absentes eas percipere tantùm possunt ratione Justæ & rationabilis necessitatis corporalis: ex qua non absunt, qui ex propria culpa & per sententiam justam incarcerati aut censurati Divinis nequeunt interesse, ut rectè advertit *cit.* Moneta *q. 5. n. 82.* ut taceam; quòd justè excommunicatus non necessitate, sed solius malitiosæ voluntatis contumaciâ absit, à qua recedenti & satisfacere parato, si absolutio indebitè negaretur, perinde ut ob excommunicationem injustè inflictã absens, ipse quoq; lucraretur distributiones, Garcias *p. 7. de Benef. cap. 13. n. 93.* Suarez *de Censur. disp. 13. s. 2. n. 16. & 20.* Vasquez *Opusc. de Benef. cap. 4. §. 3. n. 230.* & Palao *Tract. 7. disp. 3. p. 9. §. 2. n. 4.*

49. Tertia est evidens Utilitas: non quidem merè privata, sed Ecclesiæ propriæ & verisimiliùs etiam Universalis: cujus utilitas excellentior est quacunque privatâ; cùm in omnes Ecclesias particulares redundet, *citt.* Palao §. *3. n. 1.* & Pirrhing *n. 90.* ob quam causam distributiones, præsentium instar percipit absens, imprimis ad gerenda Ecclesiæ suæ negotia vel ejus jura defendenda; ad subjectas ei Ecclesias & clericos visitandos, aut exercendam jurisdictionem ei annexam: ad exercendam animarum curam in parochia canonicatui suo unita: non in alia extranea, sive ei per unionem non incorporata, quàm fortè canonicus obtineret, ut à S. Congreg. declaratum, refert *cit.* Garcias *p. 3. cap. 2. n. 337.* & Barbosa *in Trident. Sess. 22. cap. 3. n. 1.* Dein absens; ut nomine Capituli visitet limina Apostolorum, vel Concilio aut Synodo interfit: ut legationem obeat, & qui obses ab Ecclesia est datus. Ita *citt.* Palao §. *3. à n. 3.* & Pirrhing *n. 91.* Præterea Pœnitentiarius, qui aliis in choro Psallentibus in Ecclesia excipit pœnitentium confessiones, ex decreto *cit.* Concilii *Sess. 24. cap. 8. in fin. de Ref.* & probabiliùs etiam alii clerici, illum ob multitudinem pœnitentium adjuvantes, Moneta *p. 2. q. 11. n. 68.* & Palao *cit. p. 9. §. 5. n. 3.* sicut & canonicus eô tempore Missam celebrans jussu superioris: non præcisè suô libitu aut devotione, Gonzalez *ad Reg. 8. Proœm. §. 7. n. 181.* nisi etiam tali distributiones permittat consuetudo. Demum, canonicus Lector, cùm in propria Ecclesia concionatur vel legit: qui ex concessione Greg. XIII. non solùm pro hora, sed pro toto die, quô ad concionem dicit aut legit, ad effectum percipiendarũ distributionum præsens reputatur, Gonzalez *cit. §. 7. n. 180. citt.* Garcias *cap. 2. n. 119.* & Palao §. *6. n. 1.*

50. Neque, ut primò intuenti videri queat, distributiones ex causa Utilitatis Ecclesiæ absentibus generaliter denegandas, evincit, & *c. Unico cit.* adversatur; quòd *c. Cùm non deceat 30. de Elect. in 6.* Ecclesiarum suarum utilitatem & negotia prosequentes beneficiorum suorum fructus integrè percipere asserantur, *Quotidianis distributionibus exceptis*: & canonicis in Episcopi obsequio absentibus, sicut beneficiorum suorum fructus conceduntur,

ceduntur, sic Victualia seu distributiones expressè denegentur *c. De catero 7.* quantumvis Ecclesiæ Cathedralis canonicus in Episcopi servitio absens Ecclesiæ suæ deservire, & propter ejus utilitatem abesse intelligatur, *can. Similiter 16. q. 1. & c. Ad audientiam 15.* ubi Glossa *fin.* & Panormit. *n. 3.* quia non desiderantur horum textuum cum *c. Unico cit.* conciliationes. Ex variis, quibus hoc cum illis in concordiam reducere Interpp. conati sunt, verisimilior est, quam afferunt Glossa *in c. Unic. cit. V. Utilitas in addit.* Joan. Andr. *in c. cit. n. 4.* & Covarruvias *cit. cap. 13. n. 8.* asserentes, distributiones quidem beneficiatis propter Ecclesiæ suæ utilitatem à divino officio absentibus non deberi spectatô Jure communi, *c. Cùm non deceat & c. De catero citt.*

51. cùm secundùm primævam institutionem iis tantùm debeantur, qui Divinis intersunt: hôc tamen non obstante, ejusmodi Utilitatis causâ absentibus eas deberi, quando consuetudine introductum est, ut ex tali causa absentes eas percipiant; quam proinde consuetudinem *c. Unico cit.* à Bonifacio VIII. licet alias minùs rationabiles apertè damnet, approbatam cum DD. *citt.* censent *citt.* Azor *lib. 7. q. 14.* Laiman *cap. 7. n. 3.* & Pirrhing *n. 92. in fine.*

52. Dubium de distributionibus est primò, an qui ex privilegio vel consuetudine in una eadémque Ecclesia obtinet duo beneficia, vg. Præposituram & Canonicatum, sicut alicubi in Germania nostra solet, percipiat duplices distributiones. Negant id Lud. Gomez *Tract. de Expectativis n. 54.* & Moneta *cit. p. 2. q. 4. n. 6.* quòd talis non magis præsens sit, nec plus laboret, quàm qui Præpositus aut Canonicus tantùm est. Nihilominus duplices ei deberi, cum Felino *in c. Cùm olim 12. de Sent. & re judic. n. 2.* Panorm. *ibid. n. 6.* & aliis Interpp. defendunt Hoieda *p. 1. de Incompat. benef. cap. 12. à n. 15.* Covarruvias *cit cap. 13. num. 6.* Laiman *in c. 1. de Consuetud. in 6. n. 7.* & Barbosa *in c. Cùm olim cit. n. 2.* Ratio est; quòd quis duplici munere fungi simul valeat, modò exercitium unius alterius usum non impediat. Cùm ergo se mutuò non impediant munera & functiones Præpositi & Canonici, utriusque munere fungenti de Jure debentur utrique respondentes distributiones; quia ex una, nihil prohibet plura jura & munera in eandem personam concurrere, ut colligitur ex *l. Tutorem 21. ff. De his, quæ ut indignis &c.* ex altera verò parte is, in quem jura & munera duo concurrunt, censetur jure personarum diversarum, & jure utrique competente gaudet, Barbosa *in c. Diversis 5. de Cleric. conjug. n. 2.* Confirmatur; quia juxta *c. Cùm olim cit.* si quis in eadem Ecclesia duplicem dignitatem vel præbendam, vg. Præposituram & Canonicatum simul obtineat, vocem in electionibus & aliis actibus capitularibus duplicem habere potest, Gonzalez *in c. cit. n. 2.* Ergo etiam, qui simul Præpositus & Canonicus est, in choro præsens duplices percipiet distributiones, præsertim post Tridentinum & in Ecclesiis, in quibus tertia pars fructuum utrique tam dignitati quàm beneficio detracta & conversa est in distributiones, ut probè observat Laiman *cap. 7. cit. n. 4.*

In contrarium allatum argumentum leve est; quia, licet talis non magis præsens sit physicè, quàm is, qui est Præpositus tantùm, magis tamen præsens est moraliter; cùm fungatur munere duorum. Quod præsertim locum habet, ubi Canonici in choro præsentes non per se ipsos, sed per vicarios psallunt ex Consuetudine: quam hac in re servandam, *arg. c. Unic. cit.* monet Laiman *l. cit.*

Dubium

53. Dubium secundò est, an distributiones, ab aliquibus propter absentiam amissæ, accrescant aliis. Sepositâ Ecclesiarum Consuetudine, quæ hac in re locùm maximè habet. Affirmativam aliqui: alii Negativam tuentur, & in utramque partem allegant S. Synodum Tridentinam: quæ, sicut pro diei præsentia assignatas distributiones inter eos, qui divinis interfuerint, proportionaliter dividendas, non obscurè *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones de Reformat.* sic obventuras absentibus, si divinis interfuissent, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitriò Episcopi applicandas, decernit *Sess. 22. cap. 3. de Ref.* quæ decreta, iisque non minùs inter se pugnantes DD. Opiniones in concordiam reduci satis congruè possunt auxiliò distinctionis inter tres casus.

Primò enim, si ex communibus beneficiorum redditib⁹ detracta, vel ex fundatione aut à fidelibus pro defuncti Anniversario assignata sit certa portio distribuenda inter eos, qui certa die officio Divino interfunt, absentium portio præsentibus accrescit, secundum decreta Concilii priora, consona *Constitutioni* Bonifacii VIII. relatæ *c. Unic. cit. V. Statuimus*, ut cum Franco *in V. cit. n.* 4. Navarro *Manual. cap. 25. n. 123.* docent *citt.* Azor *Lib. 7. cap. 7. q. 8. in fine* Covarruv. *cap. 13. n. 7.* Guttierez *Lib. 1. Q Q. Canon. cap. 1. n. 106.* & Moneta *p. 3. q. 6. n. 16.* quorum de hoc casu sensus consentaneus est æquitati naturali; cùm enim ex aliorum absentia majorem laborem subeant præsentes, æquum est; ut, si aliud Ecclesiæ statutò vel usu receptum non sit, istorum major sit remuneratio: & in quandam illius compensationem recipiant, quod ex communibus redditibus detractum est, & si divinis interessent, absentibus obveniret.

54. Secundò, si ex redditibus certarum dignitatum, officiorum, vel præbendarum propriis & separatis detracta sit aliqua pars, eas dignitates, officia &c⁹ obtinentibus pro præsentia distribuenda illorum absentium portio aliis præsentibus non accresceat, sed Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio erit applicanda, juxta ejusdem Concilii posterius decretum, *citt.* Azor *q. 8. pr.* Laiman *cit. c. 7. n. 5.* & Moneta *q. 9. n. 29. & 35.*

Tertiò, si massa aliqua habeatur, ex qua certa aliqua portio, vg. medius florenus ei, qui solenni Missæ: & certi aliquot nummi ei, qui Matutino aut Vesperis interest, dandi sint, absentium portio apud massam Ecclesiæ in ejus utilitatem convertenda remanebit, *citt.* Guttierez *n. 106. in fine* & Garcias *p. 3. de Benef. cap. 2. n. 444.*

55. Dubium tertiò est, an distributiones absentium, quæ accrescunt præsentibus, illis remitti valeant ab istis. *Remitti*, inquam: non postquam ab his perceptæ, & ipsis plenè quæsitæ ac possessæ jam sunt, absentibus liberaliter donari; hoc enim non prohibet Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones cit.* Sed tantùm remissionem, quâ vg.

56. capitulares præsentes sibi obventuras absentium distributiones istis remitterent: & collusionem, quâ vg. iidem, interveniente aliquâ conventione vel sub spe remissionis mutuæ eas his remitterent: quæ *V. cit.* non prohibita duntaxat, sed irritata quoque est; ut distributiones ab eo, cui remissæ sunt, salvâ conscientiâ nequeant retineri, sed Ecclesiæ fabricæ vel alteri loco pio sint restituendæ: prout declaratum, testis est *cit.* Garcias *n. 431.* Ratio, quæ ad hoc decernendum S. Synodi PP. permovit, ea fuit; quòd, tali remissione permissâ, occasio daretur canonicis officia divina negligendi sub

spe remissionis seu condonationis & recuperationis distributionum amissarum.

57. Dubium quartò est, an ex justis Infirmitatis, corporalis Necessitatis, vel evidentis Ecclesiæ Utilitatis causâ absens perinde, ut personaliter præsentes, lucretur distributiones eorum, qui illegitimè absunt. Affirmativam enim suadere videtur ratio, partim; quòd justâ causâ absens Jure habeatur pro præsente; ut proinde ipsi non minùs quàm aliis personaliter præsentibus distributiones illegitimè absentium accrescant; quia hæ iisdem, qui proprias percipiunt, concessæ videntur à Tridentino *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. & V. Statuimus citt.* partim verò; quòd absentibus ex justa causa concedantur distributiones, quas perciperent, si Divinis interessent. Cùm ergo, si his interessent, percipèrent distributiones absentium, has etiam percipient legitimè absentes: quod praxi Ecclesiarum Hispaniæ confirmat Palao *cit. disp. 3. p. 8. n. 7.* qui tamen *n. 8.*

58. Negativam Jure spectatô tanquam probabiliorem præfert cum Bonacina *disp. 2. de Horis Canon. q. 7. p. 1. in fine*, quam cum Barthol. à S. Fausto *Lib. 3. de Horis Canon. q. 91.* etiam tuetur Barbosa *de Canon. & dignit. cap. 22. n. 19.* Ratio est; quòd his illegitimè absentium distributiones accedere expresè non statuatur *c. Unic. cit.* neque etiam *citt.* decretis Concilii Tridentini: à cujus Interpp. Cardinalibus absentium distributiones deservientibus, quales non sunt, qui infirmitatis aliáve etiam justâ causâ absunt, accrescere, declaratum est apud Garciam *cap. 2. n. 465.* Unde inferunt, illas his non adstruendas, partim; quòd privilegium, vi cujus ex justa causâ absentes distributiones percipiunt, cedat in diminutionem cultûs Divini, ad quem augendum illæ sunt introductæ; atque idcirco, tanquam odiosum, ad participationem distributionum per illegitimam absentiam amissarum non sit extendendum, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* partim verò; quòd, cùm majorem laborem ex aliorum, absentia subeant, & istorum vice fungantur verè, & non fictè tantùm præsentes, id quod absentes non percipiunt, verè, non fictè præsentibus accrescere conveniens sit.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

CLericis in Ecclesiis suis residentibus suóque fungentibus officio, ut de Altari, cui inserviunt, vivant, atque ob inopiam ad viliora munera non facilè abstrahantur, conferuntur Præbendæ & Dignitates: quorum nominum priori generatim acceptô & præsenti Rubricâ inferiora: posteriori verò majora beneficia Ecclesiastica intelliguntur, Barbosa *ad hanc Rubr. n. 6.* & ibi Pirrhing *n. 1.*

ARTICU-

ARTICULUS I.

De Natura Beneficiorum Eccleſiaſticorum.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium includit ſpirituale officium & reditus temporales,*
2. *Hoſque propter illud percipiendi jus:*
3. *Quod authoritate Eccleſiaſtica,*
4. *Apoſtolica vel Epiſcopali inſtitutum,*
5. *Et perpetuum eſſe debet,*
6. *Saltem vi ſuæ inſtitutionis, ſi beneficium latè:*
7. *Si ſtrictè accipiatur, etiam in beneficiato.*
8. *Commenda vel Perpetua eſt vel Temporalis:*
9. *Quarum illa,*
10. *Non etiam iſta beneficium eſt.*
11. *Tale non eſt Capellania:*
12. *Niſi Epiſcopali authoritate erecta in titulum detur.*
13. *Beneficia olim non erant,*
14. *Hodie tamen fere ſunt Præſimonia.*
15. *Non etiam Hoſpitalia:*
16. *Duobus caſibus exceptis.*
17. *Præceptorias & Commendas Militares beneficia eſſe, negantium,*
18. *Et Manualibus accenſentium, verior Opinio.*

1. BEneficium Eccleſiaſticum eſt Jus perpetuum percipiendi reditus ſeu proventus Eccleſiaſticos ratione officii ſive ſervitii ſpiritualis, authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum, Hoſtienſ. *in c. Relatum 9.* Leſſius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 1.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. & n. 1.* qui aliique DD. in beneficio tria diſtinguunt. Primum ſunt reditus ſeu fructus ex Eccleſiaſticis ſive Deo dicatis bonis proveníentes: qui ſunt quid temporale. Alterum eſt officium, ſive obligatio ad obeundam functionem aliquam ſpiritualem, vg. recitationem Horarum Canonicarũ, celebrationem Miſſæ, prædicationẽ verbi Divini, adminiſtrationem Sacramentorũ &c. quod officium eſt aliquid merè ſpirituale, & beneficii cauſa ac fundamentum; beneficium enim propter officium datur, *c. fin. de Reſcript. in 6.* 2. Poſtremum eſt ipſum jus dictos reditus percipiendi: quod, licet ſecundùm ſe ſpectatum non ſpirituale, ſed temporale ſit, ſpirituale tamen fit propter officium ſive miniſterium ſpirituale, ex quo oritur, cuíque tanquam radici eſt annexum, & *c. Dilecto 25.* Præbenda nuncupatur, Leſſius *cit. n. 1. & 2.* Vallenſ. *de Beneſ. Lib. 1. tit. 1. à n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2.*

3. Porro, ut ejusmodi reditus intuitu ſpiritualis Officii percipiendi jus propriè acceptum beneficium Eccleſiaſticum ſit, duo inſuper exiguntur.

Prius eſt, ut Eccleſiaſticâ authoritate ſit conſtitutum ſive erectum, aut ſaltem confirmatum; quia nulli laico privato competit poteſtas ejusmodi reditus percipiendi jus ſpirituali officio perpetuò annectendi, *citt.* Leſſius *n. 4.* Palao *n. 3.* & Pirrhing *n. 6.* Unde non beneficium Eccleſiaſticum, ſed pia ſolùm donatio aut legatum foret, quod pro celebrandis Miſſis relictum aut deſtinatum eſſet à laico aut clerico privato, Epiſcopali aliáve ſimili authoritate non intervenìente. Ubi

4. Dubium eſt, cujus Prælati authoritate beneficia Eccleſiaſtica conſtituta ſint, aut conſtituenda. Qua in re præ oculis habenda eſt varietas beneficiorum. Et Papale quidem, ſive dignitatem Sedémque, ut vocant, Apoſtolicam immediatè à

tè à Christo Domino constitutam erectámque, Nicolai II. ad Mediolanenses rescriptum *can.* 1. *V. Illa verò dist.* 22. & Orthodoxæ Fidei inconcussa veritas est. Apostolicæ verò proximas, Patriarchales scilicet, cæterásque Ordinis Episcopalis dignitates sedésque institutionem & erectionem suam summis Pontificibus, provinciarum ac diœcesium limites designantibus, immediatè debere, habetur *can.* 1. *V. In ipsis dist.* 80. *can.* 1. *dist.* 99. *& Extravag. Unica inter com. de Officio deleg.* ullâque alia authoritate sine Apostolicæ interventu erigi nunquam potuerunt, *cit. can.* 1. *dist.* 80. ubi Glossa *V. Omnes* Imola *in c. Cùm olim 6. de Consuetud. n.* 1. & Tholos. *Syntag. lib.* 15. *cap.* 12. *n.* 4. Eâdem authoritate immediatè erecti Tituli institutáque, & cum tempore quibusvis aliis, etiam Episcopalis Ordinis, & Patriarchali quoque, prælata in Ecclesia est dignitas Cardinalitia, Joan. Andr. *in c. Cùm aliquibus 4. de Rescript. in 6.* Tholos. *Lib. cit. cap.* 4. *n.* 4. & Barbosa *Juris Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 7. *& cap.* 4. *n.* 24. Eidem originem suam debent Parochialia, *can. Ecclesias* 13. *q.* 1. *& c. Pastoralis* 11. *De iis, quæ à Prælat.* cæteráque beneficia & dignitates Ecclesiasticæ inferiores: licet cum tempore, & hodie quoque ab Episcopis, *can. Episcopi* 3. *dist.* 80. & sublimioribus Episcopalis Ordinis, imò & minoribus, jurisdictionem tamen quasi-Episcopalem in certum territorium istiúsque clerum ac populum obtinentibus prælatis erigi, illorúmque erectioni authoritas impendi possit, Lambertin. *Lib.* 1. *de Jure Patron. p.* 1. *q.* 9. *art.* 5. *n.* 1. & Lotterius *de Benefic. Lib.* 1. *q.* 5. *n.* 49. Cæteris autem, tam Secularium quam Regularium Ecclesiarum, prælatis etiam exemptis, seclusô privilegiô Apostolicô, beneficia erigendi, eorúmque erectiones confirmandi potestas denegata est *c. Authoritate 4. de Privileg. in 6.*

In hujusmodi autem beneficii institutionem Episcopus eíque similis prælatus consensum præstare, illíque authoritatem suam impendere satis intelligitur, quando ad ejus erectionem dotem collatam sciens clerico, à fundatore sibi præsentato, id in perpetuum titulum confert, Bellamera *in c. Super hoc* 5. *de Renuntiat. n.* 18. & Lotterius *cit. q.* 5. *n.* 63.

Posterius, quod ad beneficium Ecclesiasticum requiritur, est; ut reditus temporales propter spirituale officium percipiendi jus sit perpetuum. De quo tamen 5.

Dubium & controversia est, an jus perpetuum esse debeat in ipso beneficiato; ut huic, postquam legitimè collatum est, auferri nequeat sine gravi & legitima causa: vel sufficiat perpetuitas in ipso beneficio; ut hoc ex institutione sua clerico in perpetuum possit, vel uni ablatum alteri debeat conferri. Prius desumitur partim ex *can. Sanctorum* 2. *dist.* 70. verbis, *In qua Ecclesia quilibet institutus est, in ea perpetuò, hoc est*, ut Glossa ait, *dum vivit, perseveret*: ex *c. De Rectoribus* 3. *& c. Ex parte* 5. *de Cleric. ægrot.* & ex *c. Si gratiosè* 5. *de Rescript. in 6.* partim ex eo; quòd Pensio, uti & Vicariæ temporales, licet reditus Ecclesiasticos percipiendi spiritualia jura sint, è beneficiorum tamen numero excludantur, ob defectum solius perpetuitatis. Posteriorem verò perpetuitatem sufficere, suadet Ratio; quòd à Papa omnia beneficia temporalia effici possint, *c. Si gratiosè cit.* imò de facto dentur beneficia Manualia & Regularia, quæ ad nutum valent revocari. Propter hanc rationem

Censeo primò, ad rationem beneficii 6

ficii sufficere perpetuitatem, quæ habetur ex vi institutionis. Unde, licet beneficia non sint Pensiones; quia solùm durant ad vitam pensionarii, quô mortuô omnino extinguuntur: sicut & Cooperatoriæ ac Vicariæ temporales Episcoporum & parochorum; quia ex sua natura non sunt perpetuæ, & uni ablatæ non necessariò alteri conferuntur: talia tamen sunt Prioratus aliáque beneficia Regularia: imò aliquando Secularia manualia; quia vi suæ institutionis durant perpetuò; ut alicui in perpetuum possint &, quando uni auferuntur, alteri debeant conferri, Garcias *p. 2. de Benef. cap. 2. n. 79.* Lessius *cit. cap. 34. n. 3.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 26. q. 12.* Hôc tamen non obstante

7. Censeo secundò, ad beneficium strictè & secundùm communiorem sacrorum Canonum acceptionem requiri perpetuitatem in ipso beneficiato; ut scilicet huic ad libitum & sine legitima seu Jure expressa causa nequeat auferri, partim; propter textus & rationem pro priori parte allegatam: partim verò; quòd ea, quæ in titulum perpetuum non conferuntur, & revocabilia sunt, sub Regula Cancellariæ Apostolicæ de Reservatione beneficiorum non comprehendantur, Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. n. 16.* & Garcias *cit. p. 1. cap. 2. n. 89.* neque sufficiant pro Titulo, necessario ad recipiendos Ordines sacros, *cit.* Garcias *n. 91.* cùm tamen beneficium ad eos sufficiens Titulus sit, secundùm Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Reform.* quòd clericus secularis à Papa impetrans beneficium, vi ejus gratiæ obtinere nequeat Manuale, Calderin. *Consil. 21. n. 1. de Præbend.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 29. n. 105.*

Si hactenus declarata beneficii natura præ oculis habeatur, de plerisque reditus temporales, spiritualis officii ratione, percipiendi juribus, an beneficia Ecclesiastica sint, aut secus, facilè statuetur: dubium tamen remanebit de nonnullis.

Et primò quidem de Commenda, 8.
quâ Ecclesia aut beneficium alicujus clerici custodiæ & administrationi committitur, *arg. l. Commendare 186. ff. de V. S.* Glossa *in c. Nemo 15. V. Commendare de Elect. in 6.* & Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 5. §. 8. n. 38.*

Est autem Commenda duplex. Una perpetua, quâ Ecclesia vel beneficium alicujus custodiæ, curæ & administrationi committitur in perpetuum sive, dum is vivit: quô modô clerico, ad ejus titulum aliàs inhabili, vg. Ecclesiam aut beneficium Regulare seculari, aut vicissim seculare Regulari in commendatarii comodum & utilitatem concedere, eáque concessione ad illud retinendum dispensare solus Papa potest ac solet, Rebuffus *de Commend. n. 7.* Gambarus *de Offic. legati lib. 4. q. 21. n. 162.* & Garcias *p. 4. de Benef. cap. 4. à n. 13. & 22.* Altera temporalis, quâ alicujus custodiæ, curæ & administrationi committitur ad tempus, quô modô beneficia parochialia ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis Ecclesiæ, vg. donec absens ejus Rector revertatur, vel idonea persona in eo canonicè institui possit, alicui sacerdoti in commendam ab Episcopo dari ad semestre, eáque causâ durante commenda prorogari olim poterat, *c. Nemo cit.* ubi Glossa *V. Nemo & V. Durare cit.* Garcias *à n. 13.* & Laiman *in c. cit. n. 3.* Hodie autem, justâ causâ poscente, in ejusmodi beneficiis vicarii, congruâ fructuum portione assignatâ, constitui debent ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 18. de Reformat.*

Ex duabus his Commendis prior 9.

beneficium est, eíve æquiparatur; cùm ejus conceſſio vim & effectum tituli canonici inducat, & commendatario tribuat omne jus, quod verus Eccleſiæ rector & beneficiatus habet: &, perinde ut ille, ſic etiam ipſe Eccleſiæ vel beneficii fructus faciat ſuos, eósque liberè diſtrahere, illi annexa præſentandi eligendíve, inſtituendi & conferendi jura exercere; imò ipſam Eccleſiam vel beneficium commendatum cum alia Eccleſia vel beneficio in titulum conceſſo permutare, aut aliter, etiam in favorem, reſignare, eorúmque poſſeſſiones ſeu bona locare poſſit, *citt.* Gonzalez *§. 8. à n. 5.* Garcias *n. 20.* & Barboſa *Jur. Eccleſ. lib. 3.*

10. *cap. 9. à n. 22.* Alia ratio eſt Commendæ temporalis; cùm enim hanc obtinens Eccleſiæ vel beneficii cuſtos duntaxat, adminiſtrator & procurator ſit, in eóque jus in re & quaſi titulum non habeat, ejus jura quidem ad tempus exercere, & de collectis fructibus portionem pro ſuis & ſuorum miniſtrorum alimentis ac ſalariis aſſignatam detrahere poteſt: reliquos autem in Eccleſiæ utilitatem convertendos eorúmve venditorum pretium ſervare tenetur: niſi, ut quandoque ſolet, omnes fructus durante Commendâ provenientes percipiendi jus ipſi ſpecialiter ſit conceſſum, Gloſſa *in c. Nemo V. Commendare cit.* ubi Francus *n. 5.* & Gonzalez *cit. §. 8. n. 39.* Eccleſiam autem vel beneficium ſibi commendatum neque ex cauſa permutationis neque in favorem tertii reſignare, ſed ſolummodo in ſuperioris manibus ſimpliciter dimittere valet, Flamin. *de Reſignat. lib. 2. q. 17. n. 6.* & Barboſa *cit. cap. 9. n. 18.*

11. Secundò de Capellaniis, ſive oneribus annuatim unam vel plures Miſſas celebrandi in Eccleſia vel Altari, ut eas definit Vaſquez *in 3. p. diſp. 234. n. 25.* Quæ an beneficia Eccleſiaſtica ſint, deſumendum eſt ex earum fundatione; quædam enim fundatæ ſunt, non interveniente Epiſcopi vel alterius ſuperioris Eccleſiaſtici authoritate: & fundatorum nominatione ſeu vocatione certo generi perſonarum, vel quibus libet clericis conceduntur: quæ, licet à clericis ex propriis bonis fundatæ & perpetuæ ſint, cæteráque ad beneficium requiſita omnia habeant, beneficiis tamen Eccleſiaſticis nequeunt accenſeri; propter defectum Eccleſiaſticæ authoritatis, in eorum fundatione & proviſione non intervenientis, Tholoſan. *de Benef. cap. 11. n. 10.* Moneta *de Decimis cap. 9. n. 21. citt.* Garcias *p. 1. cap. 2. n. 102.* & Barboſa *Lib. 2. cap. 5. n. 3.* Aliæ verò erectæ ſunt 12. authoritate Epiſcopali: quæ, ſi eâdem authoritate interveniente in titulum perpetuum conferantur, propriè & ſtrictè: minùs autem propriè ac latè dictis beneficiis Eccleſiaſticis ſimplicibus accenſendæ ſunt, ſi ad nutum revocabiles, uníque ablatæ alii clerico conferendæ ſint, juxta dicta *n. 6. & 7.*

Tertiò de Præſtimoniis ſive, ut etiam nominitantur, Præſtimonialibus portionibus, ſeu ſtipendiis ac proventibus annuis de bonis Eccleſiarum detractis, & ex primæva eáque antiqua inſtitutione in ſuſtentationem aut ſubſidiũ juvenum verſantium in ſtudiis vel hominum pro fide ac Religione decertantium: hodie verò plurium Eccleſiarum canonicis & aliis clericis præſtari ſolitis, apud Azor *p. 2. Inſtit. lib. 3. cap. 7. q. 1. citt.* Gonzalez *Gloſs. 5. §. 2. n. 6.* & Barboſam *Lib. 3. cap. 8. n. 1.* quæ an beneficiis accenſenda ſint aut ſecus, controverſia eſt inter DD. quorum in utramque partem militantium Opiniones conciliandæ ſunt ope diſtinctionis inter Præſtimonia, quæ, ut initio conſueverunt, laicis aut etiam 13.

cleri-

clericis, sed sine spiritualis obsequii obligatione, vel ad certum duntaxat, vel ad incertum tempus revocabiliter tamen conceduntur: & ea quæ, ut hodie in Hispaniæ quibusdam Ecclesiis, ministerium sive obsequium spirituale annexum habent, & in titulum perpetuum conceduntur; cùm, sicut priora non esse beneficia, sic esse posteriora, ex declarata beneficii natura exploratum, & illud etiam certum sit, de posteriori modo acceptis præstimoniis exaudiendas Constitutiones Apostolicas, quibus *Collationes & concessiones super præstimoniis, Ecclesiis parochialibus & aliis quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis vacaturis factæ* irritatæ referuntur, *c. fin. pr. de Concess. præbend. in 6.* Ita cum Hoieda *de Incompatib. benef. p. 2. cap. 8. n. 12. citt.* Flamin. *Lib. 2. q. 1. à n. 32.* Gonzalez §. 2. *à n. 10.* & aliis pugnantes DD. Opiniones in concordiam reducit *cit.* Barbosa *n. 5.* 14.

Quartò de Hospitalibus: quæ, si merè seculari aliáve privata authoritate erecta sint, in beneficiorum censum non venire, res est omnino indubitata. Idem de erectis authoritate Episcopali, cum Rebuffo *de Nominat. q. 15. n. 16.* Selva *de Benef. p. 1. q. 3. n. 9.* & aliis tradit & Rotæ decisionibus firmat *cit.* Garcias *p. 1. cap. 3. n. 1.* ductus *Clement. Literas 2. de Præb. & dignit.* quâ literas Apostolicas, super provisione clericorum de beneficiis expeditas, ad Hospitalia porrigi apertè negatur; etiamsi ista Ecclesias, capellas, cæmiteria &c. habeant, & loca sint Religiosa, Glossa *in Clem. cit. V. Ecclesias & V. Spiritualia.* Ratio est; quòd (cùm ea committantur laicis, *Clement. Contingit. 2. de Relig. domib.* cujus §. *Ut autem* Hospitalium gubernatio, si id non exposcat fundatio, conferri prohibetur clericis secularibus, & jubetur *aliis providis, idoneis & bonis testimonii viris*) qui ea obtinent, non beneficium, sed officium duntaxat & administrationem, ad instar tutorum & curatorum habere, dicantur §. *cit. & l. Orphanotrophos 32. C. de Episc. & Cleric.* 15.

Excipiuntur tamen & beneficiorum numero comprehenduntur Hospitalia, quæ ex fundatione vel ordinatione publica clericis, vel his per electionis, à superiore confirmandæ, viam conferuntur, §. *cit.* vel Ecclesiæ aut alteri beneficio Ecclesiastico unita sunt accessoriè; cum talia sortiantur naturam sui principalis, per *Reg. Accessorium 42. in 6.* Panorm. *in Clement. cit. n. 5.* ubi Zabarella *q. 17.* Imola *n. 15.* & Garcias *p. 1. cap. 3. n. 2.* id ad Hospitalia illis æque principaliter unita extendens, cum Rebuffo *cit. n. 15.* & Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 4. n. 16.* 16.

Quintò de Præceptoriis & Commendis Ordinum Militarium S. Joannis Jerosolymitani & S. Mariæ Teutonicorum &c. istorum Equitibus assignari solitis; ut ex ipsarum bonis provenientium redituum partem aliquam in peregrinorum receptionem, curam ægrorum, aut egenorum eleemosynas convertant: aliam impendant in certos sui Ordinis usus, & residuam sibi sumant in stipendium sustentationis atque laboris & operæ mercedem: quas è beneficiorum numero, cum Tholosan. *Syntag. lib. 15. cap. 34. n. 2.* & Mandosio *in Reg. Cancell. 16. q. 11. n. 3.* excludit Barbosa *cit. Lib. 3. cap. 7. n. 9.* partim; quòd ejusmodi Præceptoriæ & Commendæ neque in titulum perpetuum neque ratione officii spiritualis, sed operæ tantum ac servitii temporalis scilicet militiæ & administrationis bonorum intuitu concedantur: partim verò; quòd in Præceptoribus & Commendatariis ullus Ordo etiam minor & prima tonsura non exigatur. 17.

At, esto postremum hoc ita sit, 18.

Præceptorias tamen & Commendas beneficia saltem Manualia esse, cum Rebuffo *q. cit. n. 16.* Corrasio *de Benefic. p. 1. cap. 3. n. 2.* Flamin. *de Confident. q. 17. n. 2.* & Lotterio *Lib. 1. de Benef. q. 36. n. 3.* sustinent Garcias *cit. p. 1. cap. 4. à n. 1.* & Sperell. *decis. 2. n. 37.* Ratio est; quia Præceptores & Commendatarii, licet ullo Ordine non initiati, Religiosi tamen, *c. Cùm & plantare 3. pr.* ibi *Fratres Templi & Hospitalis & alii Religiosi, de Privileg.* & personæ Ecclesiasticæ sunt: ipsisque Præceptoriæ & Commendæ ratione militiæ ex fine suo spiritualis ac cælestis, quam pro Fidei ac Religionis defensione adversus Christiani nominis hostes profitentur, in titulum perpetuum & ad vitam conceduntur: &, licet ipsis queant auferri, id tamen non provenit ex natura Præceptoriarum & Commendarum, sed ex solenni voto Obedientiæ: & non impedit, quò minùs beneficia saltem Manualia sint; cùm Præceptori & Commendatario uni, revocato, cedenti, vel decedenti, alii succedant; ac proinde illæ perpetuæ sint saltem vi suæ institutionis.

ARTICULUS II.

De eorum Varietate.

SUMMARIUM.

19. *Beneficium I. aliud Seculare est & aliud Regulare.*
20. *Regulare in Seculare,*
21. *Et hoc in Regulare transit præscriptione quadragenariâ,*
22. *Titulô munitâ, si eâ derogetur Episcopali juri.*
23. *Deficientibus clericis Secularibus substituuntur Regulares, & vicissim.*
24. *Religiosus eligi potest ad Ecclesiam Cathedralem.*
25. *Parochiæ seculares antiquò etiam Monachis:*
26. *Recentiori Jure solis Canonicis Regularibus conferri possunt.*
27. *II. Aliud Simplex, & aliud Duplex.*
28. *Duplicia vel sunt Curata,*
29. *Vel Personatus, vel Officia aut Dignitates:*
30. *Et hæ majores aut minores,*
31. *III. Aliud Titulare, aliud Manuale.*
32. *Manuale clerico sine omni causa illicitè:*
33. *Validè tamen aufertur.*
34. *IV. Aliud Collativum, aliud Electivum, aliud Patronatum.*
35. *V. Aliud Patrimoniale, & aliud non Patrimoniale.*

19. Beneficiorum varietas magna, & permultæ sunt partitiones: ex quibus celebriores, & in praxi frequentiùs occurrentes referre juvabit.

Prima itaque ejus divisio est in Seculare & Regulare. Seculare est, quod clericis Secularibus, hoc est, nullam alicujus Religiosi Ordinis Regulam professis, conferri debet ac solet: cujusmodi beneficia non rarò sunt, quorum collatio aut præsentatio ad Regulares spectat: imò etiam aliquando, quæ monasteriis per unionem sunt incorporata: modò conferri clericis secularibus, & per hos debeant administrari. Regulare verò, quod conferendum tantùm est Religiosis & per hos administrandum, ut sunt Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis & aliquando Parochiæ: de quibus, licet generali Regulâ tradi soleat, Secularia Secularibus & Regularia Regula-

Regularibus ordinariè conferenda, *c. Cùm de beneficio 5. & c. Cùm singula 32. in 6.* in dubio tamen, beneficium ex prima institutione Seculare potiùs esse præsumitur, quàm Regulare, Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 7. n. 1.* Garcias *p. 1. de Benef. cap. 6. n. 12.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 167.* propter quam præsumptionem, beneficium aliquod Regulare esse, asserenti in dubio incumbit probatio, Mascard. *de Probat. Conclus. 172. n. 1.* quæ ferè vel ex prima institutione sive literis fundationis, vel ex privilegio, aut quadragenaria præscriptione est desumenda, *c. Cùm de beneficio cit.* Ubi

20. Dubium & in praxi mota quæstio est, an ad præscriptionem hanc exigatur Titulus. Eum non exigi, ut beneficium viâ præscriptionis ex Regulari transeat in Seculare, convenit inter omnes. Imò non desunt qui cum Gomez *de Expectativis n. 106.* decem annorum præscriptionem sufficere velint; quòd quælibet res ad primævum statum faciliùs revertatur, quàm eum exuat: & quadragenariâ præscriptione ex Seculari transeat in Regulare, *c. Cùm de beneficio cit.* ut ad ejus ex isto transitum ad Secularem brevioris temporis præscriptionem sufficere sit necesse. At, licet quadragenariâ opus non sit, ut beneficium Seculare reputetur in dubio, an id per clerici Secularis vel Regularis obitum vacârit: &, cùm id Regulare aliquando fuisse, non constat; quòd hôc casu Seculare esse præsumatur: casu tamen, quô id ante Seculare fuisse exploratum est, quadragenariâ minori præscriptione Regulare non effici, clarè satis decisum est *c. cit.* quô beneficium Regulare effici asseritur juxta modum præscriptum, hoc est, si præscriptio legitimè completa sive quadragenaria fuerit, ut ibi notant Glossa *fin.* Francus *n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 120.* Ratio est; quia quadraginta annis brevioris temporis præscriptio adversus Sacra & Religiosa loca non completur *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. de Præscript. & Auth. Quas actiones C. de SS. Eccles.*

Eôdem modô seu quadragenariâ 21.
præscriptione, titulô non munitâ, beneficium ex Seculari statu ad Regularem transire *c. cit.* eandem præscriptionem hôc & priori casu admittente, decisum: contrà hôc casu, quadragenariam præscriptionem titulô suffultam esse oportere, desumi videtur *c. 1. de Præscript. in 6.* titulum exposcente, cùm præscribenti resistit Jus commune. Utrique huic ejusdem Bonifacii VIII. Constitutioni aliquid tribuendum, & discrimen statuendum est inter præscriptionem statûs Regularis, currentem adversus Episcopum diœcesis, in qua beneficium est situm: & adversus clericum privatum, vel etiam prælatum inferiorem; cùm juxta *c. Cùm de beneficio cit.* adversus istos quadraginta annorum præscriptio sola sufficiat: sine
titulo autem non proficiat adversus Epi- 22.
scopum; ut Ecclesia vel beneficium evadat Regulare, & à Lege istius Jurisdictionali, vel Diœcesana tantùm eximatur: nisi sit tanti temporis, cujus initii memoria non existit, secundùm *c. 1. cit.* ut Joan. Andr. *in c. De monachis 12 n. 11. & in c. Cùm de beneficio cit.* Dominic *n. 10* Anchoranus *n. 1. not. 4.* Francus *n. 9.* Laiman *n. 2.* notant & tradunt Sanchez *cit cap. 29. n. 19.* Vallens. *Lib. 1. de Benef. Tit. 2. n. 6. & cit.* Pirrhing. *n. 121.* Ratio est; quia Jus commune, hôc casu resistens præscribenti, soli Episcopo, super utraque illa Lege intentionem in eo fundatam habenti, assistit: non etiam clerico aut etiam prælato inferiori, ferè sicut idem Jus, quoad decimarum intra parochiam alienam provenientium perceptionem præscribenti resistens, soli

Parocho, intra cujus Ecclesiæ fines eæ proveniunt, non prælato vg. extraneo assistit. Unde, sicut ea duntaxat præscriptio decimarum, quâ parocho, intra cujus fines istæ proveniunt, sic etiam ea duntaxat præscriptio statûs beneficii Regularis, quâ quoad Legum istarum alteram vel utramque Episcopo præjudicatur, quadragenariam titulo munitam, vel immemorialis temporis possessionem expoſcet.

23. Dixi, beneficia Secularia clericis secularibus conferenda *Ferè* sive *Ordinariè*; quia imprimis Ecclesia sive conventu Regulari ita deficiente, ut consideratis circumstantiis loci, temporis & personarum per Regulares reformari & regi non possit, Episcopus in eo instituere valet clericos Seculares, *c. Inter quatuor 5. de Religios. domib.* Sicut contrà Ecclesiam sive Collegium clericorum Secularium ad Regularem statum conformari ex rationabili causa ab Episcopo posse, ex *c. Ad audientiam 4. de Eccles. Ædif.* constat, Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 4. n. 1. & 3.* Dein; quia capella erecta in monasterio præsumitur esse Regularis, *arg. c. fin. V. Præcipimus, de Statu monach.* nisi solita sit regi per secularem, Vallens. *cit. Tit.* 24. *2. n. 6.* Demum; quia Religiosus eligi Jure permittitur in Episcopum Ecclesiæ Cathedralis, etiam Secularis, *can. Unico 18. q. 1. c. Nullus 28. §. fin. de Elect. in 6. & Clement. 1. eâdem Rubr.* ut dictum est *Lib. 1. tit. 6. n. 247.*

25. Parochiis etiam Secularibus Religiosos, si necessitas aut utilitas postularet, præfici olim potuisse, liquet ex *can. In parochia 31. & can. Cùm pro utilitate 34. &c. 16. q. 1.* Quod, licet postea ab Innocentio III. quoad monachos immutatum sit, *c. Quod Dei timorem 5. de Statu Monach.* ut illis præfici sine dispensatione non valeant; quoad canonicos tamen Regulares correctum non est; ut obtentâ superioris sui licentiâ ad parochias promoveri possint. Novissimè tamen etiam ipsi curati beneficii, monasterio suo non uniti, sine Apostolica dispensatione incapaces redditi sunt à Gregorio XIII. qui *Noluit licere Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu summi Pontificis assumere curam animarum, etiam ad tempus, multóque minùs beneficium curatum,* tenor est declarationis S. Congreg. Cardd. quam referunt *citt.* Sanchez *n. 71.* Palao *n. 10.* & apud hos Gonzalez *cit. gloss. 7. n. 53.*

Verùm iste posterioris editionis *n.* 26. *55.* re, ut ait, maturiùs consideratâ sustinet parochiis Secularibus canonicos illos præfici hodiéque posse, cùm; quòd *c. Quod Dei timorem cit.* dispositioni derogatum non sit à Tridentino: imò Concilium hoc, dum à talibus canonicis, de suo in alium Ordinem translatis, beneficia curata obtineri non posse decernit, ista obtinendi jus ad alium non translatis apertè firmet, *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. V. Denique ff. de Instructi. & instr. leg.* tum verò; quòd canonicos illos parochiis Secularibus præfici hodiéque posse, à S. Congreg. declaratum sit, & à Rota decisum. Neque obstat contraria voluntas Gregorii XIII. quòd super ea Lex vel Constitutio aliqua nunquam sit publicata: atque idcirco ea ipsius morte expirârit, *arg. c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

Secunda, in Simplex & Duplex: 27. quorum illud ad solam assistentiam in choro & altaris servitium obligat sine animarum cura, jurisdictione, administratione aut præeminentia speciali: cujusmodi sunt canonicatus, tam Seculares quàm Regulares, & beneficia eorum, qui in Ecclesiis Cathedralibus præter canonicos portiones integras vel dimidias habent, Præ-

bent, Præſtimonia, Capellaniæ, quæ conferuntur in titulum perpetuum, & officium Divinum ſine animarum cura annexum habent, & ſimilia. Iſtud autem ſive Duplex ſpecialem aliquam qualitatem, ſcilicet præeminentiam, adminiſtrationem, jurisdictionem vel animarum curam adjunctam habet, ut ſunt Dignitates, Perſonatus, Officium, Parochia &c. In dubio beneficium non præſumitur eſſe Duplex, ſed Simplex, & non curatum; quia qualitas præſertim multiplex, ut curatum exigit, regulariter non præſumitur: ſed probanda eſt, *citt.* Garcias *p. 1. cap. 6. n. 8.* Gonzalez *gloſſ. 6. n. 91.* & Palao *p. 4. num. 7.*

28. Porro Duplicium beneficiorum quatuor genera ſunt. Primum ſunt Parochiæ, Plebanatus, Vicariæ & Commendæ perpetuæ & curatæ: quas obtinentes præter obligationem ad Horas Canonicas & ſervitium altaris habent ſolam adminiſtrationem Sacramentorum & jurisdictionem in foro conſcientiæ interno, atque idcirco ea obtinentes magis propriè & communi uſu fere ſoli & ſimpliciter curati vocari ſolent. Cujusmodi ſeu curatum ut beneficium ſit, ſatis non eſt; quòd id obtinens regat populum, eíque Sacramenta cæteráque Divina miniſtret: ſed inſuper neceſſarium eſt, ut ea adminiſtret nomine propriò & ex obligatione beneficii obtenti, *c. Extirpandæ 30. §. Qui verò.* Unde curatus propriè non eſt clericus, cui Epiſcopus Sacramentorum adminiſtrationem alicujus Eccleſiæ committit, non in titulum, ſed in commendam: neque etiam, qui obligationem vel poteſtatem non habet Sacramenta per ſe adminiſtrandi, ſed ſolummodo nominandi vicarium perpetuum, cui Sacramenta adminiſtrandi poteſtas competit & obligatio imminet ex Vicaria in titulum perpetuum ſibi collata, Gomez *in Reg. Cancell. de Idiomate q. 11. à n. 4. citt.* Gonzalez *gloſſ. 8. à n. 34.* & Palao *p. 4. n. 6.* qua de re ſermo redibit *ad Tit. 29. à n. 10.*

29. Alterum ſunt Officia, quæ obtinentes adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, ſine eminentia tamen & jurisdictione, habent, ut ſunt Primicerius, Sacriſta ſive Theſaurarius, Cuſtos, Archipresbyter. Tertium ſunt Perſonatus, quos obtinentibus honor in Eccleſia ſive præeminentia ſedis in choro, præcedentia in proceſſionibus, prioritas ſuffragii in Capitulo competit, ſine jurisdictione & adminiſtratione. Quartum dignitates, habentes præeminentiam fermè cum jurisdictione Fori externi conjunctam: quarum

30. quædam ſublimiores ſunt, & Majores vocantur, ut Epiſcopatus, Archi-Epiſcopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus & omnium ſuprema ſive Papatus: aliæ verò Minores, ut recenſitis ſublimioribus proximæ dignitates, vg. Præpoſituræ ſaltem in Germania noſtra & Decanatus Cathedralis, Archidiaconatus, cujus officium in multis Eccleſiis exercet Epiſcopi Vicarius generalis, Abbatiæ aliæque Prælaturæ, tam Regulares quàm Seculares, & Prioratus Conventuales: quos obtinentes toti congregationi Regularium præſunt cum jurisdictione, vg. Priores Ordinis S. Dominici, Eremitarum S. Auguſtini, Servorum B.M. Virginis de monte Carmelo &c. Panormit. *in c. De multa 28. n. 21. citt.* Palao *p. 4. à n. 1.* Vallenſ. *Tit. 2. n. 4.* & Pirrhing *à n. 9.*

31. Tertia in Manuale, quod confertur revocabiliter; ut ad conferentis libitum auferri, vel à patrono revocari valeat: & non-Manuale ſeu Titulare, quod in titulum perpetuum confertur; ut ſemel legitimè collatum beneficiato, niſi ex juſta Juréque expreſſa cauſa, nequeat auferri, Gloſſa *in Clement. Etſi principalis 2. V. Electione de Reſcriptis*, Azor *p. 2. Inſtit. lib. 3.*

lib. 3. cap. 1. q. 5. Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 4. n. 5. & cit.* Vallenſ. *n. 9.* In dubio beneficia Secularia Titularia: Regularia verò Manualia eſſe præſumuntur, ut Prioratus clauſtralis, quem obtinentes ſub Obedientia Prælati vg. Abbatis Religioſæ diſciplinæ curâ in clauſtro gerunt: officia Cuſtodis, Sacriſtæ, Procuratoris & alia ſaltem, quæ nec curata nec electiva ſunt; quia perpetuitas eſt qualitas ferè propria beneficii Secularis, Garcias *p. 1. cap. 4. n. 6.* Ubi

32. Dubium eſt, an Manualis revocatio ita libera ſit, ut neque Jure expreſſam, neque aliam rationabilem cauſam expoſcat. Illicitam hujusmodi beneficii, ſaltem animarum curam annexam habentis, revocationem, cum Innocentio *in c. fin. Qui Clerici & vovent.* & aliis tradunt Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 19. n. 2.* & Palao *diſp. 1. cit. p. 5. n. 5.* quòd cùm variatio Rectorum Eccleſiæ fere damnoſa: & actio ſine rationabili cauſa facta imprudens ſit, revocatio beneficii etiam Manualis, ut honeſta ſit, rationabilem cauſam, vg. utilitatis Eccleſiæ, monaſterii, animarum, vel ipſius clerici expoſcat.

Non deſunt, qui omni hujusmodi causâ deſtitutam Manualis revocationem valore deſtitui aſſerant, ducti *c. Cùm ad monaſterium 6. V. Tales, de Statu monach. & Clement. Unic. V. Præmiſſa, de Suppl. neglig.* quibus locis Religioſum à beneficio removendi & ad clauſtrum revocandi facultas Abbati adſtruitur verbis, *Licet Priores ſeu adminiſtratores hujusmodi liberè poſſint ad clauſtrum (cùm oportuerit) revocari.* Verùm, quia verbô *Oportet* ad actionis decentiam duntaxat & honeſtatem rationabilis cauſæ neceſſitas denotatur, ut *in can. Confidimus 25. q. 1.* Gloſſa *V. Oportet*, Turrecremata *n. 2.* & alii ob-

33. ſervant apud Barboſam *uſufreq. dict. 242. n. 2. & 3, exc. & Clem. citt.* ex eo, ratio-

nabilem cauſam ad revocationis honeſtatem quidem: non etiam ad valorem exigi, ritè infertur. Unde Manualis revocationem etiam ſine cauſa factam Jure ſubſiſtere, & ſpolii vel alteri actioni non eſſe obnoxiam, meritô defendunt *citt.* Gonzalez *gloſſ. 5. §. 6. n. 46.* Garcias *cap. 2. à n. 87.* Sanchez *cap. 29. n. 111.* & Suarez *n. 21.* Ratio perſpicua eſt; quia beneficium Manuale ex ſua natura obtineri & poſſideri nequit, niſi pro tempore, quô id non fuerit revocatum; ut proinde ipsâ revocatione id retinendi & poſſidendi jus amittatur; quia poſſeſſio data pro tempore limitato, iſtô transactô, ceſſat, *l. Statu 11. V. Stichum ff. de Legat. 2.*

Quarta in Collativum, Electivum 34. & Patronatum. Collativum dicitur, quod à Prælato Eccleſiaſtico vel alio collatore liberè, hoc eſt, ullâ electione, nominatione, præſentatione non præcedente, &, cui libuerit, conceditur. Electivum, quod per ſuffragia capitularium, accedente poſtea Prælati ſeu ſuperioris Eccleſiaſtici confirmatione vel admiſſione, obtinetur: cujusmodi, etſi alicubi Decanatus & alia quædam beneficia reputentur, propriè tamen Electivorum nomine veniunt ſolæ Prælaturæ ſive dignitates Paſtorales, quas obtinentes cenſentur Eccleſiarum ſuarum quaſi ſponſi & capita Collegiorum, quibus præſunt, ut Archi- & Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti & Priores Conventuales, Tholoſanus *de Elect. cap. 4 n. 2.* Dixi *Accedente confirmatione*; quia beneficia, quæ per electionem ſuperioris confirmatione non indigentem obtinentur, potiùs Collativa ſunt, quàm Electiva: cùm ad ea facta electio vim habeat liberæ collationis, Vallenſ. *de Benefic. tit. 2 n. 8.* Patronata demum ſive Mixta beneficia vocantur, quæ per præviam patronorum præſentationem & ſubſequentem Epiſcopi vel alterius Prælati Eccleſiaſtici inſti-

tutionem

tutionem obtinentur: quô modô Parochi, Vicarii perpetui & multi Beneficiati simplices constituuntur, Garcias *cap. 6. n. 14.* & Azor *q. 4. cit.* In dubio beneficium potiùs Collativum seu liberum esse præsumitur quàm Electivum aut Patronatum; quia Electio & præsentatio non sunt propriæ, sed tantùm accidentariæ qualitates beneficiorum: per easque præjudicatur liberæ provisioni Ordinariorum, ad quos collatio primævo Jure spectabat, *citt.* Azor *cap. 1. q. 6.* Laiman. *cap. 10. n. 1.* Palao *p. 2. n. 5.* & Pirrhing *n. 16.*

35. Quinta in Patrimoniale & non-Patrimoniale: quorum illud hic nominitatur vel à patrimonio, idest, paterna hæreditate, quòd à patribus sive avis & majoribus de suo patrimonio id fundantibus appositа sit conditio; ut filiis & aliis descendentibus suis in infinitum conferatur: vel à patria; quòd clerico ex certa civitate, oppido, castro, parochia oriundo, *Si quis idoneus adsit*, debeat conferri: secus non-Patrimoniale præsumitur esse, *citt.* Gonzalez *gloss. 9. §. 1. n. 3. & 10.* Vallens. *n. 10.* & Pirrhing *n. 16. in fine.*

ARTICULUS III.

De Beneficiorum libera Collatione.

SUMMARIUM.

36. *Collatio est liberæ concessio beneficii,*
37. *Jus in re tribuens clerico acceptanti:*
38. *Absenti saltem jus ad rem;*
39. *Ut intra terminum acceptationi præfixum alteri nequeat conferri.*
40. *Beneficii collatio laicis non competit:*
41. *Nisi vi privilegii Apostolici.*
42. *Papa generalis Collator est omnium beneficiorum:*
43. *Quæ nondum vacantia Preventionis:*
44. *Vacantia Concursûs,*
45. *Aut Devolutionis jure conferre potest.*
46. *Episcopo Jure competit collatio omnium beneficiorum diœcesanorum:*
47. *Licet necdum sit consecratus.*
48. *Cathedralia aliquando ipse, aliquando Capitulum confert,*
49. *Etiam si ille extra diœcesin sit absens.*
50. *De collatione Legati à latere, Capituli sede vacante, Vicarii generalis,*
51. *Cardinalium & Prælatorum, Episcopis inferiorum.*
52. *Beneficia conferre potest sequester,*
53. *Et bonæ fidei possessor:*
54. *Cujus collatio non revocatur, cùm verus collator declaratur.*

36. Collationis nomen hôc loco non sumitur latè & generaliter pro quocunq; modo, quô beneficium Ecclesiasticum, etiam necessariò, ab habente potestatem conceditur: sed strictè ac propriè pro gratuita & omnino libera concessione ejusdem vacantis.

Liberè autem concedi intelligitur beneficium, quod clerico idoneo, cui libuerit, tribuitur ad arbitrium solius concedentis, nullâ electione, postulationéve, patroni præsentatione, aut Principis vel alicujus Universitatis nominatione, aut provisione mandatóve Apostolico præcedente: propter quam, cui libuerit, beneficium tribuendi libertatem collatio propriè & specificè accepta aliquando

Donatio nuncupatur, *c. Consultationibus 4. de Donat. & c. Quia diversitatem 5. de Concess. præb.* &, postquam à clerico acceptata est, ei jus in re tribuit, etiam
37. ante secutam possessionis apprehensionem, *c. Si tibi absenti 17. & c. fin. de Concess. Præb. utrobique in 6.* sicut præsentato institutio, & confirmatio electo, & postulationis admissio postulato, Vallens. *de Benef. Lib. 1, tit. 6. n. 2. & 6.*

38. Quin clerico absenti & ignoranti ab Episcopo factâ collatione, licet illi jus in Re, ut suum dici valeat, non tribuatur ante acceptationem: acquiritur tamen jus ad Rem; ut id ante istius acceptationem, recusationémve alteri conferri ab Episcopo alióve collatore non possit, ex Rescripto Bonifacii VIII. *c. Si tibi absenti cit.* ne quidem sub conditione, *Si à priore collatario non acceptetur*, Glossa *in c. cit. V. Personam.* Ratio est; quòd Episcopus aliúsve collator ipsa beneficii collatione functus sit officiô suô, cujus ratione beneficium conferre potest, ac tenetur, ut locus sit Regulæ *c. In literis 9. de Offic. deleg. & l. Judex 55. ff. de Re judicata.*

Neque obstat; quòd beneficii collatio sit quædam ejus donatio, *c. Consultationibus cit.* quæ, licet donatoris consensu expresso facta sit, revocationi tamen obnoxia est, donec à donatario fuerit acceptata, *l. Absenti 10. ff. de Donat. & l. Qui absenti 38. ff. de Adquir. possess.* quia licet donationis rationem habeat respectu personæ collatarii; quòd, cùm ista ullum jus ad beneficium non habeat, ipsô præcisè spectatô sit concessio merè liberalis: donatio tamen non est respectu Episcopi vel alterius collatoris; cùm iste beneficium non omnino liberâ, sed debitâ & ab obligatione officii determinatâ voluntate conferat; idque, omissâ collatione, sicut aliquam rem propriam, ab ejus donatione abstinendô, donator sibi retinere non possit; ut mirum non sit, quòd collationem factam, etiam ante acceptationem, nequeat revocare: sed voluntatis suæ declarationem à collatario debeat expectare, Panormit. *in c. Accedens 24. n. 3.* Francus *in c. Si tibi cit. n. 10. cit.* Gonzalez *gloss. 26. n. 14.* Covatruvias *Lib. 3. Var. cap. 16. n. 1.* & Barbosa *in c. Si tibi cit. n. 2.* qui tamen *n. 14.* ex aliorum DD. sensu rectè monet, hujus- 39.
modi collatario ad suæ voluntatis declarationem præfigi ab Episcopo posse terminum: quô elapsô, licet ipse sibi factam collationem adhuc acceptare, Episcopus tamen beneficium alteri conferre potest: &, si terminô lapsô alteri conferat, antequam acceptata sit collatio prior, isti posterior prævalet.

Neque refert; quòd electus in sui electionem utiliter consentire nequeat post triginta dies, ad consensum in eam præstandum sibi concessos; quia triginta dierum terminus ei præfixus est à Jure, *c. Quamvis 6. de Elect. in 6.* cujus lapsus omnino est fatalis: collatario autem terminus præfigitur ab homine, à quo solo ad assensum præstandum præfixus terminus non obstat, quò minùs, re adhuc integrâ, hoc est, priusquam collator voluntatem suam post lapsum terminum mutârit, & beneficium alteri contulerit, consentire utiliter possit, Glossa *in c. Si tibi cit. V. Terminum, ubi* Francus *n. 12.* Barbosa *n. 10.* & Laiman *n. 6.*

Beneficia conferendi jus ac potestatem sanctionibus Canonicis personis dun- 40.
taxat Ecclesiasticis concessam, res omnino explorata & perspicua pariter solidáque ratio est; quia jus conferendi est potestas spiritualis, quæ à Jure laicis sive secularibus denegatur, *c. Decernimus 2. de Judiciis &c.*

An his competere valeat vi consue- 41.
tudinis seu potiùs præscriptionis, dubi-

tandi

tandi ratio est; quòd Principibus ac Rebuspublicis secularibus aliquando competat privilegiô seu indultô Apostolicô, *c. Dilectus 34.* & defacto Galliarum Rex Ecclesiarum pastore viduatarum custodiâ, & beneficiorum vacante sede vacantium collationem spectans jus obtineat vi Juris Regaliæ, teste Tholos. *Syntag. lib. 17. cap. 7. n. 10.* & Gonzalez *in c. Dilectus cit. n. 2.* Unde, id laicis etiam competere posse, videtur vi Consuetudinis seu præscriptionis, saltem tanti temporis, cujus initii memoria non existit; quia ista habet vim privilegii à Principe ex certa scientia concessi, *arg c. Super quibusdam 26. pr. V. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff de Aqua quotid. & æst.*

Sed, re accuratius æstimatâ, beneficia conferendi jus laicis ita competere non posse evincit paritas cum jure eligendi, quod ob suam spiritualitatem iisdem vi ullius consuetudinis ac præscriptionis non competit, *c. Massana 56. de Elect.* ut *Lib. 1. Tit. 6. n. 52.* ostensum est: quô jure magis spirituale & potentius est jus conferendi; cùm per collationem acceptatam non ad Rem duntaxat, sed in Re jus acquiratur, per ea, quæ *in c. Si tibi absenti cit.* notant Francus *n. 3. citt.* Gonzalez *gloss. 15. §. 1. n. 15.* Garcias *p. 4. de Benef. cap. 2. n. 1.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 16. n. 3.* & Barbosa *in c. cit. n. 4.* Ratio est; quia laicus, seclusô privilegiô, non est capax quasi possessionis juris conferendi, *arg. c. Sacrosancta 51. de Elect. & c. Causam 7. de Præscript.* sine qua præscriptio non procedit, *Reg. Sine possessione 3. in 6.* Unde corruit ratio dubitandi; quia in iis, quæ sine privilegio possideri nequeunt, vim privilegii non habet præscriptio temporis, memoriam hominum excedentis, Panormit. *in c. Novit 13. de Judiciis n. 22.* etsi, quando cum tali tempore concurrit fama privilegii, à sede Apostolica aliquando obtenti, propter hujus exhibendi difficultatem laicus in exercitio juris conferendi sit relinquendus, donec eam famam falsam esse constet, ut *cit. Lib. 1. tit. 4. n. 52.* dictum est, & cum Felino *in c. Causam cit. n. 7.* & Alex. de Nevo *in c. cit. n. 8.* docet Laiman *in c. 1. de Elect. n. 15.*

Ex personis Ecclesiasticis beneficia 42.
conferendi Ordinaria potestas competit imprimis summo Pontifici, respectu omnium totius mundi Ecclesiarum ac beneficiorum Ecclesiasticorum; quòd, sicut Universalis omnium Ecclesiarum clericorúmque & ipsorum etiam Ordinariorum Ordinarius, sive Episcoporum Episcopus, sic generalis quoque & supremus dispensator sit omnium bonorum, & præsertim Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum, *c. Licet 2. in 6. & Clement. 1. in fine, Ut lite pendente.* Imò ab ipso alii Episcopi, in partem duntaxat solicitudinis vocati, sola beneficia vacantia conferendi potestatem cum subordinatione acceperint, *can. Imprimis 7. pr. V. De Episcopi, 2. q. 1. can. Qui se scit. 2. q. 6. & c. 1. de Concess. præb. non vac.* cùm ipse, penes quem est potestatis Plenitudo, *can. Qui se cit. & c. Ad honorem 4. de Auth. Pallii* etiam non vacantia conferre ac promittere valeat, *c. Licet cit.*

Tres autem modi sunt, quibus be- 43.
neficia conferre Papa potest ac solet: primò quidem jure Præventionis, dandô alicui gratiam Expectativam aut Mandatum de providendô, seu mandandò ei conferri beneficium, quod proximè est vacaturum; hujusmodi enim collatione Papa prævenit alios jus conferendi habentes; ut ab his etiam ignorantibus postea factæ beneficii collationi provisio Apostolica præferatur, *c. Dudum 14. in 6.* cujus ratio est partim; quòd Papa alicui concedendô potestatem conferendi

beneficia vel alium actum exercendi, eâ potestate se non privet: sed penes ipsum major ac præstantior remaneat, Glossa *in c. cit. V. Eadem, in addit.* ubi Barbosa *n. 3.* & Laiman *n. 3.* Unde, si tali provisione Ordinarii collationem antevertat, istâ potior ac præferenda ipsius provisio est, *arg. c. Si à sede 31. in 6.* partim verò; quia concessio potestatis seu juris conferendi facta ordinario generalis: rescriptum autem Apostolicum, quô beneficii vacaturi collatio alicui facienda mandatur, specialis commissio est, & generali prævalet ac derogat, *arg. Reg. Generi 34. in 6.* quantumvis derogationis specialem non faciat mentionem, *c. 1. & c. Pastoralis* 14. §. *Quoniam, de Rescript.* Glossa *in c. Dudum cit. V. Sanctiones, & ibi* Dominic. *n. 6. Francus n. 7.* & Barbosa *n. 10.* Ubi tamen

Excipienda sunt beneficia juris patronatûs, ex fundatione, dotatione vel constructione laicis competentis; cùm enim hos prævenire sua collatione Papa non soleat, Apostolicæ provisionis literæ super iis expeditæ subreptitiæ forent, si patronatui istî speciali mentione non derogarent, Lambertinus *Lib. 1. de Jure Patronat. p. 3. q. 9. art. 2.* Covarruvias *Practic. cap. 36. n. 1.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 36.*

44. Secundò jure Concursûs, beneficium in Ecclesia quacunque jam vacans alicui ante inferiorem & ordinarium ejus collatorem conferendô; quia Papa, sicut in jurisdictione, *can. Qui se scit cit.* sic etiam in collatione beneficiorum quorumcunque cum Episcopis & quibuscunque collatoribus inferioribus concurrit; cùm conferendi potestatem istis dandô majorem sibi reservârit, *c. Dudum cit.* Panormit. *in c. Quia diversitatem 5. de Concess. præb. n. 5.* Unde inter quemcunque collatorem inferiorem & Papam locus est præventioni; ut ab utrolibet eorum priùs facta collatio alteri præferatur. In dubio tamen, an collatio priùs à Papa vel ab inferiore collatore facta sit, melior est conditio collatarii beneficium possidentis. Si verò hoc ab iis provisorum neuter possideat, præferendus est, cui collatio facta est à Papa; propter majorem istius prærogativam & ampliorem potestatem, ex Rescripto Bonifacii VIII. *c. Si à sede 31. in 6.*

Excipiendus tamen est casus, quô in rescripto Apostolico sola dies appositæ: Episcopalis autem provisionis literis expressa etiam esset hora; cùm enim per expressionem horæ tempus magis determinetur, ejúsque probatio eâ, quæ horæ expressione caret, certior sit, ita factam ab Ordinario collationem, Apostolicæ prævalere, cum Glossa *in c. cit. V. Nec apparet,* Rebuff. *de Pacif. poss. n. 299.* Cassadoro *Decis. 20. de Præbend.* Gonzalez *ad Reg. 8. Proœm. §. 3. à n. 100.* & aliis volunt Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 15.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 13. n. 4.*

Tertiò, jure Devolutionis, conferendô beneficium, postquam id propter culpam aut negligentiam inferioris collatoris, vel non intra legitimum tempus, vel personæ indignæ beneficium conferentis, factum est caducum & ad sedem Apostolicam devolutum, ut *Lib. 1. Tit. 10. à n. 23.* est dictum. 45.

Post Papam beneficiorum collatores Ordinarii sunt Episcopi: qui, sicut & Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ super beneficiorum propriarum quisque diœcesium collatione Jure communi fundatam habent intentionem ac præsumptionem, *can. Regenda, 10. q. 1. can. Omnes Basilicæ, can. Nullus, 16. q. 7. c. 1. de Capell. monach. & c. Cùm ex injuncto 12. de Hæret.* ibi, *Ad cujus,* Episcopi, *officium tam institutio quàm destitutio Sacerdotum noscitur* 46.

noscitur pertinere. Unde, qui ex aliis conferendi potestatem in illorum propriis diœcesibus sibi vendicant, probare debent, eam sibi competere jure speciali, ut cum Panormit. *in c. cit.* notant *n. 2. citt.* Gonzalez §. 1. *Proem. n. 21.* Garcias *p. 5. cap. 1. n. 51.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 1.* quamvis hæc Episcoporum potestas per Reservationes Apostolicas plurimùm sit coarctata.

47. Non requiritur autem in Episcopo, ut sit consecratus; quia collatio non est actus Ordinis: sed Jurisdictionis, quæ obtinetur per confirmationem, *c. Transmissam 15. de Elect.* Garcias *cit. p. 5. cap. 4. §. 3 pr.* De confirmatione tamen, literis Apostolicis capitulo exhibitis, constare debet, *Extravag. Injunctæ 1. inter Com. de Elect.* Vallens. *de Benef. Lib. 1. tit. 9. n. 13.* saltem in locis non valde remotis ab Urbe; quia extra Italiam in concordia electis administratio (alienatione duntaxat excepta) ac proin collatio quoque, dispensativè permissa est *c. Nihil 44. V. Cæterùm de Elect. ad quam Rubricam* hac de re *à n. 272.* est actum.

48. Dubium est, an Episcopo competat collatio præbendarum Ecclesiæ Cathedralis. Ex variis Opinionibus Interpp. ac DD. aliorum, hac de re variè sentientium, verisimilior est, quæ non solùm Lectoris Theologiæ & Pœnitentiarii institutionem: sed cæterarum quoque præbendarum, provisioni Apostolicæ non reservatarum, collationes communi Jure spectatô adstruit Episcopo, propter *cann. & cc. citt.* pro ipso apertè militantium generalitatem: licet à Jure illo passim recessum, & ex fundatione, privilegio, præscriptione earum collatio aliquando competat Capitulo: aliquando hoc & Episcopus eas conferant per turnum, sive in earum collatione alternent: vel certis mensibus ipse, aliis illas vacantes conferat capitulum: aliquando ex conventione statutô vel consuetudine capitulares singuli vel ex ipsis antiquiores sibi assignatos habeant certos menses, intra quos vacantium canonicatuum collationem faciunt nomine capituli, Glossa *in c. fin. V. Statuto, in 6.* Garcias *cit. p. 5. cap. 4. n. 72.* Azor *cit. cap. 25. q. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 84.*

49. Dubium etiam est, an beneficii collatio ab Episcopo fieri queat extra diœcesin. Ratio dubitandi est; quòd conferri nequeat ab eo existente Romæ, ut teste Covarruvia *Lib. 3. Var. cap. 20. n. 9.* Praxis docet. Sed, etsi hoc ita sit, & cùm primùm Urbem est ingressus, sicut Proconsul imperium deponit, *l. fin. ff. de Offic. Proconsul.*, sic Episcopi jurisdictio quasi suspendatur, & Contentiosâ extra diœcesin uti nuspiam possit: uti tamen, sicut Proconsul extra Urbem ac provinciam suam, *l. Omnes 2 ff. eâdem Rubric.* sic etiam Episcopus extra suam diœcesin & Romanam Curiam existens potest jurisdictione Voluntariâ, Glossa *fin. in c. Novit 7. de Offic. Legat.* cujus actus est collatio beneficiorum; cùm peragatur sine judiciali cognitione ac strepitu, quô aliena jurisdictio turbetur, ut cum Doctore *cit.* docent Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 25. q. 12.* & Piasecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 5. art. 3. n. 87.* Ea tamen Episcoporum potestas plurimùm coarctata est per Apostolicas Reservationes §§. *seqq.* declarandas.

50. Cum Episcopis, & quibusvis Ordinariis in beneficiorum conferendorum potestate de Jure communi concurrit Legatus à latere; ut in provincia suæ Legationis hunc inter & illos locus sit præventioni, *c. fin. de Offic. Legati in 6. & c. Si à sede 31. hâc Rubric. in 6.* saltem

extra Germaniam nostram: in qua huic ejusmodi Legatorum juri verisimiliter derogatum, ostendi *Lib. 1. Tit. 30. n. 24.*

51. Eandem, quam in sua diœcesi Episcopi, in Ecclesiis suorum Titulorum beneficia vacantia conferendi potestatem obtinent S. R. E. Cardinales, etiam Presbyteri ac Diaconi: juxta dicta *Lib. 1. tit. 31. n. 31.* uti & Prælati quidam plenô jure exempti, etiam quoad territorium, clerum ac populum; ut in illo & in hos obtineant jurisdictionem quasi-Episcopalem, Panormit. *in c. Lateranensi 31. n. 14.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 86.*

Aliis verò Prælatis, Episcopô inferioribus, ejusmodi jurisdictionem Ordinariam non obtinentibus, conferendi potestas competere potest privilegiô Apostolicô & consuetudine, vel potiùs præscriptione, ut colligitur ex *c. fin. de Instit. & c. Ex tenore 13. de Conces.* quadragenariâ titulô munitâ vel immemoriali, si ea processit contra Episcopum, intra cujus diœcesin beneficia sunt sita, *arg. c. 1. de Præscript. in 6.* Quid Episcopali sede vacante Capitulum Cathedrale circa beneficia valeat, statuetur *Tit. 9. à n. 26.* Quid verò istius aut Episcopi Vicarius possit, *Lib. 1. Tit. 28. n. 39.* est explicatum.

52. Eandem beneficia conferendi potestatem etiam sequestro rei, vg. dignitatis, illa conferendi jus annexum habentis, tam Voluntario quàm Necessario, competere, ostendi *Lib. 2. Tit. 17. à n. 17.* ibidémque cum *cit.* Garcia *p. 5. cap. 6. n. 13.* monui, à sequestro laico ea conferri non posse: nisi super hoc indultô Apostolicô sit munitus.

53. Dubium est de juris conferendi possessore. Non quidem fidei malæ; quia à tali factam collationem jure non subsistere, constat; cùm rei malâ fide possessæ fructus non faciat suos, *c. Gravis 11. de Restit. spoliat. & l. Malæ fidei 3. C. de Condict. ex lege.* Sed bonæ, à quo facta collatio, an ita subsistat, ut ab eo provisus à beneficio removeri nequeat etiam casu, quô postea pronuntiatur, proprietatem sive ipsum conferendi jus ad alium pertinuisse, dubitandi ratio est; quòd proprietas, cùm de ea constat, absorbeat possessionem, *c. Cùm dilectus 6. de Causa possess.* & fructus extantes restituendi sint proprietario, vincenti possessorem.

Nihilominus à bonæ fidei possessore provisum, postquam sibi factam collationem acceptavit, tali etiam casu non removendum, ex *c. Querelam 24. de Elect. c. Cùm olim 7.* junctâ Glossâ *V. Duobus, de Causa possess. & c. Consultationibus 19. de Jure Patron.* desumi solet & persuadet ratio, partim; quòd, sicut præsentatio & electio juris præsentandi aut eligendi, sic juris conferendi fructus sit collatio, Felinus *in c. Cùm Bertholdus 18. de Sent. & re judic.* Cùm ergo fructus spectet ad bonæ fidei possessorem, *l. Bonæ 48. ff. de Adquir. rer. dom. & §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rerum divis.* ab isto facta, & à provisô acceptata collatio subsistet, quantumvis proprietatem ad alium pertinuisse, postea constet: partim verò; quia eô ipsô, quòd collatio sit acceptata, non ampliùs extare: sed consumptus censetur fructus juris conferendi; cùm ejus acceptatione provisо jus in re acquiratur, *c. Si tibi absenti 17. in 6.* 54.

Neque interest, an collatio ab ejusmodi juris conferendi possessore ante vel post litis, super ejus juris proprietate sibi motæ, contestationem facta sit; quia lite contestata & pendente in possessoris præjudicium nihil innovandum & bonæ fidei possessor juris conferendi commodô, suæ pos-

suæ possessionis jurisque possessi fructu, ut est collatio, privandus non est, ut de eligendi juris bonæ fidei possessore, ostendi *Lib. 1. tit. 6. n. 56.*

Neque obstat; quòd proprietas possessionem absorbere asseratur *c. Cùm dilectus cit.* quia id verum tantùm est de actibus futuris sive collationibus faciendis, postquam constitit de proprietate: non de antea factis, *citt.* Azor *q. 16.* Garcias *p. 5. cap. 5. n. 57.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 28. n. 2.*

ARTICULUS IV.

De Beneficiorum Reservatione, & Germaniæ Concordatis generatim.

SUMMARIUM.

55. *Reservatione beneficia à Papa expressè,*
56. *Affectione tacitè avocantur.*
57. *Reservationes aliæ Generales, aliæ Speciales sunt.*
58. *Earum introductarum variæ causæ.*
59. *Aliæ continentur corpore Juris,*
60. *Aliæ Regulis Apostolicæ Cancellariæ,*
61. *Et aliæ Germaniæ Concordatis.*
62. *Quæ non omnes Imperii Romani:*
63. *Sed huic subjectas Germaniæ Ecclesias,*
64. *Nonnullis exceptis, afficiunt,*
65. *Et Papæ morte non expirant.*
66. *Iis contravenire nequeunt Germaniæ Ordinarii.*
67. *Et, licet de suæ potestatis Plenitudine valeat,*
68. *Vix unquam tamen Papa solet.*
69. *Concordata obligant subditos, ea non acceptantes.*
70. *Contra ea vim non habet præscriptio & Consuetudo:*
71. *Ni sit immemorialis,*
72. *Vel Concordata solùm interpretetur.*
73. *De Concordatis Nationis Gallicanæ,*
74. *Et Regni Polonici.*

REServatio propriè dicta est Alicujus beneficii vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio, Æneas de Falcon. *de Reservat. q. 1. pr. n. 1.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 36. q. 1.* & Valens. *Lib. 1. de Benef. Tit. 7. n. 6.* Unde Reservata dicuntur beneficia, quorum collationem superior, præcipuè summus Pontifex ita sibi vendicat; ut Ordinarii collatoris inferioris manus liget, quò minùs ab ipso ea conferri validè possint, *c. Si eo tempore 45. de Elect. in 6. c. Licet 2. in 6. & Extravag. Ad Romani 14. inter com. hic.* 55.

Reservatis similia sunt Affecta: cujusmodi propriè dicuntur beneficia, quorum collationem Papa sibi vendicat, non verbis expressis, sed tacitè sive factô aliquô, seu manum suam illis apponendô ad effectum conferendi: sicut contingit, si beneficium alicui conferat invalidè ob latens impedimentum clerici, vel ob aut subreptionem impetrationis: vel, si alicui provideri mandet de certo beneficio vacaturo: vel, si acceptet ejus in suis manibus renuntiationem, aut ad electionem vel collationem vetet procedi; nam etiam hæc beneficia, quamdiu affecta manent, ab Ordinariis collatoribus validè non conferuntur. Ratio est; quia ob prærogativam supremæ potestatis conveniens est, ut in causis, quibus manum Papa apposuit, alii se non intromittant; ideóque, sicut cùm de causa, coram inferiori judice pendente, ipse cognoscere, 56.

gnoscere, vel aliquem per collationem vg. Ordinis Subdiaconatûs ordinare cæpit, judex in causa ampliùs procedere, *c. Ut nostrum 56. de Appellat.* & Episcopus inferior ordinationem per Diaconatûs ac Presbyteratûs collationem perficere non potest, *c. In distribuendis 12. de Temp. Ordinat.* sic etiam beneficium, cui ad effectum collationis manum semel apposuit, antequam, ejus collatione effectum semel assecutâ, denuo vacet, alius conferre non potest fere instar beneficii reservati: à quo tamen differt; quòd beneficium reservatum evadat per actum seu dispositionem verbalem & expressam: affectum verò tacitè, seu ipsò manus appositæ factò: & quòd reservatio perpetua, affectio autem solummodo temporanea sit &, Apostolicâ provisione effectum sortitâ, cesset, Simonetta *de Reservat. q. 64. n. 8.* & Gonzalez *in Reg. Cancell. 8. gloss. 52. n. 4.*

57. Porro reservatio imprimis alia Generalis est, alia Specialis. Priori plura beneficia in communi, sive plura unius rationis seu generis, vg. omnes Ecclesiæ Cathedrales & Abbatiæ, beneficia in Curia aut certis mensibus vacantia, vel familiarium Papæ, Cardinalium &c. Posteriori verò beneficia certa, vel ratione loci, vg. unum, ut Præpositura, vel plura aut etiam omnia alicujus certæ Ecclesiæ reservantur: vel ratione personæ, vg. si Petro beneficium in Ecclesia, cùm vacaverit, Papa jubeat conferri, Garcias *p. 5. de Benef. cap. 1. à n. 58.* Azor *cit. cap. 36. q. 3.* & Vallens. *cit. Tit. 7. n. 7.* Deinde alia clausa in Corpore Juris, & alia extra Corpus illud est, ut ex mox dicendis ampliùs constabit.

8. Causæ Reservationum, quæ olim in usu non erant, cum tempore introductarum ac propagatarum variæ sunt. Et primò quidem ac præcipuè placuerunt; ut constaret, omnium dignitatum, personatuum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum plenariam dispositionem pertinere ad Romanum Pontificem, *c. Licet 2. pr. in 6. & Clement. 1. in fine, Ut lite pend.* ab eóque beneficia conferendi potestatem, dum inferioribus prælatis est concessa, non abdicatam, *arg. can. Qui non scit, 2. q. 6.* sed majorem ac potentiorem sibi reservatam, *c. Dudum 14. V. Nos igitur, in 6.* Deinde; ut Papa haberet ampliorem facultatem sibi servientes aut alios de Ecclesia benemeritos, vel ad interpositas istorum preces alios remunerandi: aut ad sedem Apostolicam suppliciter recurrentibus; ne in Clericalis statûs opprobrium mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogantur, paternè providendi, Glossa *in Extravag. Execrabilis 4. V. Reservemus, inter com. citt.* Simonetta *q. 3. n. 5.* & Cochier *ad Reg. Cancell. 8. Comment. n. 9.* Præterea, ut inferiores Orbis Christiani Ecclesiæ ac personæ Ecclesiasticæ majorem communicationem conjunctionémque haberent cum Ecclesia Romana, earum Matre: & cum summo Pontifice, omnium Capite & Universali atque Ordinario Pastore, *can. Per principalem, 9. q. 3.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 48.* & Cochier *cit. n. 9.* Et demum fortassis etiam; ut tolleretur confusio aliáque haud sanè levia incommoda, orta ex eo; quòd sæpe idem beneficium à Papa & Ordinario inferiore, jure Concursûs utentibus, séque mutuò prævenientibus, impetraretur: & collationes non rarò præcipitarentur sine delectu personarum, Flamin. *Lib. 1. de Resignat. q. 10. n. 53.* & Engel *ad hanc Rubr. n. 8.*

His aliísque incommodis ut occurrerent, summi Ecclesiæ Antistites & Ecclesiarum ac beneficiorum Ecclesiasticorum Col- 59.

ſum collatores plurima per Orbem beneficia ſuæ diſpoſitioni reſervârunt, *c. Licet 2. c. Statutum 3. c. Præſenti 34. hâc Rubr. in 6. Clement. 1. Ut lite pendent. Extravagg. Pia 1. Etſi 3. Execrabilis 4. Ad Regimen 13. Ad Romani 14. hac Rubrica inter Communes &c.* appoſitô decretô irritante; ut, à quocunque inferiori collatore, etiam per inculpabilem Juris aut Facti ignorantiam, conferrentur, collatio eſſet irrita: ita tamen; ut beneficiatus, ſi in dimittendo, quod ſibi collatũ eſt, beneficio reſervato ſe difficilem non exhiberet, liberè reverti valeret ad priora beneficia, intuitu ejusmodi collationis fortè reſignata: quantumvis hæc aliis collata jam fuiſſent; ita enim diſertè reſcripſit Bonifacius VIII. *c. Si poſtquam 13. & c. Si beneficia 20. in 6.*

60. Prædictis & Corpore Juris clauſis reſervationibus cum tempore acceſſerunt aliæ, expreſſæ Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ, ab Innocentio VIII. conſtitutis, auctísque ab ejus Succeſſoribus: &, quòd cujusque Papæ morte expirent, ſub cujusque ſummi Pontificatûs initium, ſive die cujusque ad iſtius apicem aſſumptionem proximè ſequenti cum *Extravag. Ad Regimen cit.* ſolitis publicari, Garcias *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 90. & 92.* & Cochier *ad Regul. Cancell. pr.*

61. Regulas has tempore, & in Germania noſtra authoritate ſemper anteceſſerunt à Nicolao V. *14. Calend. Aprił. 1447. editâ Conſtitutione*, quæ incipit *Ad ſacram* comprehenſa, & inter ſedem Apoſtolicam per Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem à Latere legatum ex una, & Fridericum III. Imp. ac Principes Germaniæ Eccleſiaſticos & Seculares ex altera parte, inita Concordata, concernentia dignitatum ac beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes & collationes, ſecundùm *Extravagg. Execrabilis & Ad regimen citt.* quarum prioris Joannes XXII. poſterioris verò, & ipſi Concordatorum tenori cum quibusdam modificationibus ſeu limitationibus inſertæ, Benedictus XII. fuêre conditores. Modificationes, ſive ipſis inſertas *Extravag. cit.* limitationes ſingillatim referunt *cit.* Cochier *Reg. 1. n. 23.* Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 27. à n. 63.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 357.* Eâdem Nicolai V. ſive Concordatorum Conſtitutione ſtatuitur modus Annatarum, occaſione proviſionum beneficialium ſolvendarum, §. *Placet ſimiliter.* Et demum additur, ejus obſervantiam duraturam deinceps, donec eam in futuro Concilio de ipſius Nationis Germanicæ conſenſu contingat immutari, §. *De cæteris, in fine.* Unde

62. Dubium oritur, quinam memoratis Germaniæ Concordatis adſtringantur. Ratio dubitandi eſt; quòd inter ſedem Apoſtolicam & Nationem Germanicam non generaliter totam: ſed inter illam & iſtius Imperatorem ac nonnullos Principes Eccleſiaſticos & Seculares pacta, laudata, approbata, concluſa & acceptata fuerint cum clauſula; *Ut* ipſis concluſa *Ordinatio collationum beneficiorum reſervatorum per alternos menſes poſſit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui eâ gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc à Calendis Junij currere incipiat &c.* §. *De cæteris cit.* Unde illos ſolos, inter quos inita fuerunt: & ex aliis eos duntaxat obligare videntur, qui eorum ordinatione voluerint gaudere. Rationi huic id ſaltẽ tribuendum, ut à Concordatorum Ordinatione eximantur imprimis Itali, earum etiam ditionum, quæ tanquam feuda Imperio Germanico quidem concluduntur, Germanicæ tamen ſive Alemannicæ Nationis nomine non veniunt. Deinde ex Germanis, qui cum Imperio

Germanico Concordatorum initorum tempore nihil commune habuerunt; cùm sive Pactionis, sive publicæ Ordinationis legisque vis eis adstruatur, ad ipsos non porrigantur; quòd pacta solos paciscentes obstringant, *l. Si unus 27. §. 4. V. Ante omnia ff. de Pactis. l. 1. & c. C. Res inter alios acta*, & non subditi extra conditoris territorium existentes ejus legibus non adstringantur, *c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.* Wamesius *Tom. 1, Consil. 255. à n. 10.* Zypæus *ad hanc Rubric. Consult. 3.* & Nicolarts *in Concord. Tit. 3. dub. 1. §. 2.* hinc concludentes iis, de quibus sermo est, Concordatis non teneri provincias Belgii, excipientes tamen Ecclesias Nivellensem & Cameracensem tanquam subjectas Imperio, Levvensem & Thenensem tanquam eidem & Ecclesiæ Leodiensi subjectas & pristina privilegia retinentes, postquam ab illo sunt avulsæ.

63. Cæteras verò Nationis Germanicæ & Imperio subjectas Ecclesias omnes Concordata per se afficere, & secundùm ea faciendas beneficiorum Ecclesiasticorum provisiones, defendunt Branden *in Concord. q. 3. à n. 5.* Zypæus *Analys. ad Rubric. de Institut. n. 11. & cit.* Nicolarts §. 3. & suadet ratio; quòd pactionis non qualiscunque, sed publicæ communíque nomine initæ, & Apostolicæ pariter atque Imperialis Ordinationis seu legis habeant rationem: &, quæ istius rationem habent, & publicæ tranquillitatis atque unionis intuitu communi omnium nomine Imperatoris ac Principum potiorum consensu approbata sunt, legis instar sine contradictione custodienda ab omnibus sint. Ita certè ipsa Concordata, antequam aliquæ ab hæresi inficerentur, ab omnibus Ecclesiis observata & custodita, *cit.* Branden *n. 5.* eorúmque observantiam supremâ authoritate utrâque promotam, testantur Bullæ & Brevia Apostolica SS. PP. Clement. VII. & VIII. nec non Urbani VIII. & Impp. Maximil. I. & Caroli V. Edicta, quorum tenorem refert aut allegat *cit.* Nicolarts *à §. 4.*

Neque cum his pugnat Concordatis inserta clausula de Acceptatione; quia facultas istâ concessa Concordatorum non diminutionem, sed augmentum sive extensionem, & eos tantùm spectat, qui, licet Germanicæ Nationis nomine veniant, Imperii tamen superioritatem, quòd jura Regia possiderent, illorum initorum tempore non recognoscebant, ut Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ & similes, Leoninus *Consil. 50. citt.* Zypæus *Consult. 3.* & Nicolarts §. 11.

Dixi etiam, *Per se*; cùm propter Ecclesias non paucas per invalescentem hæresin à Fide Catholica & Romanæ Ecclesiæ unione abstractas: tum propter alias, specialibus, antiquioribus & favorabilioribus Concordatis à Sede Apostolica impetratis munitas, ut de Leodiensibus Nicolarts §. 11. cum Zypæo, & iste etiam de Herbipolensi & Bambergensi Ecclesiis perhibet *Consult. 3. cit.* 64.

Dubium secundò est, an Concordata vim suam retineant Sede Apostolicâ vacante. Ratio dubitandi oritur à paritate *Extravag. Regimini cit.* & Cancellariæ Apostolicæ Regularum, quibus inductæ beneficiorum reservationes morte Papæ expirant; ut omnes menses Ordinarii evadant, & iste, Sede Apostolicâ vacante, beneficia menses quocunque vacantia valeat conferre, donec *Extravag. cit.* & Regulæ illæ, aliquô ad summi Pontificatûs apicem evectô, fuerint publicatæ, Gonzalez *in Reg. 8. Præm. §. 5. n. 40.* & Garcias *cit. cap. 1. n. 645.* Sed alia ratio est Germaniæ Concordatorum; hæc enim, iisque inductam beneficiorum 65.

ficiorum reservationem Papæ morte non expirare, sed esse perpetua disertè exprimit tenor Concordatorum, asserentium suæ ordinationis observantiam *Duraturam deinceps, nisi eam in futuro Concilio de ipsius Nationis* Germanicæ *consensu* contingat immutari, §. *De cæteris* & §. *Placet, in fine*; ut proinde Germaniæ Ordinarii in mense Apostolico, sicut plenâ, sic & vacante sede, vacantia ante trimestre lapsum nequeant conferre, *citt.* Cochier *Proœm. n. 21.* Barbosa *alleg. 57. n. 63.* Nicolarts *Tit. 1. dub. 8. §. 14.* & Pirrhing *cit. n. 357. in fine.*

66. Dubium & difficilis resolutionis controversia tertiò est, an Concordatis, quoad dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum reservationem, alternámve collationem & solutionem Annatarum valeat derogari. Rationem dubitandi suggerunt ipsa Concordata: quorum §. *De cæteris* Papa, se per quamvis dispositionem, sub quavis verborum forma factam faciendámve, Ordinariorum aliorúmque collatorum provisiones non impediturum, disertè promisit: eodémque, & §. *Placet similiter* de ipsis placita ordinatione collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses, & de declarata observantia Annatarum subdit, eam *Duraturam deinceps, nisi in futuro concilio de ipsius Nationis* Germanicæ *consensu aliter fuerit ordinatum & eam contigerit immutari.* Unde Concordatis neque ab Imperatore aut Germanicæ Nationis Ordinariis, neque ab ipso Papa sine alterius partis consensu derogari posse, infertur; quia Concordata, ut ipsum nomen indicat, rationem habent Pactionis publicæ utrinque acceptatæ, & Contractûs ab utraque parte inviolabiliter observandi, *c. 1. & c. Quæliter 3. de Pactis*: quia ad pactionum, præsertim publicarum, observantiam obligat lex Naturalis, *l. 1. ff. de Pactis & l. In his 5. §. 2. ff. de Solutionibus* Principes non minùs, quàm subditos adstringens, *c. Novit 13. de Judiciis & c. 1. de Probat.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 17. n. 27.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 257. n. 1.* quia Principi Deus quidem leges, non etiam pacta & contractus subjecit, pronuntiatum est Baldi *in cap. 1. de Natura Feudi.*

Sed hæc non ita de Papa, sicut de 67.
Germaniæ Ordinariis & ipso Imperatore, explorata sunt; cùm his Concordatorum Ordinationi contravenire volentibus fortiter obstent: minùs tamen quàm ipsos ligent manus Papæ: qui, cùm de beneficiis cæterisque juribus Ecclesiasticis, justâ causâ poscente, disponendi potestatem à Christo domino immediatè acceptam, nisi Papatui renuntiandô, à se nequeat abdicare, ut *arg. c. Dudum 14. §. Nos igitur in 6.* rectè observant Suarez *Lib. 4. Defens. Fidei cap. 34. à n. 22.* & aliis relatis Diana *p. 5. tract. 1. resol. 14.* justâ causâ exigente & de potestatis suæ Plenitudine Concordatis poterit contravenire, Laiman *Lib. 4 tract. 2. cap. 10. n. 3.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 24. n. 26.* Branden *in Concord. q. 8. n. 5.* Cochier *in Reg. cit. gloss. 11. n. 21.* Nicolarts *Tit. 3. dub. 3. §. 5.* & Wagnereck *in Concord. §. In aliis not. 1.* quòd Papa ipsorum Concordatorum tenore non obscurè insinuavit, cùm §. *Item placet cit.* Archi- & Episcoporum Electiones, si Canonicæ fuerint, se Confirmaturum, ait, insertâ clausulâ, *Nisi ex rationabili & evidenti causa de digniori & utiliori persona duxerimus providendum.*

Neque cum his pugnat natura contractûs, partim; quia Concordata privilegii Apostolici potiùs quàm contractûs rationem habent; cùm spiritualia

sub contractum propriè dictum & commercium non cadant: & per Concordata Papa de jure suo potiùs aliquid remiserit, vel potiùs aliquid communicârit, quàm acquisiverit, ex decisione Rotæ *in Una Canonicatûs Leodiensis 15. Martij 1610.* quam *cit.* Nicolarts §. *6.* refert, partim verò; quia summus Princeps ex justa causa derogare valet pactionibus cum subditis suis initis, ut cum Felino *in c. Novit. 13. de Judiciis n. 8.* & aliis docent Suarez & Diana *l. citt.* & ipsis etiam Germaniæ Concordatis per Indultum Apostolicum Primariarum precum Imperialium, uti & aliud Lovaniensi Universitati concessum expressè derogatum, ostendit *cit.* Nicolarts §. *9.*

68. Sed, ut hæc ita sint, & Papæ potestatis suæ Plenitudine utendi & Concordatis derogandi facultas omnis adempta non sit, istâ tamen ipsum non facilè usurum; atque illis sine expressa & specifica mentione nunquam derogaturũ, perspicuè declaratum est à Paulo *V. Constitut.* quæ incipit *Ex pastoralis, 5. Calend. April. 1613.* edita, quâ ait, nec suæ unquâ mentis nec Prædecessoris sui fuisse, Concordatis derogare: & literas à Prædecessore suo in ipsorum præjudicium obtentas pro ob- vel subreptitiis habendas. Idem quoque declaravit Gregorius XIII. quadam *Constitutione 6. Junij 1572.* publicata asserens, se, sub quacunque verborum forma scripserit, concordata lædere nolle, apud Simonettam *de Reservat. q. 99. n. 28. & cit.* Cochier *gloss. 11. n. 23.* Unde

69. Dubium quartò, & non minùs præjudicios æ magísque impeditæ resolutionis controversia est de Concordatorum acceptatione, & non usu, usúve ipsorum tenori contrario. Et acceptationem quidem sive subditorum in ea legitimè publicata consensum, sicut ad cæteras Apostolicas Sanctiones, sic ad ipsa quoque, ut obligationem inducant, non necessarium, liquet ex antè dictis & traditis *Lib. 1. tit. 2. n. 72.*

Nou-usu etiam usúve contrariô, seu consuetudine legitimè præscriptâ iis derogari ullatenus posse, *citt.* Branden *q. 2. n. 4.* Cochier *Gloss. 1. n. 5. in fine* Nicolarts *cit. Tit. 3. dub. 2. §. 3.* & DD. alii, ab isto §. *4.* congesti negant, cùm; quòd generatim reservationibus Apostolicis derogandi vim ullam non habeat præscriptio & consuetudo: tum verò; quòd Concordatis appositum sit decretum seu clausula irritans, *Si quid secus à quovis quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Sed hæc sanè levia sunt; cùm enim consuetudine legitimè præscripta derogari valeat aliis legibus humanis etiam Ecclesiasticis, *c. fin. de Consuet.* eáque derogatum sit non paucis, actus contrarios irritante clausulâ munitis, non apparet, cur derogari nequeat Constitutioni, beneficia quædam reservanti Apostolicæ provisioni, etiam munitæ clausulâ irritante.

Quare his melior ea ratio est; quòd 70.
consuetudo exigat consensum legislatoris, *l. De quibus 32. in fine ff. de LL.* Glossa *fin. in c. fin. de Consuet.* ubi Panormit. *n. 13.* & Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 1. à n. 6.* Papæ autem consensum in consuetudinem Concordatis contrariam desiderari, exploratum sit non solùm ex ipsa Concordatorum Constitutione, disertè asserente, *Ea perpetuò duratura, nisi in futuro Concilio aliter fuerit Ordinatum:* sed inde etiam; quòd Concordatorum observantiam summi Pontifices & Imperatores urgeant, eorúmque non-usûs seu usûs contrarii exceptiones non admittant. Quibus accedunt variæ Constitutiones Apostolicæ, præsertim Clementis VII. quæ incipit

Admo-

Admonet, edita Calend. Julii 1534. quascunque collationes contra formam Concordatorum factas faciendásve esse irritas, nullúmque ad beneficia titulum tribuere, asserentis: eorúmque possessores habentis pro intrusis & malæ fidei possessoribus; ut ipsis neque Regulæ de Annali & Triennali possessore, neque de Concordatis non receptis exceptio prosint: & Innocentii X. quæ incipit *Zelo domûs Dei, 26. Novemb. 1648.* publicata & declarans omnia, quæ contra Concordata statuta fuerint, irrita viribúsque & effectu vacua fuisse & perpetuò fore: eísque præscribendi causam etiam longissimo & immemoriali tempore non acquiri.

71. Verùm, quia Innocentiana hæc Constitutio, ut à Colendissimo Præceptore & Antecessore meo P. Weis *in Concord. assert. 6.* refertur, solummodo impetit statuta, Juri Ecclesiastico derogandi multò minorem, quàm consuetudo, imò nullam vim habentia, juxta dicta *cit. Tit. 2. n. 34.* Clementina autem in minoris duntaxat, non longissimi & immemorialis temporis non usu usúve contrario fundatæ consuetudini ac præscriptioni resistit, istiúsq; exceptionē repulsam non constat, damnare non ausim Opinionem Lud Engel *ad hanc Rubric. n. 52.* Concordatis derogari posse, asserentis consuetudine seu præscriptione tanti temporis, cujus initii memoria non existit, præsertim cùm tali præscriptione niti videam Serenissimæ & Electoralis Domûs Bavaricæ jus nominandi seu potiùs præsentandi clericos ad dignitates & beneficia in utraque provincia sua extra Cathedrales Ecclesias & civitates Episcopales vacantia in mense Apostolico, ut patet ex *Recessu concordat.* inter Serenissimam illam Domum & Reverendissimos ac Celsissimos DD. Bavariæ diœcesium Ordinarios annō 1583. *initorum cap. 4.* Verbis Das Jus mit Päbstlicher Heyligkeit Monath / so Ihr Durchleücht *præscribirt.* Pro eadem præscriptione vel consuetudine etiam facit ratio, partim; quòd ejusmodi consuetudo ac præscriptio Concordatis derogans ullō Jure expresè non reprobetur: partim verò; quòd Concordatis derogari valeat indultō seu privilegiō Apostolicō: & hōc ipsis derogatum fuerit per Primarias preces Imperiales & Indultum concessum Universitati Lovaniensi: explorati autem Juris Regula sit, ea, quæ obtinentur privilegiō, acquiri etiam posse consuetudine ac præscriptione temporis immemorialis, si huic non resistat Jus & præscribens capax sit possessionis, ut *arg. c. Super 26. V. Præterea de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* cum Innocentio *in c. Novit. 13. cit.* tradit *cit.* Gonzalez *Gloss. 33. n. 4.* & alii apud Barbosam *in c. Super cit. n. 7.*

72. Quin etiam Ordinariæ seu consuetudini seu præscriptioni Concordata saltem interpretandi vis sua constat; ut, cùm, an beneficium aliquod vg. dignitas, officium vel administratio sedis Apostolicæ dispositioni reservata, alternæ vel soli ejus aut inferioris collatoris provisioni obnoxia sit, an ex aliquo primi anni fructus &, quâ quantitate solvendi sint, Concordatorum tenor dubium relinquit, aut inter DD. controvertitur, id quod receptum est usu, Jure permissum censeatur; quia dubii Juris consuetudo optima interpres habetur *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.*

73. Concordatis, à Germanica Natione in usum jam deductis, successerunt similia, à Natione Gallicana cum sede Apostolica inita: quibus post sanctionis Pragmaticæ, circa beneficiorum provisiones in Regno illo contra decreta Apostolica vigentis, abolitionem inter Leonem X. Pontificem Maximum & Franciscum I.

totius Galliæ Regni nomine convenit; ut Rex in posterum ad Archi-& Episcopatus, Abbatias, Prioratus & monasteria nominationes, & secundùm has Papa collationes faceret: cæteras verò dignitates & beneficia in quovis mense vacantia collatores Ordinarii, Graduatarum præcipuè personarum habitâ ratione, quibusdam liberè, aliis ad Universitatum nominationem conferrent: Gratiæ verò Expectativæ & reservationes beneficiorum generales ac speciales à sede Apostolica in posterum nullæ emanarent. Super quibus *Constitutionem*, quæ incipit *Primitiva*, à memorato Papa 14. *Calend. Jan.* 1516. editam Petrus Rubuffus uberrimô eóque eruditissimô Commentariô illustravit.

74. Non multò post Gallicana, eôdem Papâ Romæ sedente & Sigismundo Bathoreo in Polonia regnante, inter sedem Apostolicam & Nationem Polonicam inita, & à Clemente VII. *Constitutione*, quæ incipit *Cùm singularem*, 5. *Calend. Decembr.* 1526. publicatâ cum ampliatione confirmata sunt Concordata, quæ cum Germanis in multis conveniunt, & Ecclesiasticæ pariter Regiæque legis & publicæ pactionis instar hodiéque custodiuntur.

ARTICULUS V.

De Dignitatibus & Beneficiis in Germania Reservatis.

SUMMARIUM.

75. *Talia sunt I. Vacantia per obitum alicujus Cardinalis:*
76. *II. Variorum Officialium Papæ:*
77. *III. Verorum, ejus duntaxat, Commensalium:*
78. *IV. Legatorum, Collectorum, Thesaurariorum Apostolicorum &c.*
79. *V. Vacantia apud Sedem seu in Curia,*
80. *Ubi audientia causarum & literarum Apostolicarum expeditio est.*
81. *In Curia vacant beneficia, intra duas dietas,*
82. *Et, dum illam sequuntur, decedentium:*
83. *Uti & resignata in manibus Papæ.*
84. *Et per sententiam privationis ab eo latam amissa.*
85. *Curata, in Curia sede vacante vacantia, Ordinarius statim:*
86. *Cætera verò post mensem conferre potest.*
87. *VI. Vacantia per translationem, depositionem &c. à Papa factam.*
88. *Secundùm aliquos quævis, amissa ipsô Jure.*
89. *Verùs ista reservata non sunt.*
90. *Etiamsi ob Hæreseos,*
91. *Vel Simoniæ Confidentialis crimina sint amissa.*
92. *VII. Vacantia per assecutionem dignitatis &c. à Papa obtentæ:*
93. *Nisi ista obtenta sit virtute Expectativæ,*
94. *Vel Episcopatus sit merè Titularis,*
95. *Vel obtentus collatione Archiepiscopi Saliburgensis,*
96. *Vel cum eo, ad beneficia perpetuò retinenda, Papa dispensârit.*
97. *Electis beneficiorum resignationem ante Confirmationem permittentium,*
98. *Et negantium DD. Opiniones ac fundamenta:*
99. *De iisque sensus Authoris.*
100. *Resignare beneficia electi nequeunt post Confirmationem.*
101. *VIII. Archi- & Episcopatus &c. ad quos ce-*

quos celebrata electio minùs Canonica,

102. *IX. Eáque cassata, vel postulatio repulsa &c. fuerit.*

103. *X. Prima dignitas in Ecclesiis Collegiatis, & secunda in Cathedralibus:*

104. *Nonnullis tamen speciali Jure exceptis.*

75. POst inita & supremâ authoritate confirmata Concordata, sedis Apostolicæ dispositioni reservatæ in Germania nostra sunt Primò dignitates & beneficia Ecclesiastica, vacatura per obitum alicujus S. R. E. Cardinalis, Concord. §. *Placet nobis, Extravag. ad Regimen 13. inter com. hac Rubr.* & Cancell. Apostol. *Reg. 1.* Quare, si in Germania etiam nostra Episcopus Cardinalis obeat, Capitulum Cathedrale successorem eligere validè non poterit: nisi sibi providerit de Indulto speciali. Atque hæc causa fuit, cur post obitum Sermi. & Eminentissimi Philippi, ex Bavariæ Ducibus Episcopi Ratisbonensis & S. R. E. Cardinalis, à Capitulo Cathedrali celebrata electio de persona R.mi & JU.mi Sigismundi Friderici Fuggeri Ferrariæ in Consistorio Apostolico fuerit cassata: licet postea eidem personæ, quantumvis nulliter electæ, propter eximias dotes ac merita à summo Pontifice de eadem Ecclesia fuerit provisum, Branden *in cit. Concord. q. 6. n. 11.*

76. Secundò, dignitates, beneficia & officia, quæ vacant per obitum Officialium sedis Apostolicæ: non tamen in Germania indiscriminatim omnium, ut *Extrav. & Reg. 1. citt.* sed certò numerò expressorum, Concord. §. *Placet cit.* scilicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditorum literarum contradictarum & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum literarum Apostolicarum & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ sedis & viginti quinque Abbreviatorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum sedis ejusdem in Epitaphio, hoc est, Syllabo seu Albo Curialium, descriptorum: quorum tamen beneficia non, ut *Extravag. & Reg. citt.* perpetuò, sed *Quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt,* sedis Apostolicæ provisioni sunt reservata; ut adeò, depositô officiô, reservatio ipsorum beneficiorum cesset, juxta *Constitutiones* Eugenii IV. quæ incipit *Pastoralis, pridie Calend. Novemb. 1441.* & Pii IV. quæ incipit *Laudanda, Calend. Febr. 1458.* editas: & reservata non sint beneficia, quæ ante susceptum officium & post hoc dimissum tenebant, cùm morerentur, Wagnereck *in Concord. Exegesi §. 1. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 357. limit. 3.* Atque ob hanc reservationem, mortuô in Urbe Francisco Oranô S. Palatii Auditore, tres Præposituræ, quas in diœcesi Leodiensi obtinuit, quantumvis aliàs essent Electivæ, collatæ sunt à summo Pontifice; cùm, quòd in Curia, tum verò; quòd per obitū alicujus sedis Apostolicæ Officialis vacârint, Branden *cit. q. 6. n. 5.*

77. Tertiò beneficia Commensalium; non quidem alicujus S. R. E. Cardinalis, ut *Cancell. Reg. 3.* sed solius Papæ: & istius etiam non, ut *Reg. & Extravag. citt.* indistinctè omnium, etiam fictorum, sed verorum duntaxat: quales ultra Officiales priori casu enumeratos sunt sedis Apostolicæ Referendarii, Protonotarii, Auditores Rotæ, Cubicularii, Secretarii, Subdiaconi, Acolythi & alii Officiales, qui ex Palatio Apostolico panem seu victum habent, in eóque summo Pontifici deserviunt & custodiam habent, sive in eodem palatio habitent & comedant, sive non: quos aliósque referunt, & à commensalibus &

libus & familiaribus Papæ fictis distinguunt Simonetta *de Reservat. q. 35. à n. 25.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 51. à n. 16.* & Barbosa *de offic. Episc. alleg. 57. à n. 106.* Hujusmodi tamen etiam beneficiorum reservationem Leodii solum durare, quamdiu tales Papæ veri commensales actualiter existunt: &, cùm tales esse desinunt, cessare, desumitur ex tenore Constitutionum Apostolicarum Eugenii IV. *n. 2.* & Pii II. *n. 4.* relatarum à Nicolarts *in Concord. Tit. 3. dub. 1. §. 14. & 15.*

78. Quartò dignitates ac beneficia quorumcunque sedis Apostolicæ Legatorum, Collectorum fructuum & proventuum, Cameræ Apostolicæ debitorum, & interris Romanæ Ecclesiæ Rectorum ac Thesaurariorum deputatorum seu missorum, ubicunque eos antequam ad Curiam Romanam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, §. *Placet & Extravag. citt.*

79. Quintò vacantia apud sedem §. *& Extravag. citt.* Qua in re tamen dubium controversúmque est, an idem sit vacare *apud Sedem* & *in Curia.* Sunt enim DD. qui inter ea non unum, & illud præcipuè agnoscant discrimen; quod vacatio *apud Sedem* per obitum in ea: *in Curia* autem aliis etim modis contingat. Sed discrimen hoc non congruit Concordatis: quibus, cùm dignitates ac beneficia *apud Sedem quoquò modò Vacatura* reservantur, vacationem *apud Sedem* non obitu duntaxat, sed aliis quoque modis induci, apertè supponitur. Idem non congruit Rescripto Clementis III. *c. Licet 2. in 6.* ubi utrâque phrasi disertè intelligit idem; cùm enim priùs vetuisset; ne Ecclesias & beneficia, *Quæ apud sedem deinceps vacare contigerit, aliquis prater Romanum Pontificem conferre alicui præsumeret,* mox aliis quidem, sed ejusdem significationis verbis subjecit exceptionem: *Nisi sit ei super conferendis iisdem in Curia vacantibus specialis & expressa authoritas ab ipso Pontifice attributa:* quæ exceptio, si de beneficiis *apud Sedem* vacantib⁹ non esset, ac proinde *apud Sedem & in Curia* vacare non esset idem, apertè inepta foret; quòd esset de re, à Regula generali diversâ.

Dubium tamen ulterius est, quid 80. Curiæ nomine intelligatur. Quidam enim cum Panormit. *in c. Ego N. 4. de Jurejurando n. 16.* & Felino *ibid. n. 9.* eò locum, in quo Papa præsens est. Alii eum, in quo, sive præsente sive absente Papâ, ejus Cancellaria, causarum & literarum Audientia est, intelligunt: idque desumunt ex *Clement. Ne Romani 3. de Elect.* cujus §. *Sanè* nomine loci Audientiæ Curia notatur. In hoc de vocis significatione dissidio, licet saltem quoad effectus alios, vg. ut Papæ utrobique servientes omnibus curialium prærogativis gaudeant, ut *in Constitutione* Pauli III. cujus meminit Garcia *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 396.* una eadémque curia in utroque loco constitui videatur; ut in uno loco *in Capite,* in altero *in Corpore* esse intelligatur: idémque quoad reservationem asserentium Opinio verisimilis sit: quoad hanc tamen diœcesium Ordinariis favorabilius & satis probabile etiam est, *Curiæ & Sedis Apostolicæ* nomine venire locum, in quo causarum atque literarum Apostolicarum audientia & expeditio est, ut cum Navarro *de Datis & promiss. not. 17. n. 29.* & aliis à *cit.* Garcia *n. 388.* relatis censuit laudatus P. Weiss *in Concordat, n. 26.*

Porro, tanquam apud Sedem & in 81. Curia vacantes, reservatæ imprimis sunt dignitates etiam Episcopales & beneficia quæcunque eorum, qui quorumcunque negotiorum causâ ad Curiam Apostolicam acce-

eam accedunt, ab eâve recedunt: si in Curia, aut etiam extra eam in locis, ultra duas dietas legales, sive iter duorum dierum, computatis pro uno viginti Italicis, *arg. l. Vicena 1. ff. Si quis cautionibus*, sive quatuor aut ad summum quinque milliaribus Germanicis, moriantur, Concordat. §. *cit.* Glossa *in c. Præsenti 34. in 6. V. Legales cit.* Gonzalez *Gloss. 43. n. 45.* Wagnereck *in c. cit. §. Ultra duas* &
82. Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 335.* Deinde beneficia Curialium, qui Curiam ab uno loco in alium translatam sequentes, in itinere vel loco, unde receditur, forsan infirmi remanentes, vel peregrinationis, infirmitatis seu recreationis aut alia quacunque ex causa ad quævis loca, ultra duas dietas non remota, & in quibus proprium domicilium non habent, secedentes, rebus humanis eximuntur; quia isti ex animi destinatione aut negotiorum seu causarum qualitate continuant curialitatem, Wagnereck *in c. Præsenti cit. §.*
83. *Si eos.* Præterea vacantia per resignationem factam in manibus Papæ; hæc enim vacationem in curia inducit, etiamsi mediante procuratore, extra eam constitutô, fiat, Joan. Andr. *in c. Licet cit. n. 7. ubi* Anchoran. *n. 1.* Flaminius *de Resignat. Lib. 9. q. 14. à n. 1.* Simonetta *q. 28. à n. 1.* Covarruvias *Practic. q. 36. n. 4.* & Gonzalez *gloss. 12. §. 1. n. 42.* Ratio est; quòd beneficium, cui, ejus resignationem in manibus suis factam admittendô, manum Papa apposuit, in Curia vacâsse intelligatur, *cit.* Gonzalez *Gloss. 52. n. 7.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 22.* qui provisioni Apostolicæ etiam reservata, ajunt, beneficia in manibus Episcopi proprii in Curia resignata. Demum,
84. quorum vacatio inducitur per sententiam privationis, contra præsentem séque defendentem, vel contumaciter absentem in Curia latam; quia beneficium ibi vacare intelligitur, ubi fit actus, quô inducitur privatio, Francus *in c. Præsenti cit. §. Sanè n. 4.* Garcias *cit. cap. 1. n. 73.* & Barbosa *alleg. cit. n. 24.*

Excipiuntur tamen parochialia & 85.
cætera beneficia curata, in Curia per obitum aut aliter vacantia, sede Apostolica vacante, & de quibus antè vacantibus Papa ante obitum nihil disposuit; hæc enim Ordinarii collationi permittuntur à Bonifacio VIII. *c. Si Apostolica 35. in 6.* ex speciali ratione favoris Ecclesiarum & animarum, quibus diuturna vacatio damnosa & periculosa esse solet, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.* Quæ *c. cit.* dispositio, licet beneficia non actu, sed habitu duntaxat curata ob cessantem in eis rationem, & beneficia actu curata, sed propter inferiorum collatorum negligentiam ad sedem Apostolicam devoluta, & quæ extra curiam aliáve ratione quàm ob dictam vacationem reservata sunt, non comprehendat, Franc. *in c. Si Apostolica cit. n. 2.* & Garcias *cit. cap. 1. à n. 104.* mutata tamen & correcta non est per *Extrav. Piæ 1. inter com.* quia hæc ejusdem Bonifacii VIII. & ante *c. cit.* edita; ac proinde ipsi potiùs, quàm *c. cit.* dispositioni per ipsam est derogatum. Neque per *Extravag. Etsi 3. cit.* quia Constitutio hæc à suo conditore Clemente V. ad beneficia apud Sedem Apostolicam ad præsens, & sui Pontificatûs durantis tempore Vacantia expresè restricta est; ut adeò cum ipso expirârit. Neque etiam per *Extravag. Ad regimen cit.* quia hujus dispositiones generales per *c. Si Apostolica cit.* specialem, & animarum favorem concernentem, de parochialibus & ad tempus Apostolicæ sedis vacantis tempus restrictam dispositionē restringuntur ac limitantur, *arg. Reg. Generi 34. in 6. citt.* Garcias *à n. 99.* Wagnereck *in c. cit.* Pirrhing *n. 338.* & Weiss. *n. 37.*

85. Cæteræ etiam dignitates ac beneficia ratione vacationis apud Sedem seu in Curia, non aliâ ratione reservata, si Papa intra mensem à vacationis inductæ, non ejus primùm notæ, die computandum de ipsis non provideat, postea ab Ordinariis collatoribus per seipsos aut Vicarios suos generales conferri valent, ex decreto, relato *c. Statutum 3. in 6.* quô Gregorius X. in Concilio Lugdunensi *c. Licet cit.* rigorem ita temperavit; ut ejusmodi beneficia conferre non Papa tantùm, sed etiam Ordinarius collator possit, locúsque sit præventioni: &, sive ab ipso sive ab Ordinario collatore, priùs facta collatio postea ab alterutro factæ provisioni præferatur, Franc. *in c. Statutum cit. n. 6. citt.* Garcias *n. 97.* Barbosa *in c. cit. n. 7.* & *ibi* Wagnereck §. *Demum*, ubi *c. cit.* dispositioni locum hodiéque esse ejúsq; speciali, *Extravag. Pii & Ad Regimen citt.* dispositionibus generalibus non derogatum, ait; quod etiam Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Reservatio §. 7.* Laiman *in c. cit. num. 7.* & *cit.* Pirthing *n. 332.* docent.

87. Sextò dignitates ac beneficia vacantia per depositionem, privationem, translationem authoritate sedis Apostolicæ factas, Concord. §. *Placet cit. & Extravag. Ad Regimen cit.* ratio est; quòd hujusmodi dignitates ac beneficia apud Sedem sive in Curia vacare intelligantur, ex quo eorum vacatio per depositionis vel privationis sententiam in Curia latam, vel in ea decretam translationem est inducta, Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 11. n. 1. §. Quintò.* Ex hac certè causa superioribus annis Capitula Cathedralia Ratisbonense ac Frisingense Ecclesiis suis, per R.mi & Ser.mi Electoris Colonienſis, Principis & Episcopi sui ad Leodiensem Ecclesiam translationem vacantibus & propterea reservatis, ad Episcopi electionem procedere non potuissent, nisi eligendi facultas sedis Apostolicæ speciali gratiâ eis fuisset indulta.

88. Dubium & maximi præjudicii quæstio est, an reservatæ sint dignitates ac beneficia, vacantia per privationem ob crimen inductam ipsô Jure. Affirmat id Branden *in Concord. q. 10. n. 8.* & Cochier *ad Reg. 8. gloss. 7. n. 19. casu 18.* hujusmodi beneficia in Curia vacantibus accensentes cum Flaminio *Lib. 11. de Resignat. q. 8. n. 6.* eâ ductô ratione; quòd eorum privatio per sententiam in Curia latam inducatur, hôc ipsô; quòd in Curia conditum & publicatum sit Jus seu Constitutio, delicto ipsô factô contrahendam beneficiorum privationem annectens, Atque ex hac causa DD. *citt.* sedis Apostolicæ dispositioni reservata volunt beneficia vacantia ob non factam debito tempore resignationis publicationem: Uti & per crimina hæreseos & Simoniæ confidentialis; quòd istorum rei beneficiis suis privati sint ipsô Jure, *c. Ad abolendam q. V. Præsenti, de Hæreticis* & *Constitut.* Pii IV. quæ incipit *Romanum, 17. Calend. Novemb. 1564.* & Pii V. quæ incipit *Intolerabile, Calend. Junii 1567.* publicatis.

Sed hac in re locus est à DD. agnitæ distinctioni inter sententiâ declaratoriam criminis, beneficiorum privationem inducentis; vel enim ea à Papa ejúsve Curia aut ab aliquo per rescriptum Apostolicum delegato, vel à diœcesis, Ordinario est lata?

Si prius, beneficia reservata sunt ipsis Germaniæ Concordatis, diserte reservantibus beneficia vacatura per depositionem, privationem &c. *Per Nos*, id est, Papam *seu Authoritate nostra* in Curia vel per delegatos *factas & in antea faciendas ubilibet.*

89. Si posterius, ea reservata, cum Rebusso *in Reg. Cancell. 24. aliis 26.* & Simonetta

monetta *de Reservat q. 99.* negant Laiman *in c. Licet cit. n. 8.* Engel *ad hanc Rubric. n. 18.* & Weiss *in Concord. n. 23.* Ratio est; quia beneficia, ipsô Jure vacantia ob crimen, *Extravag. Ad Regimen cit.* & in Concordatis non reservantur in specie; cùm ipsorum ulla mentio expressè non fiat: neque etiam in genere, sive sub generali reservatione vacantium in Curia; quia per privationem in ista factam ea duntaxat beneficia vacare intelliguntur, quæ alicui (vel etiam pluribus determinatis personis) præsenti séque defendenti aut contumaciter absenti in pœnam criminis per sententiam] sunt adempta: vel is declaratus est reus criminis, ejusmodi privationis pœnam inducentis, ut colligitur ex eo; quòd, si per privationem solô Jure inductam vacantia essent reservata, opus non fuisset speciali reservatione beneficiorum ipsô Jure vacantium ob crimen hæresis; ac proinde supervacanea esset *Constitutio* Pii V. ea sedi Apostolicæ reservantis; cùm iis hæreticus ipsô Jure privatus sit *V. Præsenti cit.* Accedit; quòd, si Jus Ecclesiasticum beneficiorum privationem decernens vacationem in Curia & reservationem induceret, reservata essent omnia beneficia, quæ alterius incompatibilis assecutione, contractu matrimoniali, Religionis professione, vita militari &c. amittuntur; cùm istorum omnium privatio, ipsô factô contrahenda, Jure Ecclesiastico sit decreta, *c. De multa 28. de Præb. & dignit. c. 1. c. Quod à te 3. de Cleric. conjug. c. Beneficium 4. de Regular. in 6. c. fin.* junctâ Glossâ *V. Redierint, de Cleric. non resid.* quod à Germaniæ nostræ DD. sensu & Ecclesiarum usu seu praxi est alienum. Sed hinc

90. Aliud, & ipsum quoque non modici præjudicii dubium nascitur, an Germaniæ Ordinarii conferre valeant beneficia ejus, in quem Hæreseos criminis declaratoriam sententiam in mense Apostolico ipsi protulerunt. Negant hoc quoque Branden & Cochier *l. citt.* quòd hæretici beneficia reservata sint *cit. Constitutione* Piana, eâque *Constitutio* etiam afficiat Germaniam nostram: quod Branden *cit. n. 8.* nervosâ ratione evinci existimat; quia ex una, Papa per Concordata nec potuit sibi ligare manus, quò minùs in criminis vg. hæreseos reos pœnam privationis beneficiorum cum istorum reservatione statuere queat: ex altera verò parte, eam pœnam in criminis hæreseos reos Pius V. statuit *Constitut. cit.* (hôc ipsô; quòd Romæ publicata sit) non minùs Germanicam quàm cæteras Nationes afficiente: sicut ipsam quoque afficiunt constitutiones, beneficia ob non factam publicationem & Simoniam Confidentialem vacantia reservantes: quantumvis multis annis post Concordata sint publicatæ.

Sed rationis istius nervus fortis non est; quia, esto Papa concordatis ex justa causa & de potestatis Apostolicæ Plenitudine valeat derogare, eorum tamen speciali & in pactione publica fundato juri derogare velle non censetur, nisi id clarè exprimat: quod per constitutiones, beneficia ob hæresis & Simoniæ Confidentialis crimina vacantia sine ulla Concordatorum mentione reservantes, factum non est; cùm speciali, præsertim in pactione publica fundatæ, dispositioni ac privilegio per generalem, sive antè sive postea editam, ordinationem non derogetur, *arg. c. 1. de Rescript. & Reg. Generi 34. in 6.* præsertim, si speciali nullâ contrariâ dispositione sine privilegiati consensu se derogaturum, utriusque conditor promisit, sicut Papa fecit §§. *De cæteris.* Ita DD. pro prioris dubitationis resolutione allegati.

Neque in contrarium facit; quòd

ob non factam publicationem reservata beneficia conferre Germaniæ Ordinarii non possint, juxta dicta *Lib.* 1. *tit.* 10. *n.* 118. quia de his id dictum est; quòd ea propter factam in manibus Papæ atque ab isto admissam resignationem vacent in Curia.

91. Neque etiam; quòd, ne à Pio V. facta reservatio beneficiorum amissorum per Simoniam Confidentialem Galliam, ampliora, quàm sunt Germaniæ, Concordata habentem, afficeret, Sixti V. speciali indultô sit obtentum; quia indultum hoc in effectu declaratorium est. Neque refert; quòd eô Sixtus asserat, constitutiones, beneficiorum ob Simoniam vacantium reservatorias, à se relaxari; quia de impropriè dicta & declarationis vim habente relaxatione est exaudiendus: quô modô *Irritare & Absolvere* in Jure quandoque idem est, quod actum esse irritum aut aliquem vinculô non ligatum declarare, Glossa *in c.* 1. *V. Relinquenda, de Cleric. conjug. & in c. Pervenit.* 2. *V. Absolvimus, de Jurejurando*, ubi Zœsius *n.* 47. & Engel *cit. n.* 8. *ad* 3.

92. Septimò dignitates ac beneficia authoritate Apostolicâ promotorum ad Patriarchales, Archi- & Episcopales Ecclesias & regimina monasteriorum: nec non vacantia per assecutionem pacificam alicujus Prioratûs, Dignitatis, Personatûs aut alterius Beneficii vel Officii Ecclesiastici, à Papa sive literarum Apostolicarum authoritate immediatè obtenti vel obtinendi, §. *Placet nobis cit. ad finem & Extravag. ad Regimen cit.* quâ, omissâ & concordatis expressâ dictione *immediatè*, tacitè excepta & Ordinariorum collatorum provisioni permissa sunt beneficia, quæ vacant per assecutionem vg. dignitatis authoritate Apostolica solùm mediatè vg. à Legato à latere vel ab executore Mandati de providendo alicui de beneficio proximè vacaturo collatæ, Wagnereck *in Concord.* §. 1. *n.* 4. & Pirrhing *cit. n.* 357. *limit.* 5. Ratio reservationis beneficiorum, vacantium per assecutionem dignitatis &c. à Papa immediatè obtentæ, ea est; quòd talia beneficia in Curia vacare intelligantur. Unde ad Episcopatum promoti & quibuscunque aliquod beneficium, cum uno vel pluribus aliis incompatibile, à Papa in pluralitate non dispensante confertur, eorum beneficia omnia antè obtenta Apostolicæ dispositioni reservata sunt etiam in Germania nostra, *citt.* Garcias *p.* 11. *cap.* 6. *n.* 5. Laiman *in c. Licet cit. n.* 7, Cochier *ad Reg. cit. n.* 2. Nicolarts *in Concordata Tit. & dub.* 1. §. 23, & Weis *in Concord. num.* 29.

Neque obstat; quòd in Germania nostra Archi- & Episcopatus sint Electivi, *Concord.* §. *Item Placet*; quia vacatio beneficiorum electi ad illos non inducitur ipsâ electione, sed istius primùm confirmatione: quâ factâ ad Episcopatum assumpti beneficia, tanquam vacantia in Curia, conferuntur: licet ad effectum, ut eorum jam amissorum possessionem provisus apprehendere valeat, exigatur; ut assumptus Episcopatum etiam quoad pacificam & fructiferam possessionem adeptus, vel in culpabili mora possessionem capiendi sit, Panormit. *in c. Cùm in cunctis* 7. *de Elect. n.* 6. Garcias *cit. cap.* 11. *num.* 7. & 8. & Laiman *in c. Licet cit. num.* 7.

93. Excipiuntur tamen primò beneficia, quæ vacant per assecutionem pacificam dignitatis aut alterius beneficii Ecclesiastici virtute gratiæ Expectativæ, à sede Apostolica obtentæ & sortitæ effectum; talia enim, licet *Extravag. ad Regimen cit.* inductæ reservationis generalitate etiam ipsa comprehendantur, Concordatis tamen excepta & Ordinariorum collationi

collationi liberæ relicta sunt, §. *Placet cit. ad finem*; ne collatores isti nimiùm gravarentur, si liberè conferre non possent beneficia vacantia virtute ejusmodi gratiæ, quæ Concordatorum initorum tempore frequentiores erant, quàm post decretum S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.*

94. Excipiuntur secundò beneficia promotorum ad Episcopatus Titulares in partibus infidelium: quales in Germania nostra sunt eorum, qui Episcoporum vices in Pontificalibus gerunt, & vulgo *Suffraganei* nominitantur; cùm enim isti Episcopatuum suorum possessionem & administrationem non habeant, & per eos non stet, quò minùs eas consequantur, ipsorum beneficia per promotionem ad ejusmodi Episcopatus nec vacant, nec reservantur, *arg c. Cùm in cunctis cit. §. Cùm verò*, Flaminius *Lib. 3. de Resignat. q. 1. n. 89.* Simonetta *de Reservat. q. 27. n. 7.* Cochier *ad Reg. 24. n. 26.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 34.*

95. Excipiuntur tertiò in eadem Germania promoti ad unum ex quatuor Episcopatibus, quos ex speciali sedis Apostolicæ indulto confert R.mus ac Celsissimus Princeps Archiepiscopus Salisburgensis; cùm enim ad hos provisione Apostolicâ non promoveantur, eorum beneficia *Extravag. ad Regimen* & Concord. §. *Placet cit.* reservata non erunt, ut probè notat Engel *ad hanc Rubric. n. 35.*

96. Excipiuntur ab aliquibus quartò beneficia, quæ ad Episcopatus, per suæ electionis Apostolicam confirmationem aut hujusmodi provisionem aliam, promoti retinent ex speciali gratia seu dispensatione Papæ. Ista tamen Simonetta *cit. q. 27. n. 7.* & alii adnumerant reservatis. Ego interesse existimo, an cum ipsis ad beneficia ad tempus duntaxat, vel perpetuò retinenda sit dispensatum: eáque priori, non etiam posteriori casu reservatis accensenda. Ratio prioris est; quòd eô casu concessa videantur in commendam solùm temporalem, quæ reservationem non tollit; cùm ista, si aliud Jure expressum non sit, tamdiu duret, donec per concessionem beneficii in titulum fuerit consummata & consecuta effectum. Posterioris autem; quia ea, quæ ex dispensatione perpetuò retinentur, quasi novâ collatione in titulum concessa, eáque concessione reservatio consummata censetur. Quare priori casu, tempore, ad quod retentio indulta est, exactô, beneficium ad Papæ: posteriori verò promoti morte vacans beneficium, quod ex dispensatione retentum erat, ad inferiorem collatorem pertinere, verisimiliùs censet *cit.* Weiss. *n. 32.*

Dubium & in praxi agitata controversia est, an Cathedralis Ecclesiæ decanus aut Canonicus in Episcopum electus, 97. antequam à sede Apostolica confirmetur, decanatum vel canonicatum resignare valeat in manus capituli, & hoc eos conferre. Cui ansam præbet, quòd Cancell. Apostol. *Reg. 24.* hôc casu decanatus, canonicatus &c. sedis Apostolicæ provisioni reserventur: & propterea quæcunque eorum prævia resignatione factæ collationes ac provisiones irritæ declarentur.

Hâc tamen Regulâ non obstante, ejusmodi resignati decanatûs &c. resignationem & liberam etiam collationem in Germania nostra subsistere, cum Flaminio *Lib. 3. de Resignat. q. 6. n. 91.* censet Engel *ad hanc Rubr. n. 37.* eâ permotus ratione; quòd Regulæ isti locus non sit in provinciis, in quibus vigent Concordata; cùm in his eæ duntaxat dignitates, beneficia &c. reserventur, quæ comprehenduntur Concordatis: Germaniæ autem Concordatis resignationum &

collationum ante Confirmationem factarum ulla mentio non fiat. Rationi huic non modicam vim confert; quòd ex una, *Reg. cit.* ab Innocentio VIII. edita sit post Concordata: hisque & ipsis clausæ *Extravag. Ad Regimen cit.* adiiciat aliquid novi, atque irritet præviâ renuntiatione factas collationes dignitatum & beneficiorum ante promotionem seu electionis confirmationem: quæ irritatio cùm *Extravag. cit.* & Concordatis inserta non sit, Germaniam non afficiet; cùm in istius Concordatis Papa disertè asserat, eorum observantiam *Deinceps duraturam, nisi in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu aliter fuerit ordinatum:* atque etiam promittat, se inferiorum collationes quâcunque aliâ, ipsis Concordatis non expressâ, reservatione non impediturum §§. *De cæteris citt.*

98. Ratione hâc vel non ponderatâ, vel nihil moti Branden *in Concord. q. 7. n. 2. & q. 9. n. 4.* Cochier *ad Reg. cit. n. 24.* Nicolarts *cit. dub. & §. 32.* & Wagnereck *ad Reg. cit. §. Ad hujus*, ejusmodi collationes hisque prævias renuntiationes viribus destitui contendunt; quòd *Reg. cit.* implicitè contineatur in *Concord. & Extravag. citt.* expressè reservantibus beneficia, quæ authoritate Apostolica ad Archi-& Episcopalium Ecclesiarum regimina promoti obtinent tempore ejusmodi promotionum: cui reservationi accedens *Reg. cit.* declarat, collationes ac resignationes ante confirmationem, post electionem tamen, factas irritas pronuntiandô, cùm; quòd ad dignitates Pontificales promotio per electionem quodammodo inchoetur: tum verò; quòd ejusmodi resignationibus hásque secutis collationibus apertè præjudicetur sedi Apostolicæ: cui per Concordata reservatum jus conferendi beneficia promotorum per ipsas ferè excluderetur; cùm in concordia electi, tanquam de sua promotione moraliter certi, ad beneficiorum suorum resignationem ea petentium importunitate plerumque inducerentur. Atque hunc de controversia sensum confirmat decisio Rotæ in causa Præposituræ Paderbornensis, ita factam provisionem irritam pronuntiantis; quòd dicta Regula, cùm ad excludendas fraudes tendat, favorabilis sit & declarativa *Extravag. Ad Regimen cit.* Concordatis, ut dictum, comprehensæ. Verùm hæc decisio eâ potissimùm ratione nitebatur; quòd Præpositura dignitas post Pontificalem prima in Ecclesiis Cathedralibus, & principalis sit in Collegiatis; ac proinde ipsis Concordatis specialiter reservata.

Quare, licet posterioris hujus Opinionis rationi non parùm tribuam, ei 99.
tamen prævalere existimo allatam pro priori, cùm; quòd *Reg. cit.* Concordatis hisque clausæ *Extravag. cit.* revera aliquid novi superaddat: tum verò; quòd promotio Apostolica post electionem jam perfectam primùm inchoetur: & decanatum, canonicatum &c. ante confirmationem resignans, quòd jure suo utatur, in fraudem alicujus legis aliquid agere non videatur, *arg. l. Nullus 55. ff. de R. I.* præsertim, cùm ea resignatio fieri queat in bonum Ecclesiæ, ut scilicet in concordia electo ad aulam Episcopalem transeunte & administrationem accipiente, juxta *c. Nihil 44. V. Cæterum, de Elect.* sit, qui in illa decani munere fungatur. Quibus rationibus ducti in priorem sententiam apertè concedunt Laiman *in c. Licet cit. n. 9. & cit.* Weiss. *n. 30.*

Non desunt DD. qui, ad Episcopa- 100.
tus promotorum beneficia etiam post electionis Confirmationem in Capituli manus resignari ante Consecrationem & adeptam

deptam Episcopatûs pacificam & fructiferam possessionem posse, asserant; quòd ante hujusmodi possessionis assecutionem non vacent, per textum *c. Cùm in cunctis cit.* cujus §. *Cùm verò* ea pro vacantibus habentur, cùm promotus confirmationem electionis acceperit, & Ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit, aut decursum fuerit tempus, de consecrandis Episcopis à SS. Canonibus definitum; ob cujus administrationis ac possessionis defectum Episcopatus in partibus infidelium obtinentium beneficia per Apostolicam confirmationem non vacant. Sed meliùs alii, ejusmodi promotorum beneficia post electionis confirmationem in manûs capituli resignata ab isto conferri posse, negant, partim; quòd *Extravag. cit.* & Concordat. §. *Rursus* sedis Apostolicæ provisioni reserventur beneficia, quæ tempore promotionis obtinent & per eam sunt vacatura: qualia procul dubio sunt, quæ habebant tempore confirmationis, quâ ad Episcopatus promoventur: partim verò; quòd confirmatorum beneficia vacantia statim declarentur & actu conferantur: etsi ad effectum, ut promotus ea dimittere teneatur, pacifica possessio cum commodo majoris partis fructuum exigatur, Panormit. *in* §. *Cùm verò cit. n. 3.* Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 16. q. 12.* Flamin. *Lib. 3. q. 1. n. 77.* Granut. ad Simonettam *q. 27. n. 6.* & Barbosa *alleg. cit. n. 68.*

101. Octavò, quantumvis ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, etiam sedi Apostolicæ immediatè non subjectas, & ad monasteria eidem immediatè subjecta prælatos eligendi facultas eorum Capitulis stabilita, ad eáque in tempore celebratarum ac præsentatarum electionum confirmatio à Papa, *Nisi ex rationabili & evidenti causa de Cardinalium consilio eis de digniori & utiliori persona duxerit providendum*, addicta sit, casu tamen, quô electiones ad eas intra præscriptum tempus, quod regulariter trimestre est, *c. Ne pro defectu 42. de Elect.* non celebratæ, vel intra tempus Jure *c. Cupientes 16. eâdem Rubric. in 6.* præfixum non præsentatæ: vel præsentatæ quidem, sed minùs canonicæ fuerint, Apostolicæ provisioni reservatæ sunt *Extravag. cit.* & Concord. §. *Item placet.*

Minùs Canonicæ autem electiones & his subsidiariæ postulationes censentur, quæcunque celebratæ sunt contra sanctiones Canonicas, hoc est, vel à personis eligendi non habentibus potestatem, eáve, quam habebant, aut saltem actuali ejus exercitiô privatis: vel de personis Jure inhabilibus sive ineligibilibus & impostulabilibus celebratæ: vel demum, in quibus servata non est forma à Concilio Lateranensi, *c. Quia propter 42. de Elect.* præscripta, & *Lib. 1. Tit. 6. ab art. 10. & n. 161.* latè explicata, P. Weiss. *in Concord. à n. 10.* Atque hic reservationis casus declaratur proximè sequenti.

Nonò enim Apostolicæ provisioni reservatæ sunt dignitates, beneficia & officia quæcunque Secularia & Regularia, ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi sunt vel postulati: si eorum electio cassata vel postulatio repulsa, aut etiam ab ipsis facta renuntiatio à sede Apostolica fuerit acceptata, *citt. Extravag.* & Concord. §. *Item placet.* Unde, si alicujus Germaniæ Episcopi resignationem in manibus suis factâ Papa acceptet, capitulum sine speciali indulto ad electionem procedere non poterit, sed Episcopatûs collatio ad Papam pertinebit. 102.

Neque hôc casu vacantes dignitates Episcopales in Germania nostra reservationibus

tionibus non affici: sed ad eas electionem liberam capitulis competere, ritè infertur ex eo; quòd Papa §. *Item placet cit.* disertè concedat, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis &c. fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur pro confirmatione, aut postulationes pro admissione; quia §. istius generalitas per propositum, & antè expressos ac specialiter reservatos casus restringenda & limitanda est, cùm; quia explorati Juris est, legem seu dispositionem generalem restringi per anteriorem, *l. Non est novum 26. ff. de LL.* præsertim continentem casum specialem, *arg. Reg. Generi 34. in 6.* Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 24. n. 6.* tum verò; ne, quò nihil absurdius & à legum conditorum mente magis alienum est, Papa immediatè antè stabilitam dignitatum ac beneficiorum certis casibus ac modis vacantium reservationem eâdem Constitutione suâ revocâsse, & antè facti pœnitens aut immemor fuisse videatur, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 360.*

103. Decimò, Papæ reservata est collatio omnium dignitatum, quæ in Ecclesiis Cathedralibus majores sunt post Pontificalem, & dignitatum principalium in Collegiatis, *citt. Extravag.* & Concord. §. *De cæteris.* Non quidem in qualibet hujusmodi Ecclesia plurium: sed unius duntaxat, ut pluralis locutio in singularem resolvatur; ut Mandosius *in Reg. 3. Cancell. q. 3.* vel, ut Joan. Andr. vult, respiciat solam pluralitatem Ecclesiarum, & sensus sit majorem dignitatem post Pontificalem vel ipsam dignitatem principalem in dictis Ecclesiis reservari.

Quæ autem major dignitas sit, cum Glossa. *Antiqua in Reg. cit.* & aliis laudatus P. Weiss *n. 25.* desumendum, ait, ex cujusvis patriæ Consuetudine: quâ spectatâ in Germaniæ nostræ Ecclesiis Cathedralibus proximæ post Pontificalem, & in Collegiatis, si Præposituram non habeant, principales dignitates fere sunt Decanatus, Nicolarts *in Concord. Tit. & dub. 1. §. 11.*

Excipiuntur tamen & speciali privilegiô Apostolicæ sedis dispositioni reservatæ non sunt Primò Præpositura Cathedralis Augustana, quæ ejus Ecclesiæ Capitularium electione obtinetur, ex indulto Alexandri VI. apud Branden *in Concord. q. 12. n. 2.* Secundò Præposituræ omnes, sive post Pontificalem major in Cathedrali, & principales dignitates in Collegiatis Ecclesiis civitatis ac diœcesis Leodiensis, quæ electivæ sunt, vigore Concordatorum & indultorum Eugenii IV. & SS. PP. aliorum ab Urbano VIII. confirmatorum *Constitutione*, quæ incipit, *Clerum Leodiensem, editâ Calend. Aprilis 1626.* apud *citt.* Branden *n. 2.* & Nicolarts §. 12. Tertiò Præpositura Elvacensis, ad quam eligendi jus, capitulo, dum Regulare esset competens, Ecclesiâ in secularem mutatâ retentum, & Sede Apostolica indulgente ad hoc usque tempus est conservatum. Quartò Præposituræ seu primæ dignitates Ecclesiarum Bavariæ nostræ extra Civitates Episcopales, quæ vigore juris seu privilegii singularis ad Serenissimorum Ducum & Electorum nominationem conferuntur &c. 104

ARTICU-

ARTICULUS VI.

De Alternativa inter Sedem Apostolicam & Collatores inferiores.

SUMMARIUM.

105. *Enumerantur menses Apostolici & Ordinariorum.*
106. *Beneficium suô mense vacans Papa confert intra trimestre,*
107. *Computandum à die Vacationis, notæ in loco beneficii;*
108. *Ut intra id facta collatio teneat, licet in Germania ignoretur.*
109. *Post trimestre collatio statim competit Ordinario:*
110. *Cum quo Papa in communi sententia concurrit:*
111. *Licet Jure Concursûs non facilè utatur.*
112. *Provisio Apostolica publicanda est intra trimestre,*
113. *Quin tamen dilatio inducat beneficii privationem.*
114. *Beneficii in Curia vacantis collationem post mensem Ordinario negantium,*
115. *Et permittentium verior Opinio.*
116. *Eidem ad collationem competunt sex menses:*
117. *Qui eôdem modô, quô in Calendario, sumuntur,*
118. *Et Sede Apostolica vacante,*
119. *A die, Vacationis notitiam proximè sequenti, currunt.*
120. *Finiuntur horâ noctis duodecimâ:*
121. *Quæ ex primo pulsu horologii,*
122. *Aut alius signis est desumenda.*
123. *Cùm Vacationis dies dubia est, aliqui Apostolicam,*
124. *Alii Ordinariam Collationem melius præferunt.*
125. *In Februario vacans beneficium Ordinarius in Martio confert,*
126. *Priùs factæ nullitate detectâ, nova provisio Papæ ante:*
127. *Secundùm aliquos etiam post trimestre competit.*
128. *Quod hôc casu alii negant.*

IN cæterarum dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque provisione summus Pontifex & diœcesium Ordinarii aliíve collatores inferiores alternant; ut in Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris Apostolicis mensibus vacantia Papæ dispositioni reserventur: vacantia autem Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri, qui propterea Ordinarii menses vocantur, ad Ordinariorum aliorúmve collatorum inferiorum collationem pertineant, ex Concordat. Germaniæ §. *De cæteris*, ubi tamen additur, *Quoties*, 106. *beneficiô aliquô in Mense Apostolico vacante, non apparuerit, intra tres menses à die Vacationis notæ in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem ejus dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit.* Ex quibus verbis

Dubium & non levis momenti con- 107.
troversia nata quondam fuit, an ergo canonicatum vg. Eystadianum, primâ Januarij die vacantem, conferre Episcopus aliúsve collator inferior possit casu, quô eum à Papa collatum intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, sive Eystadii, non innotescit. Id certè verbis illis decepti collatores Ordinarii non rarò fecerunt vigore §. *cit.* exclusâ provisione Apostolicâ; etiamsi, hanc intra tri-

tra trimestre factam, postea constaret.

108. Quod cùm in sedis Apostolicæ ab eáque provisorum grave præjudicium cedere animadverteret Gregorius XIII. *Constitutione*, quæ incipit *Quæ in Ecclesiarum Calend. Novemb. 1576. editâ* declaravit, verba illa *In loco beneficii* non ad verba *Non apparuerit* referenda: sed conjungenda immediatè antecedentibus *Notæ vacationis*; ut gratiam sive provisionem Apostolicam de beneficio alicui intra trimestre factam non necessariò in loco ipsius beneficii, sed alicubi, Romæ saltem, apparere sufficiat: & à sede Apostolica intra tres menses provisus excludi etiam post eorum lapsum nequeat, si gratiam seu canonicatûs collationem, ipsi intra trimestre factam, post istius lapsum in loco beneficii, ob locorum distantiam, itinerum difficultatem, aliáve legitima impedimenta quandoque intercedentia, innotescere non possit. Quomodo enim id fieri queat, si prima Januarii die Eystadii vacans canonicatus à Papa mensis Martij die ultimô conferatur? Unde

109. Dubium aliud oritur, an ergo canonicatus, Eystadii primô Januarij die vacans, ab Episcopo vel alio, ad quem pertinet, primô post lapsum trimestre die nequeat conferri. Posse conferri perspicuum est ex Concordatorum verbis, *Ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem ejus dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit*; quia dictio *Ex tunc* idem denotat, quod statim à lapsu temporis præscripti, ut cum Martha. *de Clausulis p. 3. clausulæ 88.* notat Zypæus *ad hanc Rubric. Consult. 5. n. 10.* Quin ita providè Ordinarius aliúsve collator aget; cùm enim in communi sententia post trimestre jam lapsum Papæ manus ligatæ non sint, sed cum Ordinario alióve collatore inferiore concurrat, ut inter eos locus sit præventioni, Ordinarii collatio faciliùs effectum consequetur, si trimestri lapsô statim procedat ad canonicatûs collationem; ita enim post exactum trimestre facta provisio Apostolica, tanquam posterior, ipsius collationi non facilè præferetur, *arg. c. Si à Sede 31. in 6.*

Quod autem Papa quoad beneficii, 110.
suo mense vacantis, collationem, post trimestre à vacationis notæ die elapsum, cum Ordinariis etiam post Concordata inita concurrat, communis, ut dixi, DD. sententia est, & desumitur ex eo; quòd ista gratias solùm Præventivas & Expectativas quoad beneficia vacatura: non etiam Concursum seu præventionem quoad vacantia tollant & excludant, ut *arg. c. Dudum 14. §. Nos igitur in 6.* docent Branden *in Concordata q. 6. n. 18.* Cochier *in Reg. Cancell. 8. gloss. 11. n. 5.* Zypæus *cit. Consult. 5. n. 10. V. Verè igitur* & Nicolarts *in Concordat. Tit. 1. dub. 11. §. 3.* qui tamen, allegatis aliis III.
DD. fatetur, Papam eô Concursus jure, Ordinarios collatores in beneficiorum vacantium provisione præveniendô, vix unquam, & non nisi ex gravissima causa usurum; ut evitentur incommoda, quæ ejus usus afferre potest. Quin, sicut Concordatis derogari, sic eô Concursûs jure uti Papam hodie non, nisi de Plenitudine potestatis Apostolicæ, posse, satis probabile est, postquam is Concordat. §. *De cæterùs* disertè promisit, se collationes Ordinariis permissas ullâ dispositione contrariâ non impediturum, ut probè advertit P. Weis *in Concordat. n. 18.*

Neque propositæ dubitationis resolutioni contraria est Constitutio Gregoriana, festinatas Ordinariorum collationes apertè improbans; quia istâ non tam collationes illæ, quàm à Sede Apostolica intra trimestre quidem provisorum, sed

cum, sed gratiam sibi factam non publicantium exclusiones, tanquam provisis à publicatione intra trimestre faciendа legitimè impeditis, & ipsi etiam sedi Apostoliæ præjudicioſæ, reprobari videntur; cùm enim Ordinarius collator *Ex tunc*, sive post lapsum trimestre statim de beneficiis in mense Apostolico vacantibus liberè disponere in terminis permittatur, eas *Ex tunc*, sive statim faciendô jure suo utetur, quô citra cujusquam injuriam uti potest: dummodo eos, quos intra trimestre à Sede Apostolica provisos postea apparet, gratiâ Apostolica frui permittat: quod sine incommodo fieret, si post trimestre exactum ab inferioribus collatoribus statim provisorum in possessionem missio differretur per tempus, intra quod etiam ultimâ trimestris die vel hebdomadâ Romæ provisi gratiam Apostolicam publicare commodè valeant.

112. Dubium tertiò est, intra quod tempus de beneficio, in mense Apostolico vacante, Romæ provisus gratiam sibi factam publicare seu intimare teneatur. Qua de re clara Gregorianæ Constitutionis dispositio & tenor est, *Ne cuique licitum sit factam à Sede Apostolica hujusmodi intra trimestre dispositionem in longum obtegere, illi, quibus deinceps gratiæ hujusmodi concedentur, earum concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquô modô teneantur.* Circa quem tenorem duo notanda sunt.

Primùm est, ad gratiam ita maturè intimandam seu publicandam non adstringi eos, quibus gratia ita maturè facta non est, ut intra trimestre impetrans ipse vel Apostolicæ literæ in Germaniam venire possint; cùm, si gratia illa Romæ tertii mensis die aut etiam hebdomadâ ultima fiat, impossibile sit, ut tam Serô provisus gratiam ante ejus mensis lapsum in Germaniam perferat, aut per literas insinuet. Unde ei, gratiam post trimestre jam lapsum publicanti, Papæ in providendo mora obesse non potest; cùm *Mora cuilibet sua* non aliena *sit nociva, Reg. 25. in 6.* Wagnereck *ad hanc Rubric. in Concord. §. 3.* & Engel *ad Rubric. de Rescriptis n. 23. ad 3.*

Alterum est, quòd, si ultra tres 113.
illos menses gratiæ sibi factæ publicationem à Sede Apostolica provisus culpabiliter differat, eum jure suô cadere, Gregorianâ aliâve Constitutione non sit expressum: & propterea id negetur à *citt.* Branden *Notab. 2. n. 5.* & Cochier *Gloss. 11. n. 5.* quorum hac de re sensum non obscurè nec malè approbat Engel *cit. n. 23.* Ratio est; quia privatio beneficii ipsô Jure non contrahitur, præterquam in casibus Jure expressis, Felinus *in c. Ex parte 2. de Rescript. n. 3.* Selva *de Benefic. p. 3. q. 2. n. 7.* Garcias *p. 11. de Benefic. cap. 10. n. 5.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 19. n. 46.* Quare, cùm publicatio ita omittitur, pœnæ arbitrariæ culpæ modo proportionatæ: &, si culpa valde gravis, eâque publicatio, cessante justô impedimentô, ultra novem, menses dilata esset, privationi beneficii per sententiam infligendæ locus fore videtur; quòd hæc pœna Jure lata sit in eos, qui intra novem menses non publicant beneficiorum resignationes & resignatorum collationes Apostolicas, *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Humano, Non. Junij 1583. editâ.*

Dubium quartò est, an Concor- 114.
datis derogatum sit *c. Statutum 3. in 6.* ut Germaniæ Ordinarii ante trimestre lapsum conferre etiam nequeant beneficia in Curia vacantia, quantumvis de iis in-

tra menſem à Sede Apoſtolica nemini ſit proviſum. Ratio dubitandi eſt; quòd Concordatis trium menſium tempus in-
115. diſtinctè ſtatuatur, §. *De cæterù cit.* Verùm, quia trimeſtre hoc ſolùm ſpectat beneficia obnoxia Alternativæ, & in menſe Apoſtolico vacantia in Germania, à Curia valde remota; ut eorum vacationis notitia ad Papam ita citò nequeat pervenire: non etiam vacantia in ipſa Curia, ut eorum notitia ad Papam pervenire facilè ſtatim poſſit, diſpoſitioni *c. Statutum cit.* derogatum non eſt §. *cit.* Neque etiam §. *Ad Regimen*; quia cùm in Curia vacantium proviſioni tempus non determinetur, hoc ſub antiqui Juris diſpoſitione relictum cenſetur *arg. c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6.*

Neque, ut Garcias *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 100.* vult *c. cit.* diſpoſitioni derogatum eſt *Extravag. Pia 1. & Extravag. Ad Regimen 13. inter Communes:* quibus non ſolùm beneficia in Curia vacantia reſervantur, ſine ulla temporum determinatione: ſed inſuper abrogantur omnes Conſtitutiones, quatenus ipſis obſtare poſſunt; quia, cùm *citt. Conſtitutiones Extravagantes* expreſsè non derogent *c. Statutum cit.* hujus diſpoſitionem, quoad ſolum menſem diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatum, integram relinquent; cùm Concilii generalis diſpoſitioni ſine ſpeciali mentione non derogari, Juris ſit explorati.

Hanc textuum conciliationem, ut à multis recepta ſit, non admittunt, quæ de Conciliarium decretorum derogatione, ſi Conſtitutione Apoſtolica generali fiat, expreſſam mentionem non exigente, tradita ſunt *Lib. 1. Tit. 2. n. 132.* Quibus etiam ſuppoſitis *c. Statutum cit.* relatæ Concilii Lugdunenſis Conſtitutioni *Extravagg. citt.* non derogatur; quia imprimis his propoſita beneficiorum in Curia vacantium reſervatio generalis ſine offenſione ſtat cum ſpeciali ejus reſtrictione ad menſem, expreſsâ *c. Statutum cit. arg. Reg. Generi 34.* junctâ Gloſsâ *V. Eôdem in 6.* Dein; quia *Extravag. Ad Regimen cit.* Benedictus XII. Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionibus derogat, quatenus beneficiorum in Curia vacantium reſervationem tollunt: non quatenus hanc menſtruò ſpatiò concludunt; cùm ejus ad hoc tempus, Eccleſiarum & animarum favore, factam reductionem ne verbò quidem excludant. Demum; quia *Extravag. Pia cit.* Conſtitutio eſt Bonifacii VIII. edita tertiò annò ante publicatum ab ipſo Librum VI. Decretalium: cui *c. Statutum cit.* relatam Conſtitutionem Conciliarem non inſerturus, ſed ei omiſſæ *Extravag. Pia cit.* ſuffecturus fuiſſet, ſi illam jam ante editam *Extravag. cit.* revocare intendiſſet; cùm Conſtitutiones revocatæ Juris corpori non inſerantur: & à ſe non inſertas Bonifacius ipſe Librò VI. *Proœmij V. Nos ad apicem*, fateatur. Neque refert; quòd *Extravag. cit.* Juris Corpori inſerta fuerit poſtea; cùm enim Extravagantes communes ullius Papæ authoritate compilatæ non fuerint, ad authores ſuos & id, quò datæ ſunt, tempus reducuntur, per tradita *Diſſertat. Proœm. n. 103.*

Quare *c. Statutum cit.* Conciliari decreto hodie quoque locum eſſe, & Ordinariis beneficia in Curia vacantia poſt menſem à die vacationis computandum conferre volentibus manus, ſicut Concordatis, ſic etiam *Extravagg. citt.* non ligatas meritò ſuſtinent Laiman *in c. Statutum cit. n. 5.* Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. proœm. §. 5. n. 159.* ubi Concordata à *c. cit.* originem trahere, ait, Barboſa *cit. alleg. 57. n. 24. §. De his*, Wagnereck *in c. cit. §. Demum*, Pirrhing *ad hanc*

ad hanc Rubr. n. 332. & cæteris accuratiùs Engel *ad hanc Rubric. n. 52.*

116. Dubium quintò est de tempore, ad conferenda beneficia in suo mense vacantia Ordinariis & collatoribus inferioribus aliis competente. Quod generatim semestre, ab ipsis notæ vacationis die computandum, esse cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 46.* & aliis docent *cit.* Garcias *p. 10. cap. 2. & 3. utrobique n. 1.* & Franc. Leo *p. 2. Thesauri Fori Eccles. cap. 3. n. 30.* quòd, cùm eorum collationi certum tempus præscriptum non sit Concordatis, standum sit dispositione Juris communis, liberæ beneficiorum collationi semestre præfigentis, *c. Nulla 2. c. Quia diversitatem 5. de Conces. præb. c. Licet 3. & Clement. Unic. de Suppl. neglig.*

117. Dubium sextò est de mensium Apostolicorum & Ordinariorum acceptione. Cui ansam præbent variæ mensis computationes, à Menochio *de Arbitr. casu 50. à n. 2.* relatæ. De quibus quidquid sit, in proposita mensium & provisionum alternatione menses eô, quô in Calendario describuntur ac distinguuntur, modô accipiendos, communis DD. sensus est apud *cit.* Gonzalez *gloss. 11. n. 7.* ut cuivis tot tribuantur dies, quot ei in Calendario & communi usu adscribuntur; ac proinde beneficium, cujus vacatio in ejus siti loco Apostolici mensis die 31. Januarii innotuit, post 30. Aprilis exactum desinat esse reservatum, & primo Maji die ab Ordinario jam valeat conferri: & contrà beneficium, cujus vacatio in ejus siti loco nota fuit 30. Septembris, reservatum adhuc sit, & ab Ordinario conferri nequeat die 31. Decembris; quia sicut 30. Aprilis priori, sic posteriori casu 31. Decembris ultimus est dies trimestris, prout menses in Calendario describuntur & communi usu accipiuntur, Glossa *in c. Quam sit 6. V. Mensem de Elect. in 6.* Zabarella *in Clement. 1. §. Secus hîc n. 2.* & Gonzalez *n. 7. cit.*

An beneficii, cujus vacatio in ejus siti loco 29. Septembris innotuit, die 30. Decembris reservatum adhuc sit, vel istius mensis 29. die esse desinat, quæstio à DD. quod sciam, intacta, veróque similiùs est, 30. die ab Ordinario factam collationem provisioni Apostolicæ, eôdem sed seriùs factæ, præferendam; quòd, die 29. trimestre Apostolicum jam expirârit: & 30. atque 31. Decembris dies quasi pro una reputentur fere, sicut annô bissextili dies 24. & 25. Februarii, *l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus & l. Quæsivit 14. in fine ff. de V. S.*

118. Dubium est septimò, an sedis Apostolicæ provisioni reservatum trimestre currat, sede illâ vacante. Sicut plenâ, sic & vacante sede id inchoari, currere ac finiri, docet magister usus: quô & ratione etiam spectatâ casu, quô beneficiô aliquô in mense Apostolico vacante apparet, intra trimestre, à die vacationis in loco beneficii notæ computandum, à sede Apostolica de illo alicui non provisum, de eo liberè disponere Ordinarius collator valet: etiamsi, cùm beneficii vacationem inductam in ejus siti loco innotescit, vel postea intra trimestre, Sedem illam vacare contigerit. Ratio est, quia Concordata de beneficio dispositionem, saltem post dictum trimestre, Ordinariis collatoribus simpliciter, & sine ulla plenæ aut vacantis Apostolicæ sedis mentione, aut istius exceptione permittunt; ut locus sit *arg. Summæ l. De pretio 8. ff. de Publ. in rem act. & can. Consuluisti 2. q. 5.* &, licet Concordata sint perpetua, Papâ tamen mortuô beneficia in mense Apostolico vacantia, saltem post dictum trimestre, inferiorum liberæ collationi obnoxia sunt: sicut ei post mensem, à vacatione inducta

lapsum, subjecta sunt beneficia vacantia in curia, *c. Statutum 3. cit.* à quo Germaniæ Concordata Originem ducunt, teste Gonzalez *cit. n. 159.* ejúsque instar Apostolica Sede vacante, non expirant, per tradita *supra n. 65.*

119. Dubium octavò est, an sedi Apostolicæ competens trimestre ipsô die, quô vacationem beneficii in mense Apostolico inductam innotescit, vel hujusmodi notitiam proximè sequenti inchoetur. Verisimilius est, id sequenti primùm die inchoari. Ratio est; quia §. *De cæteris cit.* trium mensium terminus Apostolicæ sedi assignatur *A die notæ vacationis in loco beneficii:* Regulariter autem terminus temporis in tempore, sive, ut alii loquuntur, dies termini in termino temporis non computatur, quando illum in hoc non computari interest ejus, cui terminus est assignatus, *l. Eum qui 41. pr. V. Plane, ff. de V. O.* præsertim, si terminus præfixus sit per præpositionem *A*, quæ naturâ suâ separat & terminum *A quo* excludit, Glossa *in c. Statutum cit. V. Numerandum, not. 3.* Rebuffus *in Reg. de Infirmis, gloss. 10. n. 9.* Cochier *ad Reg. eandem n. 39.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 328. in fine* Si quis, hac ratione non obstante, trimestre ab ipsa vacationis in beneficii loco notæ die, vel potiùs hora computaret, non multùm adversarer.

120. Dubium nonò est, quâ horâ vel punctô diei terminetur mensis Apostolicus & Ordinarii mensis inchoetur, aut vicissim terminetur iste & ille inchoetur. Ratio dubitandi desumitur ex *Constitutione* Eugenii IV. in favorem Leodiensium *edita 1441.* Concordatorum vim obtinente, &, teste *cit.* Nicolarts *Tit. 1. dub. 12. §. 1.* decernente, menses tam Ordinarii quàm Apostolicos inchoari ab ortu solis. Unde non omnes totius anni menses eôdem punctô temporis, nec eâdem etiam, sed pro varietate ortûs solaris aliis aliisque horis inchoari & terminari videntur.

Verùm *cit. Constitutione* ortus solis non accipitur pro puncto temporis, quô sol emergit supra horizontem: sed pro eo, quô nobis incipit appropinquare, ut rectè advertit *cit.* Nicolarts §. 1. Unde 121.
menses, vg. Apostolici, cum ultimæ mensis diei hora noctis duodecima, istiúsque minuto ultimo finiuntur, secundùm *c. Consuluit 24. de Offic. deleg.* ibi, *More Romano dies à medietate noctis desinat, & l. More 8. ff. de Feriis:* & mensis Ordinarii jam inchoabitur, cùm hora illa incipit audiri; quia, cùm primus horæ pulsus auditur, hora jam est exacta, ad quod indicandum editur sonus, Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 11. à n. 9.* Garcias *p. 5. de Benefic. cap. 1. §. 11. n. 524.* Zypæus *cit. Consult. 5. n. 6.* Nicolarts *in Concord. Tit. 1. dub. 12. §. 3.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 184.* Ubi autem horologia 122.
plura sunt, noctis medium desumendum est ex horologio parochiæ seu viciniæ illius, in qua obitus accidit, sive ex eo, quô tanquam ordinatiore incolæ regi & uti solent, *cit.* Garcias *n. 525.* vel ex eo, quod magis propitium ac favorabile est, secundum doctrinam Bobadillæ *Politica sua Lib. 5. cap. 2. n. 25. citt.* Barbosa *n. 185.* & Nicolarts *§. 4.* In locis verò, in quibus nullum horologium est, arbitriô prudentum, ex cursu siderum, galli cantu & iis, quæ communiùs contingunt, pronuntiantium de noctis medietate, Gonzalez *gloss. cit. n. 16.* id à Rota decisum asserens, *citt.* Barbosa *n. 187.* & Nicolarts §. 5.

Dubium decimò est, ad quem spec- 123.
tet, vel à quo, à Papa vel Ordinario, facta collatio præferenda sit casu, quô an beneficium ante vel post mediam noctem exactam ultimæ diei mensis vacârit, dubium est, vg. cùm beneficiatus domi in lecto,

lecto, in puteo &c. aut foris in agro, sylva, flumine est repertus; ut de hora vel etiam die obitûs non constet. Illã ad Papam spectare, desumi videtur ex *c. Si à sede 31. in 6.* ubi in dubio, an Ordinarii vel Apostolica provisio anterior sit, propter authoritatis prærogativam Apostolicæ defertur, eáque provisus præfertur.

124. Nihilominus DD. passim stant pro Ordinario, non solùm casu, quô ipse solus contulit, sed etiam, quô ab utroque collatio est facta, saltem quando sibi collati beneficii nemo apprehendit possessionem; eô enim casu collationem ab Ordinario factam Apostolicæ præferendam, evincitur ea ratione; quòd communi Jure spectatô Episcopo competat libera collatio omnium beneficiorum suæ diœcesis, *can. Regenda, 10. q. 1. can. Nullus omnino, 16. q. 7. c. Conquerente 16. de Offic. Ordin. c. Ex frequentibus 3. de Institut. & c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*, de quorum reservatione à Papa facta non constat. Cùm ergo de talis beneficii reservatione non constet, ejus collatio ad Ordinarium pertinebit, ab eóque facta collatio provisioni Apostolicæ præferetur, ut multis DD. allegatis sustinent *citt.* Gonzalez *glos.* 11. *n.* 37. Zypæus *n.* 5. Garcias *cap.* 1. *n.* 528. Barbosa *n.* 188. & Nicolarts §. 7. qui in dubio de reservatione, Apostolicæ Ordinariam collationem præferendam, etiam censent, quando à Papa provisus priùs assecutus est beneficii possessionẽ, donec ab isto reservatio probetur; quòd Ordinarius ab eóque provisus pro se habeat assistentiam & præsumptionem Juris, in quo fundatã intentionem habens probandi onere relevatur, & hoc in adversarium etiam possessorem transfert, Pacianus *Lib.* 1. *de Probat. cap.* 12. *n.* 1. & Mascardus *de Probat. Proœm. q.* 17. *à n.* 6. Gonzalez tamen *glos. cit. n.* 31. cum Flaminio *Lib.* 10. *de Resignat. q.* 1. *n.* 24. & aliis tali casu præferendum, ait possessorem, sive à Papa sive ab Ordinario sit provisus: & propterea possessorem monet; ne se facilè constituat actorem: aut, si non possidentem ipse conveniat, Petitorium intentet propter quasi dominii seu proprietatis probandæ difficultatem, *c. Sæpe 18. de Restit. spoliat.*

Neque contrarium persuadet *c. Si à sede cit.* decisio: quia solùm procedit in provisione Apostolica, facta jure Præventionis, Papæ tanquam Ordinario Ordinariorum competente: non de ea, quæ facta est jure Reservationis, Ordinarii collationem impedientis; quia Papa quoad Præventionem intentionem suam in Jure fundatam habet, sicut Episcopus: non item, quoad Reservationem; cùm, quamdiu de ista non constat, Jus Ordinario assistat, Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 22. §. 2. n. 3.*

Non magis, quàm *c. Si à sede cit.* in proposito nobis casu pro Apostolica contra Ordinarii collationem faciunt *Clem. 1. Ut lite pendente* verba, *Neutro autem ipsorum beneficium possidente erit Romanus Pontifex propter authoritatis prærogativam in collatione hujusmodi præferendus*, cùm; quia in istius constitutionis casu constabat de lite super beneficio inter duos pendente, & impediente, quò minùs Episcopus alicui de illo posset providere, *c. 1. & fin. Ut lite pend. in 6.* tum verò; quia cùm *Clementinæ cit.* casu collitigantium uterque, & alter in Curia decesserit; hôc ipsô; quòd quoad hunc Apostolicæ provisioni apertè assistat Jus, *c. Licet 2. in 6.* in dubio, utrius obitus priùs acciderit, & in pari causa potior & præferenda Apostolica est, propter prærogativam authoritatis, *arg. c. Si à sede cit.* Gonzalez *cit. glos.* 11. *n.* 44. & Palao *n.* 3. *cit.*

Dubium est undecimò, an beneficium, quod 125.

um, quod vacare cæpit menſe Ordinarii, vg. Februario, ſi ejus collatio differatur in Martium, incipiat eſſe reſervatum ſedis Apoſtolicæ proviſioni. Dubitandi ratio eſt, quòd tale beneficium vacet menſe Apoſtolico, ſcilicet Martio, in quem, Ordinario collationem differente, intrat. Sed ratio hæc levis eſt momenti; quòd tam per *Cancell. Reg. 8.* quàm per Concordata §. *De cæteris cit.* ſolummodo reſerventur beneficia in Januarii, Martii & menſibus vacatura, hoc eſt, quæ iſtorum menſium aliquô incipiunt vacare: quale cùm non ſit, cujus collatio à Februario in Martium differtur, hoc Papæ non erit reſervatum, *citt.* Gonzalez *n. 53.* Barboſa *n. 189.* & Nicolarts §. 8. Ratio eſt; quia beneficium, quod vacare incipit in menſe Apoſtolico, reſervatum manet, quantumvis proviſio differatur, & vacatio usque in menſem Ordinarii duret; cùm beneficium ſemel reſervatum tale maneat, licet reſervationis cauſa ceſſet, Gomez *ad Reg. de Infirmis q. 32.* Ergo pari modô, quod vacare incipit in menſe Ordinarii, ad iſtius collationem pertinebit, quantumvis iſta in menſem Apoſtolicum differatur; quia correlativorum eadem eſt ratio, *arg. l. fin. C. de Indicta viduit. toll.*

126. Dubium duodecimò eſt de caſu, quô beneficii in menſe Apoſtolico vacantis à Papa intra trimeſtre facta collatio ob impedimentum occultum, vg. perſonæ inhabilitatem, ob-vel ſubreptionis vitium, eſt nulla. Quô caſu, ſaltem ante trimeſtris lapſum, alteri & ſoli proviſioni Apoſtolicæ locum eſſe, nemo facilè inficiatur.

127. Trimeſtri etiam lapſô, & intra alterum trimeſtre, à nullitatis notitia computandum, Ordinariam collationem excludi, geminâ ratione ſuadetur. Una eſt; quòd talè beneficium per appoſitionem manûs Papæ ad effectum collationis ſit affectum; ac proinde, donec proviſio Apoſtolica effectum conſequatur, Ordinarii & inferioris cujuscunque collatio excludatur, *arg. c. Ut noſtrum 56. de Appellat. & Extravag. Ne Romani 14. hîc inter communes*, Mandoſius *ad Reg. Cancell. Proœm. q. 5. à n. 1.* Simonetta *de Reſervat. q. 64. n. 8. cit.* Gonzalez *gloſſ. 52. n. 4.* Garcias *cap. 1. cit. n. 138.* & alii ab his relati. Altera; quòd, cùm ab Ordinario alióve inferiore factæ collationis, præſentationis, electionis, ex perſonæ inhabilitate alióve impedimento occulto proveniens nullitas detegitur, eis ad proviſionem à Jure indultum tempus integrum denuo concedatur, per *text. aut arg. c. Si electio 26. de Elect. in 6.* eisque legitimè impeditis tempus non currat, *c. Quia diverſitatem 5. de Conceſſ. Præb.* per tradita *lib. 1. tit. 10. n. 33.* novum trimeſtre tali caſu etiam competat Papæ; cùm non appareat ulla ratio, cur id huic denegetur; quia ejus proviſiones magis, quàm inferiorum, ſubjectæ periculis nullitatis, & non minùs quàm inferiorum collatorum favorabiles ſunt, propter ſedis Apoſtolicæ ſingularem in iis prærogativam, *c. Licet 2. hîc in 6. & Clement. 1. Ut lite pendente.*

Pro praxi tamen, ſi quæ tali caſu 128.
beneficii in menſe Apoſtolico vacantis proviſionem Ordinariis collatoribus adſtruit, ſtare videntur Caputaquenſ. *Deciſ. 33.* Tholoſan. *de Benefic. cap. 24. n. 18.* Aufrerius *ad Capell. Tholoſ. deciſ. 437. n. 6.* Falcon. *de Reſervat. prælud. 3. & & q. 4. effectu 16. in fine* caſu, quô proviſio Apoſtolica invalida eſt, *Extravag. Ne Romani cit.* non exemplificari, aſſerens, Selva *de Benefic. p. 3. q. 33. n. 1.* & Rebuffus *in Praxi de Reſervat. n. 35.* quorum doctrinæ favet Rotæ *Deciſio 512. n. 5.* & praxin Germaniæ noſtræ etiam çohoneſtat ratio gemina. Prior eſt; quòd Ordina-

Ordinariorum & aliorum, ad quos pertinet, collationi locus sit, quoties aliquô vacante beneficiô non apparet, intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii de illo alicui authoritate Apostolicâ provisum: alicui autem intra tres menses provisum non appareat, quando provisionem, quæ à Papa facta est, apparet esse nullam; quia actum non esse gestum, & esse gestum nulliter paria sunt, *l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Rejudic.* &, quod nullum est, Juris effectum non sortitur, *l. Nuda 55. ff. de Contrah. empt.* ut locus sit arg. Regulæ, *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, quæ est *52. in 6.* Posterior; quòd appositione manûs Papæ, quando ex ea Concordatorum præjudicium resultat, Ordinariorum collationes non impediantur, talique casu ulla affectio non inducatur, ut ex Puteo *Lib. 3. decis. 226. in una Germana à n. 14.* Roman. *Consil. 312. à n. 5.* & Rebuffo *in Concordat. Tit. de Mandat. Apostol. §. Declarantes*, dictam manûs appositionem, quando Concordatis præjudicium generat, non attendi asserente, observat Gonzalez *cit. gloss. 52. n. 35.* Ex ea autem Concordatorum Germaniæ præjudicium resultare, planum sit; cùm, si ea Ordinariorum collationi obsisteret, trimestri à die vacationis in loco beneficii notæ lapsô, beneficia in mense Apostolico vacantia liberè conferendi Concordatis stabilita facultas sæpe excluderetur, vel retardaretur. Quâ ratione videtur convelli ex in contrarium deductis prior.

Majorem etiam speciem præsefert, quàm vi polleat, posterior, partim; quia Papa Ordinariis collatoribus, sicut amplius tempus, scilicet semestre à die vacationis ipsis notæ, quod ante competebat, non constrinxit, sed omnino reliquit intactum; quantumvis suæ provisioni trimestre duntaxat, idque à die vacationis, non sibi Romæ, sed in loco beneficii notæ reservârit: sic etiam beneficia manûs suæ appositione non affici, sed eorum collationem liberam lapsô trimestri illis indiscriminatim permittere voluisse, inde præsumitur; quòd affectionis mentionem ne verbo quidem fecerit in Concordatis: partim verò; quia, hoc non obstante, Papæ prærogativa etiam in collatione beneficiorum potior est, non solùm ob Apostolicæ potestatis Plenitudinem, eâ permissione nihil diminutam: sed etiam propter innumera beneficia & majores dignitates pene omnes Apostolicæ provisioni liberæ, aut saltem confirmationi vel admissioni reservatas.

ARTICULUS VII.

De Beneficiis Alternativæ subjectis, ab eâve exemptis.

SUMMARIUM.

129. *Ei non subjiciuntur beneficia ad nutum Revocabilia,*
130. *Non numerata, si ea suppleri non sit necesse:*
131. *Pensiones & beneficia Unita:*
132. *Coadjutoriæ, etiam cum futura successione:*
133. *Beneficia Patronata ex fundatione dotatione, constructione:*
134. *Et fere, quæ sunt Patronatûs Mixti.*
135. *Ei tamen obnoxia sunt beneficia Patrimonialia,*
136. *Monocularia,*
137. *Parochialia,*
138. *Dignitates inferiores & Officia,*
139. *Quæ in Titulum conferuntur:*

140. *Beneficia erecta post Concordata,*
141. *Et vacantia per resignationem tacitam.*
142. *Non in favorem, aut ex causa permutationis:*
143. *Et verisimiliter etiam simpliciter resignata:*
144. *Secluso tamen Jure speciali.*

129. CConcordatis in Germania constitutæ mensium hisque annexarum provisionum Apostolicarum & Ordinariarum alternationi subjectæ generaliter sunt dignitates & beneficia quæcunque, aliunde sedi Apostolicæ non reservata. Ea tamen generalitas restringenda, seu potiùs declaranda est; cùm alternationi illi locus non sit

Primò, in Regularibus aliisque manualibus beneficiis & vicariis ad nutum revocabilibus; cùm enim manualia beneficiorum nomine non veniant in odiosis: & ejusmodi vicariæ beneficia non sint, neque reservationibus, neque alternativæ subjiciuntur; ut, quandocunque etiam in Curia vacant, pertineant ad Ordinarii, aut alterius inferioris collationem, Gonzalez *in Reg. 8. glos. 8. n. 11.* Garcias *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 510.* Cochier *ad Reg. cit. glos. 8. à n. 7.* & Barbosa *de Offic. Epis. alleg. 57. n. 29.*

130. Secundò, in beneficiis Ecclesiæ non numeratæ, sive certum canonicorum numerũ non habentis: non tamen in omnibus, sed iis duntaxat, quæ non necessariò supplentur; quia reservationi & alternativæ obnoxia tantùm sunt beneficia vacatura aut vacantia: talia autem illa beneficia propriè non sunt; cùm beneficiato mortuo, hoc ipsò; quòd non necessariò suppleantur, expirent potiùs, quàm vacent, Garcias *cit. n. 510*

131. Tertiò, in pensionibus ex alieni beneficii fructibus alicui assignatis; cùm sint quid temporale & à beneficio separatum, Gigas *de Pensionibus q. 28.* & Cochier *l. cit. à n. 10.* excipiens pensionem, seu jus percipiendi portionem redditũ, alicui Ecclesiæ vel beneficio detractorum, perpetuum; ut beneficii habeat rationem.

Quartò, in beneficiis mensæ Episcopali, Capitulari, Abbatiali incorporatis, & aliis alteri cuipiam dignitati vel beneficio accessoriè unitis; cùm enim hujusmodi beneficia propriè non vacent, sub reservationem & alternativam non cadunt: nisi unita sint dignitati aut beneficio per se reservato aut obnoxio alternativæ, *citt.* Gonzalez *glos. 5. §. 7. n. 39.* & Cochier *à n. 16.*

132. Quintò, in Coadjutoriis, etiam cum futura successione, propter infirmitatem corporis vel animi coadjuto datis; quòd, cùm talis coadjutoria beneficium, eámque obtinens beneficiatus non sit, propriè non vacet, sed cesset, Tholosanus *de Benef. cap. 11. n. 12.* & *cit.* Cochier *num. 12.*

133. Sextò, in beneficiis juris patronatûs laicorum ex fundatione, dotatione, constructione; quia neque *Concordata* aut *Reg. cit.* neque alia Jura, beneficia quæcunque, aut alternis mensibus vacatura, reservantia, ejusmodi laicorum patronatûs faciunt mentionem: ei autem sine expressa mentione derogare non censentur; propter specialem favorem, ad piarum fundationum studium excitandum, laicis indultum, Glossa *in c. Cùm dilectus 28. V. Præsentare de Jure patronat.* Covarruvias *Practic. cap. 38. n. 2.* & Garcias *cit. cap. 1. n. 571.* Quin, etiamsi ad laicorum præsentationem pertinentibus sive juris patronatûs laicalis beneficiis expressè derogetur, ex privilegiò duntaxat vel præscriptione: non etiam ex fundatione, dotatione, constructione

orto,

ôrto, vel Regibus Principibus aut Marchionibus competenti patronatûs juri derogatum censetur, nisi istius specialis mentio fiat, *citt.* Covarr. *n. 6.* Garcias *n. 575.* & Barbosa *alleg. 57. n. 28.*

134. Præter hæc variæ dignitates ac beneficia sunt, quæ utrum alternis mensibus ad summi Pontificis vel Ordinariorum diœcesanorum aliorúmve inferiorum collationem pertineant, anceps est: &

Primò quidem de beneficiis juris patronatûs Mixti sive ejus, quod uni, vel etiam plurib̃us, ratione proprii patrimonii: alii autem ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii vel officii Ecclesiastici competit; hæc enim alternativæ subjacere, affirmant graves DD. eâ ductî ratione; quòd jus patronatus Ecclesiasticum, tanquam magis dignum, laicale tanquam minùs dignum ad se trahat, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles.* Rectiùs tamen negant *citt.* Covarruv. *n. 5.* Gonzalez *gloss. 18. n. 12.* Cochier *gloss. 1. n. 3.* & Wamesius *Tom. 1. Consil. 255. n. 15.* & Nicolarts *in Concord. Tit. 1. dub. 5.* §. 14. Ratio est; quia æquum non est, ut laicus privilegium suum perdat propter societatem clerici; cùm in re individua quis præjudicium pati & privilegium suum amittere non debeat propter societatem alterius, non privilegiati. Excipitur tamen jus patronatûs Mixtum, laico competens non ex fundatione, dotatione, vel constructione: sed ex solo privilegio vel præscriptione: uti etiam, in quo patroni laici minorem votorum numerum habent, quàm Ecclesiastici; tali enim casu major pars prædominans esset attendenda, Nicolarts *cit. dub. 5. §. 15. & 16.* cum aliis DD. *citt.*

135. Secundò, de beneficiis Patrimonialibus, quæ alternæ collationi esse obnoxia, aliqui negant; quòd sub reservationem non cadant, sine specifica mentione. Sed, licet hoc ita sit, quando prævia patroni laici præsentatione obtinentur, casu tamen, quô juris patronatûs Ecclesiastici aut collativa sunt, ea reservationi & alternativæ subjici, *citt.* Gonzalez *gloss. 9. §. 1. n. 59.* Garcias *n. 562.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 22. §. 1. n. 3.* desumunt ex generalitate §. *De cæteris & Reg. 8. citt.* quorum illô beneficia quæcunque, de quibus jure ordinario per inferiores providetur: istâ qualitercunque qualificata alternativæ subjiciuntur. Unde non apparet, quomodo ei Patrimonialia subtrahantur.

Tertiò, de Monocularibus. Vocatur autem Monoculare seu Monoculum beneficium, quod in Ecclesia unicum est: uti &, cujus solius collatio pertinet ad collatorem. Cujusmodi beneficia alternativâ non comprehendi, cum Gloss. *in Clement. 1. V. Incerta* volunt Falco *de Reservat. q. 3. pr. n. 32.* & Selva *Lib. 3. de Benef. q. 11. à n. 71.* quòd verisimile non sit, Papam ad se id avocare & collatorem unicâ, quam habet, conferendi potestate privare voluisse. Sed rationi huic vim, si quam habet, omnem adimit generalitas & vis verborum valde prægnantium, §. *& Reg. citt. Quæcunque & qualitercunque qualificata*; ac proin etiam Monocula beneficia comprehendentium: iisque accedentes Rotæ decisiones. Accedit; quòd Monocularia sint fere omnia beneficia curata: quæ alternativâ comprehendi, mox statuetur. Unde Monocularia alternis mensibus ad Papæ & inferiorum collationem pertinere, pene indubitatum, ajunt *citt.* Gonzalez *gloss. 9. §. 4. à n. 15.* Garcias *n. 518.* Cochier *gloss. 4. n. 5.* & Nicolarts *dub. 2. §. 3.* 136.

Quartò de Parochialibus, quæ dubia reddit rescriptum Bonifacii VIII. *c. Cùm in illis 16. in 6.* declarantis, mandatô Apostolicô; ut alicui provideatur de Ec- 137.

cleſia, dignitàte, perſonatu aut quocunque alio beneficio, non comprehendi Eccleſiam parochialem: niſi animarum curæ expreſſa mentio fiat. Unde nomine beneficii ſimpliciter prolatô, etiamſi ei adjiciatur particula generalis *Quodcunque*, parochiale non venire videtur. In ſpecie autem alternativam ad Vicarias perpetuas, parochias & ſimilia non extendi, deſumitur ex eo; quòd Germaniæ Concordatis non plura reſerventur, quàm Regulis Cancellariæ: quibus ejusmodi vicarias non reſervari, à Rota deciſum, teſtis eſt *cit.* Nicolarts *dub. 7. §. 9.* Imò Pius V. *Conſtit.* quæ incipit *Ad exequendum Cal. Novemb. 1567.* editâ dictas Vicarias ad nominationem parochorum aut aliorum, quibus unitæ ſunt, pertinere, aſſerunt omnino indiſtinctè, & ſine ulla menſium mentione, *citt.* Gonzalez *gloſſ. 5. §. 3. àn. 59.* & Garcias *p. 9. de Beneſ. cap. 2. §. 2. à n. 289.*

Nihilominus, parochialia quoque beneficia alternativâ comprehendi, cum jam *citt. DD. Flamin. Lib. 8. de Reſignat. q. 9. n. 103.* & Piaſecio *Prax. Epiſc. p. 2. cap. 5. art. 3. V. Beneficiis quoque* tradit *cit.* Nicolarts *dub. 6. §. 5.* permotus antè allegata generalitate *Concordatorum. & Reg. 8.* verbis *Cum cura & ſine cura* parochialia ſatis exprimentis, nihil obſtante, *c. Cùm in illis cit.* quia, ſicut iſtô contentæ declarationis ratio; quod de idoneitate impetrantium beneficia curata notitiam habere velit Papa: ſic ipſa etiam declaratio ac diſpoſitio locum duntaxat habet ad effectum impetrationis, & non reſtringendæ reſervationis, Gonzalez *gloſſ. 6. num 18.*

Neque hac in re paritas eſt cum Vicariis perpetuis; quia de his aliud ſuadet *Reg. cit.* & præſertim *Conſtitutio Piana.* Neque obſtat; quòd alternativæ ſubjaceant beneficia, quæ ſunt juris patronatûs Eccleſiaſtici; quia jus, quod Rectori principali reſpectu Vicariæ, ſuæ Eccleſiæ Monaſterio vel beneficio unitæ competit, non eſt nudum jus patronatûs, ſed conjunctum cum dominio temporalium, Gloſſa *in Clement. 1. V. Jus præſentandi de Jure Patronat.* neque præcisè jus reſpiciens præſentationem, ut patronatus Eccleſiaſticus: ſed nominationem, continentem vim inſtitutionis, *c. 1. de Capell. monach.* cùm eam ſequens inſtitutio Ordinarii ſolùm Authorizabilis, ſive nominati approbatio ſit ad curam, ut à Rota deciſum eſt apud Nicolarts *cit. 5. §. 9.*

Quintò, de dignitatibus quibusdam, 138.
ſcilicet in Eccleſiis Cathedralibus Pontificali proximâ, & in Collegiatis Eccleſiis primâ dignitate inferioribus: uti & de iis, quæ Officia & Adminiſtrationes nuncupantur; ea enim in Germania noſtra alternativæ ſubjacere, perſpicuè deſumitur ex *Concordatis*, quibus Papa, cùm quarundam electivarum dignitatum ac beneficiorum diſpoſitionem Germanis reliquiſſet, ſubjungit, de cæteris ſe obſervaturum menſes alternos. Nihilominus inter ea diſtinctioni locus eſt; vel enim in Titulum & perpetuò, ſeu ad proviſi vitam conceduntur, vel non? Si prius, ea, quocunque nomine vocentur, alternativæ ſubjacere, & in menſe Apoſtolico vacantia Papæ eſſe reſervata: Si poſterius, ea quocunque menſe vacent, ad inferiorum collationem ſemper pertinere, docent *citt.* Gonzalez *gloſſ. 5. §. 11. à n. 5.* Flamin. *Lib. 2. q. 1. n. 92.* Cochier *ad cit. Reg. 8. gloſſ. 1. n. 24.* Nicolarts *Tit. 1. dub. 1. §. 16. dub. 3. à §. 2.* & Weiſs *in Concord. aſſetr. 19.* Ratio prioris eſt; 139.
quia ea, quæ in Titulum conferuntur, quomodocunque nominitentur, reipſa propriè dicta beneficia Eccleſiaſtica ſunt, hiſque apertè accenſentur *c. Nulla 2. V. Cùm verò de Conceſſ. præb. & c. fin. pr. in 6.*

ac pro-

ac proinde à provisione alternativa, §. *De cæteris & Reg. 8. citt.* placitâ, eximi non possunt. Posterioris autem; quòd, quæ in titulum non conferuntur, Manualium jure censeantur. Unde *citt.* aliique DD. Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Decanatus, Archidiaconatus, Primiceriatus, Scholasterias & similes dignitates atque officia obnoxiis alternativæ; ac proinde in mense Apostolico, etiam extra curiam vacantia Papæ reservatis accensent: Vicarii autem generalis, tam Episcopalis quàm Capitularis, dignitatem, Custodis, Cellarii, Protonotariorum &c. officia ab alternativa esse exempta: & quocunque etiam Apostolico mense vacent, ad Episcopi aliorúmve inferiorum provisionem pertinere, docent.

140. Sextò, de beneficiis fundatis & erectis post inita Concordata; ad ea enim his placitam alternativam porrigentibus obstare declaratio *Clement. fin. de Rescript.* cujus tenor est, *Nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas literas ad beneficium post datam ipsarum creatũ statuimus non extendi*: &, si hic ejus tenor non obstet, manus aliquando ligare videtur voluntas fundatoris, ea quocunque mense vacent, solius Ordinarii diœcesani vel alterius collatoris inferioris provisioni in ipso fundationis limine expressè subijcientis, *arg. l. In traditionibus 48. ff. de Pactis.*

Sed hoc leve, & eiusmodi voluntas inefficax est; quia fundator derogare nequit juri, de beneficiis cæterisque juribus Ecclesiasticis disponendi, Papæ vi jurisdictionis à Christo immediatè acceptæ competenti; cùm de re sua facere nemo queat, ut jura etiam humana super ea statuta non habeant locum, *l. Nemo 55. ff. de Legat.* 1. & privata dispositio testatoris aut alterius fundatoris non possit generalem Constitutionem Canonis immutare, ut dicitur *c. Requisisti 15. de Testament.* Non major vis est *Clement. cit.* cùm; quia eâ agitur de prima vacatione post beneficii erectionem: quam etiam alternativæ subjici, verisimile non est; ne Ordinarius, à se in mense Apostolico fundati beneficii collationem sibi non competere videns, à fundatione retrahatur, *citt.* Garcias *n. 520.* & Nicolarts *dub. 4. §. 4.* tum verò; quia *Clem. cit.* de speciali reservatione pro certa persona, quæ odiosa & restringenda, *c. Quamvis 4. pr. in 6.* præsenti autem dubitatione de generali, legali, &; quia ex pacto publicæ utilitatis causâ inito orta est, favorabili est sermo.

Quare *Concordata*, iisque firmatam alternativam & *Reg. 8. cit.* etiam ad beneficia postea erecta porrigi, meritò docent *citt.* Gonzalez *Gloss. 9. §. 5. à n. 44.* Garcias *n. 519.* Wamesius *Tom. 1. Consil. 242.* Cochier *Gloss. 4. n. 9.* Barbosa *n. 81.* Nicolarts *dub. 4. n. 2.* & Weis's *Assert. 22.* Ratio est; quia *Concord. & Reg. citt.* verba generalia, Quæcunque & qualitercunque qualificata beneficia, alternis mensibus reservant Papæ, aut inferiorum collationi relinquunt: eáque generalitate etiam novæ erectionis qualitate prædita comprehendi, fuit expediens & ad finem per Concordata intentum propè necessarium; ne, si Papa, ut ante inita *Concordata*, Præventionis jure de iis vacaturis provideat, inferiores facilè graventur: &, si quovis mense vacantia Papa & inferiores conferre, séque mutuo prævenire nitantur, collationes cum damno Ecclesiarum & animarum periculo præcipitentur.

141. Septimò, de beneficiis vacantibus per Resignationem. Non quidem tacitam; talia enim non, quasi in Curia vacent, sedi Apostolicæ reservata: sed alternativæ obnoxia, ex dictis constat.

142. Neque etiam per expressam in alterius favorem; cùm enim hujusmodi resignatio admitti à solo Papa possit, eâ factâ, & ab isto admissâ dimissum beneficium, tanquam in Curia vacans, provisioni Apostolicæ est reservatum, juxta dicta *n. 83.* Neque etiam vacantia per resignationem ex causa permutationis; cùm enim hujusmodi permutatione, quocunque mense factâ, beneficia per eam dimissa ipsis permutantibus, non aliis, conferenda sint, alternativæ subjecta non sunt, sed ab Ordinario conferri possunt. Cujus ratio reddi solet; quòd beneficia permutata non vacent ad reservationis & similes effectus: sed solummodo; ut permutantibus valeant conferri, *citt.* Gonzalez *Gloss.* 14. *n.* 31. Branden *q.* 12. *n.* 13. Cochier *ad Reg. 8. gloss.* 11. *n.* 29. Nicolarts *dub.* 9. §. 9. & Weis *Assert.* 23. *n.* 3.

143. Sed per Resignationem expressam & simplicem, sive purè & absolutè factam; per hanc enim vacantia alternativæ non subjacere; ut Germaniæ Episcopi quorumcunque beneficiorum, aliunde non reservatorum, resignationes, sicut in suo, sic etiam in Apostolico mense admittere, eáq; resignata conferre liberè valeant DD. qui Germaniæ Concordata scriptis illustrârunt, communis sententia & ratio est; quòd per *Concordatorum* reservationes Papa noluerit duriorem facere conditionem Episcoporum Germaniæ, quàm Ordinariorum aliarum Nationum est per *Regulas Cancellariæ:* vi quarum ab his conferri possunt beneficia vacantia per resignationem simplicem, ut constat ex earum *Regula 8.* Ita DD. allegati atque, à Praxi & specialibus diœcesium juribus abstrahendô, verisimiliter omnino.

Contrarium tamen & alternativæ in beneficiis vacantibus per renuntiationem generaliter, & inter istius modos non distinguendô locum esse, asserit Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Alternativa* §. 1. Cujus doctrina, saltem si ad Germaniam restringatur, suaderi potest partim ex eo; quòd istius Concordata de cæteris dignitatibus ac beneficiis (omissis *Reg. 8.* verbis, *Alias quàm per Resignationem*) absolutè, & inter vacandi modos non distinguendo dicant, ea, cùm vacabunt, alternis mensibus à Papa vel Ordinario conferenda: partim verò; quòd nihilominus conditio Ordinariorum Germaniæ post Concordata non sit durior, quàm est aliarum Nationum vi *Regulæ cit.* cùm vi hujus alii tantùm tertiô quovis: vi illorum autem Germaniæ Episcopi alternis mensibus vacantia valeant conferre.

Dixi etiam, *à praxi & juribus* 144
diœceseon specialibus abstrahendô; ne aliquid derogarem juribus Serenissimæ Domûs Electoralis Bavariæ nostræ: quæ, sicut jus mensis Papalis in Bavaria præscripsit, ut constat ex *Recessûs Concordat cum Ordinario Diœcesano §. 6. V. fin.* verbis, Das Jus deß Päbstlichen Monats/ so der Landsfürst præscribieret/ sic id præscribere etiâ potuit respectu beneficiorũ mense Papali vacantiũ per simplicem resignationẽ, si in quasi possessione juris ea etiam per resignationem vacantia (uti etiam ad alia) quæ alternativæ subiacere hactenus negavimus, clericos præsentandi legitimo tempore fuit, ut rectè ostendit Prænob. & Magnificus Collega D. Dominicus Bassus *Semicenturiæ suæ Controvers. 42. à n. 8.*

ARTICU-

ARTICULUS VIII.

De Annatis, seu fructibus primi anni.

SUMMARIUM.

145. *Annatæ de quibusdam beneficiis Cameræ Apostolicæ solvuntur.*
146. *Earum species sunt I. Servitia communia:*
147. *II. Servitia minuta:*
148. *III. Annatæ specificè acceptæ:*
149. *IV. Quindennia seu quindenæ.*
150. *Annatæ Concilio Viennensi sunt antiquiores.*
151. *Earum honestatem impugnantium,*
152. *Eamque rectè propugnantium fundamenta,*
153. *Et confutatio argumentorum, contra eam deductorum.*

145. ANnatarum nomine generatim sumptô veniunt quæcunque pensiones sive quantitates pecuniæ, quæ de Episcopatuum, aliarúmque dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni, vel ratione eorum Cameræ Apostolicæ solvuntur, Fagnanus *in c. Præterea 1. Ne Prælatis vices n. 8.* Quô modô acceptarum Annatarum quatuor species distinguuntur à *cit.* Fagnano *n. 9.*

146. Prima, licet vulgò passim *Annatæ*, ab Italis tamen & in Germaniæ *Concordatis §. Placet similiter* etiam *Communia servitia* nuncupatur; quòd ejus dimidium Papæ, & dimidium Cardinalibus præsentibus obveniat, ut idem *n. 11.* observat: estque fructus primi anni sive summa pecuniæ, quæ eorum ratione post novi Prælati electionẽ prædictæ Cameræ, secundũ ejus librorũ taxam, solvitur de Prælaturis Consistorialibus, sic dictis; quòd à summo Pontifice in Consistorio Cardinalium, rogatis istorum sententiis, conferantur: cujusmodi in Germania nostra sunt non tantùm Archi- & Episcopatus, sed aliæ quoque Principales Prælaturæ, tam Regulares quàm Seculares, sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, vg. Campidunensis, Fuldensis, Elvacensis. Quantumvis autem ex hujusmodi Prælaturis Cameræ illi fructus primi anni integri debeantur, taxa tamen ex benignitate Apostolica ejusdem Cameræ libris ita moderata est; ut summa seu quantitas, quæ ratione ejusmodi fructuum penditur, quintam istorũ partẽ ferè non excedat: & illius tantùm dimidia primô, altera verò pars secundò primùm annô: & si unô annô Prælatura bis aut pluries vacet, non plures sed una duntaxat Annata sit solvenda: onúsque solvendi non transeat ad successorem. Præterquam, quòd, si beneficia aliqua excessivè taxata appareat, Papa se offerat ad ea retaxanda & Annatam mitigandam, §. *Placet cit.* ubi Wagnereck *not. 2.*

147. Altera sunt *Servitia minuta*, sive quædam modicæ portiones Annatarum, quæ secundùm proportionem taxæ fructuum Episcopalium vel Abbatialium inter quosdam Papæ ministros seu Officiales minores distribuuntur, *cit.* Fagnan. *n. 12.*

148. Tertia, sive *Annatæ* propriè & specificè sumptæ sunt dimidia pars fructuum primi anni, eidem Cameræ solvenda de cæteris dignitatibus & beneficiis Secularibus ac Regularibus, quæ à Papa conferuntur, si eorum valor sive reditus annus viginti quatuor florenos auri de Camera sive dugatos excedat, secundùm ejusdem taxam: quæ tamen ita moderata est, ut Germaniæ & Hispaniæ canonicatus

nicatus omnes, etiamsi verus reddituum valor ad mille dugatos ascendat, in Camera tamen nonnisi viginti quatuor dugatis æstimentur; indéque de iis non solvantur annatæ, Cochier *ad Reg. 61. n. 21.* imò nihil omnino, nisi quod pertinet ad Bullæ expeditionem, *citt.* Wagnereck §. *Placet cit.* & Fagnan. *n. 10.*

149. Quarta sunt *Quindennia*, sive dimidia pars fructuum unjus anni, eidem Cameræ singulis quindecim annis solvenda de beneficiis quibusdam unitis, aut ex speciali privilegio liberatis à reservatione: quâ ratione hodie Quindennia sive Quindenæ solvuntur de Præpositura Cathedrali Augustana; quòd, cùm aliarum instar esset reservata, speciali indultô Papæ facta sit Electiva, *citt.* Wagnereck §. *cit. not. 3.* & Fagnanus *n. 13.*

150. Annatarum hactenus declaratarum originem Joanne XXII. Bonifaciô IX. & multò, quàm RR. aliqui & præsertim Hæretici volunt, antiquiorem esse, vel inde constat; quòd approbatæ sint in Concilio Viennensi, illis Pontificibus antiquiore: à memorato autem Bonifacio IX. tertiæ annatum speciei sive unius anni fructibus integris, in beneficiis inferioribus suffecta sit altera, dimidios tantùm anni fructus exigens: quæ propterea ab autore suo Bonifaciana nominatur, Fagnanus *cit. n. 10.*

151. Quandocunque autem introductæ sint, adversus earum exactionem non solùm Hæretici semper debacchati, sed ex Catholicis etiam fuerunt, qui earum honestatem justitiámque cum Acephali Concilii Basileensis & prævalentis in eo Gallicæ nationis Patribus impugnarent; quòd Divino & ipsi etiam Ecclesiastico seu Pontificio Juri adversentur: Divino quidem; quia istô gratis accepta gratis dari, Matth. *cap. 10. v. 8.* atque Ecclesiæ ministri, & præcipuè Prælati, ab omni mali specie quoque abstinere jubentur, 1. Thesal. *cap. 5. v. 21.* Ecclesiastico verò; quia hoc Jure passim & titulô totô, tanquam crimen gravissimum damnatur Simonia, quâ spirituale aut huic annexum pro temporali datur.

Indubitatè tamen alii, earum exactionem solutionémque non solùm à Simoniacæ labis injustitiæque turpitudine remotam, sed rationabilem & omninò necessariam esse, ostendunt cum Eminentissimo Card Sfortia Pallavicino *Historiæ Concilii Trident. Lib. 2. cap. 8. n. 4.* & Fagnano *in c. Præterea cit. à n. 14.* non tantùm ad S. R. E. Cardinalium & Curiæ Apostoliæ Officialium, Legatorum cæterorúmque Ecclesiæ ministrorum sustentationem; ad præmia remunerationémque bene de Christiana Republicâ meritorum, ac miserorum indigentiæ levamen: sed etiam ad Fidei propagationem inter Infideles, ejusdémque inter Hæreticos conservationem; ad defensionem ejusdem adversus Ecclesiæ & Christiani nominis hostes, aliásque publicas necessitates sublevandas: in quam causam ab Innocentio XI. Romanæ Ecclesiæ ærarium bellô Turcicô, superioribus annis gloriosâ & Christianæ rei utilissima pace finitô, liberalissimè profusum ac pene exhaustum, nemo est, qui ignoret, & ipsi etiam Ecclesiæ hostes admirantur. Accedit; quòd per eas in inferioribus prælatis conservetur memoria Originis suarum Ecclesiarum ac dignitatum, eorúmque erga Ecclesiam Romanam cæterarum omnium Matrem ac Principem subjectio & observantia conservetur: neque ita facilè in Schismata declinent, his præsertim temporibus, quibus à reverentia Christi in terris Vicario debita multùm est recessum, Wagnereck §. *Placet cit. pr.* 152.

Ea, quibus impugnantur, ritè ponderata, 153.

derata, sanè levia sunt; quia Annatæ neque exiguntur à Papa, neque ab inferioribus Ecclesiæ Prælatis ac beneficiatis solvuntur pro ipsa confirmatione, vel collatione dignitatum aut beneficiorum Ecclesiasticorum: sed in recognitionem, cùm supremæ & universalis Ecclesiæ potestatis in ipso residentis: tum verò fundatarum ab Ecclesia Romana Titularium omnium dignitatum ac beneficiorum, *can. 1. & c. dist. 22.* & tanquam portio debita Pastori, curam gerenti omniũ Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, *c. Cùm instantia 17. de Censibus*, pro ejus sustentatione & necessitatibus: ad eum ferè modum, quô decimæ decimarum summo Sacerdoti & Pontifici à minoribus Sacerdotibus ac Levitis ex præcepto Divino solvebantur in Veteri Testamento, Num. *cap. 18. v. 27.* ad cujus imitationem, quia introductæ, ab omni mali specie etiam remotæ sunt, Eckius *in Enchirid. Tit. de Annatis* & Fagnanus *l. cit. à n. 17.*

ARTICULUS IX.

De Primis Precibus Imperatoris ac Regis Romanorum.

SUMMARIUM.

154. *Imperator ad beneficia Nominationem semel facit,*
155. *Per Primas vel Primarias Preces:*
156. *Quæ honestæ & hodiernô usu receptæ sunt:*
157. *Et concedi etiam ante Electionis confirmationem:*
158. *Earúmque executores ac subexecutores,*
159. *Et fere his decedentibus successores dari possunt.*
160. *Primis Precibus subjiciuntur generaliter beneficia quævis,*
161. *Etiam Regularia, cum aliquô tamen inter hæc discrimine.*
162. *Non etiam beneficia reservata* Extravag. Ad Regimen 13. inter Com. hîc,
163. *Resignata ex causa permutationis, vel in tertii favorem,*
164. *Et quæ sunt juris patronatûs Laicalis vel Mixti:*
165. *Neque etiam beneficia Revocabilia ad nutum, Unita,*
166. *Litigiosa, Devoluta ad Sedem Apostolicam,*
167. *Et Monocularia.*
168. *Illis tamen subjiciuntur, quæ canonici conferunt per turnum.*
169. *Primæ Preces clericis Jure non impediis,*
170. *Et qualitates, Jure Communi vel infundatione requisitas, habentibus conceduntur:*
171. *Non tamen ad plura de Jure incompatibilia simul retinenda.*
172. *Ad unum beneficium nominari iis possunt plures:*
173. *Ex quibus primò, vel ab ipso Imperatore nominatus aliis præfertur:*
174. *Eóque institutô alium nominandi jus expirat.*
175. *Uni preces concedi possunt ad plura beneficia:*
176. *Qui tamen beneficium vacans, quod vult, acceptare debet intra mensem:*
177. *Etsi id aliquando post illum lapsum,*
178. *Primóque omissô secundum, vel tertium consequi:*
179. *Et aliquando, Precibus omissis, beneficium ex Ordinarii collatione acceptare valeat.*

180. *Nominato ad beneficium necessaria est institutio:*

181. *Quam fere ab Ordinario consequi potest.*

154. EX speciali Sedis Apostolicæ privilegio Imperatori ac Regi Romanorum electo competit jus ad beneficia Ecclesiastica, in Ecclesiis vacatura aut actu vacantia, nominandi personam aliquam idoneam; ut Ordinarii vel alii, ut ad quos pertinet, eam beneficium intra mensem acceptantem recipere teneantur, ut patet ex *Indulto Primariarum Precum*, Ferdinando III. à Paulo V. concessarum, relatô & Scholiis illustratô à Joanne Cochier §. *Hinc est.* Quæ ad beneficia nominandi facultas antiquissimi usûs est; cùm, eam pluribus abhinc seculis viguisse, omnino indubitatum sit: ejúsque indultæ privilegium à se visum, Speculator *Tit. de Præbend. §. 2. n. 7.* qui quintô abhinc seculô vixit: eáque, ab Antecessoribus ad se perducta Consuetudine, Rudolphum I. qui in Romanorum Regem electus est annô 1273. usum, Nauclerus *in Sua Chronologiæ* perhibeant; ut adeo privilegium hoc multô ante memoratum Imperatorem tempore viguisse, luculenter appareat.

155. Vocari autem ejus vigore ad beneficia concessæ Nominationes solent *Primæ & Primariæ Preces Imperiales* ac *Regales*. *Primæ* sive, ut Speculator *l. cit.* loquitur, Precum Primitiæ; quòd cujúsque Imperatoris ac Regis Romanorum prima, & in una eadémque Ecclesia unica seu non iteranda petitio sint, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 367.* & Herman. Hermes *Fasciculi Juris publ. cap. 11. n. 6.* *Primariæ* autem; quòd præferantur cujusvis alterius per electionem, præsentationem, nominationem, liberámve collationem factæ faciendævè provisioni: eíque obnoxium sit beneficium quodcunque, sive id in Apostolico, sive in Ordinariorum mense vacare contigerit: dummodo reservatum non sit per *Extravag. Ad Regimen 13. inter Communes*; quia Primariarum Precum Apostolicô indultô Germaniæ Concordatis, Cancellariæ Regulis, statutis & Consuetudinibus Ecclesiarum particularibus &c. expresè derogatur §. *Non obstantibus*, ut notat *cit.* Cochier *Indult. sect. 5.* Wagnereck in ejus, *c. Is cui 19. in 6.* subjecti, *Exegesi §. 4. n. 5. & cit.* Pirrhing *n. 386.*

An Preces hæ Imperiales ac Regales Juri, Novissimo præsertim, consentaneæ, iísque hodie locus sit, primô intuitu quis ambigat; quòd provisio de viventium præbendis, & beneficiorum vacaturorum Expectativæ, tanquam alienæ mortis optandæ captandæque & tristissimi eventûs occasio, sanctionibus Ecclesiasticis, *c. Detestandæ 2. c. Ne captandæ 3. de Concess. præb. in 6.* & ab Oecumenicis Conciliis Lateranensi, *c. Nulla 2. Rubric. cit.* & à Tridentino *Sess. 24. cap. 19. de Ref.* reprobentur. Sed, re accuratiùs æstimata, non est, cur de earum honestate, & hodie quoque licito usu ambigamus; cùm enim sanctiones illæ non obstent, quò minùs de beneficiis vacaturis providere Papa hodiéque possit, ejusdem manus non ligabunt, quò minùs ad ea, non solùm vacantia, sed vacatura quoque primas Preces offerendi potestatem Imperatori Regíque valeat communicare, *arg. c. Significasti 4. de Elect.* & dicti Concilii *Sess. 25. cap. 21. de Ref.* præsertim; cùm Preces illæ concipiantur generatim: & nulli certæ, sed incertæ tantùm personæ decessuræ succedendi jus tribuant nominatis. Quarum & Imperatoris personæ, speciali notâ 156. dignif-

dignissimæ, cùm mentionem ullô verbô non faciat S. Concilium *cap. 19. cit.* hoc ejus decretô ipsis non derogatum, Apostolicâ authoritate declaravit Gregorius XIII. *Constitutione edita 25. Januarii 1575. citt.* Cochier *Proœm. §. Interea in fine* & Pirrhing *n. 385.*

157. Porro Primariarum Precum privilegiô uti, & ad vacatura vacantiáque beneficia idoneas personas nominare Imperator electus ante suam Coronationem & Confirmationem etiam potest; quantumvis enim per istam Imperialis potestas compleatur, & administrandi facultas de Jure tribuatur, *arg. c. Nosti 9. c. Qualiter 17. de Elect. & c. Avaritiæ 5. in 6.* Consuetudine tamen spectatâ, hôc ipsô; quòd electi statim administrent, teste Panormit. *in c. Venerabilem 34. de Elect. n. 26.* & Castaldo *de Imperat. q. 46.* non est, cur Primariarum Precum usus, personásque ad beneficia nominandi facultas ei denegetur; cùm talis nominatio administrationis sit actus, Wagnerck *Indulti §. 1. in fine*, id confirmans exemplô Ferdinandi IV. à quo in Romanorum Regem electo ante Confirmationem obtentam, & petitam, ejusmodi Preces, earúmve saltem Expectativas cumulatim concessas, ait.

Habent autem propositæ Preces locum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis & quibusvis aliis, sitis in Imperio Romano, secundùm statum ejus præsentem, sive in omnibus provinciis, saltem Germaniæ nostræ, Imperatorem recognoscentibus tanquam superiorem, Navarrus *in Rubric. de Judiciis n. 156. citt.* Cochier *s. 2. V. Per sacrum* & Wagnereck §. 2. *pr.* in quibus Imperator aut Romanorum Rex ad primò vel postea vacaturum aut actu vacans beneficium nominationem facere, *Indulti §. Hinc est*, aut faciendam aliis committere potest; ut à commissario facta nominatio perinde habeatur, acsi ab ipsomet Imperatore aut Rege facta fuisset, *arg. Reg. Qui facit 72. in 6.* sic enim, ab Imp. Wenceslao eam nominandi facultatem per diœceses Wormatiensem ac Spirensem Ruperto Seniori Palatino: à Ferdinando II. Electori Colonienſi: ab aliis Impp. aliis concessam, perhibent *citt.* Cochier *s. 2. pr.* & Hermes *cit. cap. 11. n. 15.*

Ut autem primariis Precibus ab 158.
Imperatore ejúsve commissariis factæ certarum personarum Nominationes effectum sortiantur, Imperator authoritate à Sede Apostolica acceptâ constituere solet aliquas personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas ipsarum Executores: quæ eâdem, scilicet Apostolicâ, authoritate quosvis collatores, etiam exemptos, & ipsos quoque Episcopos, ad se directis Precibus non deferentes, ad beneficia personis nominatis conferenda etiam, si opus fuerit, per censuras Ecclesiasticas compellant, *Indult. §. Quodque quicunque*, ubi hujusmodi executoribus ab Imperatore constitutis, alios subexecutores deputandi conceditur facultas: idque meritò; cùm sint delegati summi Principis, qui jurisdictionem sibi commissam aliis subdelegare Jure permittuntur, *c. Super quæstionum 27. pr. c. fin. de Offic. deleg. & l. A judice 5. C. de Judiciis:* Dummodo tamen executores & subexecutores habeant qualitates requisitas, *c. Statutum 11. pr. de Rescript. in 6.* sive in dignitate Ecclesiastica vel personatu constituti, vel alicujus Ecclesiæ Cathedralis canonici sint, *pr. cit. V. Sancimus, citt.* Cochier *s. 4. V. Per se vel per alium*, id à Rota asserens decisum, Wagnereck §. 3. *V. Per se* & Pirrhing *n. 375.*

Si executorem vel subexecutorem, 159.

antequam Preces ad effectum perducantur, mori contigerit, multùm interest, an ei commissio facta sit sub nomine proprio personæ vel dignitatis ; cùm enim dignitas non moriatur, sub ipsius nomine commissa executio ad successorem transit, *c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* etsi, sub nomine personæ proprio commissa, cum ea expiret ; ut necessarium sit recurri ad delegantem. DD. *citt.* & Hermes *n. 71.*

160. Dubium nunc est primò de beneficiis, in quibus Primariis Precibus est locus. Qua in re generalis Regulæ instar est, locum iis esse in quibuscunque beneficiis Secularibus & Regularibus, sive ea cum cura sive sine cura, dignitates, personatus, administrationes aut officia sint, ut liquet ex *Indulti* §. *Hinc est*,

161. ubi tamen inter Regularia opus est distinctione ; cùm eorum quædam Regularia ex sua natura, ut Abbatiæ, Præposituræ, Prioratus, Decanatus, Canonicatus Regularis, Monachatus simplex : alia verò merè per accidens, vg. ex fundatoris voluntate aliáve ordinatione talia sint, ut parochiæ & capellaniæ, ad monasteria pertinentes & per Regulares canonicè in iis institutos solitæ administrari. Quorum priora primis Precibus non subjici, magister usus docet ; ut proinde illis in posterioribus duntaxat locus esse queat : licet ad ista quoque personas nominare soliti non sint Imperatores, cùm ; quòd ad ipsos pro nominationibus ad ea non consueverit recurri : tùm verò ; ne disciplinæ Regularis turbandæ facilè occasio præberetur, *citt.* Cochier *s. 2. V. Secularibus* & Wagnereck *§. 2. V. Beneficiorum.*

162. Secularia quoque beneficia à primis Precibus exempta tam multa sunt ; ut, quæ illis generali Regulâ subjecta sunt, exceptionum multitudine magnam partem subtrahantur. Excipiuntur enim & primis Precibus obnoxiæ non sunt Primò dignitates ac beneficia Sedis Apostolicæ provisioni reservata *Extravag. Ad regimen cit.* scilicet omnes Prælaturæ seu dignitates Pontificales & his proximæ in Ecclesiis Cathedralibus ac Metropolitanis, ut in Germania nostra sunt Præposituræ vel Decanatus : dignitates primæ in Collegiatis : dignitates ac beneficia S. R. E. Cardinalium, Officialium, Curialium, familiarium Papæ, istius Legatorum, Cursorum &c. beneficia, quæ vacant in curia, & eorum, qui ad hanc accedentes ab eâve recedentes in locis ultra duas dietas ab ea non remotis decedunt, Cochier *cit. s. 2. V. Dummodo* Wagnereck §. 2. *V. Eodem* & Pirrhing *n. 370.* Secundò, beneficia ex causa permutationis, etiam coram Ordinario, & in favorem tertii in manibus Papæ resignata ; quia talia vacare non intelliguntur : nisi ad effectum, ut ipsis permutantibus vel iis, in quorum favorem cessa & dimissa sunt, conferantur, Cochier *cit. s. 2. V. Super singulis n. 8.* Tertiò, beneficia juris patronatûs Laicalis & Mixti, sive alicui ratione proprii patrimonii, alii verò ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii vel officii Ecclesiastici competentis ; quòd, ne laici à piis fundationibus facilè retrahantur, ea generali dispositione derogatoriâ Ecclesia noluerit comprehendi, Cochier *cit. s. 2. V. Præsentationem*, Wagnereck §. 2. *V. Collationem* & Engel *n. 70. not. 5.* Quartò, manualia revocabilia ad nutum, vicariæ & commendæ temporales ac pensiones : sicut & beneficia, quæ mensæ Episcopali, Capitulari, perpetuò sunt incorporata, vel alicui Ecclesiæ, dignitati, collegio &c. unita ; quia talia vel non conferuntur in titulum, vel propriè non vacant, Cochier *s. & V. citt. n. 4. 15. &c.* Quintò, benefi-

163.

164.

165.

166.

beneficia litigiosa, sive super quorum proprietate cum eorum possessoribus defunctis mota lis adhuc indecisa pendet, *Indulti §. Quodque cit.* cùm; quia generatim Expectativæ non cadunt super beneficia litigiosa, ut à Rota decisum, ait Wagnereck §. 3. *V. Restringitur:* tum verò; quia, antequam ad ejusmodi collationem procedatur, lis cum collitigatore superstite finienda est; ne, novô adversariô per collationem subrogatô, cum Ecclesiæ damno lis prorogetur, *c. Ut ii 2. Ut lite pendent. in 6.* Cochier *in §. cit. V. Neque super* & Wagnereck *l. cit.* Nisi tamen lis super sola possessione mota, vel notoriè injusta & calumniosa foret; quia hujusmodi lis vitium litigiosi non inducit, DD. *citt.* cum Mandosio *in Reg. de Surrog. collitig. q.* 11. *n. 6. & q.* 13. *n.* 4. Sextò, ad sedem Apostolicam legitimè devoluta, §. *Quodque cit.* etsi beneficia devoluta ad immediatum superiorem, Papâ inferiorem, Precibus comprehendantur, *arg. §. cit.* quia exceptio firmat Regulam contrariam in casibus non exceptis, *l. Quæsitum* 12. §. 43. *V. Denique ff. de instruct. & instr. leg. citt.* Cochier *s. 4. V. Ad sedem* & Pirrhing *n. 383.* Septimò, Monocularia sive ea, quæ in aliqua 167. Ecclesia unica sunt, vel ad collatorem unica spectant; quia primarum Precum indultô ii solùm collatores gravantur, qui saltem quatuor beneficia habent sub sua collatione. Unde ad collationem suam pertinens unum tantùm, alterúmve habens primas Preces Imperiales admittere non tenetur. Quod ita provisum est; ne fortassis, si plures Impp. intra breve tempus rebus humanis eximi & novos succedere contingat, collatores Ordinarii facilè totô vitæ tempore conferendi, eligendi, præsentandíve aut nominandi jure uti nunquam possint, *citt.* Cochier *V. Saltē quatuor* Pirrhing *n.* 370. & Hermes *n.* 39.

Neque hinc legitimè infertur, primis Precibus rarò locum fore in Ecclesiis 168.
Cathedralibus ac Metropolitanis; quòd earum canonicatus passim conferri soleant per turnum; ut vix ullus, imò ferè nullus sit, qui quatuor valeat conferre; quia illarum canonicatus à singulis non conferuntur jure ac nomine propriô, sed jure Capituli, cujus sunt membra; collatio enim communiter ad ipsos, tanquam membra communitatis, sive ad Capitulum, vel ad hoc & Episcopum pertinet: atque idcirco Preces ad Episcopum & Capitulum, vel ad Decanum & Capitulum diriguntur, & afficiunt turnarii collationem, *citt.* Cochier & Wagnereck *V. Communiter* ubi uterque duo monet. Primum est; quòd, si beneficium conferendi jus canonicus non communi & capitulari, sed speciali jure, vg. ratione dignitatis extraneæ obtineret, talem ipsius collationem non affici Precibus ad decanum & capitulum directis. Alterum, si collatio communiter competat Episcopo & Capitulo, Prælato & Conventui, Precibus Imperialibus, etiam soli Episcopo aliíve prælato insinuatis, affici Capitulum seu Conventum, cui insinuatio facta non est, secundùm Rebuff. *de Nominat. q.* 14. *n.* 80. quia id, quod agitur cum capite, etiam ad corpus pertinere censetur.

Beneficium etiam primis Precibus 169.
subjectum ut ab Imperatore nominatus consequatur, idoneus esse debet. Unde imprimis requiritur; ut non laicus sed clericus sit, primâ saltem Tonsurâ initiatus, *c. Cùm adeo 7. de Rescript. & c. Ecclesia 2. de Institut.* Saltem tempore acceptationis & collationis, *c. Cùm de beneficio 5. in 6.* quia in beneficialibus attenditur tempus præsens, sive tempus collationis, *c. Si eo tempore 9. de Rescript. in 6.* Deinde; ut non sit illegitimus, vel aliquâ, sive ex defectu sive ex delicto proveniente

veniente irregularitate & Juris communis obstaculô impeditus, *Indulti* §. *Quodque :* nisi cum eo à sede Apostolica fuerit dispensatum, Cochier §. *cit. V. Aut de legitimo* & Hermes *cit. cap. 11. n. 52.* Præterea; ut habeat ætatem, Ordinem & 170. qualitates alias, quas beneficium ex Juris communis dispositione aut fundatione requirit; cùm enim Juri illi & in fundatione appositis conditionibus derogandi vim Preces Imperiales non habeant, ejusmodi qualitatibus carenti clerico beneficium, sine prævia dispensatione, non poterit conferri Aliud esset, si qualitas aliqua in beneficiato non à fundatore vel Juris communis conditore, sed solummodo speciali Ecclesiæ statutô vel Consuetudine requireretur; cùm enim hujusmodi statuta, etiam à sede Apostolica vel juramentô confirmata *Indulti §. Quodque cit.* relaxentur, iis requisitarum qualitatum defectus per primas Preces nominato obstare non poterit, quò minùs beneficium vacans valeat acceptare, *citt.* Cochier *§. cit. V. Ac secundùm*, Pirrhing *n. 382. in fine* & Wagnerech §. *3. Extens. 4.* ubi, ex hoc fundamento Nobilis Ecclesiæ capitulum, à Ferdinando II. nominatum Precistam nobilitate carentem, in canonicum recipere vigore *Indulti §. cit.* 171. tandem coactum, perhibet. Demum; ut Precista vi primariarum Precum obtenti beneficii pacificam possessionem assecutus dimittat beneficium, si quod, cum illo quoad residentiam & servitium incompatibile, antè obtinuit; quantumvis enim Preces ad pluralitatem extendantur; ut qui in diversa, imò in eadem Ecclesia unũ vel etiam plura beneficia jam habet, Precum illarum vi aliud difforme sive quoad servitium seu ministerium compatibile, vg. dignitatem cum canonicatu, beneficium curatum cum simplici consequi, & utrumque simul retinere valeat sine Apostolica dispensatione: istâ tamen opus est, quando beneficia, sive in eadem sive in diversis Ecclesiis sita, residentiam vel servitium incompatibile requirunt, *citt.* Cochier *§. 4. V. Et persona* & Wagnereck §. *3. Extens. 3.*

Dubium secundò est, an Imperator, 172
aliquô vg. Titiô Precibus ad beneficium nominatô, variare, aliúmve nominare possit. Ratio dubitandi est; quia imprimis variatio, in personis præsertim gravibus ac sublimibus, ut præ aliis Imperator est, reprobatur, *Clement. Unic. de Renuntiat.* cùm Principem unum calamum unámque linguam, non plures, oporteat habere, Laudensis *de Princip. q. 258.* Dein; quia per primas Preces facta personæ nominatio gratia est ac beneficium: quod *à Principe concessum decet esse mansurum, Reg. 16. in 6.* & demum; quia eædem Preces obtinent vim præsentationis: quæ instituenti semel oblata nequit revocari, *c. Cùm autem 24.* ibi, *Eô non refutatô, de Jure Patonat.* Verùm, quia primis Precibus, licet ad vacantia quoque possint, plerumque tamen ad vacatura beneficia nominationes fiunt, earum revocationi, re adhuc integra, locum esse, meritò defendunt *citt.* Cochier *s. 2. q. 2.* Wagnereck §. *2. V. Hujusmodi not. 3.* & Pirrhing *num. 372.* ducti exemplô legati à latere, à sibi facta beneficii vacaturi pro certa persona reservatione recedere, idque alteri conferre, si velit, valentis, Glosa & Joan. Andr. *in c. Præsenti 3. V. Pendente de Offic. Legat. in 6.* Cur non etiam Imperator? cujus Precibus nominato non acquiritur jus in beneficio, sed imploratio tantùm officii collatoris vel executoris; ut de eo vacante sibi provideat, aut faciat provideri: quâ imploratione beneficio vacante factâ res integra desinit esse; ut beneficium ipsi debeat conferri, saltem si ejus

officium

officium non imploretur ab alio, ad idem beneficium nominato: etsi revocationi locus adhuc sit, postquam uni Preces jam decretæ, ejúsque nomen in albo seu rotulo Imperatoris jam est descriptum; cùm enim illo, non etiam hoc casu, gratia & beneficium à Principe concessum sit, illô, non etiam hoc casu id non revocari, sed permanere necesse, & locus est *Reg. cit.*

173. Quare, si ad idem beneficium vacans concurrant & Precum literas offerant duo, potior & alteri præferendus erit is, qui nominatus est priùs: &, si eôdem die expeditas literas uterque offerat, is, cujus literis non sola dies, sed hora quoque est expressa, secundùm doctrinam traditam *n. 44.* Si hora neutrius literis sit expressa, Imperator consulendus erit, *arg. l. 1. C. de LL.* Cochier *q.* 4. & Hermes *n.* 20. Nisi duorum alter ab ipso Imperatore, alter ab ejus commissario nominatus esset; hoc enim casu, si de prioritate non constet, ab Imperatore nominatus potior foret; cùm propter prærogativam dignitatis, *arg. c. Si à sede 31. in 6.* tum verò; quòd Imperator aliquem ad beneficium nominans, ad id nominandi potestatem ipsô factô videatur revocâsse, *citt.* Cochier & Hermes *l. citt.*

174. Dubium tertiò est, an alium Imperator nominare valeat, si ab ipso primò nominatus Precibus renuntiârit vel, antequam istæ per beneficii collationem effectum sortirentur, decesserit, contraxerit matrimonium, aut professus sit Religionem. Ratio dubitandi est; quòd facultas disponendi simpliciter data, de una vice sit accipienda, primóque actu finiatur, *arg. l. Boves 89. §. 1. ff. de V. S.* Sed Brocardium hoc, si, ut debet, de primo actu ad effectum plenè perducto exaudiatur, Imperatorem propositis casibus alium nominantem nihil moratur; cùm unam tantùm nominationem cum effectu facere intendat. Quare, ei dictis casibus alterius nominationem Jure permissam, rectè docent *citt.* Cochier *q. 5. 7. & 15.* Wagnereck §. 2. *V. Hujusmodi & not.* 4. & Pirrhing *n. 373.* quòd, cùm Jure concessus actus effectum secundùm concedentis & disponentis intentionem non consequitur, ad unum non restringatur, ex recepta doctrina Baldi *in l. Invitus 17. in fine C. de Procurat.* præsertim in materia beneficiali; sic enim, electione, collatione, præsentatione ob electi præsentati vel collatarii obitum, renuntiationem aliámve similem causam effectum non sortitâ, electoribus, collatoribus, patronis ejusmodi provisio, ad eámque à Jure indultum tempus integrum iterum conceditur, donec aliqua effectum sortiatur, *c. Si Electio 26. in 6.* Rebuff. *de Devolut. n. 35.* & Garcias *p.* 10. *de Benef. cap. 2. n. 17.* ut de electione dictum est *Lib. 1. tit. 6. n. 128.*

175. Dubium quartò est, an unus idémque nominari queat ad plura beneficia in Ecclesiis diversis, vg. Eystadiana, Augustana, Ratisbonensi. Posse simul & successivè, hoc est, unâ eâdémque, sed virtute multiplici, vel pluribus nominationibus, liquet ex omnino claris Indulti verbis, *Ita quòd unam & eandem personam supradictis collatoribus simul vel successivè nominare possit.* Cujusmodi nominationis vim declarat adjecta clausula, *Ita tamen, quòd quàmprimùm persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores facta ipsô Jure expiret.* Quare Titius vg. per primarias Preces ad trium Eystadianæ, Augustanæ & Ratisbonensis Ecclesiarum canonicatus simul vel successivè nominatus, vigore hujusmodi Precum non id, quòd de omnibus canonicatibus simul aut successivè vacantibus ipsi provideri, eósque

176. eósque simul retinere possit; cùm ipsô unum vg. Eystadianum primò vacantem acceptante & per collationem assecutô, ad Augustanum & Ratisbonensem facta nominatio, secundùm clausulam *cit.* expiret; ne præter intentionem nominantis plura beneficia simul obtineat: sed illud solùm consequitur; quòd ipsi ad plures vacaturos, sive eum, qui ex pluribus primò vacaturus est, nominato certiùs & citiùs de aliquo provideatur, *citt.* Cochier *s. 3. V. Ita tamen* & Wagnereck *V. simul.*

Porro, primariis Precibus nominatus ad beneficium, hoc vacans intra mensem, à tempore vacationis in loco vel Ecclesia beneficii notæ computandum, *arg. Clement. 1. de Conces. Præbend.* per se vel per procuratorem, ad id sive ad beneficium primariarum Precum vigore petendum, speciale mandatum habentem, acceptare, sive ejus acceptandi voluntatem declarare debet; ac proinde Precum illarum rescriptum ante mensem finitum insinuare collatori Ordinario, vg. Episcopo aut istius vicario generali vel capitulo, si collatio ad ipsum spectet; hoc enim si Preciſta omitteret, Ordinarii collatoris manus ligatæ non essent, quò minùs beneficium alteri posset conferre: etsi aliàs beneficium interpositis primis Precibus affectum intra mensem alteri, quàm ab Imperatore ejúsve commissario nominato, validè nequeat conferre, ut cum Rebuffo *de Nominat. q. 16. n. 13.* observant *citt.* Cochier *s. 5. V. Anteferri* & Engel *cit. n. 70. V. Illud quoque.* Unde

177. Dubium quintum oritur, an beneficii acceptationi locus sit post mensem à notæ vacationis tempore elapsum. Esse, si vacationis ignorantiam aliúdve justum impedimentum allegetur ac probetur, nemo est, qui ambigat. Si verò acceptatio per negligentiam sit omissa, acceptationi, etiam re adhuc integrâ, locum esse negat Hermes *cit. cap. 11. n. 62.* Sed verisimiliùs etiam hoc casu, si res integra, & beneficii collatio alteri facta non sit, ejus acceptationi post mensem locum esse, defendunt *citt.* Cochier *s. 4. V. Intra mensem*, Wagnereck *V. Eodem q. 2.* propter clausulam extraordinariam additam *Indulti §. fin.* Constitutionibus Apostolicis *De non utendo gratiis expectativis* & *De diligentiis per acceptantes faciendis in favorem Ordinariorum collatorum* expressè derogantem: quæ clausula, si Precibus adjecta non esset, Preciſta sive nominatus iis excideret, si intra mensem beneficium non acceptaret; quòd, hoc intra præscriptum tempus non acceptandô, recedat à literarum Apostolicarum forma, quâ non observatâ actus evadit nullus, secundùm Rebuff. *de Nominat. q. 16. n. 6.* ut secundò nominatus primò esset præferendus.

Dubium sextò est, an Preciſta in Ecclesia, ad quam Preces impetravit, acceptare valeat beneficium vacans secundum. 178.
Qua in re multùm refert, an primum vacans acceptatum, vel ejus acceptatio sit omissa; cùm, si, quod primò vacavit, acceptatum sit, ipsâ ejus acceptatione Preces sortitæ sint effectum; ut variationi & alterius vacantis acceptationi locus ampliùs non sit, *arg. c. fin. de Rescript. c. 1. de Postul. prælat. utrobique in 6. & l. Scyphi 4. in fine ff. de Opt. legat.* Glossa *in c. Gratia 7. V. Eligas de Rescript. in 6.* Si verò primum acceptatum non sit, interest, an Preces ad beneficium in Ecclesia primò vacaturum datæ: vel, ut solet, Preciſtæ sive impetrantis optioni relictum sit, *Ut, quod duxerit acceptandum*, intra mensem à cognitæ vacationis die ei conferatur; priori enim casu, beneficii primò vacantis acceptatione intra mensem neglectâ, beneficióque postea alteri collatô,

collatô, ſecundi poſtea vacantis acceptationi locus non eſt; quòd Preces ad primò vacaturam datæ, ipsô intra menſem non acceptantis neglectu expirârint, *arg. c. Si clericus* 11. *in 6.* ex cujus deciſione clericus, habens gratiam Expectativam ad præbendam proximè vacaturam, ſecundò vacantem petere non poteſt, ſi primò vacans propter ejus neglectum alteri ſit collata. Poſteriori autem caſu Preciſta id, quod primò vacavit, acceptare poteſt, ſi id duxerit acceptandum. Sin, ſecundò: &, ſi hoc quoque acceptandum non duxerit, tertiò vacaturum expectare & vacans petere poteſt, *arg. c.* 1. *de Conceſſ. præb. in 6.* ubi, ſi à Papa mandatum ſit alicui provideri de beneficio, quod duxerit acceptandum, primò vacante omiſſô ſecundum: &, iſtius vacatione inſuper habitâ, tertium petendi optionem & jus habet: ita tamen; ut quocunque ex iis ſemel acceptatô, id dimittere & aliud poſtea vacans petere non poſſit; quòd regulariter electione ſemel factâ mutatio non admittatur, per Regulam, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*, quæ eſt 21. *in 6.*

179. Dubium ſeptimò eſt, an, ſi vg. Titio beneficium vi Precum petenti, id Precibus, non affectum & obnoxium eſſe opponatur, is Precibus omiſſis ad ordinariam proviſionem tranſire, idque ab Ordinario collatore petere ac recipere valeat Qui tranſitus, etſi primâ fronte non permiſſus videatur, in praxi tamen profuit, ut teſtis eſt Hermes *n.* 72. & Juris etiam Regulis non adverſatur; cùm inutilem viam ingreſſo regreſſus ad utilem Jure non præcludatur: & actionem proponenti ineptam, ſi appelletur, ad aptam recurſus non auferatur, *arg. c. Poſt electionem* 7. ibi, *Tam ratione primæ, quàm ſecundæ conceſſionis, de Conceſſ. præb.* & *Reg. Nullus* 20. *in 6.*

Neque in contrarium efficaciter facit; quòd ab electionis proſecutione ad poſtulationem, & ab electionis unius ad alterius proſecutionem tranſitus non permittatur, *c. Unic. de Poſtulat. prælat.* & *c. Ut quis duas* 25. *de Elect. utrobique in 6.* quia id in his quoque inhibitum non erat ante hæc Bonifacii VIII. Reſcripta: quæ proinde, tanquam antiqui Juris correctoria, ad alios caſus trahenda non ſunt, *arg. c. Cùm expediat* 29. *de Elect. in 6.* & *l. Præcipimus* 32. *C. de Appellat.*

Dubium octavò eſt, à quo beneficium, ad quod primariis Precibus nominatus eſt, conferri debeat Preciſtæ. Huic enim ultra Cæſaream nominationem collatione, ſive admiſſione juris ſeu tituli collativâ opus eſſe, nemo inficias ibit; cùm exploratum & Juris *Regula* 1. *in 6.* ſit, *Beneficium ſine canonica inſtitutione licitè non obtineri.* Collationi etiam inveſtituram ſive miſſionem in ipſius beneficii poſſeſſionem accedere oportere, & inſtitutum in hanc per Epiſcopum, aliúmve Ordinarium inducendum, ſatis convenit inter DD. diverſimode ſentientes de ipſa collatione ſeu admiſſione ipſius tituli collativa; iſtam enim executoribus ab Imperatore deputatis competere, volunt *citt.* Wagnereck §. 4. *V. Conferre* & Pirrhing *n.* 384. quòd *Indulti Apoſtolici* §. *Quodque cit.* beneficia nominatis conferre & aſſignare jubeantur executores: de Ordinariis verò dicatur, quòd *Perſonas ad hujuſmodi beneficia, poſtquam ipſis de iis canonicè proviſum fuerit, juxta Precum & nominationum tenorem recipere & admittere*, hoc eſt, jam inſtitutos in poſſeſſionem inducere ſeu inſtallare *debeant & etiam teneantur.* 180.

Veriùs tamen, etiam nominatorum inſtitutionem, ſeu admiſſionem tituli collativam, Epiſcopis aliísve Ordinariis collatoribus adſtruit Cochier *cit. ſ.* 2. *q.* 181.

11. quem sequitur Engel *cit. n. 70.* id rectè desumens ex formulis Primariarum Precum, quibus usi sunt Rudolphus I. & Ferdinandus I. relatis ab eodem Cochier in *Indulti Proœmio*; iis enim Preces directæ ad collatores Ordinarios: & hi ab Impp. illis requisiti sunt pro collatione seu provisione nominatis facienda. Neque id immeritò; cùm verisimile non sit, Ordinariis competens beneficia conferendi jus à Papa ademptum, & in executores extraneos translatum. Unde verba, *Postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit*, etiam ad ordinarios collatores referenda: vel, si referantur ad executores, exaudienda sunt de beneficiis, quæ nominatis conferre Ordinarii collatores recusârunt: vel de reservatis, quæ regulariter non conferre, sed ea per admissionem tituli collativam jam consecutos juxta Precum tenorem, ad actualem possessionem admittere debent & tenentur.

ARTICULUS X.

De Pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum.

SUMMARIUM.

182. *Beneficia regulariter singula singulis clericis:*
183. *Aliquando plura uni licitè conferuntur.*
184. *Beneficia quædam Compatibilia, alia Incompatibilia,*
185. *Et hæc duplicis generis sunt.*
186. *Mutatio Jurium, vetantium beneficiorum pluralitatem.*
187. *Hodie simul haberi nequeunt I. duæ Dignitates, Personatus & beneficia Curata;*
188. *Ut, secundò obtentò, ipsò Jure vacet primum:*
189. *Nisi dignitas sit Pontificalis.*
190. *Utrumque simul retinens etiam secundò privatur.*
191. *II. Duo beneficia Uniformia sub eodem tecto.*
192. *III. Duo Simplicia, exigentia residentiam incompossibilem:*
193. *Quorum, secundò obtentò, etiam vacat primum:*
194. *(Et tertium retinens, duo priora amittit:)*
195. *Si obtenta ultimi pacifica & fructifera possessio,*
196. *Idque in Titulum perpetuum sit collatum.*
197. *IV. Duo beneficia, si singula,*
198. *Aut eorum alterum solum sufficiat ad congruam sustentationem:*
199. *Quin tamen, secundò obtentò, primum ipso Jure amittatur.*
200. *Requisita ad beneficiati congruam sustentationem.*
201. *V. Ad hanc insufficientia beneficia Simplicia plura:*
202. *Non tamen in eadem Ecclesia tria obtineri,*
203. *Et ad ea simul retinenda dispensare Episcopi possunt,*
204. *Etiam vi consuetudinis:*
205. *Nisi ista sit immemorialis.*
206. *VI. Compatibile est beneficium Simplex cum Curato, ei unito.*
207. *VII. Duo beneficia Regularia incompatibilia sunt:*
208. *Præsertim, si sint Monasteriorum diversorum.*
209. *Ad beneficiorum pluralitatem Papa dispensat ex justa causa:*
210. *Quâ non subsistente, dispensatio saltem illicita est.*
211. *Episcopi ad eam regulariter non dispensant.*

Confe-

182. COnferenda beneficia ſunt ſingula ſingulis: non uni plura, *can. fin. diſt. 70. can. 1. diſt. 89. can. Clericum 21. q. 1. c. Quia in tantùm 5. hâc Rubr. c. Cùm ſingula 32. in 6.* &c. cùm; quòd ſingula ſuum officium, atque ex prima inſtitutione ſua aſſiduitatem ſive reſidentiam & ſervitium exigant perſonarum, *c. Cùm adeo 17. de Reſcript. & c. Adhæc 13. hîc:* tum verò; quòd non deceat, & à ratione alienum ſit; ut plurium ſtipendia ſibi vendicet unus, occupans plura beneficia, quorum ipſi ſingula congruam ſuſtentationem præbent, *c. Poſtulaſti 27. de Reſcript. c. Cùm teneamur 6. hâc Rubr. & c. Is cui 19. in 6.* quia ſic plurium & idoneorum Eccleſiæ miniſtrorum impeditur promotio & cultus Divinus diminuitur. Unde pluralitas ſive multitudo dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum ferè, tanquam fœda ambitio & turpis avaritia, fomentum vitiorum, diſſolutioníque & evagationis materia, Jure paſſim & præſertim *c. Quia in tantùm, c. Cùm ſingula citt. & Extravag. Execrabilis 3. inter communes* reprobatur, & Eccleſiaſtici Ordinis perverſio vocatur à S. Synodo Trident. *Seſſ. 24. cap. 17. de Ref.* certúmque animarum periculum continere, dicitur ab Alexandro III. *c. Quia in tantùm cit.* Gloſſa *in c. Dudum 54. V. Retinere, de Elect.* Panormit. *in c. Extirpandæ 2. §. Qui verò hâc Rubr. n. 24.* Sylveſter *V. Beneficium 4. q. 1. in fine* & Azor *p. 2. Inſtit. lib. 6. cap. 10. & c. & 7.*

183. Sed hoc Regulare duntaxat: non perpetuum eſt, ut duo vel plura obtineri ſimúlque retineri nunquam poſſint; cùm enim non ſemper ſingula ſufficiant ad congruam unius ſuſtentationem, & aliquando pluribus annexum officium obiri ab uno valeat, aliquando duo pluráve beneficia uni eidémque conferri poſſunt & aliis clericis deficientibus, debent, ut nemo eſt, qui inficietur. Quæ etiam 184. cauſa eſt, cur à DD. paſſim beneficia quædam Compatibilia, alia Incompatibilia nominentur: & Incompatibilia quidem, quæ vel Naturali, Divinô aut Eccleſiaſtico Jure vetante, vel ex conſuetudine ſtatuto aut fundatione obtineri & retineri ſimul non poſſunt: ea verò, quæ obtineri & retineri ſimul poſſunt, Compatibilia vocentur, Azor *cap. 10. cit. q. 1.* Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 8. n. 1. §. Quare* Vallenſ. *de Benef. Lib. 3. tit. 1. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 124.*

Ex incompatibilibus rurſum quæ- 185.
dam dicuntur primi generis, & incompatibilia ita ſunt; ut, ſeclusâ diſpenſatione, ſecundô obtentô ipsô Jure amittatur & vacet primum: alia verò ſecundi generis, & incompatibilia ita; ut, licet ſimul retineri ſine diſpenſatione etiam ipſa non poſſint, ſecundô tamen obtentô, non hoc ipsô primum amittatur ipsô Jure: ſed eô privari quis poſſit ac debeat à ſuperiore, *citt.* Azor *q. 1. §. Alii,* Laiman §. *Quare* Vallenſis *n. 6.* & Pirrhing §. *Rurſum.*

Ut autem, quomodo hodie, & quæ- 186.
nam beneficia incompatibilia ſint, clariùs eluceat, ſtatuendum & præ oculis habendum eſt diſcrimen inter quatuor potiſſimùm tempora. Primum Alexandri III. ante Concilium Lateranenſe: quô tempore beneficia quædam incompatibilia ita fuêre; ut, ſecundô obtentô, in optione beneficiati eſſet, quod ex duobus vellet retinere, ut patet ex *c. Referente 7. & c. Præterea 14. hâc Rubr.* Alterum ipſius Concilii Lateranenſis ſub eodem Papa: quô, ſublatâ optione, is qui, ſecundô obtentô, non dimittebat primum, iſtô per ſententiam privandus fuit, ut refertur *c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non reſid.* Tertium Innocentii III. in eodem Concilio, relatô *c. De multa 28. hîc:* quô tem-

pore, secundô obtentô, ipsô Jure inducebatur vacatio primi: &, qui utrumque simul retinere præsumeret, etiam secundô privandus per sententiam fuit. Quartum Joannis XXII. qui *Extravag. Execrabilis cit.* secundum obtinentem, si cum eo primum, ipsô Jure amissum, simul retinere præsumeret, etiam secundo ipsô Jure privatum esse voluit, eúmque insuper inhabilem reddidit ad quodcunque beneficium obtinendum: quod postremum Jus S. Synodus Trident. *Sess. 7. cap. 4. de Ref.* confirmavit.

187. Præterea distinctio facienda est inter diversas species beneficiorum; Primò enim Prælaturæ, Dignitates, aliáque beneficia Curata, tam Regularia quàm Secularia: uti & Dignitates ac Personatus curam animarum annexam non habentes, incompatibilia hodie ita sunt; ut, secundô obtentô, ipsô Jure vacet, & ab ordinario collatore conferri valeat primum, *c. De multa, c. Cùm singula, Extrav. Execrabilis citt.* & Trident. *cap. 4. cit.* Ratio perspicua est; quia hujusmodi Prælaturarum & beneficiorum singula exigunt perpetuam residentiam personalem: idem autem in pluribus Ecclesiis residere simul non potest, *c. Adhæc 13. ubi* Panormit. *n. 1. cit.* Sylvester *q. 1.* & Laiman *n. 3.*

188. Si autem quis, ex ejusmodi Prælaturis ac beneficiis duobus unum obtinens, alterum ejusdem rationis reciperet, priúsque non dimitteret, sed id simul retinere præsumeret cum posteriore, etiam hoc privandus, *c. De multa & c. Cùm singula citt.* imò ipsô Jure privatus est *Extravag. & cap. 4. citt.*

Neque his adversatur; quòd *cit. Sess. 24. cap. 17. de Ref.* statuatur; ut, qui plures Ecclesias parochiales aut unam Cathedralem & alteram parochialem obtinet, unâ tantùm retentâ alteram intra sex menses dimittere teneatur; quia statutum hoc eos solummodo spectavit, qui ejusmodi Ecclesias *In præsenti*, hoc est, tempore ipsius S. Concilii obtinuerunt: non eos, qui ejusmodi beneficia postea sunt assecuti; de his enim *cit. cap. 4.* procedit, *citt.* Garcias *p. 11. cap. 5. n. 77.* Vallens. *Tit. 1. n. 7.* & Pirrhing *n. 149. §. Porro.*

Excipiendus etiam est Episcopatus, 189.
qui per adeptionem alterius dignitatis vel beneficii non vacat ipsô Jure; cùm Episcopatus sine Papæ, in spiritualis conjugii inter Episcopum & Ecclesiam suam intercedentis vinculò dispensantis, licentia deseri non possit, *c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* sed potiùs irrita est collatio dignitatis vel beneficii secundi cujuscunque, ut colligitur ex *c. Cùm nostris 6. de Conces. Præb.* Nisi tamen Episcopatus esset pauper aut gravatus debitis; tali enim casu Episcopo saltem beneficia simplicia validè conferri, aut antè collata relinqui possent, Panormit. *in c. cit. n. 15.* Garcias *p. 11. de Benef. cap. 6. n. 44.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 139.* saltem, si accedat consuetudo: sicut ab Archiepiscopis Salisburgensibus canonicatus relinqui solent Episcopis Chiemensis aliarúmque Ecclesiarum, ex concessione Apostolica erectarum, & collationi suæ plenè subjectarum, Laiman *cit. cap. 8. n. 4. Except. 2.*

Notanda hic etiam est differentia 190.
inter primum beneficium, cujus vacatio per assecutionem alterius incompatibilis, & secundum, cujus vacatio per præsumptam contra Jus retentionem utriusque inducitur; primum enim ita vacat; ut statim sive, ut *Extravag. cit.* dicitur, *Absque moræ dispendio*, sive ante omnem sententiam debeat dimitti; cùm enim secundi beneficii assecutio vacet culpâ, primi amissio non in pœnam, sed solùm ob primæ collationis resolutionem per assecutionem

cutionem ſecundi eſt inducta: ſecundum autem; quòd ejus privatio in pœnam indebitæ retentionis à Jure inflicta ſit, ante ſententiam declaratoriam dimitti, neceſſe non eſt: ſed quantumvis ejus titulus ſit amiſſus, poſſeſſio tamen retineri poteſt, donec quis eô, causâ cognitâ, per ſententiam privatus declaretur, Gloſſa *in c. Licet 28. V. Te non vocatò in 6.* Leſſius *cit. cap. 34. n. 143.*

191. Secundò, eôdem modô incompatibilia ſunt duo beneficia Uniformia ſub eodem tecto ſive, quæ ſunt in eadem Eccleſia vel capella aut cœmiterio ei contiguo, vg. duo canonicatus aut alia ſimilia, ſive idem miniſterium exigentia beneficia, *Clement. fin. hìc & c. Literas 9. de Conceſſ. Præb.* nam etiam ex hujusmodi duobus beneficiis, quod priùs obtentum eſt, per aſſecutionem ſecundi vacat ipsô Jure, ut cum Panormit. *in c. cit. n. 3.* docent Garcias *cit. cap. 5. n. 18.* & Flamin. *Lib. 5. de Reſignat. q. 1. n. 121.* Et quidem, quòd incompatibilia ſint, colligitur ex *c. Literas & Clement. citt.* quòd autem ſecundi aſſecutio vacationem primi, & præſumpta iſtius retentio etiam ſecundi privationem inducat, ex Tridentino *cap. 4. cit.* ea, quæ ab Innocentio III. in Lateranenſi Concilio, relato *c. De multa & Extravag. citt.* ſtatuta ſunt, ad omnia beneficia de Jure incompatibilia porrigente.

192. Tertiò, incompatibilia etiam ſunt quæcunque alia beneficia ſimplicia, aut unum ſimplex & alterum curatum, ſi utrumque perſonalem reſidentiam incompoſſibilem requirat, vg. duo canonicatus aut aliæ præbendæ Eccleſiarum, in quibus obſervatur decretum Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Ref.* ab iis abſentiam trimeſtri longiorem non permittentis. Ratio clara eſt; quia unus idémque officio, duobus hujusmodi beneficiis annexo, ſatisfacere non poteſt, hôc ipsô; quòd ſimul eſſe nequeat in duobus locis, Panormit. *in c. Extirpandæ 30. §. Quia verò n. 30.* Garcias *cit. cap. 5. n. 260.* & Laiman *cit. cap. 8. n. 6.*

Neque obſtat; quòd in Germania noſtra paſſim ab uno obtineantur duo canonicatus; quia in ea, ex retenta Conſuetudine immemoriali & alicubi ex privilegio Apoſtolico, aliqui non niſi medii anni & quidam trium duntaxat menſium reſidentiam requirunt; ut adeò inter beneficia propter reſidentiam & ſervitium incompatibilia nequeant recenſeri, *citt.* Laiman *n. 6.* & Pirrhing *n. 132.* Deinde in Germania, qui duos canonicatus vel alia beneficia ſimplicia, majoris temporis reſidentiam requirentia, obtinent, aliquando fructus tantùm percipiunt ex uno: quô caſu per aſſecutionem ſecundi, utpote infructiferam, non vacat primum, ut infra dicetur cum Panorm. *in c. fin. de Cleric. non reſid. n. 4.*

Dubium hìc eſt, an étiam per aſſe- 193.
cutionem ſecundi hujusmodi beneficii, ratione reſidentiæ incompatibilis, priùs obtentû vacet ipsô Jure. Ratio dubitandi eſt partim; quia *c. Referente & c. Præterea citt.* textibus incompatibilia obtinenti datur optio, ex duobus, quod maluerit, retinendi: & *c. Quia nonnullæ 3. de Cleric. non reſid.* ſecundò privandus dicitur per ſententiam: præterquam quòd hoc textu ſermo tantùm ſit de dignitatibus, perſonatibus, officiis & beneficiis curatis: partim verò; quia de illis duntaxat, aut ad ſummum etiam de incompatibilibus ſub eodem tecto, intelligi valet diſpoſitio Trident. *cap. 4. cit.*

Verùm, quia ex una, hoc S. Synodi decretum generaliter de quibuscunque beneficiis, contra formam ſacrorum canonum ſimul retentis, loquitur: & ſecundum obtinentem privat primô: ex

altera verò parte, ex *c. Referente* & *c. Præterea citt.* etiam duo ſimplicia beneficia, ſervitium & reſidentiam perſonalem incompatibilem poſcentia, ſimul retineri non poſſunt, horum etiam ſecundô obtentô primum vacabit ipsô Jure, prout deciſum à Rota, & à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratum pluries eſt, teſte Gonzalez *ad Reg. 8. gloſſ. 25. à n. 169 citt.* Azor *cap. 13. q. 2.* Garcias *cap. 5. n. 83.* & Palao *Tract. 13. diſp. 6. p. 3. §. 6. n. 3.*

194. Dubium ſecundò eſt de eo, qui, poſt duo vel plura beneficia incompatibilia obtenta, ſine diſpenſatione aſſequitur tertium: quem priùs obtentis non privari, deſumi videtur ex *c. Ordinarii 3. §. In conferendis de Offic. Ord. in 6.* ubi tertii collatio dicitur eſſe nullius momenti; & conſequenter non inducere vacationem priorum; cùm *Non præſtet impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum*, ut haber *Reg. 52. in 6.*

Nihilominus, talem quoque priùs obtentô utroque vel pluribus ipsô factô privari, *Clement. Si plures 3.* expreſsè eſt deciſum, nihil obſtante nullitate collationis tertii; quia nihilominus, obtenta pacifica poſſeſſione iſtius, illa vacant, *arg. c. Eum qui 18. in 6.* ubi per adeptionem beneficii defacto tantùm & injuſtam primum ita vacat, ſicut per adeptionem juſtam: & ratio ea redditur; quòd invaſor & injuſtè occupans beneficium non melioris conditionis ſit, quàm poſſeſſor id juſtè obtinens, *citt.* Garcias *n. 173.* Palao *n. 24.* & Vallenſ. *Tit. 2. n. 16.*

Neque obſtat; quòd *Clement. cit.* expreſsè ſermo tantùm ſit de dignitatibus & beneficiis curatis; quia propter identitatem rationis idem Juris in perſonatibus & Officiis eſſe, notat Gloſſa *in Clement. cit. V. Dignitates.*

Dubium tertiò de aſſecutione beneficii ſecundi eſt, qualis ea eſſe debeat, ut primi vacationem inducat. Sufficere enim aſſecutionem ipſius tituli per collationem, colligi videtur ex ſtylo Curiæ & conſuetudine, quâ Papa, Epiſcoporum electiones confirmans, decernere ſolet vacationem priùs obtentorum ab ipſo puncto confirmationis; ut ea conferri alteri & collatorum poſſeſſio apprehendi ſtatim valeat: etſi confirmatus habere nequeat poſſeſſionem Epiſcopatûs. 195.

Nihilominus à DD. ad vacationem primi paſſim & meritò exigitur; ut ſecundi aſſecutio ſit plena: qualis erit, ſi ſit imprimi Pacifica, *Clement. Si plures 3. & Clement. fin.* hoc eſt; ut neque tempore collationis, neque tempore apprehenſæ poſſeſſionis aut multò poſt vg. intra duos menſes, ſuper illa aut hac lis intentata ſit vel intentanda, Gloſſa *in c. Commiſſa 35. V. Pacificam de Elect. in 6.* Panormit. *in c. De multa cit. n. 16. citt.* Azor *Lib. 7. cap. 16. q. 9.* Garcias *cap. 5. n. 110.* & Palao *§. 6. n. 21.* Deinde Fructifera; ut non ſolùm habeatur poſſeſſio, quoad titulum & exercitium officii beneficio annexi: ſed etiam fructus aut major eorum pars percipiatur. Unde, ſi ſecundô pacificè poſſeſsô ipſius fructus aut major eorum pars ex privilegio vel conſuetudine alicui alteri aut fabricæ vel menſæ capitulari applicaretur, aut ſuper illis moveretur lis, primum dimittere non teneretur proviſus de ſecundo, *c. Si tibi conceſſo 26. in 6. citt.* Panormit. *cit. n. 16.* Azor *q. 5.* & Garcias *n. 145.* quia nondum plenè aſſecutus eſt ſecundum. Aliud eſſet, ſi primi annui fructus reſervarentur ipſi beneficiato poſt mortem applicandi; cùm enim hoc non impediat, quò minùs fructus ſint ipſius beneficiati, etiam non impediet beneficii priùs obtenti vacationem, *citt.*

nem, *citt.* Garcias *n.* 137. & Palao *n.*
196. 23. Demum; ut primi beneficii vacatio alterius incompatibilis assecutione inducatur, exigitur; ut utrumque in titulum vel in commendam perpetuam, & non in temporalem duntaxat sit collatum, ut indicat S. Synodus *Trident. Sess. 7. cap. 4. de Ref.* verbis *Quicunque de cætero plura curata aut aliàs incompatibilia beneficia, sive per viam unionis ad vitam seu commendæ perpetuæ, aut aliô quocunque nomine & titulô, contra formam Sacrorum Canonum recipere ac simul retinere præsumpserit &c.* Unde, Vicariatûs Episcopi generalis acceptatione, antè in titulum obtenta dignitas vel beneficium non amittitur; quòd ejusmodi Vicariatûs dignitas non perpetua, sed ad concedentis nutum revocabilis sit, Panormit. *in c. De multa cit. n. 23.* Laiman *cit. cap. 8. n. 4. in fine* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 158.*

Neque antè dictis obstat Praxis Curiæ Apostolicæ; quia, ut taceam; quòd ista spectet Episcopatum, ad hunc etiam promotorum beneficia non plenè & perfectè vacant à puncto confirmationis; cùm confirmatus, si eum ab Episcopatûs possessione adipiscenda impediri contingat, illa retinere valeat & recuperare, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 68.* ut dictum *n. 100.*

197. Quartò etiam duo beneficia Simplicia, tam Difformia ejusdem, quàm Uniformia diversarum Ecclesiarum, & personalem residentiam non requirentia, incompatibilia sunt, si, spectatâ tam ipsius beneficii quàm personæ qualitate & conditione, singula sufficiant ad congruam sustentationem, ut ex communi sensu docent *citt.* Garcias *cap. 5. à n. 273.* Flamin. *Lib. 5. p. 6. n. 119.* & Barbosa *alleg. 62. n. 8.* & desumitur ex *can. sin. can. Clericum c. Cùm adeo c. Cùm singula supra allegatis*, quibus beneficiorum pluralitas generaliter prohibetur: & clariùs ex Trident. *Sess. 24. cap. 17. de Reformat.* disertè statuente, *Ut inposterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quòd, si ad vitam ejus, cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens* (residentiam & servitium cum priore incompossibile non exigens) *eidem conferre.* Ubi

Dubium est, an ergo cum beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, obtineri & retineri simul valeat aliud simplex ad sustentationem insufficiens: quoad residentiam tamen & servitium compatibile. Cui ansam præbent paulò antè recitata verba *cap. 17. cit.* cùm enim his ei, qui beneficium simplex ad sustentationem insufficiens obtinet, aliud ad hanc sufficiens conferri clarè permittatur, non apparet ulla ratio, cur habenti sufficiens aliud insufficiens ejusmodi beneficium nequeat conferri. Sed hoc leve est; quia *cap. 17. cit.* verbis, *Aliud sufficiens*, S. Synodus intelligit aliud, quod non se solo, sed simul cum simplici beneficio ante obtento, sive huic additum, congruam sustentationem clerico præbet; cùm S. Synodi intentum fuerit; ne quis haberet duo beneficia, quorum alterum sufficiens est ad congruam sustentationem, ut S. Congregat. Gardd. Concilii Interpp. declaratione allegata, observat Garcias *cit. cap. 5. n. 303.* Quare beneficium simplex, ad sustentationem se solo sufficiens, cum alio ad hanc insufficiente, sive ante sive post sufficiens obtentô, simul retineri post S. Synodi illius decreta publicata non posse, cum Hoieda de *Incompatib. benef. p. 2. cap. 19. n. 1.* Zerola *Prax. Episcop. p. 4. V. Beneficium n. 2.* Flaminio *Lib. 5. de Resignat. q. 6. n. 116.* docet *cit.* Garcias *n.*
198.

319. ex

319. ex duobus beneficiis simplicibus insufficientibus legitimè simul obtentis ac retentis alterum dimittendum, asserens, quando alterum, licet factæ collationis tempore non esset, postea tamen auctis redditibus se solo sufficiens evadit.

Dixi, *Post decreta Tridentini publicata.* Imò de Jure etiam ante istorum publicationem: licet in multis provinciis invaluerit Consuetudo, vi cujus beneficium simplex ad sustentationem sufficiens obtinenti aliud insufficiens, aut tale obtinenti sufficiens sine dimittendi prioris obligatione à Diœcesium Ordinariis conferatur: qualis Consuetudo, quoad ejusmodi beneficia simplicia aliàs non incompatibilia, etiam post Tridentinum in Hispania antiquissimò & modernò quoque usu recepta est, teste *cit.* Garcia *n. 306.* eam, si hujusmodi beneficiorum duorum, non plurium, collatio ex rationabili causa fiat, non improbante *n. 332.*

199. Dubium etiam est, an duorum beneficiorum simplicium, ad congruam sustentationem sufficientium, secundi assecutione primum vacet ipsô Jure. Quod aliqui asserunt & desumunt ex *cit. cap. 4.* decreto id, quod de curatis statutum est, ad alia incompatibilia extendente. Verùm DD. alii, licèt talem primô ab Ordinario privandum, facilè concedant, istius tamen vacationem secundi assecutione Jure induci, negant & Rotæ decisione ac recepta praxi confirmant, cum *cit.* Gonzalez *glos. 15. n. 26.* Neque contrarium efficaciter persuadet Trident. *cap. cit.* quia hujusmodi beneficiorum incompatibilitas non tam provenit ex natura beneficiorum, quàm ex conditione beneficiatorum: respectu quorum unius insufficiens est, quod alteri congruam sustentationem præbet. Atque ita, spectatâ magis æquitate & communi observantiâ, quàm rigorosâ Concilii interpretatione, docent *citt.* Flamin. *Lib. 3. q. 1. n. 138.* Barbosa *alleg. 62. n. 3.* & Palao *n. 13.*

Porro, quodnam beneficium sufficientem & congruam sustentationem præbeat, Glossa *in c. Cùm adeo cit. V. Sufficientem*, Menoch. *de Arbitr. casu 216. n. 12. citt.* Azor *Lib. 7. cap. 10. q. 9.* Gonzalez *glos. 15. n. 39.* Barbosa *n. 11.* & DD. alii passim reliquendum censent arbitrio judicis, qualitates, tam beneficii quàm personæ beneficiati, considerantis; cùm utique minùs ad beneficiati simplicis, quàm curati: & ad hujus, quàm Decani aut Episcopi: minùs ad plebei aut illiterati, quàm nobilitate scientiâ atque experientiâ valde excellentis clerici sustentationem requiratur. Quidam, nec malè, hac in re spectandum censent usum & praxim aliorum virorum timoratorum; ut clericus sibi congruentem sustentationem habere judicetur, si beneficiales redditus æquent summam, quàm alii ejusdem qualitatis ac timoratæ conscientiæ beneficiati pro sua sustentatione exigere solent. Rectè tamen etiam notat Palao *cit. p. 2. n. 15.* congruâ & honestâ sustentatione beneficiati non ipsius personam duntaxat, sed familiam quoque includi; ut illam habere quis non judicetur: nisi percipiat reditus, sufficientes ad alimenta & salaria famulorum &c. statui suo convenientium: imò etiam ad egenos parentes aliósve proximè conjunctos juvandos & aliquando alendos, & ad eleemosynas largiendas atque Hospitalitatem, aliorum clericorum instar, exercendam. 200.

Quintò, incompatibilia tamen non 201.
sunt & absque dispensatione retineri simul possunt plura beneficia Uniformia Ecclesiarum diversarum, vel duo Disformia ejusdem: si eorum singula ad congruam

congruam ſuſtentationem non ſufficiant, & continuam atque incompoſſibilem reſidentiam vel ſervitium non requirant, juxta decretum S. Synodi Trident. *cap.* 17. *cit.* 202. *Duo*, inquam; quia triplex quis eſſe in una Eccleſia, ſive in ea plura quàm duo beneficia ſimul obtinere de Jure nemo poteſt, ut cum Gloſſa *fin. in Clemen. fin.* Franco *in c.* 1. *de Conſuet. in 6. n.* 7. Dominico *in c. cit. n.* 5. & 12. Puteo *Lib.* 2. *deciſ.* 446. *n.* 3. & aliis docent Garcias *cap.* 5. *cit. n.* 238. & Laiman *in c.* 1. *cit. n.* 6. ad diſpenſationem, ſicut pro duobus Uniformibus, ſic etiam pro tribus Difformibus in eadem Eccleſia obtinendis ſimúlque retinendis, Apoſtolicam exigens authoritatem; quòd id non ſolùm Juri antiquò, *cc. initiò citt.* beneficiorum pluralitati reſiſtenti: ſed etiam *cit. cap.* 17. decreto Conciliari adverſari, à Cardd. Interpp. pluries ſit declaratum, præſertim 8. Jan. 1587. cujus declarationis verba ſunt, *Nemo poteſt eſſe triplex in eadem Eccleſia*: & 11. Julij 1596. apud Gallemart *in cap.* 17. *n.* 3. idque Romæ obſervari, teſtis ſit M. Ant. Genuenſ. *cap.* 64. *n.* 4.

203. Vi Conſuetudinis etiam aliquem in eadem Eccleſia triplicem ſine Apoſtolica diſpenſatione eſſe non poſſe, cum Franco *cit. n.* 7. Imola *in c.* 1. *cit. n.* 8. & Garcia *cit. n.* 238. diſertè docent *citt.* Genuenſ. *n.* 5. Vallenſ. *Lib.* 3. *tit. & n.* 4. Fagnanus *in c. Literas* 9. *de Conceſſ. præb. n.* 3. & alii, id deſumentes ex *c.* 1. *cit.* Rationem reddunt; quòd ejusmodi Conſuetudo; cùm ad Eccleſiæ miniſtrorum & divini cultûs diminutionem tendat, & ſacris canonibus inimica ſit, tanquam corruptela rejiciatur *c.* 1. *cit.*

204. Sed hic DD. ſenſus, etſi Curiæ Romanæ ſtylo & Juris Conſuetudinarii principiis conſentaneus ſit, & propterea longi & longiſſimi etiam temporis uſu introductæ conſuetudinis vi tertium beneficium ſimplex in eadem Eccleſia obtineri Epiſcopali diſpenſatione non poſſit: damnare tamen, præſertim in provinciis ab Urbe valde remotis, nequaquam auſim, imò contra Fagnanum tutò practicari poſſe, exiſtimo doctrinam Navarri *Conſil.* 16. *de Præbend. n.* 3. tertium ejusdem Eccleſiæ, ſed Difforme beneficium, quando duo in ea obtenta ad congruam ſuſtentationem ſufficientia non ſunt, conferendi poteſtatem Epiſcopis vi Conſuetudinis immemoralis competere poſſe, aſſerentis. Quam ejus doctrinam cum Zerola *in Praxi Epiſcop. V. Conformitas* & Lælio Zecch. *de Republica, de Benef. n.* 4. non obſcurè approbat Laiman *cit. cap.* 8. *n.* 7. *in fine*, & mihi perſuadet partim; quòd *c.* 1. *cit.* textus, ejusmodi Conſuetudinem tanquam corruptelam reprobans, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus & officiis: non de beneficiis ſimplicibus & ad ſuſtentationem inſufficientibus loquatur: partim verò; quòd beneficiorum, ad congruam ſuſtentationen inſufficientium, tertium in eadem Eccleſia conferendi poteſtas Epiſcopis competere valeat Privilegiô Apoſtolicô, ut nemo facilè inficias ibit: Conſuetudo autem & præſcriptio 205. immemorialis vim habeant privilegii, à ſummo Pontifice ſpecialiter conceſſi, *c. Super* 26. *V. Præterea de V. S. & l. Hoc jure* 3. *§.* 4. *ff. de Aqua quotid.* uſque adeò; ut ipsâ melior titulus nequeat allegari, Gonzalez *in Reg.* 8. *gloſſ.* 33. *n.* 4. & plures alii apud Barboſam *in c. Super cit. n.* 7.

Sextò, quin ſimul etiam obtineri 206. & retineri ſine diſpenſatione poſſunt duo hujusmodi beneficia curata, ſi unum ſit alteri acceſſorium, vg. Archidiaconatus aut Decanatus, cui acceſſoriè unita eſt Eccleſia parochialis, *c. Super eo* 6. *in 6.*

quia talis non censetur habere duo beneficia; cùm id, quod alteri accessorium est, per unionem cum illo sit suppressum & extinctum, & cura animarum illi imminens per vicarium, Rectori principali, scilicet Archidiacono vel Decano substitutum, exerceatur, *c. Extirpandæ 30. §. Qui verò & c. Exposuisti 33.* Ita *in c. Super eo cit.* Francus *n. 3.* Laiman *n. 1.* Barbosa *n. 7.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 134.* & Wagnereck *in c. cit.*

207. Septimò, duo beneficia Regularia, etiam ejusdem Ordinis ac monasterii, ab eodem simul obtineri & retineri non possunt, Jure id apertè prohibente, *c. Cùm singula cit. & Clement. Unic. in fine de Snppl. neglig.* adeò; ut cum beneficio etiam capella vel altare simul haberi nequeat: nisi eorum unum alteri sit unitum, Navarrus *Comment. 4. de Regular. n. 23.* Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 34. art. 1.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 29. n. 78.*

208. Multò minùs, quàm in eodem, duo ejusmodi beneficia obtineri ab eodem simul possunt in monasteriis vel Ecclesiis diversis, *c. cit. V. Prohibemus*; quòd, si quis ea in diversis simul obtineret, constitueretur sub diversa Obedientia & duobus Prælatis subjiceretur, contra decretum Concilii Lateranensis, *c. fin. de Relig. domib.* relatum.

209. Superest dubium, quis ad beneficiorum pluralitatem valeat dispensare. Et quidem, ex justa causa id posse Papam, exploratum & clarè proditum est, *c. De multa, c. Licet citt. c. Proposuit 4. de Concess. præb.* verbis, *Secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*, & *Clement. 1. Ut lite pendent.* & Praxi quotidianâ receptum. Intervenire tamen necesse est justam causam: cujusmodi est Necessitas Ecclesiæ, vg. cùm desunt idonei ministri in locis, in quibus Hæretici se intrudere nituntur. Ejusdem evidens Utilitas; ut quando unus solus etiam absens propter singularem authoritatem, prudentiam aut etiam potentiam Ecclesiæ magis profuturus judicatur: propter quam causam plures Episcopatus in Germania non rarò conferuntur uni, quòd ita res Catholica contra Hæreticos faciliùs defendenda judicetur. Prærogativa meritorum, ob quam cum Regum aliorúmque Principum filiis, S. R. E. Cardinalibus, & doctrinâ rerúmque usu præstantibus aut de Ecclesia bene meritis viris, eorúmque liberis ad Ecclesiasticarum dignitatum pluralitatem dispensari à Sede Apostolica solet, juxta *c. De multa in fine* ibi, *Circa sublimes tamen & literatas personas: que majoribus sunt beneficiis honoranda, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*: quibus consonat *Extravag. cit. §. Nos itaque*, Panormit. *in c. De multa cit. n. 7.* & Azor *Instit. p. 2. lib. 6. cap. 12. q. 7.*

Hujusmodi aliáve similis justa causa si non interveniat, Azor *q. cit.* Palao *cit. §. 6. n. 26.* aliíque existimant, invalidam esse dispensationem, utpote factam in Jure Naturali ac Divino, plurium stipendia persolvi unum duntaxat officium cum divini cultûs diminutione præstanti, & Ecclesiam debitis ministris destitui, prohibenti: eámque ob causam beneficiatum, ejusmodi dispensatione ad pluralitatem non obstante, ad unius resignationem obligari, idem Azor expresè monet *q. 7. cit.* Quæ hac de re Opinio, etsi omnino probabilis, non improbabile tamen etiam est, validam esse dispensationem, si officio alterius Prælaturæ vel beneficii annexo æquè per vicarium, quàm Prælatum aut beneficiatum ipsum satisfiat; quòd tali 210.

casu

casu Naturalis ac Divini Juris obligatio cesset, juxta dicta *Tit. 4. n. 12.*

211. Dubium est, an in pluralitate dispensare valeat Episcopus. Certum est, dispensari ab eo posse in incompatibilitate, quando hæc statutô vel Consuetudine solùm diœcesanâ est introducta. In ea etiam, quæ communi Jure introducta est, casu, quô dispensationem exigit Necessitas aut evidens Utilitas, & ad Papam difficilis recursus est, dispensandi facultatem ei adstruunt plerique: qui tamen regulariter ad beneficia Jure illo incompatibilia dispensari posse, meritò negant, ducti *arg. c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* Glossa *in c. Non potest 2. V. Apostolica in 6.* & Azor *cit. cap. 12 q. 6.* Hoc tamen Jure non obstante, ex Consuetudine Episcopi Germaniæ dispensant ad duo beneficia simplicia, vg. ad duos canonicatus diversarum Ecclesiarum, non exigentes residentiam incompatibilem: uti etiam ad beneficium simplex retinendum cum curato; sic enim non infrequenter beneficia curata obtinent canonici Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, quando eorum unum non sufficit ad congruam sustentationem, Azor *cit. Lib. 6. cap. 11. q. 4.* Garcias *cap. 5. n. 369.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 188.*

TITVLVS VI.

De Clerico Ægrotante vel Debilitato.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium ad Officium inhabili non confertur.*
2. *Non tamen aufertur in eo canonicè instituto:*
3. *Qui etiam senex & infirmus illius percipit fructus,*
4. *Cum distributionibus, ante percipi solitis:*
5. *Licet infirmitas contracta sit propriâ culpâ.*
6. *Ei tamen dandus est Coadjutor.*
7. *Neque, etiamsi perpetuò inhabiles sint, Episcopis,*
8. *Prælatis inferioribus,*
9. *Et ipsis parochis &c. auferuntur ipsæ Ecclesiæ:*
10. *Saltem, si has plenè & absolutè jam fuerunt consecuti.*
11. *Coadiutori assignanda est portio fructuum coadjuti,*
12. *Vel de sustentatione ab Episcopo aliter providendum.*
13. *Episcopis coadjutores aliquando dat Papa vel Capitula, aliquando ipsi assumunt,*
14. *Eósque ferè inferioribus assignant.*
15. *Coadjutoria expirat morte vel cessione coadjuti:*
16. *Nisi à Papa data sit cum jure successionis,*

17. *Conferente jus beneficii vacaturi:*
18. *Licet coadjutus ante literas Apostolicas receptas:*
19. *Non etiam, si ante datas, decesserit.*
20. *Coadjutor, generaliter datus, omnia administrat.*
21. *Non tamen alienat res immobiles:*
22. *Neque confert beneficia Ecclesiastica:*
23. *Nisi coadjutus ea nequeat conferre.*
24. *Invito datus coadjutor administrat:*
25. *Quin se ingerat coadjuto, administrare volenti ac valenti.*

1. CUm beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.* & Clericorum residentia non otiosa, sed laboriosa sit, personis, ad officium sive Ecclesiæ ministerium obeundum inhabilibus, beneficia non solùm non sunt conferenda, *c. Relatum 4. & c. Conquerente 6. de Cleric. non resid.* sed ea etiam, quæ jam obtinent, auferenda, *arg. c. Ex parte ii pr. eâdem Rubr.*

2. Verùm, etsi hoc Regulare sit, sine exceptione tamen non procedit; cùm Clericum, in beneficio Ecclesiastico canonicè institutum sive, ut loquimur, investitum, si ob senium, infirmitatem, mutilationem officio suo supereſſe, & Ecclesiæ servire per se non valeat, ab illo non removendum, non minùs firmæ Regulæ instar receptum, & clarè satis proditum sit *c. 1. c. Presbyterum 2. hâc Rubricâ*, cùm; ne afflicto sive, ut *can. Cùm Percussio 7. q. 1.* dicitur, flagellato afflictio addatur: quæ ratio redditur *can. cit. & c. Ex parte 5.* tum verè; quia in Ecclesia militantibus varia sæpe accidit infirmitas; ideóque, sicut seculi militibus, senio laboribúsque confectis aut aliter debilitatis prædia & possessiones ad eorum alimoniam præstabantur, *l. Item 15. §. 2. ff. de R. V.* sic etiam militibus Christi, gravatis senio aut infirmitate prostratis, quæ sani obtinebant, beneficia eorúmque fructus non sunt subtrahendi; ne aliis eorum exemplo deterritis, qui Ecclesiæ servire velint, idonei ministri non reperiantur, ut Gregorius I. arguit *c. 1. cit.* 3.

Neque beneficiorum tantùm suorũ fructus, sed quotidianas etiam Distributiones hujusmodi clerici percipere debent, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Unico de Cleric. non resid. in 6.* saltem, si istas, dum sani essent, percepissent, ut rectè advertit Barbosa *in c. cit. n. 16.* quia, si clericus propter absentiam ab Officiis Divinis Distributiones percipere ante infirmitatem solitus non fuisset, eas etiam morbo superveniente percipere non deberet, ut cum Panormit. *in c. 1. cit. n. 6.* docent Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 8.* Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 1. n. 138.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 168. & in c. 1. cit. n. 11.* eâ permoti ratione; quòd tali casu absentiæ & omissionis Divini Officii causa potiùs continuata negligentia, quàm superveniens infirmitas esse censeatur; quia casus superveniens declarandus est secundùm casum proximè præcedentem, ut *arg. c. Majores 3. de Baptismo* arguunt Panorm. *l. cit.* & Fagnan. *in c. 1. cit. n. 11.* 4.

Ex infirmitatis causa absentibus clericis Distributiones non deberi, aliqui volunt illis, qui infirmitatis causa ipsi fuerunt intemperanter vivendo. Sed contra DD. sententiam communem; quia *c. Unici cit.* textus hujusmodi infirmos non excludit: sed Distributiones percipi posse, statuit ab omnibus, qui à Divinis Officiis absunt ex causa infirmitatis sine ulla inter istius causas distinctione. Unde etiam tales clerici verè ex infirmitatis causâ absentes distributiones omnino per- 5.

no percipient; cùm, ne afflictis, beneficii & ex isto provenientium fructuum ademptione, nova afflictio addatur, contra Regulam *can. Cùm percussio & c. Ex parte citt.* tum verò; quòd ex intemperantia infirmitas secuta sit per accidens & præter intentionem clerici, qui intemperantiam satis luit decumbendô, Covarruvias *cit. cap. 13. n. 8. V. Septimò.*

6. Ne tamen Episcoporum, parochorum aliorúmve beneficiatorum, præsertim curatorum, propter senium aut infirmitatem muneri suo supereſſe & Ecclesiis deservire per se non valentium, absentia istis damnosa & animabus periculosa sit, dandus, ipsis est Coadjutor: qui, accepta de Ecclesiæ redditibus portione ad congruam sustentationem sufficiente, ipsorum dignitati vel beneficio annexum officium, & præsertim pastorale munus exerceat, *c. De rectoribus 3. & c. fin.* Unde

7. Frequentis in praxi usûs dubium & controversia oritur, an Coadjutor vel potiùs, ipsis remotis, successor dandus sit iis, qui propter senium, lepram aliámve infirmitatem ad officium, beneficio suo annexum, perpetuò inhabiles fiunt. Et Episcopum quidem eóque superiores Prælatos ex tali causa à Prælatura removeri non posse: sed Coadjutorem, qui pastorale munus exerceat, ipsis adjungendum, satis convenit inter DD. & clarè habetur *c. Ex parte cit. & c. Unico in 6.* quia inter Episcopum & Ecclesiam conjugii spiritualis vinculum, ab alio quàm

8. Papa non solubile intercedit, *c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* Idem de inferioribus, tam Regularibus quàm Secularibus Prælatis, & dignitatem, personatum aut officium quodcunque obtinentibus ex *c. fin.* cum Hostiensi & aliis desumit Fagnanus *in c. cit. à n. 2.*

De Parochialium Ecclesiarum rectoribus non idem est omnium sensus; eos enim tali casu ab Ecclesiis removendos, cum Glossa in *c. Tua nos 4. V. Administrationis* vult Innocentius *in c. cit. V. Aliùs*, & non obscurè insinuari *c. cit.* claréque tradi videtur *c. 1. de Ætat. & qualit.* quorum textuum priori Sacerdos Parochialis lepræ morbô percussus ab administrationis officio removeri, & ex Ecclesiæ facultatibus sustentari: posteriori, qui propter superveniens impedimentum beneficiis & dignitatibus suis annexum Ordinem suscipere & officium obire nequeunt, illis privari jubentur.

Sed Juri istiúsque rationi magis 9.
consentanea est Opinio Panormit. *in c. Tua nos cit. n. 4.* Garciæ *p. 4. de Benef. cap. 5. à n. 5.* Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 9. n. 1. n. 18.* & Fagnani *in c. De Rectoribus cit. n. 4.* etiam parochos & cæteros curatos, cùm ad animarum curam per se exercendam ex causa aliqua fiunt inhabiles, non removendos, sed Coadjutore assignatô adjuvandos, docentium; quòd hoc de ipsis statuat *c. cit.* textus, & exigat miseratio Juris, infirmitate gravatorum afflictionem beneficiorum ademptione augeri, non permittentis. Neque eorum amotionem persuadet *c. Tua nos cit. textus*; quia licet, Coadjutore assignatô, Parochus leprâ aliáve infirmitate percussus ab administrationis actualis officio & animarum cura personaliter exercenda removeatur, beneficium tamen & in isto fundatum officium seu curam habitualem retinet non minùs, quàm Episcopus aliíque prælati officium Pastorale: quod isti habitu retinent & per assumptum aut sibi deputatum Coadjutorem actu exercent, *cit.* Fagnanus *n. 6. & 7.*

Neque cum hac *c. cit.* expositione pugnat; quòd eô necessaria vitæ subsidia Rectori ministranda dicantur, juxta Ecclesiæ facultates; quia sensus est, eum ex parochialis suæ Ecclesiæ seu beneficii red-

ditibus, sicut antè, alendum, assignatâ coadjutori congruâ portione, ut dicitur *c. De Rectoribus cit.* vel sumptibus moderatis, ut *c. unico cit.* habetur,& cum Joan. Andr. *in c. fin. cit. n. 14.* notant *citt.* Panormit. *n. 5.* & Fagnanus *n. 8.*

10. Non magis, parochi eíque similis curati, ab officii sui administratione impediti & inviti,remotionem Juri istiúsque rationi consonam esse, evincit *c. 1. cit.* textus; quia istò sermo est de Abbatibus, Præpositis &c. qui dignitates suas nondum cæperunt administrare : imò non plenè & omnino absolutè, sed sub tacita conditione suscipiendi intra annum Ordinis sunt assecuti : qui, si hunc suscipere propter perpetuum aut valde diu duraturum impedimentum nequeant, ideóque deficiat conditio, sub quâ dignitates ipsis collatæ sunt, ab iis removeri meritò jubentur : etsi, qui beneficia & dignitates suas plenè assecuti sunt, & administrare, jam cæperunt, superveniente impedimentô etiam perpetuô, non removendi, sed assignatô coadjutore adjuvandi sint, Laiman *in c. 1. cit. §. fin. V. Sed non placet.* Unde

11. Dubium & quotidiani usûs quæstio nascitur, an tali casu necessaria vitæ subsidia tribuenda priùs sint parocho vel coadjutori. Glossa *fin. in c. De rectoribus cit.* favet coadjutori,Ecclesiæ inservienti. Alii tamen *in c. cit.* cum Ant. de Butr. *n. 4.* Joan. Andr. *n. 3.* Panormit. *n. 6. cit.* Barbosa *alleg. 63. n. 15.* Palao *cit. p. 9. n. 3.* &, ut *in c. cit. n. 12.* Fagnanus ait, majori æquitate præferunt parochum, cum; quòd *c. 1. cit.* huic ægrotanti diserte adstruantur quæcunque, dum sanus esset, percepit; contrà coadjutori de Ecclesiæ redditibus portio tantùm attribuatur *c. de Rectoribus cit.* tum verò; quòd parochus quoad pristinos reditus jus habeat ex beneficii titulo & investitura, ejúsque proprietatem retineat & possessionem : neutra verò istarum, sed nudum duntaxat ministerium, sit penes coadjutorem, *arg. l. Possideri 3. §. 5. ff. de Adquir. possess.* ut idem Fagnanus notat & Rotæ *decis. firmat. n. 35.*

Quare, ne tali casu congrua portione coadjutor careat, providere erit Episcopi : qui ad ministrandam illi sustentationem compellet parochianos, ut vult Panormit. *cit. n. 6.* vel, si isti sint inopes, aut ad vitæ subsidia illi ministranda sine difficultate adigi non possint, ipse illi succurret per collationem beneficii simplicis vel pensionis assignationem, ut colligitur ex Trident. *Sess. 21. cap. 4. de Ref.* arbitrio Episcopi permittente, an novæ parochiæ rectori (eadem ratio est coadjutoris) congruam sibíque debitam sustentationem non habenti, fructus aliunde assignandi,vel ad illam præstandam populus sit compellendus. 12.

Porro coadjutorem Episcopo invito dare potest solus Papa; quia ejus datio est una ex causis majoribus, reservatis sedi Apostolicæ, *c. Unic. pr. in 6.* cujus authoritate Episcopus,senió, infirmitate vel aliunde ab officii sui executione impeditus,cum Capituli vel majoris istius partis consensu unum vel duos coadjutores assumere potest : vel, si ipse ob amentiam vel aliunde provenientem defectum consensûs hoc nequeat, unum vel duos ei assignare Capitulum unanimi, vel saltem duarum partium consensu,eâdem Apostolica authoritate potest, *c. Unic. cit. V. Si verò :* ubi tamen hoc, uti etiam casu, quò Episcopus omnino inutilis redditus coadjutorem assumere, licet à Capitulo requisitus,non vult, ipsius & Ecclesiæ conditio ac status cum omnibus circumstantiis, quàm citò poterit,ad sedem Apostolicam referri jubetur. 13.

Prælatis inferioribus non exemptis, sicut & 14.

sicut & parochis, ob senium infirmitatem &c. officio suo supereſſe non valentibus, coadjutores dare poſſunt proprii ipſorum Epiſcopi, *c. De rectoribus & c. fin. citt.* & alii prælati jurisdictionem quasi Epiſcopalem obtinentes, qui eos inſtituendi deſtituendíque, aut saltem deſtituendi sive privandi, eorúmque reſignationes admittendi poteſtatem habent: quantumvis collatio sive eorum inſtitutio sola ad alium pertineat, Joan. Andr. *in c. fin. cit. n. 7. & ibi* Panormit. *n. 5.* Iidem Epiſcopi coadjutores & vicarios temporales, parte fructuum aſſignatâ, deputare poſſunt parochialium Eccleſiarum rectoribus illiteratis & imperitis, qui aliàs vitæ sunt honeſtæ, ex decreto Trident. *Seſſ. cit. cap. 6. de Ref.*

15. Dubium eſt de tempore, quô durat coadjutoria. Et ab Epiſcopi, quidem & inferioribus prælatis deputatos vel aſſignatos coadjutores temporaneos eſſe, eorúmque officium coadjuti morte naturali & civili, puta depoſitione vel renuntiatione expirare, satis convenit inter DD. & clarè traditur *c. Grandi 2. in fine, de Suppl. neglig. in 6.* & Trident. *cap. 6. cit.* ibi, *Coadjutores aut vicarios pro tempore aſſignare poſſint.* Quod probatur exemplô tutelæ, quæ pupilli morte, tam civili quàm naturali, finitur, §. 1. & §. *Sed ſi 2. Inſtit. Quibus modis tut. fin.* & ipsum vocabuli etymon firmat; cùm, sicut à *Tuendo* Tutor, *l. 1. ff. de Tutel.* sic Coadjutor dicatur à *Coadjuvando*; ac proinde, sicut tutoris pupillô, sic & coadjutô mortuô coadjutoris officium expirare sit neceſſe. Quæ ratio, cùm etiam in coadjutore ſimpliciter à Papa dato procedat, ab iſto etiam ita dati officium expirabit morte coadjuti; quia mens Principis, si aliud non exprimat, Juri communi conformis eſſe præſumitur, *l. Ex poſt facto 43. ff. de Vulg. & pupill. ſubſt. & l. Reſcripta 7. C. de Precib. Imp. offer.*

An autem perpetuus, sive cum ſucceſſionis jure, coadjutor dari à Papa valeat, dubitandi ratio eſt; quòd ſucceſſiones in beneficiis noviſſimè à Trident. *Seſſ. 25. cap. 7. de Ref.* & ante Concilium hoc *c. Deteſtanda 2. & c. Ne captandæ 3. de Conceſſ. Præb. non vac. in 6.* damnatæ sint ex graviſſima ratione; quòd occaſionem præbeant captandæ vel optandæ mortis alienæ, scilicet ejus, cui cum ſucceſſionis jure coadjutor eſt datus. Sed, hac ratione non obſtante

Explorati & frequentiſſima praxi roborati Juris eſt, cum tali jure coadjutores dari à Papa poſſe; cùm de beneficiis & dignitatibus Eccleſiaſticis diſponendi, in iisque vacaturis jus tribuendi poteſtas ipsi diſertè adſtruatur *c. Licet 2. pr. de Præb. & Dignit. in 6.* Unde Interpretationem & exceptionem accipiunt ex *Decretal. Lib. 6.* in contrarium allegati textus. Neque magis, quàm iſti urget decretum Tridentini; cùm, sicut priſca, sic & noviſſimum hoc Eccleſiæ Patrum Concilium non sit ſupra Papam; ut ei ponere valeat legem, quâ ejus poteſtas conſtringatur, ut patet *ex c. Significâſti 4. de Elect.* & ipsâmet S. Synodo memoratâ, à ſuis decretis ſedem Apoſtolicam diſertiſſimè eximente *cit. Seſſ. 25. cap. 21. Omnia & ſingula à ſe ſtatuta ita decreta eſſe declarans, ut in iis ſalva ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.* Ut adeô iſta, captandæ, & optandæ mortis voto, cui occaſio non per ſe & ex fine ſuo, ſed merè per accidens præbetur, non obſtante, cum ſucceſſionis jure coadjutores dare poſſit: quoties iſtis tale jus ad Eccleſias cum majori authoritate, amore fidéque ſubditorum regendas judicat profuturum, Garcias *de Benef. p. 4. cap. 5. n. 16.* Gon- 16.

n. 16. Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 5. §. 9. n. 91.* Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 8 q. 2.* Palao *tract. 13. disp. 1. p. 9. n. 9.* & Fagnanus *in c. Nullæ 2. de Concess. Prab. num. 84.*

17. Quare, licet coadjutoria simpliciter, hoc est, sine successionis jure data, coadjutô, vg. Episcopo decedente vel cedente, expiret: & jurisdictio atque administratio Episcopalis ex Juris communis dispositione ad capitulum transeat; cùm Episcopo tantùm, non etiam capitulo sit datus: & huic illi decedenti in administratione succedendi jus ademptum aut diminutum non sit, *arg. c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. & l. 1. C. Res inter alios acta &c.* Alia tamen ratio est cum illo jure datæ coadjutoriæ; cum enim per hanc jus ad rem sive ad dignitatem vel aliud beneficium coadjutori ad quisitum sit, illius per coadjuti obitum vel resignationem inducta vacatione jus plenum consequitur, ut nova ejus collatione non sit opus; cùm Papa hujusmodi coadjutoriæ, *Ex nunc prout ex tunc* faciat collationem, ut apud Garciam *cap. 5. cit. n. 138.* Rota resolvit. Ubi

18. Dubium & practica controversia inter DD. est, an ita datus coadjutor in dignitate vel beneficio succedat, si coadjutus ante coadjutoriæ literas obtentas cedat vel decedat. Non quidem, si literæ ante cessum vel decessum jam sint datæ sive expeditæ; cùm tali casu successioni locus indubitatè sit: quantumvis coadjutor gratiæ sibi factæ notitiam non habeat; quia gratia successionis effectum sortitur à tempore datæ, quâ ex parte summi Pontificis jam est perfecta, *citt.* Garcias *cap. 5. n. 132.* & Palao *p. 10. n. 34.*

Sed, si coadjutus cesserit vel decesserit ante tempus datæ literarum. Quô etiam casu successioni locum esse, vult Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 9. àn. 53.* secutus Putei *Lib. 2. decis. 98.* Ratio, quâ movetur, est; quòd in coadjutoria cum futura successione contineantur duæ gratiæ diversæ: una ipsius coadjuti, altera coadjutoris favorem spectans: quarum priori per ipsius coadjuti obitum vel renuntiationem extinctâ, posterior, sive coadjutoris favorê & successionem spectans & à priore independens non expirat, *arg. c. Si eo tempore 9. de Rescript. in 6.* ex cujus decisione gratia rescripti, quoad unam partem invalida, quoad alteram subsistit. Cui rationi & Opinioni non leve pondus addit imprimis formula hujusmodi coadjutoriæ: quâ successio concedi solet appositâ clausulâ, *Etiamsi beneficium de tempore data actualiter vacet, & coadjutor officium suum non exercuerit.* Deinde paritas cum gratia dispensationis super impedimento vg. affinitatis ad contrahendum matrimonium & susceptæ prolis legitimationem: quarum, etsi prior propter mortem alterius, qui id cum impedimento contraxerunt, effectum habere non possit, nihilominus posterior, prolis legitimationem spectans, valet, etiam in præjudicium venientium ab intestato, ex mente Anchorani *Consil. 409.* & Rotæ non una *decis. allegat.* à *cit.* Gonzalez *n. 57.* cur non etiam proposita coadjutoria subsistat quoad successionem, etsi corruat quoad exercitium officii coadjuti?

19. Sed veriùs successioni locum tali casu non esse, sustinent *citt.* Garcias *n. 132.* & Palao *p. 10. n. 34.* eâ permoti ratione; quòd in ejusmodi coadjutoria contenta gratia posterior pendeat à priori, cui datæ tempore non erat locus. Quam istius cum ista connexionem ac dependentiam *citt.* DD. probant partim; quòd coadjutori successio detur in remunerationem obligationis, quam pro coadjuto subit; ideóque,

ideóque, ſicut obligatio iſta, ſic etiam ſucceſſio ceſſet: partim verò; quòd coadjutoria jus ſolùm tribuat in beneficio vacaturo &, quod poſſidet coadjutus: caſu autem, quô iſtius obitus vel renuntiatio datæ tempus anteceſſit, beneficium vacaturum & quod coadjutus poſſidet, concedi ampliùs non poſſit. Accedit; quòd coadjuti obitu beneficii conferendi jus quæſitum ſit collatori inferiori: jus autem tertio quæſitum tollere Papa, etſi abſolutè valeat, non facilè ſoleat, & indubio velle nunquam præſumatur, per *Cancell. Reg. 17.* & tradita à Cochier *in Reg. cit. à n. 5.* & Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Beneficiis diſc. 42. n. 5.* non obſcurè favente huic Opinioni: contra quam allata ratio corruit ex dictis.

Neque magis, quàm iſta illi adverſatur formula Literarum hujusmodi coadjutoriæ; quia iis inſerta clauſula, *Etiamſi beneficium actualiter vacet*, intelligenda eſt de vacatione inducta ſolô Jure; quòd coadjutus beneficium fortè poſſideat ſine legitimo titulo: non de ea, quæ Jure & Facto inducta eſt beneficiati morte vel renuntiatione; ut ita inferioris collatoris juri non derogetur, *cit.* Garcias *n. 133.* qui tamen paulò ante excepit coadjutoriâ cum futura ſucceſſione bona fide, hoc eſt, ab eo, qui coadjuti mortem ignorat, impetratam cum antidata, hoc eſt, datâ coadjuti mortem antecedente: quales in remotis, hoc eſt, ultra montes aſſumptis coadjutoribus aliquando dari, notat laudatus Card. de Luca *n. 6.*

20. Legitimè deputati vel aſſumpti coadjutoris poteſtas ſe extendit ad ea, ad quæ ſupplenda eſt datus; cùm aliquando rerum ſpiritualium, vel temporalium duntaxat: aliquando generalem utrarúmque adminiſtrationem habeat, prout coadjutus ab illarum vel iſtarum duntaxat, vel utrarumque adminiſtratione eſt impeditus, Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 63. n. 13.*

Excipitur tamen & coadjutori interdicta eſt quomodolibet facienda alienatio rerum, tam ipſius Prælati quàm Eccleſiæ, *c. Unico cit. V. Præſenti*, rerum immobilium & mobilium pretioſarum, ut *in c. cit.* notat Barboſa *n. 11.* De cæterarum autem ſive mobilium non pretioſarum & quæ ſervandô ſervari nequeunt, alienatione adminiſtrationéque totâ rationes prælato, ſi ſanæ mentis eſt: vel Capitulo: vel, ſi officiô ſuô durante id non fecerit, ſucceſſori reddere tenetur, *V. cit.* cujus diſpoſitionî non adverſatur coadjutoris paritas cum tutore vel curatore, ad adminiſtrationis ſuæ rationes durante officiô ſuô reddendas Jure communi non obligatis, *l. Si tutor 9. §. 4. ff. de Tutel. & rat. diſtr. & l. Adverſus 2. C. de Adminiſtr. Tut.* quia lata inter eos diſparitas eſt; cùm tutoris & curatoris officium tempus habeat certum ac determinatum: non etiam coadjutoris; quia coadjutoria ultra coadjuti vitam & obitum omnino incertum non extenditur, ut *arg. l. Niſi finita 4. §. 3. ff. de Tutel. & rat. diſtr.* ſit locus, Anchoran. *in c. Unic. cit. n. 6.* & Francus *ibid. n. 3.* 21.

Excipi etiam ſolet libera collatio beneficiorum; quòd ſit quædam donatio, *c. fin. de Inſtitut. & c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* ac proinde ſpecies alienationis, *c. Nulli 5. de Reb. Eccleſ. alien.* coadjutoribus interdictæ, *V. Præſenti cit.* Sed hac in re præcipua ratio habenda eſt ſtatûs ipſius coadjuti; cùm, ſi iſte ſanæ mentis ſit, ut collationem facere ipſe poſſit, hæc ad ipſum pertineat; ut, licet coadjutoris ad ſpiritualium adminiſtrationem dati conſilium adhiberi conveniat: iſtô tamen non requiſitô facta collatio ſubſiſtat; quòd dignitatis retineat titulum & ipſam etiam poſſeſſionem. Si verò coadjutus 22.

23. amens eáque valetudine sit, ut consensum suum exprimere non possit, vacantis beneficii collatio competet coadjutori; quia ex una collatio, licet donatio quædam sit, non tamen merè voluntaria, sed necessaria est; ne solitò diuturnior vacatio Ecclesiæ afferat damnum & periculum animabus: ex altera verò parte, administratori voluntaria duntaxat, non etiam necessaria donatio est interdicta, *l. Alienationes 13. ff. Famil. herciſc. citt.* Joan. Andr. *n. 9.* Francus *n. 3.* & Fagnanus *in c. Ex parte 5. n. 4.* Unde

24. Satis expedita est Resolutio dubitationis, an perpetuus, sive cum futura successione & libera administratione Episcopo datus coadjutor ea, quæ jurisdictionis spiritualis & temporalis sunt, exercere valeat eô, cui datus est, invitô. Quantumvis enim hoc affirmandum primô intuitu videatur; cùm propter amplitudinem potestatis exprimi solitæ in ejusmodi coadjutoriæ Bulla: tum verò; quòd coadjutor dari etiam invito & contradicenti possit, ut ex communi DD. sensu notat Fagnanus *in c. Ex parte cit. n. 4.* locus tamen est insinuatæ distinctioni: vi cujus; cùm Episcopus coadjutus omnino inhabilis, aut saltem, quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, peragere omnia ipse non potest, aut non vult: coadiutor omnia, aut saltem ea, quæ per se obire coadiutus non valet, aut non vult, peragere potest, quin ab ipso providè gesta valeant revocari. Casu autem, quó coad- 25.
iutus, senió aut infirmitate non obstante, quibusdam fungi ipse vult & coadiutori se immiscere volenti non irrationabiliter contradicit, iste se ingerere, eáque peragere non valet; cum coadiuto associetur, *c. Ex parte cit.* & detur in subsidium ipsius, jurisdictionem & administrationem habitu retinentis; ac proinde, si specialiter prohibitus non sit, & valit, exercere valentis. Unde, eô quædam agere per se volente, coadiutorem se ingerere non permittit reverentia debita coadiuto, *can. Quia fratres, 7. q. 1.* Fagnanus *in c. Ex parte cit. n. 19.*

Neque refert; quòd coadiutor aliquando etiam invito detur; quia hoc ipsius potestatem non auget. Neque etiam Bullæ amplitudo; quia generalia istius verba ad ea, quæ coadiutori de Jure vel consuetudine competunt, restringenda, rectè monet idem Fagnanus *num. 24.*

TITULUS VII.

De Institutionibus.

BEneficiorum Ecclesiasticorum collationi liberæ, ad *Rubr. de Præbend. & dignit.* explicatæ, succedit clericorum ad illa præsentatorum institutio: cujus nominis in Jure nostro non una vis & significatio est.

ARTICU-

ARTICULUS I.

De Institutione tituli in beneficio Collativa.

SUMMARIUM.

1. *Nomine Institutionis venit I. generaliter quæcunque:*
2. *II. Facta liberè, &*
3. *III. Concessio beneficii, facta ad patroni præsentationem:*
4. *Sine qua præsentatus beneficium acceptare nequit.*
5. *Acceptandô tamen non amittit jus quæsitum per præsentationem.*
6. *Institutio præsentati Jure communi competit Episcopo:*
7. *Sede vacante Capitulo Cathedrali,*
8. *Et utriusque Vicario generali:*
9. *Jure speciali aliquando aliis Prælatis.*
10. *Nec non sequestro, & instituendi juris bonæ fidei possessori.*
11. *Ex privilegio Apostolico aliquando Abbatissæ,*
12. *Et aliquando laici instituunt præsentatos.*
13. *Instituendi jus habens, si ipse præsentetur, neque à se,*
14. *Neque ab alio à se delegato:*
15. *Sed à superiore aliquo est instituendus.*
16. *Distinctio personarum inter dantem & accipientem specialiter exigitur in beneficiis.*
17. *Certum tempus Jure præfixum non est institutioni:*
18. *Quæ intra tempus patronis indultum ad præsentandum:*
19. *Quocunque etiam feriatô die,*
20. *Et extra instituentis territorium fieri potest,*
21. *Prævio & publicè propositô Edictô:*
22. *Quod non expescitur in beneficii liberæ collatione:*
23. *Neque in præsentatorum institutionibus in Urbe Romana,*
24. *Et extra hanc in variis locis de consuetudine.*
25. *Et verisimiliùs etiam, spectato Jure communi.*
26. *Cùm præsentatio & institutio competit eidem, aliquando diversis,*
27. *Et aliquando eôdem actu utraque expeditur.*
28. *Et ad faciliorem probationem scriptura adhibetur.*

PRimò enim Institutionis nomine, latè & genericè acceptô, quæcunque, cujuscunque Ecclesiæ, dignitatis vel beneficii Ecclesiastici vacantis legitima concessio venit: quô sensu, beneficium Ecclesiasticum licitè obtineri non posse sine Canonica institutione, Juris *Regula* 1. est *in 6.* quâ, sicut Beneficii nomine dignitates personatus & Ecclesiæ omnes cum cura & sine cura, quæ cum titulo habentur, secundùm Glossam *in Reg. cit. V. Beneficium* & Barbos. *ibin. 5.* intelliguntur: sic Institutionis nomine quæcunq; tam libera quàm necessaria, hoc est, electione aut huic subsidiaria postulatione, nominatione vel præsentatione præcedente, facta eius concessio venit, ut *in Reg. cit* notant Dynus *n. 13.* & Peckius *num. 24.* 1.

Secundò strictè, sed minùs propriè, pro collatione sive concessione beneficii omnino liberè facta clerico, nullum ad id ius habenti, Panormit. *in c. Authoritate 4. n. 8.* 2.

Tertiò propriè, pro concessione eiusdem facta ad patroni præsentationem, Panormit. *in c. cit. n. 7.* Lambertinus *de* 3.

Jure Patronat. lib. 2. p. 3. q. 1. art. & n. 1. & Vivianus *similiū Tract. lib. 12. cap. 1. n. 3.* Quô modô & in Rubricæ nostræ sensu acceptâ Institutione clerico tribuitur ius in re, sive titulus beneficii: ad quod patroni præsentatione ius ad rē duntaxat acquisivit: & licet, cùm idoneus est, repelli à superiore non possit, titulum tamen & ius in re seu proprietatem beneficii ante Institutionem non consequitur, *arg Reg. 1. cit.*

4. Imò, si absque hac id occupare & administrare præsumat, non solùm eius plenum ius non acquiri, sed præsentatione quæsitum ipsô Jure amitti, cum Franco *in c. Avaritiæ 5. de Elect. in 6. n. 2.* Rocho de Curte *de Jure Patronat. V. Honorificum, q. 39. n. 7.* Garcia *de Benef. p. 11. cap. 10. n. 216.* & aliis vult Engel *ad hanc Rubr. n. 2.* propter paritatem cum electo, prælaturæ administrationi se ingerere præsumente ante confirmationem: quem iure per electionem quæsito ipsô factô excidere, voluit Bonifacius VIII. *c. Avaritiæ cit.* Sed paritas non est; cùm

5. plus damni Ecclesiis afferre possit ac soleat temeraria administratio electi quàm præsentati: &, si paritas eadémque ratio esset utriusque, nihilominus de electo loquens constitutio pœnalis ad præsentatum non esset extendenda, ut *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Verisimiliter censet Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 16.*

6. Porro præsentati institutio post Papam Jure communi competit Episcopo, in cuius diœcesi Ecclesia vel beneficium est situm, *c. Ex frequentibus 3. hîc c. Nobis 25. de Jure Patronat. & c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*; ut super illa Jure communi fundatam habeat intentionem ac præsumptionem: vi cuius in dubio super ea orto probandi onus in adversarium transfert, Panormit. *in c. Ex frequentibus cit. n. 2.* Lambertin. *cit. q. 2. art. & n. 3.* & Gonzalez *in Reg. 8. Proœm. §. 1. n. 21.*

Ad quem Episcopum pertineat institutio clerici in Ecclesia, in duarum diœcesium confinibus sita, dubium & variæ DD. sententiæ sunt. Et quidem, si fundi, in quo illa constructa est, pars aliqua unius, alia alterius diœcesis sit, institutionem aliqui Episcopo, in cuius territorio Ecclesiæ caput seu pars principalis, *arg. l. cùm in diversis 44. ff. de Relig. & sumpt. fun.* alii illi adstruunt, in cuius diœcesi sita est porta principalis, *arg. l. Prædiis q. 1. §. 5. ff. de Legat. 3.* Si autem limitaneus & dubius sit fundus totus, præsentatos in Ecclesia instituendi ius utrique commune quidam censent, *arg. §. Insula 22. Instit. de Rer. divis.* ac proinde Episcopos, vel ad præsentatorum institutionem faciendam vicibus alternis, *arg. Clement. Plures, de Jure Patronat.* vel ad controversiam alia ratione terminandam compellendos. Alii, cui ex Episcopis, vel an Archiepiscopo utriusque superiori, vel Papæ clericos in ea instituendos præsentare velint, patronorum arbitrio relinquunt, apud *citt.* Lambertin, *Lib. & p. 2. q. 4. art. 6.* Vivian. *Lib. & cap. 8. n. 9.* & Barbosam *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 150.* Quibus Opinionibus in praxi locus tum demum erit, si neuter Episcopus sit in iuris instituendi quasi possessione; cùm in pari causa conditionem possidentis meliorem esse, certi pariter & noti Juris sit *Regula 171. ff. & 65. in 6.*

7. Sede Episcopali vacante præsentatos instituendi potestas Episcopo competens residet penes Capitulum: quantumvis ei non competat libera collatio beneficiorum, ex decisione Bonifacii VIII. *c. 1. in 6.* cuius ea ratio est; quòd institutio sit concessio beneficii non libera, sed necessaria, sive præsentato idoneo ex Justitia debita;

debita ; ac proinde eâ factâ donationem seu liberalitatem exercendi facultas non auferatur successori in prælatura. In iis autem, quæ Necessitatis & Justitiæ sunt, Episcopo Capitulum succedat, *c. Hisque* 11. *& c. Cùm olim* 14. *de Major. & Obed.* Panormit. *l. cit. n. 8. citt.* Lambertin. *p. 3. q. 1. art. 7. n.* 1. Garcias *p. 5. cap. 7. n. 51.* & Vivianus *cap. 2. n.* 10. Unde

8. Eadem potestas sine speciali mandato etiam competit Vicario generali Episcopi, & Capituli sede vacante, *c. Ex frequentibus cit.* ibi, *Vel Officialium suorum, qui hoc de Jure possunt*, & *arg. c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* ubi, cùm ei ex ratione, quòd donare non valeat, libera collatio negatur, præsentati institutio, tanquam non libera sed necessaria concessio, non obscurè adstruitur, *citt.* Panormit. *in c. Ex frequentibus cit. n. 7.* Lambertin. *art. 6. n.* 1. & Vivian. *cap. 2. n. 4.*

9. Prælatis inferioribus, etiam Regularibus, clericos præsentatos instituendi jus aliquando competit non tantùm in Ecclesiis, ipsis plenissimô jure subjectis, *Clement. Unic. de Excess. Prælat.* in quibus obtinent jurisdictionē quasi Episcopalem: sed etiam subjectis Episcopo aliquando ex privilegio, ut est Juris explorati ; cùm ita competere etiã laicis possit, Zabarell. *in c. Nobis cit.* §. *Cæterum q. 6.* & Vivian. *cit. Lib. 12. cap. 3. n.* 11. aliquando ex consuetudine vel potiùs præscriptione, *c. Auditis* 15. *& c. Cùm olim 18. de Præscript.* aliquando ex antiqua fundatione ; quòd in istius limine à fundatore cum Episcopi consensu apposita sit conditio ; ut ad Ecclesiam vel beneficium à se fundatum præsentatos instituendi jus ad inferiorem, vg. Monasterii Prælatum aut Studiorum Universitatem Ecclesiasticam pertineat, *arg. l. In traditionibus 48. ff. de Pactis*, *citt.* Lambert. *art.* 10. *n.* 4. & Vivianus *cap. 3. n. 8. Antiquâ*, inquam ; quia hodie ex Decreto S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 12. de Ref.* præsentati institutio Episcopo, non alicui inferiori, reservanda est. Idem Vivian. *n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 6.*

10. Quin, si prælatura vel dignitas, ratione cujus præsentati institutio competit, ex causa litis super ea inter aliquos pendentis, sequestretur, juxta *Clement. Unic. de Sequestr. fruct. & poss.* sicut cæterorum illi annexorum, sic etiam instituendi juris exercitium competeret sequestro, per tradita *ad Rubr. cit. n. 19.* uti & ejusmodi dignitatis bonæ fidei possessori, ut de eligendi jure *Lib. 1. tit. 6. à n. 54.* est dictum.

11. Dubium est, an præsentatos instituere valeant Abbatissæ & similes monialium Præpositæ. Ratio dubitandi est ; quia institutio est actus jurisdictionis Spiritualis : cujus femina non est capax ; cùm pertineat ad potestatem Clavium, *c. fin. de Excess. prælat.* in feminam non cadentem, *c. Nova 10. de Pœnit. & remiss.* At, licet hoc ita sit, & internum sive Pœnitentiale forum spectans jurisdictio in feminam, utpote sacræ Ordinationis, quam illa præsupponit, divinô Jure incapacem non cadat, *c. cit.* ut *Lib. 1. tit. 11. n. 45.* est dictum, privilegiô tamen Apostolicô & prælatorum Ecclesiasticorum commissione feminis aliquando communicatur exercitium nonnullorum actuum spiritualis jurisdictionis externæ *c. Dilecta 12. de Majorit. & Obed.* præsertim voluntariæ ; ut clericos ad parochias, sibi pleno jure subjectas, præsentatos instituere possint, ut cum Sylvestro *V. Abbatissa q. 2.* & Azor *p. 1. Instit. Lib. 13. cap. 10. q. 6.* notat Laiman *in c. Dilecta cit. n. 1.*

12. Dubium secundò est, an institutio compe-

competere valeat laicis. Non posse communi Jure: & contrà Apostolicô privilegiô posse, exploratum est. Prius quidem, propter juris instituendi spiritualitatem. Posterius verò propter paritatem cum jure beneficia liberè conferendi, quod non minùs spirituale est, & ejusmodi privilegiô laicis competere potest, juxta dicta *tit. 5. n. 41.* Consuetudine autem seu præscriptione etiam tanti temporis, cujus initii memoria non existit, sicut conferendi, juxta dicta *ibidem*, sic & instituendi jus laicis competere nequit, propter incapacitatem Juridicæ possessionis hujusmodi jurium, seclusô privilegiô in laicos non cadentis, *arg. c. Causam 7. de Præscript.* Quô tamen non obstante, laici, qui præsentatos in una vel pluribus Ecclesiis instituendi jus immemoriali tempore, cum fama sive existimatione privilegii aliquando obtenti concurrente, exercuerunt, id porro exercere possunt, ob præsumptionem justi tituli sive privilegii à majoribus suis aliquando obtenti, ex tanti temporis cursu cum publica fama concurrente ortam, ita tamen; ut, si quando privilegium nunquam obtentum aut invalidum esse, legitimè constaret, juris illius exercitium prosequi illæsâ conscientiâ non possent; quòd careant verô titulô privilegii, & istius, quâ solâ defendebantur, præsumptio veritati compertæ cesserit ac cessârit, Panormit. *in c. Causam cit. n. 8.* Felin. *in c. Cùm ex officii 16. de Præscript. n. 13.* Laiman. *in c. Causam cit. n. 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Præscript. n. 44. in fine.* Vide tradita *Lib. 1. tit. 4. à n. 47.*

13. Dubium tertiò est de institutione ejus, cui aliàs competit institutio, si ad beneficium ipse præsentetur. Quæ cui competat, dubitandi ratio solennis est; quia talis institui nequit à seipso, *c. fin.* cujus ratio hôc textu redditur; quod *Interdantem & recipientem debeat esse distincta persona:* ob quam seipsum, quantumcunque idoneus sit & quibuscunque studiis ac meritis adjuvetur, eligere vel præsentare nemo potest, *can. In scripturis, 8. q. 1. & c. Per nostras 26. de Jure patronat.* Neque etiam institui po- 14.
test ab aliquo, à se delegato; cùm enim delegatus non propriô, sed alienô delegantis seu mandantis nomine instituat, *l. 1. ff. De eo, cui mand. est jurisd.* delegans institutus à delegato, institutus censeretur à seipso; nam, *Qui facit per alium, perinde est, acsi faciat per seipsum*, Regula est *72. in 6.* Neque etiam institui potest ab alio; quia, ut *cit. c. fin.* dicitur, alius conferendi jus, quod ipsi competit, non habet. Quæ ratio apud Interpp. ac DD. tantùm po- 15.
tuit; ut magnô consensu tali casu pro institutione recurrendum statuerent ad Episcopum, vel ad Papam istiúsque à latere Legatum, Jure communi in beneficiorum collatione cum Episcopo concurrentem, *c. 1. & c. Præsenti 3. de Offic. Legati in 6.* Nisi præsentatus instituendi potestatem sibi competentem totam transferre malit in alium; à quo ita propriô, & non ipsius præsentati nomine institui possit, Barbosa *in c. fin. cit. n. 3.*

Verùm, etsi doctrina hæc consentanea Juri & retinenda sit, ratio tamen, quæ ad eam excogitandam DD. impulit, ex duplici capite difficilis est. Imprimis quidem; quia, licet Contentiosæ & Coactivæ jurisdictionis exercitium personarum distinctionem exigat: inter exercentem tamen, & eum, in quem exercetur, ejusmodi distinctionem Voluntaria jurisdictio non requirit; cùm quis emancipari & in adoptionem dari apud semetipsum possit, *l. Si consul. 3. ff. de Adopt.*

Adopt. & Episcopus atque alii dispensandi potestate præditi in omnibus casibus, in quibus cum aliis, etiam secum dispensare valeant, ex doctrina Felin. *in c. Præterea 2. de Sponsal. n. 20.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 12. n. 8.* & aliorum, quam Cardd declaratione firmat Pontius *Lib. 8. de Matr. cap. 4. n. 9.* deinde; quia, cum Papa absolvi valeat à confessario, cui jurisdictionem ipse commisit, nihil impediet, quò minùs clericus, ad beneficium præsentatus, institui valeat ab alio, cui instituendi potestatem ipse delegavit.

16. Harum tamen objectionum neutra pro communi doctrina allatam rationem convellit. Prior; quia, licet in cæteris Voluntariæ jurisdictionis actibus personarum distinctio necessaria non sit, eam tamen, ex dispositione & ratione Juris speciali, dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum institutio & cætera provisio requirit; ut ab ea ambitio, quàm procul potest, removeatur; cum, ut *c. Per nostras cit.* Innocentius III. ait, *Nullus ingerere se debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis*: &, ubi de proprio commodo, præsertim ex rebus Ecclesiasticis percipiendo, agitur, ad evitandas fraudes authorem quem sibi fieri, Jura non patiantur, *arg. l. 1. l. Pupillus 5. §. 2. ff. de Auth. Tut.* & *Clement. 2. de Reb. Eccles. alien.* Pontius *cit. n. 9.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 2.* Posterior; quia quilibet sacerdos vi suæ Ordinationis accipit potestatem nomine Dei absolvendi quoscunque fideles, peccata sua Sacramentali judicio sponte submittentes sub conditione, *Si Ecclesia permiserit*; ac proinde etiam summum Pontificem, si peccata sua ipsi fuerit confessus, ut non obscurè desumitur ex illo, *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis*, Joan. *cap. 20. v. 23.* & cum Amico *Tom. 8. disp. 15. s. 1. n. 10.* Dicastillo *de Sacrament. Pœnit. disp. 10. n. 94.* & aliis docent *Diana p. 8. Tract. 1. resol. 84. §. Sed mihi*, & Haunold. *Theolog. Tract. 4. n. 1024.* juxta quorum sententiam Papa à sacerdote per potestatem à Christo Domino acceptam absolvitur ex suppositione; quòd ipsius potestati voluntariè se submittat, ut *in c. fin.* etiam Panormit. *n. 6.* observat.

Neque refert; quòd talis sacerdotis in pœnitentem jurisdictio ab ipso Papa omnino completa & delegata sit, cùm; quia nihilominus iste non suo, sed Christi nomine absolvitur: tum verò; quia jurisdictio illa, cum non nisi in volentem exerceatur, non Necessaria, sed Voluntaria est, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 32. n. 4.* Quæ cur in foro interno à delegato in delegantem exerceri nequeat, non apparet, postquam eam in foro externo in seipsum exerceri posse est dictum, S. Thomas *in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. q. 2.* & aliis DD. relatis Suarez *de Pœnit. disp. 27. s. 2.*

Institutio clerici, cuicunque competat, fieri ab eo nequit ante sibi factam illius præsentationem, *arg. c. Illud 8. de Jure patronat.* Ista autem facta ad ipsam, sicut etiam ad electi confirmationem, certum tempus Jure constitutum non est, ut plerique advertunt: etsi illud isto definitum sit ad præsentationem, *c. Cùm propter 27. de Jure patronat. & c. Unico, §. Verum, eodem Tit. in 6.* ad electionem, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.* & ad collationem, *c. Nulla 2. de Concess. præbend.* cujus ratio est partim; quòd, cùm electio & fere etiam præsentatio de uno tantùm sit, examen de ejus idoneitate non multùm temporis requirat: partim; ne beneficia nimis diu vacent; cùm, si ad præsentati institutionem sex menses concederentur, 17.

illorum

illorum vacatio sæpe annua foret, Panormit. *in c. Nulla cit. n. 12. & 13.* Garcias *de Benefic. p. 10. cap. 4. n. 1.* & Barbosa *cit. alleg. 72. n. 19.* ubi salubriter monent, institutionem differenti à superiore præfigendum certum vg. duorum mensium terminum, intra quem illam facere compellatur. Si verò, cessante legitimô impedimentô, ultra hoc tempus differretur, pro ea obtinenda Episcopum: aut, si iste negligens sit, Metropolitanum vel Papam adiri posse, ut etiam observat Vivianus *cit. Lib. 12. cap. 5. n. 15.* Ubi

18. Dubium est, an præsentati institutio fieri queat intra quatuor vel sex menses, à Jure indultos ad præsentandum; illam enim ante hujusmodi termini lapsum non faciendam, indiscriminatim asserit Palao *Tract. 13. disp. 3. p. 4. n. 10.* ne festinatâ & illius lapsum antevertente præsentati institutione præjudicium generetur patrono non solùm laico, cui adimeretur facultas variandi: sed Ecclesiastico quoque vero, intra sex menses & post præsentationem sub illorum initium ab alio attentatam fortassis primùm apparenti, séque præsentandi juris proprietarium aut saltem possessorem esse; atque idcirco, ab alio facta præsentatione juri suo derogatum, prætendenti & ostendenti. Sed contraria est praxis plurium Germaniæ diœcesium: quarum Ordinarii ad excludenda incommoda, quibus obnoxia est diutina vacatio Ecclesiarum, ad has præsentatos, si idonei reperti fuerint, non rarò instituunt, quatuor aut sex mensium lapsu non expectatô, saltem si liqueat de jure præsentantis, & de variandi sive ante præsentato alium addendi animo non constet. Quô observatô dicta praxis non præjudicat patronis; nec divertit à Jure, cùm; quia hoc à patrono præsentati idonei institutionem, intra quatuor aut sex mensium terminum factam, nuspiam irritat aut improbat: tum verò; quia id variationem patrono laico solùm adstruit, si primô præsentatus nondum fuerit admissus, *c. Quod autem 5. pr. de Jurepatronat.* utique intra terminum, Jure indultum ad præsentandum; cùm istô lapsô variationi seu novæ alterius præsentationi locus amplius non sit: etiamsi primò præsentatus necdum sit admissus & in beneficio institutus.

Eadem institutio, tam mortuô quàm 19
superstite patronô, die quôcunque, etiam feriatô, & extra diœcesim vel territorium institutentis fieri potest; cùm sit actus extrajudicialis, Franc. *in c. fin. de Elect. n. 9.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 62. n. 9. & cit.* Garcias *p. 5. cap. 8. n. 142.* cujus exercitiô, cùm sine strepitu & figura judicii peragatur, aliena jurisdictio & territorium non violatur: nisi orta sit inter patronos vel plures præsentatos lis: præviáque plenâ causæ cognitione ac pronuntiatione judiciali super præsentandi jure aut valore præsentationis, ad institutionem procedatur; cùm ita eam neque debus feriatis, neque 20
extra proprium institutentis territorium fieri posse, liquidi Juris sit, *l. Omnes 3. C. & c. fin. de Feriis, l. fin. ff. de Jurisdict. & c. fin. de Constitut. in 6.* Panorm. *in c. Novit 7. de Offic. legat. n. 4.* Rochus *de Jure patronat. V. Competens q. 34.* & Barbosa *de Offic. Episcop. alleg. 72. n. 195.*

Porro, clerici ad beneficium præ- 21
sentatione acceptatâ, proponendæ & institutioni præmittendæ sunt literæ Edictales sive Edictum, quô ad Ecclesiæ valvas alióve consuetô locô publicè affixô generaliter omnes, quorum interest: vel, si contradictor unus vel plures appareant, ii specialiter & nominatim citentur ac

vocen-

vocentur ; ut intra competentem ipsóque Edictô expressum terminum peremptorium compareant &, quæ faciendæ præsentati institutioni tanquam juri suo adversanti opponenda censuerint, deducant, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. fin. de Elect. in 6.* quô textu, licet sermo sit de electionis confirmatione, ejus tamen dispositionem ad præsentati institutionem porrigi, cum Glossa *V. Electione*, Franco *n. 5.* & Interpp. aliis monent *citt.* Rochus *V. Honorificum q. 38. n. 69.* Lambertin. *Lib. 2. de Jure patronat. p. 2. q. 6. art. 2. & 4.* & Garcias *p. 9. cap. 4. n. 1.* quòd ratio ; ne supplantentur & excludantur ii, qui pro suo interesse aliquid objicere volunt, æquè afficiat præsentatorum institutiones, quàm electorum confirmationes & admissiones postulatorum ; ut adeò, sicut hæ, sic & ad beneficia præsentatorum institutiones nullô Edictô propositô, vel ante termini istô præfixi lapsum factæ, cum DD. *citt.* pro irritis habeantur à Lotterio *Lib. 2. de Benef. q. 13. à n. 20.* Corrado *cit. Lib. 4. cap. 3. n. 20.* & Pirrhing *ad Rubr. de Elect. n. 322. nôt. 3.* iis verò, quæ prævio Edictô lapsóque istius terminô factæ sunt, ea vis & firmitas adstruatur ; ut verus ac legitimus patronus, postea comparens & jus suum volens deducere, pro ea vice non ampliùs audiatur, saltem si Edictum non ignoravit : &, cùm id propositum sciret, quò minùs antè compareret, legitimè non fuit impeditus, *citt.* Garcias *n. 14.* Lotter. *n. 50.* & Corrad. *n. 31.*

22. Ejus tamen Edicti necessitas non est Primò in beneficiorum libera collatione, Gloss. *fin. in c. fin. cit.* quia alia istius ratio est, quàm electionis & præsentationis ; cùm his ad rem duntaxat jus tribuatur : atque inter eas & confirmationem atque institutionem, uti & inter postulationem & istius admissionem detur medium, intra quod Edictum proponatur : non etiam in collatione ; quia istâ plenum jus in re sive ipse beneficii titulus acquiritur proviso ; ut Edictum, si exposceretur, necessariò proponendum esset ante omne, vel post plenum jus proviso acquisitum : quorum casuum neutrô Edictum exposcitur *c. fin. cit.* ut *ibi* cum Geminiano *n. 18.* & Viviano *in fine* advertit laudatus Pirrhing *not. 3.*

Secundò in Urbe, in qua præsen- 23.
tatos sine prævio Edicto à Papa institui, cum Lambertino *cit. q. 6. art. 3. n. 4.* notat Barbosa *in c. fin. cit. n. 4.* quia in institutione Apostolica cessat ratio, considerata *c. cit.* ipsáque summi Pontificis præsentia & certa scientia suspicionem omnem purgat ; ut necesse non sit, observari subtilitates Juris ; cùm Papa sit supra Jus, *§. Si ergo V. Si ita* post *can. fin. 25. q. 1. c. Proposuit 4. de Concess. prabend. & l. Princeps 31. ff. de LL.* omnésque istius subtilitates suâ supplet authoritate, *arg. l. Omnium 19. C. de Testament.* Corradus *cit. cap. 3. n. 24.* cùm *n. 22.* cum Lotter. *cit. q. 13. n. 31.* monuisset, ad Edictum proponendum etiam non adstringi Executores literarum Apostolicarum, etiam datarum cum clausula, *Verificatô imprimis & ante omnia jure patronatûs :* sed sufficere, si coram eis jus patronatûs simpliciter verificetur, secundùm decretum Tridentini *Sess. 22. cap. 9. de Reformat.* non attentâ solennitate præscriptâ *c. fin. cit.*

Tertiò in diœcesibus, in quibus E- 24.
dicti usus vel nunquam introductus vel non-usu seu legitimè præscriptâ & *c. fin. cit.* contrariâ consuetudine est abrogatus : cùm ista, sicut aliis Juribus merè humanis, sic & *c. cit.* dispositioni potuerit prævalere, *c. fin. de Consuetud. & l. De quibus 32. ff. de LL. citt.* Lambertin. *q. 6. art.*

6. art. 14. Garcias *à n. 10.* & Barbosa *n. 10.*

25. Quin, Juri quoque inhærendô, & abstrahendô à communi DD. interpretatione, *c. fin. cit* dispositione præsentati institutionem non comprehendi, censuit Bellamera *decis. 619.* & verisimile est: neque id solùm; quòd *c. cit.* textu ulla istius mentio non fiat, sed etiam; quòd magis præjudiciosa sive periculosa animabus & Ecclesiis damnosa sit festinata confirmatio electi, quàm institutio ad simplex aut etiam parochiale beneficium præsentati; atque idcirco majori ad illam, quàm ad hanc solennitate & circumspectione sit procedendum. Ex qua ratione cùm *c. Avaritiæ cit.* relata ejusdem Papæ Constitutio ab electis ad præsentatos, administrationi temere se ingerentes, porrecta non sit *n. 5.* præsentati institutionem etiam non afficiet irritans atque idcirco odiosa Constitutio, relata *c. fin. cit.* Quâ consideratione, sicut quarundam diœcesium ad beneficia præsentatos sine Edicto instituentium praxis à Juris derogatione correctionéque absolvitur: sic, ubi viget, omnino retinenda est aliarum, illud exposcentium & institutioni præmittentium, communi DD. sensui & interpretationi consentanea &, ad fraudes aliáque incommoda ab institutionibus removenda, salubriter introducta Consuetudo.

26. Superest dubium duplex. Primum de modo faciendæ institutionis, quando ea simul & præsentatio competit eidem: à quo illa & hæc aliquando unicô, aliquando diversis actibus expedienda est pro diversitate casuum & titulorum, ex quibus utraque competit eidem; cùm, si institutio ei ratione Ecclesiæ seu dignitatis vg. Episcopalis: præsentatio verò ratione proprii patrimonii vel donationis juris patronatûs ipsius personæ factæ, vel ratione alterius, quàm obtinet, dignitatis vg. Abbatialis, vel ratione compromissi in eum facti à duobus vel pluribus compatronis competat, aliô actu facienda sit institutio, & aliô huic prævia præsentatio; imò hanc per procuratorem fieri consultum, *arg. c. A collatione 11. de Appellat. in 6.* censeant Barbosa *cit. alleg. 72. n. 195.* & Corradus *Lib. 4. Prax. Benef. cap. 7. n. 20.* idémque observandum DD. *citt.* velint, si Episcopus habeat compatronum, vel in præsentatione requirendum sit alterius consilium vel consensus. Contrà utra- 27.
que unico actu expedienda erit, si præsentatio & institutio competat ratione ejusdem Ecclesiæ vel dignitatis, sicut contingit, quando jus patronatus à laicis in Ecclesiam perpetuò est translatum; quòd ita præsentandi & instituendi jura quodammodo consolidentur, & beneficium evadat liberum seu collativum; uti &, si beneficium ad Episcopum devolutum sit ob negligentiam patroni; quòd, cùm hôc etiam casu beneficiû, perinde ut collativum, liberè conferatur, utramque præsentandi & instituendi potestatem unicô actu expediri expediat; ut Ecclesiæ de rectore vel beneficiato citiùs provideatur. Ita DD. *citt.* cum Lambertino *Lib. 2. p. 3. q. 2. art. 19.*

Alterum dubium est, an ad insti- 28.
tutionem necessaria sit scriptura. Regula est, hanc ad substantiam & valorem actûs non exigi, præterquam in casibus communi vel speciali Jure expressis, *l. Factum 17. C. de Pactis*, Panormit. *in c. 1. De his, quæ à prælat. n. 4.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 29. n. 1.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 408. n. 7.* cui inhærendô statuendum est, scripturam minimè necessariam ad valorem institutionis; quòd id ullô Jure expressum non reperiatur; & præsentatus verbô etiam

bô etiam facta institutione beneficii titulum consequatur, Laiman *in c. Nôsti 9. de Elect. n. 4.* Quamvis Curiarum Ecclesiasticarum stylô seu praxi, sicut in provisionibus aliis, sic etiam in præsentatorum institutionibus scriptura adhiberi soleat: idque expediat, feréque necessarium sit ad faciliorem tituli probationem, Riccius *Collect. decis. 240. citt.* Vivianus *Lib. 13. cap. 1. n. 5.* & Corradus *cit. Lib. 4. cap. 7. n. 22.* varias institutionum formulas subjicientes.

ARTICULUS II.

De Institutione Authorizabili.

SUMMARIUM.

29. *Istâ in beneficio curato institutis committitur cura animarum,*
30. *De Jure ab Episcopis:*
31. *Ex privilegio etiam ab inferioribus Prælatis:*
32. *Quibus Institutio Authorizabilis olim etiam præscriptione,*
33. *Quadragenariâ titulô munitâ, vel immemoriali competere potuit.*
34. *Hodie verò eis non competit viâ præscriptionis.*
35. *Neque institutio, tam Authorizabilis,*
36. *Quàm Collativa tituli à fundatore reservatur:*
37. *Nisi de consensu Episcopi in limine fundationis.*

29. QUartò Institutionis nomen aliquando denotat approbationem pro exercenda cura animarum: quæ Authorizabilis à DD. vocatur; quòd eâ clerico, ad curatum beneficium promoto, committatur cura animarum, per Sacramentorum administrationem exercenda, *c. Cùm satis 4. de Offic. Archid.* Quæ commissio per se vel alios ab Episcopis in ejusmodi beneficiis, ad suam collationem vel institutionem pertinentibus, fere in ipsa collatione seu collativa institutione: in iis autem, quæ speciali jure ad aliorum collationem spectant, post hanc jam factam, prævio examine de idoneitate, & ad animarum curam præsertim in foro Pœnitentiali exercendam approbatione, fieri solet & adeò necessaria est; ut sine ea Sacramenta nequeant administrari, & pœnitentium absolutiones invalidæ sint.

Dixi, *Ab Episcopis*, super hujusmodi institutione intentionem fundatam habentibus in Jure communi, *c. cit.* vel ab aliis prælatis, in certi territorii clerum ac populum obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, sedéque Episcopali vacante à Capitulo, Felin. *in c. Auditis 15. de Præscript. n. 8.* istiúsque & Episcopi Vicario in spiritualibus generali, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. à n. 175.* 30.

Prælatis etiam inferioribus institutionem hanc privilegiô Apostolicô competere posse, nemo est, qui inficias eat. An etiam consuetudine vel potiùs præscriptione, dubium & dissensio quædam est: cui ansam præbuit *c. Cùm satis cit.* relatum Alexandri III. ad Archidiaconum Elien sem, animarum curam sine Episcopi sui licentia & mandato propriâ authoritate committere præsumentem, rescriptum: *Quoniam obtentu alicujus consuetudinis non debes contra sanctorum PP. institutiones venire, & quod ad tuum non spectat officium, tibi vendicare, ideo mandamus, ut nemini de cætero sine licentia & mandato Episcopi curam animarum committere præsumas.* Quibus 31.

verbis consuetudinem duntaxat legitimè non præscriptam, Glossa *ibi V. Consuetudinis*: legitimè etiam bonáque fide præscriptam seu quadragenariam, titulô tamen non munitam: non istô nixam quoque aut immemorialem, Panormit. *in c. Auditis cit. n. 6.* & Felin. *cit. n. 8.* demum generatim consuetudinem ac præscriptionem quamcunque reprobari, volunt *in c. Cùm satis cit.* Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 5.*

In hoc Interpp. dissidio, divinatoriô Glossæ intellectu relictô, reliquarum expositionum utrique aliquid tribuendum, & statuendum discrimen est inter antiquum *c. Cùm satis cit.* & novissimum Jus S. Synodi Tridentinæ *Sess. 7. cap. 13. de Reformat.*

32. Illô enim, sive antiquô Jure spectatô, expositionum illarum tenenda prior: ut *c. cit.* neque legitimè non præscripta duntaxat, neque etiam consuetudo & præscriptio indiscriminatim omnis, sed longi duntaxat & longissimi etiam temporis aliô adminiculô non adjuta: non

33. etiam quadragenaria suffulta titulô, atque immemorialis ab Alexandro III. reprobata intelligatur, ut cum Panormit. & Felino *l. citt.* ab iisque relatis Interpp. aliis docent Balbus *de Præscript. pr. p. 5. p. 1. q. 11. n. 6.* & Gilcken *Similis Tract. p. 3. cap. 10. n. 10.* Ratio est partim; quia institutio authorizabilis sive commissio curæ animarum non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis est actus; cùm Episcopali sede vacante transeat ad Capitulum: & de licentia vel mandato Episcopi ab Archidiacono & Vicario generali fieri queat, *c. Cùm satis cit.* ea autem, quæ jurisdictionis sunt, adversus Episcopum præscribi valeant quadraginta annis, *c. Auditis cit. & c. Cùm olim 17. de Præscript.* non quidem sine alio adminiculo, propter resistentiam Juris, illam Episcopo adstruentis, *c. cit.* sed suffulta titulô vel, hôc deficiente, tantô tempore, cujus initii memoria non existit *c. 1. de Præscript. in 6.* partim verò; quia institutio illa acquiri potest privilegiô Apostolicô, cujus vim habet consuetudo ac præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non existit *c. Super quibusdam 25. §. Præterea de V. S. & l. Hôc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* per tradita *Lib. 1. tit. 4. à n. 47.*

Neque obstat; quòd præscriptio & consuetudo, institutionem authorizabilem ab Episcopo independentem conferens *c. Cùm satis cit.* reprobetur; quia illius reprobatio generalis non afficit immemorialem; quòd hæc majori vi polleat, & privilegio ex certa scientia à Ptincipe concesso æquiparetur, Panormit. *in c. fin. de Præscript. n. 35.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 4.* & Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 7.*

Istô autem, sive novissimô Jure, li- 34
cet deducta *c. cit.* expositio hodie quoque in beneficiis curatis, præscriptionis aut aliâ viâ ab Episcopali jurisdictione omnino exemptis & immediatè subjectis aliis prælatis jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinentibus, procedat: locus tamen ei non est in iis, quæ Episcopo saltem quoad spiritualia subsunt; quòd hodie ad ejusmodi beneficia etiam prævià præsentatione, nominatione, imò & liberâ collatione promovendos à locorum Ordinariis examinari & ad animarum curam approbari necesse sit, ex decreto Conciliari *cap. 13. cit.* non obstante quovis privilegio & consuetudine sive præscriptione etiam immemoriali, & appellationis remediô exclusô. Cujus decreti & à veteri Jure recessûs justa & gravissima ratio fuit; quòd etiam hujusmodi consuetudo seu præscriptio ipsâque pri-

que privilegia, animarum curæ commissionem ab Episcopo independentem inferioribus adstruentia, cum tempore damnosa Ecclesiis, periculosa animabus & publicè pernitiosa cæperint esse; ac proinde ea abrogari vel revocari fuerit necesse. Quare *c. cit.* nostris temporibus accommodatus est intellectus Barbosæ & Gonzalez, illô reprobari asserentium consuetudinem ac præscriptionem indiscriminatim omnem, vi cujus Archidiaconi iisque similes in beneficiis curatis clericos sine Episcopi licentia vel speciali aut generali mandato authorizabiliter instituendi jus sibi vendicarent.

35. Dubium deinde est, an, si in capellæ vel beneficii curati fundatione adjiciatur, ut clerici in eo instituendi approbatio pro animarum cura istiúsque commissio competat prælato inferiori, in eam se intromittere nihilominus valeat Episcopus. Ratio dubitandi est; quòd, cùm rerum suarum moderator & arbiter quisque sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, in earũ traditione apponere valeat pacta, quæcunque vult, *l. In traditionibus 48. ff. de Pactis.* Verùm hoc exaudiendum de iis tantùm pactis seu conditionibus est, quæ jus publicum non lædunt, *l. Jus publicum 38. ff. eádem Rubr.* cùm privatus, ut fundator est, sacrorum canonum dispositionem immutare, & illis contrarium aliquid statuere non possit, *c. Requisisti 15. V. Secus autem, c. Tua 17. de Testament. & l. Nemo 55. ff. de Legat. 1.* pactum autem seu conditio, ut animarum curæ commissio pro eáque personæ approbatio non Episcopo, sed prælato inferiori competat, apertè sit contra SS. Canones, ejusmodi commissionem & prævio examine faciendam approbationem adstruentes Episcopo, & sine istius licentia vel mandato inferiori non permittentes, *c. Cùm satis & cap. 13. citt.* Quare, ejusmodi conditione perinde, ut si adjecta non sit, rejectâ, institutionem in ejusmodi beneficio Authorizabilem, sive commissionem & approbationem illam sibi vendicare Episcopus potest ex dispositione Juris & communi sententia DD.

Quin etiam si, authorizabili intactâ, 36.
clerici ad beneficium præsentandi sola institutio collativa inferiori prælato in fundatione reservata sit, ab Episcopo istam quoque sibi vendicari posse, cum Panormit. *in c. Nobis 25. de Jure Patron. n. 5.* & Rocho de Curte *de Jure patron. V. Pro eo quod q. 12. n. 25.* tradunt Covarruv. *in c. Tua cit. n. 8.* Guttierez *in l. Nemo cit. n. 40.* & Barbosa *alleg. 72. cit. n. 187.* quòd etiam tituli collativa institutio in beneficiis patronatis suæ diœcesis Episcopo adstruatur *c. Ex frequentibus 3. hâc Rubr. c. Relatum 21. de Jure Patron. c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis &c.* & inferioribus reservari non permittatur à Trident. *Sess. 14. cap. 12. & cap. 13. de Reformat.* atque idcirco illi etiam hujusmodi institutio privati cujuscunque, sive inter vivos sive per ultimam voluntatem disponentis, factô nequeat auferri, *arg. V. § Secus autem c. Tua & l. Nemo citt.*

Neque his adversatur laudati Concilii decretum alterum, administratores Ecclesiarum, hospitalium &c. ad rationes singulis annis Ordinario reddendas obligans, consuetudinibus & privilegiis quibuscunque non obstantibus: *Nisi secus fortè in institutione & Ordinatione talis Ecclesiæ &c. expressè cautum esset*; quia decretum hoc procedit, quando in 37.
Ecclesiæ institutione & ordinatione sive ejus fundationis limine Episcopus hujusmodi oneri sive conditionis adjectioni consensit, ut observant *citt.* Guttierez, *n. 450.* & Barbosa *n. 187.* ubi iste in fundationis limine clericos ad beneficia præ-

sentandos collativè instituendi jus reservari cum Episcopi consensu posse, concedit cum *cit.* de Curte *n.* 25. & Lambertino *de Jure Patron. Lib.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *pr. art.* 1. *n.* 55. & 99. de quo tamen hodie quis meritò ambigat, propter *cap.* 12, & 13. *citt.*

ARTICULUS III.

De Investitura & Missione in Beneficii possessionem.

SUMMARIUM.

38. *Possessionem apprehendendi jus tribuit Investitura:*
39. *Non sola institutio Collativa:*
40. *Neque etiam Electio istiúsque Confirmatio;*
41. *Præsertim, si alius sit in beneficii possessione:*
42. *Quâ illum vi dejiciens ipsô Jure beneficiô privatur.*
43. *Beneficium, de Jure vacans, Ordinarius liberè confert alteri:*
44. *Quem tamen in possessionem non induxit, non citatô possessore,*
45. *Et sine prævia summaria causæ cognitione:*
46. *Tribus tamen casibus exceptis.*
47. *Beneficii possessio etiam per procuratorem,*
48. *Speciale mandatum habentem apprehenditur.*
49. *Et de Jure ab Episcopo,*
50. *Per Archidiaconum, & de Consuetudine per alios traditur,*
51. *Modis variis, pro locorum & beneficiorum varietate.*
52. *Corporali apprehensione acquiritur possessio beneficii,*
53. *Rerúmque & jurium beneficialium,*
54. *In quorum possessione alius non exstit.*
55. *Possessio beneficii inducit præsumptionem justi tituli:*
56. *Et aliquando ipsum titulum, si triennô:*
57. *Non etiam, si annô bonâ fide & pacificè fuit continuata.*

QUintô Institutionis nomine aliquando venit Investitura, quâ clerico, postquam ab Episcopo vel alio, ad quem id pertinet, Institutionis seu confirmatoriis & approbatoriis literis beneficii titulum & jus in re assecutus est, tribuitur jus apprehendi corporalem sive actualem ejus possessionem, Glossa *in c. Authoritate* 4. *V. Instituatur, ubi* Panormit. *n.* 4. & Laiman *in c. Nôsti* 9. *de Elect. n.* 5. Unde 38.

Dubium oritur primò, an ergo beneficii, per canonicam institutionem jam obtenti, possessio apprehendi à clerico nequeat propriâ authoritate. Qua in re in utramque partem à DD. statutæ & in speciem pugnantes Regulæ in concordiam reducendæ sunt ope distinctionis inter modos institutionis; cùm, si ista à Prælato, cum titulo possessionis tradendæ potestatem habente, non simpliciter, sed signô aliquô investituram denotante, vg. cum bireto, annulo, clavium traditione &c. facta sit, clerico non quidem ipsius beneficii actualis possessio; quia ista fere ipsius corporis apprehensionem requirit, *arg. l. Prædia* 4. *ff. de Adquir. possess.* Laiman *cit. n.* 5. sed eam vacantem propriâ authoritate apprehendi licentia data intelligatur, ut cum Innocentio *in c. Ex literis* 2. *de Consuetud.* Panormit. *in c. Authoritate cit. n.* 9. & Lambertino *Lib.* 2. *de Jure patronat. p.* 3. *q.* 11. *art.* 1. *n.* 5. docet Covarruv. 39.

Lib. 3.

Lib. 3. Var. cap. 16. n. 7. si verò beneficii collatio in eóve institutio simpliciter & sine ejusmodi signo facta sit, illius possessionem, etiam vacuam, propriâ authoritate apprehendere institutus non possit. Dynus *in Reg. 1. in 6. n. 16.*

40. Neque, sic instituto aut aliter beneficii titulum consecuto apprehensionem possessionis propriâ authoritate permissam: itáque factam ab omni culpa pœnàque immunem esse, evincit; quòd *c. Transmissam 15. de Elect.* post confirmationem & istâ obtentum prælaturæ titulum administratio & officii executio adstruatur sine ulla mentione inductionis in possessionem; quia hujusmodi inductionis necessitas apertè supponitur, dum ea Archidiacono & Episcopo tribuitur, *c. Adhæc 7. de Offic. Archidiac. & c. Licet 28. de Præb. & dignit. in 6.* Quare, ut cum utroque hoc textu *c. Transmissam cit.* concilietur, ita exaudiendum est, ut eô administratio & officii executio permittatur confirmato, non quomodocunque & simpliciter, sed cum signis denotantibus investituram: vel, servatis servandis, scilicet postquam in beneficii corporalem possessionem est missus; cùm ad rei vel juris possessionem capiendam non sufficiat ejus dominium vel quasi sive proprietas illius, *arg. l. 1. & l. Quamvis 2. C. de Edict. D. Hadr. toll.* Barbosa *in c. Transmissam cit. n. 4. ad finem.*

Neque etiam hujusmodi possessionis apprehensione non omnibus electis opus esse, rectè desumitur ex *c. Nihil. 44. de Elect.* cujus §. *Cæterùm* in locis ultra Italium sitis, vg. in Germania ad Ecclesias sedi Apostolicæ immediatè subjectas in concordia electis plena administratio in spiritualibus & temporalibus, alienatione duntaxat exceptâ, permittitur, luculentô indiciô, quasi possessionis prælaturæ ejusmodi electione jam acquisitæ ante confirmationem; cùm administrandi facultas fructus & effectus quidam sit possessionis, & ante hanc acceptâ administrationem non attentandam, moneat Panormit. *in c. cit. n. 11.* quia, ut Laiman *in c. cit. n. 11.* rectè observat; ejusmodi in concordia electis & nec dum confirmatis, propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, à Papa dispensativè concessa prælaturæ possessio administratióque non stabilis est, sed solummodo provisionalis, durans, donec electio Apostolicâ authoritate fuerit confirmata: confirmatione autem acceptâ per investituram corroboratur ac stabilitur: vel, illâ non secutâ, malè electo aufertur.

Dubium secundò est de apprehen- 41.
sione possessionis beneficii non vacantis; quòd clericus, à quo id per renuntiationem à superiore acceptatam, vel per pacificam & fructiferam alterius beneficii incompatibilis assecutionem, vel per privationem ipsô Jure, vel per sententiam &c. inductam amissum est, non dimiserit ejus possessionem. Quâ talis ab instituto vel illius titulum aliter consecuto necessariò publicâ sive judicis authoritate depellendus est, adeò; ut, si beneficium à clerico in eo canonicè instituto authoritate pro- 42.
priâ & violentiâ possessori illatâ occuparetur, in temeritatis pœnam ipso Jure & factô amitteretur beneficii titulus & omne jus, quod in beneficio vi occupato antè competebat, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Eum qui 18. de Præbend. & dign. in 6.* Quam pœnâ in violentum beneficii occupatorem statuendi justa ratio fuit; quod assumere videatur partes judicis & spoliatoris beneficii, licet malâ fide possessi; ut locus sit *arg. l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi.* Franc. *in c. cit. not. 2.* Rebuffus *pr. de Miss. in possess. n. 3.* Covarruv *cit. cap. 16. n. 6. & 7.* Menoch. *Recup. remed. 9. n. 306.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss.*

3. gloss. 15. n. 58. & Barbosa *in c. cit. n. 3.* Secus esset, si beneficii possessionem authoritate quidem propriâ, sed violentiâ non interveniente, accepisset; talis enim, licet pœnam ipse quoque mereretur, ipsô tamen Jure beneficium non amisisset; quia ad amissionem beneficii ipsô Jure & factô incurrendam exiguntur duo, scilicet neglectus authoritatis seu officii judicis, & violentia possessori invito ac resistenti illata, Lotter. *Lib. 3. de Benefic. q. 22. n. 29.* quorum posterius in tali desideratur, Covarruv. *cit. n. 7. §. Quod si.*

43. Dubium tertiò est, an in beneficii, per renuntiationem, alterius incompatibilis assecutionem, privationem &c. quoad titulum amissi & de Jure vacantis, possessionem de eo provisus mitti valeat, ejus possessore non citatô. Qua de re percelebris est constitutio laudati Bonifacii Papæ *c. Licet 28. de Præb. & dignit. in 6.* rescribentis, *Licet Episcopus beneficium*, per alterius incompatibilis assecutionem vacans, *possit alicui de Jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit te*, possessore, *non vocatô in possessionem ipsius inducere corporalem.* Cujus Apostolicæ resolutionis pars prior sive; quòd tale beneficium liberè conferri valeat alteri, etiam desumitur ex *c. Cùm in cunctis 7. de Elect.* cujus *§. Cùm verò*, de beneficio electi, postquam is confirmationem & administrationem accepit, liberè disponendi facultas collatoribus adstruitur. Ratio est; quia regulariter is, qui rem alteri tribuendi ius habet, hoc iure uti, rémque alteri conferre potest, non obstante alterius possessione vel detentione, arg. Regulæ, *Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus & absentibus potest*, quæ est *28 in Pandectis*, Glossa *in c. Licet cit. V. Conferre & ibi* Vivian. *pr.*

44. Posterior verò pars, sive; quòd, antequam de beneficio de Jure solùm vacante provisus in possessionem inducatur, vocandus sit illius possessor, patet *arg. l. fin. C. Si per vim perturb. poss.* quô textu relata sanctione Imperiali cavetur; ne, possessore non vocatô & non contumaciter absente, status possessionis etiam ex rescripto Principis vel iudicis interlocutione turbetur: sed negotii merita partium allegatione pandi iubentur. Ratio est; quia fortassis possessor allegare potest iustam causam retentionis beneficii, vg. quòd secum super pluralitate, vel ad beneficii possessionem retinendam, donec receperit sumptus factos in illius meliorationem vel defensionem, fuerit dispensatum: vel; quòd necdum percipiat fructus beneficii secundi, vel super istius titulo vel possessione sibi mota lis pendeat, Glossa *fin in c. cit. ubi* Laiman *n. 3.* & Pirrhing *ad Rubr. de Præb. & dignit. n. 160.* & Flamin. *Lib. 11. de Resignat. q. 11. n. 10.* cùm *n. 9* monuisset, literis Apostolicis, quibus de beneficio, ob non factam publicationem aut aliter ipso Jure vacante, alicui providetur, apponi consuevisse clausulam, *Vocatô possessore*: qui vocandus seu citandus etiam esset, licet huiusmodi clausula non apponeretur: nisi aliud ipsis literis esset expressum.

45. Possessore autem citato & comparente in beneficii possessionem missioni, sine strepitu tamen & figura iudicii, præmittenda est summaria cognitio de beneficii collatione facta ei, qui in possessionem est inducendus: neque opus est, ut illam canonicam esse probetur; cùm talis esse præsumatur. Neque ad missionem in possessionem impediendam admittenda est exceptio: nisi ea sit de crimine cum infamia coniuncto, vel de ob-vel subreptione collationis, vel de defectu canonici tituli aut alia similis, quæ vel sit manifesta vel in continenti valeat probari; cùm enim missionem in beneficii possessionem

sionem non impediat aut suspendat ab eius provisione interposita quævis appellatio, *c. Constitutis 46. de Appellat.* multò minus id quævis exceptio valebit, ut *in c. Licet cit.* notant Lapus *n.* 4. Anchoran. *not.* 7. & Laiman *n. 3. in fine.*

46. Excipiendus tamen primò est casus, quò possessori beneficium retinendi ullum ius non competere, notorium est; quòd in notoriis Ordo Juris non requiratur, *c. Ad nostram 21. de Jurejurando & Clement. Pastoralis 2. de Sent. & rejudic. citt.* Lapus *n.* 1. & Laiman *n.* 3. Secundò casus, quò ante collationem beneficii factam alteri citatus possessor, & contra eum prævia cognitione pronuntiatum fuit; tali enim iterum non citatò, provisum in beneficii possessionem mitti posse, cum Joan. Monach. *in c. cit. n.* 1. notat Laiman *l. cit.*. Tertiò beneficia ipsò Jure amissa ab offendentibus S. R. E. Cardinalem; illis enim non vocatis ii, ad quos pertinet, de beneficiis disponere & provisi in possessionem mitti specialiter permittuntur ob criminis perpetrati atrocitatem, Glossa *in c. Felicis 5. V. Disponant, de Pœnis in 6.* & Flamin. *cit. q.* 10. *n.* 24.

47. Dubium quartò est, an beneficii possessio apprehendi possit per procuratorem. Posse, docet quotidiana praxis, & obvia ratio est; cùm enim per hunc acceptari valeat ipsa beneficii collatio, multò magis apprehendi poterit eius possessio; quia istâ sola rei detentio, non ipsum illius ius, ut collatione, acquiritur, *citt.* Covarruv. *n. 9.* & Flamin. *Lib.* 10. *q. 6. n. 9.* Quod, sicut certum de procuratore, habente mandatum speciale, sic dubium est, an hoc sit necessarium, vel sufficiat mandatum generale: quod sufficere, cum *cit.* Covarruv. existimat Vasquez *de Benef. cap. & §. 4. dub. 6.* quia possessio ad factum duntaxat, *l. Possessionem 29. ff. de Adquir. possess.* non ad jus pertinet. At, esto hoc ita sit, speciale tamen mandatum cum Glossa *in c. Si tibi* 48. *absenti 17. V. Habuerit de Præb. & dignit. in 6.* exposcunt *citt.* Flamin. *n.* 13. Palao *p. 32. n. 6.* & Barbosa *in c. cit. n.* 14. quòd possessionis apprehensio accessoria sit acceptationi istiusque perfectio & implementum; atque idcirco sequatur naturam sui principalis sive acceptationis, speciale mandatum exposcentis; cùm tale in beneficialibus semper requiratur, Steph. Gratian. *Discept. For. cap. 66. n. 35.* Quas DD. Opiniones utcunque conciliaret, qui cum Barbosa *cit. n.* 14. mandatum quidem generale, at non ad quæcunque, sed ad beneficialia tantùm negotia, sive ad beneficii acceptationem, sufficere, assereret & non exposceret; ut illò in specie ipsa possessionis apprehensio committatur; vel exigeret mandatum speciale, quò beneficii acceptatio, & sufficere negaret generale, quò negotia indiscriminatim omnia committuntur.

Dubium quintò est, ad quem de Jure pertineat institutos mittere in beneficiorum possessionem. Dubitandi ratio est; quòd hoc *c. Licet cit.* Episcopo, & contrà Archidiacono tribuatur *c. Adhæc cit.* quos textus sibi in speciem adversantes in concordiam reducit Barbosa *in c. Adhæc cit. n. 6.* & Episcopo quidem decretum sive sententiam, quâ ad patronorum præsentationem in beneficiis institutos aut aliter de iis provisos in corporalem possessionem mittendos pronuntiatur: Ar- 50. chidiacono verò ejus decreti, per actualem inductionem in possessionem, executionem adstruit cum Covarr. *cit. cap. 16. n. 7. ad finem:* vel cum Flaminio *cit. q. 6. n. 32.* missionem in beneficiorum possessionem de Jure quidem ad Archidiaconum, de Consuetudine autem ad Episcopum pertinere, ait; cùm, consuetu-

dine adversus Archidiaconum invalescente, parochorum aliorúmque clericorũ in beneficiorum suorum possessionem inductio ab Episcopis per vicarios, decanos rurales, & alios comissarios peragi soleat.

51. Dubium sextò est, quomodo Investitura peragatur, & beneficiorum rerúmque ad ea pertinentium & annexorum jurium possessio acquiratur. Diversimodè id fit pro locorum & ipsorum etiam beneficiorum diversitate; Episcopi enim per installationem certis solennitatibus investiuntur & mittuntur in Episcopatuum suorum possessionem: quam Abbates hísque similes Prælati fere per inductionem in Ecclesiam & collocationẽ in sede Abbatiali: Canonici alicubi per assignationem loci in choro & capitulo consequuntur. Parochi in pluribus locis Investituram accipiunt diebus festivis aut Dominicis: quibus populo ad Divina præsenti publicè propositi, præstitis Fidei & Obedientiæ juramentis, accipiunt insignia spiritualia, peractáque re divinâ in domum parochialem inductis claves & rationum libri traduntùr, ut *ad hanc Rubr.* notant Zœsius *n. 4.* & Engel *n. 16.* In nonnullis diœcesibus per oscului altaris & similes actus exercitos in Ecclesia: in aliis per apprehensionem vel contactum annuli sive ansæ januæ clausæ parochialium aliorúmve beneficiorum possessionem clerici nanciscuntur, apud Gonzalez *in c. Ex literis 2. de Consuet. n. 17. ad finem* & Corradum *Lib. 7. Prax. Benefic. cap. 7. n. 41.*

52. His autem modis, an sicut dignitatum & beneficiorum, sic & rerum ad ea pertinentium & annexorum jurium possessio acquiratur, dubitandi ratio est primò; quòd ad eam acquirendam non sufficiat animus, sed factum quoque apprehensionis externum requiratur; cùm possessio à *Sedium pedúmve* positione sic appelletur, *l. 1. & l. Quod meo 3. §. 1. ff. de Adquir. possess.* quoad res autem pertinentes ad beneficium & huic annexa jura factum apprehensionis externum planè desideretur. Secundò; quòd, cùm rerum ad beneficium pertinentium apprehensione non acquiratur possessio ipsius beneficii, nisi istud quoque aliquô ex relatis modô seu factô apprehendatur, illius etiam apprehensione non acquiratur possessio rerum & jurium illorum, nisi factô aliquô externô istorum quoque apprehensio fiat. Tertiò; quòd ipsius beneficii possessione acceptâ rerum juriúmque illorum possessio esse possit, & aliquando sit penes alium: quô casu illorum possessio acquiri nequit per actum, quô ipsius beneficii possessio est comparata; cùm unius ejusdémque rei, sicut dominium seu proprietas, sic & possessio in solidum penes duos, justè injustéve, simul esse non possit, *l. Si ut certo 5. §. fin. ff. Commodati, l. Possideri 3. §. 5. ff. de Adquir. possess. & l. Duo 19. pr. ff. de Precario.*

His tamen non obstantibus, dignitatis vel alterius beneficii possessione relatis & similibus modis apprehensâ, rerum quoque ad illud pertinentium & annexorum jurium possessionem comparari, cum Lambert. *Lib. 2. de Jurepatronat. p. 3. q. 11. art. 9.* & Covarr. *cit. cap. 16. n. 13.* rectè defendunt *citt.* Flamin. *q. 6. n. 53.* Palao *p. 32. n. 10.* & Corradus *cap. 7. n. 37.* Ratio est; quia, ad permoleitos circuitus ac discursus per singulas res, ad faciliorem negotiorum expeditionem & acquisitionem possessionis, Jure introductum & generali usu receptum est; ut una re ex tota rerum juriúmque universitate, vg. ex feudo, majoratu, Ecclesia vel beneficio Ecclesiastico, apprehensâ vel actu circa eam exercitô, ad eámve habente relationem, cæterarum rerum juriúmque ad eam pertinentium eíve annexorum pos- 53.

rum possessio tradatur & acquiratur; sic enim ex juris dispositione ab uno in alium transfertur possessio totius prædii, contactu glebæ vel cespitis, *l. Possideri cit.* §. 1. horrei vel domûs iísque reconditi frumenti & mercium, traditione clavium, *l. Clavibus 74. ff. de Contrah. empt.* rei donatæ vel emptæ oblatione & acceptione instrumenti, *l. 1. C. de Donat.* & Ecclesiæ vel monasterio totius fundi possessio comparatur partis terræ, extremitate vestis, pallii vg. receptæ & in Ecclesiam delatæ, super altare impositione, *c. Ex literis 2. de Consuetud.* Sic Provinciarum consuetudine receptum olim fuit, ut rami aut viridis scirpi ab arbore resecti receptione, contactu ostii vel cardinis, cespitis aut herbæ ex agro evulsione totius Sylvæ, ædium, vel agri possessio Ecclesiis vel monasteriis acquireretur, apud Gonzalez *in c. Ex literis cit. n. 18.* ut mirum non sit; quòd collocatione in sede, assignatione loci in choro & capitulo, altaris osculô, contactu annuli januæ & similibus actibus acquiratur possessio dignitatum ac beneficiorum, non solùm quoad annexum officium, sed etiam quoad annexa bona juráque: imò etiam quoad beneficia, quæ illis tanquam principalibus per unionem accessoriè factam perpetuò incorporata sunt: quod rectè addunt Gonzalez *ad Reg. 8. glos. 5. §. 7. n. 6.* & *cit* Lotter. *q. 4. n. 6.*

Ex his omnino evanescit ratio dubitandi prima; quia possessionem, licet frequenter, non tamen semper sedium pedúmve positione, sed aliis quoque signis & actibus circa rem exercitis acquiri, liquet ex dictis, & *in Reg. Possessor 2. in 6.* notat Covarruv. *p. 2. pr. n. 1.*

Neque majorem vim habet altera; quia beneficium habet se sicut principale: res verò & jura ad id pertinentia ut accessorium; quòd cùm principalis naturâ & conditiones sequatur: non autem naturam & conditiones accessorii sequatur principale, *Reg. Accessorium 42. in 6.* mirum non est, quòd apprehensione beneficii ipsarum etiam rerum juriúmque ad id pertinentium possessio acquiratur: licet ejusmodi rerum juriúmque unius vel plurium apprehensione possessio beneficii non acquiratur, ut rectè observat Corradus *cap. cit. n. 43.*

Magis urget, Resolutionem tamen 54.
non convellit, sed solummodo temperat ac limitat ratio dubitandi postrema; quia apprehensâ possessione beneficii ad hoc pertinentium rerum juriúmque, non indiscriminatim omnium, sed vacantium & illorum duntaxat possessio acquiritur, quæ non occupavit aut retinet alius: à quo occupata vel retenta bona juráque Petitoriô vel Recuperandæ Possessoriô judiciô avocari necesse est; ut eorum quoque possessio acquiratur, Corradus *ibid. num. 45.*

Dubium septimò est, an beneficii pos- 55.
sessio aliquando titulum inducat. Et hunc quidem in possessore tituli capace ex illa præsumi; quantóque possessio diuturnior est, tantò fortiorem esse justi tituli præsumptionem, & possessionem ex illo ortam præsumi, *arg. c. Querelam 24. de Elect. & l. Minùs 2. C. de Adquir. possess.* communis sensus est DD. Eâdem, si bo- 56.
nâ fide inchoata & decem aut viginti vel saltem triginta annis continuata sit, spectatô antiquô: novô autem Jure, si triennio pacificè obtenta sit, beneficii titulum aliquando induci, & à possessore acquiri, probabiliùs censui *Lib. 2. tit. 26. n. 113.*

An etiam bonæ fidei & pacificâ possessione annuâ, dubium nascitur ex *Cancell. Apostol. Reg. 32. de Annali possessore*: vi cuius is, qui beneficium Ecclesiasticum, ab aliquo per annum immediatè præce-

dentem pacificè possessum, & quod certô modô vacare prætendit, deinceps impetrat, imprimis in impetrationis literis exprimere debet Nomen, Gradum scilicet Doctoratus aut Licentiæ, & Nobilitatem possessoris, & quot annis illud possederit: & specificam ac determinatam causam, vg. defectum ætatis vel incompatibilis beneficii pacificam assecutionem, ex qua possessori nullum ius in beneficio competere, clarè constare possit. Deinde procurare debet; ut beneficii possessor intra sex menses, à datæ impetrationis tempore computandos, citetur & ad iudicium evocetur. Demum, factâ citatione, causam intra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi tenetur. Quæ conditiones si non observentur, beneficii impetratio & quæcunque ex ea secuta nullius sunt firmitatis: & impetrans possessori de ortis exinde damnis & interesse satisfacere tenetur &c.

57. Verùm, ex his annali bonæque fidei & pacifica possessione beneficii titulum aut ius in eo acquiri, cum Rebuffo *de Pacifico poss. à n. 206.* & aliis, nemine, quod sciam, dissentiente, meritò negant Azor *p. 2. Instit. Lib. 7. cap. 24. q. 16. & cit.* Palao *p. 33. n. 3.* Ratio est, quia ex Regula *cit.* beneficii possessor adversus eum, qui beneficium impetravit, se tueri solummodo potest, quando in impetrationis literis possessoris nomen aut qualitas, Gradûs literarii vel Nobilitatis, aut specifica determinata claráque nullitatis causa non expressa, vel ipse intra sex menses citatus non fuit &c. non autem prohibetur beneficii per annum pacificè possessi impetratio: neque illius possessor annalis defenditur adversus eum, qui beneficium impetravit, & possessori factæ collationis valorem iis, quæ Regula præscribit, observatis impugnat, allegandô determinatam clarámque causam nullitatis, vg. defectum ætatis aut aliud canonicum impedimentum, quod à possessore probabiliter fuit ignoratum, & post collationem illi factam primùm detectum. Unde perspicuum est, pacificâ & bonæ fidei possessione annali titulum & jus in beneficio non acquiri.

TITVLVS VIII.

De Concesione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIUM.

1. *Vacat beneficium, quod à nemine obtinetur,*
2. *Aliquando de Jure simul & de Facto:*
3. *Aliquando de Facto tantùm,*
4. *Vel tantùm de Jure; quòd per sententiam,*
5. *Vel ex Juris dispositione sit amissum.*
6. *Canonicè confertur, quod utroque modô,*
7. *Vel de Jure tantùm;*

8. *Non*

8. *Non etiam, quod de Facto tantùm vacat.*
9. *Imò hujus collati acceptatio inhabilitatem ad beneficium inducit:*
10. *Valida est beneficii non vacantis Unio.*
11. *Non etiam ejus conferendi Promissio:*
12. *Cui adjectum juramentum aliqui pro valido habent.*
13. *Verius obligatorium non est;*
14. *Ut, eô non obstante, beneficium postea vacans alteri licitè conferatur.*
15. *Beneficium conferendi facultatem Episcopus alii non concedit:*
16. *Præterquam Vicario suo generali.*
17. *Neque patronus, nisi à præsentatione ipse sit impeditus.*
18. *Ad beneficia vacatura jus Papæ:*
19. *Non ejus, etiam à Latere legatus,*
20. *Vel Episcopus cum Capitulo concedit.*
21. *Ad ea tamen Graduati alicubi nominantur in Academiis.*
22. *Illicitæ sunt promissiones beneficiorum in genere.*
23. *Saltem quibus jus confertur ad beneficia vacatura.*
24. *Consuetudine tamen aliquando id non observatur.*

1. UT Præbendarum & Ecclesiarum seu beneficiorum Ecclesiasticorum libera collatio, ad eáque præsentatorum institutio SS. Canonibus conformes sint, illorum vacatio est expectanda.

Vacare autem dicitur beneficium, quod caret proprietario vel possessore, *arg. l. Qui cœtu 5. §. 2. ff. ad l. Jul de Vi publ. & l. Divus 22. §. 1. ff. de Usu & habit.* quarum priori mulier carens maritô: posteriori domus à nemine inhabitata, pro vacantibus habentur: quod respectu Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum tribus modis contingit; cùm aliquando ipsô Jure & Factô simul: aliquando Jure, aut Factô tantùm vacent, Tholosanus *de Benef. cap. 27. n. 1.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 16. q. 2.*

2. Jure & Factô simul vacat beneficium, cujus nec titulus nec possessio apud aliquem est: quod accidit per obitum, resignationem aut actualem privationem clerici beneficiati, antequam id alteri sit collatum, *citt.* Tholosan. *cap. 28. n. 1.* & Azor *q. 2.*

3. Factô tantùm vacat, cùm, solâ ejus possessione amissâ, titulus & jus seu proprietas retinetur: sicut contingit, cùm beneficiatus ejus possessione vi est dejectus, *c. Sollicitè 2. c. Conquerente 7. &c. de Restit. spoliat.* vel, cùm actualem ejus possessionem nondum habet clericus, cui id est collatum, *arg. c. Si tibi absenti 17. de Præb. & dignit. in 6.*

4. Jure tantùm vacat beneficium, quando possessor solum ejus titulum sive jus & proprietatem amisit: quod aliquando fit per sententiam judicis eô, quod obtinuit, beneficiô clericum privantis in pœnam criminis, vg. quòd absque justa causa & legitima facultate absit à loco Ecclesiæ vel beneficii residentiam exigentis, *c. Conquerente 6. & c. Inter 10. de Cleric. non resid.* quod commiserit homicidium, *c. Clericis 5. Ne clerici vel Monachi,* vel perjurium, textus & Glossa *in c. Querelam 10. V. Non necessitate, de Jurejurando*, vel aliud crimen grave & depositione seu privatione dignum: de quibus *cit.* Azor *cap. 18.* & Vallens. *de Benef. Lib. 3 Tit. 11. à n. 6.*

5. Aliquando ejusmodi vacatio inducitur ex dispositione ipsius Juris, decernentis beneficium ipsô factô vacare; quòd beneficiatus contraxerit matrimonium,

nium, *c. 1. & c. Quod à te 3. de Cleric. conjug.* Religionem ab Ecclesia approbatam sit professus, *c. Beneficium 4. de Regular. in 6.* Secularem militiam secutus, Glossa *in c. fin. V. Redierint, de Cleric. non resid.* beneficium incompatibile assecutus sit, *c. de Multa 28. & Extravag. Execrabilis* §. *Qui verò, de Præb. & dignit.* vel beneficii possessionem vi occupârit, *c. Eum qui 18. eôdem in 6.* quòd, Episcopatûs possessionem pacificam assecutus, Consecrationem, vel parochiale beneficium obtinens Ordinis Sacerdotalis receptionem, cessante legitimô impedimentô, ultra tempus Jure definitum distulerint, *c. Cùm in cunctis 7.* §. *Qui verò, de Electione & c. Licet 14.* §. *Is etiam, eôdem in 6.* vel Prælatus bona seu res Ecclesiæ immobiles aut mobiles pretiosas, non servatis Juris solennitatibus, vel summô Pontifice inconsultô, alienârit, *Extravag. ambitiosæ, de Rebus Eccles. alien.* quòd commiserit crimen, cui beneficii privatio ipsô Jure annexa est: cujusmodi crimina sunt Hæresis, *c. Ad abolendam 9.* ibi, *Sit omni officiô & beneficiô spoliatus, de Hæreticis & c. Cum secundùm 19. eâdem Rubr. in 6.* Simonia Realis, *Extravag. Cùm detestabile inter com. de Simonia*, Sodomia sæpius exercita, ex *Constitut.* Pii V. quæ incipit *Horrendum, edita 3. Septemb. 1568.* Persecutio, percussio, captivitas alicujus S. R. E. Cardinalis, *c. Felicis 5. de Pœnis in 6.* Percussio, captivitas, proscriptio Episcopi, *Clement. 1. de Pœnis*, Homicidium commissum per Assassinium, *c. 1. de Homicidio in 6.* per occisionem parentis, *c. Inquisitionis 21. de Accusat.* vel Rectoris aut beneficiati Ecclesiæ suæ, *c. In quibusdam 15. de Pœnis*, Falsatio literarum Apostolicarum, *c. Ad falsariorum 7. de Crimine falsi:* de quibus aliisque modis beneficiorum vacationem ipsô Jure inducentibus, latè *citt.* Azor. *cap. 17. q. 1.* Vallens. *Tit. 24. à n. 1.* & Barbosa *Juris Eccles. Lib. 3. cap. 14. à n. 1.* aliis DD. relatis.

6. Certum nunc primò est, conferri posse beneficium vacans de Jure & Facto simul, arg. à contrario deductô ex *c. 1.* imò etiam, quòd de Jure tantùm vacat: etsi, quòd in ejus possessione saltem colorata alius sit, in literis impetrationis & provisionis rescriptô hujusmodi possessionis facienda mentio, & sine ista impetratio provisióque subreptitia & nulla sit, *c. Cùm nostris 6.* Ratio est; quòd Papa, si in ejus colorata possessione alium esse sciviſſet, non facilè, neque absolutè beneficium contulisset: sed potiùs, ne viventis beneficium conferre videretur, de possessoris jure inquiri mandavisset, Panormit. *in c. cit. n. 7.* Menoch. *de Arbitr. casu 201. n. 139.* & Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 5. §. 1. n. 64.* Nisi tamen provisio fieret *Motu proprio*; cùm enim iste subreptionis vitium purget, *c. Si motu 23. de Præbend. in 6.* eô factam provisionem Apostolicam, alienæ possessionis reticentiâ non obstante, subsistere cum Selva *p. 3. de Benef. q. 11. n. 37.* & *cit.* Menochio *n. 142.* vult Garcias *de Benef. p. 10. cap. 1. n. 49.* contra Panormit. *l. cit. n. 19.* illam corruere existimantem; quòd Papa non intendat conferre beneficium, in cujus possessione colorata alius existit: intentionis autem defectus *Motu proprio* non tollatur.

7. Certum contrà secundò est, conferri non posse beneficium, quod neque de Jure, neque de Factô vacat: imò etiam, quod non de Jure, sed de Factô tantùm vacat; quia etiam tale beneficium, hôc ipsô; quòd ejus titulus & proprietas penes alium sit, verè vacare non censetur, Panormit. *in c. Cùm nostris cit.*

stris cit. n. 18. beneficii autem verè non vacantis collatio irrita & nulla est ipsô Jure, *can. Eum qui, 7. q. 1. can. Non furem, 7. q. 1. c. Consultationibus 4. de Donat. & c. Nulla 2. hîc*, usque adeò, ut eum, qui in beneficio institui se passus est, ab eo, & ipsa etiam Fidelium communione removendus sit, ex decreto Gregorii & Gelasii summorum Pontificum *can. Eum qui, 7. q. 1. & c. 1. hîc.* Irritatæ autem ejusmodi collationis ratio justissima fuit; quòd, cùm ex una, sicut una mulier, uni viro legitimè copulata, alteri conjungi, *c. Gaudemus 8. V. Nec ulli, de Divortiis:* sic etiam una eadémque Ecclesia vel beneficium, conferri simúlque retineri nequeat à clericis duobus, *can. Sicut, 7. q. 1. c. Cùm non ignores 15. & c. Tuæ 20. de Præb. & dignit.* ex altera verò parte, nemini jus suum, & præsertim Ecclesia vel beneficium Ecclesiasticum sine sua culpa vel causa publica sit auferendum, hôc ipsô; quòd in titulum perpetuum conferatur, *can. fin. dist. 70. can. Inventum, 16. q. 7. & c. Ex parte 5. de Clerico ægrot.* viventis, ac proinde nondum vacans, beneficium alteri conferri nec debeat, nec Jure possit: sicut mariti adhuc viventis uxor alteri viro nequit copulari, *V. cit. c. 1. c. Accepisti 2. & c. Tuas 5. de Sponsa duor.* Panormit. *in c. 1. cit. n. 2.*

9. Neque solùm invalida ejusmodi collatio est, sed insuper, qui beneficium viventis scienter acceptavit, id postea vacans obtinere sine Apostolica dispensatione ampliùs non potest, *arg. can. Sicut cit.* ad eum ferè modum, quô vir, qui cum alicujus viventis uxore, intervenient adulterinô commerciô, matrimonium de facto contraxit, hanc, ejus virô postea mortuô, ducere sine ejusmodi dispensatione non potest, *c. fin. De eo, qui duxit in matrim.* Panormit. *in c. 1. cit. n. 3.*

Quin ut, qui alterius adhuc viventis beneficium sibi collatum scienter acceptavit, id postea vacans impetret, in literis Apostolicis mentionem fieri necesse est præcedentis intrusionis: secus Apostolica provisio ad instantiam (non Motu propriô, *arg. c. Si motu 23. de Præb. & dignit.*) facta, tanquam subreptitia, viribus carebit, ut *arg. c. Super literis 20. & c. Postulasti 27. de Rescript.* cum eodem Interprete docet Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 3.*

An invalida etiam sit, beneficii non vacantis promissio collata in tempus ejus per obitum, renuntiationem &c. vacaturi, dubium & ratio dubitandi est; quòd viventis beneficium, licet ei non auferri, & actu conferri alteri, uniri tamen ab Episcopo valeat monasterio, hospitali, collegio &c. *c. Cùm venisset 9. de Restit. spoliat. c. Consultationibus 4. de Donat. & Clement. 2. de Rebus Eccles. alien.* cujusmodi unione factâ beneficium vacaturum monasterio &c. debetur. 10.

Sed ratione hâc potior est decisio Juris, beneficiorum non vacantium promissionibus vim omnem adimentis, *c. Relatum 3. & c. Ex tenore 13.* quòd Statutô Concilii Lateranensis, *c. Nulla 2.* relatô, adversentur. Ratio autem hujusmodi etiam promissiones irritandi fuit partim; ut occurreretur incommodis & gravaminibus, quæ, illis per nimiam importunitatem & improbam ambitionem extortis, Ecclesiis earúmque Prælatis inferebantur; cùm, illis præmaturè & sæpe inconsultò factis, ad Ecclesias & beneficia vacatura jus quæreretur personis minùs idoneis: &, quæ vacatione eveniente se offerebant, digniores non modicô ipsarum Ecclesiarum damnô & animarum 11.

marum præjudiciô excluderentur: partim verò; ut ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, quàm procul possent, removerentur impia desideria consiliáque spectantia mortem alienam: cujus voto & machinationibus intempestivas ejusmodi promissiones cum maximo statûs Ecclesiastici opprobrio & Populi Christiani offensione occasionem aliquando dedisse, compertum erat, ut à Bonifacio VIII. non obscurè insinuatur *c. Detestanda 2. pr. in 6.* & cum Viviano *in pr. cit.* observat Gonzalez *in c. Nulla cit. n. 12.*

Rationibus his Jurisque decisionibus innititur gemina Regula Apostolicæ Cancellariæ. Vigesima, *De non impetrando beneficium per obitum viventium:* vi cujus, si quis impetret rescriptum; ut sibi provideatur de beneficio tanquam vacante per obitum alicujus adhuc viventis, illius postea per obitum vacantis, virtute ejus rescripti facta provisio seu collatio nullius est momenti. Vigesima nona, *de Verisimili notitia:* vi cujus beneficii per obitum vacantis provisio Apostolica irrita est, nisi inter obitum & provisionem tantùm temporis intercesserit, ut obitus ad notitiam Papæ verisimiliter potuerit pervenisse, Tholosan. *de Benef. cap. 32. n. 2. & 4.* Cochier *in Reg. cit. n. 1.* & Gonzalez *n. 12. cit.*

Neque ita rejectæ non vacantis beneficii promissioni efficax patrocinium præstat pro ea deducta ratio; quia Unio monasterio &c. facta alienæ mortis captandæ vel optandæ votum non inducit; cùm, quod collegio vel communitati datur, nemini datum videatur, *can. Episcopus 59. §. Qui manumittitur, 12. q. 2.* & naturali quodam vitiô communiter negligatur, quod communiter possidetur: nihilque se habere, qui totùm non habet, arbitretur, *l. Meminimus 2. pr. V. Naturale C. Quando & quibus quarta:* tum verò; quòd unio minùs præjudicet, & alienæ mortis captandæ occasionem multô minorem præbeat, quàm collatio: & ea, quam præbet, ex ipsa provenientis majoris boni intuitu facilè, & non immeritò contemnatur, Gonzalez *in c. cit. n. 13.*

Neque huic responsioni adversatur; quòd *c. Illud 8. de Jure patron.* loco Religioso à laico facta Ecclesiæ concessio ex eo etiam capite rejecta sit; quòd fuerit de re, sive Ecclesia non vacante; quia, ut *in c. cit.* Panormit. *n. 7.* advertit, Ecclesiæ concessio à laico facta est in præjudicium Rectoris adhuc viventis eámque possidentis, ut scilicet valeret & effectum sortiretur statim: non eô primùm cedente; cùm in istius eventum collata, & cum Episcopi consensu facta concessio utique tenuisset, *c. Consultationibus cit.* Sanchez *Lib. 7. moral. cap. 29. n. 148.*

Dubium secundò est de valore juramenti, adjecti promissioni beneficii vacaturi. Pro cujus valore pugnat; quòd, cùm ejusmodi beneficium postea vacans cuicunque clerico idoneo, & ipsi etiam promissario conferri valeat sine alicujus tertii & propriæ animæ præjudicio dispendióque, juramentum beneficii promissioni adjectum de re licita, ac proinde ex Justitiæ vel saltem Religionis virtute observandum, locúsque sit Regulæ *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* 12

Neque juramenti vim enervat; quòd optandæ mortis alienæ, scilicet ejus, qui beneficium obtinet, inducat votum & captandæ præbeat occasionem: cujusmodi juramenta, quia ad delinquendum invitant, contra bonos mores sunt, & obligandi vi destituuntur, per *c. Quanto 18. de Jurejurando* & Regulam, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, quæ est *58. in 6.*

Non,

Non, inquam, hoc juramenti vim enervat; quia juramento, etiam promissioni contra bonos mores factæ adjecto, sua vis constat; cùm hujusmodi moribus etiam adversentur pacta & promissiones de successione viventis, *l. Stipulatio 16. ff. de V. O. & l. fin. C. de Pactis:* & tamen eis adjecta juramenta obligare, cum Decio *in l. Pactum 15. C. de Pactis n. 7.* Claro §. *Testamentum 994. n. 4.* & aliis DD. in suis Tractatibus de Juramento defendunt Guttierez *p. 2. cap. 59. n. 5.* & Suarez *Lib. 2. cap. 23. n. 2.* ex ea solum ratione; quod sine peccato & tertii præjudicio valeant observari; ideóque locus sit alteri Regulæ, desumptæ ex *c. Cùm contingat & c. Quamvis citt.* partim; quia tale votum non inducunt per se, sive ex natura & fine suo: sed solummodo per accidens ob vitium & perversitatem eorum, in quorum favorem præstantur: non omnium, sed paucissimorum beneficii obtinendi spe obcæcatorum; ut optare aut etiam machinari non vereantur mortem eorum, quorum beneficia vacatura expectant: partim verò; quia boni mores, quibus ejusmodi promissio & juramentum adversatur, præcepti non sunt Jure Naturali aut Divino; cùm secundùm se spectati indecentiam & turpitudinem non contineant: sed humanô tantùm, perinde ut de viventis hæreditate initæ pactiones. Quibus, etsi ex legis dispositione invalidis, adjecta juramenta cùm teneant, etiam subsistet, quod adjicitur promissioni beneficii non vacantis.

13. Nihilominus, sicut promissionem beneficii non vacantis, sic & ei firmandæ appositum juramentum viribus & valore destitui, cum Panormit. *in c. Ex tenore 13. n. 3.* docent Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 1. n. 33.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 6.* & Gonzalez *cit. n. 12. in fine.* Ratio est; quòd, cum beneficii non vacantis promissio adversetur *citt.* decreto & Constitutionibus, eam irritantibus ad Ecclesiarum damna, Ecclesiastici Ordinis opprobria & fidelium scandala removenda, sicut ipsa, sic ei adjectum juramentum publico Ecclesiæ bono & bonis moribus Canonicis adversetur: & propterea de ipso procedat Regula *c. Quanto cit. & Reg. Non est obligatorium cit.* secundùm Magistralem doctrinam Suarez *Lib. 2. de Juramento cap. 20. n. 3. & cap. 21. n. 2.* Accedit; quòd, si hujusmodi juramenta valerent, relatarum sanctionum Canonicarum, Ecclesiarum animarúmque periculis & perversorum hominum ambitioni, consiliis ac machinationibus obviantium, saluberrimæ cautelæ eluderentur; cùm à collatoribus & patronis beneficiorum non vacantium, sicut promissiones, sic etiam juramenta facilè extorquerentur: atque ita, quod unâ viâ & directè non admittitur, indirectè & alia via obtineretur, contra *Reg. Cùm quid una 84. in 6.*

Pro juramenti valore deducta haud sanè levia sunt. Eum tamen etiam ipsa efficaciter non persuadent; quia alia ratio est juramenti, adjecti pactionibus de viventis hæreditate; cùm istæ solummodo adversentur bonis moribus Civilibus, sive dispositioni Juris Civilis, ejusmodi pactis ob justas quidem, sed principaliter & immediatè privatorum favorem spectantes causas, vim adimentis; non Canonicis; cùm sanctionibus Ecclesiasticis irritata non reperiantur: & multò minùs Naturali Jure vel Divinô; cùm, si horum Jurium aliquô præceptis bonis moribus adversarentur, ejusmodi pactiones etiam inter milites initæ sustineri non possent, contra *l. Licet 19. C. de Pactis:* neque etiam firmæ evadere vi Consuetudinis, & Principis authoritate ap-

probari, contra usum Germaniæ nostræ: in qua vi Consuetudinis de futura conjugum successione pactis dotalibus disponi, & authoritate Cæsarea confirmata constat Pacta Gentilitia, sive, ut vocantur, Confraternitatis, vulgò Erb- Verbrüderung / spectantia futuras successiones, Gaill. *Lib. 2. observat. 126. n. 3.* Contrà juramentum, beneficii non vacantis promissioni adjectum repugnet bonis moribus Canonicis, sive præceptis generalium Conciliorum & Constitutionum Apostolicarum. Quibus, cùm promissiones illæ ad damna Ecclesiarum, animarum pericula & totius statûs Ecclesiastici opprobria avertenda, & ad ambitiosorum hominum importunitatem ac temeraria consilia excludenda reprobentur, iis roborandis adjecta juramenta valore destitui, est necesse, *arg. Reg. Non est cit. & c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Suarez *cit. cap. 21. n. 2.*

14. Quare ejusmodi promissione ac juramento insuper habitis, beneficium postquam vacârit, alteri poterit conferri, ex clara decisione *c. Relatum 3.* ubi, adversus hujusmodi alteri factam collationem interpositæ appellationi tanquam frivolæ non deferendum, statuitur, partim; quòd ejusmodi contra sacros Canones factâ etiam juratâ promissione jus aliquod promissario non sit quæsitum; cùm invalida fuerit initiò, & per secutam beneficii vacationem non convaluerit, *arg. l. Quod ab initio 29. ff. de R. I.* partim verò; quòd contra Jus & frivolè interposita appellatio beneficii non vacantis collationem non debeat, nec valeat impedire, ut *in C. cit.* cum Glossa *fin.* advertunt Panormit. *n. 3.* & Gonzalez *n. 2.*

15. Quin; ut memorati Concilii Lateranensis & cæteræ sanctiones Ecclesiasticæ firmiùs custodirentur, eásque per ambages circumscribendi ansa & periculum omne removeretur, Innocentius III. *c. Constitutus 11.* vetuit; ne Episcopus aliúsve collator jus seu facultatem beneficium aliquod vacaturum conferendi alteri concedat: ejúsque sui Prædecessoris vestigiis inhærens Honorius III. patronorum commissiones ad præsentandum in beneficiis nondum vacantibus improbavit & irritas pronuntiavit, *c. fin.* quòd, si hujusmodi commissiones & concessiones essent licitæ, is, qui certo alicujus viventis beneficio inhiaret, subornare posset alium, ut id, cùm proximè vacaverit, conferendi vel præsentandi facultatem ab Episcopo alióve collatore vel patrono impetret; itáque collationis vel præsentationis ab isto facilè obtinendæ fiduciâ ad captandam vel optandam beneficiati mortem invitari, Panormit. *in c. Constitutus cit. n. 1.* & *ibi* Gonzalez *n. 3. & 5.*

Excipiendus tamen hôc locô impri- 16.
mis est Vicarius generalis: cui, licet Jure concedi nequeat potestas certum aliquod beneficium vacaturum, cui voluerit, vel etiam certæ personæ conferendi, *c. Constitutus cit.* ubi Panormit. *n. 5.* Rebuffus *in Prax. de Offic. Vicar. n. 15.* Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 44. q. 1.* & Laiman *in c. fin. de Offic. Vicar. in 6. n. 3.* cùm, ne detur occasio illicitis modis, scilicet machinatione in mortem beneficiati vel ejus circumventione, viventis beneficio inhiandi, contra *c. Nulla cit.* tum verò; ne per hujusmodi concessiones & commissiones determinatas inducantur beneficiorum reservationes & Expectativæ, Jure valde odiosæ atque exosæ, & Episcopis non concessæ præsertim post Trident. *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.* Glossa *in c. Cùm dilectus 27. V. Præsentare, de Jure Patron.* Laiman *in c. fin. cit. n. 3.* generaliter tamen

tamen Vicario suo Episcopus concedere valet potestatem conferendi beneficia vacatura, spectantia ad suam collationem, vel omnia, vel certi alicujus loci aut Ecclesiæ, si ibi plura existant, *c. fin.* junctâ Glossâ *V. Commissa*, *citt.* Rebuffus *à n. 23.* Laiman *n. 3*, & Barbosa *in c. cit. n. 11.* Ratio est; quia generali hujusmodi concessione & commissione nemini præbetur occasio in unius potiùs quàm alteriùs mortem machinandi: sicut ea non præbetur per potestatem generalem, quam habet Episcopus, quocum eandem jurisdictionem idémque tribunal habet Vicarius generalis, *c. Non putamus 2. de Consuet. in 6.*

17. Excipiendus deinde aliquando est patronus, præsertim laicus: qui ex justa causa vg. diuturnæ absentiæ in locis remotis, cùm generali procuratione sive administratione rerum suarum etiam facultatem clericos præsentandi ad vacantia sui patronatûs beneficia plura vel unicum duntaxat alteri committere cum consensu Ordinarii potest; quòd tali casu, sicut cæteris rebus suis superesse, sic etiam præsentandi jus exercere per seipsum non possit, *l. 1. §. 2. ff. de Procurat.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 7.* Lambertin. *de Jure Patronat. lib. 2. p. 1. q. 4. art. 2. n. 3. cit.* Garcias *p. 10. cap. 1. n 2.* & alii apud Barbosam *in c. fin. cit. n. 6.* Ex dictis

18. Dubium oritur de gratiis Expectativis: quarum ad vacatura beneficia, tam à Papa, quàm à Prælatis eô inferioribus concessarum honestatem & valorem ancipitem reddit non contemnenda ratio; quòd ex una, ipsæ etiam à Papa concessæ alienæ mortis votum non minùs involuant, quàm beneficiorum nondum vacantium ab aliis factæ promissiones; ac proinde adversentur bonis moribus Canonicis: imò Juri Divino præcipienti, ut quis diligat proximum, sicut seipsum, Matth. *cap. 22. v. 39.* quod Jus relaxare Papa non potest, *arg. c. Cùm inferior 16. de Majorit.* Ut adeò tam ipsæ, quàm Mandata de providendo alicui de dignitate vel alio beneficio Ecclesiastico proximè vacaturo à S. Synodo Trident. *cap. 19. cit.* meritò fuerint sublatæ. Ex altera verò parte, non solùm à Papa, sed ab aliis etiam concessæ ejusmodi gratiæ subsistere videantur; cùm Legato à latere Jure competat potestas vacatura beneficia reservandi, etiam in favorem seu commodum certæ personæ, *c. Præsenti 3. de Offic. Legat. in 6. & c. Cùm dilectus 28. de Jure patronat.* Eôdem modô ab Episcopo & Capitulo recipi clericus potest in canonicum & fratrem absque assignatione præbendæ: quô modô recepto præbenda proximè vacatura debetur, hôc ipsô; quòd Canonia sine Præbenda diu consistere non possit, *c. Cùm M. 9. de Constitut. & c. Relatum 9. de Præb. & dignit.* Quibus casibus cùm beneficium reservatum & præbenda vacatura ab eo, in cujus favorem reservatio facta est, & à recepto in canonicum revera expectentur, non est, cur gratias illas etiam à prælatis inferioribus concedi non posse, asseramus.

Confirmatur hoc; quia hodie in quibusdam Studiorum generalium Universitatibus personarum, ad Gradus literarios promotarum, Nominationes ad beneficia vacatura fieri solent: quarum vi ista postea vacantia ab eo, qui conferendi jus habet, alteri conferri non valent: sed à nominato expectantur. Quod ita receptum est non solùm ad promotionem Studiorum: sed ad bonũ quoque Ecclesiarum & animarum; cùm ita illæ Rectores, & istæ pastores doctos faciliùs consequantur, Zœsius *ad hanc Rubric. n. 9.*

Gravissimæ istius rationis magna quidem in partem utramque, ea tamen vis non est; ut gratiarum Expectativarum concessionem vel denegandam Papæ, vel inferioribus etiam prælatis adstruendam evincat; cùm Decretalium Constitutionibus & Conciliorum Lateranensis ac Tridentini decretis, ejusmodi gratias & beneficiorum non vacantium collationes promissionésque generaliter prohibentibus, inferiores omnes adstringantur, *can.* 1. *dist.* 20. *can. Nulli, 4. &c. 3. q. 7. c.* 1. *c. Ne innitaris* 5. *&c. de Constitut.* Romanus autem Pontifex, tanquam omni humano Jure superior, non ligetur, ut patet *c. Significasti 4. c. Innotuit 20. V. Quamvis de Elect. & S.* Synodo Trident. *Sess. 25. cap.* 21. *de Ref.* disertè declarante, à se omnia, quæ de morum reformatione & Ecclesiastica disciplina statuit, *Ita decreta esse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*, præsertim circa dignitates & beneficia Ecclesiastica; cùm de his etiam vacaturis disponendi plenissimam habeat potestatem, *c. Licet* 2. *de Præb. & dignit. in 6. & Clement.* 1. §. *fin. Ut lite pendente.*

Neque Expectativarum concessioni Apostolicæ contra eam deducta ratio adversatur; quia imprimis à Papa non conceduntur temere & quibuscunque: sed magna circumspectione & personis, meritis in Ecclesiam, probitatè & scientiâ valde conspicuis, de quibus triste aliquid suspicari, fas non est. Deinde; quia ejusmodi Expectativæ immediatè non adversantur bonis moribus præceptis Jure Naturali aut Divinò: sed Ecclesiasticò duntaxat, Papam ut dictum, non adstringente. Demum; quia eædem Expectativæ alienæ mortis votum non per se, sed merè per accidens & rarissimè inducunt; ut peccandi occasio, quam præbent, valde remota sit: & à justa causa, ex qua à Sede Apostolica aliquando conceduntur, valeat cohonestari, Joan. Andr. *in c. Proposuit 4. n. 3.* Fagnanus *in c. Nulla cit. n. 15.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 5.*

Haud paulò difficiliora sunt allegata pro prælatis Papâ inferioribus: quibus tamen ejusmodi gratias concedentibus efficaciter non patrocinantur. 19

Et imprimis quidem Legato à latere; quòd inter gratiam Expectativam ejúsque reservationem latum sit discrimen; quia per illam provisio ad beneficium vacaturum acquiritur jus: non etiam per istam; cùm, legatione quoquò modò finitâ, reservatio expiret; ut beneficium ab Ordinario aliove collatore, cui vult, liberè valeat conferri, per text. *c. Præsenti cit. & ibi* notata à Barbosa *n. 1. & 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Offic. Legati n. 24.* illáque durante legatus voluntatem mutare & beneficium, in unius favorem reservatum, alteri conferre sine prioris iniuria possit; ac proinde ex reservatione optandæ vel captandæ alienæ mortis periculum minus oriatur, quàm ex gratia Expectativa aut quavis alia non vacantis beneficii promissione, Panormit. *in c. Cùm dilectus 19. de Præb. & dignit. n.* 3. Garcias *p. 5. de Benef. cap. 3. n. 38.* & Gonzalez *l. cit. n.* 14.

Deinde Episcopo & Capitulo; quia *cc. citt.* cùm dictis commodè conciliantur; cùm, licet vi receptionis alicujus in canonicum præbenda vacatura debeatur, principaliter tamen & immediatè non debeatur ex vi receptionis aut promissionis: sed tantùm in consequentiam, ratione Canoniæ seu canonicatûs, ex juris dispositione exigentis; ut, cui ipsa collata est, proximè vacatura & aliunde non impedita præbenda assignetur; ut adeò canoni- 20

canonicus istam ex dispositione canonis potiùs quàm hominis promissione consequatur, Barbosa *in c. Relatum cit. n. 12.* Pirrhing *ad Rubric. de Præb. & dignit. n. 31.* & Gonzalez *in c. Nulla cit. n. 13.*

Neque cum hac conciliatione pugnat; quòd *c. Relatum cit.* in Canonicum recepto præbenda promissa, & secundùm eam promissionem concessa perhibeatur; quia promissa non fuit ex receptione ab homine facta: sed vi Canoniæ, quam obtinenti, cùm præbenda proximè vacatura de Jure assignanda sit, promissione illa solùm expressum est, quod inerat tacitè, & proximè ex Juris necessitate debebatur. Quare cùm *c. Dilectus 19. de Præbend* in canonicum recepto facta promissio præbendæ Concilio Lateranensi obviare dicitur, id exaudiendum est de promissione facta principaliter & ante receptionem: non in consequentiam tantùm ad Canoniam; cùm facta perhibeatur in ipsa compositione, receptionem in Canonicum præcedente; ac proinde ejus expectatio ibi reprobata hominis potiùs promissioni, quàm Juris seu canonis dispositioni inniteretur, ut cum Decio *in c. cit. à n. 4.* notant Barbosa *in c. Relatum cit. n. 3. & ibi* Gonzalez *n. 3.*

Eandem Jurium conciliationem etiam non evertit; quòd *c. Tuæ 20. & c. Dilecto 25. V. Si verò, de Præb. & dignit.* præbendæ etiam ratione ejusmodi receptionis expectatio non obscurè rejiciatur; quia Juribus his non primò vacaturæ in genere, de qua *c. Relatum cit.* & nobis sermo est: sed in specie certi hominis præbendæ expectatio reprobatur, ut *ibi* ostendunt *citt.* Barbosa *n. 4.* & Gonzalez *num. 3.*

Verùm licet antiquô Decretalium Jure ejusmodi expectatio subsliterit, novissimè tamen à Tridentino *cit. cap. 19.* cum gratiis Expectativis etiam facultatem creandi canonicum supernumerarium, ad futuram seu primò vacaturam præbendam, Episcopis & Capitulis ademptam, à S. Congreg. Cardd. ejus Concilii Interpp. declaratum, testes sunt Gonzalez *in Reg. 8. Proœm. §. 1. n. 64.* & Barbosa *in cap. 19. cit. n. 2.*

Demum pro Expectativis, ab inferioribus concessis, non facit confirmatio; 21.
quia ab ejusmodi Nominatis Academicis tristis consilii aut voti metus non est: &, si quis esset, ab utilitate in Ecclesias & Rempublicam Christianam ab illis redundante multùm superaretur. Quæ causa est, cur ejusmodi Nominationes faciendi juri, studiorum Universitatibus indulto à S. Synodo Tridentina, similia de beneficiis vacaturis providendi privilegia, Collegiis & Universitatibus aliis antè concessa revocante, non fuisse derogatum, à Gregorio XIII. super iis postea consulto sit declaratum, testibus Wamesio *Consil. 234. paulò post pr.* & Zoësio *cit. n. 9.*

Dubium denique est de valore pro- 22.
missionis beneficii factæ in genere, vg. *Conferam, cùm potero, cùm se facultas obtulerit.* Pro cujus valore apertè militat *c. Accedens 14.* textus, & modernus usus collatorum ac patronorum, etiam timoratorum: qui clericis sibi commendatis & charis, cùm pro beneficio supplicant, promittere passim solent, se *Cùm occasio tulerit*, eos voti compotes facturos, & ad canonicatum, parochiam vel aliud beneficium, *Cùm poterunt* promoturos: imò alicubi talibus promissionibus firmandis adjici solent literæ, ad ejusmodi beneficia vacatura, quas *Signaturas* nuncupant.

Sed, esto hujusmodi genericæ promissiones *c. cit.* Antiquô Jure subsliterint; quòd minùs, quàm certi beneficii vacaturi promissio periculosæ viderentur; & in genere atque indeterminatè multa

sustineantur, quæ determinatè & in specie reprobantur, *arg. can. Non æstimemus, 13. q. 2. c. Si Sacerdos 2. de Offic. Ordin. & l. Si unus 27. §. 3. ff. de Pactis :* postea tamen à Bonifacio VIII. etiam ipsæ, & quæcunque aliæ promissiones, ad beneficia vacatura viam directè vel indirectè sternentes, generaliter prohibitæ & irritatæ sunt, *c. Detestanda 2. in 6.* quòd, perversorum hominum ambitione & audaciâ cum tempore crescente, alienæ mortis captandæ consiliis expositæ etiam ipsæ viderentur, Francus *in c. cit. n. 2. ubi* Barbosa *n. 1.* & Wagnereck *in c. Nulla cit. §. Ne verò.* 23. Cui recentiori Juri moderni temporis usus non derogavit; quia illis loquendi modis & Signaturis spes sola, non res sive alicujus beneficii vel collationis aut præsentationis ad id obtinendæ jus supplicantibus quæritur, ut indubitatè liquet ex eo; quòd aliquando ad eundem canonicatum vel parochiam Signaturæ dentur pluribus: &, cùm postea vacant, quandoque aliis conferantur, non obstantibus ejusmodi Signaturis, & appellatione etiam vel querelâ eorum, quibus antè fuisse promissa, poterant videri.

Rectè tamen in rem præsentem Wagnereck §. *cit.* advertit, Bonifacii VIII. dictas promissiones irritantis Constitutionem & S. Synodi Tridentinæ, canonicos ad futuram præbendam recipiendi facultatem Episcopis & capitulis adimentis, decretum non ubique in rigore esse recepta; cùm in pluribus Germaniæ nostræ Ecclesiis canonicos supernumerarios & futuras præbendas expectantes recipi, eorúmque nomina Calendariis inseri videamus: & Consuetudinem, vi cujus in Ecclesia Salmantina duo canonici supernumerarii præbendas vacaturas expectantes recipiuntur, à Pio V. *Motu proprio* confirmatam, testetur Barbosa *in cap. 19. n. 3.* 24

TITULUS IX.

Ne Sede Vacante aliquid innovetur.

Occasione Collationis beneficiorum Ecclesiasticorum, Jure communi Episcopo competentis, præsenti Rubricâ agitur de potestate, quam Sede seu Prælatura, præsertim Episcopali, vacante circa eadem aliáque Episcopalia jura Capitulum habet.

ARTICULUS I.

De actibus vacante Sede Capitulo permissis.

SUMMARIUM.

1. *Episcopalis Sedis vacatio diversimodè inducitur:*
2. *Eáque inducta Episcopatûs administratio competit Capitulo;*
3. *Ut hoc*

3. *Ut hoc non solùm expresse sibi permissa:*
4. *Sed generaliter omnia expresse non prohibita possit:*
5. *Et proposita Rubrica Edicti Prohibitorii rationem habeat,*
6. *Saltem extra materiam Beneficialem.*
7. *Capitulum Vacante sede potest I. condere & revocare Statuta;*
8. *II. Exigere subsidium Charitativum:*
9. *III. Cognoscere de omnibus causis, ad Episcopale forum pertinentibus,*
10. *Etiam Hæreseos, quando istius rei non sunt Exempti:*
11. *IV. In crimina & criminosos inquirere,*
12. *Et pro morum reformatione decernere Visitationem,*
13. *Etiam generalem totius diœcesis:*
14. *Secundùm aliquos DD. etiam Monasteriorum Monialium Exemptarum:*
15. *Quod ab aliis verisimiliùs negatur.*
16. *V. Ferre potest censuras &c. eásque*
17. *Et plerasque irregularitates, delictô occultô contractas, relaxare:*
18. *VI. Varias Licentias concedere:*
19. *VII. Dispensare in Votis, Juramentis &c.*
20. *VIII. Sacerdotes ad excipiendas confessiones approbare &c.*
21. *IX. Titulorum beneficialium exigere exhibitionem:*
22. *X. Promovere executionem ultimarum voluntatum Piarum,*
23. *Hásque aliquando commutare,*
24. *Et agere alia pertinentia ad Episcopi Ordinariam jurisdictionem.*

1. EPiscopalis Sedis Vacatio inducitur non solâ morte Episcopi naturali: sed renuntiatione quoque, sive istius Apostolicâ admissione, Depositione & Translatione: donec Ecclesiæ de alio Episcopo fuerit provisum, Glossa *in c. Si Episcopus 3. V. Mortem, de Suppl. neglig. in 6.* Imò & Captivitate; quamdiù enim Episcopus à Paganis, Hæreticis vel Schismaticis detinetur, & Ecclesiâ suam administrare non potest, ejus Sedes & Ecclesia pro Vacante, non quidem, ut prioribus casibus verè, sed fictè & civiliter habetur: eadémque ratio est diuturnæ absentiæ in locis ita remotis; ut Episcopus, qui nullô vicariô seu administratore constitutô ad ea se contulit, Ecclesiæ suæ administrationem neque gerere ipse, neque gerendam mandare seu committere aliis possit; cùm hujusmodi absentia morti comparetur, Zabarella *in Clement. Unic. de Offic. Vicar. q. 18.* Laiman *in c. cit. §. Quare* & Pirrhing *ad Rubr. de Suppl. neglig. n. 16.* Quibus modis Episcopali aliáve Sede vel 2.
Prælatura vacante, sicut jurisdictionem & administrationem Episcopalem, Abbatialem &c. de Jure penes Capitulum residere, omnino exploratum: sic

Dubium &, non minùs difficilis quàm præjudicioſæ resolutionis, controversia inter DD. est, quænam causæ & negotia vi jurisdictionis & administrationis, eô tempore penes se residentis, pertractari à Capitulo possint.

Et Glossa quidem in *Clement. 1. V.* 3.
Capituli, de Hæreticis, Archid. *in can. Pontifices, 7. q. 1.* Panorm. *in Rubr. hîc*, Lambert. *de Jure patron. Lib. 1. p. 1. q. 2. art. 9. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 2.* statuunt Regulam Negativam; ut vacantis Sedis tempore Capitulo prohibita generaliter sint, quæcunque ei specialiter concessa non reperiuntur: contra quos Affirmativam Regulam propugnant Navarrus *Consil. 44. de Electione n. 1.* Pavinus *de Offic. & Potest. Capit. sede vac. p. 1. pr. q. 1. n. 3.* Gut-

n. 3. Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 11. n. 10.* Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 11. n. 3.* Barbosa *in c. Illa 2. n. 3.* Fagnan. *in c. cit. n. 6.* Diana *p. 8. tract. 4. resol. 1.* Capitulo, vacante Sede, in exercitio jurisdictionis Ordinariæ & rerum tam spiritualium quàm temporalium administratione permissa, asserentes, omnia, quæ ei expressè prohibita non inveniuntur.

Illi ad Negativam Regulam præferendam moventur Primò generalitate propositæ Rubricæ, *Ne sede vacante aliquid innovetur*, simpliciter prohibentis; ut adeò à Capitulo circa ea, quæ Ecclesiam istiúsque prælaturam concernunt, innovari ac mutari nihil debeat aut possit: nisi ipsi à Jure expressè sit concessum. Secundò textibus *c. 1.* ibi, *Attendentes, quòd sede vacante non debet aliquid innovari; cùm non sit, qui Episcopale jus tueatur:* & *c. Illa 2.* ubi Honorius III. beneficia ad collationem Episcopi pertinentia à Capitulo conferri posse negans, eam reddit rationem; quòd *Nusquam inveniatur cautum in Jure, quòd Capitulum fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum.* Tertiò; quòd Capituli potestatem, dum illa vacat, generalem esse non fuerit necessarium; cùm, si in iis, quæ à Jure specialiter indulta non sunt, aliquid innovari expediat, ad sedem Apostolicam recurri, ab eáque licentia impetrari valeat, *arg. c. Unic. de Cleric. Ægrot. in 6.* neque etiam utile; cùm administrationis concessio generalis Capitulo ansam præbeat electionem novi prælati protelandi, cum damno Ecclesiarum & periculo animarum, *c. Ne pro defectu 41. de Electione.*

His autem, & mihi quoque, Affirmativam varii textus Juris persuadent; cùm eâ non obscurè desumatur ex *c. His quæ 21. c. Cùm olim 14. de Majorit. & Obed. & c. 1. eâdem Rubr. in 6.* ex quorum, & præsertim postremi istius textûs, dispositione Capitulum in iis, quæ prælato competunt, succedit, præterquam in aliquibus specialiter exceptis: & ex *c. Si Episcopus 3. & c. fin. de Supplend. neglig. in 6.* ubi, sede propter Episcopi captivitatem fictè, & per ejus mortem verè vacante, administratio in temporalibus & spiritualibus Capitulo apertè adstruitur: nisi Ecclesiæ à sede Apostolica aliter provideatur. Idem non minùs clarè supponit S. Synodus Trident. *Sess. 24. cap. 16. de Reformat.* ex cujus decreto Capitulum sede vacante decernere debet Oeconomum, qui temporalia, & Officialem seu Vicarium generalem constituere vel existentem confirmare, qui spiritualia nomine Capituli, ac proinde generaliter & quoad omnia non prohibita, administret. Id ipsum suadet ratio; quia Regula sive universalis propositio desumenda est ex pluribus: multò autem plura de Episcopi potestate Ordinaria, dum Sedes vacat, Capitulum potest, quàm ei prohibita reperiantur. Accedit; quòd generalis ejus administratio expediat Ecclesiæ; ne, dum vacat, ipsa in rebus suis, & animæ etiam patiantur detrimentum, ut rectè observat Pavinus *cit. q. 1. n. 3.*

Neque periculum est; ne ex potestatis sibi competentis amplitudine Capitulum ansam accipiat electionis negotium protelandi; cùm à Jure præfixum ei sit trium mensium ad Ecclesiam Cathedralem vel Regularem: ad Secularem autem Cathedrali inferiorem sex mensium tempus: ultra quod si Capitulum electionem Prælati, cessante legitimò impedimentò, differat, eligendi potestate, propter ipsius negligentiam ad superiorem devolutâ, pro ea vice privatur, *can. Obeuntibus 35. dist. 63. c. Ne pro defectu vit. & c. Nulla 2. de Concess. prab.*

Neque

5. Neque adversatur præsens Rubrica; quia habet se instar Edicti Prohibitorii: quò quæcunque, ac proinde quæcunque Rubricæ illi subjectis aut aliis Juris textibus expressa & prohibita non reperiuntur, permissa censentur, *c. Cùm apud 23. de Sponsa. & matrim. & l. Mutus 43. §. 1.* junctâ Glossâ *V. Edictum ff. de Procurat.* Hostiens. *in summa de Sponsa. & matrim. n. 9. pr.*

6. Haud paulò difficilior est *c. De illa cit.* textus: satis tamen expeditæ & in Jure etiam fundatæ sunt duæ ejus expositiones. Una Fagnani *in c. cit. n. 6.* eò traditam Regulam restringentis ad provisionem beneficialem, in qualibet diœcesi de Jure soli Episcopo competentem, *can. Nullus omnino, 16. q. 7. c. Admonet 4. de Renunt. c. Ex frequentibus 3. de Institut. & c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*, ibi, *Ad cujus*, Episcopi, *officium tam institutio quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere.* Unde, cùm beneficiorum collationem sede vacante Capitulo competere, nusquam cautum in Jure reperiatur, hæc ipsi meritò negatur, juxta *c. Illa cit.* Altera aliorum, eandem Regulam restringentium ad Episcopatûs vacantis jura & fructus, qui ex speciali dispositione Juris custodiri ac servari debent successori, *can. Hæc hujus, 12. q. 2. c. Cùm Vos 4. de Offic. Ordin. & c. Quia sæpe 40. de Elect. in 6.* & propterea, si servari possint, alienari sede vacante generaliter prohibentur: à qua prohibitione, respectu jurium & fructuum quidem generali (sed exceptione à Regula, Episcopatûs vacantis administrationem Capitulo multò generaliùs concedente) cùm collatio beneficiorum, quæ inter Episcopalis dignitatis fructus numeratur, Glossa *in c. Cùm olim cit. V. Capitulo*, excepta nusquam reperiatur, Capitulo meritò negatur: quantumvis aliàs generalis & in Jure fundata sit Regula, Capitulo ea, quæ potestatis Ordinariæ sunt, & ipsi specialiter prohibita non reperiuntur, permittens.

Sede itaque Episcopali per prælati obitum, renuntiationem, depositionem verè, vel per ejus captivitatem &c. fictè vacante, Capitulum juxta Regulam hactenus stabilitam potest

Primò condere statuta diœcesana: 7.
dummodo iis Dignitati vel Mensæ Episcopali non præjudicetur, ut dictum *Lib. 1. tit. 2. n. 25.* cujusmodi statuta vacante sede condita, licet totam diœcesin obligandi vim planè obtineant, Episcopus tamen, cujus confirmatione sedes impletur, illa perinde, ut ab antecessoribus suis condita, revocare potest; cùm enim par in parem imperium & potestatem non habeat, *c. Innotuit 20. V. Quamvis, de Elect. & l. Nam & Magistratus 4. ff. de Recept. arbitr.* à successore revocari ex justa causa etiam licitè possunt, à quocunque antecessore, ut ad tempus etiam Capitulum est, condita statuta, Navarrus *Manual. cap. 25. n. 74. in fine* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 15. n. 8.* & Molina *cit. disp. 11. n. 7.*

Secundò, ex manifesta & rationabili 8.
causa exigere subsidium Charitativum, Glossa *in c. Cupientes, 16. V. Aliunde, de Elect. in 6.* Bellenz. *de Subsid. Charit. q. 7.* & Azor *p. 1. Instit. Lib. 9. cap. 14. q. 5.* quorum tamen ille *q. 47.* iste *q. 7.* rectè Capitulo negant potestatem condendi statutum, quò tale subsidium in futurum ex parte minueretur; quòd Episcopalia jura minuendi omni careant potestate: sed ea omni ex parte illæsa conservare teneantur, *arg. Rubr. c. 1. & c. fin. hic.*

Tertiò, cognoscere de omnibus cau- 9.
sis, ad Episcopale forum pertinentibus, etiam Beneficialibus, Decimalibus, Ma-

trimonialibus & Criminalibus; quantumvis enim hæ non inferiorum judiciô, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquendæ asserantur à Trident. *Sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc, de Reformat.* Synodali tamen hôc decretô Capitulum non excluditur; quia decretô istô excluduntur soli inferiores: Capitulum autem, vacante sede, non inferius Episcopo, sed ei propter jurisdictionem Episcopalem Ordinariam penes se residentem, quoad casus specialiter non exceptos, par est; ac proinde etiam Criminales & Matrimoniales causas, Episcopali jurisdictioni subjectas & specialiter non exceptas valet pertractare, Quaranta *Summæ Bullar. V. Capitulum sede vac. q. 5. citt.* Pavinus *p. 1. q. 10.* & Diana *tract. 4. resol. 22.* & superior, etiam Apostolicus legatus de eis in prima instantia cognoscere, & ad partes ex domiciliis suis evocandas monitoria decernere non potest, vigore decreti Trident. *Sess. 24. cap. 20. de Reformat.* quia judicium hoc Episcopo competit jure Ordinario: quô competentia sede vacante penes Capitulum residere, jam est dictum. Ex his

10. Dubium nascitur, an sede vacante Capitulũ cognoscere etiam valeat de crimine hæreseos: in quo Marian. Socinus *in c. Ad abolendam 9. de Hæreticis n. 44.* & Zabarella *in Clement. 1. §. Duo, de Hæretic. n. 60.* Affirmativam sustinent indiscriminatim. Meliùs tamen ab aliis discrimen statuitur inter subditos diœcesanos & exemptos; cùm, Episcopali sede vacante, Capitulum verisimiliùs in illos duntaxat, non etiam in hos, quando criminis hæreseos rei aguntur, procedere valeat: licet Episcopus procedat in utrosque. Ratio est; quia sede Plena Episcopus in illos, sive subditos tantùm suos, jure Ordinario: in hos autem sive exemptos merè Delegatô jure procedit, *c. cit.* in cujus fine Lucius III. *A lege*, inquit, *diœcesanæ jurisdictionis exempti in his, quæ sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & eis hac in parte tanquam à sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis privilegiis) obsequantur:* Capitulum autem sede vacante Episcopo in iis tantùm, quæ jure Ordinariô competunt, succedit. Ita Panormit. *in c. cit. n. 17. ubi* Joan. Andr. *n. 15.* Decianus *Tract. Criminalis Lib. 5. cap. 21. n. 14.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 186. n. 181.* & *cit.* Diana *resol. 37.* ubi, quamvis hæc de Jure stricto ita sint, praxin tamen pro Capitulo stare, monet.

Quartò, in crimina & excessus, uti & in delinquentes de illis diffamatos aut indiciis gravatos procedere per viam Inquisitionis, & de criminibus atque excessibus convictis commeritas pœnas infligere, Frid. de Senis *Consil. 16. n. 1. in fine* & Barbosa *de Canon. & dignit. cap. 42. n. 102.* Unde 11.

Dubium oritur primò, an vacante sede Capitulum pro morum reformatione constituere valeat diœcesis Visitatorem: quod cum Imola *in c. 1. hic* & Joan. Monach. *in c. fin. de Suppl. neglig. in 6. à n. 5.* negant Boërius *decis. 2. n. 29.* & Fuscus *Lib. 1. de Visit. cap. 2. n. 20.* Moventur Jure & ratione: & ex illo quidem allegant *c. fin. cit.* cujus *pr.* Bonifacius VIII. *Ecclesiæ*, inquit, *Cathedrali Visitator ab alio quàm Romano Pontifice dari non potest:* quô non minùs clarus est textus *c. Is cui 42. de Elect. in 6.* ubi idem Papa soli sedi Apostolicæ competere, ait, dare Ecclesiæ administratorem in spiritualibus & temporalibus, sicut est ejus Visitator generalis. Rationem reddunt partim; quia Capitulum, sede Vacante, tantùm potest necessaria, Glossa *in Clement. 1. de Hæret. V. Capituli* & Pavinus *p. 1. cit. pr. q. 7. n. 7.* Visitatio autem diœcesis adeò 12.

necessaria

necessaria non apparet, ut differri nequeat in tempus plenæ sedis futuræ, Joan. Monach. *l. cit.* partim verò; quia, si Capitulum deputare posset Visitatorem, ab isto exigi possent procurationes debitæ ratione Visitationis, *c. Cùm ex officii 16. de Præscript. & c. Procurationes 23. de Censibus:* procurationes autem visitatori, à Capitulo deputato, præstari non possunt; cùm *c. Conquerente 16. de Offic. Ord.* numerentur inter fructus Episcopales, qui reservandi sunt futuro successori, *c. Cùm Vos 4. in fine Rubr. cit.*

13. Statuendum tamen omnino est, vacante sede ad correctionem morum decerni à Capitulo posse visitationem, quâ non solùm specialiter in particulare aliquod & in publicum diœcesis damnum vergens crimen, aut in particularem personam procedatur, sed etiam generaliter, crimine & persona particulari non expressis, correctio morum promoveatur: & ad hanc obeundam personam idoneam decerni, ut cum Glossa *V. Capituli cit.* & Panormit. *in c. Cùm olim cit. n. 2. dub. 4.* defendunt Sylvester *V. Capitulum n. 3.* Pavinus *cit. q. 7. à n. 1.* Tuschus *Practic. V. Capitulum concl. 56. n. 12.* Molina *cit. disp. 11. n. 7.* & Barbosa *in c. fin. cit. à n. 3.* Ratio solida est; quia, sede vacante, penes Capitulum residet jurisdictio Episcopalis, præsertim necessaria tota, præter casus Jure specialiter exceptos: Visitatio autem, per se aut etiam per deputatum Visitatorem obeunda, pertinet ad jurisdictionem Episcopalem Ordinariam ac necessariam; cùm fiat ex necessitate Juris, *can. Relata, 10. q. 1. & c. Mandamus 6. de Offic. Ordin.* sitque fere præcipuum remedium, extirpatis erroribus sanam doctrinam inducendi & confirmandi, abusibus & pravis moribus sublatis clerum ac populum reformandi, cultúmque divinum & animarum spirituale bonum promovendi, *can. Unic. dist. 85. c. 1. §. Sane, de Censibus in 6.* & Trident. *Sess. 24. cap. 3. §. Visitationem, de Reformat.*

Neque Resolutionem hanc convellunt contra eam allegati textus; quia imprimis utroque sermo est de Visitatore, qui administrator generalis in spiritualibus ac temporalib⁹ est totius Episcopatûs; non de eo, cui diœcesis Visitatio committitur ad solam morum reformationem, ut utriusque lectio planum reddet. Deinde; quia *c. fin. cit. principiô* Visitatorem constituendi facultas Capitulo non negatur, sed solummodo deciditur, Ecclesiæ vacanti, Capitulô invitô, Visitatorem dari à solo Apostolico, & nullo alio, superiore posse extra casum, quô administrationem Capitulū negligenter & malè gerit: quô etiam casu illius deputatio soli Archiepiscopo, vocatô Capitulô prævîâque cognitione, permittitur; cùm enim hujusmodi Visitatori concedatur, quod communi Jure competit Capitulo, hôc nullum constituente & inauditô Visitatorem deputare potest solus Papa, qui solus supra Jus est, Vivianus *in c. cit. pr.* Quin pro ipso Capitulo Visitatorem constituente, nec malè, allegatur *c. fin. cit.* cùm enim istius *V. Nisi forte,* Capituli defectum supplendi & Visitatorem deputandi facultas Archiepiscopo adstruatur casu, quô Capitulum negligenter & perperam administrârit, non obscurè insinuatur ac supponitur, sede vacante penes ipsum Capitulum, sicut administrationem in spiritualibus ac temporalibus, sic & Visitatoris deputationem originaliter residere; cùm in quovis negligente originaliter resideat munus, quod, eô negligente, per alium suppletur, *c. Sicut 2. c. licet 3. &c. Rubr. cit & c. Nulla 2. de Concess. præb.*

Non magis urget textus *c Is cui cit.* quia istô disertè agitur de administratore cum plena & libera potestate omnia (ex-

cepta alienatione) exequendi, quæ potest Episcopus confirmatus: quæ omnia exequi cùm nequeat ipsum Capitulum, cum ejusmodi plena ac libera potestate Visitatorem dare non valebit; quia nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet, *Reg. Nemo 54. ff. & 79. in 6.* Pirrhing *ad Rubr. de Suppl. neglig. n. 24. in fine.*

Minori, quàm textus, vi pollent rationes. Prior, cùm; quia non rarò in mora periculum est, præsertim si à Visitatione ultima longius tempus lapsum sit, & non appareat, Ecclesiæ de Pastore proximè providendum, Barbosa *cit. cap. 42. n. 70.* tum verò; quia sede vacante à Capitulari Visitatore aliquando deteguntur ac reformantur, quæ illâ plenâ occulta vel intacta fuerunt. Posterior; quia fructus Episcopales sunt solæ procurationes, præstandæ Episcopo diœcesin visitanti per se: non etiam, quæ aliis visitationem obeuntibus exhibentur; tales enim ipsis Visitantibus cedunt, *c. Procurationes cit.* ubi Glossa *V. Personaliter* & Panormit. *n. 5.* cùm, qui præstat Visitationis officium, recipere debeat beneficium procurationis, Hostiens. *V. Personaliter cit.* & Pirrhing *ad Rubr. de Censibus num. 68. in fine.*

14. Dubium secundò & difficilis resolutionis controversia est, an Capitulum visitare etiam valeat monasteria Monialium exempta; quantumvis enim hujusmodi monasteriorum visitatio Episcopo, tanquam sedis Apostolicæ delegato, committatur, *Clement. fin. de Statu Monach.* & à S. Synodo Trident. *Sess. 25. cap. 9. de Regular.* atque idcirco, eam ad Capitulum non transire, statuendum primò occursu videatur; quòd ad hoc generaliter non transeant ea, quæ jure solùm delegatò Episcopis competere dignoscuntur: non desunt tamen magni nominis Doctores, qui monasteria illa Visitandi potestatem vacante sede Capitulo adstruant cum Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 6. art. 9.* Molina *cit. disp. 11. n. 8.* & Moneta *de Commutat. ult. Volunt. cap. 5. n. 23.* & ex iis, quæ Episcopo tanquam delegato Apostolico competunt, eas solùm causas & negotia ad Capitulum transire negent, quæ Episcopis sub nomine dignitatis in particulari committuntur; cùm enim Capitulum Episcopus non sit, talem delegationem ad solum Episcopi in dignitate successorem, non etiam ad Capitulum, transire haud ægrè concedunt. Ea verò, quæ Episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis, committuntur à Jure; ut ex officio & munere suo ipsis, præsertim in eorum, in quos delegata jurisdictio exercenda est, vel in Ecclesiæ aut aliorum bonum competant, per quandam Epikiam ad Capitulum transire volunt, nisi apponatur aliquid, quò hujusmodi transitus impediatur. Rationem reddunt; quia talia eò ipsò, quòd Episcopali muneri à Jure & in perpetuum annectantur, ad Ordinariam jurisdictionem Episcoporum in posterum pertinere videntur. Cùm ergo exemptorum monasteriorum Monialium Visitatio Episcopali muneri ab ipso Jure & perpetuò annexa fuerit *Clem. fin. & cap. 9. citt.* ea quoque instar aliarum causarum, ad Ordinariam Episcopi jurisdictionem pertinentium, vacante sede ad Capitulum transibit, vigore *Clem. & cap. 9. citt.* cùm verisimile non sit, Concilii mentem fuisse, ut exemptæ Moniales vacantis sedis tempore totò gubernationis tam salubri præsidio carerent.

Sed, licet consideratio hæc Affirmativæ non leve patrocinium præstet, Jure tamen spectatò, exemptarum Monialium Visitationem vacante sede ad Capitulum transire, cum Frid. de Senis *Consil. 291.* verisimiliùs negant *citt.* Pavinus *p. 1. q. 7.* Garcias

15

Garcias *p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 45.* Tuschus *V. Capitulum cit. concluſ. 56. n. 50.* Diana *cit. tract. 4. §. Sed hîc.* Barboſa *alleg. 73. n. 25.* & alii, Rotæ deciſionibus in eam rem allegatis. Ratio eſt; quia poteſtas à Papa alicui ſub nomine dignitatis delegata non transfertur ad eos, qui tali dignitate carent: viſitatio autem Monialium exemptarum à Papa Epiſcopis delegata eſt ſub nomine dignitatis; ut eam obeundô non jurisdictionem ſuam Ordinariam, ſed delegatam à Papa, iſtiúsque authoritate & nomine exerceant.

Neque generaliter ea, quæ Epiſcopis à Jure & perpetuò committuntur, indiſcriminatim jurisdictionis eorum Ordinariæ ſunt; quia id verum ſolummodo eſt, quando ſimpliciter, & non tanquam delegatis Apoſtolicis committuntur; cùm enim ita à Papa commiſſa nunquam proprió: ſed alienô, ſcilicet ipſius Papæ committentis jure, authoritate & nomine ſemper pertractentur, ad jurisdictionem Epiſcoporum Ordinariam non pertinebunt, per tradita *Lib. 1. tit. 29. n. 9.*

Neque propterea vacantis Sedis tempore malè conſultum eſt Monialibus exemptis; cùm eô tempore viſitari queant à Prælatis ſuis exemptis, à Legatis à latere & fere ab aliis cum talium poteſtate Miſſis: imò, ſi neceſſitas urgeat, ab ipſo Capitulo ex jurisdictione ſua Ordinaria: ſicut ex iſta illas viſitare urgentis neceſſitatis caſu Epiſcopus potuit, antequam poteſtatem à Jure delegatam obtineret, *citt.* Garcias *n. 47.* Diana §. *Ex hîc*, & Fermoſin *Tract. 1. q. 22. n. 3.*

16. Quintò, vacante Sede ferri à Capitulo poſſunt excommunicationis aliæque cenſuræ, *c. Ad abolendam 9. de Hæreticis*: depoſitionis, aliæque pœnæ Eccleſiaſticæ, & Ceſſatio à divinis imponi, *arg. c. Unic. de Majorit. & Obed.* cùm in omni jurisdictione, ſpecialiter non excepta, Epiſcopo ſuccedat; iſtiúsque non vicarius ſit, ſed ſucceſſor, Gloſſa *in c. cit. V. Impertiri*, Panormit. *in c. Cùm olim cit. not. 1.* & Frid. *de* Senis *Conſil. 30. n. 6.* Ex qua ratione & *c. cit.* textu illi etiam competit abſolutio à cenſuris, tam à Jure quàm ab homine latis, omni caſu, quô abſolutionem impertiri jurisdictione ſuâ Ordinariâ Epiſcopus poteſt, adeò; ut, ſicut Epiſcopus, *c. Pervenit 17. de Sent. excom.* ſic etiam Capitulum ab excommunicatione, levi percuſſione clerici contractâ, abſolvere, Gloſſa *in c. Unic. cit. V. Juris, in Addit.* & Diana *cit. tract. 4. reſol. 12. pr.* & diſpenſare etiam valeat in irregularitatibus ac ſuſpenſionibus, provenientibus ex delicto occulto: exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis ad forum contentioſum deductis, Trident. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reformat.* Suarez *de Cenſuris diſp. 32. ſ. 2. n. 4.* Piaſec. *Prax. Epiſcop. p. 2. c. 1. n. 16.* Garcias *p. 5. de Benef. cap. 7. n. 41. citt.* Diana *reſol. 7.* & Barboſa *cap. 42. n. 82.* quòd, licet ea diſpenſandi facultas *cap. 6. cit.* ſpecialiter conceſſa ſit Epiſcopis, his tamen competat Jure communi, & pertineat ad Epiſcopalem jurisdictionem Ordinariam, vacante Sede penes Capitulum reſidentem. 17.

Sextò, idem diſpenſare valet in denuntiationibus matrimonialibus, & aſſiſtere hujusmodi contractibus: uti & dare licentiam his aſſiſtendi aliis ſacerdotibus, juxta Trident. *Seſſ. 2. cap. 1. de Ref. matr.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. diſp. 28. n. 5.* & Guttierez *de Matrim. cap. 66. n. 9.* novitiis de bonis ſuis diſponendi, juxta ejusdem Concilii *Seſſ. 25. cap. 16. de Regular. cit.* Diana *reſol. 53.* aliis, juſtâ causâ poſcente, in- 18.

grediendi monasteria monialium, & his ex illis egrediendi, *Sess. cit. cap. 5. de Regular.* Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 9. n. 10. & p. 10. §. 2. n. 2. citt.* Diana *resol. 49.* & Barbosa *alleg. 102. n. 28. in fine:* clerico subdito ex peregrinationis aliáve justa causa à loco beneficii ad tempus recedendi, imò & perpetuò ad aliam diœcesin transeundi, *citt.* Panormit. *in c. Cum olim, n. 2.* & Pavinus *p. 1. q. 8. n. 1.* ædificandi Ecclesiam & fundandi beneficium Ecclesiasticum, etiam; ut ædificans ac fundans in iis acquirant jus Patronatûs, ut cum *cit.* Pavino *p. 2. q. 5. n. 5.* & Viviano *p. 1. de Jure patronat. lib. 2. cap. 1. n. 12.* contra Steph. Gratian *Discept. forens. cap. 303. à n. 10.* sustinent *citt.* Garcias *cap. 7. n. 79.* Barbosa *alleg. 70. n. 23.* & Diana *resol. 54.* quòd talis licentiæ concessio actus sit jurisdictionis Ordinariæ Episcopalis, Calderin. *de Jure patronat. Consil. 3.*

19. Septimò, dispensare in votis & juramentis, non tamen in reservatis; in petitione debiti conjugalis; in observatione festorum ac jejuniorum, & aliis casibus, quibus ob difficultatem recursûs ad Sedem Apostolicam dispensatio Episcopo est permissa: uti & cum illegitimis ad beneficia simplicia & Ordines minores; quòd hæc etiam potestas Episcopo communi Jure competat, *c. 1. de Filiis presbyt. in 6.* & Capitulo nuspiam denegetur. Ratio omnium est; quòd, si ea Capitulo permissa non essent, diœcesibus vacante Sede satis consultum non esset; cùm dispensationem in prædictis frequenter exposcat necessitas aut magna utilitas subditorum, *citt.* Molina *disp. 11. n. 5.* Diana *resol. 23. & 45.* & Barbosa *cap. 42. n. 81.*

20. Octavò, approbare & exponere sacerdotes pro excipiendis pœnitentium confessionibus, iisque concedere facultatem absolvendi à peccatis accensuris Episcopo reservatis, *citt.* Molina *n. 5.* & Barbosa *n. 64.* uti & ejusmodi facultates & approbationes, etiam ab Episcopo vivente obtentas, revocare, *cit.* Diana *resol. 40.* ubi rectè advertit, generali approbationis revocatione non affici Religiosos Mendicantes: &, si istorum mentionem faceret expressam, nullius esse momenti; quòd, ne ipsorum approbatio Episcopalis, vacante Sede, revocari à capitulo valeat, muniti sint privilegiô Apostolicô, indultô à Clemente IV. cui à S. Synodo Trident. *Sess. 23. cap. 15. de Reformat.* non derogatum ostendit.

21. Nonò, clericos beneficiatos subditos suos compellere ad ostendendos titulos suorum beneficiorum; &, si duo vel plura incompatibilia simul obtineant, ad exhibendas legitimas dispensationes, super pluralitate impetratas: licet illa triennió pacificè possederint, Glossa *in Reg. 1. V. Obtineri;* quòd, licet Regulâ de Triennali possessore non solùm tertius, possessorem super beneficio inquietans, sed ipse etiam Ordinarius excludatur, per tradita *Lib. 2. tit. 26. n. 113.* ab isto tamen tituli exhibitio exigi valeat; ut constet de bona fide possessoris: &, an titulum habeat coloratum, sive beneficium ab eo, ad quem pertinet, acceperit, ut *ibidem* dictum, & rectè notat Lugo *Tract. de I. & I. disp. 7. n. 110.*

22. Decimò, sicut Episcopus, *c. Nos quidem 3. de Testament.* sic & Capitulum, vacante sede, compellere valet executores testamentorum; ut pias defunctorum voluntates exequantur, & executionis peractæ reddant rationes: quas etiam exigere potest ab administratoribus Piorum locorum, *citt.* Diana *resol. 24.* & Barbosa *cap. 42. à n. 75.* & ipsas etiam 23.
defunctorum voluntates, justâ causâ poscente,

scente, commutare iis casibus, quibus illas jure Ordinario commutare Episcopus potest. Secus est illis casibus, quibus voluntates illas Episcopus commutat jure delegationis seu commissionis Apostolicæ; cùm tales ad Capitulum non transeant: sed, si factæ expressô nomine personæ, cum ista expirent: si autem factæ sint sub nomine dignitatis, ad successorem cum ista transmittantur, *c. Quoniam 14. de Offic. deleg.* ut *ad hanc Rubr. à n. 80.* dictum est, & cum Moneta *de Commutat. ult. volunt. cap. 5. n. 417.* tradit *cit.* Diana *res. 34.*

24. Demum generatim facere, vacante sede, Capitulum potest cætera, quæ vi jurisdictionis suæ Ordinariæ Episcopus potest, & à laudatis Pavino *à p. 1. q. 3.* Molina *disp. 11. à n. 4.* Diana *Tract. 4. à resol. 4.* Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 32. à n. 62.* & Fermosino *Tract. 1. de Capitul. sede vac. à q. 1.* latè declarantur.

ARTICULUS II.

De actibus Vacante Sede Capitulo interdictis.

SUMMARIUM.

25. *Potestas Capituli Vacante Sede variè restricta est:*
26. *Et I. quidem nequit conferre beneficia,*
27. *Spectantia ad solius Episcopi liberam collationem:*
28. *Nisi ea debita certis personis,*
29. *Devoluta, vel dimissa ex causa Permutationis,*
30. *Vel eorum collatio per accidens Capitulo sit permissa.*
31. *II. Secundùm aliquos admittere resignationes;*
32. *Quarum admissio veriùs Capitulo competit.*
33. *III. Decernere beneficiorum uniones:*
34. *Quas faciendi potestas illi rectiùs adstruitur.*
35. *IV. Supprimere Canonicatus & Præbendas:*
36. *V. Alienare res Ecclesiasticas,*
37. *Si ea Immobiles vel pretiosæ sint,*
38. *Et non urgeat casus valde magnæ necessitatis:*
39. *VI. Easdem ab Episcopali ad Capitularem Mensam transferre:*
40. *VII. Super iisdem rebus subire judicium:*
41. *Nisi res pertineant ad solius Capituli administrationem,*
42. *Vel urgeat notoria necessitas:*
43. *VIII. Licentiam Ordinandi vel literas Dimissorias dare subditis, non arctatis:*
44. *IX. Concedere Indulgentias:*
45. *X. Novum monasterium ædificandi licentiam dare:*
46. *XI. Facere, quæ Episcopo ex Privilegio,*
47. *XII. Vel ex delegatione Apostolicæ competunt.*
48. *Jurisdictio Episcopalis à Capitulo per Vicarium exercetur.*
49. *Temporalia administrantur per Oeconomum,*
50. *Et alios Officiales constitutos.*

FIrmata hactenus & exemplis illustrata Regula, de Ecclesiæ administratione, sede vacante, Capitulo competente, generalis quidem: at non perpetua est; cùm Jure proditæ reperiantur ab ea non paucæ exceptiones & casus, quibus ea Capitularis ad- 25.

ris administrationis & jurisdictionis generalitas, ne in Ecclesiæ damnum & principalis dignitatis præjudicium facilè vergat, meritò est restricta.

26. Primò enim, sede vacante, Capitulo denegata est collatio beneficiorum Ecclesiasticorum, de Jure spectantium ad solius Episcopi liberam collationem, *c. Illa 2. hic & c. 1. pr. de Institut. in 6.* quantumvis ad eorum collationem consilium aut etiam consensus Capituli requiratur, *c. Unic. §. Cùm verò in 6.* aut beneficium, Episcopò vivente, aut in ipsius mense jam ceperit vacare, Molina *Tract. 5. disp. 11. n. 11.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 39. n. 8.* Ratio est; quia collatio, sive libera concessio beneficii est gratia quædam & donatio, *c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* saltem quatenus uni potiùs quàm alteri clerico fit: & inter Episcopalis dignitatis fructus connumeratur, Glossa *in c. Cùm olim 14. V. Capitulo, de Majorit & Obed.* à donationibus autem Capitulum abstinere, & dignitatis illius fructus successori servare debet, *c. Cùm vos 4. de Offic. Ordin. & c. Quia sæpe 40. de Elect. in 6.* Quæ ratio etiam evincit, Capitulum Episcopo non succedere in nominatione & præsentatione huic competente; quia etiam istæ, cùm in præsentato jus non supponant, donationes, *c. fin. de Concess. præb.* & fructus quidam sunt dignitatis Episcopalis, Pavinus *de Capitul. sede vac. p. 2. q. 5. n. 3.* Lambertin. *Lib. 2. de Jure patronat. q. 2. art. 4.* & Garcias *p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 52.*

27 Dixi autem, *Ad solius Episcopi*, & *Liberam collationem.* Prius; quia beneficia, spectantia ad collationem Episcopi & Capituli simul, illò defunctò, renuntiante, translatò &c. solum Capitulum: & contrà, istò suspensò vel omnibus capitularibus majoris excommunicationis vinculò ligatis, aut aliter impeditis, solus Episcopus conferre potest, ex Constitutione Bonifacii VIII. relata *c. Unic. pr. in 6.* cùm enim Episcopus & Capitulum quoad ea, quæ ab ipsis simul seu communiter facienda sunt, censeantur unum corpus, *c. Novit 4. de his, quæ à prælat.* illorum unò deficiente aut ad conferendi actum reddità inhabili, conferendi jus devoluitur ad alterum, Glossa *in pr. cit. V. Etiamsi, ubi* Franc. *pr.* & Barbosa *n. 5.* Posterius; quia in concessionibus beneficiorum necessariis, sicut præsentati institutio, electi confirmatio, uti & beneficiorum nominatis jam debitorum collationes sunt, Episcopo Capitulum succedit, *c. Cùm olim & c. 1. citt.* cùm hæ sint actus jurisdictionis necessariæ: quam vacante sede penes Capitulum residere, res est satis explorata, Panormit. *in c. Illa cit. n. 6.* laudati Pavinus *n. 2.* Garcias *n. 54.* & Molina *n. 11.*

Ex simili causa Capitulum, sede vacante, conferre valet Primò beneficia, quæ vi suæ institutionis seu fundationis debentur alicui certæ ac determinatæ personæ, vg. clerico seniori ex familia fundatoris, aut huic proximiori; quia talium collatio respectu ejusmodi personæ necessaria est: & gratia, non tam Episcopi vel Capituli conferentis, quàm ipsius fundatoris, proximiorem aut alium de familia extraneo præferentis, *cit.* Garcias, eúmque secutus Diana *p. 8. tract. 4. resol. 26.* Aliud esset, si beneficium non alicui determinatæ personæ, sed certo generi personarum, hoc est, alicui ex certa familia, collegio, civitato debitum esset; ejus enim vacantis collationem, cùm libera & respectu collatarii gratiosa sit, à Capitulo fieri posse, meritò negat Gonzalez *ad Reg. Cancell. 8. gloss. 45. n. 19.* Secundò, beneficia, propter

propter inferioris collatoris negligentiam seu culpabilem moram, ad Episcopum devoluta, ut cum Joan. Andr. *in c. Quamquam 18. de Elect. in 6.* Molina *cit. disp. 11. n. 12.* & aliis dictum est *Lib. 1. tit. 10. n. 10.* Tertiò, vacantia ex causa permutationis, quando hæc necessaria est: vel illorum ex tali causa resignationem Episcopus quidem jam admisit, sed morte præventus ea resignantibus non potuit conferre, ut infra *Tit. 19. à n. 19.* statuetur; quia hujusmodi collatio necessariæ jurisdictionis est actus. Quartò beneficii vacantis curam & administrationem alicui idoneo clerico, assignatò ei congruò stipendiò, commendare; vacante sede, Capitulum potest: donec illud ab eo, ad quem pertinet, alicui conferatur, ut cum *citt.* Panormit. *n. 4.* Molina *n. 11.* & aliis rectè advertit Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 11. §. Et hinc.*

30. Imò conferre etiam potest uni ex pluribus, ad idem beneficium simul, vel à patrono laico successivè præsentatis, vel eô neminem præsentante, sed, cui voluerit, conferendi potestatem ipsi concedente; quantumvis enim tali casu exerceat actum gratiæ & liberalitatis, hoc tamen facit per accidens & ex concessione saltem tacita ipsius patroni, cùm unum possit, plures vel nullum præsentandô, ex pluribus unum, vel quemcunque velit, deligendi potestatem in Capitulum transferentis, Diana *cit. resol. 26. §. Nec obstat.*

31. Secundò, admitti à Capitulo non posse resignationes beneficiorum, ad Episcopi collationem pertinentium, cum Glossa & Archidiacono *in can. Fraternitatem 5. V. Licentiam dist. 71.* docet Rebuffus *in Praxi, Tit. de Devolut. n. 94.* cùm; quòd esse videantur actus jurisdictionis Voluntariæ: tum verò; quòd resignationis admissio sit beneficiati quædam destitutio: destituere autem non valeat, qui nequit conferre, *arg. c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*, ubi institutio & destitutio sacerdotum eidem tribuitur.

Sed rationes istæ leviores sunt, quàm ut intentum evincant; quia imprimis resignationis ex justa causa factæ admissio Necessariæ jurisdictionis est actus. Deinde; quia, dum sedes vacat, non Necessariam tantùm, sed Voluntariam quoque jurisdictionem penes Capitulum residere, Joan. Andr. *in c. Unic. de Majorit. in 6.* Frid. de Senis *Consil. 30. n. 2.* Garciæ *cit. cap. 7. n. 2.* Guttierez *Q. Q. Canon. lib. 1. cap. 11. n. 11.* Molinæ *cit. disp. 11. n. 5.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 7. n. 10.* & aliorum præcipui nominis DD. sententia est; quod jurisdictio voluntaria Jure expressa & excepta non reperiatur. Demum; quia instituendi & destituendi potestates sunt diversæ, & aliquando etiam in Episcopis separatæ; cùm admittere valeant resignationes beneficiorum, Sedis Apostolicæ dispositioni reservatorum, testibus Frid. de Senis *de Permutat. benefic. q. 36. n. 62.* Flamin. *Lib. 7. de Resignat. q. 14. n. 7.* & aliis apud *cit.* Dianam *resol. 29.* sicut contrà etiam instituendi potestas aliqua respectu præsentatorum Capitulo competit, *c. Unic. cit. pr. in 6.*

Quare, etiam resignationes admitti 32.
à Capitulo posse, cum *cit.* Panormit. *n. 2. V. Sextò* Franco *in c. Unic. cit. de Majorit. n. 5.* Pavino *cit. p. 2. q. 2. n. 11.* & aliis rectè defendit *cit.* Flamin. *Lib. 7. q. 23. à n. 20. & 31.* Ratio est; quia resignatio admitti potest ab eo, qui destituere potest invitum, Innocent. *in c. Quod in dubiis 8. de Renuntiat.* cùm; quia resignatio sive istius admissio vim habet destitutionis, *cit.* Flamin. *q. 10. n. 7.* tum verò;

quia invitum destituere plus est, quàm destituere volentem, quod fit per admissionē resignationis: invitum autem destituendi potestas, sede vacante, penes Capitulum est, *Extravag. Execrabilis Joan. XXII. de Præbend. & dignit.* cujus §. *Cæterùm*, recipiens secundum beneficium curatum, primum etiam invitus dimittere debet in manibus Ordinarii, hoc est, Episcopi vel sede vacante Capituli, ut *ibi* Papa declarat. Unde Capitulum, si alicujus beneficii, ad solius Episcopi collationem pertinentis, resignationem admittat, aut eô beneficiatum delinquentem privet, id commendare debet clerico idoneo, qui ejus curam & administrationem gerat: donec à novo Episcopo confirmato alicui in titulum perpetuum conferatur, *cit.* Diana *resol. 4. §. Major.*

33. Tertiò ab eo, sede vacante, Ecclesias & beneficia uniri posse, cum Pavino *cit. p. 2. q. 3. n. 17.* negat Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 38. q. 9.* partim; quòd Capitulum careat potestate ea conferendi, *c. Illa cit.* quâ major est potestas beneficia uniendi; cùm non competat prælatis inferioribus, quantumvis beneficia conferendi habeant potestatem: partim verò; quòd Capitulum derogare nequeat juri Episcopi, *c. 1. hîc*: per unionem autem ei derogetur; cùm, eâ factâ, Episcopus pro duabus collationibus facere possit tantùm unam.

34. Sed verius uniendi potestatem ei cum Felino *in c. Cùm olim cit. n. 9.* Petr. de Perusio *de Unionibus cap. 5. n. 26.* & *cit.* Garcia *p. 12. cap. 2. n. 67.* adstruunt sibi contrarius Azor *Lib. 6. cap. 28. q. 9.* &, aliis DD. relatis, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 65. n. 11.* dummodo unio non fiat in favorem Capituli, eáque jus Episcopi non diminuatur: sicut contingeret, si huic subjecta Ecclesia vel beneficium alicui ei non subjectæ Ecclesiæ vel beneficio conjungeretur. Ratio est; quia unio est actus jurisdictionis Ordinariæ, non gratiosæ & voluntariæ, ut collatio, sed Necessariæ; cùm non nisi exigente necessitate vel utilitate suadente fiat.

Contra Capitulum deducta carent difficultate. Primum; quia, esto major sit potestas uniendi quàm conferendi, non tamen, ut ista, tendit ad exercendam liberalitatem & gratiam: propter quam causam ad Episcopi collationem pertinentia beneficia conferendi potestas Capitulo negatur *c. Illa cit.* Alterum; quia per unionem duo beneficia conjunguntur, quin Episcopale jus pereat; cùm utrique Ecclesiæ providere etiam valeat post unionem, ut rectè observat Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 12. §. 2. n. 12.*

Quartò, vacante sede, ad Capi- 35
tulum non transit facultas supprimendi canonicatum vel præbendam, ex causa auctionis distributionum quotidianarum, vel redituum aliarum præbendarum, proventus ad beneficiati sustentationem sufficientes non habentium, Episcopis competens ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 15. de Reformat. cit.* Azor *p. 2. lib. 3. cap. 38. q. 9.* Moneta *de Distribut. p. 1. cap. 15. à n. 29.* Diana *cit. tract. 4. resol. 50.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 67. n. 3.* partim; quia ea facultas Episcopis cum Capituli sui consensu concessa est sub nomine dignitatis, ad solos in Episcopatu successores transeuntis. Ex qua præbendas supprimendi facultatem Abbatibus aliisque prælatis, tam Secularibus quam Regularibus, etiam exemptis, Ordinariam & quasi-Episcopalem jurisdictionem obtinentibus competere, cum DD. *citt.* negat Palao *Tract. 13. disp. 6. p. & §. 9. n. 2.* partim verò; quia ea suppressio species quædam est alienationis, præter justam causam exposcen-

expoſcentis conſenſum Capituli, *c. 1. c. Tua nos 8. &c. de Iit, quæ à prælat.* & huic, vacante ſede, non permiſſæ, *c. Si qua de rebus, 12. q. 2. & c. Quia ſæpe 40. de Elect. in 6.*

36. Quintò, Capitulum, vacantis ſedis tempore toto, alienare nequit res & bona Eccleſiæ, *can. Si qua cit.* ſed ea cuſtodire ac ſervare debet prælati ſucceſſori, *can. Hæc hujus c. Quia ſæpe citt. & Clement. Statutum 7. de Elect.* Eâ tamen in re opus eſt diſtinctione inter bona, quæ ſervandò poſſunt ſervari: & ea, quæ tempore ſunt interitura. Ex quibus

Iſta, ſive quæ ſervari nequeunt, à Capitulo vel ab hoc deputato Oeconomo alienari, etiam ſuperioris authoritate non interveniente, permittuntur: ſicut à tutoribus diſtrahi valent hujusmodi res pupillares, *l. Tutor 7. §. 1. ff. de Auth. tutor, & l. Lex quæ 22. in fine. ff. de Adminiſtr. tutor.* & merito; cùm, ſi ſedis vacantis tempore diſtrahi ejusmodi res non permitterentur, alienationis prohibitio ob Eccleſiæ favorē introducta, in ejus diſpendiū retorqueretur, contra Regulā *Quod ob gratiam 61. in 6.* Panormit. *in c. 1. n. 7.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 2.*

37. Illa verò, & præſertim bona immobilia Eccleſiæ & menſæ Epiſcopalis, alienari à Capitulo ſine Sedis Apoſtolicæ licentia non poſſe, ſatis clarè deſumitur ex *c. 1. cit.* ubi Eccleſiæ Cathedrali factæ unionis diſſolutio poſt Epiſcopi obitum Capitulo non permittitur ex ea ratione; quòd Epiſcopali ſede vacante non debeat aliquid innovari; cùm prælatô, tanquam propriò Eccleſiæ defenſore, defunctô, non ſit, qui Epiſcopale jus tueatur; cùm enim judicium, cujus eventus dubius eſt, contra Eccleſiam vacantem agitari non permittatur *c. fin.* multò magis prohibitam eſſe oportuit ejus rerum alienationem, quæ ſonat in malam partem, & reipſa videtur eſſe damnoſa, Panormit. *n. 7. cit.* & cum eo Vivianus *in c. cit.* Confirmantur iſta; cùm enim ipſe Epiſcopus Eccleſiæ inferioris vacantis bona alienare nequeat, niſi priùs ei curator ſive adminiſtrator vel alius legitimus defenſor deputetur, *c. 1. de Reb. Eccleſ. alien. in 6.* multò minùs bona vacantis Epiſcopatûs alienare licebit Capitulo: niſi priùs ipſi deputetur viſitator ſive adminiſtrator, quem aſſignare de Jure ſolus Papa poteſt, *c. Is cui 42. de Elect. in 6. & c. fin. de Suppl. neglig. in 6.* Imò ex prioris textûs diſpoſitione etiam ab iſto vacanti Epiſcopatui datus adminiſtrator, quantumvis non ſolorū ſpiritualium ſed temporaliū quoque plenā adminiſtrationem obtineat, immobilia tamen ejus bona nequit alienare. Quantò minùs id poterit Capitulū, cujus minor quàm hujusmodi adminiſtratoris eſt poteſtas, *cit.* Panormit. *n. 7.* & Molina *cit. diſp. 11. n. 15.*

38. Rectè tamen Doctor iſte excipit caſum urgentis valde magnæ neceſſitatis ita; ut neque alienatio differri ad futurum ſucceſſorem, neque pro alienandi licentia ad ſedem Apoſtolicam valeat recurri; tum enim, præmiſsô tractatu & cognitâ causâ, alienatio ei permiſſa foret; quia neceſſitas licitum facit, quod aliàs de Jure non eſt permiſſum, *arg. c. Licet 3. de Feriis.*

39. Sextò, multò minùs quàm alienare in alios, bona, ad menſam Epiſcopalem pertinentia, transferre Capitulum ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate poteſt ad ſuam ſive Capitularem: idque non ſolùm; quòd vacans prælatura ſeu dignitas Epiſcopalis careat legitimò defenſore: ſed etiam; quòd ita Capitulum in proprio facto, ſive in commodum & utilitatem propriam præſtaret authoritatem, contra Regulam *l. Pupillus 5. pr. ff. de Auth. tutor, c. fin. de Inſtitut.* &

præsertim *Clement. 2.* junctâ Glossâ *V. Mensæ, de Reb. Eccles. alien.* Interpp. ibi aliósque DD.

40. Septimò, neque alienare duntaxat, sed judicium etiam sive litem super Ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut à prælato defuncto ante obitum inchoatam, sive agendò sive respondendò, prosequi, vacante sede, Capitulum prohibetur *c. fin.* ubi ab Honorio III. tanquam invalidæ reprobantur depositiones testium, vacante & legitimò defensore carente Ecclesia, receptæ. Ratio est; quia ex una, Ecclesia fungitur vice & gaudet jure minoris, *c. 1. & c. Auditis 3. De in integ. restitut.* ex altera verò parte, judicium & sententia contra minorem, tutore & curatore carentem atque indefensum, lata non tenet, *l. Acta 45. §. fin. & l. Contra 54. ff. de Re judic.* Unde, ut judicium & sententia contra Ecclesiam lata teneat, Visitatorem vel administratorem ad effectum agendi à Papa ei dari est necesse, *arg. c. Is cui cit.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 5.* Gigas *de Pensionibus q. 65. n. 5.* & Barbosa *in c. fin. cit. n. 3.*

Hac tamen in re opus est geminâ distinctione. Unâ inter ipsas Ecclesias; cùm, si Ecclesia Cathedrali inferior & Episcopo subjecta sit, ejus vacantis Capitulum seu conventus, interveniente authoritate Episcopali, tanquam superioris & prælati sui immediati, Ecclesiæ vel monasterii sui jura, agendò & respondendò, tueri in judicio possit præsertim, si id exigat necessitas aliqua, vel vacatio diu sit duratura. Si autem Ecclesia Conventualis aut Collegiata non sit, ejus præsertim diutius vacantis res & jura tueri Episcopus possit, Panormit. *in c. fin. cit. n.* 4. & Laiman *Tract. de Alienat. Canon. n. 49.*

41. Si verò Ecclesia Cathedralis, aut istâ quidem inferior, sed tamen exempta sit, locus est alteri distinctioni inter res seu bona & jura, super quibus orta controversia exigit cognitionem definitionémque judicialem; cùm, si ista propria ipsius Capituli, à prælaturæ bonis divisa &, quoad administrationem etiam, separata sint, super iis convenire & conveniri in judicio, vacante imò etiam plenâ sede, Capitulum per procuratorem vel syndicum possit, per tradita *Lib. 2. tit. 1. n. 42.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8. in fine.* Si verò bona & jura propria prælaturæ, vel huic & Capitulo communia sint, super iis actionem vel defensionem judicialem susscipere Capitulum vel conventus non possit, per rationem supra allatam & dicta *l. cit.*

Excipiendus tamen est casus magnæ & notoriæ necessitatis; cùm enim, hac urgente, Ecclesiæ vel monasterii rem immobilem valeat alienare, multò magis pro ea agere vel respondere in judicio valebit, Glossa *in c. Edoceri 21. V. Debeant, de Rescriptis.* 42

Octavò, sede vacante Capitulum, licet Episcopo extraneo dare valeat licentiam in sua diœcesi Pontificalia exercendi, vg. solenniter celebrandi, consecrandi Ecclesias, conficiendi Chrisma & confirmandi &c. subditos tamen suos diœcesanos ordinandi potestatem ipsi, aut his, si ratione beneficii recepti vel recipiendi arctati non sint, literas Dimissorias concedere intra annum à die vacationis inductæ non potest, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 7. cap. 10. de Reformat.* ut dictum *Lib. 1. tit. 11. n. 73.* 43

Nonò, Capitulum Episcopo non succedit in concessione Indulgentiarum: de qua tamen potestate dubitandi ratio est; quòd illarum concessio, non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis sit actus, *c. Quod autem 4. de Pœnit. & remiss.* nullúsque extet Canon, quò ejus ad Ca- 44

ad Capitulum transmissio difficilis reddatur. Ex qua ratione Indulgentias concedendi potestas Capitulo adstruitur à Sylvestro *V. Capitulum, n.* 10. Azor *p.* 2. *Instit. lib.* 3. *cap.* 17. *q.* 9. Zerola *Prax. Episcop, V. Indulgentia, n.* 2. & aliis contra Archidiacon, *in c.* 1. *de Pœnit. ac remiss. in* 6. Sotum *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. §. *Hinc fit*, Suarez *disp.* 55. *de Pœnit.* 54. *n.* 5. & alios, meritò dissentientes; quòd Capitulum Episcopo non succedat in potestate jurisdictionis, specialiter concessæ ipsius dignitati Episcopali: huic autem ita attributis Indulgentiarum concessio adnumeretur, *c. Accedentibus* 12. *de Excess. prælat.*

Neque Episcopalium Indulgentiarum carentia subditis diœcesanis, sede vacante, justò difficilior est; quia illis per se non diu carent: & interea frui possunt liberaliter concessis à Papa & Episcopis antecedentibus, & istorum morte non expirantibus. Accedit; quòd ii etiam Doctores, qui illas largiendi potestatem adstruunt Capitulo, tutius esse asserant, si hoc nomine suo illas concedendi facultatem alicui Episcopo committat, ut notat *cit.* Barbosa *alleg.* 88. *n.* 21.

45. Decimò, Capitulum Episcopo non succedit in concessione licentiæ ædificandi novum monasterium, *citt.* Diana *resol.* 68. *in fine*, & Fermosin. *q.* 17. *n.* 16. id de Vicario Capituli, vacante sede, totam istius jurisdictionem exercente, à S. Congreg. Cardd. Trid. Interpp. 19. Januarii 1633. declaratum, asserentes; quòd Episcopalis licentia constituat formam, novi monasterii erectioni præscriptam *Constitutione* Gregorii XIII. quæ incipit *Quoniam, edita* 23. *Julii*, 1603. ut *Lib.* 5. *tit.* 31. *à n.* 24. plenius tradetur: formæ autem constitutiva per æquipollens nequeant adimpleri, *l. Qui per salutem* 33. *ff. de Jurejurando* Tiraquell. *L. Connub. V. Express. n.* 187.

Undecimò, non succedit in jurisdictione, Episcopo ex speciali privilegio vel delegatione Apostolica competente; cùm illi non succedat in ipsa dignitate, cui delegatio fieri videtur, Panormit. *in c. Cùm olim cit. n.* 3. Decius *in c. Quoniam* 14. *de Offic. deleg. n.* 3. Quaranta *in Summa Bull. V. Capitulum, n.* 1. §. *Quia in aliis* & alii apud Barbosam *Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 104. & *cit.* Dianam *resol.* 2. *sub cujus finem* id firmat Stylo Curiæ Romanæ: à qua dispensationes matrimoniales, vacante sede, etiamsi id nominatim petatur, non Capitulo, sed viciniori alicui Episcopo committi solent 46.

Duodecimò, neque etiam in potestate, quam variis casibus in exemptos Episcopus, præcisè tanquam sedis Apostolicæ delegatus, à Jure habet, ut insinuatum est *n.* 15. *& Lib.* 1. *tit.* 29. *à n.* 9. Nonnullos alios casus, quibus jurisdictio Episcopalis, vacante sede, ad Capitulum non transit, dabunt DD. *citt.* & præsertim Barbosa *cit. cap.* 32. *à n.* 104. 47.

Ea etiam, quæ ad jurisdictionem & administrationem Episcopalem pertinent, sede vacante, Capitulum non tractare per se, sed aliis committere tenetur, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess.* 24. *cap.* 16. *de Reformat.* quò 48.

Imprimis Capitulum penes se residentem spiritualium administrationem committere jubetur Officiali seu Vicario, intra octo dies post Episcopi mortem constituendo vel confirmando: cujus Officii declaratio data est *Lib.* 1. *tit.* 28. *art.* 4. *toto.*

Deinde, licet antiquò jure penes se residentem rerum temporalium administrationem Capitulum per se ipsum communiter gerere, si vellet, non prohiberetur, modernò tamen, *Oeconomum unum* 49.

vel plures fideles ac diligentes decernere debet, *qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri, cap. 16. cit.* Quod statuendi ratio fuit; ne ex Capituli administratione communi Ecclesia, ut plerumque solet, in rebus suis facilè pateretur detrimentum; cùm magistrò usu compertum sit, Naturali quodam Vitiò res, quæ communiter possidentur & administrantur, quasi non suas, neglectui communiter esse, *l. Meminimus 2. pr. V. Naturale, C. Quando & quib. quarta deb.*

Cura autem, quæ ejusmodi Oeconomo ex suo munere imminet, non est in eo, ut super Ecclesiæ rebus ac juribus moveat lites, aut jam motas ac pendentes prosequatur; cùm litis super illis suscitatio & pertractatio, vacante Sede, interdicta sit, *c. fin.* ut *n. 40.* est dictum: sed, ut ejusmodi res ac jura conservet illæsa sive in eo statu, in quo inductæ vacationis tempore fuerunt, & atq; colligat custodiat fructus ac reditus ejus, qui decessit, in prælatura successori, *arg. c. Cùm vos &* de *Offic. Ordin.* cui etiam exigenti administrationis suæ rationem reddere tenetur: licet eam Capitulo jam reddidisset, ex declaratione S. Congreg. Cardd. Interpp. apud Garciam *p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 23. declarat.* 11.

Demum, vacante Sede, constitui à so. Capitulo possunt judices Foranei ac Pedanei, aliique Officiales & administratores, quos diœcesis regimen exposcit; quorum & Oeconomi deputationi, licet certus terminus à Concilio præfixus non sit, ordinariâ tamen praxi à Capitulis, intra octo dies ad Vicarii electionem congregatis, alios quoque Officiales deputari consuevisse, testis est Fermosin *Tract. cit. q. 15. n. 13.* Cujusmodi foranei ac pedanei judices & Officiales alii, sede vacante, remoti, ad officii & administrationis suæ rationes reddendas, à Capitulo; officiò verò sine remotione finitò, à demortui vel translati Episcopi successore compelli possunt: sicut de Vicario Capituli dictum est *Lib. 1. tit. 28. n. 78.*

TITULUS X.

De iis, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

SUMMARIUM.

1. *I. Consensus iste necessarius est ad rei immobilis vel pretiosæ alienationem:*
2. *Cui præmittendus est Tractatus Capitularis:*
3. *Sed fere unicus tantùm;*
4. *Etiam, cùm alienatur res Ecclesiæ Conventualis.*
5. *Tractatum sequitur Capituli Consensus,*
6. *Expressus, si alienatio perpetua:*
7. *Saltem tacitus, si ea solum temporanea sit.*

8. Con-

8. *Consensus præstandus est à Capitulo congregato.*
9. *Alienatio rei Ecclesiæ inferioris non exigit consensum Capituli Cathedralis:*
10. *Nisi res ab ipso Episcopo alienetur.*
11. *Alienationi de Jure ipsum Capitulum:*
12. *Ejus locô ferè Notarius subscribit ex Consuetudine:*
13. *Quæ alienationis Ecclesiasticæ non generaliter omnem:*
14. *Sed quamcunque particularem,*
15. *Et ipsam etiam Subscriptionis solennitatem tollendi vim habet.*
16. *De Jure Subscriptio necessaria est ad valorem alienationis:*
17. *Cui, si utilis, subscribere tenentur Capitulares omnes:*
18. *Si damnosa videatur, nemini licet.*
19. *II. Consensus Capitularis exigitur ad præsentationem & collationem,*
20. *Præsertim, si ad Episcopum & Capitulum simul spectent.*
21. *III. Ad uniendam monasterio Ecclesiam Parochialem,*
22. *IV. Et ad assignandam illi partem fructuum istius,*
23. *V. Aut etiam Ecclesiæ suæ,*
24. *Saltem quinquagesimâ & aliquando centesimâ majorem.*
25. *VI. In aliis negotiis valde præjudicialis.*
26. *Casus, quibus Episcopus procedit cum Capituli Consilio:*
27. *Quod à Consensu multum differt,*
28. *Et sine isto magnam affert utilitatem.*

1. SIcut, ne Ecclesiæ, Vacante sede, damnum inferatur à Capitulo, circa res, in quibus lædi facilè posset, aliquid innovari, sacri Canones vetuerunt; sic, ne ipsi præjudicetur à Prælato, pleraque alicujus momenti negotia ab eo geri voluerunt cum Capituli Consilio, & aliquando etiam Consensu: quem vel maximè rerum Ecclesiasticarum alienatio requirit: &, ut sufficiens sit, præcedere Tractatus, & subsequi Subscriptio debet.

2. Alienationi itaque præmitti imprimis, debet Tractatus: quô Prælatus cum Capitulo seu Conventu de proposita rei Ecclesiæ immobilis aut mobilis pretiosæ distractione, an ea necessaria vel Ecclesiæ aut monasterio utilis futura sit, deliberet ac decernat, *can. Sine exceptione, 12. q. 2.* ibi, *Cum totius cleri Tractatu*, & *c. 1. §. Quia etiam, de Reb. Eccles. alien. in 6.* ubi, à Gregorio X. decimarum perpetuam concessionem non valere, decernitur; *Quòd Tractatus solennis & diligens, qui in talibus concessionibus & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuerit habitus in eadem.* Ubi

3. Dubium est de numero Tractatuum, alienationi præmittendorum; plures enim & saltem ternos aliqui exigunt apud Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 24. n. 24. & 26.* Sed id Jure nusquam est expressum; ut proinde non immeritò istè *n. 28.* cum Panormit. *in c. Tua nuper 8. n. 3.* Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 1.* & cum Franco *in c. 1. cit. n. 9.* Nicol. Everardus *Vol. 2. Consil. 19. n. 19. & 61.* unum sufficere velint, propter textus *can. Sine exceptione* & præsertim §. *Quia etiam citt.* Tractatum quidem, eúmque solennem ac diligentem: sed in numero singulari exigentes: etsi, saltem cùm alienatio majoris momenti, ejúsque utilitas non ita evidens est, plures præmitti operæ pretium consultúmque sit: & quarundam Religionum Constitutionibus & moribus receptum; sic enim in Ordinis S. Benedicti Congregatione S. Justinæ Cassinensi cùm ejusmodi rei alienatio decernen-

decernenda est, duorum dierum interpolatos Tractatus præmittendos, eum *cit.* Redoano *n. 29.* tradit Tamburinus *de Jure Abbat. Tom. 3. disp. 13. q. 4. n. 5.*

4. Contrà in Ecclesia, quæ Collegiata & Conventualis non est, hôc ipsô; quòd cum Capitulo, quô caret, tractari non possit, ejus res etiam immobilis, exigente necessitatis, aut evidentis utilitatis causâ suadente, alienari à Rectore solo potest, accedente authoritate Episcopali; quia in hujusmodi Ecclesia Rector solus idem potest, quod Prælatus cum Capitulo in Collegiata seu Conventuali, ut cum Imola *in c. 1. de Dolo n. 7.* & Panormit. *ibid. n. 28.* Regulæ instar tradit idem Redoanus *n. 46.*

§. Tractatum excipit Capituli seu Conventûs Consensus, *can. Sine exceptione cit. c. 1. c. Cùm Apostolica 7. & c. Tua nuper 8.* Quem ad rerum Ecclesiæ immobilium & pretiosarum alienationem requirendi ratio justa & urgens fuit; cùm enim, ubi majus est periculum, majori cautione procedendum sit, *c. Ubi periculum 3. de Elect. in 6. & l. 1. §. 5. ff. de Carbon. Edict.* meritò Prælato imposita est necessitas Consensûs capitularis requirendi ad Ecclesiæ vel monasterii sui rerum immobilium & pretiosarum alienationem; cùm enim istâ de ejusmodi rerum dominio transferendô, aut jure in iis alteri constituendô agatur, periculum esset; ne, si ad eam Prælatus sine capituli Consensu & prævio Tractatu devenire posset, Ecclesiæ vel monasterio grave damnum ac præjudicium inferretur, Vivianus *in c. 1. cit.* & ibi Barbosa *n. 1.* De Consensu isto

6. Dubium primò est, an debeat esse expressus, vel sufficiat tacitus; quod oritur ex *c. 1. & c. Continebatur 2.* quorum textuum priori omnino irrita pronuntiatur Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiæ facta absque *Collaudatione & subscriptione clericorum*: quod sine expresso consensu fieri nequit, ut de subscriptione omnino exploratum; de collaudatione inde perspicuum est; quòd *Collaudare* idem prorsus sit, quod simul laudare & approbare, quod voce, nutu, vel aliô signô externô fieri solet, ut probè advertunt Gonzalez *in c. Continebatur cit. n. 2.* & Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. Tract. 14. q. 12. n. 3.* posteriori autem firmum robur adstruitur concessioni decimæ ab Abbatissa factæ, *Conventu sciente & non contradicente*, ac proinde cum consensu solùm tacito: qui per scientiam Capituli, ejúsque non contradicentis taciturnitatem habetur, secundùm receptâ Glossam *V. Non contradicente cit.* & alios DD. Quos textus ut ab antinomiæ vitio absolvant, Interpp. non pauci priorem de magnæ aut saltem notabilis: posteriorem verò de modicæ rei alienatione accipiunt, *arg. can. Terrulas, 12. q. 2.* cum Innocentio & Rebuffo *de Decimis, q. 5. n. 34.* Alii verò plerique illum de perpetua, ut sunt donatio, venditio, commutatio: hunc de temporali solùm concessione, ut est locatio, oppignoratio, loqui: & ad illam expressum, requiri, ad hanc verò tacitum Capituli consensum sufficere, volunt cum *cit.* Redoano *Rubrica 25. num. 17.* & Feliciano *Oliva de Foro Eccles. p. 2. q. 43. n. 45.* pro sua sententia generalem Lusitaniæ praxin allegante. Rationem reddit Vivianus *in c. Continebatur cit.* quòd in concessione solùm temporali læsionis minus periculum sit, quàm in perpetua alienatione, Glossa *in c. 1. V. Perpetuò, de Reb. Eccles. alien. in 6.* & propterea majori cautela in hac, quàm in illa opus, *c. Ubi & §. 5. citt.*

Mihi, etsi posterior hæc conciliatio & doctrina admodum placeat, non tamen di-

men displicet expositio Carvalli *in c. Raynutius 16. de Testament. p. 3. n. 333.* existimantis, posteriori, sive *c. Continebatur cit.* textu nomine *decimæ* non immediatè ipsum jus aut fructus decimales, sed beneficium Ecclesiasticum venire: & de M. Huberti clerici ad id præsentatione, non alicujus juris aut fructuum temporali concessione agi; quia, ut ex integra ejus lectione à Gonzalez relatâ constat, ejus decimæ à Monasterii exempti Abbatissa facta concessio ab Episcopo fuit confirmata, in eáque M. Hubertus investituram per clavem & librum accepit: quibus beneficii Ecclesiastici Canonica institutio, & ejus in possessionem missio significatur, non approbatio seu consensus in alienationem; quia ut *Tit. 13. n. 77.* statuetur, exemptis ad rerum immobilium alienationem Episcopali consensu non est opus. Contrà ad beneficium Ecclesiasticum diœcesanum etiam ab ipsis præsentato necessaria est institutio Episcopi, *c. Ex frequentibus 3. de Institut. ubi* Panormit. *n. 5.* & Barbosa *n. 1. & 2.* & investitura sive missio in possessionem, quæ, ut *c. Continebatur cit.* factum, Archidiacono committi solet, *c. Cùm satis 4. & c. Ad hæc 7. de Offic. Archidiaconi* & *ibi* Barbosa *n. 6.*

8. Dubium secundò est, an exigatur consensus capituli congregati. Singulariter & seorsim præstitum sufficere, cum Sylvestro *V. Alienatio q. 5.* volunt Vasquez *de Redit. cap. 2. §. 2. dub. 12. n. 42.* & Tamburinus *cit. disp. 13. q. 4. n. 7.* cùm; quòd à capitularibus etiam seorsim præstitus verè sit consensus capituli: tum verò; quòd congregatorum consensus specialis & proprius sit Electionibus.

Sed meliùs Capituli, cùm haberi potest, congregati consensum exigunt *cit.* Redoan. *Rubrica 28. casu 5. n. 11.* Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 14. n. 9.* & Donatus *cit. Tract. 14. q. 13. n. 2.* partim; quòd sacri canones ad immobilium alienationem exigant consensum conventûs aut capituli, *c. Continebatur cit. c. Cùm nos 3. hîc, Clement. 1. & 2. de Reb. Eccles. alien. & c. 1. eâdem Rubr. in 6.* Consensus autem capituli & conventus propriè tantùm dicatur, qui est capitularium congregatorum sive Collegialis: partim verò; quòd *c. 1.* exigatur; ut ea fiat cum clericorum seu canonicorum *Collaudatione*, hoc est, ut simul laudent & approbent alienationem, de qua actum est Tractatu capitulari; collaudatio enim est voluntas sive consensus plurium, ad quos pertinet, simul junctus, ut ait Redoan. *Rubr. 30. n. 6.* Neque id immeritò; quia, si seorsim præstitus sufficeret, minùs liber, providus & utilis esset Ecclesiæ: cujus rerum dilapidatio multò expeditior foret Prælato, consensum in favorem suum & Ecclesiæ vel monasterii præjudicium faciliùs obtenturo, si ad ea pertinentium rerum alienatio, suffragiis seorsim rogatis posset decerni.

Neque, ut Sylvester ait, verum est, quòd consensus congregatorum proprius sit Electionibus; eum enim aliis Universitatum & Collegiorum actibus, præsertim quibus iis præjudicari potest, communem esse, patet *ex l. Nominationes 27. C. de Appellat.* & inde in Decretum translato §. *Nominationes*, post *can. Ei qui, 2. q. 6.* Nominationes &c. citra Concilium publicum factas, tanquam invalidas rejiciente: & *c. Cùm accessissent 8. pr.* ibi *Tanquam quod de communi assensu canonicorum fuerit constitutum*, & §. *Quo circa* ibi, *Si constiterit canonicos communiter statuisse, de Constitut.*

9. Dubium tertiò est, an consensus Capituli necessarius sit Episcopo alienaturo res immobiles vel pretiosas Ecclesiæ, Cathedrali inferioris. Non quidem Collegiatæ

giatæ vel Conventualis; hujus enim proprio Prælato collegii tantùm sui & authoritate Episcopali, non etiam capitularium Ecclesiæ Cathedralis consensu opus esse, ex communi DD. sensu tradunt Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 27. art. 1.* & Oliva *cit. q. 43. n. 62.* sed Collegium non habentis: de qua dubitandi ratio pro una oritur ex generalitate *can. Sine exceptione cit. c. 1.* & *c. Tua citt.* hi enim textus, cùm ad Prælati alienationem capituli consensum exigant indistinctè, generaliter & indistinctè videntur accipiendi, *arg. can. Consuluisti, 2. q. 5.* & *summæ l. De pretio 8. ff. de Publ. in rem act.* pro altera verò parte ex *c. Cùm Apostolica cit.* ad faciendam ab Episcopo decimarum, ad unam Ecclesiam spectantium, translationem ad aliam, capituli consensum non requirente. Propter quas rationes in propositæ dubitationis Resolutione non parum variant DD. Mihi ea expedienda videtur auxiliò distinctionis; vel enim hujusmodi Ecclesiæ rem immobilem, ut ferè solet, alienat ejus Rector seu beneficiatus: vel, ut ex causa aliquando potest, ipse Episcopus. Si prius, Rectori quidem & beneficiato authoritate Episcopi, tanquam superioris sui immediati: non tamen huic capituli sui Cathedralis consensu est opus. 10. Si posterius, & alienationis author est ipse Episcopus, capituli sui Cathedralis consensum ipsi necessarium, desumitur ex *Clement. Si Una 2. de Reb. Eccles. alien.* & cum Panormit. *in c. 1 cit. n. 5.* docent Covarr. *cit. cap. 17. n. 1.* Garcias *de Benef. p. 12. cap. 3. n. 11.* Molina *Tract. 2. de J & J. disp. 468. n. 14.* & Oliva *cit. n. 62.* Ratio utriusque est; quia vi *cc. citt. & c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6.* capituli consensus necessarius tantùm est Prælato alienanti: qualis Episcopus solummodo est casu posteriori.

Neque ejus Resolutioni obstat *textus c. Cùm Apostolica cit.* quia istus casus specialis, & exceptio est à Regulâ, ad alienationem Prælati consensum capituli generaliter exposcente, eximens casum, quò laicus decimas ab Episcopo vel inferiore prælato jam ante Concilium Lateranense acceptas, cùm, ut suæ restituat, induci non potest, alteri Ecclesiæ donat; hujusmodi enim earum donationem, sive ab una Ecclesia in alteram translationem, cùm solius Episcopi diœcesani consensu factam, Innocent. III. ratam omnino esse voluit *c. cit.* quòd Ecclesiæ saltem Universali utilius & convenientius, consultiùsque sit, ejusmodi decimas ab alia Ecclesia possideri, quàm stare in manibus laicorum, *c. Prohibemus 19. de Decimis* præsertim eas detinentium injustè; cùm particulares Ecclesiæ omnes membra sint Universalis, *can. Novatianus, 1. q. 5.* & propterea Ecclesia, ad quam ejusmodi decimæ de Jure pertinebant, ut alteri conferantur, facilè acquiescere debeat ac præsumatur, Panormit. *in c. Cùm Apostolica cit. n. 10.* Barbosa *ibid. n. 6.* & Suarez *de Decimis cap. 26. n. 13.* ubi ait, ex pia dispensatione Ecclesiæ fieri, ut hoc casualiter, quàm de rigore Juris deberet, restitutio decimarum à laicis fiat. Ex speciali autem hac dispositione tantùm abest, ut aliquid inferatur contra capitularis consensûs necessitatem; ut hæc ex illa, tanquam exceptione, potiùs stabiliatur; quia exceptionis ea natura est; ut Regulam in contrarium potiùs firmet, quàm infringat, *l. Quæsitum 12. §. 43. ff. de Instruct. & instr. leg.* Glossa *in Rubr. de R. J. in 6.* Decius *ibidem n. 20.* & Everard. *Legal. arg. loco ab Exceptione n. 1.*

Demum Consensum in alienationem II. subsequi debet Subscriptio, saltem si illa fiat per rei immobilis aut pretiosæ Donationem, Venditionem, Permutationem, *can. Sine exceptione cit. c. 1. c. Tua §. V.*

Irrita

Irrita, hâc Rubr. Eam generaliter ad quoscunque actus & contractus, quibus ejusmodi res alienantur, exigere aliqui videntur, propter paritatem rationis. At revera paritas non est; quia Donatio, Venditio, Permutatio sunt magis propriè dictæ alienationes, quàm cæteri contractus; cum per illas non solùm jus aliquod, vel utile duntaxat, sed directum etiam rerum dominium in alium transferatur, aut saltem de eo transferendo agatur, *l.* 1 *C. de Fundo dotali & l. Alienatum 67. ff. de V. S.* Neque, si paritas esset, hôc ipsô idem Juris in cæteris, quod in tribus relatis alienandi modis, foret; cùm Regulæ instar receptum sit, Subscriptionem & Scripturam ad contractûs vel actûs substantiam non exigi, præterquam in casibus Jure expressis, *l. Pactum 17. C. de Pactis*, Panormit. *in c.* 1. *n.* 4. *cit.* Redoanus *Rubr. 29. n.* 1. & Molina *tit. disp. 468. n. 7.*

12. Quin de consuetudine etiam in Donatione, Venditione, Permutatione hodie passim, non ipsorum capitularium in ejusmodi contractum consentientium, sed Notarii publici, de tractatu & consensu capituli testificantis manu subscriptionem fieri, cum *citt.* DD. testantur Bonacina *disp. 3. de Contract. q. 8. p. 4. n. 7.* & Tamburinus *cit. disp. 13. n. 10.*

Verùm hanc de consuetudine doctrinam in dubium vocat Celeberrimus & Collegii nostri Juridici Primarius quondam Antecessor Nicol. Everard. *Vol. 2, Consil. 19. n. 62.* illi, quanticunque temporis sit, subscriptionis necessitatem cæterásque Ecclesiasticæ alienationis solennitates tollendi minuendíque vim negans: licet has consuetudine augeri posse, haud ægrè consentiat *n. 75.* Ratio, quâ movetur, unica est; quòd subscriptionis & reliquæ solennitates rationabiles ob causas à Jure sint introductæ: & illam præsertim non omitti, Ecclesiæ multùm intersit; ut in alienationem consentiens, eíque in casu non licito subscribens puniri queat, juxta *can. Non liceat, 12. q. 2. & c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.* Alii contrà consuetudini tantam adstruunt vim; ut solennitates illas non solum minuere, sed cum subscriptione omnes abrogare valeat. Rationem eam reddunt; quòd originem suam & necessitatem omnes debeant Juri humano Imperiali & Ecclesiastico: quorum utrique consuetudinem prævalere posse, constans est sensus DD. patétque ex *c. fin. de Consuetud. & l. De quibus 32. in fine ff. de LL.*

Mihi inter extremè oppositas sen- 13.
tentias placet media: quæ consuetudini, sicut propter rationabilitatis defectum omnes solennitates abrogandi, & Prælatis res ac bona etiam immobilia pretiosáque alienandi omnino liberam & absolutam potestatê tribuendi vim negat; sic subscriptionis & cujuscunque alterius particularis solennitatis necessitatê tollendi, & novas introducendi augendíque facultatem facilè concedit cum Panormit. *in c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien. n. 6.* & Redoano *Rubr. cit. n. 10.*

Prioris partis ratio est; quia ex una, consuetùdo quæcunque, ut rationabilis sit, oportet, *c. fin. cit.* cùm sit lex sive Jus non scriptum, & pro lege suscipiatur, *can. Consuetudo 5. dist. 1. & §. Constat 3. Instit. de J. N. G. & C.* lex autem rationi congrua esse debet, *can. Erit autem lex 2. dist. 4.* Ex altera verò parte, consuetudo Prælatis cæterísque rerum Ecclesiasticarum administratoribus omnino liberam, & ab omni solennitate absolutam alienationem permittens, hôc ipsô; quòd gravis & damnosa sit Ecclesiis, quarum res & jura dilapidationis periculo manifestè exponit, rationabilis non est, *c. 1. de Consuet. ubi* Gloss. *V.*

Consuetudo, Panormit. *n.* 1. & Interpp. ac DD. alii.

14. Posterioris autem; quia subscriptio & reliquæ solennitates creaturæ sunt Juris humani: istiúsque conditoris & successorum voluntate moraliter perseverante conservantur: &, sicut augeri, sic etiam minui & tolli singulæ possunt, non obstante rationabilitate legis, quâ sunt introductæ; quia non rarò ea, quæ rationabiliter & consultò ordinata sunt, postmodum consultiùs rationabiliúsque revocantur, *c. Alma 24. pr. de Sent. excom. in 6.* quòd circa quamcunque solennitatem eveniret, si Ecclesiarum & monasteriorum indemnitati alia ratione aut solennitate præscriptâ consuleretur. Cur id. fieri nequeat vi consuetudinis? quæ, si à Jure reprobata non sit, legibus derogandi, eísque præscriptas solennitates & pœnas abrogandi vim non minorem obtinet, quàm ipsæ leges: & pro rationabili habetur, si quod eâ receptum aut sublatum est, Legali authoritate & justa dispositione tolli potuit vel introduci, secundùm doctrinam Sylvestri *V. Consuetudo n. 2. in fine* à Rocho de Curte *in Enarrat. c. Cùm tantò, de Consuet. §. 2. n. 15.* non obscurè, & apertè satis receptam à Soto *Lib. 1. de Justit. q. 7. art. 2. V. Quàm verò*, & Barbosa *in c. cit. n. 11.*

15. Neque subscriptionis, licet ad præstiti consensûs in non licito, & in licito casu ad legitimè celebrati contractûs probationem magna sit, tanta tamen necessitas est; ut ejus abrogatæ defectus aliâ ratione, sive succedaneâ novâ solennitate suppleri non posse existimetur, postquam suppletum videmus defectum consensûs duorum vel trium Comprovincialium aut vicinorum Episcoporum, qui Ecclesiæ suæ res ex necessitatis aut utilitatis causa alienaturo Episcopo necessarius quondam fuit, §. *Hujusmodi, V. Quod si*, post *can. Si Oeconomos, 10. q. 2.* Gonzalez *in c. 1. hîc n. 6.*

16. Porro, ubi consuetudo quoad propositam capituli subscriptionem Juri scripto non derogavit, an ea ad legitimè præstiti ab illo consensûs probationem duntaxat, vel ad ipsum alienationis valorem ac substantiam exigatur, dubium & ratio dubitandi est; quòd substantia contractûs regulariter habeatur per legitimum consensum contrahentium, non per scripturam: & ex parte consensûs Prælati, ut legitimus sit, plus non exigatur, quàm ut à majori parte capituli & superiore approbetur: hísque cum ipsius & ejus, in quem alienatio fit, consensu concurrentibus, contractus teneat ante omnem descriptionem ac subscriptionem. Ita cum Baldo *in Auth. Hoc jus C. de SS. Eccles.* Bellamera *in can. Sine exceptione cit. §. Tertiò quæritur*, & aliis *cit.* Redoan. *Rubr. 30. casu 6. n. 12.* & Wagnereck *in c. 1. cit.* allegans Panormit. *cit. n. 4.* Sed malè; quia Interpres iste, licet ab Innocentio *in c. cit.* traditam Regulam de scriptura, non nisi in casibus Jure expressis, necessaria approbet; ejúsque in Ecclesiasticis alienationibus necessitatem in pluribus locis consuetudine sublatam, asserat: ab ista tamen abstrahendò & de Jure, non minorem subscriptionis, quam consensûs capitularis necessitatem agnoscere videtur. Neque id immeritò; cùm eam ad Donationis, Venditionis, Permutationis valorem exigi, disertè exprimatur *c. 1. cit.* cujus textu relatum Synodi apud Valentiam sub Damaso Papa annô 374. jam celebratæ decretum est, *Irrita erit Episcoporum Donatio vel Venditio vel Commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione & subscriptione clericorum*: cui consonat Concilium Carthag. IV. *can. 32.* & consentiunt Leo Papa *can. Sine exceptione cit.* & Innocentius III. *c. Tua nuper cit.* ejusmodi

ejusmodi rei venditionem & commutationem eorundem subscriptione non munitam, irritam pronuntiantes; ut adeò non malè Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 3.* casibus specialibus ad valorem actûs scripturam de Jure exigentibus, accenseat tres propositos modos seu species strictè acceptæ alienationis.

17. Magni etiam in praxi usûs & momenti dubium est, an alienationi, à Prælato cum majoris partis Capituli consensu decretæ, subscribere teneantur, qui consensu suo illam non approbârunt. In quo, si plurium consensu decretam alienationem rationabilem justámque & Ecclesiæ utilem agnoscant, in eam consentientibus accedere & subscribere minorem partem teneri, ex communi DD. sensu volunt Peyrin. *Tom. 1. de Privileg. Constitut. 9. Julij II. n. 8.* & Donatus

18. *cit. Tract. 14. q. 14. in fine.* Si verò alienatio Ecclesiæ damnosa esse videatur: & saltem, si Ecclesiæ damnum ac præjudicium evidens sit, majoris partis concluso subscribere, quin malè alienantium pœnas incurrat, non potest, *c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.* Imo appellare, vel saltem contradicere tenetur, Panormit. *in c. Continebatur cit. n. 9.* Cujus ratio esse potest; quòd in iis, quæ concernunt factum Universitatis vel Collegii, regulariter quilibet, qui de isto est, votum suum exprimere ex debito officii teneatur; ne, si taceat, habeatur pro consentiente, secundùm *Regulam 43. in 6.* Innocent. *in c. 1. cit. n. 4.* Panormit. *ibid. n. 13.* & Donatus *Tract. cit. q. 17.*

19. Secundò, præter casum Alienationis, Capituli consensus Prælato necessarius est ad præsentationem vel collationem, quando hæ spectant ad Prælatum simul & Capitulum, sive ad ipsam Ecclesiam vel Monasterium, *c. Ea noscitur 6.* quò textu, præsentationes, quæ sine istius consensu Ecclesiæ vel Monasterii nomine fiunt, firmitatem aliquatenus, hoc est, etiam minimam, secundùm Barbosam *Usu freq. dict. 20. n. 2.* obtinere negatur: eámque ab causam jubentur *evacuari*, hoc est, vacuæ & irritæ pronuntiari, *arg. c. Novit. 4.* ut ex Lambertino *de Jure Patron. Lib. 2. p. 1. q. 2. art. 12. n. 6.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 14. n. 8.* notat Barbosa *in c. Ea noscitur cit. n. 5.* Ratio est; quia Prælatus & Capitulum seu Conventus constituunt unum corpus, *c. Novit. cit.* atque idcirco præsentationes & collationes ad Prælatum & Capitulum simul, sive ad ipsam Ecclesiam vel Monasterium pertinentes, ab utroque simul, sive ab illo cum istius consensu fieri æquum, imò necessarium est, Garcias *p. 5. de Benef. cap. 4. n. 17.* Quare in præsentatione 20
& collatione ad utrúmque simul spectante dimidiam vocem Episcopus & alteram dimidiam Capitulum habet ita; ut vox sive suffragium Prælati solius æquivaleat Capitulo toti vel majori istius parti, *arg. l. Si quis Attio 7. ff. de Usu fructu adcresc. & l. Liber. 59. §. 2. ff. de Hæred. instit.* Felinus *in c. Pastoralis 14. §. fin. de Rescript. n. 9.* Prob. *in Rubr. de Jure Patron. n. 14.* & Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 45. pr. n. 51.* &, si in præsentatione & collatione discordent, & Capitulum vel major istius pars unum, Prælatus alterum præsentet, vel beneficium ei conferat, præsentatio & collatio neutra teneat: quantumvis Prælato aliqui Capitulares accesserint, Panormit. *in c. Cùm Ecclesia 31. de Elect. n. 11.* Francus *in c. A collatione 11. de Appellat. in 6. n. 1.* Pavinus *de Offic. & Potest. Capit. pralud. 5. n. 3.* Mandos. *in Reg. 18. q. 14. n. 2.* & Selva *de Benef. p. 2. q. 17. à n. 4.*

Neque cum *c. Ea noscitur cit.* decisione pugnat; quòd Abbatissa clericum ad beneficium præsentârit sine conventu, *c. Ex literis 7. de Jure Patron.* cùm; quia verba, quibus id factum asseritur, narrantis factum, non decidentis esse, advertit Lambertin. *cit. art. 12. n. 3.* tum verò; quia eò textu Abbatissa præsentâsse dicitur, quin exprimatur, id factum ab ipsa sola. Unde id legitimè, ac proinde cum Conventûs consensu fecisse, præsumi potest, *arg. l. Quotiens 12. ff. de Reb. dub.* ut cum eodem & *cit.* Sanchez *n. 8. in c. Ea noscitur cit.* probè adnotârunt Barbosa *n. 7.* & Gonzalez *n. 10.* qui tamen *n. 8.* rectè excipit casum, quò præsentationes aut collationes Capitulò non requisitò faciendi potestas Prælato acquisita fuisset privilegiò vel consuetudine legitimè præscriptâ; cùm his viis ea, quæ Positivi Juris sunt, valeant abrogari, *c. fin. de Consuet. & c. Non est 3. eâdem Rubr. in 6.*

21. Tertiò, necessarius Episcopo Capituli consensus est, ad vacantis Ecclesiæ vel beneficii præsertim parochialis unionem Ecclesiæ vel Monasterio faciendam: quantumvis in eo ipsi competeret jus patronatûs, *c. Tua nuper 8. c. Pastoralis 9. hic & c. fin. de Reb. Eccles. alien.* Ratio est; quia hujusmodi unio sive perpetua concessio quædam alienatio est, *c. Tua cit. in fine*; cùm per eam Ecclesia alteri unita statum suum & proprium Rectorem amittat; &, hôc ipsô quòd nunquam vacatura sit, eam spectantia conferendi & præsentandi jura extinguantur: ad alienationem autem necessarius est Capituli consensus, *c. 1. c. Cùm Apostolica & c. Tua citt.* Socinus Sen. *in c. Sicut unire 8. de Excess. Prælat. art. 6. conclus. 1. n. 92.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 28. q. 12.* ubi casu, quò unionem justa causa exigeret, Capitulum ad consensum in eam præstandum, si renueret, compelli posse, monent.

Modernô Jure uniendi potestas Episcopis magis, quàm antiquô, restricta est; cùm hodie, etiam Capituli consensu accedente, parochiales Ecclesias Monasteriis quibuscunque unire amplius non possint, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 13. V. In unionibus, de Reformat.* nisi illarum unio fiat pro fundatione, augmento, vel conservatione collegiorum & aliorum piorum locorum, ad Fidei Catholicæ propagationem defensionémque & bonarum artium cultum; quâ limitatione decretum illud ad Jus antiquum cum Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 5. §. 7. n. 47.* & Ugolino *de Offic. Episc. cap. 32. §. & n. 1.* reducit Barbosa *in cit. cap. 13. n. 11.*

Quartò, neque parochias duntaxat; sed etiam obventionum seu proventuum ad eas pertinentium portiones Religiosis eorúmque Monasteriis sine Capituli consensu (vel Romani Pontificis licentia) concedere Episcopus potest, etiam congruâ sustentatione illarum Rectoribus aut vicariis reservatâ, ut *c. Pastoralis cit.* decisum & ratio est; quia etiam hujusmodi obventionum à parochiis in monasterium translatio quædam alienatio est, Vivianus *in c. cit.*

Quintò, ad quinquagesimam partem redituum aliarúmque rerum Ecclesiæ suæ Monasterio de novo fundando: & ad centesimam in Ecclesiæ jam constructæ in Regularem convertendæ aut sepulturæ in ea sibi erigendæ impendendam (quod *can. Bonæ, 12. q. 2. & c. Apostolica 9. de Donationibus* ei permittitur) consensu Capitulari Episcopo opus esse, cum Glossa *in can. cit. v. Quinquagesimam* alii qui desumunt ex *can. Si Episcopus*, ibi, *De consensu Concilii Sui habeat licentiam su-*

24. *tiam faciendi, cit. q. 2.* Verùm, quia textus iste loquitur de casu unionis sive conversionis Ecclesiæ parochialis in monasterium, quô capitularis consensus necessitas firmata jam est, ejus dispositio ad propositam quinquagesimæ vel centesimæ partis donationē perperam trahitur: & hanc ab Episcopo sine capitulari consensu fieri posse, cum Panormit. *in c. Pastoralis cit. n. 4.* & aliis sustinent Fagnanus *in c. cit. à n. 10.* & Gonzalez *in c. Apostolicæ cit. n. 4.* cùm; quòd duobus his *cc. & can. Bonæ cit.* ejusmodi consensus ne verbô quidem mentio fiat: tum verò; quòd Ecclesiæ constructæ dotatio necessaria sit ex præcepto Juris, Ecclesiam vel monasterium construentem ad ejus dotationem obligantis, *can. Pie, 16. q. 7. can. Nemo 8. dist. 1. de Consecrat. c. Cùm sicut 8. de Consec. Eccles.* & Leonis Imp. *Novell. 14.* ad alienationem autem rerum Ecclesiæ; quæ necessitate Juris præcipientis fit, solennitates ac proinde etiam consensus Capitularis non exigatur, & liberè procedere Episcopus valeat, juramentô de non alienando non obstante, *cit.* Panormit. *n. 5.* & Ant. de Butrio *in c. Pastoralis cit. n. 11. arg. Extravag. Ambitiosæ de Reb. Eccles. alien.* Prælatis rerum Ecclesiasticarum alienationem severè quidem prohibentis, sed cum exceptione, *Præterquam in casibus à Jure permissis.* Cur non multò magis præceptis?

25. Sextò demum Capituli consensus Episcopo aliisque prælatis necessarius est in omnibus negotiis, in quibus Ecclesiæ & successoribus notabile præjudicium generari potest: quæque ad prælatum & Capitulum simul spectant, aut istius specialiter interfunt, *c. fin.* & *arg.* Regulæ, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, quæ est *29. in 6.* Panormit. *in c. Novit 4. n. 7.* & Laiman *Tract. de Jurisdict. Ordin. num. 83.*

Consilium Capituli Episcopo necessarium de Jure est in condendis statutis, in institutione & destitutione clericorum, in corrigendis excessibus, *c. Novit 4. & c. Quantò 5.* in rerum Ecclesiasticarum administratione, cæterisque alicujus, non tamen valde gravis momenti negotiis, Vallens. *ad hanc Rubr. n. 2.* & *ibi* Engel *n. 5. De Jure*, inquam; quia ex consuetudine vel præscriptione passim ab Episcopis, extra casum alienationis rerum immobilium & pretiosarum, pleraque negotia, aliquando etiam ardua, ut destitutio majorum clericorum, & prælatorum est, sine Capitulo peraguntur, ut observat Zerola *in Praxi Episc. p. 1. V. Capitulum n. 8.* Cui non obstat; quòd *c. Novit cit.* talis consuetudo honestati contraria vocetur; quia isti contraria eô solùm casu est, quô ea Ecclesiæ damnosa & sine justa ac rationabili causa est introducta, Hostiens. *in c. cit. V. Aliorum consilio* Panormit. *in c. Novit. cit. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 15.* Ex hactenus dictis 26.

Dubium oritur, an & quid interfit, utrum exigatur Capituli Consilium vel consensus. Nihil enim interesse, & quoties Prælatus cum Capituli consilio procedere tenetur, istô standum, vult Zachar. Pasqualigus *Controvers. inter Episc. & Regular. p. 1. q. 22 n. 408.* eâ deceptus ratione; quòd, si hoc Episcopus non sequatur, non procedat cum, sed contra ejus consilium: & hoc, si sequi ille non teneretur, frustra exigeretur. Sed profectò ratio hæc levis est momenti, latúmque inter illa discrimen intercedit; nam, qui aliquid facere debet cum alterius consensu, hunc requirere, & sequi etiam: qui verò præcisè quid agere cum consilio, debet hoc quidem exquirere & debito tempore expectare, 27.

stare, non tamen necessariò sequi tenetur, Glossa *in c. Cùm consuetudinis V. Consensu, de Consuet.* Panormit. *in c. Quantò cit. n. 7.* & uterque Gonzalez, Hieronymus quidem *in Reg. 8. gloss. 46. n. 61.* Emanuel autem *in c. Cùm in veteri 52. de Elect. n. 8.* propter textus *c. cit. c. Cùm olim 7. de Arbitr. & c. 1. de Capell. Monach.* ex quorum decisione Prior in Ecclesiæ Rectoris electione familiæ: & Episcopus in capellani institutione monachorum consilium habere tenetur: quô tamen habitô iste capellanum, & ille præsertim rectorem instituere liberè potest.

28. Neque sic Capituli Consilium frustra exigitur; quia hoc præcisè adhibere jussus, licet sequi non teneatur, consulentium tamen rationibus instruitur & ad negotium cautiùs, utiliùs & cum majori efficacia suscipiendum, gerendúmque moveri potest; cùm dubium non sit, ea quæ consiliô geruntur, effectu & firmitate niti, *l. Dubium 3. C. de Repud.* & ex Regum Sapientissimi sententia, *Multa salus sit, ubi multa consilia,* Proverb. *cap. 11. v. 14.* & propterea providentissimi quique alienô consiliô uti soleant, præsertim in rebus arduis, exemplô summi Ecclesiæ antistitis, ejusmodi res & negotia cum *Fratrum suorum*, Cardinalium, *Consilio* pertractantis, *c. Ad Apostolicæ 2. de Sent. & re jud. in 6. & Clement. unica §. Nos eidem, V. Cæterùm, de Jurejurando*: licet, quod isti suaserint, tanquam suprema in terris & humanâ lege quâcunque superior potestas, amplecti & sequi non teneatur, Menoch. *de Præsumpt. Lib. 6. præs. 34. n. 24.* & Gonzalez *Gloss. cit. n. 62.*

TITVLVS XI.

De iis, quæ fiunt à Majori parte Capituli.

SUMMARIUM.

1. *Capitulum est Collegium Clericorum vel Religiosorum,*
2. *Cum Prælato constituentium unum Corpus,*
3. *Et in sacris constitutorum:*
4. *Nisi aliud sit de jure speciali,*
5. *Exigente vg. ut quis 24. annis non sit minor:*
6. *Quô casu 24. annum inchoatum sufficere, aliqui existimant:*
7. *Alii & meliùs completum exigunt:*
8. *Regulariter etiam, cùm agitur de favore:*
9. *Licet hôc casu sufficiat ultima anni dies inchoata.*
10. *Religiones aliquæ solos aut certos tantùm Sacerdotes:*
11. *Aliæ Professos omnes ad Capitulum admittunt.*

12. *Ad*

12. *Ad actus Capitulares omnes in loco præsentes:*
13. *Nonnullis casibus etiam absentes sunt vocandi.*
14. *Jure infirma sunt, quæ aliquibus:*
15. *Irrita, quæ plùs quàm tertiâ parte non vocatâ geruntur.*
16. *Cui Juri statutô Ecclesia nequit derogari.*
17. *Actus Capitularis consensum majoris & sanioris:*
18. *Aliquando omnium, vel duarum partium:*
19. *Aliquando plùs quàm tertiæ partis, requirit.*
20. *Major est, quæ medietatem saltem unô,*
21. *Imò dimidiô tantum votô excedit:*
22. *Connumeratis tamen iis, qui per contemptum absunt.*
23. *Nisi Consuetudine aliud sit receptum.*
24. *Sanior est, quæ excedit authoritate, integritate &c.*
25. *Pars major in dubio etiam sanior censetur,*
26. *Præsertim in electionibus Regularium.*
27. *Pars sanior à majori decreta impedire: sola nihil decernere potest.*
28. *Pars major in præjudicium minoris:*
29. *Non tamen ad opus extraneum,*
30. *Vel de bonis singulorum patrimonialibus aliquid statuere valet.*

1. A Prælatis redimus ad Acta, & præsertim consensum Capitularem: quô illis ad immobilium & pretiosarum rerum alienationem & alia gravioris momenti negotia ritè gerenda opus esse, statuimus ad Rubricam præcedentem.

2. Nomine autem Capituli intelligitur congregata universitas sive collegium clericorum: non quidem omnium, qui in Ecclesia sunt, sed eorum duntaxat, quorum Prælatus caput, ipsi verò sunt membra, *c. Novit 4. de Iis, quæ à Prælat.* ita, ut cum illo constituant unum Corpus, Franc. de Pavinis *de Offic. & potest. Capit. sede vac. Prælud. 5. n. 2.*

Quare, licet nomine Capituli vg. Cathedralis Ecclesiæ non veniat Prælatus sive Episcopus, *arg. c. Novit cit.* cùm eum hôc ipsô; quòd tanquam caput cum Capitulo tanquam membris unum corpus, scilicet Ecclesiam, constituat, à Capitulo distingui necesse sit, & clarè distinguatur in Rubrica, *De iis, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli:* neque capellani & similes clerici, qui portiones in ea obtinent; quia non sunt de Ecclesiæ Collegio, istiúsque communibus negotiis non interfunt: eô tamen nomine præter Canonicos comprehenditur Decanus; cùm sit Capituli præcipua pars; ac proinde id ipse quoque constituat *c. Post electionem 7.* junctâ Glossâ *V. Nullatenus, de Concess. præb.* & cæteros canonicos convocet in locum Capituli, istius communia negotia cum iis pertractet, & habeat commune cum ipsis sigillum, communem arcam & actorem seu syndicum: quæ signa & substantialia Capituli seu collegii sunt, Pavinus *Prælud. cit. n. 1.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 113. n. 227.* & Gonzalez *in c. 1. hic n. 4.*

3. Licet autem antiquiori Jure Capitulum constituerint, sive vocem & suffragium in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis earum Canonici, & in Monasteriis Religiosorum professi omnes habuerint, *can. fin. 16. q. 7. can. Abbatem 3. &c. 18. q. 2. & c. 1. de Elect.* Recentiori tamen seu modernô & communi Jure vox Activa, sive suffragii in Capitulo ferendi jus illis duntaxat canonicis

nicis, & professis competit, qui in sacris sive Majoribus Ordinibus saltem Subdiaconatûs sunt constituti, juxta *Clement. 2. de Ætat. & qualit.* & decretum S. Synodi Trident. *Sess. 22. cap. 4. de Reformat.* Minoribus Ordinibus aut primâ solum Tonsurâ initiatis clericis, tam Secularibus quàm Regularibus, vocem in Capitulo adimentis; ut ita, qui Divinis officiis in ejusmodi Ecclesiis obeundis mancipati sunt, ad sacros Ordines recipiendos excitarentur, Vivianus *in Clement. cit.*

4. Excipiendi tamen sunt canonici & alii clerici, qui suffragii jus non ratione canoniæ, *c. Pro illorum 22. de Præb. & dignit.* sed aliô jure vg. ex privilegio vel fundatione obtinent; quantumvis Subdiaconi non sint, Garcias *de Benef. p. 3. addit. ad cap. 4. n. 31.* & aliis relatis Barbosa *in cit. cap. 4. n. 3.*

Dixi etiam, *Communi*; quia speciali jure, vg. statutô vel consuetudine Capitulari in quibusdam Ecclesiis canonici, etiam constituti in sacris, ad Capitulum ante certos annos à nativitate vel apprehensa Canonicatûs possessione, vel Ordine

5. sacro susceptо non admittuntur. Cujusmodi Capitularis statuti, in canonico ad Capitulum admittendo exigentis, *Ut sit ætatis viginti quatuor annorum*, occasione

Dubium & quæstio mota est, an ad Capitulum admissionem petere Jure valeat Titius, qui ætatis vigesimum tertium annum & novem menses primùm implevit.

Qua in re præ oculis habenda est statuti observantia Capitularis; ut, sicut in hujusmodi casibus aliis ultimus annus inchoatus habitus pro completo, vel ad diem ultimum complendus antè fuit, sic id nunc quoque observetur; quòd Capitularis statuti optimus interpres sit usus, *c. Cùm dilectus 8. de Consuetudo*, præsertim ipsius Capituli, cùm; quia sic, unde Jus, inde etiam interpretatio procedit, juxta §. *Ex his* post *can. Sicut* 11. *q.* 1. *& c. Inter alias 31. de Sent. excom.* tum verò; quia Capituli usus seu consuetudo statutum non solùm interpretari, si dubium sit: sed ei etiam, si clarum sit, derogare valet, *arg. c. fin. de Consuet. & l. De quibus 32. ff. de LL.*

Seclusâ speciali observantiâ Capitu. 6
li, à Titio, ætatis 23. annum & mensem nonum primùm egresso, ad Capitulum admissionem peti jure posse, ratio tergemina suadet

Prima est; quòd Titius in canonicatûs jurisque, huic accessoriam præbendam aliáque jura Capitularia consequendi, quasi possessione, post ad Capitulum jam admissos, primus & antiquissimus sit: in dubio autem, sicut possessoris quàm petitoris, sic etiam antiquioris possessoris conditio potior sit, quàm junioris seu recentioris, *c. Licet 9. de Probat. ubi* Panormit. *n. 35.* & Felinus *n. 8.*

Secunda; quia, an annus vigesimus quartus inchoatus sufficiat vel completus exigatur, dubium est spectatô statutô; cùm istô annis, in admittendo ad Capitulum requisitis, non adjiciatur verbum, exprimens annum completum, sicut adjicitur trigesimo, in eligendo in Episcopum vel Abbatissam, *c. Cùm in cunctis 7. pr. de Elect. & c. Indemnitatibus 43. pr. eâdem Rubr. in 6.* decimo sexto, in emissuro professionem Religiosam, Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* vigesimo, in impetraturo veniam ætatis requisito, *l. Omnes 2. C. de His qui ven. ætat. &c.* neque etiam verbum denotans annum inchoatum, sicut adjectum est vigesimo quinto, in promo-

vendis

tendis ad dignitates & beneficia curata, *c. Cum in cunctis cit. §. Inferiora* vel ad sacrum Ordinem presbyteratûs, *Clement. fin.* junctâ Glossâ *V. In decimo octavo, de Ætat. & qualit.* certis annis, in admittendo ad munera & honores requisitis *l. Ad Rempublicam 8. V. Annus ff. de Muner. & honor. &c.* In dubio autem, quandocunque certa ætas ad aliquod munus vel exercitium præscriptus est, sufficiat ultimum annum esse inchoatum; ut annus inchoatus in omni materia pro completo habeatur: quòd Regulæ instar, aliis DD. allegatis, tradunt Cæval. *Commun. Opin. cap. 523.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 16. n. 1. ad finem.* Cui Regulæ vel maximè locus est, quando, ut in proposito casu, agitur de muneribus & honoribus, *V. Annus cit.* & de favore eorum, quibus certi anni præscribuntur, ut *arg. V. cit. & l. Si filium 78 §. 1. ff. ad S.C. Trebell.* tradunt Surdus *decis. 178.* Fœnut *de Moment. temp. cap. ult. in fine* & Antonell. *Lib. 4. de Temp. legali cap. 1. n. 19.*

Tertia; quia, ut admittendus ad Capitulum sit ætatis 24. annorum, statutô Capitulari requiritur ultra Jus commune; cùm istô in admittendo ad Capitulum non exigatur ætas major, quàm exposcit Ordo subdiaconatûs, Glossa *in Clement. Ut ii 2. V. Constitutus, de Ætat. & qualit.* ad quem Ordinem antiquô decimus octavus, *Clement. fin. Rubr. cit.* modernô autem Jure vigesimus secundus annus inchoatus sufficit, Trident. *Sess. 23. cap. 12. de Ref.* statuta autem à communi Jure deviantia in dubio sic accipienda sunt; ut à communi Jure minimùm recedant, *arg. c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* quod fit, si in admittendo ad Capitulum annus vigesimus quartus inchoatus sufficiat; cùm sic à communi Jure minùs recedatur, quàm si annus ille completus exigatur; quia, si annus ille completus exigatur, à communi Jure non solùm quoad annos, sed etiam quoad istorum impletionem receditur.

Sed rationes istæ, Titii petitionem Juri consentaneam, non persuadent; quòd verba statuti, canonicum ad Capitulum non admittentis, *Nisi sit ætatis 24. annorum*, de Titio non verificentur. Ratio est; quia ad verba illa verificanda necessarium de Jure est; ut ejus ætatis ultimum sive vigesimum quartum annum usque ad ultimum diem Titius implevérit; cùm enim annus de Jure constet 365. diebus, *l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. & l. Si cùm hæres 4. §. 5. ff. de Statu liber.* sicut anniculus, sive ætatis unius anni non est, qui ad 365. dierum ultimum non pervenit, *ll. Anniculus 132. & 134. ff. de V. S.* sic etiam ætatis sedecim, *l. Non putabam 48. ff. de Condit. & demonstr.* & legitimæ ac perfectæ ætatis, sive viginti quinque annorum, non est, qui ad postremi anni diem ultimum non pervenit, *l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus, & l. Ex his 5. C. Quando dies legati ced.* sic etiam, quam Capitularis statuti verba exposcunt, *Ætatis 24. annorum* non est, qui vigesimi quarti anni diem ultimum non attigit, per expressum textum *l. Si cui 49. ff. de Legat. 1.* cujus principiô relatum Ulpiani ICTi. responsum est, *Si cui legetur, cùm 14. annorum erit, certô jure utimur, ut tunc sit 14. annorum, cùm impleverit.* Cui legali dispositioni consonat Juris Canonici Glossa à DD. recepta *in Clement. fin. de Ætat. & qualit. V. In decimo octavo*, ubi, dum ad Subdiaconatûs sacrum Ordinem sufficere, ait, decimum octavum annum inchoatum; *quia Litera*, sive *Clement. cit.* textus, *non requirit, quòd sit 18. annorum*, aperte insinuat his verbis signi-

7.

bis significari octodecim annos completos, ut *in Clement. cit.* notant Panorm. *n. 6.* Barbosa *n. 8.* & Covarruv. *de Sponsal. p. 1. cap. 2. n. 2.*

8. Atque hæc regulariter etiam procedunt, cùm agitur de favore, vg. cùm certam ætatem habenti relinquitur legatum aut fideicommissum, *l. Si cui cit. pr. l. Non putabam & l. Ex his citt.* &, cùm agitur de honore Ecclesiastico obtinendo, *can. Subdiaconatus 4.* junctâ Glossâ *V. Non minor, dist. 77.* Ratio omnium est; quia, sicut annus unus, sic etiam 24. anni in rerum natura non sunt: nisi, sicut unus, sic etiam vigesimus quartus annus ultimæ diei occasu vel saltem ortu completus sit & perfectus: eáque de causa, in termino plurium annorum ultimum annum solummodo inchoatum pro completo haberi, meritò negant Surdus *decis. 178. n. 12.* & Flamin. *Lib. 12. de Resignat. q. 8. n. 27* præsertim, si legalis aliáve dispositio, sicut propositum statutum Capitulare, annum exprimat per casum genitivum & numerum pluralem; tunc enim annum completum & ultimæ diei adventu perfectum exposcit, per text. & Gloss. *can. Subdiaconus & l. si cui citt.* Bartol. *in l. si cui cit. n. 1.* Bald. *ibid. not. 2.* Jason. *n. 1.* &, aliis DD. relatis Steph. Gratian. *Discept. forens. cap. 161. n. 28.* & Antonellus *cit. cap. 1. n. 15.*

Rationi huic non parum roboris addit paritas cum assumendis ad dignitates vel personatus non curatos: in quibus 22. annos completos exigi, Mandosii *Tract. de Ætat. minor. cap. 5. n. 10.* Garciæ *p. 7. de Benef. cap. 4. n. 67.* Lessii *Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 108.* & aliorum DD communis sensus, & à S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp pluries declaratum est; quod S. Synodus Tridentina ad illos assumendos, dicat, *Clericos 22. annis non minores*; *Sess. 24. cap. 12. §. Ad cæteras de Ref.* Unde sic arguere licet, *Non esse minorum 22. aut 24. annis*, & *Esse ætatis 22. aut 24. annorum*, sunt duæ phrases ejusdem significationis. Ergo sicut, ut quis 22. aut 24. annis non sit minor, sic etiam ut sit ætatis 22. aut 24. annorum, desiderantur 22. & 24. anni completi.

Quare, Capitularis statuti speciali observantiâ seclusâ, & communi Jure spectatô, ad Capitulum admissio jure peti à Titio non potest: eique pro illa agenti efficax patrocinium non præstant eam rem deductæ rationes.

Prima; quia ratione priùs apprehensæ possessionis canonicatûs ad Capitulum admissionem ante alios, de canonicatu postea provisos, petendi jus Titius non habuit absolutum, sed conditionatum duntaxat, *Si petitionis tempore constitutus sit in Ordine sacro*, & *Si sit ætatis 24. annorum*: quarum conditionum prior communi, *Clement. Ut iij 2. de Ætat. & qualit.* & Trident. *Sess. 22. cap. 4. de Reformat.* posterior speciali Jure statuti Capitularis requiritur. Unde, quòd istarum conditionum posterior ob trium mensium defectum impleta necdum sit, sed adhuc pendeat, pro ejus defectûs durantis tempore admissionem ad Capitulum petere jure non potest; cùm pendente conditione pendeat & conditionatum, quod in conditionis eventum est relatum, *l. Si quis sub conditione 8. cum l. seq. ff. Si quis omissa causa & l. Cedere 213. ff. de V. S.*

Altera, partim; quia Regula, annum inchoatum pro completo habens, nec Juridica, nec Magistralis est; cùm enim Jura annum multò pluribus casibus completum exposcant, quàm admittant inchoatum, illa ad veræ Regulæ vim non accedit: nisi referatur ad ultimum anni 9. diem,

diem, quem in favorabilibus regulariter pro completo habent Bartol. *in l. Si cui cit. n. 2.* Duarenus *in l. cit. §. Dixi, citt.* Gratian. *n. 27* & Antonell. *n. 2.* partim verò; quia Regula illa ab ipsis ejus Assertoribus assignata est pro casibus dubiis: propositum autem statutum dubium non est; quòd verbis, *Nisi sit ætatis 24. annorum*, annos usque ad diem ultimum completos denotari, planè liqueat ex *l. Si cui cit. pr. can. Subdiaconus cit.* junctâ Glossâ *V. Non minor*, Glossâ *in Clement fin. cit. V. In decimo octavo*, & ex ratione, in eam rem deducta.

Postrema; quia verborum, *Nisi sit ætatis 24. annorum*, vis Jure satis explorata est; ut aliunde quàm à consuetudine sive usu capitulari, statuto derogandi vim obtinente, petitæ interpretationi locus non sit, juxta dicta ad *Rub. de Constit. n. 120.*

10. Sicut in Ecclesiis Secularibus, sic etiam in aliquibus Religiosorum familiis speciali jure Capituli nomine soli & illi tantùm Patres seu Sacerdotes veniunt, ad quos, juxta earum Statuta à sede Apostolica approbata, negotiis collegialiter gerendis interesse pertinet, Donatus *Tom. 2. Prax. Regul p. 1. tract. 2. q. 8.* Imò in Societate JESU tractatus & deliberationes de rerum alienatione aliisque contractibus aut negotiis, à superioribus Localibus, non cum capitulo seu conventu sed solis PP. Consultoribus, suffragium non Decisivum, sed Consultivum duntaxat habentibus, instituuntur, secundùm Constitut. *p. 4. cap. 17. §. 1. & 16.* junctâ *declarat. lit. H.* & Bullas Gregorii XIII. quæ incipiunt *Decret Romanum* 3. Maji 1576. & *Apostolicæ* 18. Decemb. 1576.

11. editas. Contrà in quibusdam Religionibus, quoties magni momenti negotia tractanda sunt, ex specialibus & ab ipsis Ordinum Fundatoribus conditis, atque à sede Apostolica confirmatis statutis convocandi sunt Professi etiam juniores, teste Engel *ad hanc Rubr. n. 7.*

Neque hujusmodi statutis adversatur; quòd *cit.* & à Trident. *cap. 4. cit.* confirmatâ *Clementinâ*, Subdiaconatum non habentibus Vox in capitulo generaliter adimatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus & statutis; partim, quia, tam Clemens V. quàm memoratæ S. Synodi Patres id faciendò, ab ipsis Fundatoribus condita & à sede Apostolica approbata, perpetuóque usu recepta Religiosorum Ordinum statuta probabiliùs non immutârunt: quod S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratione 1573. editâ firmant Azor apud Zypeum *Analys. Juris Pontif. hac Rubr. n. 2.* Portel *Dub. Regul. V. Electio n. 5.* & Donatus *cit. Tract. 4. q. 6. n. 9.* partim verò quia, tam Papalis, quam Conciliaris dispositionis clausula intelligi potest de Ecclesiis Regularibus, in quibus à Fundatoribus nihil constitutum aut perpetua & immemoriali consuetudine est receptum. Ex dictis

Dubium nascitur, an ad actus Capitulares vg. ad tractatum de rei immobilis 12.
alienatione convocari & convenire debeant omnes capitulares. Requiri & ordinariè sufficere, si ad eos vocentur omnes, qui in loco præsentes aut non procul absentes sunt, patet ex *can. Hoc jus porrectum 10. q. 2.* & præsertim ejus, Verbis, *Majore parte ibidem servientium consentiente.* Ratio prioris est; quòd in actibus Capitularibus suffragii jus competat omnibus capitularibus: cujus proinde usu & exercitiô privari sine justa causa ipsorum nemo debet: partim verò; quòd de alienatione tractandi eámque consensu suo approbandi jus capitularibus competat communiter, *arg. can. sine exceptione 12. q. 2.* quando autem de aliqua re tractandi jus pluribus communiter compe-

tit, ea communibus suffragiis, & omnibus, quorum interest præsentibus, aut saltem vocatis, est pertractanda, *l. De unoqueq; 47. ff. de Re judic.* Tholos. *Tract.*
13. *de Elect. cap. 17. n. 4.* Posterioris autem; quòd ad tractatus aliósque actus Capitulares, qui à loco absunt, vocari de Jure tribus tantùm casibus debeant: & primò, quidem, cùm eligendus est Prælatus, *c. Quia propter 42. de Elect.* Secundò, cùm recipiendus aliquis est in canonicum, aut facienda collatio præbendarum vel beneficiorum, *c. Cùm in Ecclesiis 33. pr. de Præb. & dignit.* Tertiò, cùm indicenda est cessatio à Divinis, *c. Quamvis 8. de Offic. Ordin. in 6.* Quibus Panormit. in *c. 1. n. 13.* addendos imprimis censet casus, quibus memoratis similes aut magis arduæ causæ sunt pertractandæ; propter paritatem rationis, quæ in dispositione Juris, Ecclesiarum utilitatem spectantis ac proinde favorabilis, extensionem facilè permittit, *arg. c. Cùm dilecta 4. de Confirmat. utili.* Deinde in *c. Coram 35. de Elect. n. 5.* pro valida habet consuetudinem (& statuta) ad aliquem, vg. de alienatione tractatum etiam absentes vocari exigentem.

14. Quamvis autem capitulares, qui de Jure debent, vocati extra casum, quô ipsorum absentia Ecclesiæ damnosa aut præsentia valde utilis, aut speciali jure aliud receptum est, ad comparendum compelli nequeant, *arg. c. Quia propter 42.* ibi, *Qui volunt interesse:* iisque sponte absentibus cæteri in negotio procedere possint, Glossa *in c. cit. V. Qui volunt* Panormit. *ibid. n. 4.* & Sylvester *V. Electio 1. n. 6.* eorum tamen, qui possunt, vocatio adeo necessaria est; ut, si ad negotium collegialiter tractandum ipsorum aliqui, imò unus duntaxat neglectus non vocaretur, id quod à reliquis in sua absentia gestum est, licet de Jure subsistat, neglectus tamen, etiam unicus, in irritum revocare solus faciliùs posset, quàm plures præsentium, majoris partis consensu & approbatione gestis contradicendô, per text *c. Quòd sicut 28. pr. & c. Bona 36, in fine de Elect. & in c. 1. hîc* tradita à Panormit. *n. 16.* & Fagnano *n. 6.* Imò, si 15. vocandorum plus quàm tertia pars contempta esset ita; ut eorum, qui debent & volunt & interesse commodè possunt, pauciores quam duæ partes convenirent, tractatus eóque decreta ipsô Jure nulla forent; non tam propter non vocatorum contemptum, quàm ob defectum potestatis ad aliquid decernendum sufficientis; cùm vis & potentia Capitularis in duabus ejusmodi capitularium partibus resideat, per ea, quæ cum Panormit. *l. cit. & in c. In causis 30. de Elect. n. 9.* & Innocentio *in c. Cùm nobis 19. eâdem Rubr. n. 6.* tradunt cæteri Canonistæ; quia duæ partes curiæ vel capituli illam aut hoc totum repræsentant, *secundùm l. Nulli 3. l. Plane 4. ff. Quod cujusque universit. & c. Cùm nobis cit.* integram lectionem, à Gonzalez relatam.

Cùm iis, quæ de actuum à Capitulo, aliquibus (tertiâ tamen vocandorum 16. parte paucioribus (non vocatis, gestorum valore dicta sunt, non convenire primô intuitu videri potest Statutum Ecclesiæ Cathedralis, singulorum canonicorum juramentis, in sua receptione præstitis confirmatum: quô ad pertractanda saltem graviora Ecclesiæ negotia omnes capitulares, qui in loco præsentes sunt, vocari jubentur, & aliter tractata decretáque pro nullis habentur. Contra quod statutum, cùm ex quatuordecim capitularibus in loco præsentibus Decanus cum novem aliis (quatuor reliquis non vocatis) grave negotium pertractâsset, non defuêre, qui eô tractatu acta decretáque, licet Jure communi spectatô subsisterent, ip-

rent, irrita tamen pronuntiarent ob memoratum Statutum Capitulare.

Mihi tamen Statutum illud antè dictis non adversari: &, quamvis aliquorum capitularium exclusio ullâ justâ causâ non niteretur, gesta tamen à decem congregatis, propter quatuor non vocatorum contemptum, licet iste fuisset injuriosus, obnoxia duntaxat rescissioni: non ipsô Jure irritata videbantur. Ratio quâ movebar, erat; quòd Statutum Capitulare & de ejus observatione præstita juramenta interpretationem recipiant à Jure communi, à Capitulo, aliquibus non vocatis, acta & decreta pro invalidis solummodo habente, quando non vocata & contempta est plus quàm tertia pars; propter defectum potestatis Capitularis, capitularium, qui interesse debent & volunt & commodè possunt, duas partes exigentis, per tradita ab Innocentio *in c. Cùm nobis cit. n. 9.* Panormit. *in c. Quia propter cit. n. 12.* & supra tradita *Lib. 1. Tit. 6. n. 86.*

Si verò Statutum à capitularium duabus partibus unanimiter acta decretáque propter aliquorum non vocatorum contemptum irritaret, non ejusmodi acta: sed ipsum Statutum invalidum censebam, cum Panormit. *cit. n. 12. V. Nec valeret* Sigismundo a Bononia *de Elect. dub. 10. n. 3.* Jul. Lavor. *Tom. 1. Lucubr. Tit. 17. n. 14.* Barbosa *Juris Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 112.* & Passerino *de Elect. cap. 11. n. 15.* Rotæ decis. pro se allegantibus. Ratio est; quòd Juri communi Ecclesiastico contraria statuta condere Episcopus cum capitulo non possit, *can. Institutionis 25. q. 2. c. Quod super 9. de Major. & Obed. & Clement. Ne Romani 2. de Elect.* Felin. *in c. Quod super cit. n. 20.* Alberic. *de Statut p. 1. q. 7.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 26. n. 7. & 10.* dictum autem Capitulare Statutum contrarium sit Juri Ecclesiæ communi, ejusmodi acta & decreta, imò ipsam Prælatorum electionem, sicut ad contemptorum instantiam permittenti rescindi, sic habenti pro validis, eáque ratificandi potestatem tribuenti contemptis: quibus à Jure illo concessa potestas ejusmodi statuto Capitulari adimeretur.

Porro, ut ad actum aliquem, vg. ad rei Ecclesiæ immobilis alienationem à sacris Canonibus requisitus capituli consensus legitimus sit, necessarium non est, ut in eum capitulares, qui debent & volunt & interesse commodè possunt, omnes conspirent: sed sufficit, quòd suffragiis suis eam approbet major & senior eorum pars, *c. 1.* ibi, *Ut semper prævaleat & suum consequatur effectum id, quod à majori & seniori parte capituli fuerit constitutum, & l. Quod major pars Curia effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, 19. ff. ad Municipal.* cùm enim fere impossibile sit, in negotiis præsertim dubiis, semper omnes consentire, imò hoc de rarò contingentibus sit; ac proinde necessariò sufficiat pars aliqua, meritò major & senior attenditur, &, quod ista fecit, totum collegium fecisse censetur: quòd in promulgatione sententiarum & statutorum, in electione Prælatorum & canonicorum, in remissione facienda debitoribus, & regulariter in omni alia dispositione observari, notant Goffredus *in Rubric. & in c. 1. cit.* Panormit. *n. 1. & 16.* Barbosa *n. 1.* & Fagnanus *n. 5.* 17.

Dixi, *Regulariter*; quia excipiuntur Primò casus, quô toti capitulo competentis potestatis eligendi Prælatum in unum vel plures translatio fit per Compromissum, vel clericorum extraneorum ad suffragium in electione ferendum admissio decernitur; cùm enim hujusmodi admissione singulorum capitularium suffragia minùs efficacia evadant, & Compro- 18.

missô

missô suffragium omnino adimatur, ad ea decernenda exigitur consensus omnium, potiórque est conditio minoris partis, imò unius se opponentis, juxta Reg. *Quod omnes 29. & Reg. In re communi 56. in 6.* Secundò, electio Papæ, ad quam Cardinalium eligentium duæ partes tertiæ requiruntur: &, si in unam personam concurrant, electio impugnari, eive exceptio aliqua opponi non permittitur, *c. Licet vitanda 6. de Elect.* ex speciali ratione; quòd in dubiis super ea motis ad superiorem non sit recursus, Fagnanus latè *in c. cit. à n. 11. & 23.* 19. Tertiò, assumptio Coadjutoris Episcopi amentis, quæ totius Capituli vel duarum ejus partium suffragiis est decernenda, *c. Unic. V. Si verò de Clerico agrot. in 6.* Quartò casus Electionis, concurrentis cum postulatione: quô electio plus quàm tertiæ partis suffragiis celebrata, prævalet postulationi, in quam Capituli major pars conspiravit; Ut proinde ad postulationem canonicam hoc casu duarum partium in eam consensus requiratur, per *c. Scriptum 40. de Elect.* & tradita *Lib. 1. Tit. 5. à n. 28.* Quintò, nisi alicujus collegii recepta consuetudine ad decreta duæ suffragiorum partes exigantur, *arg. l. Nulli 3. ff. Quod cujusque univers.* Gonzalez *in c. 1. cit. n. 6.*

20. Major Capituli pars dicitur, quæ numerô personarum excedit, habitô respectu ad totum Capitulum seu collegium, Vallens. *Lib. 1. Tit. 6. §. 4. n. 3.* ut, cum vg. ex duodecim capitularibus octo vel septem consentiunt, quatuor autem vel quinque dissentiunt: non autem habitô respectu ad alias partes in diversa abeuntes; sic enim in tractatu de alienatione prædii, si ex duodecim in ejus venditionem quatuor, in locationem quinque & tres in retentionem consentiant: & in electione, si ex totidem suffragatoribus sex in Titium, quatuor in Cajum & duo in Sempronium conspirent, Capituli major pars in locationem aut Titii electionem consentire non censetur; quantumvis plures in locationem, & in Titium, quàm in alium actum vel personam conspirârint, *c. Ecclesia 48. de Elect. & c. Si cui 26. eâdem Rubr. in 6.* quia quinque vel sex non sunt major pars respectu totius Capituli, ex duodecim personis constantis, Panormit. *in c. Ecclesia cit. n. 4.* & *ibi* Barbosa *n. 5.* & Laiman. *n. 1.*

Dubium hôc locô est, an ut Capituli 21 major pars consenserit, sufficiat consensus dimidiô tantùm suffragiô major; ut vg. alienatio vel electio canonica sit, quando in eam ex novem capitularibus quinque consenserunt. Ratio dubitandi est; quia consensus Capitularis exposcit suffragiorum majorem partem, *c. 1. & l. Quod major. citt.* sive unum supra medietatem; casu autem, quô ex capitularibus novem in alienationem prædii vel Titii electionem suffragia sua contulerunt quinque, suffragium unum supra medietatem non habetur; cùm novenarii medietas sint quatuor cum dimidio; ac proinde casu, quô in alienationem vel electionem suffragia sua contulerunt quinque, in illas non unum, sed dimidium tantùm supra medietatem collatum sit.

Verùm hac ratione nihil moti Panormit. *in c. Cumana 50. de Elect. n. 3.* & Ant. de Butrio *ibid. n. 15.* eôsque secuti Sigism. à Bononia *de Elect. dub. 36. n. 8.* Passerinus *Tract. similis cap. 19. n. 18.* & Donatus *Tom. 2. Prax. Regular. p. 1. tract. 5. q. 44. n. 8. & tract. 6. q. 1. n. 2.* casu, quô capitularium sive suffragiorum numerus impar est, ad actum Capitularem sufficere, ajunt, consensum partis dimidiâ tantùm voce majoris. Ratio est; quia, ut actus à Collegio sive universitate gestus reputetur, jure plus regulariter non exigitur, quàm ut gestus sit consensu

consensu majoris illius partis, *c. & l. citt.* majorem autem partem collegii sive universitatis, constantis ex novem, jam constituunt quinque; ut adeò alienatio vel electio, in quam ex novenis suffragia sua quinque contulerunt, majoris partis consensu celebrata & canonica judicetur: licet suffragiorum quinarius dimidiò tantùm suffragiò novenarii medietatem excedat; quòd tali casu medietas suffragii propter suam indivisibilitatem pro uno suffragio habeatur, ut rectè notat Donatus *cit. n. 8.* Confirmatur hæc resolutio generali usu Germaniæ nostræ: à cujus Capitulis gesti actus & electiones ad Ecclesiarum, tam Secularium quàm Regularium, prælaturas pro canonicis indubitatè habentur, & à superioribus, ipsáque sede Apostolica confirmantur: licet non rarò suffragiorum numerò dimidiò tantùm suffragiò majore celebrentur.

Atque hæc propositæ dubitationis Resolutio procedit, etiamsi Ecclesiæ vel Ordinis Religiosi ordinatione vel statutò ad actum Capitularem legitimè gestum unum suffragium supra medietatem, vel unò major suffragiorum numerus exigatur; quòd dimidium pro uno computetur. Ratio est; quia, ut *n. 16.* dictum, Ordinationes & Statuta particularia, condita in materia Juris, interpretationem recipiunt à Jure communi, itáque exaudienda sunt; ut ab isto quoad fieri potest, non recedant, *c. Cùm dilectus 8. de Consuetud. c. Ex parte 31. de V. S. & l. Si servi 2. C. de Noxal. act.* Glossa *in c. Cùm dilectus cit. V. Juri communi*, Panormit. *in c. Ex parte cit. n. 2.* & Bruneman. *in l. cit. n. 10.* atque idcirco, cùm suffragiorum numerus impar est, sicut communi, sic & particulari ejusmodi Statuti Jure suffragii medietas, quâ dimidia Capituli pars exceditur, pro uno suffragio est habenda; ut actus in quem ex novenis suffragia quinque collata sunt, sicut majoris partis, sic etiam unius supra medietatem consensu gestus censeatur. Pro qua Resolutionis extensione vel potiùs declaratione facit Statutum sanctissimi Ordinis FF. Prædicatorum, à *citt.* Passerino *n. 18.* & Donato *n. 2.* relatum: cujus vi, si vg. in Priorem quis extra collegium sive extra numerum eligentium electus est à majori parte ultra medietatem omnium eligentium, ejus electio rata & legitima habetur: si quis verò de numero ipsorum eligentium electus fuerit, ut illius electio sit rata & legitima, in eum duo vota ultra medietatem collata esse oportet: quorum tamen casuum priori, si in electum ultra medietatem dimidium votum collatum sit, electio à majori parte sive unò votò supra medietatem: posteriori verò, si unum & dimidium votum in electionem collatum sit, electio quasi duobus vobis ultra medietatem celebrata, rata & legitima habetur; quòd priori dimidium pro uno: posteriori verò casu unum & dimidium pro duobus votis; ac proinde medietas votil pro uno voto computetur.

Quodsi eorum, qui ad actum Capi- 22.
tularem vocari de Jure debent & commodè possunt, aliqui contempti seu non vocati essent, ut in personæ electionem vel alienationem majoris partis consensus habeatur, connumerari vocatis & præsentibus debent ex contemptu absentes, seu non vocati; ut in ejusmodi actum Capituli pars major consensisse censeatur, si præsentium & contemptorum simul sumptorum pars major suffragiis suis illum approbârit; sic enim in collegio, constante Capitularibus duodecim, si ad electionem vel tractatum de alienatione, duobus contemptis, solummodo decem convocati congregentur, ut in aliquam personam vg. in Petrum, vel in aliena-

tionem majoris partis consensus habeatur, non sufficit, quòd ex decem vocatis in eam conspirent sex: sed septem requiruntur; quia, etsi sex respectu decem vocatorum: non tamen respectu vocandorum & capitulum de Jure constituentium, qui erant duodecim, major pars sunt, Innocent. *in c. In genesi 55. de de Elect. in fine* Panormit. *in c. cit. n. 11.* & Passerinus *de Elect. cap. 11. n. 112.* Ratio est; quia ex una, non vocati de Jure pertinent ad Capitulum, & non nisi per injuriam sibi illatam absunt: ex altera verò parte, ex injuria eum, qui hanc passus est, damnum ac præjudicium pati: eum verò, qui eam intulit, commodum reportare, iniquum & exemplò pernitiosum foret; cùm ita via aperiretur maximis fraudibus: & ansa præberetur, eos, qui suffragiis suis adversaturi timentur, ab electionibus aliisque actibus Capitularibus excludendi.

23. Limitat hanc de majori parte doctrinam Zypæus in *Analys. ad hanc Rubr. n. 1.* nisi alia sit Consuetudo: quâ passim receptum, ait; ut, quod pars major, non solùm respectu totius collegii, sed respectu aliarum partium minorum, approbat & decernit, ratum sit & vigorem habeat. Sed hoc, sicut in minoribus collegiis aut negotiis esse **aliqubi** usitatum & expeditum, inficias non **eo, sic** in prælatorum electionibus aut **majoribus** collegiorum Ecclesiasticorum **causis** passim obtinere, ægrè mihi persuadeo.

24. Sanior autem Capituli pars censetur, quæ dignitate, integritate & Zelo honoris Divini ac publici boni prævalet, Valens. *cit. n. 3.* & Fagnan. *in c. 1. cit. n. 3.* ac proinde major simul & Sanior Capituli pars erit, quæ suffragantium, tam authoritate & integritate, quàm numerô alias excedit.

25. Duo tamen hôc locô probè notanda sunt. Primum, in dubio partem, quæ major est numerô, censeri etiam saniorem, præsertim si duæ partes Capituli consentiant: nisi partem numerô majorem corruptam, aut aliô sinistrô affectu transuersùm agi, manifestè appareat, vel legitimè probetur; quia **regulariter** præsumitur pro pluralitate, nisi **contrarium** probetur, ut *arg. c. Prudentiam 21. de Offic. deleg. & c. 1. cit.* docent iidem Panormit. *in c. Ecclesia cit. n. 4.* & Fagnanus *in c. 1. cit. n. 4.* Imò in quibusdam 26
Monasteriis aliisque collegiis & congregationibus Regularium, cùm suffragia feruntur, solummodo attendi solet ad majorem numerum suffragatorum: &, quod hi sentiunt, sicut à majori, sic etiam à saniori ejus parte judicari censetur, propter notam integritatem & zelum, quem nullô pravô affectu corruptum habere præsumuntur, Laiman *in c. Ecclesia 57. de Elect. n. 4.* Alterum est; quòd, licet 27
minor pars, quando ob gravitatem virorum & allata ab his momenta rationum sanior est, impedire valeat decretum majoris: ipsius tamen consensu decerni nihil possit nomine totius Capituli, nisi pars numerô major decernendi seu suffragandi potestate privata esset, Panormit. *in c. 1. cit. n. 11.* & Pirhing *ad hanc Rubr. n. 3.*

Dubium hìc movetur, an major pars 28
decernere aliquid valeat in præjudicium minoris, cùm vg. agitur de bonis & juribus singulorum canonicorum. Ratio dubitandi est; quòd *c. fin.* in istius præjudicium ab illa statutum obtinuerit firmitatem: contrà, *Quod omnes tangit, ab omnibus approbandum*, Regula sit, *29. in 6.* quæ, ne *c. fin. cit.* decisionem evertat, cum eo conciliandа est auxiliô distinctionis inter tres casus.

Primus est, quô decernitur aliquid in bonum collegii seu universitatis, cujus ipsi sunt membra, vel Ecclesiæ, cujus fructus per-

ctus percipiunt, vg. pro ejus fabrica, necessariis sumptibus aliunde omnino deficientibus, reparanda vel conservanda, vel pro erigendo Seminario, Ecclesiæ idoneos clericos cum tempore subministraturo &c. quô casu contra minorem partem contradicentem, ut portio aliqua reddituum singulis detracta ad illud applicetur, à majori Capituli parte decerni posse, decisum *c. cit.* & ratio est partim; quia Ecclesiastici reditus canonicis assignari videntur cum obligatione seu onere à SS. Canonibus adjecto; ut, quando id necessitas exigit, ad reparationem suæ Ecclesiæ istiúsque bonum aliter promovendũ concurrant, Panormit. *in c. cit. n. 7.* & Barbosa *n. 2. & 4.* partim verò; quia etiam in statu Politico, vg. in Imperio Romano Imperator cum consensu majoris partis Principũ ac Statuum imponere potest collectas pro subeundis communibus Imperii necessitatibus à singulis Statibus solvendas, Engel *ad hanc Rubr. n. 13.*

29. Secundus est, quô à majori parte in præjudicium minoris decernitur aliquid ad opus etiam pium, sed extraneum sive ad Ecclesiam vel Capitulum non multùm spectans: quô casu pars minor vel etiam unicus ex ista se opponere & decretum impedire potest, singulare suum interesse prætendendô, juxta Regulam *cit.* Panorm. *in c. cit. n. 4.*

30. Tertiò, simili modô pars major decernere aliquid non potest in præjudicium minoris contradicentis, de bonis singulorum patrimonialibus vel quasi, sive aliunde quàm Ecclesiæ intuitu quæsitis, Fagnanus *in c. 1. cit. n. 13.*

TITULUS XII.

Vt Ecclesiastica Beneficia sine Diminutione conferantur.

VAcantium Ecclesiarum & Præbendarum Collationibus ad superiores declaratis, ad præsentem Rubricam addendum aliquid est de Reservatione Fructuum & de Pensionum impositione.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium conferri simul nequit clericis duobus:*
2. *Neque ejus vacantis fructus applicari aliis,*
3. *Vel ab Episcopo cum Capituli consensu suæ,*
4. *Vel Capitulari menſæ reservari:*
5. *Immemoriali consuetudine aliquando aliud permittente.*

ARTICULUS I.

De Reservatione Fructuum Beneficii vacantis.

CUm Beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.* ne, reservatis aut diminutis red- 1.

ditibus, beneficio respondens officium sive ministerium Ecclesiasticum minuatur vel omnino extinguatur, illius collatio secundùm Rubricæ nostræ Regulam facienda est sine diminutione.

Quare Episcopus Imprimis idem beneficium conferre nequit duobus, *c. Majoribus 8, & c. Vacante 26. de Præb. & dignit.* nisi rationabilis causa exigat divisionem, & tot ejus sint proventus; ut ad congruam sustentationem duobus sufficiant, *c. cit. in fine.* 2. Deinde beneficiorum collationem, ut fructus interim ipse percipiat, differre, *arg. c. Extirpandæ 30. §. fin. eâdem Rubr.* Et demum, tam ipse quàm collatores alii, beneficia conferendô, & patroni ad eadem clericos præsentandô ex iis provenientes fructus omnes vel eorum partem aliquam sibi aut consanguineis vel amicis suis applicandâ, reservare prohibentur, *c. cit. c. Unico hîc & c. Prohibemus 7. de Censibus.* Imò, si eos exigerent pro collatione, hæc simoniaca & omnino irrita foret, *c. Unico cit. §. Sed credimus, c. Clerici 6. & c. fin. de Pactis* Panormit. *in c. Unic. cit. n. 4* Vallens. *de Benef. Lib 2. Tit. 6. à n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 2.*

Quin de Jure beneficia non solùm integrè conferenda, sed ex iis etiam vacantibus collecti fructus asservandi & successoribus restituendi sunt, *c. Cùm Vos 4. de Offic. Ordin.* nisi (ut, qui vacationis tempore ex prælaturis proveniunt, *c. Quia sæpe 40. de Elect. in 6*) eorum pars aliqua applicanda sit fabricæ & in Ecclesiæ utilitatem convertenda: vel ex Consuetudine loci, in quo clerici de bonis Ecclesiæ intuitu quæsitis testantur, iisque intestatis proximi consanguinei succedunt, omnes dividendi sint inter beneficiati hæredes & successorem, *arg. Extravag. 2. pr. Joan. XXII. de Elect.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 15. n. 12.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 365. n. 7.* & Gonzalez *in c. Cùm Vos cit. n. 7.* Unde

Dubium oritur, an Episcopus vacantium beneficiorum fructus aut istorum partem aliquam sibi valeat reservare. Quod *in c. Unic. cit.* affirmant Glossa *fin.* Innocentius *à n. 6.* Imola *n. 23.* & Interpp. alii apud Barbosam *ibid. n. 10.* non dissentientem. Ratione eâ præcipuè nituntur; quòd Episcopus, capituli sui consensu accedente & justâ causâ suadente, beneficium aliquod valeat omnino & in perpetuum extinguere, *c. Cùm accessissent 8. de Constitut.* Cur non etiam alicujus beneficii pinguioris reditus eorúmve partem ad tempus tantùm reservare? *Cui* enim *licet, quod est plus, utique etiam licet, quod est minus*, Regula est 53. *in 6.* quæ vel maximè locum habet, quando, ut hîc, minus in majori permisso continetur, *arg. c. Ex parte 27. de Decimis & l. Nec in ea 22. ff. ad L. Jul. de adult.*

Verùm, quia *c. Cùm accessissent cit.* relatam Primiceriatûs extinctionem à sede Apostolica confirmatam, ipsô ejus textu exprimitur, leve est, quod in rem præsentem ex eo ducitur argumentum. Unde verisimiliùs Panormit. *in c. Unic. cit. n. 20.* vacantis beneficii fructus etiam cum capituli consensu ad tempus sibi reservandi potestatem Jure communi Episcopo competere, negat & desumit partim ex *c. Tua nobis 32. de V. S.* cujus casu refertur, impetratum à sede Apostolica privilegium, vi cujus vacantium diœcesis suæ beneficiorum fructus Episcopus ad solvenda debita per biennium posset retinere: quô privilegiô opus non fuisset, si id Jure communi Episcopo semper licuisset; cùm quod Jure permissum est, frustra precibus impetretur, *l. 1. C. de Thesaur.* partim ex *Clement. 2. de Reb. Eccles. alien.* quâ beneficium aliquod suæ vel capitulari mensæ unire, capituli consen-

sensu accedente, Episcopus non permittitur. Quos textus, etsi priori de reservatione fructuum omnium diœcesis beneficiorum vacantium: posteriori de perpetua unione sermo sit, in rem præsentem non malè allegari, evincit ejusmodi unionis Episcopo non permissæ ratio, à Glossa *Clement. cit. V. Mensæ suæ* reddita; quòd Episcopus in proprio suo facto, hoc est, in unione, ipsius commodum & utilitatem concernente, authoritatem præstare non possit, *arg. l. 1. & l. Pupillus § ff. de Auth. tut.* Quæ ratio etiam militat adversus unionem temporalem, & fructuum, non ex omnibus, sed aliquibus imò unico tantùm beneficio provenientium, sibi factam reservationem.

Neque ejus rationis vim enervat; quòd pupilli rem emere, ac proinde in facto proprio authoritatem præstare, dummodo id palam faciat, tutor permittatur, *l. Pupillus cit. §. 4.* quia, etsi *ipsius* §. dispositio locum habeat in contractu oneroso, ut est emptio, venditio; quòd in eo palam celebrato cesset causa suspicionis: ei tamen locus non est in gratuita donatione, ut est collatio beneficii; cùm in ista fraudis suspicio semper sit, quoties fit ad propriam utilitatem, Panormit. *l. cit.*

Quare, ut cum isto Interprete Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 4.* infert, licet Episcopus, necessitatis aut magnæ utilitatis causâ exigente, cum capitulo suo statuere valeat; ut alicujus vel plurium beneficiorum vacantium reditus ad tempus reserventur: &, necessariis sumptibus aliunde deficientibus, ad Ecclesiæ Cathedralis fabricam restaurandam, solutionem debitorum, in Religiosorum sustentationem vel alium pium & publicum usum impendantur, juxta *c. Unic. cit. §. Si verò:* 4. statuere tamen cum illo nequit; ut suæ vel capitulari mensæ applicentur: sicut in istius utilitatem reservare de Jure nequit certam partem fructuum ex pinguì beneficio provenientium aut illi beneficium aliquod unire: licet cum ejusdem capituli sui consensu, ut illorum pars aliqua fabricæ restaurationi cedat, & illud alteri beneficio uniatur, statuere possit, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 100. art. 4.* & Panormit. *l. cit. n. 19.* advertit Laiman *Lib. 4. Tract. 2. cap. 18. n. 4.* quòd, reservatione & unione suæ vel capitulari mensæ facta, ipse vel capitulum in proprio suo facto authoritatem præstaret.

Dixi, *Jure communi*; quia teste *cit.* 5. Laiman *tract. 10. cap. ult. n. 46.* ex immemoriali Consuetudine in quibusdam Episcopatibus hodie quoque primi anni fructuum nomine portio aliqua Episcopo ad ejus proventus augendos solvitur, ad eum ferè modum, quô Annatas Papæ solvi, dictum est *Tit. 5. àn. 145.* cujusmodi novæ exactionis introductio, & auctio veteris, etsi consentanea non sit §. *Si verò cit.* & decreto Trident. *Sess. 24. cap. 14. de Ref.* ejusmodi fructuum detractiones prohibentis, Laiman tamen *cit. n. 48.* hoc Concilii decretum non ubique receptum ait: & Pirrhing *cit. n. 4.* non satis constare existimat, an non eô illæ tantùm detractiones reprobatæ sint, quæ speciem referunt Simoniæ; quod ipsius collationis vel institutionis intuitu fiant.

ARTICULUS II.

De Pensionis impositione.

SUMMARIUM.

6. *Pensio constituitur in beneficio alieno.*
7. *Alia Temporalis, alia Ecclesiastica est:*

8. *Ecclesiastica beneficio subrogatur.*
9. *Beneficium tamen propriè non est:*
10. *Nisi in titulum perpetuum conferatur.*
11. *Pensionem Papa imponit,*
12. *Ex justa & vera causa.*
13. *Episcopus eam pro bono pacis & concordiæ,*
14. *Imò ex aliis etiam, sed veris ac probatis causis imponit.*
15. *Pensiones esse debent moderatæ,*
16. *Et, ab Episcopo impositæ, tertiam partem fructuum non excedere.*
17. *Idem pensionem ferè ad solventis:*
18. *Aliquando etiam ad percipientis vitam imponit.*
19. *Beneficium tamen non confert sub ejus solvendæ pacto.*
20. *Pensio incipere non potest ex conventione partium:*
21. *Si Ecclesiastica sit & spiritualis.*
22. *Laicus Temporalis:*
23. *Non etiam Ecclesiasticæ pensioni:*
24. *Neque istius clericus 14. annis minor est capax.*
25. *Imponenda est cum consensu beneficiati,*
26. *Atque etiam patroni beneficii:*
27. *Nisi irrationabiliter contradicat.*
28. *Pensionarius tenetur ad recitandum Officium B. V.*
29. *Et deferendum habitum ac tonsuram clericalem,*
30. *Et ad portanda beneficii onera pro rata fructuum.*
31. *Nisi ejus pensio specialiter sit exempta.*

6. PEnsio, sic dicta à verbo *Pendo*, est Jus percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno, sive ad tempus sive in perpetuum concessum: cujusmodi jus, quia non ob spiritualem tantùm, sed ob temporalem etiam causam concedi potest & aliquando solet, Pensio aliqua Spiritualis & Ecclesiastica, alia Temporalis sive Laicalis est: quarum ista conferri potest laico, vg. Ecclesiæ patrono in recognitionem fundationis, defensori, œconomo, procuratori, ædituo, cantori & similibus Ecclesiæ ministris de eâve bene meritis in remunerationem laborum: ista in pensionario sive eo, cui concellitur, exigit statum Clericalem & ferè intuitu officii sive ministerii spiritualis confertur, vg. Episcopi Coadjutori, parochi vicario vel cooperatori, concionatori, *Ferè*, inquam: non *Semper*; quia aliquando ob aliam causam assignatur vg. parocho seni aut alteri clerico pauperi ad necessariam vel commodiorem sustentationem: vel ei, qui pingue beneficium pro tenui permutavit, in favorem alterius resignavit, lite beneficiaria cessit, Azor *p. 2. Instit. lib. 8. cap. 5. q. 5.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 18. n. 2.* De Ecclesiastica

Dubium est, an sit beneficium, aut saltem veniat hujus appellatione; quòd cum Barbatia *in c. Ad audientiam 31. de Rescript.* & Paulo Romano *de Pensionibus cap. 6. n. 34. & cap. 7. n. 16.* aliqui affirmant & desumunt ex *c. cit.* verbis, *Recipientes annuas pensiones seu beneficia alia*, quæ dictio eandem qualitatem denotat; ac proinde pensionem beneficium esse: quod etiam suadet ratio; cum pensio locò beneficii subrogetur: subrogatus autem sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur, *arg. l. Filia 28. §. 1. ff. de Condit. & demonstr.* Ita isti

Sed contra non obscuram decisionem Juris, pensionem beneficio opponentis *c. Quamvis 4. de Prab. & dignit. in 6.* ibi, *Non in Pensione, sed in Beneficio volumus providere*, & in decreto Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Ref.* clericum benefi-

beneficium, non etiam pensionem, obtinentem ad Ordines sacros admittentis.

9. Unde, istam beneficii nomine comprehendi, cum Franco *in c. cit. n. 2.* Panormit. *in c. Ad audientiam cit. n. 2.* Garcia *de Benef. p. 1. cap. 5. n. 3.* Gonzalez *in Reg. 8. glos. 5. §. 5. pr.* & Flaminio *de Resignat. Lib. 1. q. 10. n. 69.* cæteri DD. passim negant & persuadet ratio; quia beneficium suâ naturâ perpetuum est, & spiritualitatem in officio spirituali fundatam habet: pensio verò ferè ad tempus, & aliquando aliò quàm spiritualis officii intuitu conceditur; ac proinde ejus spiritualitas, non tam in Officii, quàm in personæ spiritualis qualitate fundatur: &, licet ex Pii V. *Constitutione, à cit.* Garcia *n. 17.* relatâ, annexam habeat Officii B. M. V. recitandi obligationem, ea tamen Constitutio non ubique usu est recepta, teste Lessio *Lib. 2. de I. & I. cap. 35. n. 129.* Unde *c. Ad audientiam cit.* expressa dictione *Alia* similis qualitas non denotatur ferè, sicut ea non significatur verbis, *Ducebantur alii duo nequam cum eo*, Lucæ *cap. 23. v. 32.* quòd ferè, sicut sacrò hòc, sic & illò canonici Juris textu dictionis ampliationem & similis qualitatis denotationem materia subjecta non admittat, ut *in c. cit.* Felinus *n. 2.* observat.

Ex eo etiam; quòd pensio subrogetur beneficio, eam beneficium esse æquè parùm infertur, quàm ex ejusmodi subrogatione *cit. cap. 2.* expressa patrimonium beneficii naturam assumat; quia, sicut patrimonium, sic & pensio beneficio tantùm subrogatur quoad alimenta, quæ clerico aut sacris initiato præbet, Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 11. §. 1. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 7.*

10. Excipiendus tamen est casus, quò pinguis beneficii fructibus perpetuò detracta portio clerico in titulum, vg. perpetuæ vicariæ vel commendæ concederetur; hujusmodi enim portionem propter spirituale Officium percipiendi jus hòc ipsò; quòd perpetuum & authoritate Ecclesiastica institutum sit, verè ac propriè dictum beneficium esse, cum *cit.* Garcia *n. 164.* rectè advertit Vallens. *cit. Tit. 1. n. 2.*

Pensiones beneficiis imponi à summo Pontifice posse, non facilè quis ausit inficiari; propter plenissimam de beneficiis cæterisque juribus Ecclesiasticis disponendi potestatem ipsi competentem, *c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 1. Ut lite pend.* etsi, ut illarum etiam his ab ipso facta impositio honesta sit, justa causa exigatur, sempérque intervenisse in dubio præsumatur: & 11.

12. ejus beneficio impositæ & alicui assignatæ causa non vera, sed existimata tantùm fuit, ejus concessio pro nulla à DD. passim habeatur ex præsumptione voluntatis seu consensûs, tali casu in eo deficientis. Casu etiam, quò ab eo beneficium pensionis onere sine omni causa & scienter gravaretur, ad ejus concessæ revocationem obligaretur ipse, & illam sibi ita assignatam retinere, qui eam obtinet, salvâ conscientiâ vix posset, saltem si esset laicus, & pro ea nullum officium & obsequium præstaret: ferè sicut, qui ab oeconomo res domini malè dispensari & dissipari scit, ea quæ ab illo sine justa causa accepit, restituere teneretur; quia Papa beneficiorum cæterorúmque jurium Ecclesiasticorum non dominus, sed administrator tantùm ac dispensator constitutus est à Christo, ejusmodi dissipationem ratum non habente, *cit.* Lessius *cap. 34. n. 204.* Vasquez *Opusc. de Benef. p. 2. §. 3. dub. 21. à n. 68.* Vallens. *de Benef. Lib. 4. Tit. 2. n. 1.* & alii apud *cit.* Garciam *n. 277.*

13. An eas beneficiis imponere de Jure valeat

valeat Episcopus, dubium est. Et quidem, pro bono pacis & concordiæ duorum, super beneficio litigantium, alteri lite cedenti pensionem, sive illius fructuum portionem assignari ab Episcopo posse, satis receptum & proditum est *c. Nisi essent 21. de Præb. & dignit.*

Extra hunc casum autem eas beneficiis imponendi potestatem Episcopo negat Granutius apud *cit.* Garciam *n. 297.*
14. *arg. Rubricæ & textûs c. Unici cit.* Sed contra communem sententiam RR. cum Felino *in c. Ad audientiam cit. n. 2.* Gigante *de Pens. q. 6. à n. 2.* Garcia *l. cit.* & Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 5. à n. 27.* eas, saltem ad beneficiati vitam, cum capituli sui consensu imponendi potestatem Episcopo passim adstruentium ex justa & rationabili causa, Ecclesiæ utilitatem concernente, vg. propter merita aut ministerium Ecclesiæ exhibitum vel exhibendum: ad sustentationem parochi vel alterius clerici, propter senium, infirmitatem &c. ampliùs servire non valentis & parochiali vel alteri beneficio renuntiantis, aut, unde vivat, non habentis: pro subsidio pauperum scholarium: pro sublevanda necessitate egentium vel alio usu pio: quod *citt.* DD. desumunt ex *c. Nisi cit. & c. Extirpandæ 30. de Præb. & dignit* cujus §. *Qui verò* Episcopis solùm prohibetur; ne pensio designetur *In fraudem*, ex quo verbo Panormit. *in c. cit. n. 7.* infert, cessante fraude, posse ab Episcopo ex proventibus unius beneficii constitui aliud, vel etiam pensionem designari. Unde Rubrica cum textu in contrarium allegato exaudienda est de diminutione, quæ fit in fraudem, vel sine justa causa, vel à collatore Episcopô inferiore,

Sed, etsi hæc sententia communis & teste Fagnano *in c. Nisi cit. n. 28.* receptissima sit: non minùs tamen communi DD. calculô receptum est Primò, invalidam esse pensionem, quàm Episcopus imponit sine justa causa: eámque, si justa causa non exprimatur, aut aliunde non appareat, beneficio in fraudem impositam præsumi, præsertim, si alicui beneficii incapaci constituta esset, *citt.* Garcias *n. 324.* Vallens. *n. 5.* & Fagnanus *n. 15.* monentes, causam, si non appareat, allegandam & probandam; quòd generaliter nudæ assertioni ejus, qui actum liberè & sine justa causa facere non potest, fides non habeatur, nisi de illius veritate constet, per ea, quæ *arg. l. Si fortè 8. ff. de Castrens. pecul.* tradit Mascardus *de Probat. conclus. 1840 à n. 2.* Secundò, non posse ab Episcopo cum Capituli sui consensu beneficiis imponi pensiones applicandas mensæ suæ, vel capitulari; quia ita vel ipse vel capitulum authorizaret in facto proprio & suam utilitatem spectante, contra textum & Glossam *Clem. 2. de Reb. Eccles. alien.* Tertiò, pensiones debere esse moderatas, præsertim quæ beneficiis parochialibus imponuntur; ne, eorum redditibus nimiùm diminutis, viri docti & ad illa idonei à cura animarum & laboribus ad otium, & à parochiis ad pingues Canonicatus aspirent. Unde PP. Tridentini Ecclesiæ parochiali, cujus reditus annui summam centum ducatorum secundùm verum annuum valorem non excedunt, pensionem imponi vetuerunt *Sess. 24. cap. 13. V. Adhæc, de Ref.* &, cùm summam illam excedunt, ea, pensione impositâ, diminui non debet. Quin, Jure etiam communi spectatô, cùm illi pensio imponitur, istâ detractâ reditus ad Rectoris sustentationem & onera supportanda sufficientes relinqui, est necesse, *c. Extirpanda cit. pr.* cùm unum altare discooperiri non debeat, ut aliud cooperiatur, *arg. c. Cum causam 36. de Præb. &*

Præb. & dignit. cit. Fagnanus *n. 26.* simili modò pensionibus onerari non debent dignitates, nisi de illa parte reditus, quæ centum : & alia beneficia simplicia, nisi de ea, quæ 24. ducatorum summam excedit, Flamin. *de Resignat. Lib. 6. q. 2. à n. 28. & cit.* Vallens. *Tit. 3. n. 8.* Quartò, easdem pensiones, licet à Papa in quacunque quantitate constitui valeant, & ultra dimidiam fructuum partem, imò etiam ad reditus incertos & distributiones extendi : ab Episcopis tamen impositas tertiam partem fructuum beneficialium excedere non debere : &, si excedant vel distributiones comprehendant, justas non censeri, advertunt *cit.* Vallens. *n. 13.* Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 7. n. 30.* & alii apud Pirthing *ad hanc Rubr. n. 14.* 16.

Majus dubium & controversia est, an Episcopus imponere valeat pensionem solvendam ad vitam Pensionarii sive ejus, cui debet solvi. Convenit inter DD. hujusmodi impositionem Episcopo non permissam ex causa resignationis, quæ fit in favorem ; quia hanc in Episcopi manibus fieri non posse, patet ex dictis *Lib. 1. Tit. 9. n. 63.* Et probabilius etiam ex causa permutationis beneficiorum, habentium reditus inæquales, ut infrà *Tit. 19. n. 33.* statuetur. 17.

Quare dubium procedit de pensionibus aliis & præcipuè de ea, quæ imponitur propter bonum pacis & concordiæ, & quâ sibi assignatâ Pensionarius liteedit ; nam etiam hanc ab Episcopo impositam ultra solventis sive beneficium retinentis vitam extendi non posse, cum Ant. de Butrio *in c. Audivimus cit. n. 2. cit.* Garcia *n. 334.* Flaminio & aliis *in c. Nisi cit.* docent Barbosa *n. 8.* & Fagnanus *n. 40.* eâ persuasi ratione ; quòd Episcopus de Jure pensionem imponere non valeat ipsi beneficio, sed soli beneficiato ex illius fructibus solvendam, ex clara decisione *c. cit.* quâ Innocentius III. ex ejusmodi causa non Prioratum, sed Prioris duntaxat personam voluit oneratam. Æquè perspicui in re hac sunt textus *c. Veniens 8. de Transact. & c. Prohibemus 7. de Censibus :* vi quorum prioris sine Sedis Apostolicæ authoritate facta transactio de rebus Ecclesiæ ad successorem non transit : posteriori relatò Concilii Lateranensis decretò cavetur ; nè novus census seu pensio Ecclesiis imponatur, aut vetus augeatur.

Nihilominus, pensiones ultra solventis & ad Pensionarii vitam se extendentes beneficiis imponendi potestatem Episcopis vi Consuetudinis, imò de Jure etiam, in quibusdam casibus competere, cum *citt.* Gambara *Lib. 6. q. 11. n. 77.* Gigante *q. 85. n. 11.* Redoano *de Simonia p. 2. cap. 4. n. 14.* Suarez *de Simonia cap. 51. n. 18.* & aliis sustinent Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 11. §. 6. n. 1.* & Franc. Leo *cit. cap. 7. n. 28.* idque non obscurè supponi aut insinuari volunt *c. De cætero 5. de Transact. & c. Audivimus 3. de Colluss. deteg.* quorum textuum priori pensionē, per transactionem sine authoritate Episcopi impositam ultra solventis vitam extendi, negatur. Unde à contrario inferunt istius vitam excedere posse, quæ Episcopali authoritate est constituta, Glossa *fin. in c. De cætero cit.* & ibi Panormit. *n. 2.* posteriori, dum pensio post beneficiati obitum Pensionario solvenda propter solam fraudem, in ea constituenda admissam, rejicitur, eam quæ absque fraude & Episcopali authoritate constituta est, solvendam supponitur, Ant. de Butr. apud Barbosam *in c. Audivimus cit. n. 7.* 18.

Neque cum his pugnant textus in contrarium allati. Primus ; quia eò non

agitur de pensione, imposita authoritate Episcopi, sed arbitrorum vel judicum delegatorum, pensiones ad successorem transeuntes imponere non valentium; ne præjudicent Episcopo, qui ita beneficia conferre non potest sine diminutione, Suarez *l. cit.* & Laiman *cit. cap. 18. n. 3.* Reliqui duo; quia priori novi census eorúmque auctiones non ad vitam duntaxat pensionarii, sed perpetuò duraturi imponi prohibentur, ut *ibi* notat huic nostræ Opinioni contrarius Barbosa *n. 2.* posteriori verò non agitur de pensione solvenda ex beneficio, sed de transactione super decimarum remissione, & quidem perpetuò duratura: ad cujus valorem Apostolicam authoritatem Jure exigi, Suarez *cit. n. 18.* & ex DD. *citt.* alii haud ægrè concedunt.

19. Tria tamen hôc locô probè notanda sunt. Primum est; quòd ab Episcopo beneficium conferri non possit sub pacto & conditione pensionis alteri solvendæ; cùm enim omne pactum omnísque modus, qui Jure non inest, beneficii collationi adjectus hanc Simoniacam reddat, *can. Quam pio 1. q. 2. & c. fin. de Pactis*, etiam sub ejusmodi conditione, cùm Jure non insit, facta à Simoniæ labe non esset immunis, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art. 4. in fine* & Panormit. *in c. Unic. hîc n. 14.* & aliis advertit Fagnanus *in c. Nisi cit. n. 5. & 18.* Alterum est, pensionis reservationem, ut à Simoniæ non labe tantùm, sed periculo quoque & suspicione quàm remotissima sit, non, ut aliquando solet, in ipsa beneficii, de cujus fructibus assignatur, collatione: sed ante vel post istam faciendam præsertim, si ex ejus reservatione aliquid utilitatis etiam indirectè tantùm redundaret in reservantem, ut cum Laiman *cit. cap. 18. n. 5.* monet

20. Pirrhing *hîc n. 18.* Postremùm; quòd pensiones, cùm ab Episcopo & quocumque alio, Papâ inferiore, etiam ob pacis & concordiæ bonum constituuntur, non à pactione seu conventione partium litigantium initium sumere, sed ab arbitrio seu jussu ipsius Episcopi procedere oportere, per *c. Nisi cit.* verba, *Non quidem ex pactione partium, sed ex justione judicum*; ac proinde eos, qui de pensione priùs inter se conveniunt, & postea adeunt judicem, ut authoritatem suam interponat, eámque ratam habeat, de Simoniæ labe reddi suspectos, *citt.* Gracias *n. 340.* & Fagnanus *n. 5.* Quod etsi omnino verum sit in pensione mere temporali, hoc est, cùm lite cedenti ad fructuum portionem percipiendam confertur jus non annexum officio & titulo spirituali: casu tamen, quô pensio spiritualis sive hujusmodi titulo annexa cum spiritualis officii onere alicui constituitur, eam à prævia & in superioris approbationem relata conventione partium Simoniæ labe non infici, cum *cit.* Suarez *n. 20.* rectè advertunt *citt.* Laiman *n. 3.* & Palao *n. 6.* quòd tali casu agatur de spirituali cedendo pro spirituali: cui accessoriè annexum temporale non obstet sicut prævius & in superioris approbationem relatus tractatus & conventio de beneficiorum permutatione, istam à superiore approbatam Simoniacam non reddit.

Porro, licet pensionis temporalis capax etiam laicus sit, eique propter merita & servitia Ecclesiæ exhibita vel exhibenda, non rarò assignetur, ab alio tamen ei constitui non potest, quàm à summo Pontifice; quòd fructus seu reditum temporalium portionem percipiendi jus, spiritualis officii titulo annexum, ab isto separare & prophanum reddere solus possit. Ecclesiasticæ autem pensionis usque adeò capax laicus non est, ut ab

ut ab alio, quàm ab eodem Papa de suæ potestatis Plenitudine ipsi facta concessio invalida sit: quantumvis post eam obtentam clericus efficiatur; quia locò beneficii assignatur cum obligatione recitandi officiũ parvum B. M. V. ac proinde in statu & officio spirituali fundatur, Garcias *cit. cap. 5. n. 15.* Azor *p. 2. Instit. lib. 8. cap. 7. q. 3.* & Palao *cit. disp. 1. p. 11. §. 3. n. 1.*

24. Quin ex ipsis etiam clericis Ecclesiasticæ pensionis obtinendæ modernò Jure & Curiæ Romanæ stylò, juxta dicta *Lib. 1. tit. 14. n. 12.* capax nemo est: nisi 14. ætatis annum inchoârit, & habeat cæteras quàlitates ad beneficium obtinendum requisitas, ut à S. Congreg. Cardd. Interpp. decisum & ratio est; quòd pensio sit locò beneficii & huic subrogetur: subrogatum autem sapiat naturam, & ferè exigat qualitates ejus, cui subrogatur, *citt.* Garcias *n. 129.* Lessius *n. 203.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 60. n. 78.* Quæ causa est, cur ad beneficium absolutè & generaliter dispensatus etiam ad pensionem Ecclesiasticam dispensatus censeatur; quia inhabilitas ad hujusmodi pensionem in inhabilitate ad beneficium fundatur; ac proinde, sublatâ inhabilitate ad istud, etiam ad illam habilis quis redditur, *cit.* Garcias *n. 15.* excipiens casum, quò quis specialiter ad certum beneficium dispensatus esset.

25. Ut autem ex alieno beneficio solvenda pensio etiam clerico constituatur, necessarius de Jure est consensus beneficiati, sive clerici illud obtinentis, usque adeò; ut sine eo ab Episcopo: imò summo Pontifice ipsomet & Motu etiam proprio beneficio imposita valida non sit, per *Reg. Cancell. Apostol. 43.* nisi cum istius Regulæ derogatione fiat, *citt.* Azor *cap. 8. q. 6.* & Palao *§. 5. n. 1.* quòd Papa, licet cujuscunque beneficii fructuum portionem alteri assignare ex justa causa liberè valeat, id tamen aliter, quàm ipse præscripsit, facere velle, si non exprimat, nunquam præsumatur.

Neque huic adversatur; quòd pensio reservari valeat de fructibus beneficii vacantis; quia, ut tali etiam casu legitimè reservetur, ei defensorem, qui beneficiati locò consentiat, constituendum, cum *citt.* DD. satis probabiliter sustinet *cit.* Pirrhing *n. 15.* quòd pensionis impositio, licet alienatio propriè non sit, ejus tamen speciem referat & naturam imitetur; ac proinde, sicut rerum Ecclesiæ vacantis alienatio, sic etiam ipsa exigat defensorem, qui in portionis fructuum detractionem consentiat præsertim, cùm *Reg. cit.* ad eam beneficiati vel procuratoris aut custodis ipsius vacantis consensus indistinctè exigatur.

Dubium est, an, cùm pensio bene- 26.
ficio patronato imponitur, patroni saltem laici consensus exigatur. Et Papæ quidem hunc necessarium non esse, satis liquet; quòd plenissimæ ejus de beneficiis disponendi potestati quæcunque etiam ejusmodi patronatûs beneficia subjiciantur. Quod etsi verissimum sit, ex curiæ tamen Romanæ stylo Ecclesiæ vel beneficio, ejusmodi patronatui ex fundatione, constructione vel dotatione obnoxio, pensio imponi ab ipso non solet, quin illi expressè derogetur adeò; ut pensionis alicui reservatæ literæ, ejusmodi patronatûs mentionem & derogationem non continentes, pro subreptitiis habeantur; quòd Papa beneficium patronatum pensione onerandi voluntatem, si non exprimat, habere non præsumatur; ne laici à piis fundationibus facilè absterreantur, Covarruv. *Practic. cap. 36. n. 10. citt.* Gigas *q. 24. n. 4.* Garcias *n. 361.* & Vallens. *Tit. 4. n. 6.*

Præterea, ut ejusdem reservationis literæ subreptitiæ non sint, facienda in iis est expressa mentio pensionis in eodem beneficio alteri jam priùs constitutæ; quòd aliàs Papa in novæ reservationem ex errore consensisse præsumatur; cùm verisimile non sit, eum, si beneficium aliquâ jam gravatum sciviſſet, in novæ impositionem simpliciter, aut in tanta quantitate faciendam, fuisse consensurum, *citt.* Gambarus *Lib. 6. n. 162.* Azor, *cap. 9. q. 3.* & Pirrhing *n. 17.*

Episcopo pensionem ejusmodi beneficio imponere volenti patroni consensu opus non esse, cum *citt.* Gambaro *à n. 64.* & Gigante *q. 23. n. 9.* aliqui volunt apud *cit.* Garciam *n. 357.* quòd, ejus consensum requirendum, nullô Jure sit expressum, neque appareat ratio; cùm pensionis per ipsum factâ impositione patroni juribus non derogetur. Sed hæc ratio rite ponderata in pensione beneficiato, non etiam beneficio imposita & successorem onerante procedit; cùm enim beneficium, fructibus pensionis reservatione diminutis, minùs æstimabile, & ad id præsentatus minùs gratus reddatur, reservatio etiam in patroni præjudicium cedit. Quare, licet ad moderatæ & cum beneficiato eâ gravato finiendæ pensionis reservationem non exigatur, necessarius tamen patroni consensus erit ad pensionem, quæ transitura est ad successorem: etsi, cùm in eam consentire irrationabiliter renuit, Ecclesiæ magnâ utilitate exigente, pensio beneficio imponi ab Episcopo nihilominus possit, *citt.* Garcias *n. 360.* Vallens. *n. 6.* Laiman *n. 4.* & Pirrhing *n. 16.* 27.

Pensionarii, Ecclesiasticam pensionem obtinentis, obligatio præcipua hodie est recitatio Officii parvi B.M. Virg. imposita à Pio V. apud *cit.* Garciam *n. 17.* adeò; ut istam omittens perinde, ut beneficiatus horas Canonicas non recitans, fructus non faciat suos, *citt.* Garcias *n. 67.* & Vallens. *n. 2.* nisi horas illas sive Officium magnum ratione sacri Ordinis vel beneficii recitaret; quia Papæ, parvi recitationem imponentis, mens & intentio non fuit Pensionariis majorem obligationem imponere: sed potiùs diminuere eam, quam habent alii, ratione beneficii vel SS. Ordinum ad horas Canonicas obligati, Suarez *Lib. 4. de Horis Canon. cap. 22. n. 6.* & Palao *tract. 7. disp. 2. p. 1. §. 2. n. 6.* 28.

Idem Pensionarius obligatur ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem, ex *cit. Constit.* Pii V. & aliâ Sixti V. apud *cit.* Garciam *à n. 10.* hodie tamen ex istius summi Pontificis *Constitutione* ab eodem allegata non nisi pensiones, quas obtinet, simul sumptæ excedant summam 60. ducatorum auri de Camera: & non antè, quàm pensiones percipere cæperit, vel per ipsum steterit, quò minùs eas percipiat, Garcias *cit. cap. 5. n. 13.* & Palao *cit. p. 11. §. 3. n. 3.*

Demum Pensionarius pro rata fructuum, quos percipit, ex beneficio alienato tenetur ad onera annexa beneficio, ex quo percipiuntur, vg. ad subsidium Charitativum & collectas, quæ propter necessitatem vel aliam causam publicam beneficio ejúsque fructibus imponuntur. Ratio est; quia æquò difficiliùs beneficiato foret, si ex sui beneficii proventibus per pensionem diminutis, illi annexa onera solus, & non eorum partem aliquam Pensionarius ferre deberet contra Regulam, *Qui sentit commodum, sentire etiam debet onus ei annexum*, quæ est *77. in 6. citt.* Gambara *Lib. 6. n. 207.* Garcias *n. 171.* & Barbosa *alleg. 64. n. 18.* & alii rectè excipientes casum, quò alicui ex speciali gratia Apostolica constituta

stituta esset pensio exempta & ab omni ejusmodi onere libera; hôc enim casu onera illa imminerent soli beneficiato: cui, ne ea justò difficiliora sint, pensiones exemptas in minori quantitate constituti consuevisse, advertunt *citt.* Azor *q. 2.* & Pirrhing *n. 19.*

TITVLVS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

NE Prælatorum administratio in Ecclesiarum damnum Divinique cultûs detrimentum facilè cedat, non solùm beneficiorum fructus sive proventus diminui: sed etiam, & multò magis, res seu bona temporalia, ex quibus illi annuatim proveniunt, & Ecclesiæ conservantur atque ornantur, alienari sacris Canonibus prohibentur.

ARTICULUS I.

De acceptione nominis Ecclesiæ & Alienationis.

SUMMARIUM.

1. *Nomine Ecclesiæ quævis loca Sacra & Religiosa:*
2. *Alienationis autem Donatio, venditio, Permutatio,*
3. *Infeudatio, Emphiteuticatio, Locatio,*
4. *Cessio litis, Transactio, Compromissum,*
5. *Unio & Conditio veniunt.*
6. *Conditionis nomine* c. Nulli *5. non Contractus,*
7. *Vel ultima voluntas Conditionata denotatur:*
8. *Neque rectè ei Conditionis,*
9. *Vel Conductionis nomina substituuntur.*
10. *Id ex* c. cit. *textu expungentium erudita:*
11. *Sed ipsa quoque vera Opinio non est.*
12. *Verius denotat Pactionem de re Ecclesiæ immobili,*
13. *Prohibitam, quoties ei est præjudiciosa.*

ECclesiæ nomen in hac ipsi perquam favorabili materia non accipitur strictè, sed latè; ut comprehendat loca, non solùm Sacra sive ædes per ceremonias Ecclesiasticas supremæ Divini Numinis Majestati, in ipsius honorem cultúmque & BB. Cœlitum venerationem ac memoriam per Sacrificia, aliáque Officia Divina celebrandam, dedicata, ut sunt non solùm Templa, Capellæ, Oratoria & similia loca, consecratione vel benedictione affecta: sed loca etiam Pia & Religiosa, sive quæ- 1

cunque ad Religionis, Pietatis aut Misericordiæ opera exercenda Episcopali vel aliâ ejusmodi Ecclesiasticâ authoritate deputata, ut etiam sunt Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes, aliæque Domus Regularium utriusque sexûs: uti & Xenodochia, Hospitalia &c. peregrinis aut miserabilibus personis recipiendis alendisve aut curandis authoritate Ecclesiasticâ constituta, ut ex *Auth. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. can. Hoc jus 10. q. 2.* relata, cum Panormit. *in c. Nulli 5. n. 14.* desumunt Laiman *Theolog. Moral. Lib. 3. Tract. 4. cap. 10. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 4.*

2. Simili modò Alienationis, ob Ecclesiarum, Monasteriorum, cæterorúmque Sacrorum & Religiosorum locorum favorem prohibitæ, nomen non accipitur in stricto sensu, *l. Alienatum 67. ff. de V. S.* pro eo duntaxat actu, quò rei traditæ dominium in alterum transfertur, ut sunt Donatio, Venditio, Permutatio: sed latissimè & in sensu *l. fin. C. de Reb. alienis non alien.* pro omni actu seu dispositione, quâ dominium, sive Directum sive Utile, vel aliud jus in re aut ad rem transfertur, *arg. c. Nulli cit.* Glossa *ibi, V. Alienationis* & Panormit. *n. 13.* Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubric. 1. cap. 47. n. 14.* & Palao *Tract. 12. disp. unic. p. 15. §. 2. n. 1.*

3. Quare, prohibitâ rerum ad Ecclesias, Monasteria &c. pertinentium Alienatione, prohibita non solùm est Donatio, Venditio, Permutatio, *c. Nulli cit. c. 1. & c. De iis quæ à Prælat. &c.* Sed etiam constitutio Pignoris sive Hypothecæ, saltem Specialis, *c. Nulli cit. & Extravag. Ambitiosæ inter communes*, concessio in Feudum vel Emphyteusin, *c. & Extravag. citt.*

4. Locatio, *c. cit. Clement. 1. & Extravag. cit.* Cessio litis motæ super Ecclesiæ re, liberè alienari prohibitâ; cùm enim per eam res indirectè alienetur, prohibitâ alienatione, etiam ipsa prohibita censetur; ne, quod unâ viâ prohibetur, aliâ admittatur, contra *Reg. Cùm quid unâ 84. in 6.* Panormit. *in c. Dudum 54. de Elect. n. 17. & ibi* Laiman *n. 8.* Transactio, non quidem ea, quâ res vel ejus possessio Ecclesiæ acquiritur aut conservatur: sed quâ hæc aut illa in alium transfertur, Redoanus *Rubric. cit. cap. 1. n. 13.* & Valens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 4.* Compromissum; cùm enim ex isto sequi possit translatio rei, vel possessionis in extraneum, is, qui de re aliqua liberè disponere, eámque alienare nequit, super ea etiam compromittere prohibetur, ex doctrina Panormit. *in c. Dilecti 4. de Arbitr. n. 8.* & Redoani *Rubr. cit. cap. 36. à n.* Unio perpetua Ecclesiæ vel beneficii cum Ecclesia vel beneficio alio, *c. Tua 8. De iis quæ à Prælat. c. Pastoralis 7. de Donationibus & Clement. 2. hic, ubi* Pirrhing *n. 7.* Conditio *c. Nulli cit.* ibi, *Alienationis autem verbum continet Conditionem &c.* quò nomine qualis actus vel contractus intelligatur, mirâ expositionum divinationúmque varietate Interpp. laborârunt.

Et primò quidem, in *c. cit.* Glossa *V. Alienationis*, Innocentius §. *Conditionem* & Ant. de Butrio *n. 7.* Conditionis vocabulò prohiberi arbitrantur de ejusmodi rebus initos contractus Conditionatos, sive dispositionem & obligationem conferentes in eventum aliquem futurum, vg. si navis ex Asia venerit: quem ejus intellectum cum Zabarella *in c. cit. §. Tertiò quæro*, Redoano *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 1. cap. 45. n. 1.* & aliis Fagnanus *in c. cit. n. 38.* rejicit; quòd cæteris Alienationis exemplis, *cit. c.* textu Conditioni subjectis, sicut purè: sic etiam sub conditione initi contractus contineantur ac prohibeantur; cùm, quando initus

initur sub conditione. hâc adveniente perinde sit, ac si purè initus ab initio fuisset, per textum & Glossam *in c. Præterea 4. V. Impedire, de Appellat.*

7. Secundò, aliqui cum Quintino *in Repetit. c. cit.* subintelligi volunt vocem *Testamenti*, ita; ut Prælati Testamentum condere, sive de rebus Ecclesiæ immobilibus & mobilibus pretiosis per ultimam voluntatem disponere prohibeantur; cùm dispositio, quæ per Testamentum fit, Alienatio dici possit, secundùm Bartol. *in Auth. Quæ res subjaceant C. Communia, de Legatis n. 5.* Sed hanc, tanquam merissimam divinationem, meritò confutat Germonius *Lib. 2. Animadvers. cap. 20.* quia, ut prætermittam; quòd Testamenti factio Clericis non de immobilibus tantùm & pretiosis, sed de mobilibus etiam aliis: non ipsarum duntaxat Ecclesiarum, sed harum intuitu quidem acquisitis, propriis tamen ipsorum bonis prohibita sit, sub *Rubrica præsenti* nulla uspiam mentio fit conditionis: neque ullò aliò canone Testamentaria dispositio illius nomine est expressa.

8. Tertiò, alii pro voce *Conditio* legendum existimant *Condictio.* Sed planè vitiosè; cùm condictio sit Actio, quâ jus nostrum in judicio prosequimur, §. *Appellamus 15. Instit. de Actionibus & l. Actionum 25. ff. O. & A.* eam autem pro Alienatione accipi, in scholis inauditum & apud DD. nunquam lectum sit, Zœsius *ad hanc Rubr. n. 3.* & Wagnereck *in c. Nulli cit.*

9. Quartò, rursum alii, teste Innocentio *l. cit.* mendum in textum irrepsisse, putant: & *Conditionis* vocem *Conductioni* substitutam. Sed hâc ipsâ interpretatione literam corrumpi, idem queritur. Et jure optimò; quia conductio, neque Alienatio, neque prohibita: imò à Jure ferè permissa est Prælatis. Si etiam vo-ce Conductionis substitutâ, res Ecclesiarum immobiles, quemadmodùm donari, vendique & permutari, sic etiam locari prohibitas asserant, literam omnino falsam reddunt; cùm, licet Modernò ultra triennium, *Extravag. Ambitiosæ cit.* Antiquiori tamen Jure ad longum duntaxat tempus extensa Locatio rerum Ecclesiasticarum administratoribus fuerit interdicta, *c. Vestra 2. de Locato c. fin. Ne Prælati vices & Clement. 1. hîc.*

10. Quintò, propter has rationes de interpretatione, à Jure aut ratione non alienâ, penitus desperantes Cujacius, Antonius Augustinus *in c. cit. in fine*, Germonius *cap. 20. cit. & Lib. 3. de Sacror. Immunit. cap. 17. n. 97.* & cùm ipsis Gonzalez *in c. cit. n. 6. in fine*, *Conditionis* vocabulum ab hoc textu omnino resciendum censent, partim; quòd nullâ aliâ sanctione Canonicâ vel Legali decisione, quâ de rerum Ecclesiasticarum Alienatione agitur, expressum reperiatur: partim verò; quòd *Novell. 7. cap. 1. & Constitutione 7. Justini Imp. cap. 1.* unde *c. cit.* textum in *Capitularia* Lotharii *Lib. 2. cap. 29.* & supra laudatæ Synodi Acta: atque ex his in Jus Ecclesiasticum à S. Raymundo compilatore translatum, *cit.* Gonzalez *n. 1.* refert, vocabulum illud non extet; ut patet ex ejusdem constitutionis tenore, quem subjicio, *Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive rusticum mancipium vel panes civiles, nec creditoribus sive specialis sive generalis hypotheca titulô obligare. Alienationis autem verbum contineat Venditionem, Donationem, Permutationem & Emphyteuseos perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes hujusmodi alienatione abstineant; pœnas timentes, quas Leonina constitutio minatur.* Sed etiam hæc, quantumvis 11. ob eruditionis accurationem sine commemoratio-

morationis laude non prætermittenda, Opinio non caret difficultate; quia à sancto illo Decretalium compilatore, sicut Imperiali constitutione expressorũ *Panum civiliũ*, & *Hypothecæ generalis* mentio omissa: contrà verba *Nulli & Ecclesiæ suæ*, in illa non contenta, adjecta sunt: sic etiam transcripto, & in Decretalium compilationem, Gregorii Papæ IX. authoritate confirmatam, translato textui *Conditionis* vocabulum studiosè appositum potuit fuisse. Unde

12. Sextò Cironius *c. cit. Conditionis* vocem, sicut passim legitur, incorruptam retinendam: eáque significari docet Pactionem sive Conventionem; *Conditio* enim pro *Pacto* sumitur, *l. Societatem mecum coisti eâ conditione 76. ff. pro Socio l. Sed Celsus 6. §. fin. ff. de Contrah. empt. & l. Debitori 6.* ibi, *Eâ conditione pactóque, C. de Pactis*, & *Stare conditionibus* idem est, quod *Pacta servare*, apud Ciceronem *Lib. 16. ad Tironem*, ibi; *Si illi suis conditionibus stare noluerint, bellum paratum est.*

13. Prohibita itaque ex istius Interpretis mente *c. Nulli cit.* per verbum *Conditio* est super rebus Ecclesiæ immobilibus & mobilibus pretiosis omnis Pactio sive Conventio: quâ, citra utilis aut directi dominii translationem, illi præjudicium afferri potest: cujusmodi esset, quâ super ejusmodi rebus ususfructus: usus vel alia servitus realis constitueretur; quia sic alienare Prælatus videretur, juxta *l. fin. C. de Reb. alienis non alien. & can. Non liceat Papæ, 12. q. 2.* Quæ doctrina & expositio, sicut Juri & rationi conformis: sic etiam non destituta est authoritate; cùm satis clarè tradatur ab August. Beroio *in c. cit.* & Redoano *cit. cap. 45. n. 2.* pro eáque allegari posse videantur, qui *Conditionis* vocabulô, ne Ecclesiarum res reddantur Tributariæ, aliisque similibus oneribus graventur, prohibitum volunt, cum *citt.* Innocentio, Butrio, Zabarella & Imola *in c. cit. n. 7.*

ARTICULUS II.

De Rebus Ecclesiæ liberè alienari prohibitis.

SUMMARIUM.

14. *Res Ecclesiarum sine justa causa alienare nequit Papa,*
15. *Earum non Dominus, sed Administrator.*
16. *Non tamen adstringitur ad ullas solennitates,*
17. *Neque legibus aut pœnis Ecclesiasticis obnoxius est.*
18. *Eô inferiores Prælati liberè alienare nequeunt res immobiles,*
19. *Spectatô Jure Imperiali, ab Ecclesia approbatô,*
20. *Et multis sanctionibus firmatô.*
21. *Ratio prohibitæ liberæ Alienationis rerum immobilium:*
22. *Et mobilium etiam pretiosarum,*
23. *In specie liberè alienare nequeunt Oppida, pagos, prædia, fundos,*
24. *Census ac reditus annuos:*
25. *Jura & actiones ad immobilia:*
26. *Pretiosam Ecclesiæ supellectilem & Reliquias:*
27. *Bibliothecam,*
28. *Servos & mancipia Rustica:*
29. *Integros greges & armenta,*
30. *Et alias res solitas fructificare,*
31. *Quæ pretiosa sint, docet consuetudo,*
32. *Prælatis aliquando permittens eorum permutationem.*
33. *Pecunia inter mobilia censetur:*

34. Nisi

34. *Niſi ad immobilium emptionem donata ſit vel relicta,*
35. *Vel ad futuras neceſſitates recondita ſit in Eccleſiæ Theſauro.*

14. RErum Eccleſiaſticarum liberam & omni juſtâ causâ deſtitutam alienationem ipſi etiam ſummo Pontifici non permiſſam, cum Archidiacono in *can. Non liceat, 12. q. 2.* Panormit. in *c. Conſtitutus 8. de Religioſ. domib. n. 15.* & Navarro Comment. *de Spoliis cleric. §. 2. n. 2. &c.* docent Redoanus *de Reb. Eccleſ. non alien. Rubr. 30. caſu 4. n. 15.* Bonacina *eôdem Tract q. unica, p. 5. §. 1. & 2.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regular. p. 2. tract. 14. q. 27. àn. 1.* idque non ſolùm propter juramenta, quibus imprimis in ſua promotione ad apicem Cardinalatûs: dein, occurrente ſedis Apoſtolicæ vacatione, in Conclavi: ac demum in ſuæ perſonæ ad ſummi Pontificatûs faſtigium aſſumptione coronationéque, ſe Eccleſiæ bona non alienaturum in eorúmve alienationem non conſenſurum, promittit, Franc. Leo *Theſaur. Fori Eccleſ. p. 1. cap.* 15. *n. 1. in fine:* ſed etiam; quòd rerum Eccleſiaſticarum non dominus, ſed adminiſtrator, conſervator ac diſpenſator ſit, ſecundùm receptam doctrinam D. Thomæ *2. 2. q. 10. art. 1. ubi ad 7.* ait, *Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus,* Papæ, *ut principalis diſpenſatoris: non tamen ſunt ejus, ut domini & poſſeſſoris, qui poſſideat nomine ſui ipſius, ſicut laici communiter poſſident bona ſua:* quæ poſteriora verba addit Donatus *q. cit. n. 2.* Ratio eſt; quia rerum Eccleſiaſticarum dominium præſertim abſolutum à Chriſto ipſi traditum nuſpiam habetur; ac proinde earum tantùm habet adminiſtrationem: quæ quantumvis plena & ab humana poteſtate quacunque independens ſit, conſtricta tamen eſt à lege Divina & Naturali, eum ad Romanæ aliarúmque Eccleſiarum res in ſuam & miniſtrorum Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, Eccleſiæ neceſſitates utilitatésque, in Fidei Chriſtianæ & Catholicæ Religionis conſervationem defenſionémque & propagationem, in benemeritorum remunerationem, pauperum aliorúmque egentium alimenta ſubſidiáque impendendas obligante, juxta *can. Aurum, 12. q. 2.* & illud Servatoris ad B. Petrum, *Paſce oves meas, Joan. cap. 21. v. 17.*

16. Juſtâ autem causâ interveniente, Romanæ & inferiorum Eccleſiarum res alienare ſine ulla ſolennitate poteſt, eô ipsô; quòd poteſtate & lege humana quacunque ſuperior ſit, *Can. Cuncta per mundum, 17. &c. 9. q. 3.*

Neque, ut primô occurſu videtur, hujusmodi ſummi Pontificis alienationi obſtat famigerata & perquam difficilis Conſtitutio Symmachi Papæ, qui, *Non liceat,* inquit, *Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquô modô pro aliqua neceſſitate: nec in Uſumfructum rura dare &c.* conſtitutâ pœnâ; *Ut venditor honorem perdat & qui ſubſcripſerit, Anathema ſit cum eo, qui dedit, vel qui recepit, &c. can. Non liceat, 12. q. 2.* Non, inquam hic textus obſtat; quia Symmachus ſucceſſoribus ſuis imperare & ponere legem, ſive jus dicere non potuit, aut voluit; cùm par in parem imperium non habeat, *c. Innotuit 20. V. Quamvis, de Elect.* multò minùs ligare eum voluit aut potuit excommunicationis aliáve Eccleſiaſticâ cenſurâ, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 17.* & Suarez *de Cenſur. diſp. 5. ſ. 1. à n. 27.* quia hæc ferri in eos duntaxat poteſt, qui poteſtati Eccleſiaſticæ ſunt ſubjecti, Ugolin. *de Cenſur. Tab. 1. cap. 17. §. 6. à n. 4.* Papa autem, ulli humanæ poteſtati ſubjectus non eſt, *can. Nemo 13. can. Aliorum,*

17.

14. &c. q. 3. cit. præsertim quoad vim Coactivam: ad quam Censuras aliásque pœnas Ecclesiasticas pertinere non est, qui inficietur, *citt.* Navarrus, Ugolin. à *n. 8.* & Suarez *n. 27.*

Huic doctrinæ ne *can. Non liceat cit.* adversaretur, variæ expositiones sunt excogitatæ. Mihi placet gemina Barbosæ in *can. cit. n. 5.* quibus præmitto, nomine *Papæ*, quæ Græca vox est, & *Patrem* denotat, non solùm Romanæ & Universalis summum Pontificem, sed Patriarchas & inferiorum quoque Ecclesiarum Episcopos vocari à SS. PP. consuevisse, ut constat ex pluribus Epistolis S. Hieronymi, Augustino Papæ inscriptis, & eruditè ostendit Tholosanus *Syntag. Lib. 1. cap. 2. n. 13.* Unde

Prima *can. cit.* interpretatio est, eô nomine *Papæ* venire solos prælatos Romano Pontifice inferiores: quam laudatus Barbosa inde desumit ac firmat; quòd textu illo rerum Ecclesiasticarum alienationes pro quacunque necessitate prohibeantur: quæ prohibitio afficere nequit summum Pontificem, de ejusmodi rebus, exigente aut suadente justâ causâ, liberè licitéque disponentem, *arg. c. Licet 2. de Præb. & dignit. in 6.* & *Clement. 1. Ut lite pendente.*

Altera & magis communis est; quòd, licet *can. cit. Papæ* nomine summus Pontifex intelligatur, eíque alienatio non pro qualibet, sed exigentis tantùm Ecclesiæ necessitatis, aut evidentis utilitatis suadentis, vel aliâ simili justâ & rationabili causâ permissa sit, id tamen non proveniat ex Symachi aut, alterius ejus Prædecessoris Canone: sed ex dictamine propositæ ab ipso legis Naturalis: quâ sine justa causa res Ecclesiasticas quôcunque modô alienare non minùs, quàm inferiorum Ecclesiarum Episcopi aliíque prælati & administratores, Romanus Pontifex prohibetur, per tradita à Turrecremata in *can. cit. n. 3.* Bellamera *ibid.* Redoano *Tract. cit. Rubr. 30. casu 4. n. 11.* Anathema autem sive excommunicationem & cæteras pœnas, *can. cit. V. Qua lege*, decretas, non ad Papam in casu non licito alienantem, sed eô inferiores ministros, custodes & administratores rerum Ecclesiasticarum, istas indebitè vendendô, donandô & quovis aliô modô alienantes spectat, ut cum *cit.* Turrecremata *n. 4.* advertit Barbosa *n. 5.*

Supremô autem hôc inferioribus prælatis, cæterísque Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque Sacrorum & Religiosorum locorum rectoribus & administratoribus interdicta utroque Jure est libera alienatio ad ejusmodi loca pertinentium rerum sive bonorum immobilium.

Civili quidem ab Impp. Leone & Anthemio, qui *l. Jubemus 21. C. de SS. Eccles.* voluerunt, *Nulli esse facultatem fundos, vel prædia, sive urbana sive rustica, res postremò immobiles, sub cujuscunque alienationis specie, ad quamcunque transferre personam.* Quæ, ut vocatur, Leonina & Ecclesiam solùm Constantinopolitanam spectans prohibitio imprimis ab Anastasio, Orientis, cujus & illi fuêre, Imp. latâ lege, ad loca foris posita, sive ad Ecclesias extra Urbem & sedem Imperatoriam sitas & Constantinopolitano Patriarchæ subjectas, secundùm *Novell. 7. pr. V. Ab Anastasio:* deinde à Justiniano illorum successore ad quascunque Ecclesias, monasteria, aliáque loca Pia & Religiosa ubique terrarum existentia extensa est ita; ut istorum res immobilis vendi, donari, commutari, aut quôcunque aliô modô, & in quamcunque personam alienari non posset, quin memoratâ Leonis constitutione latæ pœnæ incurrerentur, *Novell. cit. §. Nos igi-*

tur §.

tur §. *Quia verò Leonis piæ memoriæ*, §. *Si verò in perpetuum*, *Novell. 46. pr. V. Nuper igitur*, & *Novell.* 120. &c. ex quibus constitutionibus *L. Jubemus cit.* subjecta *Auth. Hoc Jus porrectum*, est desumpta, teste Gonzalez *in c. Nulli 5. n. 7.* demum eadem prohibitio Leonina ab Ecclesia approbata, & quasi canonizata est: non quidem, ut aliqui volunt, *can. Ea enim*, aut *can. Hoc Jus porrectum*, *10. q. 2.* quia à Gratiano in Decretum relati textus reducendi sunt ad fontes, ex quibus sunt deducti; ac proinde *canones citt.* eam, quâ Justinianæus Codex pollet, hoc est, Imperialis, & non Ecclesiastici Juris obtinent authoritatem, per tradita à Guttierez *Lib. 1. Canon. Q. Q. cap. 21. n. 32.* & Barbosa *in Proœm. Decreti Gratiani n. 10.* sed à Decreto Concilii celebrati apud Sylvanectum, à Gregorio Papa IX. Decretalibus insertô, & relatô, *c. Nulli cit.* atque insuper usu, sive Consuetudine immemoriali Fori Ecclesiastici, memoratam prohibitionẽ Leoninam & *Auth. Hoc Jus cit.* non minùs quàm summorum Pontificum Constitutiones & Decreta Conciliaria observantis, approbatô, Panormit. *in c. Nulli cit. n. 14.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.*

20. Canonicô autem Jure, eorundem immobilium à solennitatibus absoluta alienatio prohibita est *can. 1. can. Quia quis 19. can. Quidquid 34.* ubi à Concilio Agathensi, quidquid Parochiarum Presbyteri de Ecclesiastici Juris possessionibus distraxerint, *pro inani haberi* jubetur, *can. Sine exceptione 50.* quô relatus Leo Papa generaliter, & sine exceptione decernit, *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, &c. 12. q. 2.* Quibus textibus pro immobilium conservatione salubriter decreta, *c. 1. c. Cùm Apostolica 7. c. Tua 8. De iis, quæ à prælat. c. 1. c. Nulli liceat alienare rem Ecclesiæ suæ immobilem, 5. c. Si quis 6. & c. Unico in 6. Clement. Dudum, hac Rubr.* & omnium maximè Constitutione Pauli II. *Extravag. Unic. inter Communes* relatâ, confirmantur ac declarantur: & cum tempore accesserunt imprimis Decretum PP. S. Synodi Tridentinæ *Sess. 22. cap. 11. de Reformat.* deinde Corpore Juris non clausæ variæ *Constitutiones Apostolicæ* Leonis X. quæ incipit *Ad Audientiam, 8. Idus Maji 1517.* Julii III. quæ incipit *Cùm sicut accepimus, 23. Maji 1552.* Pauli IV. quæ incipit *Injunctum, pridie Id. Julii 1556.* Pii V. quæ incipit *Ad Romani, 1592. editæ*, & à Cherubino in Bullar. Romano & Redoano *Tract. cit. ad finem*, Donato *l. cit. q. 2. n. 5.* relatæ. Et denique Urbani VIII. jussu *7. Septemb. 1624. editum*, & earundem rerum temporalium, ad Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes, aliásque Religiosorum domos pertinentium, conservationem pertinens *Decretum* S. Congreg. Cardinal. Interpp. Concilii Tridentini: cujus mentio redibit.

Hujus tam multiplicis & constantis 21.
prohibitionis ratio præcipua fuit, Necessitas & Utilitas Ecclesiarum, aliorúmque locorum Sacrorum & Religiosorum: quibus ad conservandam fabricam & congruam sustentationem & salaria ministris præbenda, ad alendos pauperes, aliásque necessitates sublevandas, omnino expediebat, imò necessarium fuit, conservari bona temporalia immobilia, *can. Si quis objecerit, 1. q. 3.* istorúmque liberam & ab omni Canonica solennitate absolutam distractionem administratoribus prohiberi: sicut sine legali solennitate prohibita tutoribus & curatoribus est alienatio rerum immobilium alicujus minoris, *l. & §. 1. ff. de Reb. eorum, qui sub tutela & l. Non est 2. C. de Prædiis minor.*

quibus non minùs in hac re privilegiatæ ſunt Eccleſiæ, *arg. c. 1. & c. Auditis 3. de in Integ. reſtit.* propter periculum; ne prælatorum, ſæpe ſibi & conſanguineis ſuis plùs æquò ſtudentium, prodigalitate & cæteris alienæ adminiſtrationis vitiis facilè lædantur.

22. Iisdem prælatis Papâ inferioribus interdicta etiam eſt alienatio rerum mobilium Pretioſarum, quæ ſervandô ſervari poſſunt, *Extravag. Unica cit.* & Decretô S. Congregat. antè *cit.* ad Eccleſias, monaſteria &c. pertinentium, ſicut immobilium, ſic etiam pretioſorum mobilium alienationem prohibentibus, & argumentô *l. Lex quæ 22. ff. de Adminiſt. tut.* mobilium pretioſorum alienationem tutoribus prohibentis. Ratio eſt; quias res immobiles & mobiles pretioſæ pari paſſu ambulant: & quoad difficultatem & ſolennitatem alienationis æquiparantur, *l. cit. & l. Sancimus 21. C. de SS. Eccleſ.* Panormit. *in c. Nulli cit. n. 8.* & Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio rer. Eccleſ. n. 24.*

23. Quare, etiam ex juſta cauſa, de rebus ad Eccleſias, monaſteria &c. pertinentibus, ſine Canonica ſolennitate alienari in ſpecie nequeunt Primò oppida, caſtra, pagi, villæ, prædia, fundi & ſimilia bona, quæ habent radicem & *Corporalia* vocantur, *l. Jubemus, c. Nulli, aliſque text. citt.*

24. Secundò uſusfructus, cenſus ſeu redditus & penſiones annuæ, ex re immobili, prædio, fundo &c. provenientes, aliáque ejusmodi jura incorporalia; quia propter ſtabilitatem & firmitatem ſuam rebus immobilibus accenſentur; ac proinde cadunt ſub liberæ alienationis prohibitionem, *per arg. c. Hoc conſultiſſimô 2.* junctâ Gloſſâ *V. Jura, in 6.* & expreſſum textum *Clement. 1. de V. S.* ibi, *Cùmque annui redditus inter immobilia cenſeantur à Jure,* Quaranta *V. cit. n. 26.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. Alleg. 95. n. 44.*

Tertiò, jura & actiones rerum immobilium & mobilium pretioſarum immobilibus æquiparatarum. Idem *n. 46.* & Palao *Tract. 12. diſp. unic. p. 15. §. & n. 1.* cùm etiam iſta immobilibus accenſeantur: & meritò; quia, ut bene Gomez *Tom. 2. Var. cap. & n. 14.* talis judicatur Actio, qualis eſt res, ad quam Actio datur: & propterea, ſi quæratur, an, quando prælatus nomine Eccleſiæ cedit Actione, Canonicæ ſolennitates requirantur, ſpectanda eſt res, ad quam illa datur: & ſiquidem iſta immobilis eſt aut immobili æquivalet, illarum interventu eſt opus; ſi verò mobilis, & non pretioſa ſit, cedi liberè poteſt, ut ex communi &, ſalvem in materia propoſita, recepto DD. ſenſu tradunt Azor *p. 2. Inſtit lib. 9. cap. 1. q. 6.* & Redoanus *Tract. cit. Rubr. 13. n. 15.*

Quartò, vaſa aurea vel argentea, tor- 2
ques, tapetes & ſimilia templorum ornamenta, auro, gemmis &c. intertexta; & cætera magnæ æſtimationis ſupellex, quæ eſt de Theſauro Eccleſiæ, eíque propter materiæ pretium, artem vel antiquitatem, ſingularem conſert ſplendorem; quia ſunt mobilia pretioſa, Lud. Engel *ad hanc Rubr. n. 5.*

Quintò, Beatorum Cœlitum, non ſolùm integra Corpora, ſed aliæ etiam Reliquiæ inſignes, vg. caput, brachium, manus, pes alicujus Sancti, qui in magna apud omnes eſt veneratione; quippe, quæ auro, argentô, gemmisque & omni theſaurô ſunt pretioſiores, teſte S. Chryſoſt. *Homil. 8. de Laudibus S. Pauli,* præſertim, ſi muro incluſæ, aut aliter honorificè reconditæ eſſent; harum enim, uti & particularum inſignibus reliquiis detractarum diſtractionem non facilè permitti, patet ex praxi ſive ſtylo Curiæ Romanæ, eóque receptis clauſulis; & teſtantur

M. Ant.

M. Ant. Genuenſ. *Prax. Curiæ Archiep. cap. 71. n. 6.* & Riccius *Praxi Fori Eccleſ. p. 1. deciſ. 63. n. 5.*

27. Sextò, Bibliotheca ſaltem copioſa, Tamburin. *de Jure Abbat. Tom. 3. diſp. 13. q. 2. n. 8. in fine* & Lezana *Summa QQ. Regul. cap. 10. n. 4.* non ſinguli libri, præſertim deſtinati pro aliis melioribus & utilioribus comparandis: niſi propter antiquitatem, aut aliam ſimilem cauſam, Eccleſiæ vel monaſterio afferrent ſpecialem utilitatem vel ſplendorem; hujusmodi enim libri, tanquam res mobiles pretioſæ alienationi non ſolenni obnoxii non ſunt, Donatus *Tract. cit. q. 50.*

28. Septimò, mancipia Eccleſiaſtica ſive ſervi, ex quibus, à Fidelibus pro ſuorum peccatorum redemptione, donatis aut venditis Eccleſiaſticum patrimonium olim magnam partem ſæpe conſtabat, teſte Gonzalez *in c. Injuſtum 4. de Rer. permut. n. 4.* & propterea, tanquam pretioſa res, alienari prohibiti ſunt, *c. Epiſcopi 4. hâc Rubr. & c. Injuſtum cit. &c.* exceptis ferè tribus caſibus. Primò quidem, ſi ejusmodi ſervi eſſent fugitivi: qui, quòd Eccleſiæ judicarentur inutiles, permutari, vel aliò modò alienari poterant, *can. Fugitivi, 12. q. 2. & c. Injuſtum cit.* Secundò, à prælato, qui Eccleſiæ de rebus ſuis tantundem contulit, vel acquiſivit, manumitti, juxta collatæ rei modum, permittebantur, *can. Injuſtum, can. Si quis qualibet &c. q. cit. can. Si Epiſcopus, 12. q. 5. c. Conſenſus 3. & c. Epiſcopi cit.* Tertiò, ſervi bene meriti, hoc eſt, qui inſigne aliquod ſervitium Eccleſiæ, vel iſtius intuitu prælato præſtiterunt, libertate donari poterant ex conceſſione Concilii Agathenſis *can. Si quos de Servis cit. q. 2.* relati, Gloſſa & Turrecremata *in can. cit. pr.*

Octavò, multò minùs alienari ab Eccleſiarum prælatis, & aliis adminiſtratoribus poterant mancipia ruſtica, ſive ſervi glebæ aut fundo excolendo adſcripti, *c. Nulli 5. & Novell. 7. cap. 1.* quòd hujusmodi mancipium ſive ſervus fundo quodammodo inhærere, imò ejus portio ſive pars quædam eſſe videatur; atque ita inter immobilia connumeretur, *l. Jubemus cit. & l. Si quis inquilinos 112. ff. de Legatis 1.* Panormit. *in c. Nulli cit. n. 2.* Menochius *Retinendæ poſſ. remed. 3. n. 117.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 165. n. 3.* cùm ejusmodi mancipium, licet naturaliter à fundo diſcretum corpus, pars tamen iſtius ſit inſtrumentalis; ideóque terræ, cujus culturæ deſtinatum eſt, quodammodo membrum vocetur, *l. Cùm ſatis 23. C. de Agricol. & cenſib.* & ratione connexionis ſequatur naturam agrorum ac prædiorum, quibus cohæret, ut colligitur ex *l. Longæ 3. ff. de Diverſ. & temp. præſcript.* & eò; quòd Judæi, quantumvis emere & retinere Chriſtiana mancipia, ſive ſervos non poſſint, *can. Fraternitatem 15. diſt. 54. c. Multorum 2. pr. &c. fin. de Judæis*, Adſcriptios tamen & ex eis natos ſive Originarios habere permittantur, *c. Multorum cit. §. Hi verò, ubi* Panormit. *n. 1.* Sylveſter *V. Judæus, q. 2.* & Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 31. n. 31.*

Nonò, integri greges ovium, armenta boum &c. quia propter continuam multiplicationem fætuum, computantur inter res mobiles pretioſas, immobilibus æquiparatas, & ſervandò poſſunt ſervari, *§. Sed & gregis 38. Inſtit. de Rer. diviſ.* licet ſingula animalia diſtrahi liberè poſſint, *citt.* Genuenſ. *cap. 75.* & Riccius *deciſ. 61.* 29.

Decimò, generaliter aliæ res, quæ Eccleſiæ, monaſterio &c. annuos fructus afferre, & ſervandò ſervari, ſive 30.

ultra triennium durare consueverunt, secundùm Glossam *in l. Unic. V. Usucapione C. Si adversus Usucap.* Azor *cap. 1. cit. q. 5.* & Palao *cit. §. 1. n. 2.*

31. Quanti autem valoris, ut pretiosæ censeantur, esse debeant res mobiles, non satis constat; nam *cit.* Palao, ut centum aureorum valorem attingant, requirit: Donatus *Tract. cit. q. 48. n. 2.* triginta: Diana *p. 4. tract. 4. Miscell. resol. 227.* viginti quinque aureis æstimatas, pretiosas & alienari sine solennitate prohibitas censeri: idque à S. Congreg. Cardinal. declaratum refert: etsi valde notandam moneat Opinionem Palai.

Mihi hac in re attendenda videtur praxis & Consuetudo: quæ in una provincia plùs, quàm in alia: & plùs Episcopis, quàm aliis prælatis: & ex his iis, qui S. R. I. Principes aut Status sunt, plùs quàm aliis indulget: & prælatis calicum aliorúmque vasorum aureorum & argenteorum, & aliorum ejusmodi ve-
32. terum, quantumvis notabilis pretii, ornamentorum commutationem pro novis permittit; quòd talis commutatio, cùm non nisi in bonum Ecclesiæ intendi soleat, ferè obnoxia non sit periculo damnificationis, ut advertit *cit.* Engel *n. 5.*

Neque, ut arguit Quaranta *V. cit. n. 24.* obstat; quòd prælati sint quasi Ecclesiæ tutores: quibus mobilium, quæ servandò servari possunt, omnium alienatio est interdicta, *l. Lex quæ cit.* quia, sicut prælatorum munus, utpote perpetuum, tempore: sic etiam potestate amplius est, quàm tutorum, quorum officium tantùm est temporale. Unde etiam, quod tutoribus non ita facilè permittitur, *l. Tutor 13. §. 2. ff. de Administ. tutor.* modicas donationes, etiam gratuitas, de rebus Ecclesiæ facere prælati possunt, *c. Cæterum 3. de Donat. & ibi* DD. Imò ab istis etiam annuloi, torques & vasa argentea atque aurea, vel etiam prædium aliquod, ut bene maritis dentur, pecuniâ aliquando comparari posse, cum Navarro *de Reddit. Ecclesi. monitô 47.* & Laiman *Tract. de Rer. Eccles. alienat. cap. 3. n. 43* docet Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 18.*

Dubium hôc locô est de pecuniis: quam, etiamsi in magna quantitate sit, mobilibus, quæ servandò servari non possunt, accensent, & propterea liberè expendi à rerum Ecclesiasticarum administratoribus posse, censent Sylvester *V. Alienatio, q. 8. n. 7.* Molina *l. cit.* & Riccius *p. 1. cit. decis. 50. n. 3.* quòd inventa sit ad commutationes faciendas, emendúmque: & non detur aut accipiatur, ut conservetur: sed, ut in alios, scilicet usus quotidianos consumatur: & reposita non fructificet, sed maneat otiosa, secundùm *can. Eisicens dist. 88.* & receptam doctrinam S. Thomæ 2. 2. *q. 78. art. 1. ad 6.* & Cajetani *Comment. in 2. 2. pr.*

Verùm, etsi *citt.* Doctoribus, id sentientibus de pecuniis, quæ ex locationum mercedibus, aliisque redditibus, ex fructibus venditis &c. percipiuntur, facilè consentiant: eam tamen, quæ ad prædii, domorum, censuum, aliarumque rerum immobilium aut mobilium pretiosarum emptionem destinata, vel ad futuras Ecclesiæ vel monasterii necessitates in arca reposita est, liberè expendi posse, negant Azor *cit. q. 1.* Quaranta *n. 25.* & alii apud Barbosam *Allegat. cit. n. 40.* quòd hujusmodi pecunia ratione destinationis censenda sit inter immobilia aut mobilia pretiosa, quæ ipsâ debent subrogari.

Sed de hac etiam id non universaliter verum: & cum *citt.* Palao *n. 5.* Donato *q. 52.* & Vasquez *de Reddit. cap. 5*

cap. & §. 2. n. 44. distinguendum, existimo inter pecuniam, quæ ad hunc finem donata, aut à testatore est relicta, vel ex immobili vendita, pro alia ejusmodi, aut mobili pretiosa emenda, comparata, vel monasterio data est; ut ex ejus censibus sustentetur vg. monialis: & inter eam, quæ ad immobilium emptionem simpliciter, sine voto, aut juramento destinata est à prælato vel ejus antecessore: & priorem quidem immobilibus aut mobilibus pretiosis, ac proinde sine Canonica solennitate alienari prohibitis, accensendam: non item posteriorem; quòd huic destinatio illa omnino accidentaria sit, & pecuniæ conditionem mutare non videatur.

35. His *cit.* Barbosa *n. 43.* addit, & à Rota decisum ait, liberè alienari à prælato non posse magnam quantitatem pecuniæ, quæ in Ecclesiæ non tantùm fructu sed Thesauro esset, & ad futuras necessitates, vel conservandum Ecclesiæ patrimonium asservatur.

ARTICULUS III.

De Rebus liberè alienari permissis.

SUMMARIUM.

36. *Tales sunt 1. Res mobiles non-pretiosæ,*
37. *Alienari permissæ Jure utroque,*
38. *Prohibitionem ad immobilia & pretiosa restringente.*
39. *II. Res immobiles exigui valoris:*
40. *Quæ tales sint, variè sentiunt DD.*
41. *In praxi prudentia judicis optimè determinat.*
42. *III. Res Ecclesiæ inutiles & damnosæ.*
43. *IV. Utiles casu maximæ necessitatis.*
44. *V. Res, quæ retineri Jure non possunt.*
45. *VI. Et aliæ tribus casibus:*
46. *Quibus tamen alienanti juramentum, de non alienando præstitum, obstare, aliqui volunt:*
47. *Melius alii negant,*
48. *Et juramenti strictam interpretationem præferunt latæ.*

DEclarata hactenus Regula, de prohibita Rerum Ecclesiasticarum Alienatione, varias & plerásque notatu dignas patitur exceptiones; ab ea enim 36.

Excipiuntur primò, & liberè, hoc est, sine Canonica solennitate, alienari à prælatis possunt res illarum mobiles non-pretiosæ, & quæcunque servandô non possunt servari: cujusmodi ferè sunt frumentum, vinum, oleum, vestes pleræque, & cætera, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore veterascunt, Hostiens. *in Summa de Reb. Eccles. alien. n. 2.* & Panormit. *in c. Nulli 5.* & alii DD. id desumentes ex *ll.* Imperialibus & Sanctionibus Ecclesiasticis, rerum ad Ecclesias, Monasteria, aliáque Pia & Religiosa loca pertinentium alienationem prohibentibus, & exprimentibus solas res immobiles & mobiles pretiosas, *l. Jubemus 14. C. de SS. Eccles. c. Nulli cit.* 37. ibi, *Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, sive agrum &c. Extravag. Ambitiosæ* ibi, *Immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata:* quibus consonat *Decretum* S. Congreg. Cardinal. Concilii Trident. Interpp. *n. 20. in fine* allegatum. Unde non obscurè colligitur, liberè alienari permissa mobilia, quæ pretiosa non sunt; cùm, quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligatur & censeatur permissum, *l. Nec non 28. §. 2. ff. Ex*

ff. Ex quibus cauſ. major. & l. Ab ea parte 5. ff. de Probat.

38. Neque obſtant *c. 1. c. Cùm nos 3. De iis, quæ à prælat. & c. Qui res 2. hîc* quibus rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibetur generaliter, & inter immobiles & mobiles &c. non diſtinguendô. Non, inquam, hi textus obſtant; quia interpretationem recipiunt ab aliis, quorum plerique Eccleſiarum vel monaſteriorum villas, prædia, terras, decimas, poſſeſſiones, ex quibus decimationes & annui reditus proveniunt, mancipia præſertim ruſtica, res ac bona, quæ in feudum & emphyteuſin concedi poſſunt &c. prohibent alienari, *c. Continebatur 2. c. Cùm Apoſtolica 7. de iis, quæ à prælat. c. 1. & c. hâc Rubr.* Imò *l. Jubemus, c. Nulli, Extravag. Ambitioſæ citt.* &c. generaliter quidem, ſed expreſsè vetant alienationem immobilium & mobilium pretioſorum, quæ ſervandô ſervari poſſunt, minimè obſcurô argumentô, mobilia non pretioſa alienari permiſſa; quia expreſſâ & aſſumptâ unâ ſpecie ex oppoſitis, altera cenſetur excluſa, *arg. l. Si inter ff. de Except. rei jud.*

39. Excipiuntur ſecundò res etiam immobiles exigui valoris, quas ex juſta vg. neceſſitatis cauſa, ſine ſolennitatibus alienari à prælatis poſſe, Redoani *de Reb. Eccleſ. non alien. Rubrica 12. n. 5.* Steph. Gratiani *Diſcept. Forenſ. tom. 3. q. 452. à n. 2.* Quarantæ *in Summa Bullar. V. Alienatio rer. Eccleſ. n. 4.* aliorúmque DD. communis eſt ſenſus: & ſuadetur textu *can. Terrulas, 12. q. 2.* terrularum, vineolarum exiguarum, & Eccleſiæ parùm utilium diſtractionem Epiſcopis, *Sine conſilio Fratrum*, hoc eſt, Capituli; ac proinde ſine ſolennitate & *c. Cæterùm 3. de Donat.* Abbatibus permittente donationem rei modicæ: quamvis aliàs eis donatio abſolutè ſit interdicta, *citt. c. 1. & c. Cùm Apoſtolica* § *Aliquis.* Neque parùm id confirmat authoritas S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. à qua *can. Terrulas cit.* ejuſmodi rerum alienationem Epiſcopo, ſine Fratrum, ſive Capituli conſenſu, imò conſilio, permittentis, diſpoſitioni neque Pauli II. *Conſtitutione* ſive *Extravag. cit.* neque memorati Concilii Decreto *Seſſ. 25. cap. 11. de Reformat.* derogatum; ac proinde conſenſum Apoſtolicum ad eam non exigi, die 11. Junii 1596. declaratum, cum *cit.* Quaranta teſtantur Barboſa *de Officio Epiſc. alleg. 95. n. 5.* & Fagnanus *in c. Nulli cit. n. 25.*

Contrà, ad earum etiam alienationem ſolennitates exigi, cum Rebuffo *Compend. alien. rer. Eccleſ. n. 60.* detexit Duarenus *Lib. 2. de SS. Eccleſ. cap. 9.* Movetur primò *can. Sine exceptione, 12. q. 2. & can. 1. Cauſa 17. q. 4.* quorum locorum poſteriori Epiſcopi &c. prædium Eccleſiæ, ſicut magnum, ſic etiam exiguum: utrôque autem de rebus, vel jure Eccleſiæ quicquam alienare prohibentur: ubi dictione *Quicquam* res tam parva, quàm magna comprehendi videtur; *Quicquam* enim idem ſignificat, quod *Aliquid*, Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Omnia, n. 5.* quæ dictio etiam rem modicam, imò minimam comprehendit, ſecundùm Gloſſam *in Clement. Unic. V. Aut earum parte, de Foro compet. & Extravag. Unic. §. fin. V. Etſi quicquam*, 40. *Ne ſede vacante*, Tiraquell. *l. cit.* & Bartol. *in l. Si ſervum 71. §. Prætor 3. ff. de Acquir. hæred. not. 2.* Secundò paritate cum minore: cujus jure gaudet Eccleſia *c. 1. c. & Auditis 3. de integ. reſtit.* & prædium, etiam inutile & ſterile, alienari ſine ſolennitate non poteſt, ſi

teſt, *l. Si fundus 13. pr. ff. de Reb. eorum, qui ſub tutel.* Bartol. *in l. Si quis 2. C. de Agricol. & cenſit. n. 3.* Tertiò; quòd ejusmodi rerum exiguarum ab omni ſolennitate abſoluta alienatio ſatis fundetur *can. Terrulas & c. Caterum citt.* cùm ex his poſterior accipiendus ſit de mobilibus donari, ſi quantitas exigua ſit, permiſſis: quantumvis aliàs rerum donatio prælatis ſit interdicta, *o. Fraternitatem 2. de Donat.* Gonzalez *in c. Ut ſuper 8. hic n. 3. in fine:* priori autem textu, non recentioribus præſcripta, ſed antiquioribus tantùm ſanctionibus Eccleſiaſticis requiſita, & ab eodem *in c. 1. de Iis, quæ à prælat. n. 6.* relata, hoc eſt, duorum vel trium Comprovincialium Epiſcoporum approbationis ſolennitas ſit remiſſa, Duarenus *l. cit.*

Atque iſtius Doctoris & Rebuffi, ſententiam Juris rigore: contrà aliorum DD. communiori ſenſu, S. Congregat. authoritate & prælatorum, exigui valoris & Eccleſiæ parùm utiles res immobiles, paſſim liberè alienantium, praxi ſpectatis, priùs relatam Redoani & ejus ſequacium doctrinam cenſeo præferendam, cui, ut *can. 1. & can. Sine exceptione* in contrarium *citt.* non obſtent, cum Panormit. *in c. Ut ſuper cit. n. 15. & cit.* Redoano *Rubrica 23. n. 17.* dicendum eſt, dictione *Quicquam* & aliis, quæ ejus ſunt ſignificationis, minima, imò etiam modica, extra materiam peccati, regulariter non comprehendi, juxta illud, *De modicis & minimis non curat Prætor, arg. l. Scio 4. ff. de In integ. reſtit.*

40. Sed, inquies, quænam pro modicis & exigui momenti rebus ſunt habendæ? Qua de re magna diſſenſio eſt inter DD. nam Staphylus *de Lit. Gratia n. 1. & 2.* & Palao *Tract. 12. diſp. unica, p. 15. §. 1. n. 2.* pro talibus de Jure habendas exiſtimant, quæ non attingunt valorem aureorum centum, & non ferunt annuum cenſum quinque aureis majorem: idque Curiæ Archiepiſcopalis Salernitanæ praxi ita obſervatum, teſtis eſt Zerola *Prax. Epiſcop. V. Alienatio, §. Ad ſextum.* Fran. Leo *Theſaur. Fori Eccleſ. p. 4. cap. 1. n. 73.* quæ viginti quinque ducatorum auri de Camera valorem non excedunt. Gloſſa *in can. Terrulas cit. V. Exiguas*, tales fortè vocari ait, quæ non valent ultra viginti ſolidos, ſive totidem nummos aureos, juxta diſpoſitionem Concilii Agathenſis, relati *can. Si quos 57.* ibi, *Quod tamen jubemus viginti ſolidorum numerum & modum in terrula, vel vineola, vel hoſpitiolo tenere, q. cit.* Quam Gloſſæ ſententiam, cùm in Curia etiam Romana, quæ cæterarum Mater & Magiſtra eſt, uſu recepta ſit, in omnibus aliis obſervandam, docent Corradus *Prax. Diſpenſ. Apoſtol. lib. 9. cap. 1. n. 45.* & Donatus *Prax. Regul. Tom. 1. p. 2. Tract. 14. q. 37. n. 3.*

Sed præ iſtis placet doctrina Quarantæ *V. Alienatio, n. 41.* Riccii *Prax. Epiſcop. deciſ. 39. n. 8.* Barboſæ *de Offic. Epiſc. alleg. 95. n. 51.* & aliorum, quæ res modica & exigua ſit, relinquentium prudentiæ & arbitrio judicis, ex ratione; quòd *can. Terrulas cit.* & alibi, quæ talis ſit, non definiatur, ut non obſcurè inſinuat Gloſſa *cit.* eas, quæ viginti ſolidos non excedunt, exiguas dicens dictionè *Fortè*, ſignificante dubitationem; ac proinde rem non determinante, ſecundùm Gloſſam *in l. Si duo 34. V. Fortaſſe, ff. de Recept. arbitr. & in l. In ſubſtitutione 31. V. Fortè ff. de Vulgari & pupill. ſubſtitut.* ea autem, quæ lege definita non reperiuntur, arbitrio Judicis relinquantur, *l. 1. §. fin. ff. de Jure delib.* Decius *in c. Sedes 15. de Reſcript. n. 2.* 41.

Neque, ut Donatus existimat, *can. Si quos cit.* hac in re aliquid est definitum; quia eò agitur de manumissione servi benemeriti: cui ultra viginti solidos in pecunia numerata, vel terrulam hos valore non superantem, non dandum, à memorato Concilio statutum, satis patet ex textu, & *ibi* notat Turrecremata *n. 1.*

Neque aliud suadet praxis Curiæ Romanæ; quantumvis enim ad hanc, pro licentia alienandi res, viginti solidorum valorem non excedentes, frequenter recurratur à prælatis territorii Pontificii & provinciarum vicinarũ: ad eam tamen, pro non majoris æstimationis rebus alienandis, recurri ordinariè non solet ex remotioribus, & Septentrionalibus provinciis: in quibus proinde, quæ res modica sit, relinquendum est arbitrio judicis, facultates Ecclesiæ, locorum, temporúmque circumstantias & consuetudinem ponderantis ita; ut alicubi, quæ viginti, alibi quæ triginta vel quinquaginta, alibi quæ centum aureis æstimatur, modica & exigua censeri possit, Barbosa *cit. n. 51.* & Riccius *cit. n. 8. in fine.*

42. Excipiuntur tertiò res Ecclesiæ inutiles & multò magis damnosæ, ut sunt servi fugitivi, *can. Fugitivi, 12. q. 2. & c. Injustum 4. de Rer permut.* domus intra urbes, quæ magnos & sæpe majores sumptus exigunt, quàm afferant fructus, *can. Non liceat, q. cit.* uti etiam aliæ res immobiles, & possessiones Ecclesiæ minùs utiles, quæ pro aliis utilioribus comparandis alienari vel permutari cum consilio & consensu Capituli à prælatis possunt, non obstante juramentô de consensu Apostolico in alienationibus requirendo, *c. Ut super 8. V. Possessiones, hâc Rubr.* quòd talibus casibus extra omne dubium sit, rem Ecclesiæ fieri meliorem, Barbosa *in §. cit. n. 6.* & ante eum Panormit. *n. 15.* ubi §. *cit.* dispositionem, de immobilibus non magni valoris, ait, exaudiendam.

Excipiuntur quartò casus maximæ necessitatis, urgentis & exigentis tam celeritatem; ut summi Pontificis, vel alterius superioris consensus requiri & expectari, sine gravi Ecclesiæ præjudicio vel damno, non possit, Panormit. *in c. fin. de Eccles. ædif. n. 8.* & Quaranta *V. cit. n. 42.* quia necessitas, præsertim maxima, recessum à Jure frequenter permittit, & facit licitum, quod aliàs de Jure licitum non est, *c. Quantò 4. de Consuet. & Reg. Quod non 4. de R. I.*

Excipiuntur quintò bona, quæ a Ecclesia vel Monasterio non possunt retineri, vg. immobilia aut mobilia pretiosa FF. Minoribus & Capucinis S. Francisci sub modo licitò legata; hæc enim sine Canonicis solennitatibus distrahi; eorúmque pretium in fabricæ, aliásque Fratrum necessitates, & usus converti posse, *cit.* Quarantæ *n. 41. V. Sexti*, Riccii *decis. 56. n. 1.* Barbosæ *Alleg. cit. n. 59.* & Fagnani *in c. Nulli cit. n. 2* doctrina, & ratio est; quia ejusmodi rerum alienatio est necessaria, necessitate ortâ ex statu sive Regula, *c. Exiit 3. Ad hæc, quia Fratribus ipsis, de V. S. in 6.* & propterea Ecclesiis vel Monasteriis non sunt incorporata, *Clement. Exiv 1. eâdem Rubr.* ad cujusmodi bonorum distractionem solennitates non exigi, *Tit. 17. art. 4.* statuetur.

Excipiuntur Sextò tres casus alienationis, sine consensu Apostolico permissæ, *Extravag. Ambitiosæ cit. infra n. 100.* referendi: de quibus & aliis hactenus relatis Alienationibus

Dubium controversúmque est, an licitæ etiam sint prælato, ad Ecclesiæ vel Monasterii aut Mensæ suæ bona, inconsultô Papâ, non alienanda obstricto propria

propriô Juramentô. Hoc certè ad illas extendi; ac proinde eas hujusmodi prælato sine prædicto consensu illicitas, defendit Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 1. q. 9.* & non obscurè sentiunt Navarrus *de Alienat. rer. Eccles. n. 14.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 468. n. 8.* eâ moti ratione; quòd juramentum illud ad relatas alienationes extendi possit ex voluntate prælati jurantis; ut ita consultiùs, cautiúsque, & cum minori Ecclesiæ lædendæ periculo suscipiantur: &, si ad solas alienationes, absque Canonica solennitate prohibitas, non etiam ad alias sine ista Jure antiquô permissas extenderetur, non appareat, quem habeat effectum aut utilitatem. Accedit; quòd juramentum latam interpretationem admittere & exigere videatur; ut ejus obligatio extendatur ad omnia, quæ verba, in amplo & proprio sensu accepta, comprehendunt, *arg. c. Veritatis 14. de Jurejurando*: ex cujus dispositione juramentum Fidelitatis, prælato præstitum, extenditur ad istius successores: quæ lata interpretatio est, & in juramento locum habet, hôc ipsô; quòd pertineat ad favorem Religionis, pro qua, sicut faciens ratio summa, *l. Sunt personæ 41. ff. de Religios. & sumpt. fun.* sic aliis præferenda est interpretatio ampla; ut jurans à perjurii periculo magis removeatur, ut nonnulli exigunt apud Suarez *de Juramento Lib. 2. cap. 32. n. 8.* Ita Azor & ejus sequaces.

47. Sed meliùs, dictas alienationes etiam hujusmodi prælato, inconsultô Papâ, ferè permissas, cum *cit.* Redoano *Rubrica 33. casu 1. n. 10.* tradunt Riccius *decis. 39. n. 1.* & Donatus *Tract. cit. q. 36. n. 3.* Ratio est; quòd secundùm Panormit. *in c. fin. n. 3.* & ipsum Azor *cit. cap. 1. q. 17.* juramentum de non alienando simpliciter præstitum, de Jure illicitâ & non permissâ alienatione sit accipiendum: & secundùm ipsum, qui ad residentiam in Ecclesia sua juramentô se adstringit, nihilominus ex necessitatis, utilitatis vel alia Jure approbata causa ad tempus possit abesse; quia juramentum præstitum in materia Juris, ad istius terminos est restringendum, & secundùm Juris dispositionem intelligendum, ut colligitur ex *c. Ad nostram 21. & c. Clericus 35. de Jurejurando*: cujus ratio ulterior est; quòd jurans, qui aliud non expressit, Juris dispositioni se conformâsse præsumatur, Alciatus *de Præsumpt. Reg. 4. præs. 32.*

Quare juramentum de non alienando sine consensu Apostolico, de casibus, quibus ejusmodi consensus à Jure exigitur, intelligendum erit, in contrarium allatâ ratione non obstante; partim quia, etiamsi ad illos casus non extendatur, effectu & utilitate non caret; cùm prælatum ad alienationem Juri conformandam reddat firmiorem, & remotiorem à periculo damni Ecclesiæ suæ inferendi: partim verò; quia, licet ad relatos & Jure permissos casus extendi intentione jurantis possit, in dubio tamen extensum non præsumitur; cùm strictè, & in dubio 48.
in partem mitiorem & juranti favorabilem sit interpretandum, ut cum Archidiacono *in can. Ne quis, 22. q. 2.* Panormit. *in c. Clericus cit. n. 2. & c. Ut super 8. hic n. 15.* Sylvestro *V. Juramentum 3. q. 3.* & cæteris alicujus nominis Interpp. ac DD. plerisque docent *cit.* Suarez *n. 2.* Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 17. n. 20.* & Laiman *Lib. 4. Tract. 3. cap. 9. n. 1.* id desumentes ex rescripto Gregorii IX. Clericum, vi juramenti de servandis Ecclesiæ suæ statutis præstiti, ad observanda, quæ postea primùm edita sunt, obligatum, & istorum transgressione juramenti violati reum, negan-

tis *c. Clericus cit. & c. 1. eádem Rubr. in 6.* Ratio est; quòd, cùm homo à natura præditus sit libertate, eum ad aliquid determinatè faciendum vel omittendum adstringi, odiosum sit & grave: & propterea, ubi de Obligatione agitur, stricta interpretatio præferenda sit; ut de Obligatione promissionis & stipulationis ex *l. Quidquid 99. pr. ff. de V. O.* de juramento autem partim ex *c. Ad nostram 21. cit.* ibi, *Nos juramentum tuum benignè interpretari volentes*, partim ex *c. 15. Odia*, generali Regula *in 6.* constat.

Neque aliud postulat favor Religionis, considerandus in juramento; quia hic solummodo exigit; ut factum conformetur dicto, quod juramentò est confirmatum: non etiam; ut istius verba accipiantur latè, eóque inducta Obligatio ad plura &, quàm potest, multa extendatur; cùm juramenti, quò interpretatio benignior est, eò facilior & expeditior sit observantia & remotius periculum perjurii: quòd solùm Religio, & in testimonium invocati Numinis reverentia exposcit, ut cum *cit.* Suarez *n. 9.* advertit Pirrhing *ad Rubric. de Jurejurando, n. 102.*

Neque obstat textus *c. Veritatis cit.* quia eò non fit extensio ultra proprium verborum sensum; cùm enim ex una, juramentum Fidelitatis præstitum Prælato non sit sub nomine proprio, & quatenus est determinata hæc persona: sed sub nomine appellativo, & quatenus præditus est tali dignitate: ex altera verò parte cum persona dignitas non extinguatur, sed eâ mortuâ permaneat, & transeat ad illius successorem, *c. Quoniam 14. de Offic. delegat.* mirum non est; quòd vi juramenti Fidelitas debeatur etiam successori, quantumvis istius expressa mentio in illius formula facta non sit, Covarruv. *in c. Quamvis 2. de Pactis in 6. p. 1. §. & n. 5. V. Tertiò* & aliis relatis *in c. Veritatis cit.* Barbosa *n. 5.* & Gonzalez *n. 4.*

ARTICULUS IV.

De Causa necessaria ad rerum Immobilium & Pretiosarum Alienationem.

SUMMARIUM.

49. *Immobilia alienandi causa quadruplex est.*
50. *Prima Necessitatis Ecclesiæ.*
51. *Secunda Utilitatis ejusdem.*
52. *Alienationem non damnosam esse, sufficere vult Glossa:*
53. *Melius negant cæteri DD.*
54. *Majorem Ecclesia utilitatem exigentes.*
55. *Explicatio majoris utilitatis:*
56. *Quæ debet esse evidens aut probata.*
57. *Tertia alienandi causa est Pietas,*
58. *Variis modiis exercenda.*
59. *Quarta, Incommoditas rei alienatæ.*
60. *Utilitas includit causam Remunerationis,*
61. *Et, latiùs accepta, cæteras omnes.*
62. *Sine justa causa facta alienatio invalida est:*
63. *Non tamen ob solam prohibitionem Juris,*
64. *Multa prohibentia, qua facta tenent.*
65. *Ecclesia in solo pretio læsa restituitur adversus alienationem:*
66. *Cujus valor exigit causam veram, non tantùm existimatam.*

Rei &

49. REs etiam immobiles & pretiosæ, ad Ecclesias, Monasteria, aliáque similia loca pertinentes, licet omnino liberâ distractione in alios transferri prohibeantur, justâ tamen causâ exigente vel suadente, & adhibitâ solennitate à SS. Canonibus præscriptâ, alienari in ipsos etiam laicos permittuntur.

50. Causæ legitimæ, ex quibus ejusmodi res alienari permittuntur, à RR. plerísque cum Glossa *in Summam, 12. q. 2.* Panormit. *in c. Nulli 5. hîc n. 5.* Redoano *de Reb. Eccles. non alien. Rubric. 18. à n. 1.* Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 17. n. 2.* & Nicol. Everardo JCT.o & in Electorali nostra Universitate SS. Canonum celeberrimo & Primario Professore *Vol. 2. Consil. 19. num. 58.* referri solent quatuor: quarum

Prima est urgens Necessitas Ecclesiæ; quòd hæc ære alienô, quô gravatur, liberari, nisi aliquâ ejusmodi re distractâ, vel creditori in solutionem datâ, non possit, *Auth. & can. Hoc jus porrectum*, ibi, *Si debitum urget, C. de SS. Eccles. & 10. q. 2. can. habenti & can. Placuit, 12. q. 2. cit.* aut ei immineat ruina, vel damnum aliter inevitabile; vel patiatur defectum sacræ suppellectilis, necessariæ ad rem Divinam ritè decentérque obeundam: ad quam parandam & ministros alendos fructus & proventus non sunt sufficientes, Sylvester *V. Alienatio, q. 2.* Redoanus *l. cit. n. 14.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regular. p. 2. tract. 14. q. 9. n. 2.* Ratio est; quia necessitas non subjacet legi, *c. Consilium 2. in fine, de Observatione jejun.* imò ea ipsius vis est; ut non modò leges vincat, *l. Aliquando 5. ff. de Offic. Proconsul. & l. 1. C. de Oper. libert.* sed canones etiam sibi subjicere soleat, *c. cit. & c. Licet 3. de Feriis*, & faciat licitum, quod de Jure aliàs licitum non est, *l. 1. C. de Patrib. qui fil. distr. & Reg. Quod non est 4. de R. J.*

Secunda est ejusdem evidens Utilitas, *can. Sine exceptione* ibi, *Quod non sit dubium, Ecclesiæ profuturum, 12. q. 2. c. 1. in 6. & Clement. 1. de Reb. Eccles. alien.* junctâ Glossâ *V. Necessitas aut Utilitas*, ubi has æquiparari, earúmque alteram ad legitimam alienationem sufficere, advertit. Nec immeritò etiam Utilitas; cùm enim ob Ecclesiæ damnificationem potissimùm Jure prohibita sit rerum Ecclesiasticarum alienatio, hanc permissam esse oportuit ob causam evidentis ipsius utilitatis; ne, quod in Ecclesiæ favorem & utilitatem salubriter est introductum, in ejus odium & incommodum retorqueretur, contra *l. Nulla Juris ratio 25. ff. l. Quod favore 6. C. de LL. & Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* Sed hinc 51.

Dubium oritur, an, ut alienatio reputetur Ecclesiæ utilis, exigatur, ut fiat locupletior, sive ejus causa melior evadat, re immobili distractâ, quàm eâ retentâ. Hoc non exigi, sed sufficere, quòd illa Ecclesiæ non sit damnosa, existimat Glossa *in can. Sine exceptione cit. V. Profuturum*, ubi *Eô ipsô*, inquit, *quòd non est facta pauperior, intelligitur locupletior, l. In pupillo 47. §. 1. ff. de Solut.* Idem suadere videtur Jus & ratio. Illud *Auth. & can. Hoc Jus citt.* ubi rei Ecclesiæ immobilis alienatio sustinetur, *Si nihil factum sit ad damnum Divinæ domûs.* Ista verò, sive ratio; quia ex una, Justitia Commutativa exigit, ut in contractibus observetur æqualitas: &, quod datur, valore & æstimatione adæquetur ei, quod est receptum; ideo enim non Rationis, ut Virtutes aliæ, sed Rei medium respicere, dicitur à S. Thoma *2. 2. q. 61. art. 2.* ex altera verò parte, æqualitas desideratur in alienatione, quâ Ecclesia locupletior evadit; ut enim quis locupletior dicatur, 52.

bonis sive rebus ipsius aliquod incrementum accessisse debet, & cum ipso contrahentis rebus decessisse.

53. Verùm, his non obstantibus, alienationem ex eo duntaxat; quòd damnosa non sit, Ecclesiæ utilem & permissam non censeri, cum Bellamera, *in can. cit. n. 1.* Geminiano *ibid. n. 2.* & Redoano *Rubr. 19. n. 15.* rectè docent Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 3. cap. 30. n. 13.* & aliis DD. atque etiam Rotæ *Decis. allegat.* Donatus *cit. q. 9. n. 8. & 11.* propter satis claros textus utriusque Juris: Imperialis quidem *Novell. 120. cap. 9. V. Hoc autem*, ibi, *ut ex*
54. *earum*, venditarum Ecclesiæ domorum, *pretio reditus meliores emat*: Ecclesiastici verò, *can. Sine exceptione cit.* cujus textu relatum Leonis Papæ Decretum est, *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat.* Cui consonant *c. Cùm Apostolica 7. V. Ne quis, c. Tua 8. de his, quæ à prælat. & c. Ad aures 7. hâc Rubr.* ibi, *Ad majorem Ecclesiæ utilitatem.* Quæ fortassis etiam ratio est, cur Episcopus, qui juris Ecclesiastici mancipium, non retentô Ecclesiæ patrociniô, manumitti desideravit, Ecclesiæ duplum, scilicet duos ejusdem meriti & peculii servos, præstare quondam debuerit, ex Decreto Concilii Tolet. IV. *can. Episcopus cit. q. 2.* relatô.

Neque contrarium persuadendi vim habet *Auth. & can. Hoc jus citt.* partim; quia constitutio illa Civilis interpretationem recipit à *citt.* sanctionibus Canonicis & ejusdem Juris *Novell. cit.* alienationem permittentibus ex causa Utilitatis, non cujuscunque, sed Majoris: partim verò; quia *Auth. & can. citt.* agitur de Ecclesiæ domo alienanda ex causa non Utilitatis, sed Necessitatis, scilicet urgentis debiti, quod ex solis mobilibus solvi non valebat. Quæ causa ad alienationem sola hôc ipsô sufficit; quòd Necessitatis & evidentis Utilitatis causæ æquiparentur, & illarum alteram duntaxat intervenire, non utramque conjungi, sit necesse, *Clement. 1.* ibi, *Nisi Necessitas aut Utilitas exposcat, de Reb. Eccles. alien.* ubi Glossa *V. Necessitas* & Redoanus *Rub. cit. n. 24.*

Multò minùs urget ratio; quia à 55
Justitia Commutativa intenta æqualitas in contractu etiam sic observari: & immobilia mobiliáque pretiosa justô pretiô, sicut emi, sic & vendi alióve modô alienari possunt; ut alienatio Ecclesiæ non solùm nihil damni, sed multùm, imò plus emolumenti afferat & utilitatis; sic enim justissima simul & utilissima alienatio foret, si vg. prædium, ager, vinea &c. distraheretur; ut alia ejusmodi res immobilis melior, & plus utilitatis allatura, vel ab Ecclesia non procul dissita, aut aliis ejus prædiis aut fundis adsita, & propterea minori labore, incommodo, & sumptibus excolenda comparetur: vel, si antiqui & non conspicui operis calix, hierotheca, lampas, vel aliud hujusmodi pretiosum mobile venderetur; ut ejus pretium in alia ejusmodi rei Divinæ decenter peragendæ aptiora, vel splendidiora vasa, vel ornamenta impendatur, Donatus *l. cit.*

Porro, ut Utilitas alienationis causa sufficiens sit, evidenter debet apparere, & ex conjecturis prudentum judicio indubitatis, manifesta esse; istud enim importare videntur vox *Evidens*, quâ Innocentius IV. usus est *c. cit.* & rescripta Apostolica, quæ super rerum Ecclesiasticarum alienationibus & concessionibus emanant: &, cùm de alienatione ob causam utilitatis facienda agitur, hâc munita esse solent clausulâ: *Si in evidentem utilitatem Ecclesiæ cesserit, vel cedet, vel*

cessurum

cessuram esse, legitimè constiterit, venditionem, locationem, permutationem &c. ut ostendit Redoanus *Rubr. cit. à n. 90.* & latè declarat Corradus *Prax. Dispens. Apost. lib. 9. à cap. 2.*

Constare autem debet de ejusmodi utilitate pro statu præsente, sive tempore alienationis, & in hanc præstiti consensus, ut Barbosa *cap. cit. n. 17.* & *legitimè*, hoc est, non per solam alienantium assertionem, aut evidentis utilitatis mentionem factam in instrumento contractûs alienationis, *c. 1. cit. in 6.* sed per testes aliásque legitimas probationes, ut Corradus *cit. Lib. 9. cap. 5. à n. 49.* Donatus *q. cit. n. 9.* & ante utrumque laudatus maximi in Germania præsertim nostra nominis JCT.9 *cit. Consil. 19. n. 55.* observant.

57. Tertia est Pietas, ob quam ad rei Ecclesiasticæ, aliàs prohibitam alienationem quatuor potissimùm casibus deveniri posse, cum *cit.* Glossa *in Summam & can. Aurum, V. In his* tradit Redoanus *Rubr. 20. n. 7.* & Primò quidem pro redemptione captivorum: non etiam facilè malefactorum, patrata crimina carceribus & vinculis luentium, aut ad triremes damnatorum; quia istorum punitio justa & conveniens est Reipublicæ, cujus interest delicta non remanere impunita, *c. Ut famæ 35. de Sent. excom. & l. Ita vulneratus 51. §. Ejusdem, ff. ad L. Aquil. cit.* Covarruvias *cap. 16. n. 9.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 468. n. 2.* & alii: sed

58. Fidelium, à Turcis aliisque Paganis, aut Hæreticis, in captivitate, aut à Catholico etiam dynasta carcere injustè detentorum, quibus mors, aut grande corporis & multò magis animæ, periculum timetur; pro horum enim redemptione non solùm res merè temporales, sed vasa etiam Sacra, aliæque res spiritualibus antecedenter annexæ oppignorari, & aliquando distrahi utrôque Jure permittuntur, *§. Sacræ 8. Instit. de Rerum divis. l. Sancimus 21. C. de SS. Eccles. Novell. 120. cap. 10. can. Sacrorum, can. Sicut & can. Aurum, q. cit.* Secundò, pro necessitatibus pauperum; ne frigore aut fame pereant, *l. Sancimus cit.* ubi Imp. *Non est*, inquit, *absurdum, animas hominum quibuscunque vasis præferri*; cùm, ut ait S. Ambrosius *can. Aurum cit.* relatus, *Melius sit, ut serventur vasa viventium, quàm metallorum.* Tertiò, pro ædificando templo. Quartò, pro cæmiterii spatiis laxandis ad Fidelium sepulturam, *can. Aurum cit.* junctâ Glossâ *V. In his*, quibus Donatus *q. cit. n. 13.* addit causam defendendæ adversus Paganos & Hæreticos Ecclesiæ, aut propagandæ Fidei Christianæ, *arg. can. Si Episcopus &c. q. cit.* à Bonacina *de Contract. disp. 2. q. unic. p. 3. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 25.* approbatam, & Beatissimæ atque immortalis memoriæ INNOCENTII XI. P.M. in Sacrum, sive adversus Turcas, susceptum bellum, thesauros Ecclesiæ liberalissimè profundentis exemplô, luculentissimè confirmatam.

59. Quarta Ecclesiasticæ alienationis, & secundô locô relatæ Utilitati affinis causa est incommoditas, sive inutilitas rei vg. domûs, vineæ, agri; quòd illius fabrica magnis impensis constet, & isti ab Ecclesiæ prædiis aut aliis fundis sint remoti, & non sine magno incommodo & sumptibus excoli, fructúsque colligi possint, vel ob soli infœcunditatem aut exiguitatem parùm utilitatis afferant, aut Ecclesiæ sint damnosi, *can. Hoc jus cit. §. Item prædium, can. Non liceat*, ibi, *Nisi domos, quæ non modicâ impensâ sustentantur, can. Sine exceptione & can. Terrulas* ibi, *Ecclesiæ minùs utiles & longè positas, 12. q. 2. cit.* Ratio clara est; quia ejusmodi rerum alienatio redundat in evidentem

Ecclesiæ

Ecclesiæ utilitatem, Molina *l. cit.* & Pirrhing *n. 25. cit. in fine* ad quam propterea, uti etiam proximè declarata Pietatis, ad Necessitatis causam potest, & ab aliquibus solet revocari.

60. Hactenus relatis casibus, sive Canonicæ alienationis causis suprà laudatus Everardus *n. 52.* superaddit quintam, scilicet Remunerationem beneficiorum & meritorum, sive obligationem ad antidora, expressam, *can. Si quos, can. Quicunque suffragio, 12. q. 2. c Consensus 3. hîc & c. Per tuas 5. de Donat.* Sed, ut ipse probè advertit, ista reducenda est ad causam Utilitatis; cùm benemeritorum remuneratione ad liberalitatem in Ecclesiam exercendam alii invitentur: imò Necessitatis; cùm ita effugiat notam ingratitudinis in benefactores: quos ut remuneremur, quodammodo urget obligatio Naturalis, *can. Quicunque cit. & l. Sed si lege 25. §. 11. ff. de Petit. haredit.*

Neque, ut videri potest, relato & à
61. DD. passim recepto legitimarum immobilia, & pretiosa mobilia alienandi causarum, sive casuum quaternario adversatur *Clement. 1.* duas duntaxat, scilicet Necessitatis & Utilitatis causas referens: aut etiam Glossa *in c. Nulli cit.* non nisi pro Utilitate Ecclesiæ vel Monasterii immobilium alienationem permittens; cùm unica Utilitatis saltem latiùs acceptæ cæteras causas omnes complectatur; etsi enim strictè id solùm, quod rem Ecclesiæ meliorem facit; in larga tamen significatione etiam, quod honestum piúmque aut necessarium est, vel Ecclesiæ damnum aut incommoditatem tollit, Utile vocatur, & à Jure reputatur, ut idem JCT.us perquàm eruditè ostendit *cit. Consil. n. 57.*

62. Dubium nunc & controversia inter DD. est de alienationis rei Ecclesiæ immobilis vel mobilis pretiosæ, sine ulla ejusmodi causa, cum debitis tamen solennitatibus celebratæ, valore. Eam enim licet illicita sit, Jure tamen subsistere, cum Glossa *in can. Sine exceptione, V. Prosaturum, 12. q. 2.* volunt Hostiensis *in Summa hîc §. 3. in fine*, & Joan. de Lignano apud Panormit. *in c. 1. de in Integ. restit. n. 17.* eâ præcipuè moti ratione; quòd ex unâ Ecclesia, cùm ejusmodi alienatione læditur, in integrum sive eum statum, in quo antè contractum fuit, restituatur *c. 1. cit. & c. Auditis 3. eâdem Rubr.* ex altera verò parte, cùm contractus nullus est, ejusmodi restitutioni locus non sit, *l. In causa 16. pr. & §. Et generaliter 3. ff. de Minoribus* &c. cùm enim tali casu Ecclesia habeat remedium Nullitatis Ordinarium, locus non est Extraordinario Restitutionis, secundùm Regulam ab omnibus receptam, & omnino indubitatam, testibus Sfortia Oddo *De Restit. in integ. p. 1. q. 17. n. 13.* & Rolando à Valle *Lib. 1. Consil. 59. n. 1.*

Sed meliùs, eam pro irrita nullaque, cum *cit.* Panormit. habent Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 17. n. 2* Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 21. n. 31.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 408. n. 15. &* Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 1. q. 1.* propter textum *cit. c. 1. in 6.* ubi Innocentius IV. alienationem non solennem invalidam pronuntiat, ex ratione; quòd evidens Necessitas, quare fieri deberet, vel Utilitas non subesset. Ei consonant Clemens V. rei Ecclesiæ immobilis locationes ad vitam &c. *Nisi Necessitas aut Utilitas Monasterii exposcat, c. Ad Monasterium 1.* & Paulus II. nullius omnino roboris & momenti esse decernens super ejusmodi rebus initos contractus, præterquam in casibus Jure permissis, *Extravag. Ambitiosæ* hîc.

Pro ratione Nullitatis ejusmodi a- 63
lienationis *citt.* Redoanus & Azor cum Panor-

Panormit, *in c. Nulli cit n. 7.* reddunt ipsam Juris prohibitionem: ex qua actûs contra eam gesti nullitatem generaliter argui volunt; quòd Imperiali constitutione, *l. Non dubium 5. C. de LL.* & Canonicâ *Regulâ 64. in 6.* apertè sancitum sit, *Ut ea, quæ contra leges & SS. Canones fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*, textus est *can. Imperiali, 25. q. 2.*

64. Verùm hæc ratio speciem majorem, quàm vim habet; cùm enim *Prohibere & Irritare* diversa sint, ex simplici actûs prohibitione ejus contra prohibitionem gesti nullitas legitimè non infertur; quia *Multa prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Non minùs clarus & Regularis textus est *c. Ad Apostolicam 16. de Regular.* cui similia habentur *c. Ex literis 2. in fine, de Matrim. contra interdict. & c. Unicô de Voto in 6.* sic enim Matrimonia Clandestina Ecclesia non tantùm prohibuit, sed semper detestata est, teste Tridentino *Sess. 24. cap. 1. de Ref. matrim.* & tamen, ante hoc ejus decretum, clam inita conjugia irrita non fuerunt. Sic eadem Voto simplici obstrictis illicita, & tamen Voti Religione, aut ex alio impediento solùm impediente ortâ obligatione iusuper habitâ, contracta subsistunt, *c. Ex literis, c Unic. citt. & c. Rursus 6. Qui Clerici & vovent.* Sic res uni promissa aut vendita contra legis prohibitionem donari, & vendita tradi alteri validè potest, Suarez *de LL. Lib. 4. cap. 30.* Molina *Tract. cit. disp. 88.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 2 n. 10.* textus, in contrarium allegatos, de lege sive Jure actui formam præscribente, aut decreto clausulâ seu verbis irritantibus munitô, ac proinde intra simplicis prohibitionis terminos non manente explicantes: & monentes, ea, quæ contra Jus fiunt, pro infectis sæpe ideò tantùm habenda; quòd careant robore firmitatis, & ope Exceptionis, vel per sententiam judicis elidantur, aut rescindantur, juxta *can Vides 10. dist. 10.* ibi, *Quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.*

Sed, ut ad propositam alienationem 65.
redeamus, ejus nullitas non rectè impugnatur *ex c. 1. & c. Auditis citt.* quia in integrum restitutionem, non casu omnis justæ causæ deficientis: sed quô, illâ ex justa causa factâ, notabilis læsio accidit in pretio, Ecclesiæ competere, cum *citt.* Covarruvia & Molina advertit Gonzalez *in c. 1. cit. n 14.* tum enim contractum de Jure subsistere, patet *arg. c. Cùm dilecti 3. & c. Cùm causa 6. de Empt. & Vendit.* Canisius *in c. 1. cit. n. 3.* & *ibi* Gonzalez *n. 14.*

Eidem restitutioni in alienatione, ex 66.
causa legitima tantùm existimata & Juris solennitatibus observatis, factâ locum esse, cum *cit.* Covarruvia *n. 2.* & Molina *n. 15.* volunt Bonacina *de Contract. disp. 3. q. 8. p. 4. n. 6.* & Pirrhing *l. cit. n. 35. in fine*; quòd credibile non sit, alienationes bonâ fide, & modô à Jure præscriptô factas, ab Ecclesia irritatas. Quæ sententia, etsi valde probabilis, æqua, & in praxi tuta sit: & præterea, cum Jure præscriptæ solennitates sive alienationis forma observata est, legitimam causam non defuisse, præsumatur: casu tamen, quô causam legitimam tantùm existimatam fuisse constat, alienationem, spectatô Juris rigore, pro nulla satis probabiliter habent Navarrus *de Alienat. rer. Eccles. n. 9.* & Palao *Tract. 11. disp. unica p. 15. §. 6. n. 2.* quòd absque legitima causa facta alienatio, cujusmodi ea, de qua agimus, revera est, à SS. Canonibus irrita absolutè pronuntietur.

(o)

ARTICULUS V.

De Alienationis Forma, sive Solennitatibus.

SUMMARIUM.

67. *Tales sunt Tractatus, Consensus & Subscriptio Capituli,*
68. *Et Consensus superioris,*
69. *Alienandi conferentia potestatem,*
70. *Vel potiùs contractum approbantis:*
71. *Quales sunt Episcopus, sede vacante, Capitulum,*
72. *Et istius (non etiam Episcopi) Vicarius generalis.*
73. *Non exigitur consensus Episcopi loci, in quo res:*
74. *Sed ejus, in quo sita est Ecclesia alienans.*
75. *Episcopo alienanti neque Archiepiscopi,*
76. *Neque Comprovincialium Episcoporum consensus necessarius est.*
77. *Exempti alienant cum consensu Papæ:*
78. *Nisi alicui Generali subsint.*
79. *Generalis cum consensu Papæ, seclusis privilegiis:*
80. *Quibus tamen hodie est derogatum.*
81. *Consensus Patroni requirendus est ex honestate:*
82. *Non ex necessitate,*
83. *Saltem, si ille sit laicus:*
84. *Cujus etiam consensus tribus casibus necessarius est.*
85. *Solennitatibus destitutam alienationem aliqui irritandam:*
86. *Melius alii irritam pronuntiant ipsô Jure,*
87. *Illas præscribente etiam, cùm alienatio utilis est:*
88. *Convalescit tamen alienatio solennitate superveniente,*
89. *Etiam ex intervallo,*
90. *Perinde, ac si solennitas ab initio intervenisset.*
91. *Valet in foro animæ alienatio carens solennitate:*
92. *Quam interveniisse in dubio non præsumitur:*
93. *Nisi super alienatione confectum instrumentum publicum,*
94. *Vel in illa intervenerit decretum judicis,*
95. *Vel diu non sit impugnata.*

AD eandem rerum Ecclesiæ immobilium & pretiosarum alienationem quatuor Solennitates Jure communi antiquô exiguntur.

Prima est Tractatus Capitularis vel Conventualis de necessitate vel utilitate alienationis ejusmodi rei, requisitus *can. Sine exceptione, 12. q. 2. & c. 1. §. Quia etiam, hîc in 6.* & supra *Tit. 10. à n. 2.* explicatus.

Secunda, Consensus majoris partis Capituli seu Conventûs Ecclesiæ vel Monasterii, de cujus aliqua ejusmodi re alienanda agitur, *can. cit. c. 1. c. Cùm nos 3. c. Tua 8. de Iis, quæ à prælat.* cujus explicationem dedi eôdem *Tit. 10. à n. 5.*

Tertia, ad earundem rerum alienationem, non quamcunque, sed strictè & in sensu *l. Alienatum 67. ff. de V. S.* acceptam, scilicet ad earum Donationem, Venditionem & Permutationem requisita solennitas est Subscriptio Capituli, *can. Sine c. 1. & Tua citt. eôdem Tit. 10. à n. 11.* pluribus declarata.

Quarta demum est Consensus superioris, ad earundem rerum alienationem Ecclesiarum Secularium & Regularium prælatis aliisque administratoribus faciendam

endam, præscriptus *Auth. & can. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. & 10. q. 2. can. Abbatibus, can. Placuit, 12. q. 2. & can. In venditionibus, 17. q. 4.* quorum textuum dispositioni non derogavit Pelagius Papa, de rebus monasterii disponendi potestatem totam Abbatibus adstruens *can. Nullam, 18. q. 2.* quia textu istô non Episcopi, sed monachorum potestati est derogatum: & Abbati, sicut illorum secundùm Regulam gubernatio, sic rerum quoque monasterii (extra casum alienationis) omnino libera & ab ipsis independens administratio stabilita, Turrecremmata *in can. cit.* & Tamburinus *de Jure Abbat. Tom. 3. disp. 13. q. 5. n. 1.*

69. Consensus autem superioris in alienationem rerum Ecclesiæ immobilium duplex est. Unô eorum administratori confertur ipsa alienandi potentia, quâ aliàs caret; quòd ejus administratio restricta & limitata sit ad actus, ad rerum distractionem non tendentes: quô modô in Societate JESU superioribus Localibus vg. Rectoribus Collegiorum ad rei immobilis alienationem necessarius est consensus Præpositi Generalis; cùm sine isto alienandi carent potestate, & initus contractus alienationis irritus sit ipsô Jure Naturali. Ratio hujus perspicua est; quia ad contractûs & actûs cujuscunque substantiam & valorem hôc Jure necessaria est contrahendi sive agendi potentia; ut, ubi hæc desideratur, nec voluntas, nec justitia actûs sufficiat: imò nec voluntas esse posse intelligatur, *l. Nolle 4. ff. de Adquir. hæred. ubi* Baldus & Menoch. *Vol. 1. consil. 75. n. 34.* atque idcirco ex hujusmodi potentiæ defectu proveniens nullitas omnium maxima atque omnino insanabilis sit, per tradita à Vantio *de Nullit. ex def. jurisdict. n. 6.* Locales autem superiores Societatis sine Præpositi Generalis consensu immobilia alienandi potentiâ carere, exploratum est ex ipsius Constitut. *p. 10. cap. 3. n. 3. Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Apostolicæ sedis, edita 18. Decemb. 1576.* & ejusmodi superiorum literis, ut vocantur, Patentibus, clausulâ alienationes excipiente solitis muniri. Alter rationem habens 70.
meræ solennitatis ad alienationem necessariæ ei, qui, licet alienandi potestate non careat, ad majorem tamen cautelam & removendum periculum læsionis &c. rem immobilem alienare nequit sine consensu superioris, contractum sua authoritate approbantis: quô modô consensus domini directi Vasallo, feudum, Feud. *Lib. 2. titt. 52. & 55. utrobique cap. 1.* judicis decretum interponentis Minori, prædium aut immobilem rem aliam, *l. Non solùm 4. C. de Præd. minor.* Prælato inferiori aut alteri rerum Ecclesiasticarum administratori, similem rem alienaturo superioris consensus necessarius est, *Auth. cum cann. citt. & c. Cùm nos 3. de Iis, quæ à prælat.* Hôc locô de posteriori potissimùm consensu est sermo.

Porro superior, à quo is requiren- 71.
dus est, respectu Ecclesiarum, & Monasteriorum non-exemptorum, per *textus citt.* est Episcopus vel Archiepiscopus in propria sua diœcesi, vel alius prælatus jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinens in territorium & populum plenô Jure sibi subjectum, Glossa *in Clement. 1. V. Proprii*, & sede Episcopali vacante ejus Capitulum, Glossa *in Clement. Unic. V. Conferantur, De Rerum permutat.* quia alienationi authoritatem præstare actus est, non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis: quæ Sede vacante penes Capitulum residet, *c. Hìs quæ 11. c. Cùm olim 14. de Majorit. & obed. ubi* Panormit. *n. 2.* & Franc. de Pavinis *de Offic. & potest. Capit. sede vac. p. 1. q. 10. n. 12.*

Non etiam Officialis, sive Episcopi 72.

Vicarius generalis; quia decreti sive authoritatis in alienationibus & transactionibus rerum Ecclesiasticarum interpositio exigit mandatum speciale, Sbrozzius *de Vicar. Lib. 2. q. 118. n. 2.* Pillegrin. *Prax. Vicar. p. 1. sect. & subs. 2. n. 55.* Alia ratio est Vicarii Capitularis; cùm enim iste ex mandato seu commissione generali expedire etiam valeat ea, ad quæ expedienda Episcopali Vicario opus est mandatò speciali, consensum, Capituli vice, præstare poterit in rerum, ad inferiores Ecclesias pertinentium, alienationes, per tradita *Lib. 1, t. 28. n. 66.*

73. An autem Episcopi diœcesis, in qua Ecclesia vel monasterium, de cujus rei immobilis alienatione agitur: vel potiùs ejus, in qua res sita est, authoritas exigatur, dubium & dissensio non levis est inter DD. Utriusque enim authoritatem desiderat Baldus *in l. Si prædium 16. C. de Præd. minor.* quòd utriusque Episcopi intersit. Utriuslibet autem interventum sufficere, vult Bartolus *in l. cit.* propter *text. l. Si prædium cit. & l. Magis puto 5. §. 12. ff. de Rebus illorum, qui sub tutela:* quarum legum utrâque ad alienationem rei immobilis alicujus Minoris (ac proinde Ecclesiæ ejus jure gaudentis, *c. 1. & c. Auditù 3. de in Integ. restit.*) decretū judicis: & priori quidem loci, in quo res sita: posteriori autem domicilii exigi: & alterius duntaxat interpositio sufficere videtur, Gomez *Tom. 2. Var. cap. 14. n. 17.* Molinæ *Tract 2. De J. & J. disp. 224. n. 29.* & Bruneman *in l. Si prædium cit. n. 3.* Contrà determinatè Episcopi loci, in quo res sita est, consensum exigit Glossa *in can. In venditionibus cit. V. eôdem, arg. l. cit. & c. Sanè 3. de Foro compet.* Ubi controversiæ, super re Ecclesiastica ortæ, cognitio præ aliis adstruitur Episcopo loci, in quo illa est sita.

74. Demum Episcopi, cujus jurisdictioni subest Ecclesia vel monasterium, de cujus rei alienatione agitur, authoritatem sive consensum necessarium ac sufficientem esse, cum Archidiacono *in can. In venditionibus, cit. n. 3.* Innocentio & Archorano *in c. Pastoralis 14. de Privileg.* aliisque docent Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 1. n. 38.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 49.* quorum sententia conformior est sanctionibus Ecclesiasticis & rationi. Illis quidem; quia exigunt consensum ejus, à quo ordinatus est Prælatus domûs sive monasterii, cujus res est distrahenda; ad hunc enim, tanquam proximum superiorem prælati electi confirmatio & benedictio de Jure spectat, *c. 1. de Supplenda neglig. & c. Cùm contingat 11. de Ætat & qualit.* Tambur. *Tract. cit. tom. 1. disp. 6 q. & n. 2. & disp. 11. q. 9. n. 1.* Huic verò, sive rationi quia in alienatione Ecclesiastica exigitur consensus, sicut capituli sive conventûs Ecclesiæ vel monasterii, sic etiam Episcopi, cui ex officio incumbit curare; ne illa vel istud rerum immobilium aut mobilium pretiosarum alienatione dispendium & damnum patiantur: cujusmodi cura non Episcopo loci, in quo res sita, tanquam alieno: sed Ecclesiæ vel monasterii, de cujus rei immobilis aut pretiosæ mobilis alienatione agitur, tanquam proprio ejus Pastori, ex officio incumbit. Confirmatur; quia, ne immobilium alienatione rerum suarum dispendium patiatur, periculum subit sola Ecclesia vel monasterium alienans: non res, de cujus alienatione agitur, ac proinde non istius, sed illius Episcopi cognitione & consensu opus erit. Unde corruit ratio & Opinio Baldi; quia, sicut alias solennitates, sic etiam consensum superioris sacri Canones exigunt, non propter interesse quale-cunque: sed, quod versatur in conservatione aut amissione rerum immobilium aut mo-

aut mobilium pretiosarum: quod cùm solam Ecclesiam alienantem afficiat, istius potiùs superioris curam attingit, quàm Episcopi, cujus jurisdictioni subjectus est locus, in quo sita est res.

Neque magis fundata est Opinio Glossæ; quia inter cognitionem judicialem & consensum in alienationem latum est discrimen; cùm illa competat ratione rei in territorio sitæ, *c. fin. de Foro compet.* iste verò ratione Ecclesiæ & prælati alienantis; ut hujus potestas relaxetur, & illius indemnitati prospiciatur. Unde, sicut de quæstione super ipsa re orta cognoscere potest judex, in cujus territorio res est sita: sic in alienationem consentire spectat ad superiorem, cujus jurisdictioni Ecclesia, & prælatus alienans subjiciuntur: qui est Episcopus loci, in quo Ecclesia, vel monasterium est situm, *can. Omnes Basilicæ, 16. q. 7. c. Cùm olim 18.* junctâ Glossâ *V. In diœcesi & fin. de Præscript. c. Constitutus 6. &c. de Religios. domibus.*

Neque suum mihi sensum persuadet Bartolus, cùm; quia aliæ pro Minoris Civili, & aliæ solennitates eôdem & Canonicô Jure præscriptæ sunt pro alienatione rerum Ecclesiasticarum: tum verò; quia illô ad alienationem immobilium Minoris requisitum decretum est judiciale, & in ipso actu præstatur: non item consensus Episcopalis: qui, hôc ipsô, quòd prælati alienantis potestatem relaxet, alienationem præcedere solet ac debet, *citt.* Archidiac. *in c. 1. in 6.* & Redoanus *n. 43. & 44.*

75. Dubium secundò & controversia inter eosdem est, an superioris scilicet Archiepiscopi vel Papæ consensus & authoritas necessaria sit Episcopo, alienanti bona Mensæ suæ, vel etiam Capitularis. Non quidem post Constitutionem Pauli II. *Extravag. Ambitiosæ* relatam, aut cùm ad alienationem inconsultô superiore se non deventurum prælatus juravit; illâ enim, ubi usu recepta est, & juramentô, cùm de re licita, imò laudabili sit, standum est, juxta Regulam *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando, c. Licet eâdem Rubr. & c. Quamvis de Pactis utrobique in 6.* Sed de Jure communi & *Extravag. cit.* antiquiori: ex cujus dispositione Episcopo, ejusmodi immobilia alienaturo, præter Capituli, etiam Archiepiscopi sui Metropolitani vel Papæ consensu opus esse, cum Glossa *in c. 1. V. Defensore, in 6.* existimat Baldus *in Auth. Hoc Jus cit.* & Bonacina *de Alienat. bonorum Eccles. q. unica p. 4. & n. 4. arg. c. Ut super 8. hâc Rubr.*

Sed istius textûs dispositio specialis locum tantùm habet in Episcopo ad consensum Apostolicum requirendum obligato vi à se præstiti juramenti; aliô autem hujus aut Archiepiscopalis consensûs necessitas expressa non reperitur. Contrà verò pluribus textibus ad alienationem Episcopi, præter capitularem vel clericalem consensum & subscriptionem, nihil exigitur, ut patet ex *can. Placuit, can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. De iis, quæ à prælat. & cc. Pastoralis 9. ibid. & 7. de Donat.* Unde meritò ipsi ad suæ vel Capitularis Mensæ bonorum alienationem de Jure antiquo, ac proinde, ubi *cit. Extravag.* & ejusmodi juramenti præstatio usu recepta non est, etiam hodie Archiepiscopi consensu opus esse, cum Innocent. & Hostiensi *in c. 1. cit.* aliisque negat Redoanus *Casu 1. cit. n. 45. & 50.* Ratio est; quòd legislator Ecclesiasticus hujusmodi Consensûs, si interventum desiderâsset, mentionem utique non omisisset; ac proinde eum, hôc ipsô; quòd omiserit, nec desiderâsse præsumatur, *arg. c. Ad audientiam 4. de Decimis.*

76. Neque huic Resolutioni obstat *can. 3. Hujusmodi* §. *Quodsi*, 10. *q.* 2. ad Ecclesiæ rerum distractionem exigens comprobationem & subscriptionem duorum vel trium Comprovincialium aut vicinorum Episcoporum; quia §. *cit.* ex Concilio Agathensi *cap. 7.* desumpta dispositio consuetudine contraria sive non-usu, memoriam hominum excedente, jam pridem est antiquata, teste Bellamera *in can. Abbatibus cit.* apud *cit.* Redoanum *n. 56.*

77. Monasteriorum, uti etiam aliarum Ecclesiarum exemptarum superior, cujus authoritatis interventum, sive consensum ad illa & has pertinentium rerum alienatio exigit, est Papa: cujus jurisdictioni, vi privilegii Exemptionis, immediatè subjiciuntur, Glossa *in Clement. 1. V. Proprii.* Qua in re tamen à DD. adhiberi solet distinctio inter Monasteria à jurisdictione quidem Episcopi exempta, sed tamen subjecta alicui sui Ordinis prælato vel Abbati Generali, vel aliàs in ea obtinenti jurisdictionem quasi-Episcopalem, & ea, quæ tali subjecta non sunt: & posteriorum quidem Abbatibus vel aliis prælatis immediatis ad immobilium alienationem præter majoris partis sui conventûs, etiam Papalem consensum necessarium, cum Glossa *cit.* tradunt Panormit. *in Clem. cit. n. 9.* & Francus *in c. 1. in 6. n. 23.* quia hujusmodi Abbatis vel prælati proprius, & immediatus superior est Papa.

78. Priorum autem Abbatibus, aliisque superioribus Localibus sufficit authoritas sive consensus Generalis Præpositi &c. & aliquando ex istius concessione solius Provincialis, in eos eorúmque monasteria exercentis jurisdictionem quasi-Episcopalem, ut cum *citt.* tradunt Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 27. n. 13.* & Tamburin. *disp. cit. q. 5. n. 2.*

79. Ipsi tamen Abbati vel alteri prælato Generali ad proprii monasterii immobilium alienationem, præter conventûs sui, etiam Apostolicum consensum necessarium esse, cum Redoano *l. cit. n. 77.* & communi aliorum docet *cit.* Tamburin. *disp. 13. q. 5. n. 2.*

Rectè tamen hic Suarez *cit. cap. 27. n. 13.* de Religiosis Ordinibus monet, quando Præpositi Generalis necessarius, aut Provincialis consensus sufficiens sit, spectandas esse cujuscunque Ordinis Constitutiones, Consuetudines & privilegia Apostolica: vi quorum, præsertim à Gregorii XIII. *Constitutione*, quæ incipit *Apostolicæ Sedis, die 18. Decemb. 1576.* edita, ita concessorum, Præpositus & Congregatio Generalis Societatis JESU, & vi communicationis privilegiorum, aliorum etiam Ordinum Abbates & Capitula Generalia, secundùm *cit.* Tamburinum *n. 2.* bona stabilia sive immobilia pretiosa, exigente aut suadente justâ causâ, alienare Papâ inconsultò possunt, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 448. n. 13.* & Tamburinus *disp. cit. q. 6. n. 1.* ubi varia ejusmodi aliorum Ordinum Privilegia refert.

Verùm hodie, ex *Decreto* Congregat. Cardinalium Interpp. Concilii Tridentini, Urbani VIII. jussu *7. Septemb. 1624.* editô, memorata facultas Ordinum Præpositis & Congregationibus vel Capitulis Generalibus est adempta; ut jam res & bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare, hypothecæ subjicere, ultra triennium locare, in feudum vel emphyteusin concedere, nisi in casibus Jure permissis, eis perpetuos Vitalitios census imponere, sine ipsius dictæ Congregationis expressa, in scriptis & gratis concedenda licentia, sub pœnâ privationis Officiorũ suorum omnium, Vocisque tam Activæ quàm Passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, ipsô factô incurrendâ,

cufrendâ, ampliùs non possint, Tannerus *Tom. 3. disp. 4. de Justitia q. 7. n. 193.* & Tamburinus *q. cit. n. 7.*

81. Dubium tertiò est, an ad rerum Ecclesiasticarum alienationem, præter superioris Ecclesiastici, etiam exigatur consensus Patroni. Hunc enim etiam de Jure requirendum, non obscurè desumi videtur ex eo; quòd Patronatûs Jus, sicut Honorificum & Utile, ita etiam Onerosum esse perhibeatur à Joan. Andreæ & Panormit. *in Rubric. de Jure Patron. n. 1.* & in suis *de hoc Jure Tract.* à Rocho de Curte *pr. n. 3.* Viviano *Lib. 1. cap. & n. 2.* tradita & ab aliis DD. recepta ejus definitione: patronisque à Jure impositum sit Onus, sive cura sui patronatûs Ecclesias defendendi non solùm adversus potentiores, ne opprimantur: sed etiam adversus earum Rectores & administratores; ne ipsarum bona malè alienata dilapidentur, aut reditus, in alios, quàm à fundatoribus præscriptos usus, scilicet cultûs Divini & fabricæ conservationem, salaria & sustentationem ministrorum, alimenta aliásque necessitates pauperum, convertantur, *can. Filiis, can. Decernimus, 16. q. 7. & c. Generali 13. de Elect. in 6.*

82. Sed, etsi hæc ita se habeant: & propterea, cùm Ecclesiæ rerum alienationem necessitatis aut alia legitima causa exigit, etiam patroni consensum requirendum, suadeat ratio Honestatis: & aliquando Utilitatis, redundantis in ipsam Ecclesiam & ipsum alienantem; ne ab eo susceptæ alienationis negotium, si patrono non consulto damnosum, aut saltem Ecclesiæ non expedire, ex quacunque causa videatur, ab ipso ex Officio impugnetur, juxta *cann. citt.* ejus tamen consensum ad contractûs ex justa causa, & cum hactenus declaratis solennitatibus celebrati substantiam & valorem necessarium non esse, cum Felino *in c. Cùm accessissent 8. de Constit. n. 20.* Panormit. *in c. Unic. Ut benef. Sine diminut. n. 20.* Rocho de Curte *Tract. cit. V. Onerosum n. 3.* Lambertino *de Jure Patronat. Lib. 3. q. 2. art. 7. n. 2.* & Viviano *cap. cit. n. 19.* docet Laiman *Tractatu de Rer. Eccles. alien. cap. 4. n. 58.* Ratio est; quòd substantialibus alienationis solennitatibus à Jure nuspiam accenseatur, & præter clerici institutionem sine patroni præsentatione factam, *can. Decernimus cit. c. Illud 8. & c. Ex insinuatione 14. de Jure patron.* nullus actus, sine ipsius authoritate gestus, irritatus reperiatur, ut cum Anchorano *Consil. 72.* advertit Lambertin. *cit. n. 2. in fine.* Imò à Concilio Toletano IV. *can. Noverint, 10. q. 1.* relatô, decretum sit, conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, sic & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. Consonant textus *can. De rebus, 12. q. 2. can. In canonibus, 16. q. 1.* & novissimè Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 3. de Reformat.*

Neque aliud exposcit ratio Oneris, patrono imminentis; quia vi istius & *can. Filiis, aliorúmque cann. citt.* patrono saltem laico, de Jure non jurisdictio in Ecclesiam & Clericum in ea canonicè institutum, neque rerum ejus temporalium administratio: sed quædam duntaxat inspectio competit & cura; ne rerum seu bonorum dilapidatione Ecclesia damnum patiatur; hoc enim & res malè administrari si adverteret, à Jure impositi Oneris ratio exigeret; ut vel ejus Rectorem honestæ admonitionis conventione compescat ipse, vel canonicæ districtionis severitate coërcendum prælato Ecclesiastico denuntiet.

Dixi, *Saltem laico*; quia patroni 83.
Ecclesia-

Ecclesiastici consensum ad alienationem exigit Anchoran. *cit. Consil.* 72. quòd majus istius, quàm laici jus & authoritas sit in Ecclesia patronata; cùm administrationis rerum istius temporalium rationes exigere, *c. Ex literis 7. de Jure patronat. & c. Cùm & plantare 3. §. In Ecclesiis, de Privileg.* & Ecclesiæ vacantis custodiam assumere possit, ut desumitur ex *c. Bonæ 51. de Appellat.* Sed meliùs, seclusô privilegiô, etiam Ecclesiastici patroni consensum ad alienationis valorem de Jure exigi, negat Lambertinus *art. cit. n.* 2. quòd id Jure nuspiam sit expressum.

84. Excipienda tamen imprimis sunt bona in Ecclesiam collata, appositâ in ipsius Fundationis limine conditione, ne sine patroni consensu alienentur; cùm enim in illo à patronis reservari pensiones, & aliæ conditiones etiam Juri communi adversantes, dummodo perpetuâ legum prohibitione reprobatæ vel impossibiles non sint, apponi cum Episcopi consensu possint per ea, quæ *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati* ex communi aliorum sensu & Rotæ *decis. alleg.* tradit Barbosa *in c. Gravis 15. de Censibus n. 3.* in Fundationis limine cum istius consensu etiam apponi poterit, & servanda erit conditio; ne in Ecclesiæ fundationem vel dotationem collata bona, ipsô non consultô, alienentur; cùm talis conditio à sacris Canonibus nuspiam reprobetur, Lambertin. *art. cit. n.* 1. Rosenthal *Tract. Feudal. cap. 4. conclus. 19. n.* 14. & Laiman *Tract. cit. cap 3. n.* 51. Deinde, bona Ecclesiæ non absolutè donata, sed concessa in feudum; talia enim, etiam in casu licito, & Canonicis solennitatibus observatis, alienari sine domini directi consensu non posse, *arg c. Transmissæ 7. & c. Verum 8. de Foro compet.* communiter docent Canonistæ apud Laiman. *l. cit.* Denique bona, quæ, ut sine suo consensu non alienentur, patroni etiam laici, privilegiô vel consuetudine, immemoriali tempore præscriptâ, obtinuerunt, Laiman *ibid. n.* 52. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 63.

Dubium quartò & magni in praxi momenti controversia est de valore alienationis immobilium & pretiosorum, ex justa quidem causa, sive in casu licito, sed hactenus enumeratarũ solennitatũ aliquâ omissâ, vg. Capituli aut superioris consensu non requisitô vel non obtentô, celebratæ. Et ejus quidẽ valorem defendunt Sylvester *V. Alienatio, q.* 12. Navarrus *de Alienat. rer. Eccles. n.* 17. Rodriquez *Tom. 1. Regular. q.* 27. *art.* 9. & Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio, n.* 24. & 50. Moventur duplici ratione: Prima est; quòd dictas solennitates præscribendi ratio unica fuerit; ne Ecclesiæ damnum ac præjudicium paterentur: hujusmodi autem damnum aut præjudicium, quando vg. evidentis Utilitatis causa intervenit, omnino cesset; atque idcirco cessare etiam conveniat legem sive sanctiones Ecclesiasticas, quibus dictæ solennitates introductæ & immobilium ac mobilium pretiosorum alienationi sunt præscriptæ, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat. c. Magnæ, in fine 7. de Voto, & l. Generaliter 50. C. de Episc. & Cleric.* Tiraquell. *Tract. de Causa cessante lit. L. à n.* 530. & Anchoran. *Consil.* 47. *n.* 4. ubi ait, *Hæc est Regula generalis in legibus, tractatibus & aliis dispositionibus, ut cessante causa, super qua fundatur dispositio, etiam dispositio cesset.* Altera; quòd, cùm ejusmodi contractus favore Ecclesiæ claudicet ita; ut hæc, illô secum sine debita solennitate initô stare, vel ab eo recedere, si velit, possit, ut Sarmientus *de Redit. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 18.

n. 18. docet, contractum valere sit necesse; quia ab invalido nullóque recedere contrahentium uterque liberè potest; cùm, quòd nullum est, nullum habeat effectum, perinde ut, quod factum non est; quia non factum & nulliter factum æquiparantur, *l. Quoties 6. ff. Qui satisdare cog.* Flaminius *de Consid. q. 46. n. 25.* Confirmatur; quia, ut res malè alienata Ecclesiæ restituatur, necessaria est rescissio Contractûs, ut non obscurè supponitur, *can. Apostolicos 13. §. Quisquis*, & satis perspicuè exigitur *can. Precaria, 12. q. 2.* non obscurò indiciò valoris; quia rescissioni locus non est, quando actus ipsò Jure est nullus, *arg. l. In causa 16. pr. & §. 3. ff. de Minoribus.*

Verùm rescissio *can. citt.* suppositâ vel expressa, non ad *Obligationem* & similes Juris effectus, sed ad *Factum* tantùm referri debet ita; ut alienatio, quæ de Jure nulla est, de facto etiam revocetur, & res Ecclesiæ restituatur, ut cum Turrecremata *in can. cit.* notat Gonzalez *in c. Quoties 2. de Pactis n. 1.*

86. Quare meliùs ejusmodi alienationem pro irrita habent Covarruv. *Lib 2. Var. cap. 17 n. 2.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 468. n. 15.* Suarez *Tom. 4. de Relig. Lib. 2. cap. 77. n. 20. & 21.* & Bonacina *de Contract. disp. 3. q. 8. p. 4. n. 10.* qui præcipuè se fundant in Jure, debita solennitate destitutas alienationes diserte & generaliter irritante, *can. Sine exceptione, 12. q. 2.* ubi Leo Papa *Irrita*, inquit, *est Episcoporum venditio & Commutatio rei Ecclesiæ absque conniventia & subscriptione Clericorum:* cui ad verbum consonant textus *c. 1. c. Tua 8. de his, quæ à prælat.* & similia habentur *Clement. 1. & c. 1. hic in 6.* Ratio est; quòd sine solennitatibus Jure præscriptis facta alienatio destituatur Forma: quâ non servatâ actus est nullus, *l. 1. l. Si cùm inter 2. C. Quando provocare non est necesse*, Glossa *in c. Cùm dilecta 22. V. Irritum, de Rescript.* Panormit. *ibid. n. 6.* & Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Revertatur n. 67.*

Neque, ut contrariæ doctrinæ Asser- 87.
tores sibi persuadent, cùm alienationem suadet evidens Utilitas, deficit ratio, ob quam solennitates sunt introductæ; quia has introducendi ratio non fuit damnum & præjudicium, quòd hæc aut illa Ecclesia in hoc vel illo casu particulari patitur: sed universale periculum multarum damnificationum Ecclesiis inferendarum, nisi Legali cautione certæ solennitates, in rerum Ecclesiasticarum alienationibus universaliter observandæ, præscriberentur: quæ ratio cùm non deficiat, quantumvis, debitâ solennitate in contractu aliquo particulari non observatâ, nullum Ecclesiæ damnum inferatur; tali etiam casu non cessabit ratio, ob quam hactenus declaratæ solennitates Jure sunt præscriptæ. Confirmatur paritate legum Civilium, propter periculum multarum fraudum ac deceptionum in ultimis voluntatibus committendarum, exigentium solennitates præscriptas, *l. Ex imperfecto 3. & l. Hac consultissima 21. C. de Testamentis:* & S. Synodi Tridentinæ, propter periculum gravium incommodorum, quæ ex defectu probationis conjugiorum clam initorum timenda sunt, ad valorem matrimonii præsentiam proprii parochi, & duorum vel trium testium requirentis *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrim.* quibus non præsentibus inita conjugia &, solennitatibus non observatis, condita testamenta, ipsò Jure irrita nulláque sunt etiam casu, quò committendæ fraudis, aut alicujus incommodi ex testamento minùs solenni, vel ex matrimonio aliter

 inito,

inito, secuturi periculum abesse constaret; quòd fraudum & incommodorum sæpe interventurorum, aut secuturorum periculum, nisi Legales & Canonicæ illæ cautiones in omni testamento aut matrimoniali contractu essent observandæ, non cesset, Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 7. à n. 5.* Salas *Tract. eôdem disp. 11. s. 3. n. 31.* & Palao *Tract. 3. disp. 5. p. 1. n. 11.*

Neque obstat eorundum ratio altera; quia cum Ecclesia sine solennitatibus contrahens, si ista velit, resilire non permittitur in pœnam fraudis: quam illis, tanquam Canonicæ alienationis Formâ, non observatis, contrahendô præsumitur intentâsse, Vasquez *cit. dub. 14. in fine*, rectè advertens casu, quô Ecclesia sic contrahentem ad contractûs observantiam vellet compelli, ex parte ipsius opus esse, ut contractus, qui nullus fuit, adhibitis, quæ sunt omissæ, solennitatibus omnibus, approbetur & ratificetur. Unde

88. Dubium quintò est, an alienatio, ob defectum solennitatum nulla, istis ex intervallo supervenientibus ratificetur. Ratio dubitandi desumitur à paritate pupilli: à quo sine consensu & authoritate tutoris initus, & propterea irritus contractus, illius consensu ex intervallo superveniente, non convalescit, *§. 2. Instit. & l. Obligari 4. §. 5.* junctâ Glosâ *V. Debet. ff. de Auth. tutor.* Confirmatur; quia alienatio destituta solennitatibus, ut antè dictum, nulla est ob defectum formæ: in quâ, ubi peccatum est, ratihabitio nihil operatur, secundùm Baldum *in l. Observare 4. §. Post hæc 6. ff. de Officio Proconsul. q. 14.*

89. Nihilominus ejusmodi rerum Ecclesiæ immobilium alienationem, solennitatibus ex intervallo supervenientibus, ratificari, cum Hostiensi *in c. Cùm nos 3. de Iis, quæ à prælat. V. Ratam*, & Panormit. *ibid. n. 3.* aliisque defendunt Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 6. n. 10.* & Sarmiento *de Reddit. Eccles. p. 1. cap. 3. n. 1.* propter textum *c. Quoties 2. de Pactis*: ex cujus Gregoriana decisione conventiones, superioris consensum exigentes, ejus superveniente ratihabitione, solidantur: & *c. Cùm nos cit.* ubi conventu non consentiente, imò reclamante, ab Episcopo facta rei immobilis concessio non tenere dicitur; nisi eam postmodum, sive ex intervallo, conventus ratam habuisset. Ratio est; quia ejusmodi ratihabitio subsequens vim habet mandati, & ad præcedentis atque Ecclesiæ utilis alienationis tempus retrotrahitur, *c. Ratihabitionem 10. de R. I. in 6.* Hostiens. *l. cit.* Vivianus *in c. Cùm nos cit.* & Barbosa *in c. Quoties cit. n. 2.*

Neque aliud rectè infertur ex §§. *2. & 5. citt.* quia lata disparitas est inter alienationem prælati Ecclesiastici, & contractum pupilli; isti enim contrahenti necessarius consensus tutoris est; ut supleat defectum judicii, quô laborare præsumitur pupillus, ad istius quasi informandum consensum, & personam integrandam; ut proinde meritò consensus sive authoritas exigatur in ipso contractu, sive, antequam ad alia negotia transitus fiat: contrà prælato, rem Ecclesiæ suæ immobilem alienanti, superioris & capituli consensus necessarius est tanquam solennitas: quæ etiam ex intervallo superveniens à Jure perinde habetur, ac si à principio in ipso alienationis contractu interveniisset, & hanc ratificandi & confirmandi vim habet, *cc. citt. & can. Si quâ, 12. q. 2.* Gaill, *Lib. 1. Observat. 47. n. 5.* & Gonzalez, *in c. Quoties cit. n. 13.* Sicut alienationem rei immobilis alicujus Minoris sine decreto judicis: & alienationem feudi à vasallo

vaſallo ſine domini directi conſenſu factas, illius decreto & authoritate, & hujus conſenſu ex intervallo ſupervenientibus ratificari, docent Bartol. *in l. Si quis 25. §. Juſſum ff. de Adquirend. hared. n. 5.* & Baldus *in l. Cùm ipſa 4. C. de Contrab. empt. n. 5.* cujus tamen *in §. Poſt hæc cit.* traditum generale dogma caſu, quò ratihabitio fit ſolenniter, & ab omnibus, à quibus actus ab initio geri debebat, procedere, *arg. l. 1. C. Qui admitt. ad bon. poſſ.* ex communi aliorum ſenſu, negat Sarmiento *cit. n. 1.* Sed hinc ulterius

90. Dubium ſextò oritur, an alienatio non ſolennis, ſolennitatibus vg. Capituli aut ſuperioris conſenſu ex intervallo ſupervenientibus, ita ratificetur; ut perinde habeatur, ac ſi nulla ſolennitas deſiderata, ac proinde alienatio ab initio valida fuiſſet. Id enim negat Panormit. *in c. Cùm nos cit. n. 5.* eam non niſi à tempore ſolennitatis ſupervenientis validam cenſeri, deſumens ex Regulis, *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit*, quæ eſt *18. in 6.* & *Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere*, quæ eſt *29. ff. de R. I.* Verùm, quia ſuperveniens illorum conſenſus fictione Juris ad celebrati contractûs tempus retrotrahitur, *cc. citt.* ac proinde alienatio non per ſolum ttactum temporis, ſed legitimum conſenſum ſupervenientem ratificatur, ut notat Gloſſa *Magna in Reg. cit.* & præterea cum Eccleſia contrahens iſtius favore à contractu reſilire, etiam ante priùs omiſſi conſensûs adventum, non poteſt, allegatæ Regulæ non obſtant, quò minùs, ſuperveniente legitimo conſenſu, alienatio ita ratificetur; ut perinde habeatur, ac ſi ab initio valida fuiſſet: quod cum Navarro *n. 17. cit.* & VV. aliis non obſcurè ſentit, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 27. num. 20.*

Dubium ſeptimò eſt, an, cùm ſolemnitates nec intervenerunt in contractu, nec poſtea ſupervenerunt, rei immobilis alienatio irrita etiam ſit in foro Conſcientiæ interno; id enim ſatis probabiliter affirmant Sarmiento *de Redit. p. 1. cap. 2.* Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 77. à n. 20.* Palao *Tract. 12. diſp. unic. p. 15. §. 4. n. 5.* & alii, emptorem, qui ex parte prælati ſolennitates interveniſſe bonâ fide exiſtimavit, intellectô earum defectu ad rei Eccleſiaſticæ ab illo ſibi venditæ reſtitutionem cum fructibus in Conſcientia obligantes, licet à nemine ſit conventus. Rationibus moventur planè iisdem, quibus perſuaſi magni nominis Doctores, Canonicarum ſolennitatum aliquâ deſtitutam electionem etiam in foro animæ invalidam eſſe ſuſtinent *Lib. 1. tit. 6. n. 190.* quarum vis ibidem *à n. 191.* jam eſt enervata. 91.

Quare, alienationum Eccleſiaſticarum non ſolennium contractus in interno ſive Conſcientiæ foro ſubſiſtere, emptorémque ad rei Eccleſiaſticæ ex juſta cauſa ſibi venditæ bonáque fide emptæ reſtitutionem, donec alienationis nullitas declarata ſit, in Conſcientia non teneri, cum Panormit. *in c. 1. de in Integ. reſtit. n. 19.* Sylveſtro *V. Alienatio n. 13.* & Navarro *de Alienat. Eccleſ. n. 17.* veriſimiliùs defendunt Azor *p. 2. Inſtit. lib. 9. cap. 1. q. 8. §. Secundum* & Pirthing *ad hanc Rubr. n. 36.* Ratio eſt; quia hujusmodi alienatio in Conſcientiæ foro ſubſiſtit, ſpectatô Jure Naturali; cùm Jure iſtô ad ejus ſubſtantiam & valorem ultra mutuum contrahentium conſenſum & juſtam cauſam nihil exigatur: Canonicô autem alióve poſitivô Jure eam etiam in animæ foro irritatam, non conſtat: neque irritari fuit neceſſe; cùm damnificationum Eccleſiis inferendarum periculum

culùm alienationis non ſolennis irritatione in foro externo jam ſatìs remotum ſit: licet ejusmodi ex juſta cauſa & bona fide cum prælato celebratus contractus in foro animæ ſubſiſtat.

92. Dubium octavò eſt, an ſolennitates in rei Eccleſiaſticæ alienatione interveniſſe, in dubio præſumatur. Qua in re, nec malè, diſtinguit Gaill. *Lib. 2. obſervat. 71. n. 6.* vel enim, inquit, earum defectus in judicio à parte adverſa allegatur, aut ſecus? Si poſterius hoc, pro alienationis inſtrumento, omniáque ritè acta præſumi, ait cum Felino *in c. Sicut 16. de Sent. & re jud. n. 28.* & Cravetta *de Antiq. temp. pr. p. 3. pr. n. 26.* Si prius, & defectus ſolennitatis ab adverſa parte allegetur, ea in dubio non præſumitur, ſed probanda eſt; ut, quamvis in alienationis inſtrumentô, prælati manu & ſigillô munitô, eam prævió tractatu & conſenſu Capitulari & ex juſta vg. evidentis utilitatis cauſa factam, aſſeratur, id tamen ad pronuntiandum pro valore alienationis non ſufficiat; niſi earum interventus aliunde appareat, aut probetur, *arg. c. 1. in 6. & l. Quicunque 13. §. fin. ff. de Publ. in rem act.* quorum textuum priori Epiſcopo, prætensâ redituũ exilitate alienationẽ tuenti, fides habita non fuit; quòd ea cauſa, licet juſta, non tamen probata fuerit, Gloſſa *in c. 1. cit. V. Tenues*, & Laiman *ibid. n. 4.* Ex poſterioris diſpoſitione authoritatẽ tutoris & decretũ judicis in contractu pupilli interveniſſe, probari eſt neceſſe, cùm; quòd facta non præſumantur, *c. 1. de Conſtitut. in 6. & l. In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & poſtl.* tum verò; quòd Regulare dogma ſit, in ſolennitatibus Juris, liberæ partium renuntiationi ſeu remiſſioni non obnoxiis, nudam & non probatam narrationem non ſufficere: ſed illas apparere vel probari eſſe neceſſe; cùm, ſi non probatæ ſufficerent, Juris cautela & diſpoſitio facilè eluderetur à contrahentibus, ſolennitates interveniſſe, facilè experimentibus.

Ea tamen probationis neceſſitas perpetua non eſt; quia imprimis aliâ ſolennitatis & juſtæ cauſæ probatione opus non eſt, quando eas interveniſſe, aſſeritur inſtrumentô publicô, ſuper alienatione à publico notario cum ſolennitatibus debitis confectô; cùm iſto diſpoſitivè contenta vera eſſe præſumantur, *c. Scripta 2. de Fide inſtrument. & l. Cùm precibus 18. C. de Probat.* juxta dicta *Lib. 2. tit. 22. à n. 20.*

Deinde, ſi intervenerit decretum judicis, & hunc falſis allegationibus circumventum non oſtendatur, Speculat. *Tit. de Empt. & Vendit. §. 4. n. 5.*

Tertiò, ſi de prævio tractatu & Capituli conſenſu conſtet, pro cauſæ interventu & juſtitia præſumptionem eſſe, niſi contrarium probetur, ex Maſcardo *de Probat. concluſ. 75. n. 11.* notat Laiman *in c. 1. cit. n. 5.* Demum eædem præſumuntur, ſi alienatio diuturnô tempore non fuit impugnata, ex generali Regula; quòd ad contractum neceſſariæ ſolennitates extrinſecæ ex temporis diuturnitate præſumantur, ſi ex parte ejus, cui præſumptio favet, poſſeſſio ſcientè & patiente parte adverſâ detur, *cit.* Felin. *in c. Sicut cit. n. 33.* Cravetta *l. cit. p. 3. §. Nunc venio, n. 1.* & *cit.* Redoan. *Rubr. 8. caſu 11. n. 19.* ubi utrèque, ad hunc effectum decennium ſufficere, ait. Quod, licet ita ſit, quando ſolennitas enuntiata, ſive eam interveniſſe in inſtrumento aſſertum, & de re modica contentio eſt: caſu tamen, quò ejus non facta mentio, & de magni præjudicii re lis eſt, ſolennitatis interventum non ex 10. duntaxat, ſed 30. vel 40. annorum lapſu præſumi, Panormit. *in c.*

Pervenit

Pervenit 4. de Empt. & vendit. n. 10. Imolæ *ibid. n. 10.* Gaill. *l. cit. à n. 7.* & aliorum communior Opinio est, fundata in *c. cit.* & ratione; quòd, cùm tanti temporis lapsus tituli præsumptionem inducat, idem statuendum sit de præsumptione solennitatis, ad illius justitiam necessariæ. Hanc tamen præsumptionem Juris & de Jure non esse; atque idcirco in contrarium, sive defectûs solennitatis probationem admittere, ex communi DD. sensu advertit *cit.* Gaill. *n. 12.*

ARTICULUS VI.

De Consensu Apostolico, ad rerum Ecclesiasticarum Alienationem requisito.

SUMMARIUM.

96. *Sine isto Ecclesiarum res laicis submitti,*
97. *Et immobiles ac pretiosæ alienari nequeunt;*
98. *Ut sine eo facta alienatio irrita,*
99. *Et variis pœnis obnoxia sit:*
100. *Nisi res immobiles modicæ aut parùm utiles sint.*
101. *Consensu Papæ necessario est ad alienationem, antiquô Jure permissam.*
102. *Eum solum sufficere, asserentium,*
103. *Et negantium Opiniones referuntur,*
104. *Et conciliantur ope distinctionis.*
105. *Papa in alienationem damnosam consentire non præsumitur:*
106. *Neque licitè potest,*
107. *Præsertim, si bona sint Cameræ Apostolicæ.*
108. *In alienationem utilem consentire non solet ad informationem solius alienantis:*
109. *Specialem tamen consensum præstans supplet solennitates:*
110. *In specie Tractatum & Consensum capituli & superioris.*
111. *Vis clausulæ,* si ita est.
112. *Jus, consensum Apostolicum exigens, usu receptum affirmantium,*
113. *Negantiúmque varia Opiniones.*
114. *Eáque de re sensus DD. Germaniæ nostræ.*
115. *Refertur tenor Juramenti prælatorum de non alienando,*
116. *Ejúsque recens explicatio confutatur.*
117. *Non afficit alienationes, Jurè permissas sine solennitate.*
118. *Eò sine istâ prohibitas comprehendit.*
119. *Alia expositio ejus Juramenti.*

ANtiquô Jure proditis Ecclesiasticæ alienationis solennitatibus cum tempore accessit Consensus sedis Apostolicæ: sine cujus speciali licentia & consensu capituli sui, Prælati aliíque Rectores Ecclesiarum bona immobilia, seu jura illarum, laicis submittere seu subjicere: illos Patronos & Advocatos sive suarum Ecclesiarum rerúmque & jurium defensores constituere: eósque quasi dominos aut superiores recognoscere, à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi prohibiti sunt, & super ejusmodi concessionibus, & alienationibus celebrati contractus, hísque firmandis adjecta juramenta &c. irritata, ut refertur *c. Hoc consultissimo 2. in 6.* 96.

Eadem Apostolici Consensûs solennitas ad alias rerum Ecclesiæ immobilium & mobilium pretiosarum alienationes postea generaliter à Paulo II. requisita est 97.

famigeratâ illâ, atque in libris scholisque & utroque Foro celebrata *Constitutione*, quæ incipit: *Ambitiosæ* & *Extravag. Unicâ, inter communes* refertur. Eâ memoratus Papa imprimis prohibet quamcunque alienationem, quâ ejusmodi res sive bona sine consensu Apostolico transferuntur. Deinde excipit tres casus alienationis sine ejusmodi consensu permissæ: scilicet locationem infra triennium: Infeudationem & Emphyteusin, in casibus Jure permissis & de bonis in Feudum vel Emphyteusin dari solitis ab antiquo, cum evidenti utilitate faciendam: & alienationem fructuum, qui servandô servari non possunt. Postea, extra hos casus
98. de rebus seu bonis Ecclesiarum, inconsultô Romanô Pontifice factam quamcunque alienationem nullius omnino roboris vel momenti, hoc est, ipsô Jure irritam esse, decernit ita; ut ejusmodi res & bona sic alienata ad suas Ecclesias liberè de-
99. beant reverti. Denique, tam alienantem, quàm alienatas ejusmodi res & bona recipientem, excommunicationis sententiâ ferit: & alienantem insuper, si Episcopus vel Abbas sit, Ecclesiæ suæ ingressu omnino interdictum: &, si in interdicto sex menses perseveret, à regimine & administratione suæ Ecclesiæ suspensum: inferiores autem Prælatos & Rectores, prælaturis, dignitatibus, beneficiis, officiis & administrationibus suis ipsô factô privatos esse, decernit. De qua Constitutione *Extravag.* satis

Convenit inter DD. primò, eâ prohibitas esse omnes species alienationis & omnia pacta, quibus rei immobilis aut mobilis pretiosæ dominium, non tantùm directum, sed etiam utile, ususfructus, aut jus in re in alterum transfertur; quia eâ non tantùm Venditio &c. sed etiam Emphyteusis, Locatio ultra triennium, Hypotheca, aliique similes contractus prohibentur, Barbosa *in Extravag. cit. n. 5.*

Convenit inter eosdem secundò, 100
consensum Apostolicum, non tantùm in contractu Feudali & Emphyteutico, tribus casibus relatis, sed etiam in rei modicæ & Ecclesiæ inutilis distractione, *can. Terrulas, 12. q. 2.* & aliis casibus Jure antiquô sine solennitatibus permissæ alienationis, non requiri, Barbosa *ibid. n. 14. & de Off. Episc. alleg. 95. à n. 50.* Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 14. à q. 35.* Quod de dispositione *can. Terrulas cit.* à S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. iteratò declaratum, testis est Fagnanus *in c. Nulli cit. n. 25.*

Dubium autem & controversia in- 101
ter eos est primò, an consensus Apostolicus etiam exigatur ad alienationem, quæ exigente aut suadente justâ causâ & adhibitis Juris solennitatibus fit. Ratio dubitandi est; quòd *cit. Extravag.* sine consensu illo fieri prohibeantur alienationes, præterquam in casibus à Jure permissis, cùm ergo immobilium & mobilium pretiosorum alienatio, exigente aut suadente justâ causâ & solennitatibus intervenientibus, à Jure permissa sit, his cum illa concurrentibus, Apostolici consensûs interventu, sicut olim, sic & hodie opus esse, non videtur Panormit. Navarro & Rebuffo *in suis Tractat. de Alienat. rer. Eccles.* omnibus *n. 2.* Quorum Opinio non parùm ex eo confirmatur; quod, si hoc etiam casu necessarius esset consensus Apostolicus, exceptio illa, *Præterquam in casibus à Jure permissis*, nihil operaretur; ac proinde otiosa & inutilis foret, contra *c. In iis 30. de Privileg.* & communem sensum DD. legis etiam pœnalis & odiosæ, ne otiosa evadat, interpretationem latam sustinentium, *arg. c. Si civitas 17. de Sent. excom. in 6. c.* & *§. fin. de Usuris in 6.* junctâ Glossâ *in §. fin. cit. V. Aliter facta.*

Nihilo-

Nihilominus, cùm immobilia aut mobilia pretiosa alienantur, ultra justam causam & antiqui Juris solennitates, regulariter consensum Apostolicum *Extravag. cit.* requiri, cum Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio, à n. 5.* & M. Ant. Genuensi *Prax. Curiæ Archiepisc. Neapol. cap. 85. n. 2.* probabiliùs defendunt Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 13. q. 9. n. 1.* Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 14. q. 23. n. 1.* & Wagnereck *in Extravag. cit. Not. 4. in fine* id aliorum DD. frequentiori calculô, observantiâ & Stylô seu praxi curiæ Romanæ receptum asserentes, séque fundantes in eadem *Constitutione*, quâ memoratus Papa indemnitati Ecclesiarum, quæ bonorum suorum alienationibus, à suis Prælatis & Rectoribus sæpe attentatis, passim magna detrimenta passæ sunt, consulere volens, in posterum alienationes quascunque fieri prohibuit, Romanô Pontifice inconsultô: itáque sibi & successoribus suis reservavit cognitionem justæ causæ, ad Canonicam alienationem requisitæ; quia, si rerum Ecclesiasticarum distractio generaliter in omnibus casibus, in quibus de antiquo, etiam *cit. Extravag.* novô Jure sine consensu Apostolico fieri posset, per eam contra Papæ intentionem & Procemii tenorem, parùm fuisset consultum indemnitati Ecclesiarum: & Prælatorum, Ecclesiastica bona cum Divini cultûs detrimento usurpare præsumentium, ambitiosæ cupiditati non satis occursum; cùm illarum Prælatis & Rectoribus non minus licitum post illam esset, quàm fuit antè, ut rectè advertit Fagnanus *in c. Nulli 5. n. 15.* Unde in contrarium allatæ rationis confirmatio non adversatur.

Ipsa etiam ratio majorem veri speciem, quàm vim habet; quia *Extravag. cit.* Verbis, *Præterquam in casibus à Jure permissis*, expressa exceptio restringenda: &, non ad omnes recensitos, sed duos duntaxat immediatè præcedentes, Feudalem & Emphyteuticum contractus, referenda est ita; ut per eam non Regula de non alienando, sed ea tantùm, quæ de rebus Ecclesiæ in Feudum aut Emphyteusin non concedendis est, limitetur, ut cum *cit.* Fagnano observat Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 54.* & evincit ratio Resolutionis, atque inde etiam non obscurè constat; quòd ea exceptio duobus illis contractibus: ipsi verò subjiciantur verba, *Ac de rebus, & bonis in Emphyteusin ab antiquo concedi solitis, citt.* Fagnanus *n. 14.* & Donatus *n. 5.*

Accedit; quòd exceptio illa, etiamsi ad omnes, non tantùm ad duas proximè præcedentes alienationis species referretur, tamen, ne evaderet otiosa, de ejusmodi alienationibus Jure antiquo sine solennitatibus permissis & hactenus explicatis, intelligenda potiùs, quàm ad eas, quæ præter justam causam etiam solennitates exigunt, esset referenda: & non obscurè referatur à Barbosa *in Extravag. cit. n. 14.*

Dubium & controversia inter DD. 102.
secundò est, an ad valorem alienationis post *cit. Constitutionem* Paulinam, præter assensum Apostolicum, necessaria sit justa causa, aut antiqui Juris solennitates. Ratio dubitandi pro Affirmativa est partim; quòd ejus conditor Paulus II. expressè omnes Prædecessorum suorum constitutiones, prohibitiones & decreta alia, super rerum Ecclesiasticarum alienatione edita, innovârit; ac proinde iis præscriptas solennitates omnes voluerit observari: partim verò; quòd credibile non sit, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, solennitates multis vigiliis & laboribus excogitatas, unô verbô & præsertim *Constitutione*, eundem, quem ipsa, finem spectante, subvertere voluisse, ut habent textus

c. Eccle-

e. Ecclesia 57. §. Neque enim, de Electione, l. 1. & l. Si quando 35. pr. C. de Inofficiosio test. Pro Negativa autem imprimis

103. est; quòd Papa sit omnium Ecclesiarum Caput, *can. Inprimis 7. §. Contra hoc, 2. q. 1.* & supremus ac plenarius illarum administrator *arg. c. Licet . de Prabend in 6.* deinde; quòd solennitates omnes introductæ aut firmatæ sint decretis Conciliorum, quæ Papâ sunt inferiora, *can. Nemo 23. can. Cuncta per Mundū 9. q. 3.* aut summorum Pontificum, ipsius Pauli & pariter eo potestatis Prædecessorum, *Constitutionibus*: inferior autem superiorem ligare nequeat, *can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* & par etiam parem; cùm in eum non habeat imperium, *c. Innotuit 20. §. Quamvis, de Electione & l. Nam & magistratus 4. ff. de Recept. arbitr.* atque idcirco eum Legalis aut Canonicæ dispositionis obligatione constringere non possit, Barthol. Perett. *in Extravag. Ambitiosæ cit. V. Prædecessorum, n. 5.*

Rationibus his in utramque partem allatis, aliquid tribuendum: & de controversia, distinctionis ope pronuntiandum, existimo: &

104. Primò quidem cum *citt.* Quaranta *n. 7. in fine* M. Ant. Genuensi *cap. 106. n. 6.* & Donato *q. 26. n. 3.* etiam post *Constitutionem* Paulinam, pro irrita nullâque habendam censeo quamcunque rerum Ecclesiæ immobilium alienationem, quam non exigit necessitas, neque utilitatis aut alia justa causa suadet, etiam cum consensu Apostolico factam: idque propter defectum Voluntatis & Honestatis.

105. Illius quidem sive Voluntatis approbandi alienationem faciendam sine justâ causâ; hanc enim exigere, & an justa causa subsit, cognoscere Papa solet, prævia delegatione in personas aliquorum, in dignitate Ecclesiastica constitutorum: qui inquirant, an alienationis concessio cedat in evidentem Ecclesiæ Utilitatem: &, si ita apparuerit, interpositò decreto, nomine Sedis Apostolicæ ad illam assensum præstent, Riccius *in Praxi decis. 54.* & Barbosa *cit. alleg. 95. n. 71.* Neque in Ecclesiarum præjudicium vel damnum quidquam concedere intendit, aut præsumitur; cum, quidquid agitur à Papa, bene sanctéque agi, & suprema ejus Authoritas, non nisi exigente aut suadente justâ causâ, interponi censeatur; atque insuper in terris licitum non sit, de Sedis Apostolicæ judicio judicare, *can. Nemini 17. q. 4.* vel ipsius sententiam retractare; propter Primatum, Romanæ Ecclesiæ in Beato Petro divinitùs collatum, ut advertit Præpositus *in can. 1. dist. 10.* apud Redoanum *de Reb. Eccles. non alien. Rub. 30. casu 4. n. 43.*

Hujus autem, sive Honestatis, quâ, 108.
sicut res Ecclesiæ sine causa alienandò, sic etiam sic faciendas earum distractiones approbandò, graviter peccat; quòd rerum Ecclesiæ principalis quidem administrator sit: eas tamen teneatur conservare, pro promovendo ex ipsarum fructibus & proventibus cultu Divino, ministrorū salariis, alimentis pauperum, aliisque Ecclesiarū & egentium necessitatibus vel usibus, juxta *can. 1. can. Sacrorum 15. can. Aurum 70. &c. 12. q. 2.* & illud Christi, *Pasce Oves meas, Joan. cap. 21. V. 17.* non pro libitu voluntatis suæ dissipare vel usurpare possit.

Confirmatur; quia ad hoc in Ecclesia Romana, præ aliis immediatè ipsi subjecta, cavendum, ex Pii V. *Motu proprio*, ex certa scientia & de Apostolicæ potestatis Plenitudine, atque de S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto Consilio, & 109.
unanimi Consensu 4. *Calend. Aprilis 1567.* editô, memorati Cardinales singuli, imprimis in sua ad ejus dignitatis Eminentiam pro-

ſiam promotione & aſſumptione Pilei, ſe terras & loca quæcunque ad jus, proprietatem, & dominium ſedis Apoſtolicæ pertinentia, ad eámque devoluta & ejus Cameræ incorporata, non alienaturos, aut in eorum alienationem conſenſuros: deinde, ſede Apoſtolica vacante, in Conclavi de eadem *Conſtitutione*, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem eligetur, inviolabiliter obſervanda, juramentum præſtant. Idem, qui ad ſummi Pontificatûs faſtigium evehitur, poſt ſuam aſſumptionem promittere ac jurare: & hujusmodi promiſſionem ac juramentum, poſt ſuam Coronationem ſpecialibus literis ejus confirmatoriis iterare debet, vi ejusdem *Conſtitutionis* Pianæ, à Gregorio XIII. Sixto V. & Innocentio IX. innovatæ & confirmatæ, ut refert Franc. Leo *Theſaur. Fori Eccleſ. p. 1. cap. 15. n. 20. & 25.*

108. Secundò de Jure invalidam cenſeo alienationem, factam ex juſta quidem cauſa & cum conſenſu ſive licentia Apoſtolica, quæ ad petitionem atque informationem ſolius Prælati vel Rectoris alienantis: & non, ut moderna Praxis habet, cauſæ cognitione inquiſitionéque per delegatos præmiſſâ, eſt impetrata, propter *Extravag. cit. textum* ex eóque deſumptam rationem dubitandi pro Affirmativa. Ratio eſt; quia per hujusmodi, conſenſum Apoſtolicum non ſatis conſulitur indemnitati Eccleſiarum: & propter hanc antiquo Jure præſcriptarum ſolennitatum defectus non ſuppletur. *De Jure*, dictum eſt, propter memoratam Praxin & modernum ſtylum Curiæ Romanæ, harum defectum abundè ſupplentis, & illarum indemnitati ſatis conſulentis. Unde

109. Tertiò, cum *citt.* Quaranta *n. 7.* Donato *n. 2.* & Corrado *Prax. diſpenſ. Apoſtol. Lib. 9. cap. 1. n. 22.* pro valida habendam cenſeo alienationem, quæ facta eſt ex juſta cauſa & interveniente abſolutâ licentiâ ſedis Apoſtolicæ, legitimè & absque ob- vel ſubreptione impetratâ, & Motu proprio atque ex certa ſcientia interpoſitâ; cùm propter rationem allatam pro Negativa: tum verò; quia, quòd Prælati inferiores res inutiles, exiguas, aut Eccleſiæ oneroſas absque ulla ſolennitate alienare poſſint, habent ex conceſſione & licentia Papæ, *can. Sine exceptione, §. Item domus, 12. q. 2.* qui, propter ſupremam & pleniſſimam, quam habet, rerum Eccleſiaſticarum poteſtatem, ſanare poteſt omnes Nullitates, ex quacunque Conſtitutione Eccleſiaſtica provenientes, ſi ejus licentia vel actûs confirmatio Motu proprio, vel de ſuæ poteſtatis Plenitudine fiat, ut à Rota deciſum, teſtis eſt Donatus *l. cit.*

In ſpecie autem Conſenſus & au- 110. thoritas Apoſtolica tollit neceſſitatem Tractatûs Capitularis, ſecundùm *citt.* Quarantam *n. 7.* & Pirrhing *n. 55.* cùm ejus defectum abundè ſuppleat cognitio de evidentia Utilitatis, quam alienatio Eccleſiæ præfertur allatura: quæ delegatis in partibus committi ſolet, priusquam alienandi licentia Apoſtolica indulgeatur, Franc. Leo *cit. cap. 15. n. 47.* uti etiam Conſenſûs immediati ſuperioris, ſecundùm eosdem DD. & Redoanum *Rubric. cit. caſu 2. n. 5.* idem enim operatur Reſcriptum & authoritas Principis, quod operatur interventus & decretum Inferioris, Baldus *in l. Illud 2. C. Quando decreto opus non eſt: & habens verbum ſuperiorũ, non indiget verbô inferiorũ*, ut idem loquitur *in Summa l. cit.*

Eadem fere ratio eſt Subſcriptionis & Conſenſûs Capitularis; quia illius, ſaltem ad valorem, neceſſitatem paſſim ſuſtulit conſuetudo, juxta dicta *Tit. 10. à n. 12.* cujus non minor vis eſt, quàm poteſtatis legislatoris: ex cujus voluntate

ea vim habet Juri Poſitivo derogandi, *arg. c. fin. de Conſuet. & l. De quibus 32. ff. de LL.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 1.* & Rochus de Curte *in c. Cùm tantò de Conſuet. ſ. 4. n. 24.* iſte autem, (ſicut etiam illa) introductus eſt Jure ſolùm Eccleſiaſtico: quò Papam non ligari, conſtat ex dictis & pronuntiato Baldi, illum *Supra Jus, Contra Jus & Extra Jus Poſitivum* eſſe, aſſerentis *in c. Cùm ſuper 4. de Cauſa poſſ. & propr. n. 1.*

111. Præter alios tamen *citt.* Quaranta & Wagnereck advertunt, ſi licentia Papæ non abſoluta, neque ex certa ſcientia &c. ſed cum clauſula conditionata, *Si ita eſt*, concederetur, defectum ſolennitatum, & & præſertim Conſenſûs Capitularis, ut notat Donatus *q. cit. n. 3.* non ſuppleri; ac proinde ſine illis celebratum alienationis contractum invalidum fore: ſicut ſine illis non valet, in locis, ubi Conſtitutio Paulina uſu non eſt recepta.

112. Dubium tertiò & ſicut non levis momenti, ſic ancipitis Reſolutionis controverſia eſt, an *Extravag. Ambitioſa cit.* uſu ſit recepta. Hac enim in re admodum variant DD. nam Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio, n. 48.* & Corradus *Prax. Diſpenſ. Apoſtol. Lib. 9. cap. 1. n. 7.* volunt, eam per totum Orbem uſu eſſe receptam (recipiendam fortaſſis meliùs dixiſſent) integraliter & ſecundùm omnes ſuas partes, etiam quoad pœnas extrinſecas cenſurarum. De ejusmodi viridi obſervantia in Urbe Romana, ex qua quotidie literæ Apoſtolicæ ſuper rerum Eccleſiaſticarum alienationibus emanant, & in toto Eccleſiæ ſtatu, Alphonſ. á Leon. *de Cenſur, Recollect. 4. V. Alienatio.* In Archiepiſcopatu Mediolanenſi, Bonacina *Tract. de Alienat. p. 5. n. 4.* In civitate & diœceſi Florentina, Ant. de Petra *de Juriſdict. Epiſc. Tract. & cap. 2, n. 10.* In tota Italia & Neapolitano, Luſitaniæ & Hiſpaniæ Regnis, Marc. Ant. Genuenſ. *Prax. Curiæ Neapol. cap. 75. n. 1.* Melch. Phæbus Luſit. *deciſ. 88. n. 1.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 95. n. 41.* teſtantur: etſi apud iſtum Covarruvias, an ea recepta ſit apud Hiſpanos, multoties in quæſtionem & controverſiam aſſerat adduci.

Contrà, eam non ubique, Sylveſter *V. Alienatio, q. 15. in fine* aliiſque relatis Sarmiento *de Redit. Eccleſ. p. 1. cap. 3. n. 20.* Extra Italiam nullibi gentium, præſertim quoad locationes, Zypæus *Analys. Jur. Pontif. ad hanc Rubr. n. 2.* Quoad easdem & privationem beneficiorum: & abſolutè ex toto nullibi: &, quamvis quoad diſpoſitionem principalem & intrinſecam Nullitatis in multis: in paucis tamen locis, quoad extrinſecas excommunicationis, ſuſpenſionis &c. pœnas, uſu receptam, aſſerit Navarrus *de Cenſur. Eccleſ. cap. 27. Excommunicat. 25. n. 150.*

Quam ſenſûs DD. & locorum uſûs varietatem ponderantes Sairus *de Cenſur. Lib. 3. cap. 22. Excom. 8. in fine* & Gutierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 8. n. 6.* docent, conſulendam praxin & conſuetudinem locorum ac provinciarum, eâque ſtandum. Hanc præcipuè ſpectans Wagnereck *in Extravag. cit. V. Inconſulto*, exiſtimat, validas in multis locis videri alienationes, quæ ſine ſummi Pontificis conſenſu fiunt, præſertim à Principibus Eccleſiaſticis Germaniæ noſtræ: quipropter hanc cauſam alicubi, ſaltem in non magni præjudicii alienationibus, ad Papam recurrere non ſolent: etſi id facere tutiùs eſſet. Eandem praxin reſpiciens Engel *ad hanc Rubric. n. 15.* aſſerit, in Germania aliiſque ab Italia remotis provinciis, ex quibus ad ſedem Apoſtolicam difficilior eſt recurſus, ex conſuetudine alicubi Prælatos non exemptos pro alienandi

nandi licentia, non ad illam & Papam, sed ad Episcopos suos recurrere: eámque, causâ cognitâ, ab istis in ditionibus Belgicis concedi, testis est Zypæus *l. cit.* Consuetudinem verò, quâ Episcopi & Abbates exempti, jurisdictionem quasi-Episcopalem in suis monasteriis obtinentes, in alienatione vulgarium, & minoris æstimationis prædiorum alterius superioris consensum non requirunt, ex communibus & receptis principiis propugnat *cit.* Engel *n. 24.* Unde ulterius

115. Dubium quartò & non minoris, quàm prior, momenti & difficultatis controversia est, an, & quomodo dictæ *Constitutioni* Paulinæ non-usus in Episcopis & Abbatibus possit excusari. Ratio dubitandi est; quia ex una, singuli, qui à sede Apostolica confirmantur, in sua Consecratione vel Benedictione, in sequentia verba jurant: *Possessiones ad mensam meam* vel *ad Monasterium meum, pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquô modô alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ*, vel *Conventûs Monasterii, inconsultô Romanô Pontifice*: eique juramento addunt, *Et, si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione*, scilicet *Extravag. Ambitioseæ, contentas, eô ipsô incurrere volo*, ut habetur in Pontificali Romano *p. 1. Titt. de Consecrat. Episcopi & de Benedictione Abbatis:* ex altera verò parte, servandum est omne juramentum, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in alterius præjudicium vel detrimentum: & multò magis, quod est de re honesta, aliàs debita & in Ecclesiæ vel Monasterii bonum redundante, juxta Regulam *c. Quamvis 2. de Pactis in 6. c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Licet 2. eâdem Rubr. in 6.*

Hujus Argumenti vim, in favorem Prælatorum, ut enervet Wagnereck *in Extravag. cit. V. Inconsultô*, respondet, juramentô illô plùs non promitti quàm quòd sine consensu illo ad nullam alienationem devenire velint, nisi in casibus antiquô Jure permissis: ac proinde, cùm Ecclesiæ necessitas vel evidens utilitas alienationem postulat, rem Ecclesiæ vel Monasterii, præmissô tractatu & obtentô consensu capitulari, à Prælato alienari posse, quin agat contra juramentum; quia casus iste antiquô Jure est permissus. Atque sic Episcopale juramentum à JCT.is Romanis, super hac re à quodam Germaniæ Episcopo consultis, ante complures annos, asserit, explicatum. 116.

Sed Responsio ista non minùs difficilis est, quàm ratio, cui ipsam *cit.* Doctor opponit; quia relatum juramentum etiam se extendit, imò comprehendit casus, quibus rerum Ecclesiæ immobilium & pretiosarum alienatio ordinariè & licitè à Prælatis facta fuit: ac proinde eos, quibus alienatio ex justa causa & cum solennitatibus fit, cùm; quia juramentum ad requirendum consensum Apostolicum obligat casu, quô intervenit consensus capitularis, præcipua antiqui Juris solennitatum, ut colligitur ex ejus tenore: &, quô intervenit justa causa; quia alienationes sine justa causa etiam cum licentia & consensu Papæ faciendæ non sunt: imò in eas Papa non præsumitur consentire; cùm licentiæ & consensui suo præmittere soleat accuratam cognitionem de Veritate & Justitia causæ alienandi, ut dictum est *n. 104.* tum verò; quia casus alienationum, antiquô Jure cum solennitatibus permissarum, comprehendit *Constitutio* Paulina: ad quam Prælatorum juramentum referri, iterum patet ex ejus tenore. Et denique etiam; quia prædictum juramentum, si non comprehenderet casus

alienationum, quæ ex justa causa & cum solennitatibus fiunt, parùm aut nihil operaretur: & contra finem per ejus introductionem intentum, non constringeret potestatem Prælatorum; cùm rerum Ecclesiasticarum, quascunque priùs poterant, alienationes facere, non obstante juramento, sine consensu Apostolico possent.

117. Quare, Episcopos & Abbates vi relati juramenti ad consensum Apostolicum requirendum obligari, existimo in omnibus casibus, quibus ille requirendus est vi *cit.* Constitutionis Pauli II. Unde, sicut istâ, sic etiam dictô juramentô non obstante, non tantùm Feudalem & Emphyteuticum contractum, tribus casibus illius textu expressis, celebrare: sed etiam res Ecclesiæ damnosas, inutiles & modicas (aut saltem in Germania aliisque partibus ab Italia remotioribus, non magni momenti) & in casibus supra relatis alienare sine Apostolico consensu possunt, Panormit. *in c. Ut super cit. n. 15.* Sylvester *V. Alienatio q. 6.* Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 1.* & Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 24. n. 64.* quia tales alienationes juramentô non comprehenduntur. Contrà res

118. immobiles (saltem magni momenti) sine consensu Apostolico alienare, etiam in casu Jure antiquô licito & cum consensu capituli, volentibus Episcopis aliisque Prælatis, qui vigore Literarum Apostolicarum consecrantur, sicut *cit. Constitutio*, ubi usu recepta est, sic etiam juramentum obstat, ut præter *citt.* DD. docent Navarrus *de Alienat. rerum Eccles. n. 14.* Layman *Lib. 3. Tract. 4. cap. 8 n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 57.* propter rationem supra allatam.

119. In praxi, etsi difficilem censeam, non tamen rejicio alteram Responsionem, quâ eidem argumento occurrit *cit.* Wagnereck asserens, in juramento, quô Episcopi, si quando ad alienationem inconsultô Papa devenerint, se obnoxios fore protentur pœnis, in Paulina *Constitutione* sive *Extravag. Ambitiosæ cit.* contentis, sub intelligi hanc etiam tacitam conditionem: *Si*, vel *Quatenus Extravag. hujusmodi usu est recepta:* cujus rationem eam reddit, quòd juramentô illô Prælati se non obligent ad servandam legem, quæ in sua Provincia usu non recepta, aut non usu vel contraria consuetudine est abrogata. Sed, etsi hæc in Episcopis procedant: Abbatibus tamen aliisque Regularibus, immobilia alienaturis, licentiam S. Congreg. Card. Trid. Interpp. hodie necessariam, patet ex dictis *n. 80.*

ARTICULUS VII.

De Rerum malè alienatarum Revocatione.

SUMMARIUM.

120. *Ecclesia agere potest contra Prælatum, rem suam malè alienantem.*
121. *Vel contra possessorem ejusmodi rei.*
122. *Quæ repeti potest à superiore alienantis.*
123. *An etiam ab isto, dubitandi rationes,*
124. *Juris conclusioni non prævaluerit.*
125. *Casus, quibus alicui contra suum factum venire,*
126. *Etiam propriâ turpitudine allegatâ, licet.*
127. *Easdem repetit Prælatus solùm existimatus,*
128. *Etsi non repetiturum se jurârit.*
129. *Uti & alienantis successor:*
130. *Capitulum, etiam sede Plenâ,*
131. *Et cæteri clerici;*

132. Imò

132. *Imò laici parochiani & patroni,*
133. *Et in Bavaria nostra Serenissimi Principes.*
134. *Repetentibus non obstat rerum translatio in alium locum Pium:*
135. *Neque exceptio dominii;*
136. *Cùm repeti valeant Interdictô Recuperandæ:*
137. *Neque etiam præscriptio, objecta à malæ fidei possessore.*
138. *An etiam à bonæ fidei possessore, ratio dubitandi,*
139. *Præscriptionem impediens, dum vivit alienans &c.*
140. *Non etiam, eô mortuô, obstans possessori bonæ fidei:*
141. *Etiamsi ista fundata sit in ignorantia Juris.*
142. *Res malè alienata cum fructibus est restituenda.*

120. REi suæ immobilis vel mobilis pretiosæ alienatione illegitimè, hoc est, sine justa causa vel Canonica solennitate attentatâ, Ecclesiæ competunt duæ Actiones.

Una adversus personam Prælati vel alterius administratoris malè alienantis, ad damni sibi illati de proprio suo, si aliquod habet, patrimonio resarcitionem tendens, *can. Monemus, 12. q. 2. & c. Ex præsentium 3. de Pignorib.* Ecclesia enim æquiparatur pupillo & minori, *c. 1. & c. Auditis 3. de in Integ. restit* quorum res si tutor vel curator malè distraxerint, Actionem contra eos minor & pupillus habent, ad omnis damni in bonis sibi illati resarcitionem, *l. Etiam 3. & l. fin. C Si tut. vel curat. interven.* Atque hæc Actio in personæ malè alienantis hæredes transit, *c. Ex præsentium cit. ubi* Panormit. *n. 3.* & Laiman *n. 2.*

121. Altera adversus rei malè alienatæ possessorem, *arg. ll. citt.* Glossa *in c. Si quis 6. V. Alienata*; cùm enim sine justa causa vel Canonica solennitate facta alienatio ipsô Jure irrita sit, *c. 1. c. Tua 8. de Iis, quæ à prælat. &c.* eâ rei alienatæ dominium translatum non est in accipientem: &, si translatum esset, Ecclesiæ favore revocationi obnoxium foret, *can. Etsi illi, 12. q. 2. & c. Episcopi 4. ubi* Beroius *n. 4.* & Redoanus *de Reb. Eccl. non alien. q. 22. §. Sed deinde, n. 7.*

Quantumvis autem in Ecclesiæ electione sit, an contra possessorem; ut rem restituat: vel; ut se indemnem servet, adversus alienantem agere velit, Glossa *in c. Ex præsentium cit. V. Necessitate:* & conveniendô unum sibi non præjudicet, quò minùs convenire valeat alterum; cùm silentium ei sola solutio imponat, *l. fin. cit.* postquam tamen contra unum vg. possessorem obtinuit & recuperavit rem, alter sive alienans ad interesse conveniri amplius non potest, *l. 1. §. 4. ff. De eo, per quem fact.* quòd bona fides idem bis exigi non permittat, *l. Bona 52. ff. de R. I. Ad interesse*, inquam; quia ad pœnam & Satisfactionem pro injuria contra alienantem agere non prohibetur, Glossa *in c. Monemus cit. V. Reddere*, Panormit. *in c. Si quis cit. n. 10.* Redoanus *q. cit. §. Ad repetendum, n. 4.* & Laiman *in c. Si quis cit. n. 5.*

122. Porro, rei malè alienatæ repetitionem revocationémque Ecclesiæ nomine non solùm à superiore, sed ab ipsomet prælato vel alio administratore Ecclesiastico fieri posse, communis sensus est DD. cui tamen etiam obstare non una ratio videtur, &

123. Primò quidem; quòd, si alienationem revocare ipse vellet, proprium suum factum, tanquam contra sacros Canones gestum, deberet retractare: proprium autem suum factum impugnare, eique contravenire nemini liceat, *arg. c. Quod super 8.* jun-

ctâ Glossâ *V. Posse, de Concess. præbend. & l. Post mortem 25. ff. de Adoption.* &, in judicio propriam turpitudinem allegans, non audiatur, *c. Inter dilectos 8. de Donat.* ibi, *Pro se vel potiùs contra se propriam turpitudinem allegabat.* Secundò; quòd prælati, saltem Episcopis inferiores, & cæteri rerum Ecclesiasticarum administratores, ejusmodi immobilia aut mobilia pretiosa perperam alienare præsumentes, ipsô Jure & factô priventur suis dignitatibus, officiis, & administrationibus, *Extravag. Ambitiosa. §. Inferiores, inter com.* ac proinde ejusmodi res repetere volentibus obstet defectus potestatis sive administrationis. Tertiò; quòd à prælatis ejusmodi res alienantibus adjici contractibus quandoque soleant juramenta de iis non revocandis & repetendis: quibus etiam in Ecclesiarum suarum præjudicium præstitis eos ligari, non obscurè desumitur ex *c. Pervenit 2. de Jurejurando*, ubi Episcopus, qui hujusmodi juramentum præstitit, ut suo facto posset contravenire, ab illo authoritate Apostolicâ est absolutus: & meritò; si enim debitor, ne usuras fœneratori interveniente jurejurando promissas solvere; aut; ut cum juramento de iis non repetendis solutas repetere possit, opus habet ejus relaxatione, *c. 1. & c. Debitores 6. de Jurejurando*, hæc etiam necessaria erit prælato, Ecclesiæ suæ res malè alienatas repetere contra proprium suum juramentum volenti.

124. Sed hæc levia & minora sunt, quàm ut dubiam reddere, non dicam, evertere valeant receptissimam conclusionem DD. imò ipsius Juris, ejusmodi repetitionem ipsi etiam prælato, à quo sunt alienatæ, permittentis, *c. Si quis 6.* ibi, *Nisi fortè & alienator & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint. Quod si minori animâ suâ curâ remedium* Repetitionis & Restitutionis *oblatum neglexerint &c.* Cui

Primâ ratione objectum quasi Regulare dogma; quòd contra factum suum venire nemini liceat, plures admittit exceptiones: quas inter ad rem propositam tres faciunt. Prima est, nisi actus malè gestus &, ut is, de quo nobis sermo est, ipsô Jure sit nullus, *arg. can. Magna, 22. q. 4.* Redoanus *de Reb. Eccles. non alien.* post *Rubr. 33. q. 22. §. Et re ita se habente, n. 4.* Altera, nisi agatur de favore & jure publico, præsertim Ecclesiæ: cujus favore à prælato vel alio administratore, quod in illius præjudicium ab ipsomet gestum est, rectè retractari, tradit Petr. Barbosa *in l. 1. ff. soluto Matrim. p. 5. n. 15.* Postrema, nisi actus non propriô, sed, ut alienatio à prælato vel alio administratore Ecclesiastico, alienô nomine sit gestus, Bartol. *in l. Si minori 3. C. de Jure Fisci.* Pari modô de eo, qui turpitudinem vel dolum suum allegat, proditus quasi Regula non procedit, quando agitur de publico & præsertim Ecclesiæ favore, vel periculo animæ: cujus, ut hic malè alienantis prælati, salus adducitur in discrimen, *arg. can. Quod quis, 35. q. 9.* Glossa *in c. Inter cit. V. Turpitudinem*, & Tuschus *Practic. V. Turpitudo, concl. 404. à n. 58.*

Neque obstat ratio secunda; quia, ut non repetam, quòd *cit. Extravag.* quoad pœnas, aut saltem earum rigorem in paucis locis usu recepta sit; ut, inquam, hoc prætermittam, & prælatos malè alienantes dignitatibus, administrationibus & officiis suis ipsô Jure & factô privatos esse, inficias non eam, nihilominus quamdiu non remoti, sed in administrationum suarum officiis tolerati sunt, sicut alia per eos secundùm sacros

Canones

Canones gesta tenent, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Præt. & §. Veruntamen* post *can. Infamis, 3. q. 7.* sic etiam contra eos nulliter factas alienationes revocare, résque malè alienatas repetere possunt, Glossa *in c. Si quis cit. V. Prospexerint*, & Redoanus *§. cit. n. 5.*

128. Neque tertia; quia juramentum illud non, ut quod debitor fœneratori præstat, de re licita: sed de illicita est, & de contraria obligationi prælato impositæ à sacris Canonibus, *can. Si qua, 12. q. 2. & c. Si quis cit.* ac proinde obligatorium non est, *can. Est etiam 2. &c. 22. q. 4.* & ipsomet *c. Pervenit cit.* cùm juramentum institutum non fuerit, ut esset vinculum iniquitatis, *can. Inter cætera, 22. §. Porro q. 4. cit. c. Quantò 18. de Jurejurando & Reg. Non est obligatorium 58. in 6.* Glossa *in c. Si quis cit. V. Alienator*, Panormit. *ibid. n. 7.* Guttierez *de Juramento p. & cap. 1. n. 9.* duo Barbosæ, Augustinus quidem *in c. cit. n. 8.* Petrus verò *in l. & p. 5. cit. à n. 17.* & alii: qui propterea *c. Pervenit cit.* aliósque similes textus, pro Absolutionis necessitate allegari solitos, de Absolutione interpretativa & nullitatis declaratoria: non de dissolutiva vinculi exaudiunt cum Glossa *fin. in c. Pervenit cit.* Suarez *de Juramento Lib. 2. cap. 15. n. 8.* & Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 9. n. 13.*

129. Sicut à prælato, ejúsque superiore, sic etiam alienatione retractatâ, repeti Ecclesiarum & Monasteriorum res malè alienatæ possunt ab ipsius successore, *c. Episcopi 4. & c. Ad audientiam 9. hâc Rubr.* etiamsi propter collationis nullitatem undecunque provenientem, tantùm esset existimatus *arg. l. Barbarius & §. Veruntamen citt.* Præter hunc & illos repeti

130. ejusmodi res possunt à Capitulo, non solùm Vacante, sed etiam Plena sede *c. Si quis cit.* Imò, si in Ecclesiæ præjudicium gestis adjectum à prælato fuisset juramentum, ad evitandum in populo scandalum, consultiùs & honestiùs esset; ut alienatio ab illo vel superiore, qui nõ jurârunt, potiùs, quàm à prælato revocaretur; quia prælatus, qui juravit, secundùm externam speciem, videri Fidelibus, præsertim rudioribus, potest, agere contra juramentum, ut cum Glossa *in c. 1. de in Integ. restit. V. Contractum*, advertunt Laiman *Tract. de Rer. Eccles. alien. cap. 3. n. 39.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 67. in fine.*

His autem deficientibus, illegitimè 131.
alienata repeti possunt ab aliis Clericis, *c. Si quis cit. §. Sed etiam*, ubi Symmachus Papa, *Licet*, inquit, *quibuscunque Ecclesiasticis vocem contradictionis offerre, ut cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica authoritate fulciri.* Idem Glossa *in §. cit. V. Personis*, 132.
& Panormit. *ibid. n. 8.* permittunt laicis parochianis; quòd ipsorum intersit, ne Ecclesia sua ad inopiam vergat: præsertim patronis, etiamsi illa sit juris patronatûs Laicalis, ut cum Bartolo *in l. Jubemus 14. C. de SS. Eccles.* advertit Redoanus *q. cit. §. Sed deinde, n. 10.* partim; quòd patroni, ratione Oneris sibi incumbentis, secundùm Glossam *in c. Nobis 25. V. Modestè, de Jure patronat.* à se suísque antecessoribus fundatas dotatásque Ecclesias teneantur defendere; ne à potentioribus opprimantur, vel ipsarum dotes & bona temporalia malè alienata dilapidentur, *can. Constitutum, 16. q. 1. can. Filiis & can. Decernimus, ibid. q. 7.* ideóque patroni Ecclesiarum Advocati vocantur *c. Præterea 23. c. Cum autem 24. de Jure patronat. c. Generali 13. de Elect. in 6. &c.* partim verò; quòd grave præjudicium patiantur, si ab ipsis eorúmve Majoribus fundatarum Ecclesiarum

fiarum vel beneficiorum reditus, bonis, ex quibus proveniunt, contra sacros Cânones distractis, diminuantur; cùm ita Ecclesia vel beneficium difficiliùs reperiat idoneos Rectores & clericos, à quibus, cùm illorum reditus essent ampliores, appetebantur, ut in simili argumentantur Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 69. n. 21.* & Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 1. §. 2. n. 9.*

133. Multò majus, quàm cæteris patronis laicis, res Ecclesiarum malè alienatas repetendi jus competit Serenissimis & Potentissimis Electoribus nostris: qui ex speciali, & à Legato Sedis Apostolicæ agnito ac stabilito jure, à prælatis aliisque inferiorum Ecclesiarum administratoribus, in illarum rebus temporalibus malè versantibus, aut de hoc suspectis, administrationis rationem exigere possunt, ut patet ex Recessu Concordatorum, inter Serenissimos illos ex una, & R.mos ac Celsissimos diœcesium Ordinarios ex altera parte, initorum *1583. art. 1. §.* **Wann die Prælaten:** cujusmodi potestatem patronis laicis Jure communi non competere, res omnino indubitata est, propter claros textus *can. Nullus laicorum 18. can. Si quis Principum 16. q. 7. c. In quibusdam 12. de Pœnis* & S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 3. §. Patroni verò, de Reformat.*

134. Neque Ecclesiarum, Monasteriorum &c. res malè alienatas repetentibus obstat primò; quòd illæ in Ecclesiam vel alium locum aut causam Piam, aut Spiritualem sint translatæ; quia etiam in hujusmodi loca & causas, sine justa & à sacris Canonibus approbata causa & debitis solennitatibus facta illarum alienatio irrita; proindéque ipsa retractationi & res repetitioni obnoxiæ erunt.

135. Neque secundò, easdem repetentibus obstat exceptio Dominii, sive quòd Ecclesiæ non sit rerum domina; cùm sat tis sit probare, eas fuisse in bonis Ecclesiæ, sive ab ista possessas & contra sacrorum Canonum præscriptum alienatas, ut ex *can. Et si illi, 12. q. 2. & c. Episcopi 2. hâc Rubr.* verbis, *Absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit*, desumit Beroius *in c. cit. n. 4.* idque in praxi quotidianum & valde utile, nec immeritò censet propter probationem dominii seu proprietatis: quam sæpe difficillimam esse, docet Magister usus & textus *c. Sæpe 18. de Restit. spoliat.* Ut autem pro ejusmodi rerum malè alienatarum recuperatione agentis intentio dictâ dominii exceptione non elidatur, remediò Possessoriò, non Rei Vindicatione agere debet; cùm enim rem vindicanti probatio dominii incumbat, *l. In rem 23. pr.* neque sufficiat probare, eam fuisse in Ecclesiæ bonis, ab eáque possessam, *l. Is qui 24. ff. de R. V.* eique exceptio dominii opponi possit, *c. Sæpe cit. & l. fin. C. Rubr. cit.* ut pro Ecclesiæ rerum malè alienatarum recuperatione agentis intentio hujusmodi exceptione non elidatur, Possessorium Recuperandæ sive Interdictum *Unde vi* intentare oportet; cùm hoc intentanti non ejusmodi rerum dominium seu proprietatem, sed solummodo eas in Ecclesiæ bonis fuisse ab eaque possessas, atque sine justa causa vel debita solennitate alienatas fuisse, probare sit necesse, *arg. c. & l. Si quis cit.*

Adversari huic doctrinæ videri potest; quòd Recuperandæ Possessorio agenti non solius possessionis rerum, pro quibus agit, sed etiam spoliationis sive dejectionis à possessione probatio incumbat, per textum *c. Consultationis 10.* ibi *Possessionem & dejectionem, de Offic. deleg.* Glossam *ibi, V. Possessionem* & tradita *Lib. 2. tit. 13. n. 7. & 8.* Sed re vera non adversatur; quia eò ipsò; quòd res ab

res ab Ecclesia possessa sine justa causa aut Juris solennitatibus fuerit alienata, Ecclesia sine suo facto & culpa ejus possessione dejecta, & is, in quem res ejusmodi alienatione translata est, ejus spoliator censetur; ut Recuperandæ Possessorio valeat conveniri, Beroius *in c. Episcopi cit. n. 4. §. Et ideo* & Redoanus *de Reb. Eccles. alien. q. 22. §. Sed deinde n. 8.*

137. Neque tertiò, ut aliqui volunt, res malè alienatas repetentibus obstat præscriptio. Quod nemo facilè inficiatur, si emptor aut alius, in quem ejusmodi res ab Ecclesia translatæ sunt, eas Ecclesiasticas, & non exigente aut suadente justâ causâ, vel non observatis Juris solennitatibus, distractas esse, scivit; cùm enim à tali malâ fide detentæ sint, nullo unquam tempore præscribi ab eo potuerunt, *c. Vigilanti 5. c. fin. de Præscript. & c. Possessor 2. de R. I. in 6.* ac proinde illas repetere volentibus opposita præscriptio non obstabit.

138. Non melior esse conditio aliorum, ac proinde Præscriptionis exceptio cuicunque, etiam bonæ fidei possessori non prodesse videri potest Primò, propter authoritatem summorum Pontificum Gregorii X. in decreto Conciliari *c. Hôc consultissimô 2. in 6.* relatô, rerum Ecclesiasticarum malè factis alienationibus vires ita adimentis; ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent: & Pauli IV. exceptionem Præscriptionis earundem repetitioni opponi posse, absolutè negantis *Constitutione*, quæ incipit *Injunctum, Idib. Julij 1555. editâ.* Secundò, propter paritatem rei Ecclesiasticæ cum pupillari; cujus præscriptio pro tota ea ætate sublata est, *l. Sicut 3. V. Quæ ergo, C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Balbus *de Præscript. p. 6. pr. p. 1. n. 28.* Tertiò, quòd præscriptio sit quædam alienatio; cùm, sicut per donationis, venditionis &c. sic etiam per præscriptionis viam rerum dominium transferatur; ideóque prohibitus alienare præscriptionem pati nequeat, Bertachin. *Tract. de Episc. p. 4. n. 155.*

Sed esto; quòd, sicut pupillari ætate durante contra pupillum, sic etiam contra Ecclesiam toto tempore, quô prælatus vel alius administrator malè alienans vivit, vel ab administratione remotus non est, præscriptio non incipiat, *arg. can. Post quingentos 9. §. Item,* & *can. Si sacerdotes, 16. q. 3.* & totô tempore Sedis vacantis, aut durantis excommunicationis, suspensionis vel captivitatis ipsius prælati, vel hostilitatis, non currat, *can. Prima actione, q. 3. cit. c. 1. c. Ex transmissa 10. c. Auditis 15. §. Quodsi, de Præscript.* quòd totô illô tempore Ecclesia careat legitimô defensore, qui res malè alienatas repetere possit, aut facilè velit, *c. 1. & c. fin. Ne sede vacante &c.* Panormit. *in c. Ex transmissa cit. n. 8.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 78. n. 7.* Esto, inquam, hæc ita se habeant, res tamen Ecclesiarum malè alienatas à bonæ fidei possessoribus, vg. ab emptore, præter justam causam etiam tractatum Capituli istiúsque & superioris consensum adhibitum esse, falsò persuaso, vel ab alio rem sibi venditam in Ecclesiæ bonis aliquando fuisse, omnino ignorante, quadraginta annorum lapsu præscribi, Panormit. *in c. cit. 8.* Covarruv. *in Reg. Possessor p. & §. 2. n. 3.* Molinæ *disp. cit. n. 1.* Lessii *Lib. 2. de I. & I cap. 6. n. 26.* Barbosæ *Juris Eccles. Lib. 3. cap. 28. n. 16.* aliorúmque Interpp. & DD. communis sententia & ratio clara est; quia, sicut res immobiles contra privatos præsentes decem, contra absentes autem viginti annis, *l. Diutina 4. l. fin. ff.* 139.

de Præscript. long. temp. l. Unica C. de Usucap. Transform. & pr. Instit. de Usucap. sic etiam Ecclesiarum inferiorum res quadraginta annis à bonæ fidei possessoribus præscribi generaliter permittuntur Jure tam Imperiali, *Auth. Quas actiones, C. de SS. Eccles. & Novell. 131. cap. 6.* quàm Ecclesiastico, *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. & c. Illud 8. pr. de Præscript.* A qua utriusque Juris dispositione, etsi excipiatur Ecclesia Romana, contra quam centenariâ minor præscriptio non currit, *Auth. cit. in fine Novell. 9. c. Ad audientiam 13. c. Cùm vobis 14. de Præscript. & c. 2. eâdem Rubr. in 6.* ejúsque privilegium quibusdam Monasteriis, imò Ordinibus Religiosorum, præsertim Mendicantium Eugenii IV. Julii II. Pii IV. aliorúmque Summorum Pontificum Indultis communicatum, Barbosa *in c. Cùm vobis cit. n. 3.* Donatus *Prax. Regul. tom. 1. p. 2. Tract. 12. q. 10.*
140. & alii testentur: non tamen excipiuntur Ecclesiarum aut Monasteriorũ quorúmcunque res malè alienatæ, quò minùs à bonæ fidei possessoribus præscribantur: præsertim postquam *alleg.* Pauli IV. *Constitutio* ab ejus successore Pio IV. ad Juris communis terminos revocata est *Constitut.* quæ incipit *Provida, editâ 3. Id. Septemb. 1560.*

Neque obstat *c. Hôc consultissimô cit.* relatum decretum; quia exaudiri à DD. solet de eo, in quem res Ecclesiæ à Prælato translata est sine Juris solennitatibus; quòd has ad contractús valorem necessarias ignoraret: in cujusmodi ignorantia, cùm sit Juris manifesti, fundatam bonam fidem ad præscriptionem etiam de Jure Canonico non sufficere, cum Panormit. *in c. De quarta cit. n. 12.* & Covarruv. *in Reg. cit. §. 9. n. 8.* docet *cit.* Molina *disp. 64. n. 4. & in c. Hôc consultissimô cit.* cum Glossa *V. Præscribendi*, notant Francus in §. *Contractus n. 4.* & Barbosa *n. 7.* Verúm, quia tri- 141.
cenariæ vel quadragenariæ præscriptioni, quando titulum non exigit, bonam fidem ex Juris etiam manifesti ignorantia ortam, non obstare, ex communi aliorum præsertim RR. sententia *Lib. 2. tit. 26. n. 27.* ostendi, *c. Hôc consultissimô cit.* aliter exponendum dicendúmque est, ejus decretum procedere in casu speciali, quô Ecclesiarum Prælati & Rectores Ecclesias earúmque bona immobilia seu jura laicis submittunt, eósque Ecclesiarum rerúmque & jurium patronos, advocatos & defensores constituunt, & tanquam dominos ac superiores recognoscunt. Quod *c. cit.* imprimis Prælati sine Sedis Apostolicæ speciali licentia, ad rerum Ecclesiasticarum alienationem Jure *Extravag. cit.* Antiquiori non requisitâ, facere prohibiti, & contractus, super ejusmodi submissione sine ejusmodi licentia celebrati, cum adjectis juramentis inriti declarati: deinde in his fundatæ præscriptioni vis sublata est; quantumvis aliter alienatæ res Ecclesiarum etiam immobiles & pretiosæ præscriptioni obnoxiæ hodiéque sint: & demum in decreti eô relati transgressores Prælatos & clericos suspensionis, in laicos autem excommunicationis ipsô factô incurrendæ pœnæ sunt latæ. Cujus specialis dispositionis & pœnarum decretarum ratio justissima fuit; quòd ejusmodi submissio non solùm alienatio, sed servitus quædam & Ecclesiæ multò periculosior, quàm illa sit; cùm eam statûs & libertatis suæ subversioni & laicorum oppressionibus obnoxiam reddat, ut *in c. cit.* textum cum Glossa *V. Speciali*, Archidiacono *n. 2.* Franco §. *Contractus, n. 4.* notat Vivianus *pr.* & insinuat Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 60.*

Multò minùs quàm textus urget ratio;

ratio; cùm enim rerum Ecclesiæ immobilium alienatio non simpliciter, sed tantùm sine certa Forma interdicta sit, ut hactenus latè est explicatum, respectu ejusmodi rerum præscriptio sub ejusmodi Forma factæ ac proinde Canonicæ alienationis vim habet, per tradita à Baldo apud Redoanum *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 1. cap. 3. n. 13.*

142. Neque res duntaxat malè alienatæ Ecclesiæ repetenti, sed ejus quoque fructus sunt restituendi, *c. Si quis 6. V. Sed etiam.* Aliter tamen à bonæ, aliter à malæ fidei possessore.

Ille enim ante litem contestatam extantes duntaxat: post litem autem contestatam universos, hoc est, cum extantibus etiam consumptos restituere tenetur, *l. Certum 22. C. de R. V.* agere tamen potest adversus Prælatum, qui rem in ipsum illegitimè alienavit, ad recuperandum pretium: &, si iste de propriis bonis solvendo non sit, id ab Ecclesia, saltem quatenus facta est locupletior, repetere potest; quòd istam cum ipsius damno locupletari, naturalis æquitas non permittat, *l. Nam hoc 14. ff. de Condict. indeb.* Panorm. *in c. Si quis cit. n. 13.* Joan. Andr. *in c. Ad audientiam 9. n. 3.* Sylvester *V. Alienatio n. 14.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 468. n. 16.*

Iste verò sive malæ fidei possessor fructus omnes, etiam quos ante litem contestatam ad eum perveniſſe probatur, Ecclesiæ restituere tenetur, *l. Si fundum 17. C. de R. V.* atque insuper meliorationes in re male alienata factas perdit, *can. Non liceat, 12. q. 2. & l. Jubemus 14. §. 1. C. de SS. Eccles.* Panormit. *in c. Si quis cit. n. 6.* & in pœnam amittit pretium, quod Ecclesiæ alienatione læsæ applicatur, *l. Jubemus cit. §. 1. & Auth. Qui res C. de SS. Eccles.* nisi in contractu sibi prospexisset de evictione contra malè alienantem; hôc enim casu pro pretio ab ipso recuperando agere potest, *l. Si fundum 17. C. de Evict.* Panormit. & Sylvester *l. citt.* Redoanus *cit. q. 2. §. Ad repetendum, n. 20.* & Honorius *ad hanc Rubr. n. 32.*

ARTICULUS VIII.

De Prælatorum &c. Ecclesiarum suarum res malè alienantium Pœnis.

SUMMARIUM.

143. *Istarum necessitas.*
144. *Pœna in malè alienantes Civili:*
145. *Ecclesiasticô antiquiori,*
146. *Et modernô Jure lata.*
147. *Ab iis excusat Consuetudo,*
148. *Defectus administrationis,*
149. *Alienationis Imperfectio,*
150. *Defectus Traditionis,*
151. *Ignorantia Facti,*
152. *Et ipsius etiam Juris.*
153. *Ab iisdem excusat culpa solùm Venialis.*

143. UT Ecclesiarum & Monasteriorum indemnitati consuleretur, satis non erat, causas, ex quibus: & formam sive modum, quô ad rerum immobilium & pretiosarum ad illa pertinentium alienationem deveniri posset, definiri, & aliter factam irritari: nisi Prælatorum & cæterorum administratorum, alienationes, & quandoque dilapidationes attentantium, seu facilitas seu temeritas, propositis severissimæ coërcitionis remediis ac pœnis, & in dies magis compesceretur.

144. Et olim quidem Leonis Imp. *l. Jubemus 14. §. Oeconomus C. de SS Eccles. c. Nulli 5. in fine hic* allegatâ & Canonizatâ *Constitutione*, res Ecclesiarum malè alienantes Officii sui amissione plecti, & ad illati illis damni resarcitionem com-
145. pelli jubentur. Consonant *can. Monemus 18. &c. 12. q. 2.* Imò Episcopi, qui absque necessitate, *can. Apostolicos 13. §. Quisquis, q. cit. & can. Si quis Episcopus, 10. q. 2.* Abbates & Clerici, qui absque licentia Episcopali Ecclesiarum res distrahebant, deponebantur, *can. Quisquis 20.* & præsertim *can. Abbatibus 12. q. 2.* Qui verò res ita distractas & acceptas non restituebant, ipsô factô erant excommunicati, §. *Quisquis cit.* Quæ excommunicationis pœna etiam in presbyteros & alios, qui prædii vel alterius rei immobilis contra sacros Canones attentatæ alienationi subscripserunt, decreta est *can. Non liceat Papæ 12. q. 2. & c. Si quis 6. hâc Rubr.* Religiosi denique Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ vel administrationi præpositi, si illorum jura, reditus & possessiones alicui ad vitam vel quodcunque longum tempus contra sanctiones Canonicas concedebant, suspensionem ab Officio ipsô factô incurrebant, ex Decreto Concilii Viennens. *Clement. 1.* relatô.

146. Hodie, ubi Consuetudo aliud non exigit, res & bona Ecclesiastica malè alienantes, & sic alienata recipientes potissimùm obnoxii sunt pœnis, à Paulo II. latis *Extravag. Ambitiosæ* inter communes, quâ contractibus juxta dicta *n. 98.* annullatis, Imprimis tam alienans, Episcopo & Abbate inferior, quàm qui ejusmodi res malè alienatas receperit, excommunicatur. Deinde Episcopi & Abbates Ecclesiarum & Monasteriorum suorum bona contra ipsius tenorem alienantes, interdicti ingressu Ecclesiæ; &, si sub hoc interdicto sex mensibus perseveraverint, à regimine & administratione Ecclesiarum vel Monasteriorum suorum ipsô factô suspensi pronuntiantur. Demum inferiores Prælati, Commendatarii & Ecclesiarum Rectores, beneficiati & alii administratores ultra excommunicationem dignitatibus, beneficiis & officiis, quorum res & bona alienarunt, privantur ita, ut illa absque ulla declaratione recare censeantur. Quæ pœnæ omnes, juxta dicta *n. 80.* S. Congregat. Cardd. Interpp. decretô, Urbani VIII. jussu edictô, confirmantur, adjectâ in Praelatos & quoscunque superiores Regulares, res & bona immobilia aut mobilia pretiosa, contra ipsius tenore præstitam formam alienantes, pœnâ privationis omnium suorum Officiorum, Vocisq; tam Activæ quàm Passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipsô factô incurrendâ. Ab his tamen pœnis

Excusat primò Consuetudo locorum, in quibus Constitutiones illæ usu non receptæ, vel non-usu sunt abrogatæ.

Secundò etiam, ubi usu receptæ sunt, ab iis excusantur Religiosi subditi, & alii non habentes administrationem; quia *citt. Clement. & Extravag.* textus loquuntur de Prælatis beneficiatis & aliis obtinentibus administrationem: quâ cum illi careant, pœnali & odiosa utriusque dispositione non afficientur, Bonacina *Tract. de Alienat. q. unic. p. §. n. 1.* & Donat. *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. q. 89. n. 5.* Quod licet ita se habeat, etiam ipsi, si res Ecclesiasticas, quarum administratione carent, dissipare, aut usurpare præsumant, aliis pœnis sunt mulctandi, Donatus *ibid. n. 6.* Bonacina *l. cit. n. 3.* cum Franc. Leone *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 15. n. 43.* qui illos affici existimat excommuni-

munication, à Concilio Trident. *Sess. 22. cap. 11. de Reformat.* latâ, & Papæ absolutioni reservatâ.

149. Tertiò ab iisdem excusantur, qui alienationem solùm attentant, & tractatu nondum perfectô, recedunt; quia regulariter pœna imposita facienti, non contrahitur per solam criminis attentationem, Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio rer. Eccles. n. 50.* & Donat. *q. 90. n. 1.* Ubi

150. Dubium est, an à pœnis illis etiam liberetur, quem alienationis contractu ad finem productô, pœnitet, si illum ante actualem rerum traditionem revocet. Hunc enim pœnis illis esse obnoxium, vult *cit.* Bonacina *n. 2.* cùm, quòd venditio, locatio & similes contractus quoad substantiam mutuo consensu contrahentium perficiantur, *pr. & §. 1. Instit. de Oblig. ex cons. & l. Consensu 2. pr. ff. de O. & A.* tum verò; quòd ante traditionem completus & consumatus censeatur effectus sub pœnis illis prohibitæ alienationis: eô autem completô & consummatô censuras contrahi, communis sit sensus DD. Ita Bonacina & probabiliter omnino.

Sed, sicut benignior, sic etiam communior &, tam Jure quàm ratione spectatis, probabilior hac de re est sententia Quarantæ & Donati *l. citt.* eum à relatis pœnis liberari, docentium cum Navarro *Consil. 19. de Reb. Eccles. alien. n. 13.* Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 17. n. 7.* & Filliucio *Tract. 14. cap. 7. n. 19.* Et de Jure quidem antiquiori id satis liquet ex *c. Si quis cit.* ubi alienans, & alienationi subscribens etiam, post traditionem primùm excommunicandus dicitur, *Nisi fortè & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint*, indubitatô indiciô, ab excommunicatione immunem esse, qui contractum revocat ante traditionem.

De recentiori autem idem desumitur ex *Extravag. cit.* quâ, ut excommunicatio ab alienante, & cum isto contrahente incurratur, receptio exigi videtur Verbis, *Tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Ratio est; quia pœnæ & maximè censuræ in facientes latæ non incurruntur, nisi secutus sit effectus prohibitus sub illis: quod cum Navarro *Consil. 37. de Sent. excom. n. 2.* Suarez *de Censur. disp. 4. l. 3. n. 4.* Coninck *disp. 13. dub. 8. Concluf. 7.* & alii rectè colligunt ex *c. Perpetuo 7. de Elect. in 6.* ex cujus dispositione Jure lata privatio potestatis eligendi non contrahitur solâ collatione suffragii in indignum, etiam scienter facta: nisi ex ejusmodi suffragiis communis electio indigni sequatur. Cujus argumentô *Extravag. cit.* lata excommunicatio & cæteræ pœnæ non incurrentur, antequam rei Ecclesiasticæ ab uno receptio, ac proinde ab altero traditio sit facta; quia hæ, & non sola contrahentium conventio, effectus sunt prohibiti sub ejusmodi pœnis. Unde corruit ratio Bonacinæ.

151. Excusantur quartò, qui res seu bona Ecclesiastica alienant aut recipiunt ex ignorantia, vg. quòd res distractas aut acceptas ad Ecclesiam, Monasterium &c. pertinere non sciant, ut, colligitur partim ex verbis, *Quicquam alienare præsumpserint*, *Extravag. cit.* præsumptio enim denotat dolum, scientiam & temeritatem, Navarrus *l. cit.* partim verò; quòd ignorantia, si probabilis est, excuset à peccato mortali: ac proinde à memoratis pœnis, quæ peccatum grave supponunt, Navarrus *Tract. de Alien. rer. Eccles. n. 14.* Bonacina & Donatus *l. citt.* modò ignorantia non sit supina & crassa; hanc enim non excusare, & scientiæ æquiparari, satis constat ex *can. fin. dist. 33. c. Ut animarum 2. de Constit. in 6. & l. Nec*

supina 6. ff. de J. & F. J. Gaill. *Lib. 2. Obser. 38. n. 15.*

152. Neque solùm ab eo, qui bona Ecclesiastica fuisse, aut solennitates non interveniſse: sed ab eo etiam, qui earum alienationem prohibitam, & in malè alienantes latas pœnas ignorat, dummodo ignorantia crassa & supina non sit, excommunicationem & reliquas censuras non contrahi, cum *cit.* Navarro *Consil.* 19. rectè affirmant Quaranta *V. cit. n. 9. & 10.* Suarez *disp. 4. s. 9. n. 19.* Bonacina & Donatus *l. citt.* Et quidem, si de ignorantia Juris eam prohibentis loquamur, id satis constat ex textu *Extravag. cit.* pœnis illis prosequentis alienationis *Præsumptionem*, in hujusmodi ignorantibus deficientem. De ignorantia etiam solius pœnæ, alienationis præsumptioni annexæ, desumitur ex *can. Proposuisti 2. §. Sed ea planè, dist. 82.* ex cujus dispositione suspensionis vel depositionis pœnâ, in Clericos incontinentes decretâ, non afficiuntur, qui sanctionem illam statuentem ignorant. Ratio est; quia excommunicatio & cæteræ censuræ sunt pœnæ Medicinales, *c. 1. de Sent. excom. in 6.* Jure specialiter introductæ; ut sui horrore à contumacia, inobedientia & contemptu potestatis Ecclesiasticæ absterreant, *c. Ex parte 23. de V. S.* & propterea exigunt præviam monitionem, *c. 1. cit. c. Sacro 48. de Sent. excom. c. Constitutionem 9. & c. ibid. in 6.* qualis interveniſse, uti etiam Ecclesiasticæ potestatis, ab eâque latæ censuræ contemptor dici nequit, qui ejus comminationem ignoravit, ut ex communi DD. sensu rectè advertit Gonzalez *in c. Cùm illorum cit. n. 3.*

153. Quintò denique ab iisdem pœnis, etiam ubi suprà allegata Jura pœnalia omnia usu recepta sunt, excusantur, quicunque rerum Ecclesiasticarum, suæ administrationi commissarum, alienatione ex quacunque alia causa graviter non peccant, Quaranta *cit. n. 50.* Ratio est; quia ex una, depositio & cæteræ pœnæ illis proditæ, omnes valde graves: excommunicatio autem Ecclesiasticarum omnium gravissima est, *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis* ibi, *Cùm Ecclesia non habeat ultra quid faciat:* ex altera verò parte pœnæ commensuratæ esse debent culpæ, *can. Non afferamus, 24. q. 1. can. Pro qualitate, 26. q. 7. c. Sicut dignum 6. pr. de Homicidio c. Quæsivit 2. De iis, quæ à majori, l. Perspiciendum 11. ff. & l. Sanctum 22. C. de Pœnis.* ac proinde, si alienatio ex quacunque causa graviter peccaminosa non sit, excommunicatio & reliquæ pœnæ non contrahentur per ea, quæ ex Navarri Manual. *cap. 27. n. 9.* Covart. *in c. Alma, de Sent. excom. in 6. p. 1. §. 9.* aliorúmque DD. communi sensu tradunt *cit.* Suarez *disp. 4. s. 4.* Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 4. n. 55.* Coninck *disp. 13. dub. 8. conclus. 2.* & Palao *Tract. 29. disp. 1. p. 7. n. 2.*

Neque ab iis etiam, qui res Ecclesiarum malè alienandò à gravi culpa ex quacunque causa excusantur, excommunicationis aliásque pœnas incurri, rectè infertur ex eo; quòd censura illa *can. Si quis 23, dist. 23. & c. Si quis 4. de Vita & honest.* proposita sit in clericos nutrientes comam, cujus nutritio gravi culpâ vacare videtur; quia, esto ista per se graviter peccaminosa non sit, talis tamen esse potest, & quondam fuit non solùm ratione contumaciæ & contemptûs legis Ecclesiasticæ ipsam vetantis: sed etiam ratione finis, scandali & similium circumstantiarum, ratione quarum ea clericis quondam graviter prohibita fuit, ut post Coninck & Palao *l. citt.* observat Pirrhing *ad Rubr. cit. n. 21. in fine.*

TITU-

TITULUS XIV.

De Precariis.

RErum Ecclesiasticarum Alienatione pertractata generatim, progredimur ad quasdam ejus species seu Contractus, quibus ad ipsam pervenitur: &, ne latissimè patentis materiæ prosecutio justa propositô nostrô prolixior sit, eam ferè notabiliorum textuum, huic & sequentibus Rubricis subjectorum explicatione constringemus.

ARTICULUS I.

De Precario.

SUMMARIUM.

1. *Precarium affine Donationi: ab ista tamen diversum,*
2. *Et ad concedentis arbitrium revocabile est:*
3. *Quin tamen accipienti omnis utilitas adimatur.*
4. *Revocationi non obest concessio facta ad tempus.*
5. *Precarium à Commodato differt usu,*
6. *Præstatione culpæ,*
7. *Et possessione.*
8. *Finitur revocatione concedentis,*
9. *Morte accipientis,*
10. *Et aliquando, non semper, obitu concedentis,*
11. *Et rei precariô concessa venditione.*

PRecariæ, licet idem cum Precario esse primô intuitu videantur, diversæ tamen ab isto naturæ, diversæque originis sunt contract⁹. 1.

Precarium enim propriè dicitur, quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, *c. fin. & l. 1. pr. ff. de Precario:* estque Contractus vel potiùs Conventio, quâ alicui petenti rei usus gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus, *l. cit. pr. & §. 1. l. Ait Prætor 2. §. 2. ff. Rubr. cit. & c. fin. cit.* quantumvis enim Precarium species quædam sit liberalitatis & Contractus gratuitus, affinis Donationi: ab ista tamen eô differt; quòd donatio rei dominium transferat, & traditione semel perfectâ ferè nequeat revocari, & repeti, quod est donatum, *l. 1. ff. de Donationibus.* Precarium contrà non dominium, sed usum rei transferat: eóque sic detur; ut, qui dedit, repetere semper possit, *l. 1. cit. pr. & §. 2.* etiamsi ad certum & definitum, sive longum sive breve, tempus fuerit concessum; quia nihilominus in potestate concedentis est, cùm voluerit, etiam ante illud tempus lapsum repetere, *l. Cùm precariò 12. ff. Rubr. cit.* dummodo tamen sine rationabili causa non confestim atque res concessa est, repetatur; cùm enim beneficium non corrumpi: eóque nos adjuvari, non decipi lædique oporteat, res precariò concessa, ne omnis ejus usus & commodum auferatur, 2.

3. ratur, ei, cui concessa est, aliquò saltem temporis spatiò relinqui debet, *arg. l. In commodato 17. §. 2. ff. Commodati.* Quantò autem, permittitur arbitrio judicis: qui, si urgens necessitas exigere videatur, restitutionem etiam statim faciendam decernere potest, Panormit. *in c. fin. n. 3.* Navarrus *Manual. cap. 17. n. 182.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 15. n. 6.*

4. Neque propter hanc liberè revocandi facultatem frustranea est concessio ad certum tempus, vg. mensem aut annum; quia precarium accipiens rem concessam retinere: eáque, si antè non revocetur, usque ad definitum tempus uti: imò, istò etiam transactò, retinere potest; quòd, si istò exactò revocatio non fiat, precarium à domino rursum concessum & renovatum censeatur, *l. In rebus 4. §. 4. ff. Rubr. cit. ubi* Glossa *V. Rursus*, & Bruneman. *in l. Si certò 6. ibid. n. 1.*

5. Maximè affine Precarium est Commodato, *l. 1. cit. §. fin.* cùm utroque res ad usum concedatur: utrumque gratuitum sit: reíque dominium in accipientem neutrò transferatur. Ab isto tamen etiam non in uno, & Imprimis quidem ac præcipuè differt; quòd Commodatò res detur ad certum usum, vg. equus ad iter triduanum Ratisbonam, liber ad transcribendum: & ante eum usum ac tempus expletum nequeat revocari, *l. In commodato 17. §. 3. ff. Commodati:* Precarium autem ad indeterminatum usum & tempus concedatur: &, si ad certum tempus detur, intra illud concedenti integrum semper sit, rem precariò concessam revocare, *l. In rebus 4. §. 4. l. Cùm precariò 12.*

6. *pr. & c. fin, citt,* Deinde differt quoad præstationem culpæ; cùm, licet gratiâ accipientis utrumque sit, is tamen, qui rem Precariò accepit, dolum duntaxat & culpam latam præstare teneatur, *l. Quæsitum 8. §. 6.* non etiam culpam levissimam aut levem, sicut is, qui Commodatum accepit, *l. cit. §. 3. ff. hic.* Cujus discriminis ea ratio est; quòd, cùm revocari queat ad libitum, ut exigua utilitas accipientis sit, graviorem obligationem, licet in pactum deduci queat, non mereatur; Haunold. *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n. 771.* & Bruneman *in l, cit. n. 3.* Demum, quòd rem commodatam accipiens ejus nec naturalem nec civilem habeat possessionem: sed ista remaneat penes commodantem, qui rem datam suò animò & alterius, scilicet commodatarii, corpore ac ministeriò possidet, *l. Quod meo 18. ff. Adquir. possess.* contrà quàm accidit in precario; cùm ad usum non solùm res mobiles & immobiles, corporales & incorporales, *l. Ait Prætor 2. §. 3. l. In rebus 4. pr. l. Et habet 15. §. 2. citt.* sed 8.
etiam possessio precariò concedi roganti possit, *l. Et habet cit. § 4.* ut, qui rem sic possidet, si in possessione, non ab ipso domino seu precarii authore, sed ab alio quocunque turbetur, Interdictò *Uti possidetis* valeat experiri, *l cit. §. 6. & l. 1. §. fin. ff. Uti possidetis.* Imò eâ vi dejectus etiam interdictum *Unde vi* Intentare, Alexand. *in l. Si quis major 41. C. de Transact. n. 10.* & Menoch. *Recup. remed. 15. n. 56.*

Quin etiam, si rem sine possessionis 9.
expressa mentione rogatam precariò acceperit, eam non quidem civiliter, opinione dominii & ut suam: sed naturaliter duntaxat, & quamdiu dominus concesserit, possidere videtur; ut, quidquid naturali possessori Jure conceditur, ipsi competat: quod desumitur *ex l. Et habet cit. §. 4. & 5.* hujusmodi possessionem ei absolute & sine ulla ejus rogatæ mentione tribuente, ex *l. Servus 22. §. 1. ff. de Noxal. act. & l. Pomponius 13. §. 7. ff. de Adquir. possess.* quarum priori precariò rem tenentis possessio justa: posteriori ista, ruptò & dissolutò precariò, à domino recipi dicit. 10.

pi dicitur. Unde, cùm *l. Certè 6. §. 2. ff. Rubr. cit.* precariò ad tempus in fundo moranti possessio negatur, id de civili possessione exaudiendum, vel dicendum est, naturalem quidem, sed ideo solùm negari, quòd, ut precariò in fundo solummodo ad tempus moraretur, hoc est, in ejus possessione esset, non ut eum possideret, secundùm *l. Si quis ante 10. §. 1. ff. de Adquir. possess.* expressè fuerit actum, ut rectè advertunt Gomez *Lib. 2. Var. cap. 7. n. 2.* & Fachineus Controvers. *Lib. 8. cap. 16. in fine.* Alii tamen calculò frequentiori, ab eo, qui rem precariò accipit, eam sine possessione, nisi etiam hæc rogata sit, detineri, ex *cit. §. 5.* desumunt apud *cit.* Haunold. *n. 770.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 4.*

8. Finitur Precarium imprimis revocatione, ad libitum permissâ ei, qui concessit; ut ne in pactum quidem deduci valeat, ne ab isto ante certum tempus vg. mensem aut annum revocetur, *l. Cùm precariò cit. pr.* Imò hujusmodi pactio, cùm naturæ Precarii istiúsque contractûs substantiæ & formæ repugnet, nulla est; ut ne in Commodatum quidem transeat: sed habeatur pro non adjecta, Panormit. *in c. fin. cit. n. 3.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 298. n. 3.* & Gaill. *Practic. Lib. 2. Observat. 6. n. 3.*

9. Deinde obitu ejus, cui est concessum, ac proinde ad istius hæredes non transit, *l. cit. in fine*, quia est beneficium personale, & cum persona extinguitur, secundùm *Reg. Privilegium 7. in 6.* Nisi concessio non tam personæ, quàm dignitati vg. Prælaturæ esset facta; cùm enim ista non moriatur, *c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* eò, qui hanc obtinet, mortuò, Precarium transit ad successorem, Panormit. *ibid. n. 5.*

10. Morte etiam concedentis expirat casu, quò ab isto usque ad suum beneplacitum conceditur; ut concessio ipsius indeterminatæ voluntati alligetur; cùm enim concedentis beneplacitum & voluntas ipsius morte cesset, precarium ad vitam concessum censetur, *arg. c. Si gratiosè cit.* ut ipsâ morte sine alia revocatione extinguatur, *citt.* Panormit. *n. 6.* Molina *n. 10.* Haunold. *n. 772.* & Gonzalez *n. 9.* Extra hunc casum autem precarium concedentis obitu non extinguitur: sed eò concessa res ab ejus hæredibus, si non revocetur, precariò incipit haberi, *c. fin. cit. & l. Quæsitum 8. §. 1. ff. Rubr. cit.* cùm sit gratia quædam & liberalitas, *l. 1. cit.* quæ concedentis morte non expirat, *c. Si super 9. de Offic. deleg. in 6.* sed durat, donec ab hæredibus aut successoribus revocetur, *citt.* Covarruvias *cap. 15. n. 3.* & Molina *n. 8.*

Quin etiam, si precariò rogatus, 11.
rem ita concessam alienavit, precarium non solvitur: nisi ab emptore revocetur; hoc enim si non fiat, ab isto res precariò haberi incipit perinde, ac si ipsi concessa fuisset, *c. fin. cit. & l. Quæsitum cit. §. 2. citt.* Molina *num. 19.* & Haunold. *n. 772.*

ARTICULUS II.

De Precariis seu Precaria.

SUMMARIUM.

12. *Precariarum olim frequens usus:*
13. *Origo seu nomenclatio:*
14. *Natura ac diuturnitas concessionis.*
15. *Perpetuæ hodie non sunt.*
16. *Differentia Precariarum à Precario,*
17. *Et à contractu Emphyteutico.*
18. *Exigunt quinquennalem renovationem:*

19. *Non etiam rei Ecclesiasticæ præscriptas solennitates,*
20. *Quas prima concessio requirit.*

12. FRequentem in Ecclesia, præsertim Gallicana, Precariarum concessionem olim fuisse, si aliunde non constaret, abunde testarentur Concilia Agathense *can. 58.* Epaunense *can. 18.* Aurelianense IV. *can. 36.* aliique VV. Canones, uti & Caroli M. Capitular. *Lib. 5. cap. 3. & Lib. 7. cap. 104.*

13. Originem autem suam, vel potiùs nomenclationem aut formam Precariæ debent Juri Ecclesiastico, à *Precibus*, sicut Precarium, sic etiam ipsas (vel potiùs à charta Ecclesiæ porrecta, quæ *Precaria* vel *Precatoria* dicebatur, & rerum Ecclesiasticarum precariæ concessionis postulationem continebat) appellanti, ut colligitur ex Marculph. *Lib. 2. Formul. cap. 5.* & Synodi Rhemensis celebratæ sub Carolo *can. 35.* ibi, *De his, quæ per Precatoriam ab Ecclesia impetrantur.* Ab iisdem *Precibus* nomen etiam Precariæ inditum, patet ex Concil. Tolet. VI. *can. 5.* verbis, *Qui de rebus Ecclesiæ Episcopi percepit largitate, sub Precariæ nomine professionem scribere debet.* Unde Precaria à Precariis terminatione duntaxat & numerô, non significatione differre, haud immeritò visa est Panormit. *in c. 1. n. 3.* & Tholosan. *Syntag. Lib. 23. cap. 2. n. 5.*

14. Sunt autem Precariæ seu Precaria Contractus, quô rei immobilis, & ferè soli, usus alicui roganti, ad quinquennium vel ad vitam accipientis, vel aliud certum & determinatum tempus sub annuo censu, vel alio onere, vel etiam remunerationis causâ, eô pactô conceditur; ut si concessionis tempus quinquenniô sit diuturnius, ne istius longinquitate illius memoria intereat, *can. Longinquitate 61. can. Sæpe 69. &c. 12. q. 2.* renovari singulis quinquenniis debeat, *can. Precaria 10. q. 2. & c. 1. hic;* & finitô concessionis tempore, cum omnibus suis incrementis ad Ecclesiam revertatur. Ita ex communi & magis recepto DD. sensu Gonzalez *in c. 1. cit. n. 4. & 9.* sub cujus finem cum Gibalino *Lib. 4. de Usuris cap. 2. art. 6.* notat casu, quô ille, qui res suas Ecclesiæ donavit, earum usumfructû per Precariam peteret, ad vitam: casu autem, quô in Precarias darentur res ab Ecclesia aliunde comparatæ, eas ad quinquennium vel aliud certum tempus concedi consuevisse.

Perpetuas esse posse, cum *cit.* Panormit. tradunt Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 298. n. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 10.* & tales aliquando fuisse, assumi videtur ex decretis imprimis Joannis IX. teste Baronio *ad annum Christi 904.* ne tales saltem in posterum essent, statuentis: dein Gregorii VII. & demum Urbani II. eas, ne perpetuæ esse præsumerentur, de quinquennio in quinquennium renovari, præcipientis 1096. in Concilio Turonensi, teste Gonzalez *in c. 1. cit. n. 10.* cujus textu, ex Concilii Bituacensis *can. 13.* desumptô, & in Concilii Meldensis *can. 22.* translatô, idem est constitutum. Unde

Patet Precariis valde affines esse contractus Precarii & Emphyteuseos: à quibus tamen multùm: & à priori quidem differunt; quòd per ipsas res immobiles, prædia, fundi &c. fere ad certum tempus, ante cujus lapsum revocari nequeant, & sub censûs vel alio simili & concessionis renovandæ onere: & non, ut per Precarium, etiam mobiles: neque merè gratuitò & sine ulla stabilitate atque renovandi obligatione concedantur. A posteriori autem sive Emphyteuseos ipsis simillimô contractu differunt; quòd concedantur semper ad preces, & aliquando de Eccle-

de Ecclesia bene merito remunerationis causâ ad quinquennium: &, quando ad longius tempus conceduntur, ad concessionis & dominii penes Ecclesiam remanentis memoriam conservandam, singulis quinquenniis sint renovandæ, Panormit. 18. *cit. n. 3.* Barbosa *in hanc Rubric. n. 8.* & Gonzalez *l. cit. n. 4.* Quam quinquennalem renovationem si non petat is, cui res per Precarias sunt concessæ, jure suo cadit ferè, sicut feudum amittit vasallus, si à novo domino non petat investituram, Feud. *Lib. 2. cap. & §. 1.* aut liberti Ecclesiæ, se de istius familia esse sub novo Pontifice non profitentes, ad servitutem revocabantur, *can. Longinquitate cit.* Panormit. *l. ut n. 5. & cit.* Barbosa *n. 10.*

Supereſt dubium & difficultas, an 19. Precariæ modernô Jure exigant solennitates, rerum Ecclesiasticarum alienationi præmittendas. Non quidem in renovatione quinquennali; cùm enim ista post legitimè factam rei immobilis concessionem debita: & ad istius memoriam reſque dominium Ecclesiæ conservandum Jure introducta sit, & propterea istius conditionem reddat meliorem, utique non exiget solennitates sacris Canonibus præscriptas actibus, qui in Ecclesiarum damnum possunt & sæpe solent redundare. Confirmatur paritate feudi; quantumvis enim Prælatus Ecclesiæ suæ res infeudare sine solennitatibus prohibeatur, ei tamen, quò minùs feudum antiquum renovare valeat, neque Jura neque juramentum de non alienando obstant, *c. Ex parte 2. de Feudis*, ubi Interpp. & alii DD.

Primam etiam ipsarum concessionem sine solennitate fieri à Prælatis posse, desumi videtur ex *can. Sæpe cit. & can. Clerici, 16. q. 3.* ubi Episcopo Precarias concedendi facultas adstruitur: & quidem libera, ut existimat Calvinus *Lexic. Jurid. V. Precaria*, pro indubitato habens, Precarias ab Ecclesiarum Prælatis excogitatas in fraudem sacrorum Canonum, rerum Ecclesiasticarum alienationem prohibentium.

Sed hac in re JCT.9 iste divinat, & 20. à vero recedit, partim; quia non ita, ut supponit, libera Prælatis est concessio Precariarum; cùm enim per eas concessæ rei dominium quidem & proprietas penes Ecclesiam remaneat: sed eâ utendi fruendique jus in beneficiarium ad longum, & aliquando ad totius vitæ tempus atque irrevocabiliter transferatur, *can. Sæpe cit. & can. Precariæ V Si autem, 10. q. 2.* Barbosa *ad hanc Rubric. n. 6.* species quædam sunt alienationis; ac proinde solennitates non minùs exigunt, quàm cæteræ rerum Ecclesiasticarum alienationes: & sine iis vel absque justa causa, ac proinde irrationabiliter à Prælatis concessas res istorum successores ad Ecclesiæ jus revocare jubentur *c. Precariæ 2.* Unde in contrarium allegatos textus de casu, quô justa causa & solennitas intervenit, accipiendos *cit.* Gonzalez *n. 7.* observat: partim; quia Precarias à pietate Fidelium in gratiarum actionem pro illustri victoria, à Clodoveo Francorum Rege, Religione in Christum magis quàm armis ad Tolbiacum obtentâ, bona sua Ecclesiis offerentium: & vicissim, ne egestate laborarent, eadem vel alias res Ecclesiasticas, ad dies vitæ in modum beneficii recipientium ortas, & postea conservatas, ex Beato Rhenano *Lib. 2. Rerum Germanicarum* ostendit Tholos. *cit. cap. 2. n. 5.* & satis constat ex LL. Aleman. *Tit. 11.* Verbis, *Si quis liber res suas ad Ecclesiam Dei dederit &c. & post hac à pastore Ecclesiæ per beneficium susceperit, ad vitalem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ &, quod spopondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* Quibus similia in LL. Bajuvar. *Tit. 1. cap. 1.* habentur. Aliam Precariarum vel introductarum vel

usu receptarum, rationem reddit Gibalinus, eas ad rerum Ecclesiasticarum direptionem evitandam inventas aut propagatas, perhibens *cit. cap. 2. art. 2.* Unde quam Calvinus *l. cit.* non dubiam censet, vana & non satis æquò in Prælatos Ecclesiasticos studiò excogitata videtur Origo Precariarum.

TITVLVS XV.

De Commodato.

SUMMARIUM.

1. *Etymon & natura Commodati:*
2. *Quò res ad certum usum & tempus conceditur;*
3. *Ut ante non possit revocari.*
4. *Ejus differentia à Mutuo:*
5. *A Depositio & Locatione.*
6. *Commodantur res etiam immobiles, incorporales & alienæ:*
7. *Quas Commodatarius in specie,*
8. *Cum fructibus & accessoriis restituit,*
9. *Earum interitum & deteriorationem præstat,*
10. *Non quidem, si pereant vel deterioretur casu,*
11. *Saltem spectatò communi Jure & Regulariter:*
12. *Sed, si id culpâ, etiam levissimâ fiat:*
13. *Nisi res commodatarii simul & commodantis.*
14. *Vel istius solius gratiâ sit comodata.*
15. *Pupillus tamen ex culpa solùm lata tenetur.*
16. *Commodatum retineri nequit in debiti compensationem:*
17. *Nisi aliquando pro expensis factis in ejus conservationem,*
18. *Commodatum ante usum & tempus expletum non revocatur:*
19. *Nisi eò æquè vel magis indigeat commodans:*
20. *Etsi hôc etiam casu donatum non repetatur.*

SImile Precario est Commodatum, sic dictum; quòd sit accipientis commodo, Glossa *in c. Unic. V. Commodatum*, sive ad ejus usum & gratis datum; Commodatum enim est Contractus, quò res ad certum usum & tempus gratis eâ lege conceditur; ut illâ finitò eadem in specie restituatur, Glossa *cit.* & ex communi aliorum DD. sentit Hostiens. *in Summa hic n. 1.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 27. n. 4.* & Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 10. n. 715.*

Dico, *Ad certum usum & tempus*, Primò; quia, sicut Precariò, sic etiam Commodatò in accipientem non transfertur rei dominium: imò contrà, quam in illo aliquando contingit, *l. Et habet 15. §. 4. ff. de Precario*, nec possessio; cum ista, tam naturalis quàm civilis, penes commodantem remaneat, *l. Rei commodatæ 8. & l. Nemo 9. ff. Commodati.* Secundò; quia, licet, sicut precariò, sic etiam commodatò data res ad usum & gratis concedatur, reique traditione perficiatur, usus tamen, ad quem res commodatur, certus est ac specialis, vg. equi ad iter

Ratio

Ratisbonense, libri ad transcribendum: quem si commodatum accipiens excedat réque aliter utatur, furtum committit, *l. Si ut certò 5. §. 8. ff. Commodati & §. Furtum 6. Instit. de Oblig. ex delicto.* Tertiò; quia commodatò res utenda 3. datur non certò tantùm modò, sed etiam ad certum ac definitum tempus: vel expressè, vg. ad mensem aut annum: vel tacitè, ut cùm equus commodatur ad iter Pragam aut Viennam usque; cùm ita commodatò concessa intelligatur pro tempore, quod prudentis arbitriò necessarium est ad finem commodati consequendum, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 294. n. 6.* & Palao *Tract. 32. disp. 3. p. 2. n. 1.* Quartò demum; quia, sicut ante usum & tempus illud expletum res commodata revocari à domino non potest, *l. In commodato 17. §. 3. ff. commodati:* sic, illò expletò, res non in genere sive alia similis, sed in specie, sive eadem numerò vel, ut Philosophi loquuntur, in individuo, & eadem omnino, quæ est data, restituenda est, *l. Mutuum 2. pr. ff. de Reb. credit*, Gonzalez *in c. Unic. cit. n. 1.* Unde

Patet differentia Commodati, im- 4. primis à Mutuo; quia istò in accipientem rei dominium, non ut commodatò, *l. Rei 8. & l. Nemo 9. ff. hìc*, solus ejus usus transfertur: & mutuò finitò res in genere sive alia similis, non eadem in specie sive individuo restituitur; cùm mutuò propriè res tantùm fungibiles vg. pecunia, triticum, vinum, oleum &c. quæ ipsò usu absumuntur: comodatò verò dari possint res omnes, quæ usu non absumuntur *l. 1. §. 1. ff. hâc Rubr.* Imò etiam, quæ usu absumuntur, si eas ad pompã duntaxat & ostentationem, non etiam ad proprium usum quis accipiat, *l. Sed mihi 3. §. fin. ff. hìc* Ceterùm, licet per *citt.* aliósque textus alia Mutui, alia Commodati nominum significatio sit, RR. tamen aliqui DD. concedere non dubitant, Commodatũ Mutuum ad usũ & vicissim Mutuum Commodatum ad abusum dici posse, modò non alienò ab idiomate Germanorum, eâdem voce entlehnen & Mutui & Comodati acceptionem proferentium, ut rectè observat Haunold. *Tract. cit. n. 715.* 5. Deinde à Depositò & Pignore; quòd istorum contractuum neutrò res ad usum, ut in Commodato: sed depositario ad custodiam, & cùm domino libuerit, restituenda: creditori verò ad securitatem detur: eámque ob causam isti, si re depositâ aut pignori datâ invitò dominò utantur, furtum committant, *§. Furtum cit.* Demum à Locatione, quia istâ res pro certa mercede, non gratis, ut Commodatò, datur, *§. Item is 12. V. Commodata, Instit. Quib. modis re contrah. cit.* Molina *disp. 292. n. 1. & 2.*

Porro, sicut precariò, sic etiam 6. commodatò dari possunt res non solùm mobiles vg. liber, equus, vestimentum, vas: sed & immobiles, ut domus, stabulum, *l. 1. pr. ff. hâc. Rubr.* & incorporales, sive jura, & servitutes, *l. 1. cit. §. 1. in fine.* Imò etiam sacræ vg. calix aliáque vasa, vestimenta & ornamenta unius Ecclesiæ ad alterius sacros usus, Azor *p. 3. Instit. lib. 7. cap. 4. q. 3.* Multò magis Ecclesiarum & monasteriorum res prophanæ & merè temporales: dummodo id fiat ex justa causa &, quando ejusmodi rerum immobilium usus ad decennium aut longius tempus conceditur, antiqui Juris solennitates adhibeantur, *Clement. 1. de Reb. Eccles. alien.* & modernò Jure, consensus Apostolicus accedat, vigore *Extravag. Ambitiosæ eâdem Rubr. inter Communes.*

Commodatam autem rem, sicut 7. qui accepit, modò & tempore definitò utendam retinere sine revocationis peri-

culo potest, ita sollicitè curare debet; ut usu & tempore finitô non solùm res eadem in specie vel, si cum Philosophis loqui lubeat, in individuo, *l. Mutuum cit. pr.* sed salva & integra reddi queat; cùm, quæ deterior redditur, propriè & bonâ fide reddi non videatur, *l. Sed mihi 3. §. 1. ff. hîc.*

8. Neque solùm eadem & integra, sed unâ cum fructibus & accessoriis, & vg. equus commodatus cum pullo est restituendus, *l. Si ut certo cit. §. 9.* quia, quæ accessionis jure veniunt, ejus sunt, cujus est ipsum principale, *l. Cùm autem 19. §. 13. ff. de Auro & arg. legato*: & inter ipsos contrahentes actum censetur; ut, quod ex re commodata natum est, in eadem causa, in qua res commodata, habeatur, *arg. l. Quamvis 10. ff. de Precariis.*

9. Quod si res apud commodatarium fuerit peremta vel deteriorata, ejus non ampliùs extantis vel non apparentis æstimationem à judice approbatam, vel pretium deteriorationis, hoc est, quanti deterior reddita est res commodata, domino præstandô commodatarius liberatur, *l. Sed mihi & §. 1. citt.* neque enim, si pro ea peremta vel deteriorata alia similis commodanti offeratur, iste eam recipere cogitur; cùm invito aliud pro alio solvi non possit, *l. In commodato cit. §. fin. & pr. Instit. Quibus modis toll. oblig.*

Cùm autem rei peremptio sive interitus vel deterioratio, licet frequenter, non tamen semper ipsius commodatarii culpâ accidat, in dubium & quæstionem venit, an semper, vel quando ad ejus peremptæ æstimationem vel deteriorationis pretium domino præstandum commodatarius teneatur.

10. Et quidem, si id accidat casu fortuitô, vg. fulmine, vi tempestatis, incursu hostium, rem domino suo perire vel deteriorari, *arg. l. Pignus 9. C. de Pignorat. act.* ac proinde commodatarium Jure communi regulariter non obligari, *c. Unico cit. & l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* clarè decisum est, ut id nemo in dubium vocet; cùm enim ejusmodi casûs vis major, quæ à nullo prævideri & præcaveri potest, & fatalia damna sint, æquitas non patitur; ut à contrahentibus regulariter præstentur, *l. Quæ fortuitis 6. C. de Pignorat. act.* Jure, inquam, *communi & Regulariter.*

Prius; quia Jus Provinciale Barricum commodanti magis favet: & commodatarium, in cujus solius gratiam res commodata est, ad transactionem de damno, sine omni ejus culpa ex casu merè fortuito secuto, judicis arbitriô inundam, compelli permittit, Landrecht *Tit. 17. art. 1.* Haunold, *cit. Tract. 11. n. 729.*

Posterius; quia *c. Unicô cit.* excipiuntur tres casus, quibus ex casu etiam fortuito commodatarius tenetur. Primò, si casum fortuitum præcesserit ejus culpa, vg. si equus ad domesticos usus concessus, ducatur ad bellum, *l. Si ut certò cit. §. 7.* Secundò, si ab initio convenit; ut commodatarius damnum ex certo aliquo casu fortuito secuturum præstaret; quia contractus ex conventione legem accipiunt, *Reg. Contractus 23. ff. & 85. in 6.* Tertiò, si commodatarius post usum & tempus expletum sit in culpabili mora restituendi; quia mora sua cuilibet nociva est, *Regula 25. in 6.* Nisi tamen res vg. propter incendium æquè peritura fuisset apud commodantem; hôc enim casu commodatarius ad præstandum casum fortuitum verisimiliùs non obligatur; quia rei interitus sive damnum illatum moræ etiam culpabili nequit imputari, *arg. l. Si plures 14.*

pr. 14. §. 1. *ff. Depositi*, Sylvester *V. Mora, q.* 1. & *cit.* Molina *disp.* 295. *n.* 4.

12. Si autem res interiit vel deteriorata est culpâ commodatarii, trifariam est distinguendum; primò enim, si pereat res, quæ commodata est gratiâ solius commodatarii, ut plerúmque solet, iste obligabitur non solùm ex lata & levi, sed ex levissima quoque culpa, *c. Unici cit. pr. & l. In rebus 18. pr. ff. hîc*; quia, quò majus est beneficium, eò magis id accipienti cavendum est; ne in dantis injuriam aut damnum cedat. Unde infertur casu, quò res ita commodata perit, dum ad commodantem refertur, damnum pertinere ad commodatarium, qui ad referendum hominem non idoneum elegit, *l. Eum qui 10. & l. Qui non tam 11. ff. hîc.* Secus esset, si eam perferendam commisisset homini probatæ & minimè suspectæ fidei, & quò in similibus negotiis uti consuevit, *l. Argentum 20. ff. Rubr. cit.* Haunold. *n.* 725. & Bruneman. *in l. Eum qui cit. à n.* 1.

Neque obstat; quòd §. *Item is cui 2. V. Et is quidem, Institut. de Oblig. quæ re contrah.* in commodatario exigatur diligentia solùm *Exacta*: cujus omissio levis, non levissima culpa est; quia textu illò Positivo vis Superlativi tribuenda est; ut concilietur cum *l.* 1. *ff. de O. & A.* cujus §. 4. custodiendæ rei diligentiam *Exactissimam*, cujus omissio levissima culpa est, præstare compellitur, Harprecht *in cit.* §. 2. *n.* 24.

13. Secundò, si pereat res, quæ commodata est gratiâ utriusque, vg. cùm ad conviviò vel hospitiò recipiendum amicum utrique, hoc est, tam commodanti quàm commodatario, communem vasa aurea vel argentea, tapetes &c. conceduntur, commodatarius ex culpa lata & levi: non autem ex levissima obligatur, *l. In rebus 18. pr. V. At si utriusque*, junctâ Glossâ *V. Æstimatio ff. eâdē Rubr.*; cùm enim, quod gratiâ utriusque datur, minus beneficium sit eô, quod datur gratiâ solius accipientis, ad minorem illô, quàm hoc casu diligentiam, ac proinde istô non obligatur ad exactissimam, cujus solius omissio culpam levissimam constituit.

Tertiò, si pereat res commodata 14.
principaliter gratiâ solius commodantis, vg. si ornamenta sponsæ ad se honestiùs deducendæ à sponso concessa sint: vel, si quis Juris perito causæ suæ patrocinium gratis suscipienti vel Consilium concipienti commodet libros, commodatarius, ut propositis casibus sunt sponsa & Jurisperitus, solùm tenentur de dolo, *l. Si ut certo cit.* §. 10. & culpa lata, quæ in obligationibus ex contractu ortis dolo æquiparatur, *l. Quod Nerva 32. ff. Depositi*; cùm enim tali casu beneficium non tam accipiat, quàm præstet, meritò ad minorem diligentiam tenetur, quàm si etiam sui gratiâ accipiat commodatum, *citt.* Molina *disp. 295. n.* 1. Palao *disp. 3. p. 6. n.* 3. & Haunold. *à n.* 725.

Pupillus etiam, quantumvis in ipsius 15.
solius gratiam commodatum sit, commodanti non tenetur, nisi ipsius dolô vel culpâ latâ res interierit, vel sit deteriorata: vel quatenus inde locupletior est factus, *l.* 1. §. 2. *l. Sed mihi 2. pr. ff. hîc & l.* 1. §. 15. *ff. Depositi*, Palao *cit. n.* 3. *in fine.*

Dubium secundò & controversia in- 16.
ter DD. est, an res commodata retineri valeat in alicujus debiti compensationem. Id enim aliqui cum Panormit. *in c. fin. de Depositо n.* 12. & Sylvestro *V. Commodatum q.* 3. absolutè affirmant, & contrà alii cum *cit.* Molina *disp. 297. n.* 10. ita negant: quos & in utramque partem militantes Juris textus alii, nec malè, conciliant auxiliò distinctionis. Et quidem,

quidem, si res commodata extet & restitui queat, expletô usu eam ipsam domino restituendam, neque locum compensationi esse, desumunt ex *l. fin. C. hâc Rubr.* cujus textus est, *Prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur.* Ratio est; quia propriè dictæ compensationi locus solùm in rebus fungibilibus est, *l. Si constat 4. C. de Compensat. & l. Si convenerit 18. ff. de Pignor. act.* in quibus commodatum per se loquendô fieri non potest, *l. 1. §. 1. ff. hic & l. Gratuitum 17. ff. de Præscript. verb.* Accedit; quòd, si res vg. equus comodatus retineretur in alicujus debiti compensationem, comodans rem suam quasi vendere cogeretur; quia in effectu perinde esset, ac si equus venditus & pretiô debitum esset solutum: rem autem suam vendere quem invitum cogi, Jura non permittunt, *l. Invitum 11. C. de Contrab. empt.* Si verò res commodata sit perempta, ac proinde non ipsa sed ejus æstimatio: vel ipsa quidem, sed, quòd deterior facta, cum deteriorationis pretio restituenda sit, æstimationis & deteriorationis sive istius pretii cum alia quantitate debita compensationem concedunt, juxta *l. Si constet cit.* Haunold. *Tract. cit. n. 739.* Palao *q. 9. n. 3.* &
17. Perez *in C. de Commodato à n. 18.* qui cum *cit.* Molina *n. 11.* eidem commodatario permissam etiam volunt rei commodatæ retentionem jure pignoris pro expensis, in ejus conservationem factis, donec istæ fuerint persolutæ.

Neque, compensationi in commodato locum generaliter esse, evincit textus *l. fin. C. de Compensat.* quâ & §. *In bona 30. Instit. de Actionib.* ea in omnibus actionibus Realibus & Personalibus permittitur, solâ Actione Depositi (& causâ Spolii) exceptâ; quia textibus istis compensatio in cæteris Actionibus permittitur, quando res culpâ possidentis vel detinentis non ampliùs extat; ac proinde exceptio depositi, illam non admittentis, spectat casum, quô rei, quæ depositarii dolô vel culpâ latâ peremptæ sit, sola æstimatio debetur; nam etiam hæc, quantumvis in cæteris Actionibus aliud obtineat, cùm alio pecuniæ seu quantitatis debito non compensatur; cùm propter exuberantiam bonæ fidei in depositô: tum ne depositarius culpâ latâ vel dolô suô compensandi jus acquirat, Bruneman. *in l. fin. cit. n. 5. & 10.*

Dubium tertiò est, an commodatum ante expletum tempus & usum, pro quo concessum est, possit revocari. Ordinariè non posse, patet ex *c. Unicô cit.* quia; ut hôc textu dicitur, *Non decipi nos beneficiô oportet, sed adjuvari:* quod verum est, etiamsi concedens moriatur; cùm gratia facta concedentis morte non expiret, *arg. l. Locatio 4. ff. Locati & c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

Quare dubio locus solùm est de casu extraordinario, quô æquale vel majus & antè non prævisum damnum pateretur commodans, si rem non revocaret, quàm commodatarius, eâ revocatâ. In quo, licet Negativam teneat Navarrus *Manual. cap. 17. n. 182.* cùm; quòd consilium suum mutare quis non possit in alterius detrimentum, *Reg. Mutare 33. in 6.* quod tamen fieret commodati revocatione: tum verò; quòd res per commodatum jam applicata sit alteri; & propterea, sicut res donata, sic etiam ipsa revocari non posse videatur. Nihilominus Prænob. & Magnif. D. Collegæ à Widmont *Tract. de Contract. tit. 3. n. 4.* & mihi etiam magis placet Affirmativa, commodanti revocationem tali casu permittens cum *cit.* Molina *disp. 294. n. 12.* & Lessio *Lib. 2. de I. & I. cap. 27. n. 18.* Ratio est; quia commodans

modans ad plus non tenetur, quàm ſe voluit obligare: non autem cenſetur ad talem eventum ſe obligandi habuiſſe voluntatem; cùm in dubio, quisque ſibi magis, quàm alteri, conſulere velle, præſumatur. Quare tali caſu æquè, imò magis rem commodatam revocare commodanti permiſſum eſt, quàm locatori ex caſu antè non prævíſo alias, quas incolat, non habenti, ex ædibus locatis conductorem ante tempus expellere, *l. Ædem 3. ff. Locati*, cùm à locatore ædes pretiò conductæ: non, ut res commodata, gratis ſint conceſſæ.

Neque obſtat *Regula cit.* quia in rigore conſilium commodans non mutat; cùm rem commodandò non habuerit animum, eam nullò caſu: ſed ſolummodo non revocandi extra improviſum caſum, quò re ipſe æquè vel magis quàm commodatarius indigeret; quia commodatò res alteri applicata non eſt omnino abſolutè, ſed ſub tacita conditione, *Niſi eam antè revocare æqualis aut major neceſſitas cogat.* Unde hujus caſu urgente repeti etiam ante tempus & uſum expletum poteſt, ſicut ex locatis ædibus expelli conductor. Aliter res ſe habet in donatione: quam, quòd rei donatæ ac traditæ non uſum duntaxat, ſicut commodatum & locatio, ſed ipſum ejus dominium transferat, firmam eſſe oportet, & extra caſus Jure expreſſos non revocari expedit bono communi, Molina *n. 12. cit.* Azor *cit. Lib. 7. cap. 8, q. 2.* & Perez *l. cit. n. 16.* 20.

TITVLVS XVI.

De Depoſito.

SUMMARIUM.

1. *Depoſiti etymon & natura.*
2. *Eò res ad ſolam cuſtodiam,*
3. *Et ad deponentis arbitrium revocanda, datur.*
4. *Res depoſita in ſpecie reſtituenda eſt.*
5. *Deponuntur res mobiles, & aliquando immobiles,*
6. *Propriæ & alienæ.*
7. *Hæ tamen domino potiùs, quàm deponenti furi,*
8. *Integræ & ſine compenſatione reſtituendæ ſunt.*
9. *Depoſitarius dolum duntaxat & culpam latam præſtat:*
10. *Niſi pro cuſtodia mercedem receperit,*
11. *Sève ad illam obtulerit.*
12. *Caupones, nautæ &c. ferè culpam leviſſimam præſtant.*
13. *Depoſitarius non præſtat caſum, niſi hunc præceſſerit culpa lata.*
14. *Vel de eo præſtando convenerit.*
15. *Conventione dolus expreſsè remitti Jure nequit.*
16. *Interitu rebus ſuis & depoſitis imminente depoſitarius pretioſiores:*
17. *Cùm ea ſunt æquales, quas vult, ſervare poteſt.*

18. *Ex clerici & Religiosi culpa non tenetur Ecclesia vel monasterium:*
19. *Nisi depositum receptum sit, Prælatô & capitulô consentiente.*
20. *Clericus non gaudet privilegiô eximente à tortura,*
21. *Licet huic non ita facilè, ut laicus, subjiciatur.*

1. DEpositum, sic dictum, quasi in alterius manu positum sit, in Jure aliquando pro ipsa re deposita, *l. 1. pr. l. fin. ff. hâc Rubr.* aliquando pro Contractu, sumitur, *l. Juris gentiù 7. §. 1. ff. de Pactis.* Priori modô sumptum est, quod custodiendum alicui datur, *pr. cit.* Posteriori verò Contractus, quô res gratis custodienda alicui traditur eâ lege; ut eadem in specie ad deponentis libitum restituatur, ut colligitur ex *l. 1. cit.* junctâ Glosâ *V. Datum, & §. Præterea 3. Instit. Quibus modis re contrah.*

2. Dicitur autem imprimis, *Custodienda*: non, ut Precariô & Commodatô, utenda, *l. 1. pr. ff. de Precar. & l. 1. §. 1. ff. Commodati*, sive ad accipientis usum; cùm depositarius re depositâ utens furtum committat, *l. Si depositi 3. C. hîc* Multò minùs, ut Mutuô data, ad abusum; quia eô rei depositæ dominium non transfertur, ut instar mutuò datæ valeat absumi. Neque etiam ad crediti securitatem, ut Pignus creditori, *l. Plus 25. ff. de R. I.* Additur *Gratis*; quia, si merces interveniret, non Depositum, sed potiùs Locatio foret, *l. 1. cit. §. 8. & 9.*

3. Deinde dicitur, *Ad libitum restituenda*; cùm enim solius deponentis gratiam & utilitatem hic contractus spectet, rei depositæ revocatio ab istius arbitrio pendet, *cit. l. 1. §. 22.* adeò; ut rem depositam reposcenti statim non restituens dolô faciat. Nisi quis rem, vg. gladium aut sclopum penes alterum depositum reposcens vitæ inimici insidiaretur; hoc enim casu illû restituendi obligatio per accidens cessaret, ut rectè advertit Haunold. *Tom. 4. de I. & I. trast. 10. n. 775. in fine.*

Demum, *Eadem in specie*; quia non alia similis, sed eadem numerô est restituenda, *cit. l. 1. §. 16.* Cui non adversatur; quòd etiam quantitas vg. pecunia deponi possit: &, cùm deponitur eadem in genere tantùm veniat restituenda; quia, hoc non ita generaliter verum esse, patet ex *l. Lucius cit.* cujus textu prodita est distinctio inter casum, quô quantitas, vg. centum aureorum alicui tradita est, ut in genere restimatur: & eum, quô eadem traditur obsignata, vel etiam non obsignata ad numerum data, & conventum est; ut in specie reddatur; priori enim casu & re quoties depositæ rei fungibilis usus conceditur, quantitas in genere tantùm sive alia similis est restituenda; quòd, cùm ita traditam ex circumstantiis appareret, contractus Depositi terminos egrediatur, & transeat in Mutuum. Posteriori verò casu deponenti, cùm voluerit, repetenti eadem in specie reddenda est, Perez *in C. hîc à n. 5.* & Bruneman *in l. cit. à n. 1.*

Deponi possunt res omnes, quæ sub custodiam cadunt, saltem mobiles; ut vestimenta, ornamenta, instrumenta: séque ipsas moventes, ut boves, equi. Immobiles, etsi locô moveri & in manum dari non possint; ac proindè, si depositi natura hoc exigeret, ejus materia non essent: nihilominus, quia depositi natura potiùs in rei ad custodiam commendatione, *l. Lucius 24. ff. hîc*, quàm in ejusmodi vera in manum datione consistit, res etiam immobiles, hôc ipsô,

ipsô, quòd cuſtodiendæ alteri valeant commendari, imò in ſenſu Jure approbato etiam tradi, *l. Stipulationes 72. pr.* ibi, *Fundum tradi, ff. de Verb. Oblig.* etiam poterunt deponi: quod cum Perez *l. cit. n. 3.* tradit *cit.* Haunold. *n. 815.* & receptum eſt Jure Bavarico **Landrecht** *Tit. 18. art. 1.* clarè exprimente, alterius cuſtodiæ commendari poſſe **Ligent vnd Fahrent Gut:** quorum vocabulorum priori immobilia denotari, extra dubium eſt.

Neque obſtat; quòd rei depoſitio fiat causâ cuſtodiæ, *l. 1. cit. pr.* quæ in re immobili inutilis eſt; cùm furtô nequeat auferri; quia, licet propter hanc rationem cuſtodia rei immobili eô fine, ne auferatur, appoſita inutilis ſit &, ut *l. Si ea 31. pr. ff. de Action. empti*, dicitur, adverſus vim parùm proficiat, utilis tamen eſt, plurimúmque profit adverſus incendia, devaſtationem, deteriorationem & ſimilia detrimenta, quæ à vicinia poſſunt inferri, ut rectè advertit Haunold. *l. cit.*

6. Neque ſolùm res propriæ, ſed alienæ quoque deponi poſſunt, *l. 1. cit. §. 39. & l. Bona 31. §. 1. ff. hîc.* Hæ tamen apud dominum fruſtra deponuntur; cùm iſte depoſiti nomine traditam rem ſuam alteri tradere non teneatur, *l. Bona cit. §. 1. & l. Qui rem 15. ff. ibid.* & eô ipsô; quòd rem, quam ſuam eſſe ſcit, à deponente traditam accipiat, recuperet ejus poſſeſſionem, *cit.* Haunold. *n. 819.*

7. Sicut apud ipſum dominum depoſita res non reſtituitur deponenti, ſic etiam, ſi cum iſto, rem furto aut vi ablatam & depoſitam repoſcente, concurrat dominus, eam non furi aut prædoni, ſed domino, qui eam ſuam eſſe in tontinenti probare paratus eſt, reſtituendam, ex *l. Bona 31. §. 1.* deſumunt Petr. Barboſa *in l. Si alienam 11. ff. Soluto matr. n. 20.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 526. n. 2.* Quantumvis eam aliàs furi ac prædoni, quòd eorum interſit, reſtituendam, §. *cit. V. Quod ſi ego, & cit. l. 1. §. 39.* clarè habeatur.

Reſtituenda autem repoſcenti res 8.
eſt non ſolùm eadem: ſed etiam integra, hoc eſt, non deteriorata, *cit. l. 1. §. 16.* ut locus non ſit compenſationi vel deductioni pro alio, quantumcunque liquido debito, *c. fin. V. Sanè*, junctâ Gloſsâ *V. Intra quod, & l. Si quis 15. C. hîc*; ne, ut *l. cit.* Imp. ait, *Contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur*, ſive; ne ad hanc occaſio fiat, quod alicujus fidei ſpecialiter eſt commendatum. Quod, licet ad caſum, quô uterque viciſſim ab altero depoſitum habet, extendatur; ac proinde penes ſe depoſitum uterque alteri repoſcenti ſine compenſatione vel alia ſimili exceptione reſtituere teneatur, *l. Si quis cit. V. Sed etſi*, & Gloſſa *in c. cit. V. Contra quod*: excipienda tamen eſt cauſa debiti liquidi, propter factas in rem depoſitam impenſas neceſſarias, hoc eſt, tales, quæ ſi factæ non eſſent, res interitura vel multùm deterioranda fuiſſet; hujusmodi enim impenſarum ſolutionem faciendam: &, donec ea fiat, rei depoſitæ retentionem licitam, naturalis Æquitatis ratio perſuadet, Sichardus *ad l. Si quis cit. n. 5.* Harprecht *in §. Præterea 3. Inſtitut. Quib. mod. re contrah. n. 54. cit.* Molina *diſp. 526. n. 5.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 13.*

Re apud ſe pereunte vel deteriora- 9.
tâ depoſitarius regulariter non tenetur, niſi id acciderit ejus dolô, *l. 1. cit. §. 4.* vel culpâ latâ, quæ in Contractibus dolo æquiparatur, *l. Quod Nerva 32. ff. hîc*, imò dolus (Præſumptus) vocatur, *l. Magna 226. ff. de V. S.* Ratio eſt; quia depoſitum regulariter fit gratiâ ſolius deponentis, *l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* &

nullum emolumentum affert ei, cujus fidei res commendatur; ut proinde iste meritò ad tam arctam custodiam non teneatur, Panormit. *in c. fin. cit. n. 3.*

10. *Regulariter*, inquam; quia aliquando ex culpa minori: & ex levi quidem tenetur, si mercedem pro rei custodia recepit, *l. 1. §. 8. & 9. & c. fin. citt.* quia sic depositum gratiâ utriusque celebratum: & saltem, si merces non nimis modica constituta sit, assumpta videtur natura Locati conducti, in quo culpa levis præstatur, Panormit. *cit. n. 3.*

11. Ex eadem culpa tenetur, qui ad depositum recipiendum se ipsum obtulit, *c. fin. cit.* quâ, ad depositum se offerens & pro ejus custodia mercedem recipiens, æquiparantur. Imò non desunt DD. qui seipsum offerentem ex levissima etiam culpa teneri, desumant ex *cit. l. 1. §. 35.* ubi Julianus ICT.9 ab eo *Non solum dolum, sed etiam culpam & custodiam: non tamen casum fortuitum præstari scribit*: quô textu verbo *Custodiæ* diligentiam exactissimam den äusserſten Fleiß / ut loquitur Jus Bavaricum Landrecht *Tit. 18. art. 1.* cujus omissio levissima culpâ est, denotari, & ad eam depositarium obligari, volunt saltem, si singularem diligentiam promisit, aut se obtulit ei, qui non communis, sed singularis diligentiæ hominem, cujus custodiæ rem commendaret, desideravit aut quæsivit, Sylvester *V. Depositum q. 2.* & Haunold. *Tract. cit. n. 828.*

12. Ad hanc, sive diligentiam exactissimam obligantur; ac proinde suæ custodiæ commendatis rebus, levissimâ suâ culpâ pereuntibus, tenentur Nautæ, caupones, stabularii & similes, quorum officium annexam custodiam habet, *l. 1. & c. ff. Nautæ, caup. stabul.* Quod salubriter constitutum est; ut istorum hominum occurreretur fraudibus, & viatorum securitati consuleretur. Non tamen etiam isti tenentur ex casu fortuito imò ex levissima & levi etiam culpa, si quos hospitiò receperunt, assignatô cubiculô cum clavibus, ut rerum suarum custodiam ipsi haberent, prænonuerunt, & istorum consensus accessit, *cit.* Haunold. *n. 825.*

Ad casum etiam fortuitum præstandum, re apud se pereunte vel deteriorată, depositarius tenetur imprimis, quando casum illum dolus verus, aut ex culpa lata præsumptus, vel culpabilis mora restituendi præcessit, *citt. c. fin. l. 1. §. 25. & l. Si in Asia 12. §. fin. ff. hîc*; cùm, qui causam damni dedit, damnum dedisse videatur, *c. fin. cit.* & mora sua cuilibet sit nociva, *Reg. 53. in 6.* Deinde, quando, ut is etiam præstetur, inter deponentem & depositarium expressè convenit, *citt. c. fin. & l. 1. §. 35.* pactis enim & conventionibus contrahentes, sicut ad majorem vel minorem culpam, quàm aliàs contractûs natura exigit, sic etiam ad casum fortuitum se obligare valent, *Reg. Nec ex Prætorio 27. ff. & Reg. Contractus 85. in 6.* Etsi, qui ejus præstationem in se recepit, ad casum omnino insolitum se obligâsse, non præsumatur, *arg. l. Stipulas 78. §. fin. ff. de Contrab. emp.* Gaill. *Practic. 21. Lib. 2. observat. 35. n. 19.*

Neque in contrarium facit; quòd expressâ conventione remitti nequeat præstatio doli, quô res deposita interret, partim; quia hoc verum non est de dolo jam commisso; cùm ejus remissio non adversetur Juri & rationi naturali, neque Legalibus aut Canonicis sanctionibus reprobetur: partim verò; quia primùm committendi doli expressam remissionem irritandi specialis ratio fuit; quòd bonis moribus, honestati atque utilitati publi-

ti publicæ adverſetur; cùm, dolum impunem faciendò, ad delinquendum invitet, *l. 1. cit. §. 7. & l. Si unus 27. §. 3. ff. de Pactis*, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 14. n. 3.* Guttierez *p. 1. de Jurament. cap. 10. n. 5.* & Bruneman *in l. Si unus cit. n. 7. Expreſſa*, inquam; quia, hôc ipsô, quòd remitti queat Actio Depoſiti, *cit. §. 3. & l. Jurisgentium 7. §. 15. ff. de Pactis*, tacitè & in conſequentiam remiſſa cenſetur Actio Doli, *§. 3 cit.* quia non rarò, quæ expreſſa nocent, non nocent, ſi tacitè includantur, *l. Expreſſa 195. ff. de R. J.* &, quæ principaliter non admittuntur, ſi in conſequentiam veniant, ſuſtinentur, Cravetta *Conſil. 6. n. 112.* & Bruneman *in l. Si unus cit. n. 11.*

16. Dubium hôc locô eſt primò, an depoſitarius in periculo incendii, naufragii, hoſtilis incurſionis res depoſitas ſervare teneatur præ ſuis, ſi ſervare utrasque ſimul non poſſit. Ratio dubitandi eſt; quia ex una, depoſitô ſalvis rebus propriis pereunte, præſumitur dolus, *c. fin. cit. pr.* ex altera verò parte, Regula Charitatis eſt, dilectionem incipere à ſeipſo, *can. Si non licet, 23. q. 5.* Sed, ut cum Panorm. *in c. fin. cit. n. 2.* rectè advertunt *cit.* Molina *diſp. 296. n. 2.* & Leſſius *Lib. 2. de J. & J. cap. 27. n. 23. & 27.* tali caſu ſervandæ ſunt res pretioſiores, ſive propriæ ſive alienæ. Ratio eſt; quia depoſitarius tenetur ad eam diligentiam, quam quisque prudens rebus propriis ſolet adhibere; ac proinde pretioſiores, ſive ſuas ſive alienas, præferre debet minùs pretioſis.

17. Si verò ſint pretii æqualis, ſervari præ depoſitis propriæ poſſunt; cùm non teneatur depoſitis majorem diligentiam adhibere, quàm prudentes propriis ſolent: eámque ob cauſam, ſicut caſu, quô res æquales propriæ ſimul ſervari omnes nequeunt, ſic etiam, quô ejusmodi res propriæ & depoſitæ ſervari ſimul non poſſunt, quas vult, proprias vel alienas, ſervare poteſt: idque faciendô non cenſetur agere doloſè. Aliud eſſet, ſi res alienas in ſuam tantùm utilitatem accepiſſet, ſicut fit in Commodato; tali enim caſu propriis præferendæ eſſent res alienæ; cùm ad earum cuſtodiam exactiſſimam teneatur, *l. In rebus 18. ff. Commodati, cit.* Molina *n. 7.*

Dubium ſecundò eſt, an ex re apud 18.
clericum vel religioſum depoſita, & dolô vel latâ ejus culpâ pereunte, Eccleſia vel Monaſterium obligetur. Non obligari, communis DD. Reſolutio, iſtiúsque ratio & Regula eſt; quòd *Delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ vel monaſterii non debeat redundare*, quæ eſt *76. in 6.*

A communi tamen illorum ſenſu & 19.
ratione aliena non eſt diſtinctio inter caſum, quô clericus vg. Eccleſiæ canonicus aut Religioſus depoſitum cum conſenſu Prælati & capituli: & eum, quô id hujusmodi conſenſu non requiſitô aut obtentô recepit; cùm enim Prælatus & Capitulum ſimul repræſentent Eccleſiam vel monaſterium, *can. Scire, 7. q. 1. & c. Requiſiviſti 15. de Teſtament.* æquum eſt; ut, ſicut ex aliis contractibus, exigente aut ſuadente juſtâ causâ, ita celebratis, ſic etiam priori modô factâ depoſiti receptione Eccleſia vel monaſterium obligetur; ne id non bonâ fide receptum, & deponens ab Eccleſia deceptus videatur, contra *c. Pertuas 5. de Donat.* Gloſſa *in c. 1. V. Perſonæ*, ubi Innocent, *n. 1.* Imola *n. 5.* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 35.* Poſteriori verò modô recepti depoſiti interitu vel deterioratione factâ, licet clericus, cujus dolô vel culpâ latâ res peremta vel deteriorata eſt, conveniri poſſit, Eccleſia non tenetur: niſi quatenus ad eam aliquid pervenit, aut in rem ſive utilitatem ipſius aut monaſterii eſt verſum, *c. 1. cit.* ne cum alterius damno & injuria lo-

ria locupletetur, contra *Reg. Jure naturæ 206. ff. & Reg. Locupletari 48. in 6.*

20. Dubium tertiò moveri solet, an clerici valeant torqueri. Cui ansam præbuêre *c. 1. cit.* Verba, *Illum iniquum*, clericum depositum denegantem, *sub quæstionibus ponant, etiam (si oportuerit) vinculis alligatum:* ex quibus clericum esse tortum, & torqueri Jure posse, cum Panormit. *in c. cit. n. 6.* & aliis desumit Clarus *§. fin. q. 64. n. 24.* At non ita certò; quia *c. cit.* non agi de tortura: & Verba *Sub quæstionibus* idem, quod sub interrogationibus, denotare: verbis autem *Vinculis alligatum*, eum carceris & vinculorum coërcitione ad depositæ pecuniæ redditionem compellendum, significari, *in c. cit.* notant Barbosa *n. 7.* & Gonzalez *n. 3.* At, licet textûs ille intellectus foret, clericos tamen etiam in Sacris constitutos & Sacerdotes quoque à tortura, saltem in læsæ Majestatis & aliis exceptis aut valde enormibus criminibus aliquô Juris privilegiô non omnino exemptos, praxi potissimùm spectatâ, agnoscunt Farinac. *Prax. Criminal. q. 41. n. 2. & 8.* & Guazzinus *Reor. defens. 30. cap. 10. n. 3.* licet cum Menochio *Lib. 1. de Præsumpt. q. 31. à n. 8.* Mascardo *de Prob. Proœm q. 10. n. 38.* & aliis, propter præsumptionem delicti exclusivam, ex ipso Clericali statu & Sacerdotalis Ordinis dignitate ortam, præviam publicam diffamationem aut huic succedanea criminis indicia multò graviora & urgentiora contra ipsos, quàm contra laicos, quæstionibus subjiciendos sive torquendos, meritò requirant. Quales autem ministri in clericorum tortura adhibendi sint *Lib. 5. Tit. 25.* statuetur.

TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

PRecarii, Commodati, Depositi fere ob unius gratiam iniri solitos Contractus excipiunt, qui cedunt in gratiam & utilitatem contrahentium utriusque: & imprimis quidem Emptio & Venditio, sicut frequentiâ usûs & utilitate, sic etiam celebritate cæteris multùm præstans.

ARTICULUS I.

De Emptionis Venditionis natura & varietate.

SUMMARIUM.

1. *Res primò pro rebus aliis:*
2. *Postea pro pretio datæ,*
3. *Et ab aliis Contractibus distincta est Emptio Venditio:*
4. *Qua de merce pro pretio pecuniario danda convenitur;*
5. *Ut ejus substantiam mutuus contrahentium Consensus,*
6. *Certum Pretium pecuniarium,*
7. *Et certa Merx constituant.*
8. *Non etiam, Traditio Translatióque dominii,*

9. Neque

9. *Neque etiam, saltem regulariter, Scriptura.*
10. *Cùm res pro pretio simul & re datur, aliquando Venditionis,*
11. *Aliquando Permutationis,*
12. *Aliquando ex utraque Mixtus est Contractus.*
13. *Emptio Venditio alia in Scriptis, alia sine Scriptis:*
14. *Alia Generis & alia Speciei est:*
15. *Et alia ad Corpus, alia ad Mensuram.*

1. EMptionis ac Venditionis verbis vetustas Contractum & mutuam præstationem quamcunque, & alienationem planè omnem complexa est Lex duodecim Tabularum, *l. Statu 29. §. 1. ff. de Statu liberis*; cùm pretium non in sola numerata pecunia, sed cæteris quoque rebus posse consistere, & homo, fundus aut toga alterius rei vgvini vel olei pretium esse crederetur; ut, si quis istarum rerum aliquam cum alia permutâsset, Emptio venditio contracta, *§. Item pretium 2. Instit. hac Rubr.* &, qui ita permutâssent Emptoris ac venditoris locò haberentur, *l. Sciendum 19. §. 5. ff. de Ædilit. Edict.* & in Veteris etiam Testamenti sacra Historia Esau primogenita, pulmentò permutata, diceretur vendidisse, Genes. *cap. 25. v. 31. & 34.*

2. Successu tamen temporis, cùm ad tollenda incommoda, quibus rerum Permutatio propter rerum æstimationis inæqualitatem obnoxia fuit, pretium & æstimatio rerum, Gentium, moribus introducto Jure, constitutus esset nummus sive moneta signata, Aristot. *Lib. 5. Ethic. cap. 8.*

3. Emptio Venditio à cæteris Contractibus discreta, solóque nummô seu pecuniâ signatâ tanquam pretio pro rebus, tanquam merce exhibitâ, est contracta, *l. 1. §. 1. ff. de Contrab. empt.* &, qui rem sive mercem, *Vendere* ac *Venditor*: is verò, qui pro ista pecuniam tanquam pretium dedit, *Emere* & *Emptor* dictus est, *l. 1. §. cit. & l. Nec emptio 8. pr. ff. Rubr. cit.*

Neque cum hoc vocum illarum discrimine pugnat; quòd *Veteres Emptionis Venditionisque appellationibus indiscriminatim* usi à Gaio perhibeantur, *l. Veteres 19. ff. de Action. empti*, itáque illas acceperit Ulpianus *l. Inter patrem 2. pr. ff. de Contrab. empt.* & *Emere* pro *Vendere* disertè dicat M. Tullius *Lib. 3. Offic.* quia neque hôc locô Princeps Eloquentiæ Romanæ, neque *ll. citt.* JCT. ea vocabula sic confudêre, ut propriæ significationis vim eandem omnino tribuerent utrique: sed solius modò Emptionis, modò Venditionis nomine Emptionis Venditionis contractum totum expresserunt; quòd nec sine Emptione Venditio, neque sine hac illa consistere aut intelligi possit, ut ad *pr. Instit. hâc Rubr.* Vinnius *n. 2.* adnotavit.

4. In Emptionis Venditionísque propriè acceptæ plena exactáque definitione statuenda mirè variant DD. variationi ansam præbente non modica dissensione circa ipsam Contractûs substantiâ: quam etiam qui penitiùs habuere perspectam, sensu quidem omnes eôdem, verbis tamen aliis aliísque usi sunt: & Salas quidem *Tract. de Empt. dub. 1. n. 10.* perpaucis contractum hunc ab aliis, & in ipso etiam Venditionem ab Emptione distinguit, illam Pactionem rei pro pretio, hanc Pactionem pretii pro re vocans. Utramque simul complexus Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 336. n. 5.* qui Emptionem Venditionem esse, ait, Contractum, qui consensu perficitur mercis pro pretio: præquibus accurata propositi contractûs naturæ & Originis quoque explicatio est R.R. JCT.um, secundùm quos Emptio Venditio est Contractus Juris Gentium,

Nomina-

Nominatus, bonæque fidei, initus consensu, quô de re seu merce pro certo pretio pecuniario, & de pretio pro re tradenda convenitur. Esse contractum Juris Gentium, patet ex *l. 1. cit. §. 2. & §. Sed Jus 2. Instit. de J. N. G. & C.* ibi, *Hôc Jure Gentium omnes pene contractus introducti sunt, ut Emptio Venditio, Locatio Conductio &c.* Eum autem Nominatum, *l. 1. §. fin. & l. Jurisgentium 7. §. 1. ff. de Pactis*, & bonæ fidei esse, *§. Actionum 28. Instit. de Action.* habetur: mutuóque consensu de precio pro merce, & isto pro pretio præstando iniri ac perfici exprimitur, *§. 2. cit. pr. Instit. hâc Rubr. & §. fin. Instit. de Oblig. ex consensu.* Unde

5. Dubium nascitur, quænam istius Contractûs substantialia sint. Ratio dubitandi est; quia ad ejus substantiam rei quoque ac pretii traditio pertinere videtur; quòd ante hanc secutam contractus pro imperfecto habeatur, *l. Convenit 2. pr. C. de Pericul. & com. rei vend.* Accedit; quòd emptionis venditionis contractus tamdiu perfectus non sit, quamdiu ex eo nata non est Actio Empti: ista autem ante rei vel pretii factam traditionem nata non sit, *l. Julianus 15. §. 8. ff. de Contrah. empt.*

Nihilominus, Emptionem Venditionem sine rei aut pretii traditione & translatione dominii consistere, receptum est magnô consensu DD. ad istius contractûs substantiam exposcentium tria: &

Primò quidem, eum celebrantium utriusque Consensum: unius quidem sive emptoris in pretii pro re sive merce, alterius verò seu venditoris in rei sive mercis pro pretio traditionem: quô consensu emptio venditio perficitur, *l. Empti 9. C. de Contrah. empt.* quantumvis facta non sit traditio rei vel pretii solutio actualis, *l. Inter 2. cit. §. 1. l. 1. §. 2. ff. de Rer. permut. & pr. Instit. de Empt. & vendit.* quæ requiritur in Precarii, Commodati, Depositi, Pignoris & Mutui contractibus: neque etiam certa verborum forma, ut in Stipulatione, adhibita sit, *l. Consensu 2. §. 1. ff. de V. O.*

Secundò Pretium, tanquam rei sive mercis æstimationem, *l. 1. §. 1. ff. de Contrah. empt.* quod in hoc contractu pecuniarium & certum esse debet, *§. 1. cit. pr. V. Pretium & §. 1. Instit. Rubr. cit.* cùm eô non res pro re detur, ut in Permutatione, à qua etiam differt; quòd non, ut ista, re perficiatur, sed consensu, *l. 1. §. 1. citt.* Eôdem pretio & merce etiam differt à Locatione, in qua propriè non merx sive res, de cujus dominio pleno aut saltem directo, ut in Venditione, *l. Cum manu 80. §. fin. ff. de Contrah. empt.* sed de usu tantùm transferendo agitur: neque etiam pretium propriè intervenit, cùm in Locatione pecunia, si intervenit, non pretii, sed mercedis vel pensionis pecuniariæ habeat rationem, Glossa *in l. 1. §. 1. V. Agendo ff. de Superficieb.* Molina *disp. cit. n. 5.* & Azor *p. 3. Instit. Lib. 6. cap. & q. 1.*

Tertiò Mercem sive rem corporalem, vg. prædium, domum, bovem, torquem, vel incorporalem, vg. servitutem, jus percipiendi censum annuum: quæ pro pretio tanquam sui æstimatione, non pro alia re, ut in Permutatione, datur: neque ut in Cambio, pecunia pro pecunia permutatur, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1. in fin.* Rem autem, quæ mercis rationem habeat, certam & determinatam esse oportere, receptum est; quòd rei incertæ pretium, ut hic contractus exigit, certum statui non possit, *cit.* Pirrhing *n. 2.*

Neque rem incertam esse posse, recte desumitur ex eo: quòd vendi emique possit alea; jactúsque retis & piscium aviúmque captura, *l. Nec emptio 8. pr. & §. 1. ff. de Contrah. empt.* quæ nec certa, nec de-

nec determinata sunt; cùm contingere possit, ut parùm multúmve aut nihil capiatur. At, licet hoc ita sit, res tamen certa & determinata in hoc contractu non desideratur; cùm non tam pisces & aves, quàm capturæ spes, & pisces avésque, si in rete inciderint, percipiendi jus vendatur ac ematur, Bruneman *in l. cit. n.4.* & Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 8. num. 83.*

8. Neque ultra relatum istius Contractus constitutivorum ternarium ad ejus substantiam etiam traditionẽ aut dominii translationem pertinere, in eam rem allegata Jura persuadent; quia *l. Convenit. cit.* sermo est de venditione vini ad mensuram, quæ ante mensurationem perfecta non est; quòd vinum sub ea conditione vendi videatur, *Si fuerit admensum, l. Quod sæpe 37. §. 5. ff. de Contrah. empt.* cùm ante mensurationem de certa quantitate vendita non constet, prout contractûs substantia exposcit, Bruneman in *l. Convenit cit. n.* 1. & Haunold *tract. cit. n.4. §.* autem *cit.* ante traditionem emptori adversus venditorem ex empto Actio non negatur; cùm subjectis verbis venditori, ad eam tradendam obligato, rei locò pignoris retentio permittatur, donec pretium fuerit oblatum: sed solummodo dicitur, Actionem, quæ datur, ante oblationem pretii esse inefficacem & excipiendô posse elidi; quòd in omni contractu ultro citróque obligatorio actor contractui satisfacere ex sua parte teneatur; nam, qui differt, quod ex contractu debet, id, quod ipsi debetur, petere efficaciter non potest, Gaill. *Practic. lib. 2. observat. 17.* & Bruneman. *in l. Julianus cit. n. 11.*

9. Dubium secundò est, an de istius contractûs substantia sit Scriptura. Qua in re præ oculis habendus est modus conventionis inter Venditorem & Emptorem; vel enim inter istos de re pro pretio nummario tradenda convenit simpliciter, vel inter eos id actum est, ut contractus non valeat, nisi super eo confecta & approbata sit Scriptura?

Si prius, hæc de contractûs substantia non est; cùm Regulæ instar receptum sit, scripturam ad contractûs vel alterius actûs substantiam non exigi, præterquam in casibus Jure expressis, *arg. l. Pactum 17. C. de Pactis*, Panormit. *in c. 1. de Iis, quæ à præl. n. 4.* & Molina *tract. 2. de J. & J. disp. 468. n. 7.* Scripturam autem ad emptionis venditionis substantiam & valorem ullum Jus non exposcat: imò hanc sine illa contrahi posse, planè liqueat ex *pr. Instit. hac Rubr. & l. Cùm res 12. C. de Probat.* Quin scriptura de istius contractûs substantia verisimiliter etiam non est, quando, ut super eo instrumentum conficiatur, inter emptorem & venditorem convenit, sed consensum illius confectioni non alligârunt; quòd instrumentum confici voluisse videantur; ut temporis longinquitate emptionis venditionis celebratæ non intercidat memoria, & non pereat copia probationis, Salas *Tract. de Empt. dub. 65.* Tuschus *Practic. V. Contractus, concl. 99.* & Ferd. Vasquius *Illustr. controvers. lib. 1. cap. 28. n. 23.*

Si posterius, Scripturam ad contractûs substantiam pertinere, & ante illam perfectam & approbatam ullam obligationem non nasci, exploratum est ex *pr. cit. & l. Contractus 17. C. de Probat.* ratióque est; quia tali casu voluntatis intentio est conditionata & suspensiva obligationis; cùm contrahentes obligari expressè nolint, nisi confectum & approbatum sit instrumentum; quô proinde non confectô & perfectô ex contractu non obligantur perinde, ut si inter eos nihil esset actum; quia à contrahentibus nihil actum censetur, quamdiu aliquid ex conventione addendum supereſt, *l. Cùm Silanianum*

11. C. de His, quib. ut indign. citt. Molina disp. 337. n. 5. & Haunold. n. 14.

10. Dubium tertiò est, an emptio venditio, vel alius contractus sit, cùm de re partim pro pretio sive certa quantitate pecuniaria, partim pro re, vg. de fundo pro mille aureis & domo, de equo pro triginta florenis & bove præstando convenitur. Qua in re interesse existimo, an pretium pecuniarium adjunctæ rei valorem excedat aut ab ista excedatur, vel pretium rei valorem adæquet; cùm, si hunc notabiliter excedat vel ab eo excedatur, ratio habenda sit excessûs; ut, si pretium adjunctam rem ita excedat, contracta emptio venditio: & contrà Permutatio facta censeatur, si pretium à re ita excedatur; quòd tali casu contractûs denominatio à majori, tanquam principali, desumatur, Gomez Tom. 2. Var. cap. 2. n. 10. Covarruv. Lib. 2. Var. cap. 4. n. 9. citt. Molina disp. 336. n. 6. & Haunold. tract. 8. n. 9. Si autem pretium pecuniarium & res æqualis æstimationis sint, dissensio est inter DD. quibusdam cum Baldo Emptionem Venditionem contractam: aliis contractum Innominatum celebratum, asserentibus cum Bartolo. Meliùs antè citt. DD. ita partim Emptionis Venditionis, partim Permutationis contractum initum, censent; quòd tali casu verè de re partim pro pretio, partim pro re danda conventum; ac proinde verè contractus Mixtus, & Emptio Venditio quatenus respicit pretium, & quatenus respicit rem, Permutatio celebrata sit: licet, quando contrahentes eorum contractuum alterum celebrare intenderunt, talis, qualem verbis expresserunt, esse videatur ac dicatur.

11.

12.

13. Ex hactenus declaratæ Emptionis Venditionisque partitionibus celebriores & notatu digniores tres sunt.

Prima in eam, quæ In scriptis & quæ sine scriptis fit, pr. & l. Contractu citt. quæ ejus species non eò differunt; quòd super una, non etiam super altera, confectum sit instrumentum; cùm ea etiam, quæ sine scriptis fieri dicitur, in scriptum redigi possit & frequenter soleat: sed eò; quòd in Venditione actum sit, ut non valeat, nisi super ea confecta sit scriptura, & hæc pertineat ad substantiam contractûs. Quando autem de instrumento super Venditione conficiendo post ejus contractum jam perfectum convenitur, vel etiam id in ipsius celebratione exposcitur ad Venditionis probationem & memoriam conservandam, sine scriptis celebrata censetur; ut pœnitere, & à contractu utpote jam perfecto recedere, alterò invitò, contrahentium neutri liceat: quod tamen ipsis ante scripturam perfectam permissum est; cùm venditio celebrata est sine scriptis; quòd ante confectum ac perfectum super ea instrumentum contractum noluerint valere, Covarruv. in c. Relatum 11. de Testament. n. 19. Haunold. citt. n. 14. & Bruneman. in l. Contractu citt. num. 3.

Altera in Venditionem Generis & Speciei: quarum illâ ex pluribus ejusdem generis rebus, vg. ejusdem Authoris libris, ejusdem formæ pileis, ejusdem æstimationis equis unus vel duo, nullâ certa specie vel, ut Philosophi loquuntur, individuò designatò venduntur: istâ verò de uno vel pluribus certis speciebus seu individuis pro certo pretio tradendis convenitur. Inter quas venditionis species id discriminis intercedit; quòd, si certa species una vel plures venditæ ante traditionem nullâ venditoris culpâ pereant, interitus sit emptoris: contra, si venditi generis species sive individua pereant, interitus sit Venditoris; ut hic unicum vel duo residua emptori tradere ex contractu teneatur.

Positis

Postremâ res, numerô pondere & mensurâ constantes, vendi frequenter solent vel ad Corpus vel ad Mensuram. Ad Corpus venditio fit, quando plures species sive individua per modum unius rei individuæ, sine numeri, ponderis, vel mensuræ expressione, vg. totus tritici acervus, omne vinum in cella vel dolio contentum sine ullâ scapharum modiorúmve aut urnarum expressione venditur: quæ venditio etiam fieri dicitur per *Aversionem*; quòd eâ omne periculum avertatur in emptorem, istiúsque ipsi venditæ rei, sive ex toto sive ex parte pereuntis, interitus sit, *l. Cùm convenit 2. C. de Pericul. & com. rei vend. & l. Qui officii 62. §. fin. ff. de Contrab. empt. cit.* Haunold. *n. 50.* & Bruneman *in l. Qui officii cit. n. 1.* Ad Corpus etiam res vendita censetur, quando plurium specierum sive individuorum per modum unius rei individuæ, vg. totius acervi tritici vel omnis vini reconditi in cella venditio facta est cum numeri quidem, ponderis aut mensuræ expressione, sed non taxativè, sive animô contractum ad expressam scapharum, modiorum vel urnarum quantitatem restringendi: sed demonstrativè, sive solumodo ad rem demonstrandam & discernendam factâ. Ad Mensuram autem Venditio fit, quando genere comprehensarum specierum sive individuorum certa quantitas, vg. ex frumenti acervo decem scaphæ, vel ex eodem vini dolio decem urnæ, certô pretiô in scaphas vel urnas singulas vel unicô in omnes simul constitutô, venditæ sunt; ut, si acervô dolióve denis plures scaphæ urnæve contineantur, excessus venditus non intelligatur, *cit.* Haunold. *tract. 8. n. 52.* cujusmodi ad Mensuram facta venditione si res vendita vg. acervus tritici aut vinum in dolio ante traditionem vel potius mensurationem pereat, interitus est venditoris, *l. Cùm convenit cit.* quòd venditio facta præsumatur sub conditione, *Si res adnumerata, admensa, vel appensa fuerit, l. Quod sæpe 35. §. 5. & 6. ff. de Contrab. empt. citt.* Rath *th. 61.* Haunold. *n. 61.* & Bruneman. *cit. n. 1.*

16.

ARTICULUS II.

De Emptoris ac Venditoris mutuo Consensu.

SUMMARIUM.

16. *Vendi res potest absolutè, vel sub conditione:*
17. *Absolutè vendita præsumitur verbis,* Volo vendere *vel* Emere:
18. *Uti & vendendi promissionem secutâ traditione.*
19. *Valida sunt venditioni adjecta pacta Addictionis in diem,*
20. *Legis Commissoriæ.*
21. *Et de Retrovendendo:*
22. *Dummodo retrovendendi onus compensetur,*
23. *Eóque Pignoris contractus Usurarius non pallietur.*
24. *Venditor tenetur ad rei, emptor ad pretii traditionem:*
25. *Quâ emptor ferè rei dominium,*
26. *Et aliquando ante eam consequitur.*
27. *In re successivè vendita duobus, ante emptor primus:*
28. *Post traditionem secundus præfertur:*
29. *Nisi, rem priùs alteri venditam esse, sciverit.*
30. *Emptori determinatè res ipsi vendita,*
31. *Et venditori pretium exhibendum est:*

32. *Neque satisfit præstandô interesse.*
33. *Rei venditæ interitus post traditionem,*
34. *Et ante hanc etiam pertinet ad emptorem:*
35. *Nisi intervenerit culpa venditoris,*
36. *Aut res vendita sub conditione,*
37. *Vel solùm indeterminata fuisset.*
38. *Rei venditæ fructus emptori cedunt,*
39. *Etiam ante traditionem & pretii numerationem.*

16. COnsensus in pretii pro re seu merce, & vicissim istius pro illo traditionem fieri potest ac solet vel absolutè, vel sub conditione, vel adjectô pactô modóve, ut de Contractibus generatim dictum *Lib. 1. tit. 35. à n. 66.* Hôc locô de Emptione Venditionéque

17. Dubium est primò, an absolutus in eam consensus satis declaretur verbis, *Volo vendere, Volo emere*; id enim negat Mozzius *de Empt. Vendit. col. 3. n. 46.* quòd *Vendere & Emere* plus sit, quàm *Emere ac vendere velle*: sicut plus est, *In arborem ascendere*, quàm, *Ascendere velle, Professionem Religionis emittere*, quàm *Emittere velle*: imò eam etiam *Vovere, c. fin. de Regular. in 6.* ac proinde, sicut posterioribus his verbis sola in arborem ascendendi aut profitendi voluntas aut professionis faciendæ promissio: sic etiam illis sola emendi vendendique voluntas, non Emptio Venditio actualis, sive in rei pro pretio traditionem consensus exprimatur.

At, licet hoc verborum strictâ significatione spectatâ ita sit, illorum tamen communi usu & circumstantiis attentis ex ipsis absolutum in emptionem venditionémque consensum præsumi, cum Accursio *in l. Invendentis 13. C. de Contrah. empt.* & aliis, RR. præsertim & Germanis ICT. is censet Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 8. n. 23.* Ratio est; quia ad pro-
positum contractum plus non exigitur quàm mutuus consensus seu conventio de
datione ac receptione certi pretii nummarii pro merce: qui consensus verbis *Volo hôc pretiô vendere & emere* satis declaratur, sicut verbô *Volo* satis declaratur in ultimis voluntatibus; cùm eô plena dispositio inducatur, *l. Pamphilo 39. §. 1. ff. de Legat. 3.* Quod in Vernacula nostra satis exploratum est; cùm venditor & emptor consensum suum actualem frequentissime exprimant verbis, Ich will es also vel umb dieses Geld lassen/ Ich will es also vel umb dieses Geld nehmen/ vel kauffen/ vel kauffen/ iisque aut similibus verbis prolatis, quasi actualis venditio emptióque de præsenti contracta jam sit, ab emptore solvi pretiũ & res tradi à venditore soleat. Sic etiam verbis, Ich will dirs schencken/ actualis rei donatio, & in sponsis parocho, an se mutuo in conjuges habere velint, sciscitanti respondentibus *Volo*, consensus matrimonialis per verba de præsenti expressus censetur.

Alia quàm istorum ratio est verborum *Volo, ascendere in arborem* aut *Emittere* professionem; quia ascensus in arborem est actio externa, quæ solâ voluntatis declaratione perfici nequit. Contrà emptio venditiòque solâ voluntatis declaratione duobus actibus æquivalente perfici potest &, communi usu spectato, frequenter solet: sicut absolutè loquendo emitti etiam posset Religiosa professio, si non, ut solet, exposceret certam formam & solennitates Religionis Constitutionibus aut moribus introductas: cujusmodi formam & solennitates cùm non exposcat emptio venditio, verbis quibusvis in rei pro pretio traditionem receptionémque consensum declarantibus &, communi usu spectato, etiam verbis, *Volo emere aut vendere*, celebrari ac perfici potest, & hic intelligitur perfecta.

Dubium

18. Dubium secundò est, an ad emptionem venditionem contrahendam consensus sufficienter expressus censeatur ab eo, qui vendere priùs promisit, postea pretiô acceptô eam tradidit sine alia consensûs in contractum præstiti expressione; ita enim emptionem venditionem contrahi, negat Jason *in l. Si ante 6. ff. soluto matrim.* quòd promissio vendendi non sit venditio, *arg. c fin. cit.* atque idcirco eâ secutáque traditione dominium non transferatur, *arg. l. Nunquam 31. pr. ff. de Adquir. rer. dom.*

Sed meliùs cum Socino *in l. Si ante cit. & Lib. 2. consil. 170.* duo Facultatis nostræ Juridicæ Antecessores, Fachineus *Controverf. lib. 2. cap. 5. §. Ego*, & Rath. *de Contrab. empt. th. 7. n. 8.* eósque ex TT. secutus Haunold. *cit. Tract. 8. n. 24.* emptionem venditionem ita contractam, asserunt, solidâ nixi ratione; quòd istius contractus perficiatur consensu, tali casu interveniente & satis supérque declaratò ipsa rei pro pretio accepto traditione ac receptione; cùm facta & res non minùs quàm verba signa sint voluntatis & interni consensûs, *l. De quibus 32. §. 1. ff. de LL. & l. Recusari 95. ff. de Adquir. hæred.*

Neque Resolutionem hanc convellit Jasonis argumentum; licet enim nuda ejusmodi promissio venditio non sit, solâque rei traditione ejus dominium non transferatur: sed in rei pro pretio traditionem exigatur consensus, iste tamen in proposito casu non desideratur, satisq; declaratur reciprocâ rei & pretii traditione receptionéque, præviæ ejusmodi promissioni superveniente: &, cùm mercium rerúmque pretia lege vel usu taxata sunt, sæpe aliter non solet declarari; cùm, qui à pistoribus panem, aliàsque res certum pretium habentes, ab aliis emunt, non rarò ipsarum pretium ad tabernam deponere, pro eóque pane aliáve ejusmodi re venali accepta, & ne verbô quidem de emptione venditionéve factô, discedere soleant: à quibus emptionem contrahi, rerúmque acceptarum acquiri dominium, nemo inficiatur.

19. Dubium tertiò est, an Venditioni adiici valeat pactum addictionis in diem ita; ut venditor rem venditam uni, intra certum tempus alteri emptori, meliorem conditionem vg. majus pretium aut istius faciliorem vel maturiorem solutionem offerenti, addicere possit: cujusmodi conditionis venditioni adjectæ vi, si intra constitutum tempus melior conditio offeratur, eámque venditor acceptet, à primæ venditionis contractu receditur, résque secundo venditori addicitur: nisi meliorem conditionem, oblatam ab alio, emptor primus ipse præstare sit paratus, *l. Licet 7. ff. de In diem addict.* Si verò melior conditio non offeratur, aut eam oblatam venditor non acceptet, primâ venditione non resolutâ res vendita irrevocabiliter est emptoris primi, *l. Quod autem 11. pr. ff. Rubr. cit.* Quâ & aliis legibus Imperialibus venditioni adjectum in diem addictionis pactum Jure Canonicô non reprobatur, idque reprobandi ulla ratio non fuit; cùm enim venditor pretii à primo emptore oblati, tanquam nimis modici, intuitu rem ipsi emptori vendere nolle, & alium plus offerentem expectare possit, nulla ratio est, cur venditioni primo emptori factæ apponi non valeat pactum seu conditio; ut, si intra certum tempus emptor alius meliorem conditionem offerat eámque præstare primus emptor nolit, priori contractu resolutô res secundo emptori addicatur.

20. Dubium quartò est, an venditioni adiici valeat pactum legis Commissoriæ; ut, si emptor pretium intra certum tempus non solverit, res sit inempta. Ratio dubitandi est; quia contingere potest, ut

est, ut emptor pretium solvere, si velit, non possit; quòd, cùm id offert, venditor domo absens sit, vel præsens oblatum sine justa causa non acceptet, vel compensatione facta liberatus sit ab obligatione, vel ne solveret, inhibitum sit à fisco, utente jure agendi contra venditoris debitoris sui debitorem sive emptorem. Verùm, etsi his casibus lex Commissoria cesset, *l. Si fundus 4. in fine & l. fin. ff. de L. Commiss.* ejus tamen pactum venditioni licitè apponi: &, si appositum sit, culpabili emptoris, pretium non exhibentis, morâ rem inemptam evadere, & ad venditorem eam recuperare volentem reverti, liquet ex *l. Cùm venditor 2. l. Nam legem 3. l. Si fundus 5. &c. ff. de L. cit.* cùm enim emptionis venditionis contractus jam perfectus mutuò contrahentium consensu dissolvi, resque empta venditori & pretium emptori reddi queat, *arg. l. Nihil 35. ff. & c. 1. de R. I.* non apparet, cur inter hos initiò conveniri nequeat; ut, si constituto tempore non solvatur pretium, vel alia conditio apposita non impleatur, contractus dissolvatur resque inempta habeatur; nam *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, Regula est *85. in 6.* Dixi, *Ad venditorem volentem*; quia in potestate & arbitrio ipsius est, an pretiò intra constitutum tempus ab emptore non solutò lege Commissoria uti, rémque inemptam facere velit. Quodsi nolit, emptor contractu stare, eúmque pretiò postea solutò implere tenetur & cogi potest, *l. Si fundus cit. §. 2.* cùm; ne, quod introductum est in favorem venditoris, in ejus odium ac dispendium retorqueatur, contra Regulam *l. Nulla ratio 25. ff. & l. Quod favore 6. C. de LL.* tum verò; ne emptori, suò factò & culpabili morâ in solvendo rem faciendi inemptam, séque à propria obligatione liberandi, facultas adstruatur, contra *l. Si servum 91. §. 4. ff. de V. O.* Mantica *de Tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 29. n. 9. citt.* Molina *disp. 378. n. 2.* & Bruneman. *in l. Cùm venditor cit. n. 2. & 3.*

Dubium quintò est, an venditio celebrari etiam valeat sub pacto rem venditam revendendi sive, ut loquuntur, retrovendendi. Quod oritur ex decisione Innocentii III. sub hujusmodi pacto celebratas venditiones, tanquam Usurarias, reprobantis *c. Ad nostram 5. hâc Rubr. & c. Illo vos 4. de Pignoribus.*

Nihilominus venditioni etiam tale pactum, sine usuraria aut alia iniquitate, adiici posse, receptum est magno consensu DD. id passim desumentium ex verbis, *Cuncta regio possessioni, sive possessio regionis, vestræ sub conditione redemptionis vendetur*, Levit. *cap. 25. v. 24.* Verùm, quia Divinâ hâc lege venditæ possessiones annò Jubilæi ad venditores sive antiquos possessores, etiam nullò pretio exhibitò, reversæ sunt: &, cùm ante illius anni adventum, quod semper licebat, redimerentur, ex illis interea percepti fructus computandi erant in partem pretii, ut ex contextu constat, pactorum de re justò pretiò retrovendendâ venditionibus adjectorum firmitas & honestas ex ea non satis est explorata. Evincitur tamen ratione; quia venditioni adiici à contrahentibus possunt onera: dummodo, quanti ista æstimantur, tantò à venditore, si ejus utilitatem onus spectet, minus pretium exigatur: aut, si apponatur in gratiam & comodum emptoris, ab isto majus pretium solvatur, ut patet ex *l. Fundi 19. ff. de Contrab. empt.* quâ, propter oneris impositionem fundum minori pretio venditum, supponitur: & suadet ratio; quia ità pro re vendita non exigitur plus, quàm re-

ipsa

ipsa valet; ac proinde neque Usuraria, neque alia iniquitas committitur; cùm onus, quod à venditore appositum emptor in se recipit, sit pretiò æstimabile, & quodammodo pars pretii, quod iste pro re solvit: &, quod ab emptore appositum in se recipit venditor, augeat æstimationem rei sive mercis; ut proinde venditor, rei ab emptore appositum onus subiens, meritò istius æstimationem & compensationem exigat: & contrà emptor, cùm id subit, in ejus recepti compensationem tantò minus pretium venditori solvat, quanti onus æstimatur.

23. Neque hujusmodi pactioni *c. Ad nostram cit.* relata Apostolica decisio adversatur; quia istâ venditio, tanquam usuraria, reprobata fuit, non propter intercedens pactum de retrovendendo: sed; quòd non fuerit vera venditio, sed potiùs contractus Pignoratitius sub venditionis specie initus; ut palliaretur usura; cùm eô venditor, aut veriùs ex Mutuo creditor, lucrari voluerit annuas pensiones & fructus ex domibus & olivis, in speciem venditis, reipsâ pignori datis, provenientes: quod *in c. cit.* Interpp. & cæteri DD. cum laudato Innocentio colligunt ex circumstantiis contractûs; primò enim Mutuum quidem petitum, sed negatum fuit; quòd id petentibus emptor, seu potiùs creditor, sine usuris dare noluerit: eas autem exigere non potuerit, quin incurreret pœnas Concilii Lateranensis, relati *c. 1. & c. Quia 3. de Usuris.* Secundò; quòd pretium fuerit nimis modicum; cùm justi vix dimidium attingeret. Tertiò; quòd duplici pactô contractui adjectô fuerit constrictum; cùm ei domorum & olivarum venditarum redemptio primùm post septennium: &, hôc exactô, non nisi intra biennium permitteretur; itáque pro pecunia, sub venditionis specie credita, tot annorum fructus intenderit lucrari. Quartò; quòd eædem res venditæ vel oppignoratæ post novennium totæ cederent emptori pro pretio, quòd vix dimidium numeravit. Quintò demum; quòd emptor de usuraria iniquitate aliàs fuerit suspectus. Ex quibus circumstantiis, non seorsim sed simul sumptis, contractum animô usurariô initum fuisse, laudatus Papa meritò præsumpsit: quantumvis ad id præsumendum singulæ contractûs circumstantiæ essent insufficientes, Panormit. *in c. Ad nostram cit. n. 10. & 12.* & *ibi* Gonzalez *n. 3.*

Ex similibus circumstantiis etiam contractum, *c. Illô vos cit.* relatum, in speciem quidem Venditionem, reipsa Oppignorationem pro mutuo: & istius iniquitatem illius velamine palliatam fuisse, idem summus Pontifex pronuntiavit, ut cum Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 9. n. 2. in c. cit.* advertunt Vivianus *in c. cit. & ibi* Barbosa *n. 3.*

24. Contractu mutuô consensu perfectô & impletis conditionibus, sub quibus de re pro pretio tradenda intra contrahentes conventum est, emptori pretium offerenti venditor rem tradere, & venditori hanc offerenti emptor pretium numerare tenetur; ut neutri invitô alterô à contractu recedere fas sit, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 337. n. 1.* & Perez *in C. de Contrah. empt. n. 1.* Prior autem ad traditionem tenetur is, qui rem aut pretium conventum sibi tradi prior petit, sive is emptor sive venditor sit; quia generale est, eum qui ad ultro citróque obligatorii contractûs impletionem agere & alterum cogere vult, eum priùs implere, aut ad eum implendum paratum esse oportere, *l. Julianus 13. §. 8. & l. Qui pendentem 25. ff. de Act. empti.*

Quantum-

25. Quantumvis autem Venditionis contractus ante traditionem quoad substantiam perfectus jam sit, *l. Consensu 2. ff. de O. & A.* ad integralem tamen ejus perfectionem & consummationem sive; ut dominium rei, cujus venditor dominus fuit, in emptorem transferatur, ejus traditionem accedere est necesse; cùm Regulæ instar sit, traditionibus, non nudis pactionibus & titulis, ut emptio venditio est, rerum dominia transferri, *l. Traditionibus 20. C. de Pactis & l. Nunquam 31. pr. ff. de Adquir. rer. dom.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 21. n. 1. V. Porro* & Manzius *in §. Interdum 44. Instit. de Rer. divis. n. 1.*

26. Regula tamen ista patitur exceptionem; aliquando enim rei venditæ dominium in emptorem transfertur sine traditione, veluti Primò, cùm ea vendita est Ecclesiæ, Monasterio, aut alteri loco Sacro vel Religioso; quia hujusmodi loca, sicut & civitas, munita sunt speciali privilegiô, vi cujus ipsis simplici Venditione, Donatione, Legato dominium quæritur ante traditionem, *l. fin. C. de SS. Eccles. citt.* Covarruv. *n. 2.* & Molina *n. 7.* Secundò, cùm emptori rem ex aliqua causa, vg. Commodati vel Depositi jam traditam dominus vendit, & apud eum tanquam dominum manere patitur; cùm, quia paria sunt, tradere, & rem, cui jam antè aliquis incumbit, pro tradita habere, *l. Qua ratione 9. §. 5. ff. de Adquir. rer. dom. & §. Interdum cit.* tum verò; quòd fictione Juris res brevi manu ex Comodato vel Deposito reddita, & postea ex vendito iterum tradita intelligatur, Manz. *in §. cit. n. 4.* Tertiò, eôdem modô, si frumentum, vinum aut alias merces horreô, cellâ vel tabernâ concluſas vendens, horrei, cellæ, tabernæ claves emptori tradat, illarum dominium seu proprietatem in emptorem transfert; quia, traditis clavibus, sub eârum custodia contentæ res traditæ intelliguntur, §. *Item si quis 45. Instit. de Rer. divis. ubi* Manzius *n. 2.*

Dubium nunc ulterius & sextò est de venditione ejusdem rei, successivè factâ duobus. De qua ex *l. Quoties 15. C. de R. V.* desumitur distinctio; vel enim res neutri, aut alteri tradita jam est? si prius, & rei dominium in neutrum est translatum, eam primo, non secundo emptori tradendi obligationem dari, apud melioris notæ DD. est receptum, *arg. Reg. Quoties 98. ff. & Reg. Qui prior 54. in 6.* Ratio est; quia ad injuriam alteri, scilicet primo emptori, rem alii tradendô inferendam, tanquam ad aliquid impossibile, nemo obligatur; cùm id solùm facere quis possit, quod justè facere potest, *can. Faciat*, junctâ Glosâ *V. Quod potest, 22. q. 2.* Unde, qui rem uni jam venditam secundô contractu alteri vendere præsumit, falsi panâ, coërcetur, *l. Qui duobus 21. ff. ad L. Cornel. de Fals.* Si posterius, reique dominium in posteriorem translatum jam est, secunda venditio, quantumvis primi emptori injuriosa & graviter peccaminosa, Jure subsistit, *l. Quoties cit.* ad eum ferè modum, quô matrimonium à Titio, post sponsalium fidem Caiæ dictam, cum Berta contractum Caiæ iniuriosum quidem & peccaminosum, sed validum est, *c. 1. de Sponsa duor.* Ratio est; quia primâ venditione perfectâ venditor, licet ad rem emptori tradendam obligetur, tamen retinet ejus dominium, quod proinde, rem contra obligationem suam tradendô, in alterum transferre validè potest, Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 19. n. 2. citt.* Molina *disp. 36. n. 7.* & Haunold. *n. 72.*

At, licet hæc ita sint, primus tamen emptor agere adversus venditorem potest

potest non solùm ad restitutionem pretii, si quod iste accepit, sed etiam ad solvendum interesse, quanti scilicet emptoris interest, rem sibi venditam habere, *l. Qui tibi 6. C. de Hæred. vel act. vend. & l. Si ancillam 11. C. de Act. empti.* Imò, 29. si secundus emptor rem alteri jam venditam esse scivit, prior ejus emptor, si ad interesse agere nolit, secundum convenire potest Actione in factum & rem in fraudem & præjudicium suum ab isto emptam, recuperare, *arg. l. 1. ff. De his, quæ in fraud. credit.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 2. n. 20. citt.* Molina *n. 9.* & Haunold. *n. 74.*

30. Dubium & celebris controversia septimò est, an emptori contractûs impletionem petenti venditor determinatè ipsam rem venditam sive mercem tradere teneatur, vel ei interesse solvendô liberetur. Sunt enim DD. qui cum Fachineo *Controvers. Lib. 2. cap. 20.* istius solutione venditorem liberari, asserant, permoti variis legibus, quibus, re non traditâ ad id, quod interest, agendum & venditorem condemnandum, asseritur. Rationem reddunt; quod venditor obligetur ad factum sive traditionem, *l. Si rem 20. ff. de V. O.* in facti autem obligationibus sufficiat præstare id, quod interest, *l. Stipulationes 72. V. Celsus ff. eâdem Rubr.*

Verius tamen est, & à TT. ferè supponitur, eum ad ipsam rem tradendam obligari, ut cum Felino *in c. Joannes 10. de Fide instrument. n. 34.* & Panormit. *in c. cit. n. 16.* docent Sichard. *ad Rubr. C. de Contrah. empt. n. 8.* Covarruv. *cit. cap. 19. n. 1.* Gomez *cit. n. 20.* Perez *in C. ad eandem Rub. n. 14.* Harprecht *in pr. Instit. hîc n. 34.* & ex Collegii nostri Juridici Antecessoribus subtilis Arnold. Rath. *de Contrah. empt. thes 57.* cùm propter claros textus *l. Ex empto 11. §. 1. ff. de Action. empti*, ibi, *Ipsi rem præstare creditorem, id est, tradere oportet*, §. *1. Instit. hîc*, ibi, *Contractu perfectô omni modo pretium persolvatur & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur*, & §. *Aliæ 2. Instit. de Donat.* quô locô donatam & venditam rem tradendi eadem necessitas astruitur. Id ipsum evincit ratio; quia, si venditor non nisi alternativè ad rei traditionem vel ad interesse solutionem teneretur, rem uni venditam licitè vendere & tradere posset alteri: imò huic sine actuali traditione facta secunda venditio valida foret; cùm uni tradendô rem, alteri interesse solvendô: quin hoc utrique, & rem neutri præstandô, ex contractu orta obligatio adimpleretur: quod tamen clarè adversatur *l. Qui duobus cit.* & communi sensui DD, hujusmodi venditorem perfidiæ & injustitiæ non minùs redarguentium, quàm sponsam, quæ post matrimonii contrahendi fidem datam uni sponsalia iniret cum alio: &, sicut posteriora sponsalia, sic etiam secundam venditionem habentium pro nulla: neque ad interesse, sed ad ipsam rem tradendam venditorem obligantium, sicut ad conjugium cum primo ineundum obligant sponsam.

Confirmatur paritate emptoris, determinatè ad pretium venditori rem offerenti solvendum obligati: & non satisfacientis, ei aliquid æquivalens præstandô. 31.

Cùm ergo, sicut iste de pretio pro re, sic venditor de re pro pretio tradenda conveneerit, sicut ille pretium, sic iste rem tradere tenebitur; ne deterior, quàm est venditor, sit emptor: cujus conditionem etiam valde duram redderet necessitas probandi interesse: quòd, cùm in facto consistat, *l. Quatenus 24. ff. de R. I.* difficilis est probationis, *l. fin. ff. de Stipul. Prætor.* 32.

Neque aliud evincunt leges, pro venditoris libertate solitæ allegari; quia earum plures ad interesse solvendum adstringunt eum, qui rem tradendi non habet facultatem emptori; quòd venditor in mora tradendi, itáque factum sit; ut rem amplius tradere non possit propter ejus interitum, evictionem, traditionem alteri factam; tali enim casu, cùm exhibere nequeat rem, interesse præstandò liberatur. Simili modò, cum venditor in mora emptori damnosâ est, iste eligere potest, an ad interesse vel ad rei traditionem agere velit. Alias expositiones dabunt *cit.* Harprecht *à n.* 49. & cum eo Haunold. *cit. tract.* 10. *à n.* 18.

Minùs, quàm leges, urget ratio, cùm; quia rei venditæ traditio non est aliquid nudi & in labore personali consistentis Facti: sed Juris quoque; cùm dominii aut usucapiendi conditionis translationem involvat, ut rectè advertit *cit.* Harprecht *n.* 61. tum verò; quia, licet aliquid facere obligatus interesse præstandò liberetur, quando factum principaliter & ultimatè intenditur, tanquam finis, vg. alicujus opera in ædificando, arando &c. id tamen præstandò non liberatur, sed ad ipsum factum obligatur, quando hoc intenditur tanquam medium ad translationem dominii vel conditionis usucapiendi, *cit.* Haunold. *n.* 21.

33. Dubium octavò est, cui res vendita intereat vel deterioretur. Non quidem jam tradita; hujus enim interitum ac deteriorationem ad emptorem, etiam qui pretium nondum solvit, pertinere, patet ex *l. Lectos* 12. & *l. Quod si* 14. *ff. de*
34. *Periculo & com. rei vend.* Sed nondum tradita: cujus casu aliquò intereuntis vel deterioratæ damnum ad venditorem pertinere, suadet non levis ratio; quòd rem perire domino suo, sive ejus periculum & casu aliquò intereuntis vel deterioratæ, damnum ad hunc pertinere, Regulæ instar desumatur ex *l. Si nulla* 8. & *l. Pignus* 9. *C. de Pignor. act.* rei autem venditæ & nondum traditæ dominus venditor sit, *arg. l. Traditionibus* 20. *C. de Pactis.*

Sed rationi huic prævalet aperta decisio Juris, rei certæ ac determinatæ, vg. fundi Corneliani vel Bucephali, absolutè venditæ & ante traditionem sine venditoris culpa & culpabili mora intereuntis vel deterioratæ damnum transferentis in emptorem; ut iste non solùm pretium jam solutum non valeat repetere: sed non solutum solvere teneatur, *l. Quod sæpe* 35. §. 4. *ff. de Contrab. empt. l. Necessariò* 8. *pr. ff. l.* 1. *& C. de Periculi & com. rei vend.* & §. *Cùm autem* 3. *Instit. hîc* quòd æquitati & rationi naturali congruum sit; ut, ad quem rei accessiones & fructus, etiam detrimenta & damna pertineant, *Reg. Secundùm* 10. *ff. & Reg. Qui sentit.* 15. *in* 6. Cujus utriusque ulterior ratio est; quod rei venditione mutuò consensu perfectâ emptor habeat Actionem ad eam petendam, & fictione Juris rei quodammodo dominus reputetur; cùm, *Qui Actionem habet, rem ipsam habere videatur*, textus est *l.* 15. *ff. de R. I.* & *l. Si quis* 28. *in fine ff. de Negot. gest.* id, quod debetur debitori, puta venditori, dicatur abesse; ac proinde creditori, puta emptori, adesse: & huic potiùs, sicut conservari & meliorari, sic & deteriorari atque interire, quàm venditori, qui cùm certæ speciei debitor sit, ejus interitu liberatur, *arg. l. Quod te* 5. *ff. de Reb. credit. citt.* Gomez *n.* 22. Molina *disp.* 366 *n.* 11. & Haunold. *n.* 39. Unde corruit ratio allata pro emptore; quia iste, cùm rem à venditore avocare ad libitum possit, instar domini habetur.

Magis

Magis urget *l. Si fundus 39. ff. Locati*, secundùm cujus *V. Nam & si*, fundi post venditionem perfectam publicati jactura spectat ad venditorem; cùm ad pretium restituendum obligetur. Cujus decisionis vim Interpretes variè: *cit.* Haunold. *n. 49.* cum Arnoldo Rath enervat auxiliò distinctionis inter periculum seu damnum Facti & Juris: quorum illud juxta dicta ad emptorem, hoc juxta *l. cit.* ad venditorem asserit pertinere; ut, quando rem venditam emptori tradendi impotentia ex aliquo facto, vg. casu fortuitò, furtivâ aut violentâ ablatione provenit, ejus intereuntis vel deterioratæ damnum emptori: quando autem provenit à Jure, puta, quòd nullâ emptoris culpâ evincatur, vel à Principe ob necessitatem boni publici, vg. ut in fundo munitio excitetur, venditori sit subeundum,

35. Dixi autem imprimis *Sine culpa* &c. quia, si ad rei venditæ custodiam diligentiam exactiorem, hoc est, qualem in rebus suis custodiendis accuratiores solent, non adhibuisset, itáque ejus interitus vel deterioratio accidisset venditoris culpâ, non solum latâ, sed etiam levi, aut in tradendi mora culpabili fuisset, damnum non emptoris foret, sed venditoris, *l. Custodiam 3. & l. Illud 17. ff. de Pericul. & com. rei vend. citt.* Gomez *n. 32.* & Molina *n. 13.*

36. Deinde, *Absolutè*; quia sub conditione venditæ, & ante impletam conditionem intereuntis damnum pertinet ad venditorem, *l. Necessario cit. pr. V. Et si id, & l. Cùm speciem 5. C. de Pericul. & com. rei vend.* quia ante impletam conditionem venditio non est perfecta: sicut etiam ante vini gustationem, vel equi probationem non omnino perfecta, & rei periculum ad emptorem nondum pertinere censetur, quando vinum aut equus venditus est ad futuram exploratione m, *l. 1. pr. l. Si quis vina 4. §. 1. ff. eâdem. Rubr. Intereuntis*, inquam, quia ejus sine venditoris culpa solùm deterioratæ damnum, si conditio postea impleatur, pertinet ad emptorem: cujus etiam sunt ejus interea factæ accessiones & meliorationes, *pr. & V. Quodsi cit.* Iidem Molina *n. 18.* & Haunold. *n. 49.*

37. Demum, *Rei determinatæ*, sive unius vel plurium certorum individuorum; quia, si res vendita esset indeterminata, vg. decem urnæ vini ex certo dolio, totidem libræ piperis ex sacco vel modii frumenti ex istius acervo, vel oves ex grege, rei venditæ periculum & damnum pertineret ad venditorem; quia contractus nondum perfectus & absolutus, sed suspensus est, donec res vendita sit adnumerata, admensa, appensa, *l. Quod Sape cit. §. 5. & 7. & l. Cùm convenit 2. C. eôdem.* Aliud esset, si integrum dolium, acervus &c. venditus esset per Auersionem, ut loquuntur, hoc est pretiò non in urnas, modios &c. singulos, sed pro toto dolio vel acervo constitutô, neque eorum numerô, mensurâ, pondere bene perspectis vel exploratis, vulgò vber haubt; hôc enim casu; quòd venditio à nulla conditione etiam tacitè intellecta pendens, sed omnino absoluta & perfecta sit, rei venditæ periculum & damnum pertinet ad emptorem, qui ita contrahendô id in se quasi avertit, *citt.* Molina *n. 5.* & Haunold. *n. 50.*

38. Dubium nonò est, de rei venditæ & nondum traditæ fructibus. De quibus, si convenerit inter contrahentes, conventione standum est, *l. Qui fundum 40. §. 3. ff. de Contrah. empt. & l. Julianus cit. §. 10.*

Si autem non convenerit, dubitandi ratio fere eadem, quæ de ejusdem rei periculo est; quòd scilicet unaquæque

res fructificet domino suo. Sed aliud obtinet in re vendita, cujus accessiones §. *Cùm autem* 3. *V. Sed, post Instit. hîc* & fructus omnes, contractûs perfecti tempore pendentes, emptori addicuntur, *l. Julianus cit.* §. 10. *cit. l. Fructus* 13. & *l. Post perfectam* 16. *C. de Act. empti:* qui proinde ex agro ante messem, ex vinea ante vindemiam empta provenientes fructus omnes percipit, Gomez *cit. cap.* 2. *n.* 11. Covarruvias *Lib.* 1. *Var. cap.* 15. *n.* 2. & Molina *disp.* 368. *n.* 2.

39. Imò ad eundem emptorem etiam pertinent fructus, post emptionem perfectam vg. fundi, ante istius traditionem & pretii etiam solutionem nati, ut cum Sylvestro *V. Usura* 2. *q.* 11. & Lessio *Lib.* 2. *de I. & I. cap.* 21. *n.* 109. docent Laiman *Lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. *n.* 18. Harprecht *in* §. *Cùm autem cit. n.* 25. & Haunold. *Tract. cit n.* 65. id desumentes ex *l. Julianus cit.* §. 18. quidquid servus venditus ex operis vel aliò modò ante traditionem acquirit, emptori attribuente: ex *l. Fructus & l. Post perfectam citt.* quibus pecorum fœtus & rerum venditarum fructus, sine ulla inter natos & nascituros distinctione eidem emptori adjudicanrur. Quod etiam evincit ratio æqualitatis, exigentis; ut, ad quem rei venditæ periculum & damna, ad eundem etiam accessiones, commoda & fructus pertineant; cùm ejus, licet reipsa nondum sit, Juris tamen fictione propter ejus ad libitum avocandæ jus quasi dominus reputetur.

ARTICULUS III.

De rerum Venalium Pretio.

SUMMARIUM.

40. *Pretium in Emptione Venditione certum,*
41. *Et in pecunia numerata consistens exigitur,*
42. *Taxatum Lege, ferè indivisibile;*
43. *Ex communi æstimatione desumptum, triplex est.*
44. *Rerum pretium variatur propter labores & sumptus in eas factos;*
45. *Propter emergens damnum aut lucrum cessans,*
46. *Et singularem erga eas affectionem;* 40
47. *Propter solutionis non recipiendæ periculum:*
48. *Propter mercium raritatem & multitudinem emptorum,*
49. *Modúmque eas Vendendi.*
50. *Non etiam propter singularem indigentiam alicujus emptoris.*
51. *Res carius, quàm incolis, vendi nequeunt peregrinis:*
52. *Nisi istorum affluxu multùm augeatur numerus emptorum,* 41
53. *De justo pretio rerum, certam æstimationem non habentium, variis sensus DD.*
54. *Contrahentibus non licet, se mutuò circumvenire.*
55. *Circumventus tamen in Foro externo non semper habet Actionem,*
56. *Saltem, si infra justi pretii dimidium sit læsus.*
57. *Intra quod alterum ladens ad restitutionem in Conscientia tenetur,* 42.
58. *Et Evangelicè denuntiatus ab Ecclesia compellitur.*
59. *Ultra dimidium læsus venditor ad deficientis pretii supplementum,*
60. *Et emptor ad excessus restitutionem, vel ad contractûs rescissionem agunt.*

§1. Secun-

61. *Secundùm aliquos, quando rem, centum constantem, 152.*
62. *Verùs non nisi illam plùs quàm ducentis emerit:*
63. *Ea tamen Actio non competit læso Transactione.*
64. *Aliis verò Contractibus læso prodest:*
65. *Nisi ei læsus renuntiârit,*
66. *Vel pretii defectum aut excessum donârit,*
67. *Vel res casu fortuitò sit peremptæ.*

40. PRetium, ad Emptionis venditionis substantiam requisitum, esse debet certum, sive certa ejus quantitas, *pr. V. Pretium. & §. 1. Instit. hâc Rubr.* sive id certum ipsi contrahentes mutuò consensu definiverint, sive in arbitrium (non unius ex ipsismet, scilicet emptoris aut venditoris) sed alicujus tertiæ personæ contulerint, *§. cit. l. In vendentis 15. §l. fin. C. de Contrah. empt.* rei enim pretiò ab hoc definitò contractus valet, Perez *in C. eâdem Rubr. n. 18.*

41. Pretii autem nomine latè, res quæcunque alterius æstimationem adæquans: propriè autem acceptò veniunt nummi sive pecunia numerata, *§. Item pretium 2. Instit. Rubr. cit.* quæ pro merce seu re empta datur, certâmque æstimationem à publica authoritate habet: &, suadente publicâ utilitate, imò necessitate exigente, constituta est; ut rerum humano commercio subjectarum vendendarúmque & emendarum æstimatio esset.

42. Quod autem rerum venalium pretium, sive, quæ quantitas nummorum sive pecuniæ earum justa æstimatio sit, aliquando lege, sive Principis aut alterius similis Magistratûs, vg. vinum, frumentum, censum annuum æstimantis, publicâ ordinatione definitum est: quod ferè indivisibile esse solet; ut, licet pro temporum varietate várium & non idem semper sit, qualecunque tamen publica taxatione statutum est, ab omnibus debeat observari, neque pro venditorum emptorúmve arbitrio augeri vel minui queat;
43. Aliquando desumitur ex ipsa natura rerum venalium, non in se tantùm consideratarum, sed relatarum ad hominum necessitatem utilitatémque, eorum affectionem, voluptatem & similes circumstantias: quæ, quia pro hominum diversitate variæ sunt, non rarò accidit; ut eandem rem aliqui pluris, alii minoris: &, quam aliqui decem, alii novem aut octo duntaxat: alii undecim vel omnino duodecim aureis æstiment. Quæ causa est, cur rerum, quæ à lege seu taxatione publica certum non habent, pretium justum triplex, Summum, Medium, Infimum à DD. statuatur; cùm res, cujus medium, sive, ut vocant, Moderatum pretium sunt centum, ab aliis summô, sive, ut loquuntur, rigorosô centum & quinque, ab aliis infimô nonaginta quinque duntaxat, quod etiam Pium pretium vocari solet, æstimetur, Navarrus *Manual. cap. 23. n 79.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 347. n. 4.* & Laiman *Lib. 3. s. 5. tract. 4. cap. 17. n. 4.* Hæc satis explorata.

44. Dubium autem primò est de rerum pretii variatione: cujus perfrequentem rerúmque circumstantiis accommodatum usum justâ ratione plerumque aut saltem frequenter niti, communis sententia est TT. pariter & JCT.um, rerum pretia Magistratûs taxatione, imò etiam privatorum, illas venales exponentium, æstimatione augeri minuíque ex variis causis permittentium: &

Primò quidem propter labores, pericula & sumptus in iis colligendis coëmendísque, asportandis & conservandis factos, saltem si rerum pretium authoritate publicâ non sit constitutum, vel com-

muni usu receptum, Scotus *in 4. dist. 15. art. 2.* & Major *dist. cit. q. 41.* eósque non obscurè secutus Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 8. n. 155.* Ratio est; quia labores, pericula & sumptus illi pretiò æstimabiles sunt: ut eorum compensatio justè exigatur ab eo, qui illos pro communi utilitate subit: &, quia compensatio alia ratione quàm auctò juxta illorum modum pretio obtineri nequit, istius auctionem Venditori permitti, æquitatis ratio exposcat.

45. Secundò, propter damnum aut jacturam venditori emergentem ex venditione, aut justum lucrum ex ista cessans. Ratio est; quia etiam hæc pretiò æstimabilia, ac proinde obnoxia sunt compensationi; cùm eadem æquitatis ratio non permittat, ut venditor ex contractu damnum & lucri cessantis interitum patiatur; ne cum dispendio aut contra utilitatem suam de proprio beneficium facere cogatur, *can. Precariæ 4. §. Decrevit, 10. q. 2. cit.* Molina *disp. 351. n. 2.*

46. Tertiò propter singularem ad rem affectionem: cujus etiam multóque magis ex ea perceptæ singularis utilitatis ratione auctioris pretii exactionem cum Navarro Manual. *cap. 23. n. 84.* venditori permittunt *cit.* Molina *n. 3.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 21. n. 27.* & alii, eámque permittendi ratio est; quòd rem, in quam singulari affectione fertur, vendens se privet non tantùm re, sed etiam peculiari affectione & oblectatione, quam ex ea percepit: quæ ipsa quoque cùm æstimabilis sit pretiò, hoc juxta ipsius moderatæ modum auctius exigi potest.

47. Quartò, propter verisimile periculum & rationabilem timorem solutionis pretii non obtinendæ, ac proinde pretii cum merce amittendi: cujus intuitu auctius pretium justè exigi, cum *cit.* Navarro *n. 83.* & Medina *de Restitut. q. 38. §. Ad tertiam*, docent laudati Molina *disp. 356. n. 4.* Lessius *n. 54.* & Card. de Lugo *de J. & J. disp. 26. n. 90.* Ratio est, quia pretii pro merce non recipiendi periculum venditori etiam prudenti creat non levem molestiam ac sollicitudinem, cujus in emptoris gratiam in se susceptio æstimabilis est pretiò, istiúsque auctione compensari potest, sine omni inæqualitate inter datum & acceptum vel potius promissum; cùm certa & jacturæ periculo non obnoxia solutio pretii minoris æquivaleat, imò prævaleat incertæ & cum jacturæ periculo conjunctæ solutioni majoris.

48. Quintò propter rerum sive mercium penuriam ac raritatem vel copiam, & paucitatem vel multitudinem eas vendentium ementiúmve: ex qua causa superioribus annis frumenti Scapha Ingolstadiensis, quæ ante quinque veniit, postea ad viginti, imò ad triginta & quadraginta florenos ascendit; quòd ante illius copia major & emptores pauciores: postea illa permulti, & illius copia minor fuerit. Ratio justitiæ auctionis vel diminutionis pretii ex hac causa est; quia, quod rarum carum est & difficilius comparatur, præsertim si, ut res ad usum necessariæ solent, à pluribus appetatur, quàm id, cujus copia &, à quibus appetatur, pauci sint, *cit.* Molina *disp. 347. n. 4.* Lessius *n. 30.* & Haunold. *n. 154. in fine.*

49. Sextò propter modum vendendi & emendi; sic enim majori res singillatim quàm cumulatim, ad creditum quàm pro solutione parata, & minori pretiò subhastatæ, obtrusæ ultróque oblatæ, quàm aliæ res vendi solent partim; quòd crebræ & minutæ venditori plùs laboris ac molestiæ minúsque utilitatis plerumque afferant, quàm una vel paucæ quantitatis magnæ venditiones: partim verò; quòd res ita vendendi causa fere sit copia rerum & pauci-

& paucitas emptorum ac pecuniæ, vel rerum non magna utilitas aut necessitas publica, *citt.* Navarrus *n. 78. & 80.* Molina *disp. 348. n. 5.* Lessius *n. 32. & 56.* & alii, qui justæ variationis pretii alias causas dabunt.

50. Dubium secundò est, an res cariùs vendi & viliùs emi queat ob solam indigentiam, necessitatem vel utilitatem particularis alicujus emptoris, aut venditoris pecuniâ valde indigentis. Neque enim desunt DD. qui hanc pretii variandi causam justam esse arbitrentur. Sed malè; quia, si hoc verum esset, panem aliáque victualia & res necessarias cariùs famelico, & pauperi quàm diviti: atque etiam ei, qui ex re pretiosum aliquid elaboraturus est, ex hac sola causa majori pretiô vendi posset; quod cum Doctore Angelico 2. *2. q. 77. art. 1.* & aliis TT. meritò negant *citt.* Molina *n. 6.* & Haunold. *n. 156.* Ratio perspicua est; quia indigentia, necessitas & utilitas ista non est aliquid ipsius vendentis, sed ementis; ac proinde non apparet, qua ratione pro ea, tanquam re non sua, aliquid exigere & pretium augere valeat.

Neque ex tali causa rem cariùs vendenti, aut ementi viliùs, patrocinatur; quòd variationis pretii justa causa sit rerum necessitas & utilitas publica; cùm enim, ut dictum, justum pretium id reputetur, quod constitutum est legitimi Magistratûs authoritate publica, vel communi usu receptum, id non ex unius vel alterius emptoris aut venditoris necessitate vel utilitate particulari & mere privata, sed ex comuni duntaxat augetur, vel minuitur; quòd, istius duntaxat consideratione, publicâ authoritate magistratûs & communi fori usu varietur.

Neque etiam; quòd rei pretium augeri queat ratione utilitatis aut specialis erga illam affectionis; quia alia istius ratio est, quàm specialis utilitatis, necessitatis & indigentiæ ipsius emptoris; cùm enim rei suæ venditione emptoris utilitatem promovendô & necessitatem sublevandô venditori nihil præter rem decedat, non apparet ratio, cujus intuitu ultra taxatum aut commune rei pretium exigere aliquid possit: licet id possit ratione propriæ suæ utilitatis & specialis moderatæque affectionis erga rem; cùm hanc vendendô non ejus tantùm dominium transferat in emptorem, sed in istius gratiam speciali quoque & pretiô æstimabili utilitate voluptatéque ex re percepta se privet.

51. Dubium tertiò est, an res majori pretio peregrinis & per loca transeuntibus, quàm incolis vendi queat. Ratio dubitandi est; quòd, sicut nec rem alienam emere, nec suam vendere quis invitus cogi potest, *l. Invitum 11. C. de Contrab. empt.* sic rei suæ pretium statuere quis pro arbitrio valeat, *l. Tutor 8. in fine ff. De in litem jur.*

Sed hac in re præ oculis habendum est decretum Concilii Valentini, vel potiùs Arvernensis, cujus *cap. 7.* relato *c. 1. Presbyteri*, id est, parochi *plebes suas admonere* jubentur; *ut non cariùs vendant transeuntibus, quàm in mercato*, id est, foro, in quo res venales exponuntur, *vendere possunt*, Gonzalez *in c. cit. n. 1. 2. & 5.* Ratio decreti Synodalis est; quia Pietatis & Charitatis ratio exposcit; ut peregrini ac transeuntes humaniter tractentur; *arg. can. Quiescamus 2. dist. 42. & c. Unic. de Cleric. peregrinis*: &, ne victualia aliæq; res venales pretiô justô, eóque, quod communi fori usu receptum est, majori vendantur, Justitia non permittit, S. Thomas *art. 1. cit. & in c. 1. cit.* Barbosa *n. 7.* Gonzalez *n. 9.* & *cit.* Molina *disp. 346. n. 1.* qui tamen *n. 2.* non malè excipit ca- 52. sum, quô multis mercatoribus extraneis, lucrè

lucri faciendi causâ confluentibus crescit multitudo emptorum; cùm enim tali casu rerum pretia crescant, merces auctiori pretiô vendi extraneis, quàm antè consuevit incolis: hisque illius augmentum liberaliter remitti valebit.

Neque cum decreto Synodali relato pugnat ratio dubitandi; quia rerum pretium non ita arbitrarium est, ut vel augeri à venditore, vel ab emptore minui pro libitu possit: sed observandum illud est, quod taxatum lege publica aut fori communi usu est receptum. Quantumvis etiam rem suam vendere neminem invitum cogi, Regula sit, hæc tamen perpetua non est; cùm non desint casus, quibus quis rem suam, non solùm quam publicè exposuit venalem, cuivis pro ea pretium offerenti, sed eam etiam, quam venalem non exposuit, vendere cogatur: idque vel maximè tempore magnæ necessitatis & inopiæ rerum victualium ad vitæ conservationem necessariarum; cùm, qui his abundant, ad sublevandam indigentium necessitatem illas justô pretiô vendere teneantur: &, licet non propositâ Actione, implorato tamen nobili Officiô judicis compelli possint, *can. Sicut 8.* junctâ Glossâ *V. Esurientium, dist. 47. & l. 1. §. 11. ff. de Præf. Urb. ubi* Bartol. *n. 1.* Panormit. *in c. 1. cit. num. 7. & 8.* Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 14. n. 1.* Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 52.* & Surdus *de Aliment. Tit. 1. q. 77.*

53. Dubium quartò est de pretio rerum, neque à lege, neque etiam à communi usu certam æstimationem habentium, ut sunt gemmæ, volucres aliáque animalia, & merces ex remotis regionibus recens advectæ, statuæ & nummi antiqui: quibus non pauci, quodlibet, quantumcunque magnum pretium, à venditore statui: alii pro ipsis illud solum exigi posse volunt, quod rei qualitate, novitate, utilitate, factis in eam expensis & similibus circumstantiis ponderatis, viri prudentes justum esse, communiter judicant. Quorum sensus, licet æquitati & rationi magis congruat; quòd pretia rebus talia imponenda sint, quæ communem æstimationem non excedunt, *l. Si servum 33. pr. ff. ad L. Aquil. & l. Pretia 63. pr. ff. ad L. Falcid.* damnare tamen non ausim ei contrariam Opinionem, propter authoritatem DD. eam propugnantium, & praxim mercatorum, apud Æthiopes & Indos vitra, fistulas aliásque exiguas & propè nullius apud nos æstimationis res pro auro, gemmis aliísque pretiosis mercibus permutantium: & ab iis ad nos allatas & sæpe levissimô pretiô comparatas merces vendentium pretiô, quantòcunque possunt.

Dubium quintò est, an in rerum venditione contrahentes se mutuò valeant circumvenire, hoc enim ipsis permissum videtur Jure Imperiali, *l. In causa 16. ff. de Minoribus*, cujus *§. 4.* Pomponius JCT.[9] ait, *In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere se circumvenire.* Non minùs clarus est textus *l. Item 22. ff. Locati*, cujus *§. 3.* Paulus JCT.[9] *In emendo & vendendo idem concessum: & quod in hoc contractu, in locationibus quoque & conductionibus Juris esse*, respondit. Unde aliqui DD. in Contractibus istis deceptionem eatenus approbatam volunt, ut contrahentes infra justi pretii dimidium se lædere licitè possint. Sed malè & contra principia sanæ Theologiæ, eum, qui alterum in pretio, etiam infra justi dimidium, vg. pro re, cujus pretium justum infimum sunt centum, exhibitis duntaxat sexaginta læsit, ad restituendorum quadraginta restitutionem in Conscientia inhibitatè obligantis: & contra præcepta Juris Divini per Apostolum promulgati, *Ne quis supergrediatur & circumveniat in negotio*

negotio fratrem suum, quoniam vindex est dominus, 1. Thessal. *cap. 4. V. 6.* Imò contra insitam mentibus nostris à Natura legem Charitatis & Justitiæ expoſcentis; ne appetamus bona proximi, quem, sicut nos ipsos, diligere jubemur: &, ut in contractibus æqualitatem, pretium pro re, quod istius justa æstimatio sit, exhibendò observemus. Ut adeò meritò S. Augustinus, velle vili emere aut carè vendere, sive pro re minùs, quàm valet, dare, aut justò valore plus accipere, utrumque vitium esse, pronuntiârit *Lib. 13. de Trinit. cap. 3.*

55. Sanæ huic doctrinæ leges Imperiales, si adverſentur, cedunt, *arg. c. fin. de Præscript.* juxta dicta in Procem. *n. 159.* Ne autem, adverſentur, DD. variis interpretationibus cum ea conciliare conantur. Meò judicio à vera Theologia minùs recedunt, qui relatos JCT.os circumventionem in pretio naturaliter contrahentibus licitam eò ſenſu aſſeruiſſe, volunt; quòd ea Naturali ſecundariò, hoc eſt, Gentium Jure non tam approbata, quàm impunita eatenus fuerit; ut ad pacem & tranquillitatem in humana Societate faciliùs conſervandam & illis inimicam litium multitudinem ab iſta avertendam venditori adverſus emptorem, à quo infra juſti pretii dimidium vg. pro re, cujus pretium 100. ſunt, 60. duntaxat accipiendò, læſus eſt, Actio negaretur; cùm vix ulla, & fortaſſis nulla gens fuerit, quæ ob quamvis etiam minimam læſionem in pretio, ad eam emendandam dederit conventionem judicialem, ut ex communi aliorum ſenſu advertunt *cit.* Haunold. *n. 162.* & Bruneman *in l. In cauſa cit. num. 13.* Unde

56. Dubium ſextum oritur de remediis competentibus adverſus emptionem venditionem, quâ contrahentium alter, pro re pretium juſtò infimò minùs accipiendò, vel ſummò majus dandò, eſt læſus. Qua in re Jure Civili prodita, & Canonico quoque pro Foro externo firmata eſt diſtinctio inter læſiones; quando enim contractu iſto venditor læſus eſt infra juſti pretii dimidium, vg. pro re, cujus juſtum pretium infimum centum ſunt, ſolummodo ſexaginta aut ſeptuaginta recipiendò, venditio non ſolùm valida eſt, ſed eâ læſo, neque ad reſciſſionem contractûs neque ad juſti pretii deficientis ſupplementum Actio datur, *arg. l. In cauſa cit. §. 4. l. Itē 22. §. 3. cit. & l. Si voluntate 8. C. de Reſcind. vendit.* ut Reipublicæ noxia litium frequentia evitaretur, & contractus inter homines majori fiduciâ celebrarentur. *Pro Externo*, in- 57. quam; quia in interno Conſcientiæ Foro quisquis alterum injuſtè & notabiliter læſit, juſtò minus pretium dandò aut majus recipiendò, ad damnum reſarciendum ſive pretii defectum ſupplendum & exceſſum reſtituendum ſub gravi peccato obligatur, ut cum S. Thoma *cit. art. 1.* certa eſt ſententia TT. niſi ex circumſtantiis rationabiliter præſumi poſſit, damnum à contrahentibus ſibi mutuò remiſſum, Leſſius *Lib. 2. de J. & J. cap. 21. num. 33.*

Imò ita læſis in Foro Eccleſiæ exter- 58.
no, licet non concedatur Actio judicialis, permiſſa tamen eſt denuntiatio Evangelica: quâ ſibi factâ judex Eccleſiaſticus deceptorem, ſive alterum lædentem, compellere poteſt ad reſarcitionem damni, ad quam iſte obligatur Jure Divino & Naturali, non permittente aliquem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem, *l. Jure Naturæ 206. ff. de R. J.* &; ne, quod ſibi fieri non vult, quis faciat alteri, Matth. *cap. 7. v. 12.* proximúmve in negotio circumveniat, prohibente *1.* Theſſal. *cap. 4. v. 6.*

Quando autem venditor ultra juſti 59.

pretii dimidium læsus est, vg. pro re centum constante solùm quadraginta vel ultra hæc octo recipiendô, validus quidem est contractus: sed eô læsus agere adversus emptorem potest; ut vel, rescissâ venditione, rem venditam restituat, vel suppleat justi pretii defectum, per textus famigeratæ *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend. c. Cùm dilecti 3. & c. Cùm causa 6. hâc Rubr.* confirmatæ. cui

Non obstat; quòd ex una, rei suæ valorem scire venditor præsumatur, *l. Quisquis 15. C. de Rescind. vend.* ac proinde rem suam minori pretiô vendens, id, quod justo pretio deest, donare videatur: ex altera verò parte, rem minori, quàm valet, pretiô donandi animô vendens, si ad contractûs rescissionem agat, non audiatur, *l. Si quis 38.* junctâ Glossâ *marg. ff. de Contrab. empt.* Non, inquam, hoc obstat; quia donandi animus, si non exprimatur verbis, neque ex circumstantiis, vg. quòd emptor venditori sanguinis aut aliâ necessitudine sit conjunctus, colligatur, abesse præsumitur in eo, qui rem à se vendi asserit; cùm in dubio suum jactare nemo facilè censeatur, *l. Cùm de indebito 25. ff. de Probat.* Quare præsumptioni, quæ est de scientia valoris rei suæ, prævalet ea, quæ rerum suarum jactationem & donandi animum excludit; ac proinde in dubio venditor, rei venditæ pretium ignorâsse potiùs, quàm eam jactare & donare voluisse, præsumitur, Panormit. *in c. Cùm causa cit. n. 4.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 4. n. 2.* & Menoch. *Lib. 6. Præsumpt. 23. n. 36.*

Simili modô, cùm emptor mercem
60. emendô ultra dimidium læsus est, valida quidem est emptio, adversus venditorem tamen vel ad ejus contractûs rescissionem, eóque rescissô, réque redditâ, pretii, quod dedit, integri restitutionem: vel, si venditor malit, ad restitutionem solius excessûs pretii agere potest, ut *arg. l. 2. & cc. citt.* cum Panormit. *in c. Cùm dilecti cit. n. 2.* & Pinello *in l. 2. cit. p. 1. cap. 2. & 3. n. 10* docent Guttierez *Lib. 2. Pract. q. 133. n. 2. & cit.* Molina *disp. 349. n. 1.* Ratio est; quia, licet textus *citt.* expressè loquantur de læsis venditoribus, æquitas tamen & æqualitas inter contrahentes observanda exigit, ut *l. cit.* remediô, sicut venditori, sic etiam emptori ultra dimidium læso succurratur; cùm, ne contractus ex una parte claudicet; tum verò quia venditor & emptor sunt correlativa: de quorum uno dispositum extenditur ad alterum, *l. fin. C. de Indicta vid. & l. 1. C. de Cupress.* saltem cùm eadem utriusque ratio est: eadem autem, quæ venditori, etiam emptori ultra dimidium læso, imò huic succurrendi major ratio est; cùm ille suam vendat, iste emat alienam: veri autem valoris rei alienæ, quàm suæ, tolerabilior ignorantia sit, *arg. l. Quisquis cit.* ibi, *Familiaris rei scire vires vel merita atque emolumenta antè debuerat.*

Quantumvis autem etiam emptori ultra dimidium læso *l. cit.* remedium prodesse, inter præcipui nominis DD. latis conveniat, dissensio tamen non modica inter eos est, quando ultra dimidium læsus censeatur; TT. enim & Canonistæ Hispani, leges suas Regias præcipuè attendentes, & ex aliis DD. non pauci, emptorem ultra dimidium læsum, & ad rescissionem contractûs vel excessûs soluti pretii restitutionem agere posse, voluntquando pro re, cujus justum pretium summum centum sunt, centum & quinquaginta quatuor solvit. Ratio, quâ nituntur, unica, sed in speciem solida est; quod ita observetur æqualitas inter contrahentes; cùm utriusque conditio sit par: & contractu initô de re, cujus justus valor centum sunt, sicut venditori, sic etiam emptori

emptori plus quàm quinquaginta minùs, quàm deberet, accipienti *l. 2. cit.* remediò subveniatur: secus quàm eveniret, si isti non subveniretur, nisi pro ejus valoris re seu merce ducenta & quatuor expendisset; cùm ita venditor in plus, quàm quinquaginta, emptor autem non nisi in plus quàm centum læsus ex *l. cit.* agere posset: quòd adversatur Justitiæ Commutativæ, in contractibus reciprocis exigentis servari æqualitatem, neque permittentis, ut contrahentium alterius deterior conditio sit.

62. Sed, licet hoc primò intuitu iniquum, rem tamen accuratiùs perveſtiganti satis æqua videri potest contraria sententia Cujacii *Observat. Lib. 16. cap. 18.* Pinelli *in l. cit. p. 1. cap. 2. à n. 5.* Perez *in C. de Rescind. vend. n. 8.* & aliorum JCT. tum præsertim Germanorum, emptorē rei valentis centum, numeratis pro ea centum & quinquaginta quatuor, ultra dimidium læsum, & *l. cit.* beneficiò juvari, negantium: quorum, imò ipsius Panormit. *in c. Cùm dilecti cit. n. 2.* & Speculat. *Tit. de Rescind. Vendit. n.* 11. doctrinam ex RR. TT. secutus est Wadingus *de Contract. disp. 7. dub. & §. 4. n. 2.* & non obscurè defendit *cit.* Haunold. *n. 243.* Eadem Jure Bavarico Landrecht *Tit. 7. art. 7.* & Cameræ Imperialis usu recepta est, teste Mynsinger *Cent. 4. Observat. 73.* Ratione etiam satis solidâ & clarâ fulcitur; quia læsionis magnitudo in emptione venditione desumenda est, factâ comparatione dati & accepti ita; ut infra dimidium duntaxat, qui ejus, quod dedit, plus quàm mediam partem: ultra dimidium autem læsus judicetur, qui ejus, quod dedit, mediâ minorem partem accepit. Unde, sicut venditor ultra dimidium læsus dicitur, quando dati sive rei venditæ constantis centum minus, quàm dimidium pretium, scilicet quadraginta octo duntaxat accepit, sic etiam emptor ultra dimidium læsus rectè dicetur, quando dati, scilicet plus quàm ducentorum florenorum minus quàm dimidium accepit: quod accidit, cùm pro iis accepit rem constantem solummodo centum: non etiam, quando pro illis centum quinquaginta quatuor duntaxat dedit; hôc enim casu, cùm dati plus quàm dimidiam æstimationem acceperit, infra, non ultra dimidium est læsus.

Non minùs, quàm clara hæc ratio est, facilè enervatur, quæ allata est in contrarium; quia, esto emptor plus lædi queat materialiter, sive spectatâ quantitate, in qua est læsus: non tamen plus lædi potest formaliter; cùm, quando dati plus quàm dimidium accepit, neuter: quando autem ejus minùs quàm dimidium accepit, uterque ultra dimidium læsus censeatur, ut cum Laiman *Lib. 3 s. 5. tract. 4. cap. 17. n. 6.* rectè observat Haunold. *cit. n. 243. V. Ut autem.* Quod autem sic inter contrahentes non servetur æqualitas materialis, ut ferè exigit & solet Justitia Commutativa, hactenus firmatæ JCT. ôrum sententiæ non officit; quia Jura rescissionem emptionis infra dimidium læsis negandô, non ita spectârunt privatorum contrahentium substantiam, quàm bonum Reipublicæ: à cujus curiis nimiam litium frequentiam arcere præcipuè intenderunt: qui finis per communiorem sententiam TT. minùs obtinetur; cùm faciliùs quis inducatur, ut centum quinquaginta quatuor florenis rem valentem centum emat, quàm ut hanc solum quadraginta octo vendat, ut cum *cit.* Laiman advertit idem Haunold. *n. 243.*

Dubium septimò est, an *l. cit.* remedio locus sit in aliis Contractibus. Id ferè 63.
non competere ultra dimidum læso in Transactione, frequentiori DD. sensu & speciali ratione spectatis negavi *Lib. 1.*

Tit. 36. àn. 10. Ei in cæteris etiam contractibus locum non esse, cum nonnullis vult Hunnius *Lib. 3. Resol. tract. 7. q. 12. V. Sed his*, quòd ex una, *l. cit.* meminerit solius Venditionis: ex altera verò parte, quod eâ proditum remedium contra rationem Juris, circumventionem absque ulla quantitatis determinatione contrahentibus permittentis, *l. In causa §. 4. & l. Item §. 3. citt.* sit introductum, ac proinde ad consequentiam non trahendum, *l. Quod contra 141. ff. de R. J.*

64. Nihilominus etiam Permutatione, Locatione, Cambio, & cæteris Contractibus reciprocis ultra dimidium læsis *l. cit.* remediô succurri, defendit Panormit. *in c. Cùm causa cit. n. 8.* quem cum Fachineo *Controvers. Lib. 2. cap. 22.* secuti sunt Palao *Tract. 32. disp. 5. p. 17. §. 8. n. 1. & cit.* Haunold. *àn. 245.* eâ ducti ratione; quòd, licet *l. cit.* &, cui ea subjicitur, *Rubrica* agant de venditione, nulla tamen sit ratio, quæ eâ non etiam locatione, permutatione &c. ultra dimidium læsis succurrendum evincat: imò, quocunque contractu ita læsos, *l. cit.* remediô adjuvari, dictet æquitas: nisi id speciali ratione excludatur.

Ratione, quam opponit, Hunnius ipsemet impugnatur; cùm, si ejus intentum probaret, etiâ contra ipsũ evinceret, solorũ limobilium, non etiam mobiliũ: & illorum venditione duntaxat, non etiam emptione ultra dimidium læsis *l. cit.* remedium prodesse; quia immobilium duntaxat & solius venditionis meminit. Paritas autem rationis & æquitas, sicut rei mobilis emptione, sic locatione alióve contractu reciprocô ultra dimidium læsis *l. cit.* remediô sibi consulere volentibus patrocinetur. Accedit; quòd remedium hoc nequaquam, ut Hunnius supponit, novum sed antiquô Jure jam proditum sit; *l. cit.* autem solummodo firmatum & apertiùs declaratum esse, à DD. & in scholis receptum esse, perhibeat Harprecht *in §. fin. Iustit. n. 91.*

Non desunt tamen casus, quibus ultra dimidium etiam venditione læsis hactenus declaratum Juris remedium non prodest. 65

Primò quidem, cùm ei non generaliter tantùm, sed specialiter & expresè, præsertim cum juramento quis renuntiavit, *arg. l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Ædil. edict.* quâ actiones suas remittentibus ad eas regressus disertè negatur. Ratio est; quia Juri & favori pro se principaliter introducto renuntiare cuilibet est permissum, *c. Si de terra 6. de Privileg.* & servandum est omne juramentum, quod in salutis dispendium & alterius detrimentum non redundat, *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 4.* & Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 26. n. 2.* nisi læsio excedat justi pretii duplum vel triplum, ac proinde enormissima foret; quia hæc sub simplici, imò & jurata, renuntiatione non comprehenditur; cùm ei dolus causam dedisse censeatur, *citt.* Covarr. *n. 5.* & Guttierez *n. 7.*

Secundò, si defectum venditor vel excessum pretii emptor donet: quod, sicut *arg. l. In remandata 21. C. Mandati* omnino certum, sic anceps est, an in dubio verbis, *Id, quô res pluris valet, dono*, defectus pretii plus quàm dimidii donatus censeatur, Quod non pauci affirmant. Alii & verùs verbis illis modici duntaxat, non justi dimidium excedentis pretii defectum remitti censent; quia dictione *Quod pluris* modica, non quæcunque quantitas denotatur, *l. Hæc adjectio 191. ff. de V. S.* Unde communis sententia; ut dimidii pretii defectus à venditore donatus censeatur, exposcit; ut ille justi pretii habuerit scientiam, & nulla vi metúve aut necessitate coactus pretii defe-

cientiã

cientis & donati quantitatem vel specificis vel saltem universalibus verbis vg. *Quantucunque ejus defectus sit &c.* exprimat; ita enim venditori etiam ultra dimidium, dummodo non enormissimè, læso *l. cit.* remediò non subveniri, cum Felino *in c. Si cautio 14. de Fide instrument. n. 39.* docent Menoch. *de Arbitr. casu 144. n. 15.* & Fachineus *cit. Lib. 2. cap. 19. V. Sed & tertia.*

67 Tertiò, si res empta casu fortuitò perempta sit, *l. Si res 12. §. 1. ff. de Jure dotium*, ubi in servi pretio læsæ mulieri, *Si ille decesserit, æstimatio non justa, sed ea, quæ facta est*; ac proinde sine defectûs supplemento, *præstanda* dicitur. Ratio est; quia, re ita peremptâ, cessat optio justi pretii defectum supplendi, vel rescisso contractu recipiendi rem; cùm enim ista non ampliùs extet, cessare necesse est optionem, quam ex *l. 2. cit.* conventus habet; ideóque læsus sibi imputare debet; quòd eum non convenerit; cùm re adhuc extante optioni & *l. cit.* indultæ Actioni locus esset, *cit.* Covarr. *n. 14.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 2. n. 22.* & Fachineus *Lib. 2. cap. 18.*

ARTICULUS IV.

De Re seu Merce.

SUMMARIUM.

68. *Merx sunt res humano commercio subjectæ.*
69. *Vendi prohibentur I. Liber homo:*
70. *II. Res publicæ,*
71. *III. Et sacræ, sive spirituales, hisque annexæ:*
72. *IV. Res Ecclesiæ immobiles & pretiosæ sine solennitate;*
73. *Nisi Ecclesia vel monasterium earum capax non sit.*
74. *V. Fundus aliæve res dotales:*
75. *VI. Res propria ipsius emptoris.*
76. *Valida est venditio rei alienæ,*
77. *Eâ tamen sola usucapiendi conditio transfertur in emptorem:*
78. *Cui de evictione venditor tenetur:*
79. *Licet rem esse alienam ignorârit,*
80. *Résque non tota, sed ejus solùm pars in judicio evicta,*
81. *Et actu ablata sit emptori:*
82. *Qui evictionis periculum animadvertens potest retinere pretium,*
83. *De evictione non tenetur venditor, cui denuntiata non fuit lis:*
84. *Si res propter emptoris contumaciam,*
85. *Vel imperitam, aut injuriam judicis fuit evicta:*
86. *Si emptor evictionem remisit, vel rem alienam esse scivit,*
87. *Vel in judicem non suum consensit,*
88. *Rémve, cùm posset, non usucæpit,*
89. *Vel, cùm debuit, non appellavit.*

MErx sive res, quæ veneat, in rerum natura, aut saltem ejus futuræ spes, ut vg. fœtus aut fructus nascituri, volucrum, piscium, ferarum captus, *l. Nec emptio 8. pr. & §. 1. ff. de Contrab. empt.* & humano commercio subjecta esse debet, Perez *in C. de Contrab. empt. n. 10.* & Vallens. *ad hanc Rubr. §. 4. n. 1.* Unde 68.

Vendi nequeunt primò liber homo pro servo, §. *fin. Instit. hâc Rubr.* quia in emptione intervenire debet certum pretium & æstimatio: quam liberum corpus non recipit, *l. 1. §. 5. ff. De his, qui effud. vel deiec.* cùm libertas inæstimabilis sit, *l. Libertas 106. ff. de R. I.* 69.

Secundò, res publicæ, ut forum, 70.

curia &c. quia nulla ratio permittit; ut, quod communi utilitati destinatum est, cum publici statûs læsione ad privatum commodum trahatur, & propriis cujusquam usibus applicetur, *c. Ratio 3. de Præb. & dignit.*

71. Tertiò, res sacræ, non solùm merè spirituales, ut sunt Gratia sanctificans aut gratis data, sacrificatio, absolutio, consecratio &c. sed etiam temporales spiritualibus annexæ, sive eæ his annexæ sint consequenter, & spiritualia, tanquam causas, præsupponant, ut beneficia & pensiones Ecclesiasticæ, jus decimandi &c. sive antecedenter, ut templa, altaria, calices &c. sive concomitanter, ut labor, qui sacrificatione, vel aliô ministeriô & functione spirituali subitur &c. quia hujusmodi rerum venditio ferè continet labem Simoniæ, ut *Lib. 5. Tit. 3. à n. 32.* declarabitur.

72. Quartò, res Ecclesiarum, monasteriorum aliorúmque sacrorum vel Religiosorum locorum immobiles ac mobiles pretiosæ: quæ tamen non simpliciter, sed sine justa causa & solennitatibus *Tit. 13. à n. 67.* declaratis, vendi prohibentur: earúmque aliter facta venditio irritatur, *can. Capellas, 10. q. 2. can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. c. Cùm Apostolica 7. c. Tua 8. de his, quæ à Prælat. &c.*

Neque obstat; quòd Prælatis cæterisque rerum Ecclesiasticarum administratoribus ejusmodi rerum permissa sit emptio, quæ venditionis est correlativa: in correlativis autem dispositum de uno ad alterum extendatur, *l. fin. C. de Indicta vid.* Everardus *Loco à Correlat. n. 3.* quia, ut iste aliis DD. relatis ostendit, hoc de correlativis solummodo procedit, quando eorum utriusque eadem ratio est; cùm ergo immobilium emptio Ecclesiis utilis, venditio damnosa soleat esse; quia utique melius est possidere vg. prædium aut vineam, reddentem annuos fructus, quàm sterilem & otiosam pecuniam arcâ reconditam habere, meritò Prælatis immobilium venditio interdicta est, permissâ emptione: sicut eadem interdicta tutoribus, quantumvis ejusmodi rerum emptio ipsis permissa sit, *l. Tutor qui 7. §. 3. ff. & l. Tutores 22. C. de Administr. tut.* Guttierez *de Tutel. p. 2. cap. 9. à n. 1.*

Magis adversatur & pro ejusmodi venditionis valore apertè militat textus *c. Cùm dilecti 3.* quô venditio Sylvæ sine prævio tractatu & consensu, imò scientiâ Capituli; ac proinde sine solennitate canonica celebrata, sustinetur. Imò sententia decani, illam non tenere pronuntiantis, tanquam Juri contraria, ab Alexandro III. revocatur, & in emptoris arbitrio esse decernitur, an suppletum defectum justi pretii aut venditionem rescindendam existimet. Quæ in speciem satis difficilis decisio ut cum aliis *cann. & cc. citt.* concilietur, probè expendendus est *c. Cùm dilecti cit.* textus, quô venditio ab initio ex duplici capite fuit impugnata. Primò quidem; quòd ignorante Capitulo, ac proinde sine forma Canonica illius tractatum, consensum, & subscriptionem in voluente fuerit celebrata. Secundò; quòd pro sylva, quæ quadraginta marchas valebat, non nisi decem libræ exhibitæ, itáque à venditore pro ea minùs quàm dimidium justi pretii sit receptum. Quorum prius, scilicet tractatûs, consensûs & subscriptionis Capitularis defectus, cùm allegatus quidem, sed probatus non fuerit, propterea venditionem irritam fuisse, non est pronuntiatum, ut *ibi* cum Glossa *V. Reddendum*, notat Panormit. *n. 4.* De posteriori, nempe læsione ultra dimidium, legitimè constabat; unde à Papa, quæstione nullitatis ex defectu solennis-

lennitatum provenientis reservatâ, non venditio irrita declarata aut rescissa est: quod actores petebant & decanus contra *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend.* pronuntiavit: sed emptor solùm alternativè sive disiunctivè ad defectum pretii supplendum, vel rescisso contractu & receptô pretiô, ad sylvam restituendam compulsus fuit, juxta *l. cit.* Pirthing *ad hanc Rubr. n. 22.*

73. Excipienda tamen hôc locô sunt immobilia donata aut ultimâ voluntate relicta FF. Minoribus Seraphici Ordinis S. Francisci & Cappucinis: uti & PP. Theatinis ac Domibus Professis Societatis JESU, quæ ad sociorum usum aut habitationem servire non possunt; talia enim hôc ipsô; quòd à Monasteriis aut Domibus retineri per Religionum illarum à Sede Apostolica approbatas Constitutiones non possint, sine Canonica solennitate vendi, & venditorum pretium in Monasteriorum Domorúmque & Religiosorum usus converti possunt, ut à S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. decretum de PP. Theatinis, testes sunt Corradus *Dispensat. Apostol. Lib. 9. cap. 1. n. 13.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. q. 36. n. 3.* & Del bene *de Immunit. Eccles. cap. 17. dub. 22. n. 28.*

Dico, *Immobilia*: non etiam mobilia pretiosa, ut sunt calices, vasa aurea, argentea & similia, quorum Religio est capax; ista enim hôc ipsô; quòd per acceptationem Monasterio vel Domui jam quæsita & divino cultui applicata sint, vendi sine causa & forma Canonica non posse, verisimiliùs existimant Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 59. citt.* Donatus *n. 2.* & Del bene *à n. 30.* id non male desumentes ex memorato decreto, Immobilium duntaxat venditionem excipiente.

74. Quintò, vendi nequit fundus dotalis vel alia res immobilis, ab uxore marito allata ad matrimonii onera supportanda, *l. Fundus 3. &c. ff. de Fundo dot. pr. Instit. Quibus alien. non licet*: & ejusmodi res donatæ propter nuptias sive in compensationem & securitatem dotis: quantumvis in alienationem mulier consenserit, & juri suo renuntiârit, *Auth. Sive à me C. ad S. C. Velleian.* Nisi, huic renuntiationi se non contraventuram, jurâsset, *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Licet 2. eâdem Rubr. in 6.* vel post biennium secundâ vice consenserit, & maritus habeat alia bona, ex quibus indemnitati mulieris sufficienter cautum sit ac prospectum, *Auth. cit.* cujusmodi geminatum consensum in alienationem dotis interveniisse, ex triginta annorum lapsu Cœlestinus III. præsumpsit *c. Pervenit 4.* ex eóque tempore extrinsecas actuum solennitates, præsertim concurrente simul observantiâ, præsumi, *in c. cit.* cum Panormit. *n. 7.* & aliis notat Barbosa *n. 2.*

75. Sextò, vendi nequit res propria ipsius emptoris, *l. Cùm res 4. l. Suæ 16. ff. & l. Mater 10. C. de Contrah. empt.* cujus proinde, sive scienter sive ignoranter, ab isto facta emptio non valet; cùm rei, cujus quis dominium habet, dominus fieri ampliùs non possit, *c. Inter 6. V. Cæterùm, de Fide Instr. & §. Idem 2. Instit. de Inutil. stipul.* Nisi emptum sit aliquod jus, quod in ejus re venditor habebat, aut penes hunc existat ejus possessio, *l. Si in emptione 34. §. 4. ff. de Contrah. empt.* cùm hac ratione non rem suam, sed rei suæ alienam possessionem, aut alienum in ea jus emat, Perez *in C. eâdem Rubr. n. 13.* & Bruneman. *in l. Cùm res cit. n. 2.*

76. Valida tamen est venditio rei non solùm propriæ venditoris: sed etiam alienæ, *l. Qui alienam 28. ff. de Contrah. empti-*

empt. cùm ad istius contractûs valorem necessaria non sit translatio dominii in emptorem, *l. Si ita 25. §. 1. ff. ibidem:* sed, licet casu, quò venditor rei dominus fuit, eam emptori tradendò, iste ejus dominus fiat, *§. Per traditionem 40. Instit. de Rer. divis.* casu tameu, quò vendidit rem alienam, istius traditæ solam usucapiendi conditionem in emptorem transfert, seu facit; ut huic eam habere liceat, & legitimò tempore bonâ fide possessam præscribere valeat. *Bonâ,* inquam, *fide;* cùm enim, sicut sine possessione, *Reg. 3. in 6.* sic etiam sine bona fide præscriptio non procedat, *c. fin. de Præscript. & Reg. Possessor 2. in 6.* in emptorem, qui rem alienam esse scivit, usucapiendi conditio nequit transferri, ac proinde emptio Jure non subsistit, *l. Si in emptione cit. §. 3.*

77.

78. Sicut emptor rem alienam malâ fide emptam sibíque traditam præscribere, imò retinere non potest: sic bona fide ab eo empta & retenta ejusmodi res aliena à vero domino superveniente, eámque suam aut sibi obligatam esse in judicio evincente, avocari potest. Ejus tamen avocatione, currentis præscriptionis tempore factâ, venditor de evictione tenetur emptori; ut hic ab illo repetere valeat pretium, quò res inter contrahentes fuit æstimata, nullâ ratione habitâ augmenti vel decrementi: sed solummodo consideratò statu contractûs & appretiationis eò tempore factæ, *l. Bonitatis 13. ff. de Evictionibus*, atque insuper petere possit interesse singulare, quanti præter pretiũ prore expositum emptoris interest, rem evictam non fuisse: & compensationem omnium damnorum inde acceptorum, *l. 1. & l. Venditor 8. ff. Rubr. cit.* dummodo ista pretii expositi duplum non excedat, *l. Unica, C. de Sent. pro eo, quod interest*, & emptor tempore contractûs rem esse alienam ignorârit, *l. Si fundum 27. C. de Evict.* litémque super ea sibi motam venditori, ut sibi eam suscipienti & prosequenti in judicio assistat, & probationes suggerat, in tempore denuntiârit, *c. fin. hîc, l. Si rem 29. ff. & l. Autore 7. C. Rubr. cit.*

De evictione autem emptori præstanda venditor tenetur Imprimis sive rem alienam aut alteri obligatam esse sciverit, sive hoc ignorârit; quia ignorantia eum non excusat; cùm res, quam vendit, conditionem scire quisque teneatur, ac præsumatur, *arg. l. Quisquis 15. C. de Rescind. vend.* Deinde, sive res tota sive ejus tantùm pars aliquota, ac proinde etiam, si evincatur usufructus, *pr. l. 1. & l. Si ab emptore 49.* aut constituta servitus in fundo, quem vendens omnino liberum affirmavit, *l. Quod ad 75. ff. de Evict.* Demum, sive de evictione præstanda inter contrahentes convenerit, sive non, *l. Non dubitatur 6. C. de Evict.* Ratio est; quia emptio venditio est contractus bonæ fidei: qui exigit, ut præstetur, quod inter contrahentes est actum: &, si inter hos nihil convenit; ut præstentur, quæ contractui naturaliter insunt. Emptioni autem & venditioni, tanquam contractui synallagma continenti & ultro citróque obligationem parienti, naturaliter inest; ut, sicut emptor rei pretium facit venditoris, sic vicissim venditor rem traditam emptori, & ejus dominum, si ipse eam hunc faciat, *l. cit. §. 2.* vel, si dominus non est, in eum transferat possessionem (& consequenter usucapiendi conditionem) vacuam, *l. Clavibus 74. ff. de Contrah. empt.* non tantùm à possessoribus veris, sed quibuscunque aliis, jus aliquod in ea retinentibus, cùm sine hoc res tradita non videatur, *l. Si in emptione 2. §. 1. l. Ratio 3. pr. & §. 1. ff. de Act. em-*

ff. empti. Unde, si res ipsa aut ejus pars aliqua, vg. alteri in ea constitutum jus, evincatur, emptori venditor tenebitur de evictione, Gonzalez *in c. fin. n. 10.*

81. Porro, ut evictionem præstare venditor teneatur, exigitur; ut emptori rem, ab eo acceptam, non solùm alienam, alteri oppignoratam, usumfructum in ea constitutum esse, constet, *l. Qui rem 3. C. de Evict.* aut ipsi super ea lis mota, aut ad ejus restitutionem per sententiam condemnatus sit: sed; ut ista transierit in rem judicatam &, rei emptæ possessione in alium translatâ, mandata sit executioni, *l. Habere 57. ff. & l. Qui rem cit. C. de Evict.* cùm enim evincere plùs quàm vincere, hoc est, rem victo auferre sit, ante actualem ablationem evicta dici non potest, Perez *in C. de Evict. n. 19.* & Bruneman *in l. In rem cit. n. 5.*

82. Casu tamen, quò evictionis periculum in ipsò contractûs limine imminet; quod super rei sibi venditæ proprietate ante pretii numerationẽ emptor in judicio sit conventus, pretium aut partem ejus residuam retinere potest, donec ipsi venditor idoneam cautionem præstet de evictione, *l. Si post 24. C. Rubr. cit.* quâ præstitâ venditori pretium petenti numerare omnino tenetur; cùm enim ejusmodi cautione pretii, cùm res evicta fuerit, non recipiendi periculum omne sit sublatum, ab ejus numeratione nullâ justâ causâ excusatur, Perez *cit. n. 19.* Bruneman. *in l. Si post cit. n. 3.* & Magnif. D. Collega à Widmont *Tract. de Contract. Tit. 10. n. 3.*

83. Sunt tamen non pauci, & *c. fin. cit.* à Gregorio IX. referuntur celebres tres casus, quibus emptori de evictione venditor non tenetur. Primò quidem, si ille hunc non laudavit, sive ei litem super re empta sibi motam statim, aut saltem post litis contestationem ante publicationem testium & attestationum vel conclusionem in causa non denuntiavit; ut ad causam defendendam veniat, *l. Si rem 29. §. 2. ff. l. Autore 7. l. Emptor 8. C. Rubr. cit.* cum enim venditor rei à se venditæ conditionem: &, quæ ad ejus defensionem conferunt, magis perspecta habeat, si eò non laudatò evincatur, Juris ignorantiâ potiùs quàm defectu, & emptoris litis denuntiationem omittentis potiùs, quàm venditoris rem alienam vendentis culpâ evicta præsumitur, Panormit. *in c. cit. n. 5.* Covarr. *Lib. 3. Var. cap. 17. n. 3.* Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 39.* & Molina *disp. 380. n. 8.* qui DD. rectè advertunt, litem etiam denuntiandam venditori, eam motam non ignoranti, non obstante *Reg. 31. in 6.* etsi enim denuntiatio litis hanc motam non ignoranti frustra fiat, cùm ea solùm exigitur; ut ejus notitia habeatur: nequaquam tamen frustranea, sed omnino necessaria est, cùm exigitur; ut factum aliquod præstetur, &, ut in proposito casu, defensio suscipiatur.

84. Secundò, si sententia lata est contra emptorem à judicio, contumaciter absentem, *l. Emptor cit.* quòd ita facta rei evictio imputari nequeat venditori; cùm, si de contrario non constet, emptor non tam ob malam causam & defectum Juris, quàm ob propriam culpam & contumaciam victus præsumatur, *l. Si ideo 55. pr. ff. ibid.* Barbosa *in c. fin. cit. n. 14.* & Bruneman. *in l. Actore cit. n. 6.*

85. Tertiò, si res evicta fuit per errorem, imperitiam, sordes, aut aliam injuriam judicis, *l. Emptor cit. & l. Si per imprudentiam 51. ff. ibid.* Covarr. *cap. cit. n. 10.* cùm; quòd injuriam, emptori factam, ad venditorem extendi æquitas non permittat: tum verò; quòd ita facta rei evictio censeatur instar casûs

fortuiti: quò illatum damnum non ad venditorem, sed ad emptorem, quasi rei emptæ dominum, pertineat, *l. Necessariò ff. de Periculo rei vend.* etsi iste judicem, qui ita judicandò litem suam fecit, convenire possit, *l. fin. C. de Pœna jud. malè jud. & pr. Instit. de Oblig. ex quasi delict.* Glossa *fin. in c. fin. cit.* & Molina *disp. 380. n. 20.*

86. Præter hos casus, venditor de evictione non tenetur quartò, si bonâ fide existimans rem esse suam; ne de evictione teneretur, cum emptore convenit: quô tamen casu venditor, etsi ab interesse & damnis emptori subsecutis & ex evictione solvendis excusetur, ad pretium tamen, nisi inter eos etiam de hoc aliter & specialiter convenisset, restituendum obligatur; quòd eum cum emptoris jactura locupletari, æquitas non permittat, *l. Ex empto 11. §. fin. ff. de Act. empti, citt.* Covarr. *n. 2.* & Molina *n. 18.*

Quintò, si emptor rem alienam aut alteri obligatam esse, sciens emit, & cum venditore de evictione non convenit, *l. Si fundum 27. C. de Evict.* cùm; quòd rem, quam alienam aut alteri obligatam esse scivit, evinci posse non advertens, sibi imputare debeat, & in malitiosæ emptionis pœnam mereatur, Haunold. *cit. Tract. 10. n. 135.*

Sextò, si idem emptor, lite ab eo motâ, super re empta in arbitrum compromissarium aut judicem extraneum sive non suum consensit, & hi contra eum pronuntiârunt, *l. Si dictum 56. §. 1. ff. ibid.* quòd ita sponte judicium subierit, ac proinde res ipsius voluntate potiùs quàm illius necessitate evicta videatur, *citt.* Covarr. *n. 7.* Haunold. *n. 133.* & Bruneman. *in l. cit. n. 1. & 3.*

Septimò, si idem rem emptam usucapere potuit, & non cæpit, *l. cit. §. 3.* si eam habuit pro derelicta, *l. fin.* aut ejus possessionem suâ culpâ amisit; itaque ex reo factus actor succubuit defectu probationis, *l. Si rem cit. §. 1.* Vivianus *in c. fin. cit. §. fin.*

Octavò, si venditore à judicio absente (non eò præsente) per sententiâ non manifestè iniquam, sed de injustitia suspectam, condemnatus non appellavit, aut appellationē legitimè interpositam deseruit, *l. Herennius 63. §. 1. & fin. ff. de Evict. citt.* Covarr. *n. 9.* Molina *n. 19.* & Haunold. *n. 133.* qui plures hujusmodi casus dabunt cum Caballin. *Tract. de Evict. §. 2.*

TITVLVS XVIII.

De Locato & Conducto.

EMptioni Venditioni proxima, itáque similis est Locatio Conductio, ut iisdem ferme, quibus illa, Regulis consistat, *l. Locatio 2. pr. ff. & pr. Instit. hâc Rubr.* Inter utrumque autem hunc Contractum medius Emphyteuticus est, adeò; ut antequam à Zenone Imp. Ipse cialis & ab illis distinctus Contractus esset decerneretur, *l. 1. C. de Jure Emphyt.* an Em-

an Emptio & Venditio, vel potiùs Locatio & Conductio sit, in dubium & quæstionem à VV. ICT.is vocaretur.

ARTICULUS I.

De Locatione & Conductione.

SUMMARIUM.

1. *Hujus Contractûs definitio,*
2. *Et differentia ab Emptione Venditione.*
3. *Locantur operæ honestæ & res commercio subjectæ:*
4. *Nonnullis specialiter exceptis,*
5. *Et has inter rebus immobilibus Ecclesiarum &c.*
6. *Quæ sine solennitate, olim ad modicum tempus:*
7. *Hodie ad triennium duntaxat locari permittuntur.*
8. *Ad tria triennia extensa Locatio irrita est,*
9. *Saltem quoad duo triennia posteriora.*
10. *Eam quoad primum etiam irritam esse, quidam affirmant: alii DD. negant:*
11. *Quorum Opiniones conciliantur ope distinctionis.*
12. *Rerum Ecclesiasticarum etiam fructus ultra triennium locari prohibentur.*
13. *Secundùm aliquos DD. etiam fructus fundorum beneficialium.*
14. *Veriùs istorum locatio triennio non constringitur.*
15. *Inter Beneficii & Ecclesiæ rerum locationes notabile discrimen.*
16. *In re locata duobus præfertur is, cui tradita est.*
17. *Ædes Scholari locatæ ante locationis tempus exactum alteri locari in Bononiensi:*
18. *Non in aliis Academiis plerisque prohibentur.*
19. *Ex ædibus conductor ante tempus expellitur, si id exigat necessitas:*
20. *Si conductor in iis malè fuerit versatus,*
21. *Vel non solverit pensionem.*
22. *Eas ante tempus ipse deserit ob impedimentum habitationis.*
23. *Rei frugiferæ conductori pensio remittitur ob sterilitatem aliámve cladem:*
24. *Si ea viri prudentis arbitriò magna sit:*
25. *Licet propter eam Emphyteuta non remittatur canon:*
26. *Nisi hic magnus sit.*
27. *Variis casibus pensio non remittitur conductori,*
28. *Qui in re sibi locata culpam latam & levem præstat:*
29. *Nisi locatio ipsius utilitatem principaliter spectet.*

LOcatio Conductio est Contractus Juris gentium, bonæ fidei & solò consensu initus, quò non quidem, ut in Emptione Venditione, de re pro certo pretio tradenda: sed de rei alicujus usu vel fructu, vel operis hominis pro certa mercede alteri ab altero concedendis convenitur, Haunold. *Tom. 4. de I. & I. tract. 10. n. 432.* In quo Contractu is, qui rem utendam, fruendam aut operam suam pro mercede concedit, Locator: Conductor autem dicitur is, qui mercedem solvit, sive ad hanc pro sibi concesso usufructu vel operis dandam se obligat, Azor *p. 2. Instit. lib. 8. de Locat. & conduct. cap. 1. q. 1. & 2. & cit.* Haunold. *n. 437.* 1.

2. Differt Locatio Conductio à cæteris Contractibus plerisque, sicut Emptio Venditio: ab ista autem; quòd per Locationem non de rei dominio transferendo, *l. Non solet 39. ff. hâc Rubr.* sed ejus usu fructúve vel operis concedendis agatur, *l. Cùm manu 80. §. fin. ff. de Contrah. empt.* deinde; quòd res vendatur pro pretio, consistente in nummis seu pecunia numerata, *l. Emptionem 7. C. de Rer. permut.* illius autem vel operarum hominis locatio fieri queat pro mercede non solùm pecuniaria, sed quavis re fungibili, sive in pondere, mensurâ, numerô consistente, *l. Et hæc 35. in fine ff. & l. Si Olei 21. C. hâc Rubr.* Perez *in C. ibid. n. 3.* ab Emphyteusi autem, sibi maximè affini contractu, præter alia differt; quòd locari res etiam mobiles possint.

3. Locari possunt operæ quæcunque honestæ & solitæ sive, quæ æstimari possunt & solent: & res omnes, nisi exemptæ à commercio humano aut specialiter sint exceptæ. Nec solùm propriæ, sed etiam alienæ, *l. Si tibi 7. ff. hâc Rubricâ*; cùm Locatione non transferatur dominium, sed usus solummodo concedatur, *l. Solet cit.* & ab alio conductæ, *l. Si cui 84. ff. & l. Nemo 6. C. Rubr. cit.* dummodo ad eundem usum, & æquè idoneo conductori locentur.

4. Exceptæ autem sunt, & locari nequeunt res Propriæ ipsius Conductoris, *l. Qui rem 20. C. eâdem Rubr.* cùm enim proprium sit dominii, posse re suâ uti, pro ejus usu mercedem à domino præstari iniquum foret: Servitus prædialis, nisi locetur cum prædio seu fundo, cui adhæret, *l. Locare 44. ff. & l. Nemo 6. ff. Rubr. cit.* junctâ *l. Si via 23. §. fin. ff. de Servit. præd. rust.* Res fungibiles, præterquam ad pompam & ostentationem, *arg. l. Si mihi 3. §. fin. ff. Commodati*; quia locatione res conceditur ad usum; ut ea lapsô terminô restituatur: res autem fungibiles restitui nequeunt; cùm earum usus consistat in abusu sive consumptione; propter quam causam eas alteri commodari non posse, dictum est *Tit. 15. n. 4.*

Prælaturæ, dignitates, beneficia, spirituale regimen animarum & jurisdictio Ecclesiastica, per *Rubric. & text. Ne Prælati vices suas &c.* ut *ad Rubr. hanc* pluribus tradetur: Res etiam temporales, ad Ecclesias, Monasteria aliáque Sacra aut Religiosa loca pertinentes: non quidem omnes, sed immobiles duntaxat & mobiles pretiosæ, quæ servandô servari possunt, *Clement. 1. & Extravag. Ambitiosæ, de Rebus Eccles. alien.* Imò istæ etiam, ex justa causa & cum Canonica solennitate interveniente ad quòcunque tempus locari eô ipsô possunt; quòd sic omnino, hoc est, quoadiplam etiam proprietatem valeant alienari.

Sine solennitatibus autem *Clement. cit.* locationes rerum Ecclesiasticarum, sive istarum usus & fructus pro certa mercede, quantitate frumenti, vini, olei concessiones ad recipientis aut concedentis vitam, vel ad aliud longum tempus prohibitæ: & permissæ illæ tantùm sunt, quæ fiunt ad tempus modicum: cujusmodi in proposita materia quodcunque decennio minus, *arg. c. fin. Ne Prælati vices &c.* esse censent Glosla *fin. in Clement. cit.* Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 15. n. 6.* & Azor. *p. 2. lib. 7. cap. 10. q. 3.*

Verùm, etsi hæc ita se habeant ipso statô antiquiori: recentiori tamen jure sine solennitatibus & consensu Apostolico rerum Ecclesiasticarum, sicut alienationes cæteræ, sic etiam locationes ultra triennium prohibitæ, sunt *Extravag. cit.* quâ introductum Jus, ubi Constitutio illa usu recepta est, hodie observandum, monet Navarrus *Manual. cap. 27. n.*

27. n. 149. Ubi autem non recepta, eíve non-usu usúve contrario derogatum est, locationes ad novennium hodiéque: &, si res modicæ & exigui valoris sint, modernò & antiquò etiam Jure non obstante, ad quodcunque tempus fieri possunt, *arg. can. Terrulas, 12. q. 2.* Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio, n. 18.* & Wagnereck *in Extravag. cit. V. Locationem.* Unde

8. Dubium oritur primò de valore Locationum vg. prædii ad tria triennia, ubi *cit. Extravag.* usu recepta; &, ubi istô recepta non est, ad tria novennia eôdem die, eidem vel diversis personis, scilicet uni pro primo, alteri pro secundo, tertiæ pro ultimo triennio vel novennio factarum. Eas enim pro validis, etiam quoad triennium vel novennium secundum & ultimum, habet Baldus *in l. Voluntas 4. C. de Fideicommiss.* quòd tali conventione non una, sed tres locationes ineantur, quarum singulæ ad tempus antiquô vel modernò Jure permissum extendantur. Sed meliùs cum *cit.* Covarr. *cap. 16. n. 4.* eas pro irritis habent Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 466. n. 11.* Vasquez *de Reddit. cap. & §. 2. n. 25.* &, aliis DD. ac Rotæ decis. allegatis, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 17.* id desumentes ex *Novell. 7. cap. 3. in fine*, ubi nullum dicitur pactum, quò rei ad Ecclesias Constantinopolitanas pertinentis, Emphyteusin concedens, duorum istam accipientis hæredum successorem aliis præferre, eíque eandem rem in Emphyteusin concedere obligaretur. Rationem ipse textus reddit; *Quia hoc nihil aliud est, quàm per revolutionem & machinationem perpetuas eis emphyteuses, magis autem privationes Ecclesiasticarum agi rerum:* quæ ratio æquè militat adversus nobis propositas locationes; cùm per earum machinationē & triennalis concessionis revolutionem res Ecclesiastica locetur ultra triennium novô, & ultra modicum tempus antiquô Jure permissum, in apertam utriusque Juris fraudem. Confirmatur; quia hujusmodi locationibus permissis, quod unâ viâ prohibitum est, contra legislatoris intentionem per alteram obtineretur, contra *Reg. Cum quid 84. in 6.* 9.

Neque vim habet ratio Baldi; quantumvis enim tres triennales aut novennales, & non una duntaxat locatio sit: revera tamen prædium Ecclesiasticum per eas ultra triennium aut ad longum tempus locaretur & conduceretur, contra *Extravag. & Clement. citt.*

Dubium secundò & controversia major est, an ejusmodi locatio ad tria triennia vel novennia irrita etiam sit quoad triennium vel novennium primum. In totum eam vitiari, voluit Bartol. *in Auth. Qui rem C. de SS. Eccles. n. 7.* quem secuti sunt Navarrus *de Alienat. rerum Eccles. n. 21.* Covarr. *cit. cap. 16. n. 5.* Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 126. n. 22.* & Vasquez *cit. §. 2. à n. 28.* Contrà eam pro primo saltem triennio novenniòve subsistere, cum Claro §. *Donatio, q. 17. n. 2.* Tuscho *Practic. V. Locatio, conclus. 406. n. 2.* &c. defendunt *cit.* Molina *disp. 467. n. 3.* Quaranta *V. cit. n. 18.* & Riccius *Resol. 102. n. 3.* 10.

Illi se fundant partim *in Clement. & Extravag. citt.* quorum textuum posteriori ultra triennium facta locatio *Nullius omnino roboris & momenti*: priori *Ex ipsa*, ultra tempus Jure permissum extensâ, *recipienti nullum jus acquiri* dicitur, atque etiam in *cit. Novella cap. 3.* cujus *pr.* emphyteusi ultra legitimum tempus datæ robur adimitur, & *cap. 7.* illam accipere præsumens *ab emphyteusi cadere* dicitur: partim in ratione; quia locatio est contractus reciprocus pendens à voluntate duorum: cujusmodi contractus, si non

valent, ut fiunt, neque valent, ut fieri potuerunt, quando agitur de contrahenda obligatione, secundùm receptam doctrinam Bartol. *l.* 1. §. *Si quis ita, ff. de V. O.* Isti verò præcipuè nituntur Regulâ, *Utile per inutile non debet vitiari*, quæ est *37. in 6.* sic enim, inquiunt, emphyteusis ab Ecclesiis Constantinopolitanis concessa in tertiam & quartam generationem, valida est quoad tertiam Jure permissam, *cap. 3. cit.* §. 2. *V. Quod autè:* sic donatio absque insinuatione facta ultra quingentos solidos, firma est quoad summam Jure permissam, & quoad excessum tantùm vitiatur, *l. Sancimus 34. C. de Donat.* & concessio Indulgentiæ ab Episcopo facta ultra tempus ipsi permissum, *c. Cùm ex eo 14.* §. *Adhæc, de Pœnit. & remiss.* licet nulla sit quoad excessum, quoad annum tamen à sacris Canonibus indultum valet, ut *in c. fin. eâdem Rubr. in 6.* Glossa *fin.* & aliis DD. relatis Barbosa *n.* 2. adnotavit.

11. Extremè oppositas has sententias hic Author *alleg. 95. cit. n. 11.* & Donatus *Tom.* 1. *Regul. p.* 2. *Tract. 14. q. 42. n.* 2. in concordiam reducunt auxiliô distinctionis, agnitæ à *cit.* Molina *n.* 4. vel enim, inquiunt hi DD. locatio est individua, itáque inita; ut ex mente contrahentium non nisi pro triplicato triennio vel novennio toto teneat; ideóque nonnisi una merces pro toto tempore solvatur: vel dividua, itáque inita est; ut primô triennio finitô incipiat nova locatio: sicut fieri præsumeretur, si annua aut singulis annis respondens locationis pensio esset solvenda? Priori enim casu eam neque pro primo triennio aut novennio subsistere, cum prioris Opinionis Assertoribus facilè concedunt; propter defectum consensûs: posteriori autem, ne contra *cit.* Regulam, *Utile per inutile vitietur*, eam pro primo triennio aut novennio valere: pro reliquis autem eâ, tanquam nullius momenti contractu, accipienti nullum jus acquiri, cum posterioris Sententiæ Assectis docent propter *Clement. & extrav. citt.* quorum proinde textuum dispositio, licet generalis sit, non de permissô, sed Jure prohibito locationis tempore est exaudienda; leges enim, etiam cùm generaliter loquuntur, improbare non censentur, quæ aliis legibus sunt permissa, *arg. l. Sciendum 15. pr. ff. Qui satisdare cog.* Barbosa *l. cit. n. 16.*

Dubium & inter DD. controversum tertiò est de locatione ipsorum fructuum sive reddituum Ecclesiasticorum; hos enim à Prælatis aliisque ejusmodi administratoribus ultra triennium, *cit. Extrav.* non obstante, locari hodie quoque posse, non obscurè tradi videtur eâdem, prohibente alienationem *Rerum & bonorum Ecclesiasticorum:* quibus verbis res & bona sive possessiones Ecclesiarum, non ex his provenientes fructus & reditus comprehendi videntur: & ex verbis, *Præterquam in casibus Jure permissis*, cujusmodi sunt locatio ad modicum & quodcunque novenniô minus tempus, permissa *c. Vespa 2.* junctâ *Clem. cit.* Sed, sicut communior, sic etiâ verior est sententia, non ipsarum solùm possessionum: sed etiam fructuum locationem *Extravag. cit.* restrictam, docens: quam tribunalium praxi & Rotæ Romanæ decis. firmat laudatus Barbosa *n.* 20. & non obscurè insinuat *Extravag. cit.* Verba, *Omnium rerum & bonorum*, ac proinde etiam fructuum Ecclesiasticorum locationem, triennali majorem vetantia: & satis clarè exprimit generaliter prohibitæ alienationis exceptio altera, permittens alienationem *Fructuum & bonorum, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia:* cujusmodi cùm fructus post locationis triennium provenientes non sint, quoad istos à dicta exceptione Regula

accipiet

accipiet firmitatem, *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. V. Denique, ff. de Instruct. & instr. leg. & l. Ex eo 18. ff. de Testibus.* sed hinc

13. Dubium quartum & magni in praxi momenti controversia oritur de fructibus rerum beneficialium, pertinentium ad Ecclesiæ Rectoris mensam; sicut enim res ipsarum Ecclesiarũ, Monasteriorũ &c. authoritate Episcopi erectorum, sic etiam ipsorum redditus & fructus ultra triennium locari absque consensu Apostolico posse, negant Emmanuel Saa *V. Conductio, n. 13.* Barbosa *alleg. cit. n. 20.* & aliis DD. Rotæque decis. allegatis acriter propugnat Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 8. n. 14.* ponderatâ *cit. Extrav.* imprimis Præfatione, agente de bonis, *Ex quibus Ecclesiæ, monasteria & pia loca reguntur illustrantúrque, & eorum ministri sibi alimoniam vendicant:* cujusmodi maximè sunt fructus & reditus beneficiales ac Mensæ, sive destinati ad sustentationem Rectoris Ecclesiæ, Deinde Dispositione, omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum, id est, prædictorum *Quibus Ecclesiæ &c. reguntur illustrantúrque, & ministri aluntur*, alienationem quamcunque, & in specie locationem *ultra triennium* generaliter prohibente. Et demum Pœnis, in Ecclesiarum non solùm Prælatos, sed Rectores & beneficiatos quoscunque, aliter quàm ipsâ dispositũ est, *alienare præsumentes, latis.* Idem suadet ratio, quia beneficiorum fructus destinati sunt pro sustentatione beneficiatorum, *arg. c. Non liceat 2. de Præbend. & dignit.* quâ isti carere, eorúmque successores privari facilè possent, si reditus beneficiales ad longum tempus locare, locationis mercede de præsenti acceptâ, possent.

14. Hujus in Jure fundatæ rationis magna, ea tamen vis non est; ut eâ firmatæ sententiæ oppositam non censeam probabiliorem: quam (ac proinde fructuum beneficialium ad rectoris mensam sive sustentationem destinatorum reddituum locationem) triennio non constringi, veriùs defendunt *cit.* Covarruvias *cap. 16. n. 6.* Vasquez *de Redit. cap. 1. §. 2. n. 34.* Zerola *Prax. Episc. p. 1. V. Alienatio §. 3.* Molina *cit. disp. 466. n. 7.* & alii, quos refert & sequitur Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 14. n. 12.* Ratio est; quia *cit. Extravag.* quâ Paulus II. consulere intendit indemnitati Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum locorum Piorum, expresè agit de bonis, quorum alienatio cedit in illorum, scilicet dictorum locorum & cultûs Divini detrimentum: &, quorum alienatio vg. locatio tantùm facienda est ob evidentem utilitatem Ecclesiarum &c. quæ non conveniunt fructibus beneficialibus, sive deputatis ad ipsius Ecclesiæ Rectoris & beneficiati sustentationem; cùm istorum locatione Ecclesiæ, monasteria &c. nullum patiantur detrimentum & cultus Divinus non diminuatur.

Quare eorum Locationem *Extravag. cit.* dispositio non comprehendit. Neque etiam Præfatio aut Pœnæ. Illa; quia ministri, qui ex fructibus rerum locari prohibitarum alendi dicuntur, sunt, qui Ecclesiis vel Monasteriis serviunt, ab iisque percipiunt stipendia sustentationis. Istæ verò; quia Rectores, beneficiatos &c. afficiunt, non ratione locationis redituum & fructuum beneficialium, ad ipsos: sed rerum ac fructuum, spectantium ad Ecclesias, monasteria &c. quorum ipsi solam habent] administrationem.

Neque majorem vim habet ratio; quia ex permissione diuturnioris, imò ad beneficiati vitam aut resignationem extensæ locationis fructuum beneficialium, nullum præjudicium patitur successor; cùm, qua-

cùm, quatenus huic præjudicat, invalida sit: & propterea ultra locatoris vitam & administrationem non extendatur, ut clarè constat ex Decreto S. Synodi Tridentinæ, locationes illas, quæ Anticipatis solutionibus fiunt, & quatenus successoribus præjudicare possunt, irritantis *Sess. 25. cap. 11. de Ref.* Unde ejusmodi reditus non facilè aliquis ad longum tempus & anticipatâ solutione conducet: &, si conduceret, damnum, quod subiret, sibi deberet imputare; cùm locationem obitu, resignatione &c. finiri, & fructus post locationis obitum provenientes ad successorem pertinere, potuerit & debuerit prævidere, *c. fin. de offic. Ord. in 6. & l. Si quis domum 9. §. 1. ff. Locati*, Glossa *in c. fin. V. Terminum, Ne Prælati vices &c.* Panormit. *ibid. n. 8. cit.* Covarruv. *cap. 15. n. 6.* & Molina *l. cit.* Unde hac in re

15. Bene notanda est gemina differentia: quam inter reddituum & fructuum, ad ipsas Ecclesias &c. pertinentium, & beneficialium aliorúmque similum locationes *citt.* aliíque DD. agnoscunt. Prima est; quòd locatio priorum de Jure antiquiori ad quodcunque tempus modicum: recentiori autem *Extravag. cit.* ad triennium duntaxat: posteriorum autem ad tempus longum & ipsam concedentis vitam fieri queat. Altera; quòd illorum locatione, si & secundùm Jura inita sit, stare teneatur successor, sicut tutor tutori succedens in administratione tutelæ, imò ipse pupillus, *arg. l. Si tutelæ 8. ff. de Administr. Tutor.* nisi ejusmodi contractu se læsum iste, aut Ecclesia probare possint; tum enim recurrere possent ad beneficium in integrum restitutionis, *c. 1. & c. Auditis 3. de in Integr. rest.* Non etiam istorum; cùm eorum locatio Rectoris vel beneficiati morte expiret, per *text. aut arg. cap. 11. & c. fin. citt.* quia facta est nomine propriô, & de Jure proprio: quod jus & nomen respectu rei locatæ Rectoris aut beneficiati obitu, renuntiatione &c. cessat, ut rectè advertit Palao *cit p. 14. n. 13.*

Porro sicut in Venditione, *l. Quotiens 15. C. de R. V.* sic etiam in Locatione ejusdem rei vg. ædium aut fundi duobus factâ, præferendus est is, cui res utenda fruenda tradita est priùs, *arg. l. cit.* Nisi secundus conductor alteri priùs factæ locationis conscius & in ejus præjudicium commissæ fraudis particeps fuisset, Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 20.* & Hannold. *cit. Tract. 10. n. 447.* Quare ex ejusmodi ædibus aut fundo sibi locato secundus conductor, quià locatore commissæ fraudis particeps non fuit, quamdiu ea locatio durat, expelli nequit fere, sicut alii conductores durante sibi factæ locationis tempore ex fundis aut ædibus sibi locatis expelli non possunt: quantumvis alius mercedem seu pensionem majorem offerat, *l. Æde 3. l. Si olei 21. C. hîc.*

Imò ex Clementis III. rescripto *c. 1.* relatô Magistri seu Doctores Universitatis Bononiensis, cùm ædium, ab aliis ejus professionis personis conductarum, dominis de iis in posterum sibi locandis ante prioris locationis tempus finitum sine inquilinorum sive priorum conductorum eas inhabitantium consensu convenire & contrahere prohibentur sub pœna excomunicationis. Quâ constitutione proditâ censurâ solos Bononienses, non aliarum Universitatum Magistros & Scholares ejus transgressores affici, Panormit. *in c. cit. n. 10.* dispositionem autem eô ipso, quòd Juris communis corpori inserta sit, ad ejusmodi personas Academicas omnes se extendere, notat Vivianus *in c. cit.* eique simili privilegiô Academiam Salmanticensem gaudere, testis est ejusdem quondam celeberrimus antecessor & SS.

Canonum

Canonum Interpres Primarius Emmanuel Gonzalez *in c. cit. n. 5.*

18. Sed, quidquid sit de istius Academiæ jure speciali, mihi satis probabile est *c. cit.* sicut pœnam, sic & dispositionem ultra territorium temporale Papæ non porrigi: imò eâ solam civitatem Bononiensem, cujus Academicis Professoribus & Scholaribus primò promulgata est, affici; quòd, licet Juris Corpore sit clausa, in materia tamen merè temporali & peccatum non nutriente deroget Juri communi, ædes aliámve rem locatam uni ante finitum locationis tempus ab alio conduci permittenti: dummodo hujusmodi conductionis executio in prioris finitæ tempus conferatur, & specialia pacta non obtent, *arg. l. Ne cui 32. C. hâc Rubr.* Joan. Andr. *in c. cit. n. 5.* Sylvester *V. Excommunicatio q. 9. n. 11.* Clarus §. *fin. q. 77. n. 26.* & Suarez *de Censuris disp. 23. s. 3. n. 3.*

Neque obstat; quòd contra *c. cit.* dispositionem factæ locationes obnoxiæ sint excommunicationi: cui tanquam pœnæ omnium, quas Ecclesia habet, gravissimæ, *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis*, actus, qui peccatò & culpâ caret, obnoxius non est, per tradita à Navarro *Manual. cap. 27. n. 9.* Covarruvia *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 6. & cit.* Suarez *disp. 4. s. 4. n. 2.* quia, licet eæ, de quibus agimus, locationes, quòd discordiarum fomes & studiorum non leve impedimentum Bononiæ, fortassis propter ejus Academicorum genium, fuerint, graviter prohibitæ, & in istius prohibitionis transgressores censura illa justè decreta sit, ejusmodi tamen fomes & impedimentum non est per se & generaliter; cùm in aliarum, & Germaniæ præsertim nostræ Nationis Academiis ædes ità locandi libera facultas studiorum impedimenta aliáve incommoda, legali & pœnali ejusmodi sanctione digna, afferre non soleat.

19. Non desunt etiam casus, quibus conductor ad emigrandum compelli ante locationis tempus finitum potest; & Primò quidem, si de hoc inter ipsum & locatorem convenit; cùm tali casu locus sit *Reg. Contractus 25. ff. & Reg. 85. in 6.* Secundò, si post ædium locationem jam factam urgeat necessitas refectionis; ut aliàs periculum interitûs subsit: & illa fieri nequeat, nisi emigret conductor, *c. Propter 3. §. Verùm & l. Æde cit.* Cui tamen pro temporis ratione à locatore pensio remittenda est, §. *cit.* & refectarum ædium inhabitatio, quousque conductæ sunt, permittenda *l. Si duo 3. §. 3.* junctâ Glossâ *V. Dominum, ff. Uti possidetis.* Tertiò, si ex causa superveniente & ante non prævisa, ædes propriis usibus necessarias esse, probârit locator, vg. quòd propriæ incendiò sint absumptæ, vel uxorem duxerit & familiam incipiat habere, §. *Verum cit.* quòd cum inquilino contrahendò in ejusmodi necessitatis casum non prævisum non consensisse videatur, Canisius *in §. cit. n. 10.* Quòd tamen etiam casu locationis mercedem seu pensionem pro rata temporis conductori remittendam, §. *cit.* insinuata æquitas suadet. Quartò, si conductor 20. in re sibi locata perversè versatus sit, *l. Æde cit. & §. cit.* vel, quòd eam culpabiliter & notabiliter reddat deteriorem, vel scorta, fures &c. inducendò infamet; quòd dominus cum tali suo aut ipsarum ædium præjudicio non contraxisse videatur, Vivianus *in c. cit. §. 3.* Quintò, si 21. conductor non solvat pensionem argumentò à contrario deductò ex *l. Æde cit.* eò tempore, quò ipsum inter & locatorem convenit, *Regg. cit.* si verò de ejus solvendæ tempore expressè nihil est actum, de Jure Canonico expelli potest, si ab ejus solutione per biennium cessavit, §. *cit.* Idem quoad pensionis non solutæ tempus Jure Civili, *l. Quaro 54. §. 1. ff. hâc Rubr.* sancitum videtur, & tradit laudatus D.

Collega à Widmont *n. 66.* qui tamen *n. 69.* & ante eum Bruneman. *in l. cit. n. 5.* rectè monet, hôc & cæteris expulsionis à Jure permissæ casibus conductorem non propriâ, sed implorati judicis authoritate expellendum; quòd leges à propria sibi jus dicendi authoritate abhorreant, *l. Unic. C. Ne quis in sua caus. jud. & l. Qui jurisdictioni 10. ff. de Jurisdict.*

22. Sicut autem ex relatis causis invitus expelli, sic vicissim locationis tempore nondum finitô ab ea recedere invitô locatore conductor potest, si re conductâ utendi, puta ædes inhabitandi, incidat impedimentum; quòd eæ vg. spectris nocturnis infestentur, vel propter incursionem hostilem, grassantem luem epidemicam per notabile tempus incoli non potuerint; tali enim casu conductori emigranti locationis mercedem seu pensionem pro rata temporis remittendam, patet *ex l. Sed addes 19. §. 6. & l. Habitatores 27. §. 1. ff. Rubr. cit.* Azor *l. cit. cap. 9. §. Quanti*, & ex eo Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 17.*

23. Eadem pensio rei fructiferæ conductori remittenda est ob sterilitatem vel aliam cladem cœli injuriâ, inundatione fluminis, hostium agros vastantium incursu, locustarum edacitate, aut vi alia extrinsecus sine ipsius culpa illatam. Non quidem, si damnum acceptum modicum sit, *l. Si merces 25. ff. Rubr. cit.* quia, ut istius §. 6 textus habet, *Modicum damnum æquô animô ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur:* sed, si id fuerit magnum ita; ut aliquando, vg. si aliquô annô nullos fructus perceperit, tota: aliquando ejus pars pro rata sive damni accepti magnitudine remittatur, *c. Propter cit. pr. l. Ex conductis 15. §. 2. ff. & l. Licet 8. C. ibid.* cùm enim pensio sive merces locationis constituatur in compensationem fructuum, ex re fructifera percipiendorum, æquitas exigit; ut, quando ex illa nulli vel exigui fructus, nullâ conductoris culpâ, percipiuntur, ipsi pensio vel tota vel ejus pars aliqua secundùm damni accepti magnitudinem remittatur.

Quænam autem sterilitas & clades magna sit, DD. variè sentiunt. Mihi definiendum videtur prudenti arbitrio judicis: qui æquùm de ea judicium feret, si consulat communem sensum & æstimationem vicinorum, & magnam cladem illatam pronuntiet non solùm, cùm in terram jactum semen non est receptum; sed etiam, cùm, istô aliisque impensis factis in culturam & collectionem fructuum deductis, fructus tam exigui supersunt, ut pensionis partem dimidiam non æquent; quia in Jure læsio ultra dimidium immodica reputatur, Covarr. *Practic. cap. 10. n. 1.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 49. à n. 2.*

Neque aliud persuadet paritas cum Emptore vel Emphyteuta; quia aliàs quàm istorum, ratio est Conductoris; Emptori enim pretium ideo non remittitur; quòd venditione mutuo consensu perfectâ rei etiam nondum traditæ periculum & interitus pertineat ad ipsum, *l. Necessariò 8. ff. de Periculo & com. rer. vend.* non etiam rei conductæ ad conductorem, §. 2. *& 3 l. Ex conducto cit.* Panormit. *in c. Propter cit. n. 3.* Emphyteuta autem canonem principaliter solvit; non propter rei usum & fructus, sive in istorum compensationem, ut Conductor: sed in recognitionem dominii directi ipsius fundi permanentis, etiamsi fructus non percipiantur: & quidem ordinariè in modica quantitate: ut proindè mirum non sit; quòd propter sterilitatem canon ei, sicut Conductori pensio, non remittatur, Gaill. *Lib. 2. Observat. 23. n. 24. Pro modica*, inquam; quia, si ab Emphyteuta solvendus canon esset magnus,

magnus, remissionem propter magnam cladem etiam ipsi faciendam dictaret æquitas & paritas cum conductore; cùm, sicut ab isto pensio, sic ab illo canon magis pro rei usu & fructibus, quàm in dominii recognitionem solvi intelligeretur, ut idem *n. 23.* observat.

27. Variis tamen casibus, quantacunque sit, & undecunque proveniat clades, pensionis remissio cessat: & Primò quidem, si de hac non petenda cum conductore expresè sit conventum, *l. Si quis domum cit.* §. 2. quia in contractibus regulariter valet pactum, casum fortuitum in se recipiendi, *l. Semper 34. ff. dè R. J.* Glossa *in* §. 2. *cit. V. Præstaretur.* Secundò, si clades accidit culpâ ipsius conductoris, in fundo colendo vel colligendis fructibus negligentis, *l. Videamus* 11. *pr. ff. hâc Rubr.* cùm culpa sua cuilibet, non alteri debeat nocere, *Reg. Damnum 86. in 6.* Tertiò, si sterilitas & damnum, præsenti illatum, præteritorum aut sequentium annorum fertilitate & ubertate fructuum compensetur, *c. Propter cit. pr. & cit. l. Ex conducto 15. §. 4.* Quartò, in colono partiario sive, si huic non pensio stabilis, sed aliqua tantùm, puta tertia vel quarta pars fructuum præstetur, *l. Si merces 25. §. 6. ff. hâc Rubr.* ubi ratio redditur; quòd hujusmodi colonus damnum & lucrum quasi Societatis jure eum domino partiatur. Quintò, si fructus jam sint collecti sive separati à solo, secundùm *cit.* Gaill. *n. 12.* vel potiùs in horreum aliúmve locum jam invecti, ut cum *cit.* Molina *disp. 495. n. 15.* vult Magnificus D. Collega à Widmont *cit. Tit. 12. n. 34.* quòd antè plenè percepti non censeantur.

28. Superest dubium, ad quem pertineat interitus & deterioratio rei locatæ. Ratio dubitandi est; quòd §. *Conductor 5. V. Qui pro usu, Instit. hâc Rubr.* à conductore desideretur custodia, quam diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibet: cujusmodi custodiæ omissio, cùm levissima culpa sit, ex illa conductor teneri videtur. Quod ipsum non obscurè traditur *l. In judicio 28. C. Rubr. cit.* à casûs solummodo fortuiti præstatione eum eximente. Nihilominus eum ad solius doli, culpæ latæ & levis præstationem ex communi aliorum sensu obligant *cit.* Molina *disp. 494. n. 1.* Zœsius *in ff. ad Rubr. cit. n. 16.* & Perez *in C. ibid. n. 29.* quòd in locatione contrahentium utriusque utilitas vertatur: in contractibus autem, utriusque utilitatem spectantibus, præter dolum, culpa solùm lata & levis, non etiam levissima & casus fortuitus præstetur, *l. Si ut certo 5. §. 2. ff. Commodati.* Simili modò & ex eadem ratione culpam etiam levem, non levissimam & damnum istâ datum, resarcire tenetur locator, si ex rei sibi locatæ vitio aliquod damnum passus est conductor.

Neque, culpam etiam levissimam præstandam, rectè eruitur ex textibus *citt.* quia prioris gradus Superlativus, ut in eo Jure non rarò, reducendus est ad sensum Positivi; ut textus materiæ subjectæ & ejus, de quo agit, contractûs naturæ aptetur, Harprecht *in* §. *Conductor cit. n. 13.* vel, si hæc istius aliorúmque Interpp. expositio non arrideat *V. Ille*, cum 29. Haunoldo *cit. Tract. 10. n. 522.* accipiendus est de locatione rerum, quæ principaliter ob utilitatem conductoris conceduntur; talium enim conductorem, uti & eum, qui exactissimam diligentiam promisit, aut specialem peritiam est professus, ex culpa etiam levissima teneri, communis est doctrina. Posteriori autem, sive *l. In judicio cit.* Impp. à casûs tantùm fortuiti præstatione conductorem exemerunt; quòd de dolo solùm & culpa lata: non etiam de levissima fuerint

interrogati; ac proinde de ista respondere non fuerit necesse, Harprecht §. *cit. num. 9.*

ARTICULUS II.

De Emphyteusi.

SUMMARIUM.

30. *Etymon & definitio Emphyteusis:*
31. *Quæ quoad formam Civilis strictíque Juris est contractus,*
32. *Et ad valorem exigit scripturam.*
33. *Differt à Venditione & Locatione:*
34. *A Feudo, Censu Reservativo & Vitalitio:*
35. *Variéque dividitur.*
36. *Emphyteusis Ecclesiastica exigit justam causam & solennitatem Alienationis:*
37. *Licet ultra filios ac nepotes non porrigatur:*
38. *Nisi tamen res concessa modica sit.*
39. *Circa eandem ortæ lites secundùm SS. Canones sunt decidendæ.*
40. *Eâ rem à tributo exemptam accipiens tributum non solvit,*
41. *Sicut Ecclesia aut alius dominus directus.*
42. *Eâdem res concessa ad tempus, istô finitô, ad Ecclesiam redit.*
43. *Concessa simpliciter, ad descendentes saltem legitimos:*
44. *Et ferè etiam ad fœminas transit.*
45. *Concessa alicui & hæredibus ad descendentes,*
46. *Hæredésque extraneos,*
47. *Et cum Emphyteuta ad Monasterium transit.*
48. *Istô tamen mortuô ad dominum directum redit.*
49. *Emphyteuta jure suô cadit, si rem culpabiliter reddat deteriorem:*
50. *Si eam modô Jure non concessô alienet,*
51. *Vel canonem bienniô vel trienniô non solvat.*
52. *Quô casu res caduca fit, ipsô Jure:*
53. *Nonnullis tamen casibus exceptis.*
54. *Canonem non solutum recipiens, caducitatem remittere censetur:*
55. *Aliquando etiam, si Emphyteusis Ecclesiastica sit.*

EMphyteusis, à verbo Græco ἐμφύειν vel ἐμφυτεύειν, quod *Implantare*, *Inserere*, & per metaphoram *Meliorare* significat, sic dicta, est Contractus, quô res soli sive immobilis, vg. ager, prædium, ejus dominiô directô seu proprietate retentâ, quoad possessionem utilitatémque sive dominium utile in alium transfertur eâ lege; ut prædium arandô, serendô, plantandô &c. melius, cultius, fructuosius reddatur: & pro eo, sive dominii directi recognitione certa pensio vel canon statutis temporibus solvatur. Ita quoad sensum Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 445. pr.* Haunold. *Tom. 3. de I. & I. tract. 9. n. 472.* & alii:

In hoc contractu res immobilis, vg. prædium in Emphyteusin traditum, Germanicô idiomate dicitur Erbrecht/ Erbstand / Erbzinßgut / simpliciter Baurenlehen/ Hoffgut / Gilthoff: Dominus directus, proprietate retentâ, alicui prædium tradens der Grundherr: Colonus id cum dominii utilis in se translatione accipiens Erbrechter/ Gültbaur: Canon sive pensio pro dominii directi recognitione solvenda Gült: Laudemium sive certa pecunia pro novæ investituræ collatione seu veteris renovatione solvenda, Handlohn / Auffzugelt / Auff- vnd Abfahrt / Manzius *ad §. Adeo 3. Instit.*

Instit. hâc Rubric. & *cit.* Haunoldus *n.* 474.

31. An contractus Emphyteuticus Juris Gentium vel Civilis, bonæ fidei vel stricti Juris sit, solóve consensu ineatur vel exigat scripturam, inter DD. est controversum. Mihi imprimis, quoad præstationem quidem annui canonis pro fundi fructu veríque dominii recognitione, Civili Jure esse antiquior, §. *Adeo 3. Instit. de Locat.* huic tamen formam & ipsum nomen debere videtur; cùm hoc & illam à Zenone Imp. accepta, constet ex ejus Constitutione §. *cit.* & *l. 1. C. de Jure Emphyt.* relatâ.

Deinde magis probatur Sententia Fachinei *Lib. 8. Controvers. cap. 47.* & aliorum, qui Emphyteusin stricti Juris potiùs, quàm bonæ Fidei contractibus accensent; ac proinde adjecta ei pacta accuratissimè observanda censent; quòd §. *Actionum 28. Instit. de Actionibus*, ubi bonæ fidei contractus omnes recensentur, nulla ejus mentio non fiat.

32. Demum verisimiliùs est, Emphyteusin, licet ante Zenonem, quò tempore ad Locationem ab aliquibus, ab aliis ad Venditionem reducebatur, solô consensu iniretur: post ejus tamen Constitutionem ad valorem exigere scripturam. Neque hoc solùm, si sit Ecclesiastica, de qua id patet ex *Novell. 7 pr. V. Quia verò, cap. 2. §. 1. V. Unde si quid, cap. 3. §. 2.* rerum Ecclesiasticarum alienationem sine solennitate scripturæ universim irritante, & *Novell. 120. cap. 5.* ubi contractus fieri dicitur in scriptis, est indubitatum: sed etiam, si Laica seu communis sit; cùm de hac id non obscurè tradatur *l. 1.* ibi, *Pactionibus scripturâ interveniente habitis &c. C. de Jure Emphyt.* cùm enim ad pactorum, contrahentium arbitriò adjectorum & accessoriorum, valorem exigatur reliquis legibus, eidem Rubricæ subjectis, multò magis exigetur ad valorem & substantiam ipsius contractûs Emphyteutici, Clarus §. *Emphyteusis q. 4. n. 1.* Velascus *de Jure Emphyteutico q. 7. n. 2.* & Haunold, *Tract. cit. n. 485.* Unde

35. Patet differentia Emphyteusis à Venditione & Locatione; præterquam enim, quòd istorum contractuum uterque sit Juris Gentium & bonæ fidei solóque consensu ineatur, Locatione solus rei usus: Venditione autem non utile duntaxat, ut contractu Emphyteutico, sed directum etiam dominium sive ipsa rei proprietas transfertur: & præterea Emphyteusi in solis immobilibus, quæ culturâ effici possunt meliores & fructuosiores: Locationi autem & venditioni etiam in immobilibus est locus.

34. A Feudo autem uti & Censu Reservativo differt; quòd vasallus ratione feudi, non, ut Emphyteuta, canonem: sed obsequia personalia præstet: ejusmodi autem contractu Censuali in Censualistam sive accipientem non utile duntaxat, sed plenum rei dominium transferatur: eóque reservati censûs seu pensionis annuæ biennió triennióve continuô omissâ solutione, ipsi obnoxia res, vg. fundus censualis in commissum, ut Emphyteutica, non cadat, Clarus §. *cit. q. 1. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubricam n. 31.* In dubio autem, an canon seu pensio annua Censûs vel Jure Emphyteutico solvatur, eam istô potiùs, quàm Censuali jure præstari, præsertim si rei concessio ab Ecclesia facta sit, præsumendum, cum Claro §. *cit. n. 3.* advertit Laiman *Lib. 3. tract. 4. cap. 23. n. 3.* quòd ita minùs præjudicetur concedenti; quod idem Laiman præsumendum ait, cùm in primæ concessionis instrumento mentio fit Laudemii, hoc est, quinquagesimæ vel juxta locorum Consuetudinem majoris minorisve,

norisve, & aliquando vigesimæ partis pretii sive æstimationis rei, à novo Emphyteuta pro nova investitura, inque rei possessionem inductione domino directo honorarii locò solvendæ. Idem *l. cit.* & cum eo Haunold. *Tract. cit. n. 473.* hac in re locorum Consuetudinem attendendam, &, cæteris paribus, in dubio eum contractum præsumendum, monentes, qui in aliquo loco frequentiùs consuevit celebrari, *arg. l. Semper 34. ff. de R. I.*

A Vitalitio, vulgò Leibgeding / contractus Emphyteuticus, sicut genus à specie, differt ita; ut ad tempus vitæ unius vel utriúsque conjugis facta prædii vel alterius rei immobilis sub annuâ pensione solvendâ concessio, ut aliquando Emphyteusis solet, Vitalitium dicatur Haunold. *Tract. cit. n. 580.* sic declaratæ

35. Emphyteuseos variæ & tres celebriores sunt divisiones. Prima in Novam & Veterem: quarum illa originem habet à persona, cui ea primò est concessa, eamque non transcendit: ista verò ab ea ad aliam personam devenit.

Altera in Hæreditariâ & non-Hæreditariâ. Hæreditaria simpliciter dicitur, quæ accipienti ejúsque hæredibus quibuscunque, etiam extraneis & quibus dederit, concessa est: quæ, si pro filiis seu descendentibus simul & hæredibus concessa sit, Hæreditaria Mixta vocatur; quòd in ea neque descendens, qui non est hæres: neque hæres nisi descendens succedat, Clarus *§. cit. q. 16. n. 1.* & Molina *disp. 472. n. 2.* Non hæreditaria sive, ut etiam vocatur, ex pacto & providentia aut Familiaris Emphyteusis est, quæ alicui & filiis seu descendentibus concessa est, nullâ mentione factâ hæredum, ac proinde vi concessionis transit ad solos descendentes, & ad hos etiam, quando hæredes non sunt, *citt.* Clarus *n. 1.* & Molina *n. 7.*

Tertia in Ecclesiasticam & Laicam sive Communem: quarum ista constituitur de prædiis, ac fundis merè prophanis: illa de pertinentibus ad Ecclesias, Monasteria aliáque sacra & Religiosa loca. Inter quas ea præcipuè notabilis est differentia; quòd in Ecclesiasticæ constitutione observandi sint sacri Canones, ad eam, præter justam causam, etiam solennitates ad rerum Ecclesiæ immobilium ac pretiosarum alienationem necessarias exigentes, *can. Hoc jus, §. Perpetua, 10. q. 2. can. Apostolicos, 12. q. 2. c. Nulli 9. & Extravag. Ambitiosæ, de Reb. Eccles. alien.* Ratio clara est; quia Emphyteusis species quædam est Alienationis, *c. Nulli cit. l. fin. C. de Reb. Eccles. alien. non alien. & Novella 7. cap. 1. §. Alienationis*; cùm ejus contractu utile rei dominium transferatur in Emphyteutam: eámque ob causam generaliter, quibus alienare prohibetur, iisdem, & præsertim Prælatis cæterisque rerum Ecclesiasticarum administratoribus, in Emphyteusin dare non sit permissum, Bartol. in *Auth. Hoc jus, C. de SS. Eccles. cit.* Velasc. *q. 13.* Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubrica 1. cap. 22. n. 1.* & Gutierez *Q. Q. Canon. lib. 2. cap. 8. n. 22.*

Obstare communi huic DD. sensui videntur non solùm *Novell. cit. cap. 3. & Novell. 120. cap. 1.* quibus emphyteuticandi facultas Ecclesiæ conceditur, dummodo contractus ultra filios & nepotes non porrigatur: sed & *c. Ad aures 3. de Reb. Eccles. alien.* ubi Episcopus terras arabiles sub annuo censu in emphyteusin dare permittitur ex causa majoris utilitatis, absque mentione ullius solennitatis. Sed reipsa non obstant, Constitutiones quidem Imperiales *citt.* quia, præterquam quòd ferè solam Constantinopoli-

nopolitanam Ecclesiam concernant, sacris Canonibus, hac in re præcipuè spectandis, aliud dispositum est *Extravag. cit.* quâ contractus emphyteuticus non solennis generaliter & indistinctè; ac proinde etiam temporalis prohibitus & irritatus censeri hôc ipsô debet; quòd eâdem, ne rerum immobilium locatio ad longum, imò triennió amplius tempus extendatur, cautum reperiatur, ut cum Panormit. *in c. Nulli cit. n. 6.* arguit Gonzalez *in c. Ad aures cit. n. 4.* Neque etiam textus iste, cùm; quia eô agitur de casu, quô terra, priùs sylvosa & omnino inculta, ab agricolis redacta ad culturam, & fertilis reddita est: quô eam iisdem agricolis eorúmque hæredibus sub annuo censu in emphyteusin concedendi justam causam non desiderari, consulenti Episcopo Vigorensi Alexander III. rescripsit. De Tractatûs autem & Consensûs Capitularis, ad alienationes Ecclesiasticas requisita solennitate nihil disposuit; ac proinde quoad solennitates standum est dispositione aliorum Jurium, easdem solennitates, quas cæteris alienationibus, etiam emphyteutico contractui præscribentium, Gonzalez *in c. cit. n. 4.*

38. Excipiendæ tamen sunt res modicæ, hoc est, exigui valoris, & Ecclesiæ parum utiles: quæ ex justa causa etiam sine solennitatibus omnino alienari, *can. Terulae, 12. q. 2.* ac proinde etiam in emphyteusin concedi possunt: & res in emphyteusin dari solitæ: quæ ad Ecclesiam reversæ denuo in eam dari liberè possunt, *arg. c. Ex parte 2. V. In primò, de Feudis*, ad quam *Rubric.* de hac re sermo redibit.

39. Secundùm eosdem sacros Canones potiùs, quàm leges Civiles, nisi hæ ab Ecclesia approbatæ usúve receptæ sint, circa emphyteuses Ecclesiasticas ortæ controversiæ sunt decidendæ; ac proinde personæ, quas illi non admittunt, à successione in emphyteusi Ecclesiastica excludendæ sunt: quantumvis legibus Civilibus non excludantur; quòd istarum Conditores adversus Ecclesiam & in ejus præjudicium aliquid statuere non potuerint, *cit.* Molina *disp. 446. n. 5.* Palao *Tract. 32. disp. 10. p. & n. 2.* & Haunold. *tract. cit. n. 480.* Unde

40. Dubium oritur primò, an laicus, qui ab Ecclesia vel alio, à tributis & similibus oneribus exempto, in emphyteusin prædium accipit, à tributorum &c. onere etiam ipse sit exemptus. Exemptum cum Bartolo *in l. Privatæ 10. C. de Excusat. muner.* Tiraquello *de Retract. Consang. §. 1. gloss. 13. n. 10.* & aliis volunt Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 91.* & alii. Moventur primò; quòd, quoties ad tributa &c. ratione prædii non tenetur dominus, ad ea non teneatur emphyteuta, *c. 1. de Immunit. in 6. l. Omnis 2. C. de Episc. & cleric. & l. Privatæ cit.* Ubi emphyteutæ Fisci istius immunitas adstruitur. Cur non & emphyteutæ Ecclesiæ, fisco æquiparatæ, per tradita ab Everardo *Legal. arg. loco à Fisco ad Ecclesiam n. 2.* Secundò, quòd, rem à tributis & collectis immunem possidens, ab iis etiam ipse sit immunis, *l. Unica C. de Imponend. lucr. descript.* ac proinde etiam emphyteuta, possidens rem Ecclesiasticam, immunem à tributis &c. *c. Nos minus 4. de Immunit. Eccles. & l. Placet 5. C. de SS. Eccles.* Tertiò; quòd, si hujusmodi emphyteuta legibus Tributariis adstringeretur, his indirectè etiam Ecclesia afficeretur; cùm propter hoc onus minor pensio solvatur ab emphyteuta: Ecclesiæ autem legibus Civilibus gravari etiam indirectè non possint, *c. fin. de Immunit. Eccles. in 6.*

Sed, quantamcunque speciem & vim etiam rationes istæ habeant, RR. tamen

tamen non pauci, etiam TT. Rolandum à Valle *Consil. 18. n. 28. citt.* Velasc. *q. 17. n. 11.* & Molinam *disp. 446. n. 2.* secuti, emphyteutam laicum, eique ab Ecclesia emphyteuticata prædia ac fundos legibus Tributariis juxta æstimationem dominii utilis obnoxios esse, sustinent, cùm; quòd tributi pendendi onus emphyteutæ non propter ipsa prædia & fundos in emphyteusin acceptos: sed propter istorum dominium utile & utendi fruendi jus, jam non Ecclesiæ, sed laico competens, imponatur: tum verò; quòd res conditionem accipiat à persona, *arg. l. Unic. C. de Imponend. lucr. descript.* quæ cùm tali casu laica sit, ejusmodi prædiorum dominium utile tributis obnoxium reddet.

41. Verùm, quia ejusmodi prædii, sicut directum, sic etiam utile dominium per se res Ecclesiæ est, & ab emphyteuta etiam laico nomine & jure Ecclesiæ obtinetur, tanquam res naturâ suâ exempta, tributis obnoxia non est, sicut, cùm retinetur ab Ecclesia: sic etiam, cùm ex istius concessione à laico obtinetur. Neque obstat; quòd ex *l. cit. pr. V. Cæteri*, dispositione res tributis subjectæ ab his propter specialem eorum favorem immunes sint, quando perveniunt ad Curiales; quia ab indulto istis speciali favore in Ecclesiæ odium non rectè desumitur argumentum: neque rerum Ecclesiasticarum, naturâ suâ exemptarum, utile dominium, dum Ecclesiæ nomine & jure à laico obtinentur, Tributariis legibus subjicitur.

42. Dubium secundò est, ad quos transeat emphyteusis Ecclesiastica. Non temporanea, sive restricta ad certos annos aut solam emphyteutæ vitam; talem enim definitò tempore exactò aut emphyteutâ mortuò ad Ecclesiam reverti, extra con-
43. troversiam est. Sed ita non restricta; quàm, si alicui simpliciter, hoc est, sine ulla temporis aut filiorum & hæredum expressâ mentione concessa sit, ad filios saltem aliósque descendentes transire, advertunt Clarus §. *cit. q. 28. n. 1.* Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 16. n. 6. & cit.* Molina *disp. 469. n. 4.* quòd emphyteusis pro his ordinariè soleat concedi. Si verò expressè pro se & filiis aliisque descendentibus concessa sit, ad illegitimos extra casum, quò emphyteuta, cùm prædium ita ab Ecclesia acciperet, solos illegitimos haberet, non transire, cum *cit.* Claro *q. 30. n. 1.* & Palœoto *de Nothis cap. 30.* tradit *cit.* Molina *disp. 475. n. 7.* quòd Ecclesia, cùm illegitimos, utpote actu peccaminoso susceptos, meritò habeat exosos, eis bona sua communicare, licet posset, velle non præsumatur.

Eò tamen modò concessam emphyteusin, si loci consuetudo contraria non sit, ad fœminas transire, ejusdem Clari *q. 32. pr.* Covarruviæ *l. cit. cap. 18. n. 2. cit.* Velasci *q. 41. n. 3.* Fachinei *Lib. 8. cap. 97.* Molinæ *disp. 474.* & aliorum sensus est communis & consentaneus Juri, emphyteusin Ecclesiasticam ad fœminas transire satis exprimenti, *Novell. 7. cap. 3. pr.* ibi, *Filiis tantùm masculis aut fœminis aut nepotibus utriusque naturæ.* Ratio est; quia filiorum nomine etiam filiæ, *pr. cit. l. Filii 84. l. Quisquis 116. l. Pronuntiatio 195. pr. & l. Jussa 201. ff. de V. S.* & masculinò etiam fœmininum comprehenditur, *l. Qui duos 82. ff. de Legat. 3.* Cui non obest; quòd contractus emphyteuticus sit stricti Juris: fœminæ autem filiorum nomine tantùm veniant ex Juris æquitate ac benignitate; quia Jure proditam benignam & contrahentium menti conformem interpretationem stricti Juris rigor non excludit.

Ulteriùs, sicut emphyteusin, alias cui & filiis seu descendentibus concessam, ad fi-

ad filios seu descendentes, etiam qui hæredes non sunt, transire: sic, concessam filiis seu descendentibus hæredibus, ad filios & alios descendentes exhæredatos, aut hæreditatem sibi relictam repudiantes non transire, Clarò & aliis DD. more suò generatim tantùm allegatis, tradit Haunold. *cit. Tract. 9. n. 552.*

An autem emphyteusis Ecclesiastica, alicui & hæredibus concessa, transeat ad hæredes extraneos, in dubium vocari potest. Non quidem, si concessa sit ei *Et hæredibus quibucunque*; cùm enim generalis hæc particula ambitu suo hæredes omnes complectatur, procul dubio etiam extraneos includet, *arg. c. Solitæ 6. §. Præterea* ibi, *Nihil excipiens dixit quodcunque, de Majorit. & Obed.* Sed particulâ illâ omissâ simpliciter & indistinctè *Hæredibus*. Quò modò concessam emphyteusin Ecclesiasticam ad solos descendentes transire, Consuetudine & plurium DD. calculis est receptum; quòd *cit. Novell. 7.* de ejusmodi emphyteusi agens Imperator eam fieri & transire sinat usque ad accipientis vitam &, si quos habeat, filios & nepotes, *pr. cap. 3. cit.* Unde hujusmodi emphyteusin ab Ecclesia acceptam ad hæredes extraneos & ultra accipientis filios ac nepotes sive generationem ejus alteram transmitti negant: etsi, eò modò concessa emphyteusis Laica seu communis, perpetua sit & ad extraneos hæredes porrigatur.

46. Verùm, quia *cap. 3. cit.* expressè agitur de majori Ecclesia cæterisque Religiosis domibus Constantinopolitanis: & has spectans dispositio sanctionibus Canonicis nuspiam est approbata. Imò ab Ecclesiis extra urbem illam sitis emphyteuses perpetuæ dari ab eodem Justiniano disertè permittuntur, *Novell. 120. cap. 6. §. 1.* seclusâ locorum Consuetudine, etiam ab Ecclesia cum debitis solennitatibus alicui *Ejusque descendentibus* concessam, perpetuam esse & ultra accipientis generationem alteram: concessam autem ei *Et hæredibus*, etiam ad extraneos transmitti, scripto Juri conformius est. Ratio de perpetuitate ea redditur; quòd spectatò Jure Civili emphyteusis, ad certum tempus & generationes non restricta, naturâ suâ sit perpetua, §. *Adeo 3. Instit. de Locato*, etiam quæ ab Ecclesiis (Byzantinis duntaxat exceptis) obtinetur, §. 1. *cit.* Ab eo autem Jure non recedat: imò ei accedat, Canonicum: dum Ecclesiarum res immobiles, exigente aut suadente justâ causâ & debita solennitate accedente, omnino etiam quoad dominium directum alienari permittit, *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. &c. de Iis, quæ à Prælat. &c.* De extraneis autem; quòd hæredis generale nomen etiam ipsos complectatur, *pr. & §. In extraneis 4. Instit. de Hæred. qualit.* & generaliter, qui pacisci videatur, hæredibus suis quibuscunque, atque adeò extraneis pacisci videatur, *l. Si pactum 9. ff. de Probat. l. Veteris 3. C. de Contrah. stipul. &c.* Ita, Juris apicibus inhærendò, cum Panormit. *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 28.* & Covarr. *cap. cit. n. 5. concluf. 4. citt.* Molina *disp. 469. n. 3.* Harprecht *in §. Adeo cit. n. 18.* & Perez *in C. de Jure emphyt. n. 5.*

Dubium tertiò est, an emphyteusim, monasterium ingressum, sequatur & ad hoc transeat emphyteusis. Et quidem, si monasterium successionis sit incapax, sicut cætera, sic etiam emphyteutica professi bona ei obvenire, nemo est, qui asserere ausit. Si verò monasterium successionis capax sit, DD. variè: veriùs autem sentiunt, qui emphyteusin hæreditariam, tam Ecclesiasticam quàm Communem, ad monasterium 47.

vel Ecclesiam transire volunt cum Innocentio *in c. In præsentia cit. n. 5.* Joan. Andr. *n. 16.* Felino *n. 49.* Decio *n. 194.* & Bartolo *in Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. lect. 1. n. 18.* quia ab *Auth. cit.* omnia professi bona cum ipso ad monasterium transferentis, generali Regula emphyteusis excepta nusquam reperitur. Ubi tamen contra *cit.* Felinum *n. 36.* & Sylvestrum *V. Emphyteusis n. 27.*

Excipienda est emphyteusis concessa sub conditione, ne ad Ecclesiam vel potentiorem personam transferatur; quia hujus in monasterium translatio repugnat pacto, & per hoc intento fini; ne scilicet propter Ecclesiæ privilegia aut emphyteutæ potentiam durior reddatur conditio proprietarii seu domini directi, & ratione emphyteusis sibi debita difficiliùs consequatur, Bartol. *l. cit. n. 19.* Barbatia *in c. In præsentia cit. n. 121.* Velasc. *Tom. 1. consil. 101. n. 8.* & alii, quos secutus est Palao *Tract. 15. disp. 3.*
48. *p. 4. §. 3. n. 8.* Ubi tamen monet, emphyteusin translatam ad monasterium, si emphyteutæ pro se & filiis seu descendentibus concessa sit, professô mortuô ad eos; qui ex investitura vocantur, & his deficientibus ad dominum directum reverti: si verò hæreditaria sit, vendendam; quòd, si penes monasterium perpetuò remaneret, laudemii accipiendi spes proprietario omnino præcideretur, *cit.* Molina *disp. 482. n. 1.* & Laiman *Lib. 3. Tract. 4. cap. 23. n. 15.*

49. Emphyteusin ab Ecclesia aut ab alio acceptam, sicut plerumque ad hæredes transmittit, sic isti, & ipse etiam emphyteuta primus amittunt, ut expelli possint, Imprimis, si prædium aut fundus emphyteuticus ejus dolô latâve aut levi culpâ notabiliter deterioretur; quòd vg. fructiferæ arbores succisæ, necessaria cultura & reparationes fuerint omissæ: quod de emphyteusi Ecclesiastica ex *Auth. Qui rem C. de SS. Eccles.* de Laica seu communi ex eo desumitur; quòd ejus finis sit melioratio; ac proinde, istâ contra propriam naturam contractûs cessante, Emphyteuta jure suo cadat, Clarus §. *cit. q. 26. n. 2.* Gaill. *Lib. 2. Observat. 67. n. 7. & in Auth. cit.* Barbosa *n. 4.* & Bruneman. *n. 3.*

Deinde jure suo emphyteuta excidit & expelli potest, si rem vg. prædium emphyteuticum alienet & vg. emptori tradat, non servatis conditionibus expressis *c. fin.* ubi ad ejus alienationem exigitur Imprimis; ut eam, & pro re ab aliis oblati pretii quantitatem domino denuntiet; ut iste deliberare valeat, an eôdem pretiô rem sibi emendam ipse putet. Deinde; ut, si dominus hæc denuntianti emphyteutæ voluntatem suam antè non declaret, duorum mensium spatiô expectet, Quod magnâ & utriusque ratione habitâ est introductum; ut ita ex una, rei alienatione non facilè deterior fiat conditio domini, cæteris paribus, meritò præferendi, ut ipse rem suam & istâ pristinam libertatem consequatur: ex altera parte, consulatur emphyteutæ necessitati, quâ liberari: & utilitati, quam ex re sibi proficua venditione sperare potest, Vivianus *in c. cit.* & Zæsius *in ff. hic de Jure emphyt. n. 100.*

Demum res amittitur, & ab emphyteuta ad Ecclesiam revertitur, si ipse in dominii directi recognitionem debitam pensionem seu canonem solvere, etiam non interpellatus, biennió negexerit, ex Constitutione Gregorii IX. *c. fin. hic* cui facem prætulit Justinianus *l. fin. C. de Jure emphyt. Auth. Qui rem cit. & Novell. 120. cap. 8.* licet com-

52.

muni

munis seu Laica emphytevsis in commissum non cadat, nisi canon tribus annis continuis non fuerit solutus, *l. In emphyteuticariis 2. C. de Jure emphyt.* cujus reductionem ad biennium favore Ecclesiarum, ut earum rebus magis prospiceretur, factam, notat Zæsius *§. cit. n. 76.* ubi *c. cit.* dispositionem etiam ad Ecclesiam extendit; ut rem ab Ecclesia vel alio in emphytevsin acceptam amittat, si canonem biennio aut triennio solvere culpabiliter omittat: licet ei in integrum restitutionis beneficio valeat succurri, *c. 1. c. Auditis 3. de in Integ. restit. citt.* Molina *disp. 453. n. 1.* & Haunold. *n. 501.* Ubi

52. Dubium controversúmque est quarto, an ea rei emphyteuticæ amissio incurratur ipsó Jure. Negant & sententiam privationis exigunt Innocent. *in c. cit.* Speculat. *Tit. Emphytevsis q. 47. n. 60.* Tuschus *Practic. V. Emphytevsis concl. 192. à n. 7.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 51. n. 7.* Ratio, quâ nituntur, præcipua est; quòd ipsó Jure inducenda non sit sine manifesta lege: quæ autem talem privationem inducat, lex nulla extet. Sed, si *c. & l. citt.* textus penitiùs inspiciantur, id satis expressum patebit; cùm emphyteutæ à canonis solutione bienniò aut triennio continuò cessantis expulsionem domino volenti permittant: & clariùs *Novell. 7. cap. 3. §. 2.* ubi emphytevta à solutione cessans *Omnino* extraneus fieri, sive emphytevsi excidere dicitur: quâ dictione *Omnino* & similibus privationem ipsó Jure inductam denotari, prolixè ostendit Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Revertatur à n. 76.* Quare emphytevsin ipsó Jure & ipsâ cessatione à canonis solutione bienniò triennióve continuatâ amitti, cum Ant. de Butrio *in c. cit. n. 18.* & Salycto *in l. In emphytevticariis cit. n. 8.* meritò defendunt Clarus *§. cit. q. 9. n. 1.* Corbulus *de Jure emphyt. cap. 15. ampl. 45. n. 1.* & *cit.* Molina *disp. 457. n. 21.* dummodo dominus voluntatem suam declaret &, à solutione cessatum, certò constet; si enim hoc emphytevta inficiaretur aut aliàs tergiversaretur, eâ de re adeundus judex, ejúsque pronuntiatio expectanda foret.

Ejusdem judicis authoritate opus est, cùm emphytevta rem vg. prædium, ob non solutum canonem commissum, repetenti domino cedere renuit; neque enim vi privatâ, sed decretó & ministeriò publicó interpositó est expellendus; ut tumultus & tranquillitatis publicæ perturbandæ occasio evitetur, Glossa *in c. fin. cit. V. Expelli, ubi* Panormit. *n. 13. cit.* Clarus *q. 11. n. 1.* Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 95. V. Mihi* & Menoch. *Recup. remed. 1. n. 78.*

Quantumvis autem huic rei emphyteuticæ, ob non solutum canonem, à Jure inductæ caducitati æquè locus sit, cùm ille magnus & modicus: & probabiliter etiam, cùm non integer, sed ejus pars saltem minor est soluta, vel ex primi emphyteutæ hæredibus pluribus à solutione negligenter tantùm cessavit unus, secundùm *citt.* Clarum *q. 8. n. 3. & 13.* & Molinam *disp. 453. à n. 12.* jure tamen suó solutionis omissione non cadit, si canonem sibi in tempore oblatum recipere dominus recusavit, vel iste quantitatis canonem æquantis aut excedentis debitor est sui emphytevtæ: si canonem alius, tanquam ejus procurator vel negotiorum gestor, solvit pro emphytevta: si iste solutionem omisit ex justo aliquo impedimento, vg. ob paupertatem, bellum, pestem, fructus colligere prohibentem: vel ignoravit, quod res empytevtica, vel quis ejus dominus sit: 53.

si nemo existat, cui eum solvat, veluti jacente hæreditate domini defuncti: si post biennium elapsum celeri satisfactione seu canonis solutione moram purgavit, *c. fin. cit.* quod in emphytevsi Laica ex æquitate, Clarus *cit. q. 8. n. 15.* de rigore Juris in sola Ecclesiastica procedere, notat Barbosa *in c. cit. n. 132.* postquam *à n. 99.* alios hujusmodi casus longa serie retulisset.

§4. Dubium ex his quintum nascitur, an dominus directus ab emphytevta, qui celeri satisfactione moram non purgavit, canonem recipiens caducitatem remisisse censeatur, quod DD. aliter atque aliter resolvunt. Et quidem si dominus, canonem recipiens, caducitatem sive emphytevtæ expellendi jus salvum sibi esse velle, protestetur, eam non remissam, nemo facilè inficias ibit; cùm explorati Juris sit, protestatione jus suum protestanti conservari, *l. 1. §. 4. ff. Quod legator.* Si verò, emphytevtam expelli posse sciens dominus, nihilominus ab eo canonem sine protestatione recipiat, DD. passim distinguunt inter canonem præteriti temporis & futuri:

Et istius quidem receptione caducitatem remissam intelligi, cum Bartolo *in l. In emphytevticariis cit. n. 8.* Jasone *ibid. n. 124.* & Claro §. *cit. q. 10.* satis consentiunt plerique; quòd dominus directus injuriam, dominii per solutionem canonis recognitione omissâ, sibi illatam, dissimulatione sua remisisse videatur *arg. §. fin. Instit. de Injuriis*: Nisi dominus directus sit Ecclesia; cùm enim huic in re quæsitum jus remittere sine Capituli consensu non valeat Prælatus, ab isto factâ canonis receptione caducitas remissa intelligi sine Capituli consensu non potest.

Illius autem sive canonis præteriti temporis receptione, sine protestatione facta caducitatem remissam, magni nominis DD. rigorosi Juris apicibus inhærentes negant. Alii, non minoris authoritatis, æquitatem (cum eadem tamen inter Ecclesiam & privatum seu laicum dominum directum distinctione) rigori præferentes affirmant cum Speculat. *Tit. cit. q. 23.* Claro §. *cit. q. 10. n. 1.* & *cit.* Fachineo *cap. 99. conclus. 5.* quod pensionem recipiendo caducitati videatur renuntiâsse. Quibus, etsi minimè adverser, aliâ tamen distinctione utendum censeo in Ecclesiastica emphytevsi, casu enim, quò Prælatus ante canonis receptionem rem emphytevticam caducam repetendi voluntatem declaravit, priùs non soluti canonis receptione caducitas remissa intelligi nequit; cùm hôc casu rei dominium utile ab emphytevta jam amissum, & cum directo consolidatum sit; ac proinde ea tanquam Ecclesiæ plenè & absolutè quæsita, à Prælato sine justa causa & solemnitatibus nequeat remitti. Sine his tamen validè remitti potest, & secundùm benigniorem sententiam remissa caducitas censetur, si ante ejusmodi declarationem canon absque ulla protestatione a Prælato fuerit receptus; quia tali casu remittitur jus ejusmodi declarationem primùm quærendùm: in quo Prælatus Ecclesiæ vel monasterio obesse potest, Glossa *in c. Fraternitatem 2. V. Non debet, de Donat.* etsi his eâ remissione læsis in integrum restitutionis beneficio subveniatur, Panormit. *in c. fin. cit. n. 15.* Beroius *in cit. c. n. 173.* & Hodoanus *de Reb. Eccles. non alien. q. 20. n. 15.*

TITU-

TITVLVS XIX.

De Rerum Permutatione.

EMptioni Venditioni etiam affinis, adeóque similis est Permutatio, ut illius subeat vices, *l. Permutationem 2. C. hâc Rubr.* & à Veteribus JCT.is in dubium & quæstionem venerit, idémne Permutatio, quod Emptio sit, *l. 1. §. 1. ff. de Contrab. empt.* & *§. Item pretium 2. Insit. de Empt. vendit.*

ARTICULUS I.

De Permutatione Rerum Temporalium, præsertim Ecclesiasticarum.

SUMMARIUM.

1. *Permutatio latè quicunque:*
2. *Propriè sumpta Innominatus est Contractus:*
3. *Differtque ab aliis Contractibus,*
4. *Ipsáque Venditione,*
5. *Atque etiam à Contractu* Do ut des:
6. *Quod tamen aliqui DD. negant.*
7. *Permutantur res obnoxiæ Venditioni.*
8. *Res tamen Ecclesiæ immobiles cum Juris solennitate,*
9. *In Principem ex æqualis,*
10. *In alios ex majoris tantùm utilitatis causa transferuntur.*
11. *Inter Ecclesias celebrati de immobilibus contractus alii,*
12. *Et ipsa etiam Permutatio exigit solennitates,*
13. *Spectatô Jure, Praxi Romanâ.*
14. *Et vetitæ alienationis non solennis causâ Finali.*
15. *Cum Romana non semper convenit praxis Curiarum inferiorum.*

ACcipitur autem Permutationis nomen aliquando genericè & latè pro quocunque contractu, quô aliquid pro alio, sive in istius compensationem datur aut promittitur: quô sensu Emptionem Venditionem, imò Reciprocos, sive ultro citróque obligatorios Contractus fere omnes comprehendit: aliquando strictè pro certa specie Contractuum Innominatorum: quibus accensetur; quòd, licet nomen habeat certum, id tamen non proprium: sed ita generale sit; ut omnibus Contractibus, etiam speciale & à Jure impositum nomen habentibus, valeat applicari; cùm quadam commutatione ferè omnes consistent. Posteriori hoc modô & propriè accepta Permutatio est Contractus innominatus, Juris Gentium, bonæ fidei, consensu & re constans, quô una res pro alia præstatur. Ita quoad sensum plerique. 1. 2.

Differt à cæteris Contractibus imprimis; 3.

primis; quòd Permutatione res, non pro custodia vel crediti securitate, ut Depositō vel Pignore, sed pro alia re detur: & in accipientem ejus non Usus duntaxat, ut Precariis, Commodatō, Locatione, vel solùm Utile, ut Emphyteusi, sed etiam Directum adeóque Plenum dominium transferatur.

Deinde; quòd eâ non pecunia pro pecunia, ut Cambio, sed, ut dictum, res: & hæc pro alia re detur, non pro pretio
4. in pecunia numerata consistente, ut Venditione: à qua etiam differt; quòd non, ut illius obligatio, constituatur solō consensu, sed ipsa rei traditione; atque idcirco ante hanc ab altero factam pœnitentiæ locus in Permutatione, *l.* 1. §. 2. *& l. fin. ff. hâc Rubr.* reíque alienæ non, sicut Venditio, *l. Rem alienam 28. ff. de Contrab. empt.* sic etiam Permutatio valida sit, *l. cit. §. 3. & l. fin. C. hâc Rubr.* cum istâ perfectâ ipsum rei dominium à permutantium uno in alterum transferatur: Venditor autem non necessariò rem faciat emptoris, sive in hunc ejus dominium transferat, juxta *l. Si ita 25.* §. 1. *ff. de Contrab. Empt.* & dicta *Tit. 17. n. 77.*

Demum ab aliis Contractibus Per-
5. mutatio differt, quòd istâ non pro facto factum aut res, vel pro ista factum præstetur, ut tribus Contractibus Innominatis, *Facio ut facias, Facio ut des* &, *Do ut facias*: neque etiam, ut in reliquo ejusmodi, sive *Do ut des*, pariter Innominato, sicut & Mutui contractu genus pro genere, sed species pro specie sive, ut Philosophi loquuntur, certum & determinatum individuum unum pro alio tali individuo, puta fundus Cornelianus pro Vinea Semproniana, Stichus pro Pamphilo, certa aliqua Vestis vel torques pro pariter certo libro vel cratere præstetur, *l. Quoniam 5. C. hâc Rubr.* ubi Hostiens. *in Summa n. 2.* & Wesenbec. *in ff. n. 19.* Hoc tamen discrimen pro vano & à Juris Conditorū mente & ipsis textibus alieno commento; & *Do ut des*, atque Permutationis contractum pro eodem habent Perez *ad Rubr. cit. n. 5.* & RR. alii, propter textus *l. 1. ff. & l. Emptionem 7. C. Rubr. cit.* quorum priori generatim Permutatione res pro re dari dicitur: posteriori certa modiatio frumenti pro designato pondere olei in genere habetur pro Permutatione, & *l. 1. ff. de Præscript. Verb.* cujus §. *1.* Paulus JCT.ⁿ cùm casū, quō res pro re datur, non Venditionem, sed Permutationem esse statuisset, subjecit, *Explicitus est articulus* seu contractus *ille, Do ut des*, ejusdem *l. pr. V. Aut enim*, primō locō propositus: à quo §. 2. ad articuli seu Contractūs, *Do ut facias, p. cit.* secundō locō propositi explicationem transit: Quibus verbis & tractationis ordine Permutationem à Do ut des diversum Contractum non esse, JCT.ⁿ luculenter supponit.

Permutari, sicut prohibentur alienæ, ita sic permittuntur propriæ res, quæcumque in humano commercio sunt & venditi possunt.

Rerum tamen immobilium & mo- 6.
bilium pretiosarum ad Ecclesias & Monasteria pertinentium Permutatio Prælatis permissa non est: nisi exigente aut suadente justâ causâ & Juris solennitatibus intervenientibus *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. Cùm Apostolica 7. de Ju. qua à Prælat. & c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* Aliter autem facta *can. cit. V. Irrita, c. 1. c. Tua nuper 8. de Iis, quæ à Prælat. & Extravag. Ambitiosa de Reb. Eccles. alien.* irrita nulláque pronuntiatur: atque idcirco revocanda est à successoribus, *c. Ut commutationes 2.* imò ab ipsis Prælatis, à quibus Permutatio in Ecclesiarum suarum præjudicium & damnum est attentata, *can. Quadquin, 35. q. 9. & c. Si quis*

ghùs 6. de Reb. Eccles. alien. Ratio est, quia rei Permutatio ejus alienatio est, *c. Nulli cit. & Novell. 7. cap. 1. V. Alienatio*; cùm eâ transferatur dominium, *l. Cum precibus 4. C.* si hoc penes permutantem fuit, *l. 1. §. 3. ff. hâc Rubr. & c. Cùm Venerabilis 6. V. Adhæc, de Except.* Ubi tamen

9. Excipi solet Permutatio rei Ecclesiæ immobilis cum alia ejusdem rationis, non tantùm majoris, sed etiam æqualis æstimationis & utilitatis re: quæ cum Principe, ex rationabili vg. palatii aut horti ampliandi vel castri adversus hostium incursus muniendi causâ, eam petente, permissa est *c. 1.* desumptô *ex Novella 7. cap. 2. §. 1.* quô tali casu præcisè exigitur; ne ex Permutatione Ecclesia damnum patiatur: quantumvis aliàs exigatur causa, non cujuscunque, sed evidentis utilitatis: cujusmodi est, si res data melior & magis profutura recipiatur, *can. Sine exceptione cit.* ibi: *Nisi forte aliquid horum Episcopus faciat, ut meliora prosticiat*, ut dictum *Tit. 13. n.* 10. *53.* Ratio est; quòd ab Impp. Regibus aliisque Principibus Ecclesiæ multis privilegiis munitæ eorúmque munificentiâ dotatæ atque ornatæ sint, & præsidio ac defensione protegantur; ut propterea omnino conveniens sit, Ecclesiam in eos, quàm cæteros fideles laicos, esse pronioremem, Vivianus *in c. 1. cit.* & Barbosa *ibid. n. 2.* qui tamen cum Joan. Andr. *in cit. c. n. 3.* etiam hoc casu; ne Ecclesiæ deterior res obtrudatur, & Permutatio damnosa sit, Tractatum cum Capitulo, & istius majoris partis ac superioris Consensum requirunt.

Dubium nunc & magna inter DD. dissensio est, an necessitatis, evidentis utilitatis aliáve justa causa & Canonicæ solennitates exigantur ad immobilium & pretiosorum Permutationem, inter ipsas Ecclesias vel monasteria celebrandam. Generaliter ad valorem, tam ipsius, quàm cujuscunque alterius alienationis ejusmodi rerum in aliam Ecclesiam, solennitates non requiri, volunt Riccius *in Praxi p. 1. decis. 35.* & Bordonus *Resol. 27. q. 2. n. 3.* Quorum hac de re Opinionem 11. in puncto Juris probabilem censet Engel *ad Rubr. de Reb. Eccles. alien. n. 16.* eô præcipuè, & fere unicô nixus fundamentô; quòd alienationem non solennem prohibendi & irritandi ratio fuerit; ut consuleretur indemnitati Ecclesiæ Universalis, & non Sacrorum & Religiosorum locorum particularium, ut non obscurè insinuat Paulus II. in *Extravag Ambitiosæ cit.* quâ, dum consensum Apostolicum exigit, principaliter agit de alienatione, quæ fit in laicos ac seculares, ibi, *Qui immobilia & mobilia pretiosa Deo dicata &c. prophanis usibus applicare præsumunt:* quæ verba, cùm sint Proœmialia, significant dispositionis causam finalem, secundùm *l. fin. ff. de Hæred. instit.* & Bartol. *in l. cit. n. 3.* quâ proinde cessante cessabit ipsa dispositio prohibitióque, juxta Regulam *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* & Tiraquell. *Tract. Cum cessante p. 1. limit. 23. n. 1.* Atque hæc fortassis causa est, cur ad immobilium alienationem, ab Episcopo vel Abbate factam, solummodo consensus ambarum partium, absque ulla cujusquam superioris mentione, exigatur, *c. Non licet 1. de Reb. Eccles. alien.*

Mediam viam incedunt, & ad cæteras quidem ejusmodi rerum alienationes, non etiam ad Permutationem solennitates de rigore Juris exigi, defendunt Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 55.* & Palao *Tract 12. disp. unica, p. 15. §. 3. n. 7.* propter *textus Auth. & can. Hoc jus, §. Sibi invicem, C. de SS. Eccles. & 10. q. 2. c. 1. cit. & c. Ad quæstiones 6. hîc*, quibus bonorum

norum Ecclesiasticorum liberam permutationem Prælatis specialiter permissam, volunt.

12. Mihi, ad Juris punctum utriusque Opinionis Assertoribus propiùs accessisse, videntur Bonacina *de Contract. disp. 3. q. 8. p. 4. n. 20.* Delbene *de Immunit. Eccles. cap. 17. dub. 13. n. 1.* Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14. q. 85. n. 4.* & Gonzalez *in c. 1. cit. n. 7.* qui cum Joan. Andr. aliísque Interpp. in *c. cit.* Beroio *Lib. 1. Consil. 179. n. 3.* Quaranta *in Summa Bullar. V. Alienatio rer. Eccles. n. 15.* & Filliucio *Tract. 44. cap. & §. 2. V. Quod est*, sicut cæteras immobilium alienationes, sic eorum rerúmque ipsis æquiparatarum commutationes, sine solennitatibus celebratas, tanquam invalidas rejiciunt, ducti *can. Sine exceptione cit.*

13. *c. 1. c. Cùm Apostolica & c. Tua citt. de Iis, quæ à Prælat.* qui textus eôdem modô loquuntur de Permutatione, quô de Donatione & Venditione. Cùm ergo Prælatis Donatio & Venditio sine solennitate, etiam inter Ecclesias celebrata, prohibita & irritata sit, prohibita & irrita inter istas etiam Permutatio erit. Textibus *citt.* consonant Constitutio Paulina *Extravag. Ambitiosæ cit.* & *Decretum* S. Congreg. Cardd. Trid. Interpp. jussu Urbani VIII. *7. Septemb. 1624. editum*: quorum Jurium priori quidem omnium rerum & bonorum immobilium & pretiosorum, ad quascunque Ecclesias: posteriori verò ad monasteria pertinentium alienatio, ac proinde etiam permutatio, *arg. c. Nulli cit.* omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, sine consensu Apostolico: &, si res monasterii sit, sine memoratæ S. Congregationis expressa licentia celebratum, omnino generaliter atque indistinctè irritatur. Accedit praxis Romana: quâ ipsismet Riccio *Resol. 35. & 60. in fine* & Barbosa *cit. n. 55.* testibus, eadem Juris solennitas idémque consensus, qui in cæteris, & cum laicis initis alienationibus, etiam in Permutationibus inter duas Ecclesias celebratis adhibetur: quæ Curiæ Romanæ praxis & consuetudo dubii Juris interpres potiùs, quàm correctoria censenda est, *arg. c. Cùm expediat 39. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.*

Neque adversantur oppositæ sententiæ utriusque fundamenta. Prioris quidem; quia imprimis Procœmialem rationem *Extravag. cit.* non finalem sed impulsivam tantùm fuisse, desumitur ex eo; quòd illâ relata prohibitio non ab ipsius conditore Paulo II. primùm sit introducta, sed innovata & confirmata ea, quæ antiquis canonibus lata fuit: antiquæ autem prohibitionis ratio & causa finalis non tam sit; ne res Ecclesiæ prophanis usibus applicentur, quàm; ne Ecclesiæ, quarum res & bona sunt, facilè depauperentur atque ad ministrorum sustentationem & cultum divinum necessariis proventibus destituantur. Deinde; quia, etiamsi causam illam finalem esse, concedatur: talis tamen fuit prohibitionis, non quomodocunque, sed sub pœnis ipsæ *Extravag. cit.* expressis factæ, ut rectè advertunt *citt.* Delbene *n. 10.* & Palao *n. 7.* Et demum; quia *c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6.* alienatio decimarum inter ipsas Ecclesias celebrata, invalida pronuntiatur propter defectum, tam solennitatum quàm justæ causæ, urgentissimô argumentô, tam illam, quàm hanc exigi etiam, cùm inter Ecclesias permutatio fit.

Posterioris autem; quia §. *Sibi invicem cit.* ei apertè adversatur; cùm Permutationem inter Ecclesias permittat, *Cum consensu eorum, qui & suprà referuntur*: suprà autem *can. cit. pr. V. Si autem* disertè exigitur, ut fiat *Majore parte ibidem servientium consentiente*, & ex ca-

ex causa *debiti urgentis*, quod ex mobilibus solis solvi non possit, Turrecremata *in can. cit. n. 6.* Eôdem modô *c. 1. cit* Episcopus vel Abbas jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens, secundùm Panormit. *ibi n. 3.* & Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 30. casu 1. n. 64.* sibi subjectarum Ecclesiarum terras commutare permittitur cum consensu ambarum partium, hoc est, Prælatorum vel Oeconomorum utriusque Ecclesiæ, procedentium *juxta can. Hoc jus cit.* ut *in c. cit.* notant Glossa *V. Commutare*, Vivianus *in fine* & Gonzalez *n. 7. in fine.* Æquè parùm pro ea militat *c. Ad quæstiones cit.* quia istô non agitur de causa aut solennitatibus Permutationis: sed solummodo deciditur, in Permutatione parochiarum cum possessionibus ad illas pertinentibus istas, si inæquales sint, ad æqualitatem reduci posse pecuniâ interveniente.

15. Etsi verò de rerum Ecclesiasticarum permutatione hactenus tradita, Jure & Curiæ Romanæ praxi spectatis, ita se habeant: extra curiam tamen illam, quando ea inter duas Ecclesias celebratur, non ubique omnes Juris solennitates adhiberi, & saltem consensum Apostolicum non requiri, notat Donatus *q. cit. n. 6.* De Jure etiam sufficere, si ea cum utriusque indemnitate fiat, ex §. *Sibi invicem & c. Ad quæstiones cit.* desumi, existimant Franc Leo *Thesaur fori Eccles. p. 1. cap. 15. n. 72.* & Ascan. Tamburinus *de Jure Abbat. Tom. 1. disp. 13. q. 5. n. 3.*

ARTICULUS II.

De Permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

SUMMARIUM.

15. *Liberè permutantur res spirituales:*
17. *Non tamen beneficia, nisi ex justa causa,*
18. *Et in superiorie manibus à permutantium utroque dimittantur.*
19. *Ab uno tantùm dimissum beneficium recuperatur,*
20. *Quin opus sit nova collatione.*
21. *Ab utroque dimissa ipsis permutantibus conferenda sunt*
22. *A superiore Ordinario,*
23. *Etiam à Capitulo sede vacante:*
24. *Imò etiam à collatoribus inferioribus:*
25. *Licet ipsas permutationes ferè non admittant.*
26. *Permutatio facienda cum consensu patroni &c.*
27. *Et publicanda est.*
28. *Permutari valent beneficia quæcumque:*
29. *Nisi sint litigiosa vel unita,*
30. *Vel jam amissa, aut nondum plenè quæsita.*
31. *Permutationi non obstat gratia Expectativa.*
32. *Beneficia non permutantur cum rebus spiritualibus aliis:*
33. *Neque etiam cum Pensionibus coram Episcopo:*
34. *Nisi ea Ecclesiastica sint.*
35. *Permutari inter se valent ipsa Ecclesia,*
36. *Et possessionum ad eas pertinentium inæqualitas pecuniâ reduci ad æqualitatem:*
37. *Quin sic permutari valeant beneficia Ecclesiastica:*
38. *Nisi interveniente Apostolica authoritate.*

RErum spiritualium hisque annexarum Permutationem (dummodo in ea temporale pro spirituali, sive in istius 16.

compensationem, & tanquam ejus æstimatio non detur, extra materiam Beneficialem, Jure non esse prohibitam, communis sensus est DD. quid enim obstet, quò minùs sacræ Reliquiæ inter se, una functio spiritualis pro alia, vasa & vestes sacræ pro aliis, quæ quoad materiã ejusdem valoris sunt, permutare, si lubeat, liceat? Unde *c. fin. de Pactis*, verbis: *Cùm in hujusmodi*, spiritualibus hisque annexit, *omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare*, & hujusmodi textibus aliis pactiones solummodo inhonestas sive, quibus temporale pro spirituali: non etiam honestas sive, quibus unum spirituale pro alio datur, tanquam Simoniacas reprobari, meliores Interpp. notant apud Suarez *de Simonia cap. 31. n. 21.* ut *Lib. 1. Tit. 35. n. 56.* est insinuatum.

17. Ipsa etiam Permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum, de qua Rubricæ nostræ subjecti posteriores textus agunt, sive eorum mutua & reciproca resignatio, quâ duo clerici vg. Titius & Cajus beneficia sua dimittunt; ut quisque alterius beneficium consequatur, labe Simoniacâ & omni culpâ vacabit, si fiat modò præscriptò sacris Canonibus, *c. Quæsitum 5. & c. hâc Rubr.* Ab his autem ad eam exigitur

Primò justa causa, *c. cit.* Necessitatis vel Utilitatis ipsius Ecclesiæ: non sola utilitas permutantium, nisi hæc in Ecclesiam saltem indirectè redundet: sicut in eam redundare censetur, si parochus vel alius beneficiatus in loco difficulter commoretur, propter intemperiem aëris valetudini suæ adversantis, vel propter inimicitias aut aversionem populi, imperitiam linguæ &c. Flamin. *de Resignat. lib. 11. q. 5. n. 24.* & Garcias *de Benef. p. 11. cap. 4. à n. 45.* qui tamen *n. 49.* advertit sufficere, si hujusmodi causa adsit ex parte permutantium unius, & permutatio alteri non sit damnosa.

Deinde; ut permutantes beneficia sua resignent in manus superioris unius, si ea uni: vel duorum, si ea diversis subjecta sint, *c. Unicô in 6.* ibi. *In manibus tuis ipsa resignant*, Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 29. q. 8.* & Palao *Tract. 13. disp. 6. p. & §. 3. n. 7.* Quod si verò, resignatione ab uno jam factâ, alter suum beneficium ad permutationẽ complendam resignare nollet, prior suum, tanquam non omnino absolutè, sed sub modò seu conditione permutationis cum alio faciendæ resignatum, repetere posset, per textum *c. Cùm Universorum 8.* & *ibi* tradita à Panormit. *n. 8.*

An autem hôc casu ad beneficium, qui id ex tali causa resignavit, redire valeat propriâ authoritate, dubium & ratio dubitandi minimè levis est; quod ei resignatione beneficii titulus resolutus & amissus, veráque illius vacatio sit inducta: beneficium autem vacans obtineri nequeat sine Canonica institutione, *Reg. 1. in 6.* Quare, tali casu novâ collatione opus esse, cum Panormit. *cit. n. 8.* & aliis volunt Selva *de Benef. p. 3. q. 24. n. 3.* & Garcias *cit. cap. 4. n. 5.* ubi *n. 10.* cum Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 15. §. 2. n. 40.* casu, quô ex causa permutationis beneficia sua resignantium unus, collatione alteri jam factâ, decedit, superstiti ad beneficium per resignationem dimissum regressum negat. Sed, licet hoc verum; quòd resignatio quoad superstitem jam sortita sit effectum: & in nobis proposito casu novam collationem exigentium Opinio tutior & satis communis sit, benignior tamen & communior est contraria; quam cum Innocentio *in c. Inter tetera 17. de Præbend. in pr.* & Joan. And. *in c. Unic. in 6. n. 2.* defendunt Tholosanus

Ianus *Synt. Lib. 17. cap. 17. n. 33. citt.* Flamin. *Lib. 1. q. 14. n. 6.* Azor *q. 21.* & alii tali casu resignanti regressum ad beneficium sine nova collatione permittentes, ex ratione; quòd, cùm ex permutationis causa resignatio fiat sub conditione, ante istam impletam non sit perfecta, nec beneficium verè dimissum, ut simpliciter vacet; quia actus conditionatus, non impletis conditionibus, perinde ut non factus habetur, *l. Si quis sub conditione 8. ff. Si quis omissa causa, & l. Cedere 213. ff. de V. S.* atque idcirco non servatis conditionibus jus à resignante non abdicari, à Rota pluries decisum, ait Flaminus *cit. n. 6.* Unde in contrarium allata ratio planè corruit.

Magis in speciem, reipsa tamen etiam non urget; quòd beneficium conferri nequeat, antequam vacet; quia ex causa permutationis, uti etiam in favorem factâ resignatione, beneficium quidem vacare, & rectè dicitur ad effectum; ut valeat & debeat conferri alteri permutantium, vel ei, in cujus favorem est resignatum: ex æquitate tamen non vacat; ut conferri valeat alii cuipiam: &, si huic conferatur, itáque deficiat conditio, Permutatio nihilominus verè facta & perfecta; ac proinde eâ jus plene abdicatum non intelligatur, & ad beneficium liber regressus renuntianti non sit præclusus; cùm deficiente conditione, sub qua facta est, perinde ut non facta habeatur, ut cum *cit.* Innocentio & aliis declarat *cit.* Flamin. *q. 4. n. 22.*

21. Tertiò, ad Permutationem requiritur; ut, factâ utrinque liberâ resignatione, beneficia à superiore, si ad ejus collationem spectent, vel ab aliis collatoribus ipsis permutantibus, & non aliis clericis, conferantur, *Clement. Unic.* quâ aliis, quàm permutantibus, facta illorum collatio irrita declaratur; quia in resignatione ex causa permutationis subintelligitur conditio sive modus, ut beneficia ipsis permutantibus conferantur, ut cum Zabarella notat Vivian. *in Clement. cit.* Quantumvis autem à clericis sine superioris authoritate facta beneficiorum permutatio irrita & ex Juris Ecclesiastici dispositione seu præsumptione Simoniaca sit, *c. Quæsitum cit. & c. Cùm Olim 7.* de ea tamen facienda inter se tractare & convenire sub conditione, in legitimi superioris consensum relata, non prohibentur, ut *in Clement. cit.* notat & ex Verbis, *Ipsis permutare Volentibus*, cum Glossa *V. Volentibus*, desumunt Panormit. *n. 5.* & Francus *in c. Unic. cit. n. 2.* Ratio est partim; quia prævius tractatus necessarius esse videtur ad permutationem; cùm sine eo partes de modo, quo illam coram superiore fieri cupiunt, nunquam convenirent: partim verò; quòd ejusmodi tractatus & in superioris voluntatem & consensum relata conventio non permutatio, sed ad hanc via tantùm sit; cùm permutatio ante superioris consensum non sit perfecta, nec habeat effectum, *citt.* Flamin. *Lib. 6. q. 2. num. 72.* & Garcias *num. 56.*

Superior autem, cujus authoritate 22.
permutatio facienda est, præter Papam est proprius cujusque diœcesis Episcopus, saltem respectu beneficiorum ad ipsius collationem vel institutionem pertinentium, *c. Quæsitum & c. Unic. citt.* & alii Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem in certum territorium & populum, nulli Episcopo subjectum, obtinentes, Glossa *in c. Unic. cit. V. Conferuntur*, Panormit. *in c. Quæsitum cit. n. 4.* & Garcias *cit. cap. 4. n. 62.* uti &, sede Vacante, Capitulum respectu beneficiorum ad suam, vel suam simul & Episcopi collationem communiter pertinentium. Non etiam respectu aliorum, nisi ista permu- 23.

tandi causa necessaria: vel Episcopus post beneficiorum ex causa permutationis resignatorum admissionem, sed antequam ea resignantibus conferret, fuisset mortuus; quia hujusmodi collatio necessaria est: in iis autem, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, Episcopo decedenti Capitulum procul dubio succedit, *c. Hiis quæ* 11. *c. Cùm olim* 14. *de Majorit. & Obed. cit.* Garcias *n. 81.* Vel demum, nisi Capitulum sit in quasi possessione juris conferendi & admittendi renuntiationes beneficiorum, pertinentium ad collationem Episcopi solius, *cit.* Flamin. *Lib. 7: q. 22. n. 39.* Vicario autem Generali beneficiorum permutationes approbandi potestatem vi mandati seu commissionis suæ generalis non competere, dictum est *Lib. 1. Tit. 28. n. 41.*

24. De inferioribus autem Prælatis & aliis, an beneficiorum, ad suam collationem spectantium permutationes admittere & approbare valeant, dubitandi ratio oritur ex *cit. c. Unico in 6.* quô, dum Episcopi ad suam collationem spectantium permutationes instituere permittuntur, non obscurè insinuatur & argumentô à contrario ductô infertur, eorum, quæ non ad suam, sed ad aliorum, etiam inferiorum, collationem speciali jure pertinent, permutationes hujusmodi collatorum consensu & approbatione fieri posse, ut voluit Sylvester *V. Permutatio 2. q. 2.* & alii relati à Palao, eos non obscurè secutô *Tract. 17. disp. 3. p. 15. n. 5.* Quorum Opinio, licet probabilis, tutior tamen in praxi ipsique Juri conformior est doctrina Panormit. *cit. n. 4.* Franci *in c. Unic. cit. n. 8.* quibuscum Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n 196.* Garcias *cit. cap. 4. n. 68.* & Zœsius *ad hanc Rubr. n. 8.* ad ejusmodi etiam permutationes, seclusô privilegiô vel consuetudine legitimè præscriptâ, exigunt interventum authoritatis seu approbationis Episcopalis; quòd, licet ejusmodi beneficii, sicut simpliciter, sic etiam ex causa permutationis resignati collatio non ab Episcopo, sed inferiore ejus collatore facienda sit, resignationis tamen admissio pertineat ad eum, qui habet potestatem destituendi; hæc autem potestas, seclusô jure speciali eam tribuente, ad Episcopum, non ad inferiores pertineat, *c. Admonet 4. de Renuntiat. & c. Cùm ex injuncto* 12. *in fine de Hæreticis:* neque ab ea, quæ est instituendi vel conferendi, ad destituendi, ac proinde renuntiationes admittendi potestatem valeat argumentû; cùm institutio & collatio Voluntariæ; destitutio autem Contentiosæ jurisdictionis sit actus, secundùm Panormit. *in c. Accepta 3. de Restit. spoliat. n. 8.* & Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 4. q. 67. n. 2.*

Quartò, ad eam requiritur consensus eorum, qui beneficia conferendi, ad eáve præsentandi vel eligendi jus habent, Glossa *in c. Unic. cit. V. Collationem in f.* ubi Franc. *n. 6. & 7.* & Garcias *cit cap. 4. n. 72.* quia in actibus, qui aliorum juribus præjudicare possunt, Jure Communi fere exigitur consensus eorum, quorum interest, ac proinde in beneficiorum permutatione patronorum & similium: quibus contemptis perfectam permutationem ipsô Jure nullam, vel potiùs ad eorum petitionem annullandam esse, cum Rocho de Curte *de Jure Patron. V. Honorificum num. 8.* & Lambertino similis *Tract. Lib. 2. p. 3. pr. q. 2. art. 2. n. 4.* docent, & aliis DD. Rotæque decisionibus relatis firmant *citt.* Flamin. *Lib. 2. q. 4. à n. 8.* & Garcias *cit. p. 11. cap. 3. n. 19.* Caîo tamen, quô patronus & similes in permutationem ex justa causa faciendam consentire sine rationabili causa nollent, eam ab Ordinario approbari nihilominus posse, cum Panormit. *in c. Quæsitum ex, n. 9.* &

n. 9. & Azor *cit. cap. 29. q. 32.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 35.*

27. Demum, ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit *Humano, 5. Jan. 1573. edita*, ad beneficiorum permutationem requiritur; ut ejus publicatio fiat in Ecclesiis Cathedralibus vel parochialibus, intra quarum fines beneficia sunt sita, ut latè explicat Garcias *cit. cap. 3. à n. 275.* qui tamen *n. 289.* ut *Lib. 1. Tit. 9. n. 116.* jam monui, eam Constitutionem, quoad permutationes coram Ordinariis factas, non ubique usu receptam esse, testatur & plurium Germaniæ nostræ diœcesium praxis docet: quantumvis eam ubique receptam, intrepidè asserat Flamin. *cit. Lib. 11. q. 9. n. 6.* Unde

28. Dubium oritur, an permutationi in omnibus beneficiis sit locus. Ratio dubitandi est; quòd eâ, si generaliter permissa sit, elidi valeant collatorum, patronorum & atque electorum jura ipsæ Sedis Apostolicæ reservationes. Sed istius rationis exigua vis est; cùm permutationes non nisi cum istorum &, quorum interest, consensu faciendas jam sit dictum: & propterea meritò Regulæ instar à DD. tradatur, beneficia, in quibus permutantes certum jus quæsitum habent, permutari omnia posse. *In quibus*, inquam, *habent certum jus quæsitum*, intellige, per collationem acceptatam, etiam ante apprehensionem possessionis, *c. Si tibi absenti 17. de Præbend. in 6.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 69. n. 16.* Non etiam, si habeant jus incertum, ut in beneficio litigioso: quod lite pendente, sicut conferri, *c. 1. & c. fin. Ut lite pend. in 6.* sic etiam permutari nequit, secundùm *citt.* Garciam *n. 20.* & Barbosam *n. 19.*

29. Excipiuntur tamen etiam & permutari nequeunt imprimis beneficia unita alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri beneficio; quia, si eorum permutatio fieret, antequam unio consecuta sit effectum, cederet in præjudicium ejusmodi Ecclesiæ, monasterii, beneficii; cùm beneficium ex causa permutationis non ipsi, ut vi unionis deberet, sed permutantium alteri obveniret, *citt.* Flamin. *q. 9. n. 4.* & Garcias *n. 27.* postquam autem unio effectum consecuta est, beneficii uniti titulus jam est extinctus, & accessit Ecclesiæ &c. ac proinde, sicut conferri, sic & permutari ampliùs non potest: nisi dissolvatur unio, vel beneficium, cui unitum est, cum alio permutetur, *citt.* Garcias *n. 24.* & Palao *cit. disp. 6. p. 3. §. 2. n. 9.*

30. Excipi solent secundò beneficia quomodocunque jam amissa: & solummodo expectata, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 9. n. 17. & 18.* &, ad quæ quis est præsentatus aut electus; quòd talia nondum sint propria; cùm in iis non habeatur jus in re: sed solummodo in spe & ad rem, Panormit. *in c. Cùm olim 7. n. 4.* Verius tamen est, etiam hujusmodi beneficia, vel potiùs ad ea obtinenda jus permutari posse: dummodo accedat consensus eorum, quorum interest, puta patronorum, electorum & legitimi superioris, Palao *§. cit. n. 15.*

31. An permutari valeat beneficium, ad quod vacaturum gratiam, ut vocant, Expectativam alius habet, dubium & ratio dubitandi est; quòd ejusmodi gratia detur ad beneficium proximè vacaturum: permutata autem, antequam permutantibus conferri valeant, debeant resignari. Quâ resignatione factâ cùm beneficium vacet, gratiam Expectativam obtinenti potiùs, quàm permutantium alteri conferendum erit ex mandato & voluntate Papæ, in vacantis beneficii cujuscunque collatione cum Ordinario collatore concurrentis, *c. Licet 2. & c. Dudum 14.*

dum 14. §. Nos igitur, de Præbend. in 6. &, quia gratiâ suâ Ordinarii collationem, imò ipsam beneficii resignationem prævénit, præferendi, ex decisione *c. Si à sede 3. eâdem Rubr. in 6.* Verùm, etsi hoc ita sit de Juris rigore, huic tamen æquitatem præferens Bonifacius VIII. liberè & sine fraude factas beneficiorũ permutationes ab ejusmodi gratiis noluit impediri, *c. Unicô in 6.* quòd ejusmodi resignatio fiat subintellectâ conditione seu modo, *Ut permutatio sequatur.*

Dixi tamen, *Sine fraude*; quia, si permutationem in fraudem & præcisè ad excludendum expectantem fieri ex circumstantiis probaretur, beneficium perinde ut, si per obitum vacâsset, rediret ad eum, à quo ex permutationis causâ est dimissum, vel cederet expectanti, Azor *cit. cap. 29. q. 30.*

32. Excipiuntur tertiò, & permutari sine Sedis Apostolicæ authoritate nequeunt beneficia Ecclesiastica quæcunque, si ea non pro beneficio, sed pro aliô spirituali annexo, vg. patronatûs aut decimandi jure dentur; quia sanctionibus Ecclesiasticis sola permutatio beneficiorum inter se, non cum aliis diversi Ordinis, præsertim temporale annexum habentibus, ex justa causa concessa reperitur, *citt.* Azor *q. 22.* & Pirrhing *n. 30.*

33. Dubium ulterius est de permutatione beneficii cum pensione. Qua in re melioris notæ DD. sicut tanquam Simoniacam reprobant propriâ ipsorum permutantium, sic ab ea aliáve labe absolvunt illorum iter se permutationem, factam Sedis Apostolicæ authoritate: &, si pensio in beneficii titulum erecta sit, etiam factam in manibus Episcopi; quòd, cùm hujusmodi pensio beneficii assumat naturam, ejus quoque jure censeatur, Joan. Andr. *in c. Unic. cit.* & *in Clement. Unic.* Zabarella *q. 12.* Si verò pensio in titulum erecta non sit, multùm interest, an ea temporalis sit, vel Ecclesiastica; cùm pro illa sive merè temporali pensione dari, & in commutationem venire beneficium nullatenus posse, Juris sit omnino explorati. Ad Ecclesiasticæ etiam cum beneficio permutationem Apostolicam authoritatem cum Paulo Romano *de Pensionibus cap. 7. §. Venio*, exigit Suarez *de Simonia cap. 33. n. 4.* quòd Prælatis inferioribus Jure sola beneficiorum inter se permutatio, sive istius approbatio permissa reperiatur: Pensio autem, etiam spiritualis & Ecclesiastica, propriè beneficium non sit; cùm naturâ suâ nec sit perpetua, nec per Canonicam institutionem conferatur. Sed, ut hoc ita sit, pensio tamen beneficio subrogatur, istiúsque instar competit soli clerico, & reditus temporales percipiendi jus in spirituali officio fundatum habet.

Quare ejus, si spiritualis & Ecclesiastica sit, cum beneficio permutationem in suis manibus factam Ordinaria authoritate approbari ab Episcopo posse, præter alios verisimiliùs sustinet Frid. de Senis *de Permut. benefic. q. 18.* quòd permutatio beneficiorum, eámque ex justa causa factam approbandi Episcopo competens facultas favorabilis sit, *arg. c. Unic. cit.* & in Juribus, eam Episcopo adstruentibus, beneficii nomen largè sumendum sit, ex mente Glossæ *in c. Unic. cit. V. Beneficia*; ut comprehendat pensiones Ecclesiasticas, beneficiis apertè æquiparatas ab Honorio III. verbis, *Recipientes pensiones annuas seu beneficia, c. Ad audientiam 31. de Rescript.*

Dubium tertiò, & in praxi non rarò occurrens controversia est, an in permutatione beneficii pinguis pro tenui excessus reddituum illius pecuniâ vel aliâ re

pretiò

pretiò æstimabili valeat compensari. Certum est, posse authoritate Papæ; quia iste jus fructuum à spirituali titulo, cui Apostolica authoritate fuit annexum, separare, idque totum aut fructuum partem percipiendi jus alteri assignare potest.

Episcopi etiam & alterius Ordinarii authoritate id fieri posse, volunt non pauci, non eôdem tamen omnes nixi fundamentô; aliquos enim in eam sententiam deduxit decisio Clementis III. *c. Ad quæstiones 6.* approbantis permutationem unius Ecclesiæ cum alia Ecclesia factam ab Episcopo, inæqualitatem possessionum eis annexarum pecuniâ ad æqualitatem reduci permittente. Sed fundamentum hoc solidum, imò ad rem non est; quia *c. cit.* sermo non est de Ecclesia, prout est beneficium Ecclesiasticum, & confertur in titulum, & temporalia percipiendi jus spirituali officio
36. annexum habet; sed, prout est quædam proprietas Monasterii, & de possessionibus, ad eam quidem pertinentibus, sed à spiritualis officii titulo omnino separatis: quæ & ejus possessiones cùm ex justa causa & adhibitâ solennitate Canonica ab uno monasterio ad aliud transferri possint, eôdem modô, ac proinde Episcopali authoritate interveniente, etiam poterunt permutari, & possessionum ad eas pertinentium nullíque spirituali titulô annexarum inæqualitas pecuniâ compensari: etsi cum tali compensatione inæqualitatis fructuum permutari sine authoritate Apostolica nequeant vg. parochiales Ecclesiæ, quæ in titulum conferuntur, & cætera beneficia, *cit.* Suarez *n.* 13. & Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 16. n. 1.*

Aliis etiam, hæc ita permutari Episcopali authoritate posse, persuasit ratio; quòd Episcopus Ecclesiis ita consideratis, seu beneficiis Ecclesiasticis ex justa causa imponere valeat pensionem, *c. Nisi essent 21. & c. Expositis 33. de Præb. & dignit.* ac proinde fructuum Ecclesiæ seu beneficio uni detractorum partem assignare alteri in ejus cum alia, inæquales reditus habente, permutatione; cum ista non nisi ex justa causa fiat. Sed etiam hæc ratio non satis firma est; quia licet *citt. textibus* pensionem beneficio imponere permittatur ob bonum Pacis & Concordiæ sive, ut recedatur à lite & alias similes causas, eam tamen imponere regulariter non potest in beneficiorum resignatione; cum in ista, spirituali officio Apostolica authoritate annexos fructus & hos percipiendi jus ab illo separandi potestas isti concessa non reperiatur.

Quare meliori ratione ad hujusmodi permutationem, ut à Simoniæ labe immunis sit, Apostolicam authoritatem 37.
cum Soto *Lib. 9. de Justitia q. 5. art. 2.* Redoano *de Simonia p. 2. cap. 14. in fine*, Covarruv. *Lib. 1. Var. cap. 5. à n. 8.* Garcia *de Benef. Lib. 1. cap. 5. n. 340.* & ab isto relatis aliis meritò exigit laudatus Suarez *cap. 34. n. 10. & 16.* Rationem hic Doctor reddit; quia in beneficiis Ecclesiasticis fructus sive reditus temporales percipiendi jus spirituali annexum est authoritate Sedis Apostolicæ, parochiales aliósque titulos beneficiales instituentis, *can. Ecclesias, 13. q. 1. & c. Pastoralis 9. De iis, quæ à Prælat.* ac proinde à titulis illis separari authoritate inferiori regulariter & ordinariè non potest, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* nec debet ex causa utilitatis merè privatæ: quam portionis redituum à pinguiori beneficio detractio, & tenue beneficium accipienti facta assignatio ferè spectat. Cùm ergo *Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum, cui annexum est, pro-*

est, proficit, neutrum invenditum derelinquat. can. Si quis objecerit 1. *q.* 3. is, qui in Ecclesiæ in titulum collatæ & cujuscunque beneficii Ecclesiastici permutatione excessum proventuum re temporali sine authoritate Apostolica compensat, hanc pro titulo quoque & spirituali officio, cui illi annexi sunt, exhibere censetur: quod Simoniacum esse, patet ex ipsa Simoniæ definitione, quâ esse dicitur *Studiosa voluntas emendi aut vendendi spirituale vel spirituali annexum*, Glossa *in Causa* 1. *Summa V. Quidam* & S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 4. Me præcipuè movet partim;
38. quòd resignatio, cum pensionis sive portionis fructuum reservatione, sit & accenseatur resignationibus conditionatis, invalidis, nisi fiant in manibus Papæ eas approbantis, per tradita *Lib.* 1. *tit.* 9. *à n.* 63. partim verò authoritas Juris Ecclesiastici pactiones de temporali, & maximè de pecunia danda pro spirituali aut huic annexo rejicientis, *can. Quam pio* 1. *q.* 2. *can. Nemini* 16. *q.* 7. *c. Cùm pridem* 4. *c. fin. de Pactis c. Quæsitum* 5. *& c. fin. hic.* Contra quorum textuum absolutam & generalem prohibitionem Ecclesiarum, quæ in titulum conferuntur, & cæterorum beneficiorum Ecclesiasticorum permutationes cum ejusmodi compensatione admittendi vel approbandi facultas Papâ inferioribus Prælatis, saltem generaliter, indulta nuspiam reperitur.

TITVLVS XX.

De Feudis.

CUm Rerum Ecclesiasticarũ Infeudatione earum dominium, non quidem Plenum, ut Permutatione: sed, sicut Emphytevsi, Utile duntaxat in Vasallum ab Ecclesia transferatur, Jure prohibitis rerum Ecclesiasticarum Alienationibus meritò etiam ipsa adnumeratur.

ARTICULUS I.

De Feudi Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Etymon & natura Feudi:*
2. *Quô benevolè & perpetuò,*
3. *Res immobiles hisque æquivalentes,*
4. *Cum translatione dominii utilis,*
5. *Sub obligatione Fidelitatis,*
6. *Et honesti obsequii personalis conceduntur.*
7. *Differentia Feudi à Contractibus aliis,*
8. *Et ab ipsa Emphytevsi.*
9. *Divisiones Feudi in Proprium & non Proprium,*
10. *Ecclesiasticum & Seculare,*
11. *Nobile & non-Nobile,*
12. *Regale & non-Regale,*
13. *LIgium & non-Ligium, & Francum & non Francum*
14. *Masculinum & Femininum,*

15. *Ab-*

15. *Novum & Antiquum,*
16. *Et Hereditarium, Gentilitium vel Mixtum.*

1. FEudi nomen aliqui à *Fœdere*, vel potiùs à *Fide* & *Fidelitate* Latinis, Feud. *Lib. 2. Tit. 3. §. 1. V. Nulla:* Alii veriùs à vocibus *Fede* aut *Feida* Germanis ac Francis, Bellum atque inimicitias denotantibus, derivatum, desumunt ex LL. Longobardorum *Tit. 30. & 58.* & Francorum *Lib. 4. Tit. 49.*

Est autem Feudum, undecunque derivetur, Benevola & perpetua concessio rei immobilis aut ei æquivalentis, quâ illius dominium utile, ejus proprietate retentâ, in alterum transfertur sub obligatione fidelitatis & servitii sive obsequii personalis, Clarus §. *Feudum q. 4.* & Rosenthal *Tractat. Feudal. cap. 1. concl. 3. n. 1.* In qua concessione is, qui rei dominium utile, retentâ solâ ejus proprietate sive dominiô directô, in alium transfert, Dominus vel simpliciter, vel cum addito Directus, vulgo **der Lehenherr**: is autem, in quem ejusmodi dominium transfertur, Vasallus & Feudatarius, vulgo **der Lehentrager** vel **Lehenmann** appellantur. Quare

2. Feudum, juxta allatam definitionem, imprimis conceditur *Benevolè & Perpetuò.* Priùs; quia est, & Feud. *Lib. 2. tit. 23.* atque alibi passim vocatur beneficium, & à domino ordinariè gratis, non pro pretio concedi solet; ut pro honore suo Vasallum ad fidelitatem & servitia habeat obligatum, Feud. *Lib. 1. tit. 27. pr.* Quòdsi aliquando pro eo pecunia exhibeatur, à natura Feudi propria aliquantum degenerat, & accedit ad Emphyteusin. Accedit; quòd Feudum, cùm juxta *Lib. cit. Tit. 7. & 20.* emitur, valore suo pretium multùm excedat, ac proinde beneficii naturam non amittat, Rosenthal *cap. cit. concl. 2. n. 8.* & Haunold. *Tom. 3. de I. & I. Tract. 9. n. 585.* Posterius; quia Feudum regulariter ad ejus, à quo est acquisitum, descendentes & hæredes masculos omnes extenditur, Feud. *Lib. & Tit. 1. §. 4.* &, si ad certum duntaxat tempus concedatur, à natura Feudi propria recedit, Zasius *Epitom. Feud. p. 12. n. 4.*

Deinde constituitur *In rebus solùm immobilibus*, sive soli solóve cohærentibus, Feud. *Lib. 2. tit. &* §. 1. ut sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus vel alia territoria: civitates, castra, villæ, prædia, fundi, molendina, ædificia, ususfructus, jurisdictio: quibus lacus, stagna & flumina accensentur: & in iis, quæ inter immobilia connumerantur, §. 1. *cit.* ut annui reditus de camera vel cavena Principis, & alii proventus annui ex re non tantùm immobili, sed etiam huic æquivalente, vg. ex Societate vel Mensa alicujus nummularii debiti &c. Schrader *de Feud. p. 3. cap. 2. & 3. utrobique à n. 1.* 3.

Tertiò, Feudô *Transfertur rei dominium utile, directô apud Dominum remanente;* Vasallus enim majus jus, quàm usufructuarius habet, cùm; quia usufructus cum illius persona regulariter extinguitur, *l. Sicut 3. §. fin. ff. Quibus modis Ususfruct. amitt. & §. Finitur 3. Instit. de Usufructu:* Feudum autem transit ad hæredes, §. 4. *cit.* tum verò; quòd usufructus alicui cedi nequeat: &, si cedatur, ad hunc non transeat, sed ad dominum proprietatis revertatur, *l. Si usufructus 66. ff. de Jure dotium:* contrà Feudum alteri locari, imò concedi in feudum sive subinfeudari queat, Feud. *Lib. 2. Tit. 24. §. 2.* 4.

Quartò, ratione Feudi vasallus domino obligatur *ad Fidelitatem*, præci- 5.

puè exigentem; ne dominum in persona, honore aut rebus suis lædat, aut ad læsionem, & damnum ab aliis inferendum consiliô aut factô cooperetur: quin potiùs; ut ea impedire, & ad illatorum reparationem concurrere pro viribus conetur. Est autem Fides, seu Fidelitas, de Feudi substantia, *cit. Lib. 2. Tit. 3. §. fine*; cùm sine ea feudum nequeat acquiri: &, quantumvis juramentum fidelitatis remittatur, vasallus tamen ad omnia in ejus juramento contenta maneat adstrictus: imò non valeat pactum, quô expresè convenitur; ne pro feudo ad fidelitatem exhibendam domino vasallus sit obligatus, Schraderus *de Feud. p. & cap. 2. à n. 25.*

6. Demum idem *Ad Servitia sive obsequia personalia*, intellige, licita & honesta domino, cùm se adversus hostes bellum moventes defensurus aut his bellum illaturus &c. ea exegerit, per se vel, si ipse ob senium, infirmitatem, aut aliam similem causam impediatur, aut ei investiturâ permittatur, per aliũ exhibenda, obligatur, Feud. *Lib. 2. Tit. 23. in fine.* Unde & debita servitia vocantur, *ibid. Tit. 55. pr.* etiamsi feudum, nullâ eorum mentione factâ, sit concessum; cùm, quæ naturaliter insunt, quamvis sint omissa, subintelligantur tamen & pro expressis habeantur, *arg. l. Cùm quid 3. ff. de Reb. credit.* Pacto tamen contrahentiũ, ne pro feudo servitia præstentur, conveniri potest, *Lib. cit. Tit. 104. citt.* Schrader *p. 6. cap. 6. n. 37.* & Rosenthal *cap. 8. conclus. 8. n. 2.*

7. Differt Feudum ab aliis Contractibus plerisque; quòd eô res non ad custodiam vel ad crediti securitatem, ut Depositô, Pignore: neque, ut Precariis, Commodato, Locatione, illâ solummodo utendi aut etiam fruendi facultas: neque ejus plenum, ut Venditione, Permutatione, Mutuô, atque etiam Donatione: sed, sicut Emphyteusi solùm utile dominium in accipientem seu vasallum à domino transferatur. Ab Emphyteusi autem differt; quòd, etsi sicut ista, etiam ipsum Nominatus & stricti Juris Contractus sit: &, sicut Feudô, sic etiam Emphyteusi rei immobilis utile dominium, & aliquando perpetuò transferatur: atque insuper, sicut inter vasallos Feudalia, sic Emphyteutica bona inter emphyteutas dividi, dominô non requisitô, possint: eámque ob causam à Feudo ad Emphyteusin, & viciſſim ab hac ad illud, cùm eadem utriusque ratio, & casus Jure non decisus est, duci valet argumentum, ut videre est apud Everard. *Legal. arg. loco 29. & 30.* Etsi, inquam, ita conveniant, & non una tamen inter utrumque Contractum differentia intercedit; quia imprimis res Emphyteusi ex fine suo primario ad culturam & meliorationem, & sub canonis seu pensionis certis temporibus solvendæ: Feudô autem ea simpliciter & sub Fidelitatis ac servicii ferè incerti &, cùm dominus exegerit, præstandi obligatione conceditur. Deinde in Emphyteusi, etiam simpliciter recepta, de Jure communi tam masculi quàm feminæ, *Novell. 7. cap. 3. pr.* in Feudo autem ita receptô, & eô Jure spectatô, soli masculi succedunt, Feud. *Lib. 1. Tit. 1. §. Hoc autem 1. & Tit. 8. §. Filia 2.* Præterea Emphyteutæ hæres renovationem Emphyteusis petere non tenetur: in Feudo autem à singulis successoribus petenda est Investitura, Feud. *Lib. 2. Tit. 26. §. 4. V. Omnes filii.* Demum, Feudum sine consensu domini alienari nequit, *Lib. cit. Tit. 55.* Emphyteusis autem alienari legari: imò & vendi potest: dummodo venditio denuntietur domino, & hic eam e-

eam emere nolit; c. fin. de Locato. Alias differentias dabunt Feudistæ.

9. Feudi divisiones plurimæ, ex iisque celebriores octo sunt. Prima eáque summa in Proprium & Improprium. Prius, etiam vocatur Rectum, & est, quòd feudi naturam Ordinariam ejúsque substantialia, nullô statutô, consuetudine vel conventione immutata, retinet; quòd ex benevolentia domini, super re immobili, pro hæredibus masculis, subfidelitatis juramentô promissæ & obsequiorum personalium incertorum obligatione, per investituram sit constitutum, & post mortem vasalli ac domini renovandum sit: quòd rei dominium verum seu directum penes dominum debeat remanere, quâsi vel utile dominium transire ad vasallum, à quo neque invito sine culpa auferri, neque sine domini consensu alienari queat: quòd ordinariis & Usibus Feudalibus proditis modis acquiratur & amittatur &c. Posterius sive Improprium & non-Rectum feudum est, quod propriam feudi naturam non habet; quòd huic statutô consuetudine, conventione seu pacto sit derogatum. Unde etiam Degenerans Feudum appellatur, ut vg. feudum Francum & Femineum. In dubio omne feudum Proprium & Rectum esse præsumitur, licet in uno alteróve à feudi Proprii natura degeneret: duñodo in aliis tamen retineat proprii naturam: & aliam contrahentium mentê fuisse non probetur, Decius *in c. Caterum 5. de Judiciis n. 6. in fine*, *citt.* Schrader *cap. 4. n. 73.* & Rosenthal *cap. 2. concl. 14. n. 1. & 2.*

10. Secunda in Ecclesiasticum & Seculare; quorum illud Schrader *p. 2. cap. 3. n. 17.* esse asserit, quodcunque Ecclesia alicui concessit, vel ab alio accepit. Sed, meô quidem judiciô, meliùs laudatus Rosenthal *cap. 2. concl. 5.* & Fagnanus *in c. Verum 7. de Foro compet. n. 29.* pro Ecclesiastico illud solum habent, quod ab Ecclesia sive ejus Prælato de bonis ad Ecclesiam, Monasterium &c. pertinentibus: Seculare autem vocant, quòd à Principe vel alio domino seculari, imò etiam à Prælato Ecclesiastico de bonis patrimonialibus constituitur; ut proinde hac in re non tam persona domini concedentis, quàm bona, sive res immobilis eíve cohærens vel æquivalens in Feudum concessa, an Ecclesiastica vel Laicalis sit, attendatur, ut rectè observat Lud. Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 2.*

11. Tertia in Nobile & non-Nobile: quorum illud possessorem suum sive accipientis personam nobilitat vel, qui prius erat, nobilem esse ostendit; quòd vel annexam habeat jurisdictionem, vel in Nobile conferatur ab eo, qui nobilitandi habet potestatem: ídque exprimatur in literis Investituræ acceptæ ab eo, qui nobilitandi habet posestatem. Istud sive non-Nobile accipientem non nobilitat; quòd vel à persona nobilitandi potestatem non habente, vel sine nobilitatis mentione, sine jurisdictione alióue simili jure sit concessum, *cit.* Rosenthal *cap. 2. conclus. 2. n. 9.*

12. Quarta, quâ Feudum Nobile aliud Regale dicitur, aliud non-Regale. Regale Germanicè **Fahnenlehen** est, in quo ab Imperatore vel alio Superiorem non recognoscente investitus omnem potestatem omnéque jus in terris ad hoc feudum pertinentibus habet, quô in Imperio vel Regno suo utitur Imperator vel ejusmodi Princeps: exceptis duntaxat, quæ huic in supremæ potestatis signum sunt reservata: cujusmodi Feuda in Imperio Romano sunt Electoratus, Archi- & Ducatus, Marchionatus, Comitatus &c. Non-Regale est, in quo vasallus à domino superiorem recognoscen-

te, vel ab Imperatore quidem aut alio simili Principe vel potestate suprema de feudo vg. pago, villa, regalem ejusmodi dignitatem annexam non habente, est investitus, *cit.* Schraderus *cap. 3. n. 3. & 9.* & Haunold. *cit. Tract. 9. n. 608.*

13. Quinta in Ligium & non-Ligium. Prius est, quod ab aliquo superiorem in temporalibus non recognoscente, eóque pacto conceditur, ut juramentò promittat Fidelitatem adversus quemcunque, nemine exceptò, Feud. *Lib. 2. Tit. 99. pr.* ejúsque jurisdictioni se & allodialia sua bona omnia subjiciat, *citt.* Clarus §. *Feudum q. 11. n. 1.* & Rosenthal *cap. 2. concl. 3. à n. 2.* Quare duorum dominorum homo Ligius esse, sive à duobus summis Principibus vg. ab Imperatore & Galliæ Rege, vel ab isto & Hispaniæ vel Angliæ Regibus feuda Ligia simul obtinere nemo potest, juxta illud Christi, *Nemo potest duobus dominis servire*, Matth. *cap. 6. v. 24.* Glossa *in Clement. Pastoralis 2. §. Rursus de Sent. & re jud.* Clarus *q. cit. n. 2.* Posterius sive non-Ligium dicitur feudum, quod vasallus obtinuit à domino superiorem recognoscente eive fidelitatem jurat, aliò exceptò, vg. Imperatore Rege, antiquiore domino, Feud. *Lib. 2. Tit. 7. pr. Tit. 28. & 55. utrobique in fine.*

Ligio extremè opponitur feudum Francum seu liberum, sic nuncupatum; quòd ejus ratione vasallus non obligetur ad ullum servitium domino præstandum, præterquam ad fidelitatem: ad quam tamen & alia in Fidelitatis juramentò contenta vasallus obligatur, etiamsi hujus juramenti præstatio fuerit remissa, *citt.* Rosenthal *cap. 2. conclus. 59. n. 3.* & Schraderus *cap. 4. n. 8.* quò teste hujusmodi feuda in Germania nostra valde frequentia & pleraque sunt, quæ civibus conceduntur; cùm hi ad ullum servitium ratione feudorum suorum dominis exhibendum fere non obligentur.

Sexta in Masculinum & Femininum, vulgo Weiber oder-Gunckhel-Lehen: quorum illud ad mares, istud autem, masculis deficientibus, etiam ad fœminas transit, vel; quòd ex speciali pacto ad eas quoque pertineat, & in investitura expressè actum sit, ut succedere etiam ipsæ valeant, Feud. *Lib. 2. Tit. 30. pr.* vel; quòd à femina originem habeat; in hujusmodi enim feudo, etiamsi id expressè actum non sit, feminas quoque succedere, ex communi aliorum sensu tradunt *citt.* Schrader *p. 2. cap. 4. n. 11.* & Rosenthal *cap. 7. conclus. 25. n. 2.* quod initium sit inspiciendum, & à primordio tituli posterior formetur eventus, *l. Si procuratorem 8. pr. ff. Mandati*; cùm dominus feudum dans feminæ, eam ad successionem habilitare videatur.

Septima in Novum & Antiquum: quorum illud initium habet à persona vasalli, ad quem beneficiò solius domini concedentis, & non ex successione pervenit: illud autem per successionem ab uno ex ascendentibus ad eum est devolutum. Quod, si à persona, vasallo quartò vel proximiori gradu conjuncta, puta ab ejus patre, avo, proavo, abavo originem habet, Paternum: Antiquum autem aliqui illud solùm vocant, quod ab atavo, tritavo vel remotioribus ascendentibus ad vasallum pervenit. Sed cùm hoc ita sit, modernò tamen Jure & effectibus spectatis, inter feudum Antiquum & Paternum vix ullum est discrimen: eámque ob causam à RR. non paucis nec malè confunduntur, Clarus §. *Feudum cit. q. 8. n. 1.* Inter Novum autem & Antiquum valde notabilis differentia est; quòd imprimis in illo succedant soli filii & ex his descendentes: non etiam, his deficientibus, collate-

rales,

rales, Feud. *Lib. 1. tit. 1. §. 2. V. § autem:* qui tamen, Vasallô sine liberis & ab his descendentibus defunctô, ad successionem admittuntur in feudo Antiquo. Deinde; quòd vasallô feudum renuntiante vel sine domini consensu alienante, id, si Novum ad dominum revertatur: si autem Antiquum est, devoluatur ad proximos agnatos; quòd his in tali feudo ex antiquis investituris sit quæsitum jus, cui Vasallus non potuit præjudicare. Feud. *Lib. 1. Tit. 8. §. 1.* Haunold. *cit. Tract. 9. num. 596. & 599.*

16. Octava in Hæreditarium, Gentilitium seu Familiare, & Mixtum: quorum primum Vulgò Erbschen vocatur, & Vigore investituræ alicui pro se & hæredibus quibuscunque, tam extraneis quàm suis, est concessum. Alterum sive, ut etiam nuncupatur, Feudum ex pacto & providentia, vulgò Stammenlehen/ quod aliquis pro se, & filiis seu liberis, nullâ hæredum mentione factâ, obtinuit. In priori ut quis succedat, sufficit, quod sit hæres: in posteriori autem, exigitur quòd sit filius vel descendens masculus, etiamsi hæres non sit, Clarus *§ cit. q. 9. n. 2. & 3.* Tertium sive ex Hæreditario & Gentilitio seu Familiari Mixtum feudum participat de utroque; quòd alicui concessum sit pro se & filiis hæredibus: in quo non succedunt nisi mares, in quibus utraque qualitas, scilicet sanguinis sive agnationis & hæreditatis jura concurrunt, Clarus *q. cit. n. 4. & 9.* & Engel *§. 1. n. 8.*

ARTICULUS II.
De Feudis ab Ecclesia concessis.

SUMMARIUM.

17. *Feuda de re Allodiali quicunque,*
18. *Etiam fœmina & Clerici concedunt.*
19. *Hîs tamen de re Ecclesiæ Infeudatio,*
20. *Et Subinfeudatio non nisi cum solennitate permissa est:*
21. *Nisi res sint exigui valoris,*
22. *Vel in feudum dari solita:*
23. *Quas liberè concedunt, Constitutione Pauli II.*
24. *Et juramentô de non infeudando, non obstantibus*
25. *Specialis ratio est prohibitæ infeudationis ejusmodi decimarum.*
26. *Quæ res infeudari solita sit, varie Doctores sentiunt,*
27. *Et conciliantur,*
28. *Permissâ liberâ infeudatione rei, à quadraginta annis,*
29. *Vel semel solenniter infeudatæ.*
30. *Etiam Capitulum infeudat res proprias:*
31. *Non, quæ ipsi & Prælato sunt communes.*
32. *Prælatis infeudatio aliquando non permissa est vi Statuti &c.*
33. *Uti &, si mutatus rerum status,*
34. *Vel res facta sit Mensalis.*
35. *Qualis in dubio res immobilis censetur,*
36. *Et evadit expressâ vel tacitâ,*
37. *Imò præsumptâ Prælati declaratione.*
38. *In rei infeudatione modus non excedi,*
39. *Neque res transferri in potentiorem potest:*
40. *Nisi à Vasallo nequeat recuperari.*
41. *Feudum nondum apertum in casum apertionis promitti potest,*
42. *Aliena mortis captandæ periculo non obstante.*
43. *Ea tamen promissio non obligat Prælati successorem:*
44. *Licet obliget hæredem promittentis.*

45. *Obligat etiam successorem, quando promissio facta est cum consensu Capituli,*
46. *Spectata saltem Ratione satis efficaci,*
47. *Et Juris textus explicante.*

17. FEuda antiquitus contulerunt solus Imperator, Rex &, qui magistratum creandi & belli gerendi potestatem habebant, Corvin. *Jur. Feudal. Tit. 4. pr.* Cum tempore tamen etiam alii, & demum quicunque rerum suarum Allodialium liberam administrationem habent, eas infeudandi, imò & in feudum acceptas subinfeudandi obtinuerunt potestatem, Feud. *Lib. 2. Tit. 3. pr. & Tit. 35.*

18. Neque soli mares, ut olim: sed & fœminæ, tam de feudo, quàm de re sua Allodiali & propria alium investire possunt, *cit. Tit. 3. §. 1. V. Fœminam quoque:* nisi impudicè & luxuriosè vivant, bonáque sua dilapident, *arg. l. Et mulieri 15 ff. de Curat. furios.* Zasius *Epitom. de Feud. p. 5. n. 33.* & Schrader *de Feud. p. 2. cap. 1. n. 59.*

Neque laici duntaxat, sed cleri quoque feuda concedere possunt de bonis suis patrimonialibus vel quasi, sive ea propria sive feudalia sint, *cit. Lib. 2. Tit. 35.* non de rebus suarum Ecclesiarum; cum istas, etiamsi de novo acquisitæ sint, Epi-
19. scopi Abbates cæterique Ecclesiarum Prælati & rectores, sicut alienare, sit etiam infeudare sine justa causa & Juris solennitatibus disertè prohibeantur Decretô Urbani II. relato Feud. *Lib. 1. Tit. 6. pr. & Extravag. Ambitiosa de Reb. Eccles. alien.* Ratio est; quia rei infeudatio alienationis rationem multò magis habet, quàm ejus concessio in emphyteusin: multóque difficiliùs illa permittitur Prælatis: idque non solùm; quod propiùs accedat ad naturam beneficii & donationis, *cit. Lib. 2. Tit. 23. V. Imprimis,* Prælatis, tanquam rerum Ecclesiasticarum non dominis, sed solum administratoribus, *c. Fraternitatem 2. de Donat.* specialiter interdictæ, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. &c. de Iis quæ à Prælat. &c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* sed etiam quòd res feudalis ad Ecclesiam difficilius quàm emphyteutica revertatur; cum per infeudationem prædio vel aliâ re immobili aut huic æquivalente fruendi jus perpetuum transferatur in accipientem, *V. Imprimis cit.* Clarus §. *Feudum q. 4.* & Laiman *Tract. de Alienat. Rer Eccles. cap. 5. n. 92.*

Sicut Ecclesiæ vel Monasterii sui res proprias infeudare, sic etiam res in feudum ab iis acceptas subinfeudare, hoc est, in iis feudum aliis constituere, nisi præter justam causam Juris solennitates interveniant, Prælati non possunt: etiâm, intervenientibus id nomine Ecclesiæ vel Monasterii sui ipsis non minùs, quàm alii sit permissum, Rosenthal *de Feud. cap. 4. concluf. 15. n. 2.* & Laiman *l. cit.*

Excipiendæ tamen sunt Primò res modicæ, hoc est, exigui valoris, ut terrulæ, vineolæ &c. quæ eô ipsô, quòd permutari aut aliter distrahi, valeant, *can. Terrulas 12. q. 2.* ut dictum *Tit. 13. n. 31.* etiam infeudari poterunt, *cit.* Rosenthal *concl. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 20.* Secundò, aliæ res Ecclesiasticæ, in feudum vel etiam in emphyteusin dari solitæ; has enim per obitum vasalli sine masculis hæredibus decedentis, vel ob delictum aut feloniam ab ipso commissam, ad Ecclesiam reversas Prælati, si expedire judicaverint, denuo infeudare, aut in emphyteusin dare, etiam nullis solennitatibus adhibitis, permittuntur *c. Ex parte 2. V. In primo;* quòd hujusmodi iterata concessio non alienatio & infeudatio

NOVA

libra, sed potiùs antiquitus aut priùs legitimè decretæ alienationis sive infeudationis executio censeatur; cùm, quando rei in feudum vel emphyteusin concessio cum consensu Capituli &, Novo Jure etiam Apostolica authoritate intervenientе, semel decreta fuit, decretô illô ordinarum esse videatur; ut in posterum res illa, Ecclesiæ vel Monasterio aperta, in feudum vel emphyteusin denuo concedatur, & alienatio continuetur, Panormit. *in c. Ut super 8. de Reb. Eccles. alien. n.* 11. Curtius Jun. *de Feud. p. 2. q. 1. V. Quartò* & Rotæ decis. alleg. Barbosa *in c. Ex parte cit. n. 6.*

23. Neque exceptiones istæ cessant post *Extravag. cit.* quia istius textu consensus Apostolicus non exigitur *In casibus Jure antiquo permissis*, cujusmodi est *can. Terrulas cit.* relatus, & *In rebus ac bonis in feudum vel emphyteusin solitis concedi, c. Ex parte cit.* etiam in Prælatis ad requirendum in infeudatione vel alia alienatione consensum Apostolicum propriô juramentô obligatis, *c. cit.* Ratio est; quia hujusmodi ipsorum juramentum solùm refertur ad res non-feudales, & quarum dominium, tam utile quàm directum, penes Ecclesiam est: non autem ad bona in feudum vel emphyteusin dari solita: & propterea ista ad Ecclesiam, etiam quoad dominum utile reversa, in feudum vel emphyteusin dari denuo possunt, juramentô illô non obstante, ut *in c. Ex parte cit.* cum Joan. Andr. *n.* 1. Panormit. *n. 3.* notat Fagnanus *n. 5.* & tradit *cit.* Rosenthal *concl.* 21. *n.* 22.

24.

25. Neque exceptioni posteriori adversatur; quòd Episcopus denuo laicis infeudare nequeat decimas, ante ipsum infeudatas & ad Ecclesiam reversas, ut cum Joan. Andr. *in c. Prohibemus 19. de Decimis* docent Curtius Jun. *cit. p. 2. q. 8. n. 5.* & Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præs. 86. n. 3.* quòd à Concilio Lateranensi laicis concedi generaliter prohibeantur, *c. cit. c. cùm Apostolica 7. de Iis quæ à Prælat. & c. Statutô 2. §. Sanè de Decimis in 6.* quia non desunt, qui contrarium defendant cum Glossa *in c. Prohibemus cit. V. Laicos* & Zabarella *in c. Ex parte cit.* quòd hujus textûs, res ad Ecclesiam reversas denuo infeudari permittentis, dispositio generalitatem Concilii Lateranensis ad decimarum novam, non antè legitimè decretam, concessionem restringat. Et, si istorum DD. opinio, tanquam à mente laudati S. Concilii, propter maximum præjudicium, quod Ecclesiæ imminere animadversum est, decimas omnes à laicis ad Ecclesias redire, & devolutas penes istas remanere volentis aliena displiceat, tamen vim magnam non habet à decimarum laicis denuo infeudandarum prohibitione deductum argumentum; quia id in decimis specialiter cautum est; quòd rerum statu cum tempore mutatô, eas apertas reinfeudari hodie non ampliùs expediat Ecclesiæ, prout ad novam infeudationem desideratur *c. Ex parte cit.*

Dubium hoc locô & dissensio inter 26.
DD. est, quando res infeudari solita censeatur ad effectum, ut Ecclesiæ vel monasterio aperta reinfeudari, vel in emphyteusin denuo & liberè dari à Prælato possit. Sunt enim, qui unam duntaxat solennem ejus infeudationem vel emphyteuticationem sufficere; ac proinde rem semel ita concessam, quandocunque ad Ecclesiam revertatur, reinfeudari vel in emphyteusin denuo liberè dari posse, velint cum Panormit. *in c. Ut super cit. n. 11.* & Alexand. *Lib. 2. Consil. 188. n. 29.* Aliqui, præter solennem ejusmodi concessionem, exigunt tempus ad Consuetudinem requisitum, vel triginta aut quadraginta annorum, vel cujus initii memoria non existit, apud Clarum §. *Feudum q. 13. n.*

q. 13. n. 4. & Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubrica 33. q. 10. n. 2.* Alii cum Jacobo de Beluis. *in Feud. Lib. 1. cap. 1.* quem etiam Clarus *l. cit.* & Balbus *de Præscript. 1. p. 5. p. pr. q. 20.* sequuntur, præter quadragenarii temporis lapsum exigunt; ut intra hoc temporis spatium res saltem bis duobus diversis temporibus in feudum vel emphyteusin fuerit concessa. In tanto dissidio & re valde incerta.

27. Ego cum Nicolao Everardo *Vol. 2. Consil. 19 n. 16.* adhibendam censeo distinctionem, & considerandum, utrum rem, de qua reinfeudanda agitur, ex justa causa & intervenientibus Juris solennitatibus in feudum vel Emphyteusin aliquando concessum constet, vel, an hujusmodi solennis concessio præcesserit, dubium & incertum sit.

28. Et posteriori quidem casu sive, cùm de hujusmodi concessione aliquando facta non constat, ut à quadraginta annis in feudum vel emphyteusin data sit, exigi, primæ Sententiæ Assertoribus haud ægrè concedo cum Barbosa, id à Rota pluries decisum testante in *parte cit. n. 4.* Ratio est; quia tali saltem casu liberæ reinfeudationis permissio fundatur in infeudandi consuetudine, juxta Feud. *Lib. 1. Tit. 1.* cujus *pr.* Episcopus, Abbas & similes personæ Ecclesiasticæ in feudum dare posse dicuntur, *Si antiquitus consuetudo fuerit.* Consonat *Extravag. cit.* infeudationem & contractum emphyteuticum sine consensu Apostolico permittens de rebus & bonis, *Ab antiquo solitis concedi.* Ad legitimam autem consuetudinem, quâ res Ecclesiarum infeudari ab antiquo solitæ, sicut ut contra eas præscriptæ dicantur, exigitur lapsus quadraginta annorum, *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. c. Illud 8. de Præscript.* ut rectè advertit Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 45.* quantumvis aliàs ad consuetudinem contra legem etiam Ecclesiasticam introducendam regulariter decennium sufficere concedat. Porro, ut hoc casu Prælatus in infeudandi quasi possessione constituatur, unicum actum sufficere, RR. aliqui volunt cum Andr. de Isernia *in Feud. cap. 9. cit.* & Rebusso *de Reb. Eccles. non alien. n. 33.* etsi, ut res ab antiquo infeudari solita dicatur, DD. frequentiori calculo duos actus requirant.

Priori autem casu sive, cùm rem in feudum vel emphyteusin aliquando solenniter concessam, esse, constet, eam quandocunque, etiam post breve tempus ad Ecclesiam vel Monasterium reversam reinfeudari aut in emphyteusin denuo ac liberè, sive non repetitis solennitatibus, dari posse, censeo cum *citt.* Panormit. Alexand. Isernia Redoano & Everardo, pro hac sententia magnam & præcipuorum in Jure Feudali Doctorum authoritatem allegante *l. cit. & n. 5.* Eadem desumitur ex rescripto Innocentii III. *c. Ex parte cit.* feudi, vasallô decedente ad Ecclesiam reversi, iteratam concessionem Prælato, *Si expedire viderit*, liberè permittentis, sine ulla ullius temporis, primò factæ concessionis, aut istius iterationis mentione, non obscurô indiciô, rem etiam semel dimtaxat legitimè infeudatam, quandocunque ad Ecclesiam revertitur, reinfeudari liberè posse, juramentô de non-infeudando vel aliter alienando non obstante. Ratio est partim; quia Ecclesiæ vel monasterii res, ex justa causa semel alienabilis effecta cum solennitate, illâ causâ durante perpetuò alienabilis facta censetur, secundùm Bartol. *in l. Pater 38. §. Quindecim 5. ff. de Legat. 3.* Riccium *in Praxi decis. 26.* & Franc. Leonem *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap 15. n. 3.* partim verò; quòd ejusmodi juramentum à Prælato præstitum intelligatur de rebus Mensæ incorporatis cujusmo-

cujusmodi non sunt, quas in feudum vel emphyteusin solenniter datas constat, Rosenthal. *cap. cit. concluſ. 29. n. 1.* Fagnanus *in c. Ex parte cit. n. 7. & 9.*

Neque adversantur *c. 1. & Extrav. citt.* textus; quia imprimis uterque, ut cum aliis Juribus concilietur, exaudiendus est de casu, quò infeudationem solennem præcessisse, non constat: eóque, ut res ab antiquo infeudari solita sit, ita exigit; ut ad Ecclesiam reversæ rei aliquando solenniter infeudatæ liberam & ab omni solennitate absolutâ reinfeudationem non excludat, ut antè laudatus Everardus *n. 12.* observat. Deinde; quia *Extravag. cit.* circa infeudationem & contractum emphyteuticum, præter consensûs Apostolici sub gravibus pœnis requirendi necessitatem, Jus antiquum non correctum; ac proinde *c. Ex parte cit.* dispositio integra relicta est, per tradita à Quaranta *in Summa Bullar. de Alienat. rer. Eccleſ. n. 5.* & Pirrhing *supra cit. Tit. 13. n. 54.*

30. Dubium secundo & non minoris momenti controversia est, an res feudales vel emphyteuticas, ad Ecclesiam vel monasterium reversas, denuo infeudare vel emphyteuticare, sede Vacante, Capitulum possit. Dubitandi ratio est; quòd infeudatio sit species Alienationis, *arg. c. Nulli & Extravag. citt.* & liberalitatis, *V. Imprimis cit.* de Ecclesiæ rebus, sede vacante, Capitulo non permissæ, juxta *dicta Tit. 9. n. 26.* Sed hæc ratio non obstat, quô minùs *c. Ex parte cit.* dispositio ex parte etiam in Capitulo procedat: Quare dubium resolvendum est ope distinctionis inter res feudales & dari solitas in Emphyteusin.

Et quidem si, ut in pluribus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ nostræ, ejusmodi res inter Prælatum & Capitulum omnino divisæ sint: istud, sicut res proprias in feudum Vel emphyteusin semel legitimè concessas, & quomodocunque ad se reversas, sede Vacante, infeudare liberè potest, secundùm Redoanum *Rubr. cit. q. 7. §. His paucis n. 5.* & Rosenthal *cap. cit. concluſ. 26.* sic ejusmodi vacationis tempore infeudare nequit à suis separatas & proprias Prælaturæ, Redoan. *l. cit.* Ratio prioris est; quia talis infeudatio & emphyteuticatio ipsi permissa est, sede non vacante; cùm earum plenam habeat administrationem, ut insinuatum est *cit. Tit. 9. n. 41.* Posterioris autem; quia Capitulum sede vacante non succedit in juribus, quæ speciali & extraordinario Jure competunt Prælato, ut *in c. Verùm cit.* Regulæ instar traditur à Joan. Andr. *n. 9.* Panorm. *n. 8.* & Felino *n. 2.*

Si verò ejusmodi res & bona feudalia Prælato & Capitulo communia sint, 31.
ea vacante sede ad Ecclesiam reversa denuo infeudandi potestatem Capitulo competere, volunt Laiman *Tract. cit. n. 94.* & Pirrhing *ad hanc Rub. n. 20. arg. c. Unic. Ne sede Vac. in 6.* &, quòd de ortis, controversiis feudalibus, dum sedes vacat, cognoscere Capituli sit. Verùm, quia ex *c. cit.* argumentum legitimè duci, & quæstionum super feudis, ad Prælatum & Capitulum indivisim spectantibus, in judicium deductarum cognitionem Capitulo competere, cum Glossa *in c. Verùm cit. V. Quæstio mota* & Hostiens. *V. eôdem arg. c. Verùm cit.* alii negant, teste Barbosa *in c. cit. n. 3.* probabiliùs, etiam hujusmodi res feudales, sede vacante, apertas liberè infeudari à Capitulo non posse: sed defuncti Prælati successori reservandas, existimo cum Schradero *de Feud. p. 4. cap. 2. n. 32.*

Ab hactenus declarata & in *c. Ex* 32.
parte cit. fundata quasi Regula de rerum feudalium & emphyteuticarum Ecclesiæ apertarum libera reinfeudatione Prælatis

permissâ, excipiendi sunt varii casus, & Primò quidem is, quò Ecclesiæ alicujus speciali Consuetudine vel Statutò introductum est, aut Prælatum & Capitulum inter inita fuit conventio; ut ad rerum feudalium aut emphyteuticarum, ad Ecclesiam vel monasterium reversarum, novam concessionem sine Capituli consensu non procedatur; nam speciale hujusmodi jus vel conventionem observandam, ex communi DD. sensu & rectè monet Rosenthal *cit. cap. 4. conclus. 22. n. 4.*

33. Secundò casus, quò mutatò rerum statu infeudationis, vel emphyteuticationis causa cessavit, ut rem feudalem vel emphyteuticam, Ecclesiæ vel monasterio apertam, denuo concedi illis jam non expedire aut damnosum videatur, vg. si causa sufficientis defensionis adversus hostiles incursus aliàs deficientis, ob quam castrum vg. olim infeudatum fuit, eò per vasalli mortem ad Ecclesiam reversò, omnino cessavit: vel, si fundus cùm in emphyteusin primò & solenniter concederetur, omnino sterilis fuit & incultus: quando autem ad Ecclesiam rediit, ad culturam redactus & fertilis sit; ut jam eum ab Ecclesia propriis sumptibus coli expediat: vel, si Ecclesia primæ concessionis tempore locuples, cum tempore redacta sit ad inopiam; cum enim tali casu rem Ecclesiasticam infeudandi vel emphyteuticandi causa non amplius subsit, ad Ecclesiam vel Monasterium reversa denuo infeudari vel in emphyteusin dari sine solennitate non potest, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat.* imò *& c. Ex parte cit.* ibi, *Libere, si videris expedire*, cum Panorm. *in c. Ut super cit. n. 11.* docent Redoan. *cit. q. 7. §. Verùm quia n. 3. & 4.* Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 14. q. 7. n. 4.*

34. Tertiò casus, quò res, in feudum vel emphyteusin solenniter data aut dari solita, Ecclesiæ Mensæ fuit incorporata; cùm enim per talem incorporationem utile dominium consolidetur cum directo, infeudari vel in Emphyteusin dari, nisi exigente aut suadente justâ causâ & adhibitis Juris solennitatibus, amplius non potest, Schraderus *cit. p. 4. cap. 2. n. 25.* Rosenthal *cit. cap. 4. conclus. 33. n. 1. &* Tamburin. *q. cit. n. 4.*

Quando autem res, in feudum vel emphyteusin concedi solita, pro Mensæ incorporata sit habenda, controversa ab DD. aliter atque aliter sentientium, magna varietate agitata. Cujus accuratiori discussione Juris Feudalis Interpp. ac DD. relictâ, ea duntaxat referre libet, quæ istorum frequentiori calculò sunt approbata. Et primò quidè ea bona, quorum dominium, tam utile quam directum, penes Ecclesiâ stabiliter residet, ea de ejus Mensa: & in dubio talia potiùs quàm feudalia, nisi contrarium probetur, esse præsumi, unanimis omnium sensus est, *cit.* Rosenthal. *conclus. 34. n. 2.* præsertim, si ea ex fidelium liberalitate, contractu alióve simili modò primùm essent comparata, Panormit. *in c. Ut super cit. n. 10.* & Everard. *cit. Consil. 19. nu. 23.* quòd hæc Ecclesiæ oblata, ab eâve comparata censeantur intuitu Utilitatis, *arg. can. Videntes 12. q. 1.* & ista reliquerectus ad dominum & possidentem potiùs quàm ad alium pertinere videantur, Mascard. *de Probat. Conclus. 203. n. 6.* Secundò, bona etiam, quæ feudalia & emphyteutica fuisse constat, talia esse desierunt & Mensæ incorporata censentur, si postquam reversa sunt, eorum fructus ab Ecclesia vel monasterio quadraginta annis sint collecti: aut à Prælato cum consensu & approbatione Capituli, aut etiam istò inconsultò, Mensæ aliquando expresè applicentur declarandò, ea in feudum vel emphyteusin non amplius concedenda.

cedenda, sed penes Ecclesiam vel monasterium perpetuò mansura, Panormit. *l. cit.* Bartolus *in l. Si Vacantia 5. C. de Bonis vacant. n. 9.* Menoch. *Consil. 79. n. 10.* & Everardus *l. cit. n. 35.* Ratio est partim; quòd, id decernere, Jure nuspiam prohibitum Prælato; ac proinde, cùm ita favori tantùm suo renuntiet, permissum sit, *arg. c. Si de terra 6. de Privileg. & l. Si quis 29. C. de Pactis:* partim verò; quòd ejusmodi declaratio & liberæ alienationis cessio tendat in favorem & utilitatem ipsius Ecclesiæ, istiúsque res & bona immobilia ad primævam suam naturam redeant, & liberè inalienabilia evadant. Tertiò, ejusmodi in feudum vel emphyteusin concedi solita aut aliquando solenniter concessa bona Mensæ incorporata censentur, si postquam aperta sunt, ab ipso Prælato vel, eò jubente aut sciente solummodo & patiente, per Officiales ad id constitutos relata sint in libros & registra, quibus cæteræ res & possessiones ad Ecclesiæ Mensam pertinentes describptæ referuntur, secundùm *citt.* Bartol. *n. 9.* Menoch. *n. 14.* & Schrader. *cap. 2. n. 24.* Ratio est; quòd res talis esse & effecta præsumatur, quales sunt, quibus connumerata, aut quas inter est descripta,
37. Mascard. *l. cit. n. 12.* Quartò, cessante hujusmodi expressâ vel tacitâ declaratione, ut eadem Mensæ applicata præsumantur, DD. aliqui, ut postquam ad Ecclesiam reversa sunt, triginta vel omnino quadraginta: alii, ut saltem decem annis propriis sumptibus culta sint, requirunt. Alii sufficere volunt, si ex iis ita cultis fructus unô annô sint collecti, apud *citt.* Rosenthal. *à n. 9.* & Mascard. *à num. 13.* quantum tempus exigatur & sufficiat, arbitrio judicis non obscurè permittentes ac monentes, casu, quô de causa, ob quam ejusmodi ad Ecclesiam devoluta bona à Prælato in feudum vel emphyteusin denuo concessa sint, non constat, vg. quòd bellô vel aliô modô legitimè fuerit impeditus, vel idoneum Vasallum aut emphyteutam non invenerit, ea Mensæ incorporata ex solo unius vel plurium annorum lapsu non censeri.

Quartò demum excipiendus est ca- 38.
sus, quô in re, postquam ad Ecclesiam reversa est, in feudum aut emphyteusin iterum danda excederetur modus priùs solenniter decretæ aut ab antiquo solitæ concessionis ita; ut nova concessio Ecclesiæ damnosa aut minùs quàm olim utilis foret: quod contingeret, si res antè concessa ad emphyteutæ vitam, nunc ad duas vel tres ejus generationes extenderetur: si illa vel etiam res feudalis antè concessa pro masculis vel consanguineis tantùm, nunc ad fœminas vel extraneos porrigeretur; hujusmodi enim feudum vel emphyteusis sine prævio tractatu cum Capitulo, istiúsque consensu & superioris approbatione à Prælato constituta, saltem quoad excessum, irrita foret, ut à Rota iteratò, & toties à Camera Imperiali judicatum, *citt.* Tamburinus *q. 7. n. 2.* & Rosenthal *concluf. 27. n. 1.* testantur.

Eôdem modô res feudalis propter 39.
Vasalli vg. delictum commissa & Ecclesiæ aperta, non nisi solennitatibus adhibitis, per novam investituram transferri potest in Potentiorem; quòd hujusmodi translatione Ecclesiæ conditio difficilior reddatur, Laiman *l. cit. n. 93.*

Neque obstat *c. Ex parte cit. §. Alia* 40.
quoque & §. fin. textus; quia iste continet casum & favorem Ecclesiæ specialem: quô feudum à vasallo, vg. illud inluper habitâ Ecclesiâ alienante, ad hanc devolutum propter illius potentiam, facilè nequit recuperari; tum enim id alicui potentiori idque recuperare valenti, etiam non adhibitis solennitatibus, concedere Prælatus permittitur Rescriptô Innocen-

tii III. §§. *citt.* relatô; quòd Ecclesiæ meliùs & utiliùs sit, habere Vasallum, feudum ab ipsa acceptum recognoscentem, quàm alium, qui minùs quidem sit potens, directum tamen dominium ipsi neget, Vivianus *in* §. *fin. cit.* & Rosenthal *cit. concluſ. 16. n. 2.*

41. Dubium tertio est, an rei feudalis, quæ ad Ecclesiam vel monasterium reversa in feudum denuo concedi à prælato liberè potest, à vasallo adhuc possessæ reinfeudatio in apertionis casum alicui promitti Jure possit. Non posse, suadet in utroque Jure fundata ratio; quòd sit promissio de successione viventis, scilicet de concedenda Investitura feudi ab alio adhuc possessi: cujusmodi promissio ullam obligandi vim non habet; cùm ansam & occasionem præbeat voto captandæ vel optandæ mortis alienæ: & propterea, tanquam periculosa & tristissimi eventûs plena bonisque moribus repugnans, irrita sit Jure utroque, reprobante pactiones initas de successione & hæreditate viventis, *l. Stipulatio 61. ff. de O. & A. & l. fin. C. de Pactis* & beneficiorum necdum vacantium collationes ac promissiones, *c. 1. c. Nulla 2. c. Relatum 3. de Conceſſ. Præb. non vac. & c. Deteſtanda 2. eâdem Rubr. in 6.*

Sed rationi huic prævalent Feudorum Usus *Lib. 1. tit. 3. V. Sed ſi illa, Lib. 2. tit. 26. §. Moribus 2. V. Niſi ſibi & tit 35. V. Ubi verò*, quibus locis ejusmodi promissionem subsistere, eámque feudô sibi apertô à promittente adimplendam, diserte habetur, & inde etiam suadetur; quòd *c. Ex parte cit. V. In primo* Prælato stabilita sit facultas, res in feudum concedi solitas, & ad Ecclesiam reversas liberè reinfeudandi; ac proinde etiam Investituram in reversionis sive apertionis casum, sua administratione durante eventurum, promittendi; cùm regulariter, quæ Jure concedi possunt, in casum quô concedi, etiam promitti, si specialiter prohibita non sint, valeant: & casu, in quem promissio collata est, eveniente debeant præstari, *c. 1. c. Qualiter 3. & l. 1. ff. de Pactis.*

Neque huic resolutioni quidquam officit contra feudi necdum aperti promissionem deducta ratio, partim; quia captandæ vel optandæ alienæ mortis periculum, ejúsque voti ansa in feudis non consideratur, ut notat Zasius *p. 6 de Feud. n. 21.* &, si in his quoque ejusmodi ratio haberetur, Investituræ feudi in apertionis casum à laico factâ promissione neque ipse neque ejus hæres teneretur, contra expressos textus *citt. tit. 3. V Laicus vero* & §. *Moribus 2. pr.* &c. partim verò, quia de viventis successione initæ pactiones &c. alienæ mortis votum non per se & ex fine suo, sed præter intentionem paciscentium & merè per accidens indicunt, per tradita *Lib. 1. tit. 35. n. 52.* atque idcirco non adversantur bonis moribus præceptis Jure Naturali & Divino, sed humano duntaxat: quô ipsô etiam substitutiones & fideicommissi, usûs fructus ad vitam alicui concessus & contractus alii in eventum mortis rectè contruntur.

Dubium quartò est, an in casum mortis vasalli à Prælato facta feudi promissione adstringatur ejus successor; ut illud sibi apertum promissario conferre teneatur. Non teneri, exploratum & elaboratum est *citt. tit. 3. pr. §. Moribus 2. V. Secus est & tit. 35. V. Cúmque*, quibus Juris feudalis textibus discrimen statuitur inter feudorum dominos Laicos & Ecclesiasticos; &, sicut ab illis factas feudorum promissiones hæredes ratas habere & ad implere teneri, asseritur: sic id de Ecclesiasticorum successoribus diserte negatur. Ratio est partim; quia Ecclesiarum

rum & Monasteriorum Prælati Antecessoribus suis non, ut defuncto hæres in Universum, sed in Ecclesiasticum duntaxat jus succedunt, *c. 1. c. Relatum 12. de Testament.* neque dignitatem suam perinde, ut ille, hæreditariò & à defuncto acceptò, *can. Plerique 5. can. Apostolica 7. & 8. q. 1. & c. 1. de Prabend.* sed Electionis vel Postulationis à superiore confirmatæ vel admissæ alióve Canonicæ institutionis jure consequuntur, arg. *Regula 1. in 6.* Glossa *fin. in c. 1. de Solut. ubi* Panormit. *n. 1.* & Gonzalez *n. 5.* Is autem, qui ejusmodi institutionis jure seu titulo dignitatem consequitur, ac proinde nullam ab Antecessore causam habet, ejus factum præstare & promissionem implere non tenetur, Baldus & Jason *in l. 1. ff. de Constit. princip. n. 14.* partim verò; quia, cùm Prælati rerum ad Ecclesias suas pertinentium non domini, sed procuratores tantùm sint, *can. fin. 12. q. 1. & c. Fraternitatem 2. de Donat.* rerum præsentium duntaxat &, dum ipsi vivunt, emergentium administrationem ac dispositionem habent: non futurarum & post mortem suam gerendarum, *arg. l. Meminisse 10. ff. de Offic. Proconsul.* & successorum suorum administrationi præjudicare; ac proinde de feudo, post mortem suáque administratione jam finitâ ad Ecclesiam vel Monasterium reversuro, disponere non possunt, Innocent. *in c. 1. de Majorit.* Vulteius *Lib. 1. de Feud. cap. 10. n. 16.* & Zasius *p. 6. cit. n. 19.*

45. Dubium quintò est; an ejusmodi, sui in prælatura Antecessoris, promissione, etiam cum Capituli consensu factâ, successor non teneatur; id enim etiam proditum videtur textibus ex Feudali Jure allegatis: qui omnes cùm Prælatorum successores antecessorum suorum Investituras, quas Abusivas DD. vocant, & ab his factas feudorum necdum apertorum promissiones adimplere, apertionis casu post promittentium mortem sibi occurrente, non teneri, asserant generaliter, & inter ejusmodi Investituras feudíque promissiones cum vel sine Capituli consensu factas non distinguant, generaliter & indistinctè sunt exaudiendi; quòd, ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, per Regulam *l. De pretio 8. ff. de Public. in rem act. & can. Consuluisti 2. q. 5.* Juris textibus accedit ratio, quâ firmata est Resolutio proximè expeditæ dubitationis.

Sed, istâ & textibus illis non obstantibus, ejusmodi promissione etiam successorem obligari, cùm Joan. ab Anania *in c. fin. Ne prælati vices §. Sed si principaliter* & Zabarella *Consil. 99. §. Sed etiam alio* defendunt *in Tract. suis de Feudis* Afflict. *in Tit. 3. cit. n. 6.* Vulteius *cit. n. 16.* Rosenthal *cap. 6. concl. 16. n. 7.* Schrader. *p. 3. cap. 2. n. 36.* Hartman. Pistor. *QQ. Jur. Lib. 2. q. 27. à n. 30.* cum relatis post *q. cit.* Collegiis Jurid. Lipsienſi *n. 15.* & Francoford. *n. 11.* Carpzovius *Jurisprud. Forens. p. 2. Constit. 45. def. 7. n. 5.* & alii: quorum hac de re sensus eâ nititur ratione; quia Regulæ instar est, pactionibus & aliis actibus, à Prælato cum Capituli sui consensu gestis, etiam successores stare, eósque adimplere teneri, ut patet in exemplis Debitorum, in casu licito contractorum, quæ solvere, *c. 1. de Solut.* Locationis rei immobilis, quâ cum Capituli consensu facta stare successor tenetur, Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. q. 5. §. Primò n. 24.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 15. n. 6.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 466. n. 7.* Depositi, ratione cujus, cum Prælati & Capituli consensu recepti, Ecclesia & in istius Prælatura successor conveniri potest, jux-

est, juxta dicta *tit. 16. n. 19.* &c. Unprælatum in successorum præjudicium aliquid decernere, licet solus nequeat, cum Capituli tamen consensu posse, rectè notant *citt.* Afflict. *Decis. Neapolit.* 101. & Pistor. *q. 27. n. 22.*

46. Ratio horum & Resolutionis est; quia ex una, pactiones, promissiones aliáque acta à Prælato cum consensu Capituli, ab ipsa Ecclesia vel monasterio gesta: & ejusmodi promissione vel actu alio contracta obligatio Capitularis consensus accessione ex personali in realem transire censentur; quòd Prælatus cum Capitulo ipsam Ecclesiam vel Monasterium repræsentet, & quodammodo constituat, *can. Scire 7. q. 1. & c. Relatum 12. de Testam.* quô textu Innocentius III. *Ecclesiæ nomine, ubi Clericorum Collegium est, venire*, ait, *communem Congregationem*, scilicet Capitulum seu Conventum vel Prælatum cum Capitulo seu Conventu, tanquam fictum Corpus Ecclesiasticum, cujus caput Episcopus vel Abbas, membra Canonici vel Monachi sunt, *c. Novit 4. de His quæ à Prælat. ubi* Panormit. *n. 2.* & Tuschus *Practic. V. Ecclesia conclus. 19. n. 1.* Ex altera verò parte, Ecclesia & Monasterium pactionibus aliisque actibus suis stare, eósque adimplere tenetur; ne datam fidem fallere, & secum pacíscentes fraudare videatur, contra textũ *c. Per tuas 5. de Donat.* & contra Æquitatẽ Naturalem, à qua cum fidem datam fallere alienum sit, *l. 1. pr. ff. de Pactis*, id vel maximè alienum erit ab Ecclesia, quæ Justitiæ cultrix & auctrix esse debet, Feud. *Lib. 1. tit. 13. V. Sed diversum:* & pacta custodiri atque adimpleri severè præcepit, *c. 1. c. Qualiter 3. de Pactis & c. Novit 13. V. Licet autem de Judiciis.*

Confirmatur hæc ratio; quia eô ipsô, quòd pactione & promissione, à Prælato cum Capituli cõnsensu facta, stare Ecclesia, eâ stare etiam ejus rerum administrator, sicut, Antecessor, sic & Successor tenetur, cùm; quia morte & mutatione Prælati, administratoris sui, Ecclesia non moritur vel mutatur, *can. Liberti 12. q. 2. c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6. & l. Jubemus 14. in pr. fin C. de SS. Eccles.* sed eadem semper & invariata manet, *arg. l. Proponebatur 76. ff. de Judiciis:* tum verò; quia, sicut Antecessor, sic & Successor Ecclesiæ rerum generalem habet administrationem, *can. Quisquis q. 2. cit. & c. Edoceri 21. de Rescript.* ac proinde promissiones, quibus tenetur Ecclesia, hujus nomine adimplere tenetur. Accedit; quòd, si pactionem & promissionem Ecclesiæ implere non teneretur Successor in ejus Prælatura, id damnosum foret ipsi Ecclesiæ; cùm nemo facilè esset, qui cum Ecclesia ejúsque Prælato & Capitulo contrahere vellet.

Quare non obstant *citt.* textus Feudales; cùm istorum generalitatem ad promissiones feudi, à Prælato sine Capitulo factas, restringendam evincat Authoritas DD. maxima & solida ratio: quæ ut anima corpori, sic ipsa legum verbis dominatur, *l. Scire 17. ff. de LL.* & legalem dispositionem ad suos limites restringit, *arg. l. Cùm melior 55. ff. Soluto matrim.* Everard. *Legal. arg. loc. 34. à n. 1.*

Non magis urget ratio in contrarium deducta; cùm enim feudi promissio, in Apertionis casum à Prælato cum Capituli consensu facta, ipsius Ecclesiæ promissio censeatur, ex eáque orta obligatio realis sit, ab Ecclesiæ administratore seu Prælato, sicut Antecessore, sic & Successore adimplenda est,

ARTICU-

ARTICULUS III.

De Feudis ab Eccleſia acceptis.

SUMMARIUM.

48. *Feudi capaces hodie ſunt quicunque,*
49. *Etiam Clericus: imo & Religioſus.*
50. *Niſi id exigat ſervitium perſonale, Religioſo non conveniens.*
51. *Iſtô tamen mortuô feudum devoluitur ad proximos agnatos.*
52. *Religioſus aliquando excluditur in prima conceſſione feudi,*
53. *Vel ratione huic annexa dignitatis &c.*
54. *Feudi ſibi oppignorati fructus dominus directus,*
55. *Etiam laicus lucratur:*
56. *Si interea ſervitia non præſtentur à vaſallo.*
57. *Idem lucratur fructus ſibi oppignoratæ rei emphyteuticæ:*
58. *Si interea canon non ſolvatur:*
59. *Nonnullis tamen caſibus exceptis.*

48. QUantumvis antiquitus Feudi capax non exiſtimaretur, qui Magiſtratui gerendo idoneus, vel belli muneribus explendis aptus non eſſet, Corvinus *Jur. Feud. Tit. 5. pr.* Cùm tempore tamen etiam alii, & hodie ea accipere ſine ulla conditionis ſexûs, ætatis, ſtatûs diſcrimine poſſunt omnes, Feud. *Lib. 2. Tit. 3. §. 1. V. Perſonam.*

An etiam Clerici & Religioſi, in dubium & controverſiam vocari ſolet; quòd Uſibus Feudalibus non tantùm à ſucceſſione in feudis removeantur, *Lib. 2. Tit. 30. V. Ex hoc:* ſed iis etiam, quæ antè obtinebant, aſſumptione Clericatûs & Religioſæ vitæ profeſſione excidant, *Lib. cit. Tit. 36.* & clariùs *Tit. 26. §. 4. V. Qui* cujus palmaris textus eſt, *Qui Clericus efficitur aut votum Religionis aſſumit, hoc ipſo feudum amittit.* Ratio redditur *Tit. 21. Eo, quòd deſiit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti: nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* unde Zaſius *Epitom. Feud. p. 5. n. 72.* licet, clericos feudorum capaces eſſe, inficiari contra communem DD. Opinionem veritus ſit, conſiderandum tamen proponit; quòd clericus ſit de ſorte Domini: qui Divinis officiis & contemplationi deditus ab omni ſecularium ſtrepitu ſemotus eſſe debet, ut & ipſe dominum poſſideat, & ab ipſo domino poſſideatur, ex ſententia S. Hieronymi *can. Clericus 5. & can. Duo ſunt 12. q. 1.* relati.

Sed, bona iſtius, maximi quidem 49.
ICT.i ſed non optimi Catholici pace, à communi, ut ipſe agnoſcit, & vera DD. ſententia nullatenus recedendum: atque cum Claro §. *Feudum q. 78. n. 3.* ſtatuendum eſt, clericos & ipſos etiam Religioſos feudorum non eſſe incapaces; cùm ad iſta admitti clericos, exploratum ſit ex *c. Ex transmiſſa 6. & c. Verùm 7. de Foro compet.* & Religioſos etiam ex *c. Unico §. Verùm de Statu Regular. in 6.* Imò ex Feud. *Lib. 2. Tit. 40. §. 1.* & generali Conſuetudine, præſertim Imperii Romani; cùm in Germania noſtra ab Epiſcopis, Abbatibus aliiſque perſonis Eccleſiaſticis feuda etiam Majora & Regalia, dignitati ſuæ annexa obtineri videamus.

Neque communi huic hodiéque indubitatæ ſententiæ adverſantur ex Uſibus Feudalibus deprompti textus, cùm; quia à propria Feudorum natura, ſicut quoad alia, ſiç etiam quoad perſonas multùm receſ-

receſſum: & ad ea cum tempore, ſicut fœminæ & alii, ad perſonale ſervitium domino exhibendum incapaces, ſic etiam
50 clerici & Religioſi ſunt admiſſi, *c. citt.* tum verò; quia, licet clerici & multò magis Religioſi hodie obtinere & retinere nequeant feuda exigentia ſervitium perſonale, quod à vaſallo per ſe & non per alium obeundum eſt, & ab ipſo per ſe obiri decenter non poteſt: retinere tamen, imò obtinere poſſunt feuda Franca, & exigentia præſtationem ſolùm realem: imò etiam obſequium perſonale, ſed quod à clerico decenter per, aut ſubſtitutum exhiberi poteſt, Roſenthal *de Feud. cap. 7. concluſ. 30. à n. 19.* Fachineus *Controverſ. Lib. 7. cap. 35. à §. Quinta* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 22.* ubi, Clericos & Religioſus ad omnia feuda, etiam pro feminis conceſſa admitti, eósque his quoad ſucceſſionem æquiparari, notant.

Ridicula quidem ſervitiorum per ſubſtitutum præſtatio & frigida videtur Zaſio *cit. n. 72.* quòd clericus & Religioſus, ſibi non conveniens ſervitium per alium præſtans, honeſtiùs non agat, quàm ſi per ſubſtitutum furetur. Sed hæc æquiparatio tanto ICTo. planè indigna eſt; cùm, licet per alium obiri honeſtè nequeant, quæ intrinſecè mala aut ſimpliciter & omnibus prohibita ſunt, per eum tamen licitè obiri queant, quæ, cùm aliàs licita ſint, alicui tamen ratione qualitatis ſuæ perſonæ ſunt interdicta, ut rectè advertit Haunold. *Tom. 3. de I. & I. Tract. 9. n. 654.*

Quare, ſicut omnino Franca & reali tantùm præſtatoni obnoxia, ſic etiam ſervitium perſonale, à clericali aut Religioſo ſtatu non alienum, vel quod per alium præſtari valet, exigentia vaſallus Ordinibus etiam ſacris initiatus aut Religionem, ſucceſſionis in bonis temporalibus capacem, profeſſus retinet & in monaſterium transfert; ut hoc omnem ejus utilitatem percipiat ad dies vitæ ipſius profeſſi: &, iſtò primùm mortuo, feudum devolvatur ad proximos agnatos, vel his aliiſque, qui ex tenore Inveſtituræ vocantur, deficientibus ad dominum directum revertatur, ut cum Panormit. *in c. In præſentia 8. de Probat. n. 69.* Bartolo *in Auth. Ingreſſi C. de SS. Eccleſ. n. 44.* & aliis utriusque Juris Interpp. docent Clarus *§. cit. q. 78. n. 1.* Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 140. n. 15.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 11. n. 36.* & alii, perſuaſi Regulâ *Auth. cit.* bona Profeſſi monaſterio generaliter addicentis.

Excipiuntur tamen, & ad monaſterium, præter ea, quæ ſervitium ipſius vaſalli à Religioſo ſtatu alienum exigunt, non tranſeunt Imprimis Feuda, quæ a prima conceſſione appoſitam habent clauſulam, monaſterium excludentem: quæ clauſula cùm familiæ conſervationem, finem utique honeſtum ſpectet, ſervandi, & ejusmodi feudum ad proximos agnatos potiùs devolvetur, quàm ad monaſterium, etiam ad profeſſi vitam tranſferatur, *citt.* Molina *n. 15.* & Sanchez *n. 40.* Deinde feuda, quibus Regalia, Ducalis aut alia ejusmodi dignitas & juriſdictio temporalis eſt annexa; cum quoad hujusmodi feuda *Auth. cit.* Regulam contraria variorum Regnorum conſuetudine temperatam, iidem Molina *n. 15.* & Sanchez *n. 42.* advertant. Demum ea, quæ exigunt ſervitium incertum; quòd in his electa cenſeatur induſtria perſonæ, Panormit. *in c. cit. n. 69.* & Sanchez *n. 44.*

Dubium hôc locô & difficultas non levis eſt de fructibus, provenientibus ex feudo, quod pro mutuo vel alio debito à vaſallo oppignoratum eſt ipſi domino directo. Et quidem, ſi iſte Eccleſia vel Mo-

vel Monasterium sit, fructus huic cedere, & in sortem non imputandos, patet ex *c. 1. hâc Rubr. & c. Conquestus 8. de Usuris.* Si verò dominus directus laicus sit, Glossa *in Utrumque cc. citt.* eos in sortem censuit imputandos; ut summa ex credito debita decrescat, pro ratione fructuum perceptorum: &, si isti sortem adæquent, debitum omnino extinguatur, sive vasallus Ecclesia sive laicus sit; quod *cc. citt.* specialis favor indultus sit Ecclesiis & Monasteriis, quando penes ipsa est dominium directum.

55. Hanc tamen illorum textuum expositionem cæteri Interpp. unanimi consensu & meritò rejiciunt; quia si, ut aliarum rerum fructiferarum, sic etiam feudi, domino directo oppignorati, fructuum lucrum Usurarium & inhonestum est, non minùs, imò multò magis Ecclesiæ, quàm laico creditori debet negari; cùm enim multa *laicis* permittantur, quæ Ecclesiasticis prohibentur, *can. Fornicari 10. dist. 88. & c. 1. &c. Ne clerici vel monachi*, lucrum illud, si justum, non magis Ecclesiis quàm laicis: si injustum & Usurarium est, illis multò minùs quàm istis debet concedi; quia Usurarum utriusque Testamenti tabulis damnata iniquitas, *c. Quia 3. & c. Super eo 4. de Usuris*, etiam & vel maximè detestanda est in Ecclesiasticis, *c. 1. & c. Quoniam 2. eâdem Rubr.* quos lucris temporalibus specialiter non convenit inhiare, *c. Ex parte 18. in fine de Censibus.*

56. Quare cum Interpp. illis, sicut Ecclesiis, sic etiam cuicunque alteri domino directo, feudum à vasallo sibi oppignoratum detinenti, ejus fructuum lucrum, si vasallus interea servitia non præstet, *cc. citt.* adstrui, rectè docent Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 1. n. 4. cit.* Molina *disp. 323. n. 2.* Canisius *de Usuris cap. 6. n. 4.* & Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 22. n. 3.* Quòd autem illorum lucrum ab Usuraria labe immune sit, desumitur ex natura feudi; cùm enim hoc ex prima sua institutione gratis & intuitu servitiorum à vasallo exhibendorum concedatur, consequens est, ut vasallus, quamdiu sine sua culpa & cum domini consensu feudò caret, ab obsequiis & muneribus domino exhibendis sit immunis: & viciissim, cùm re feudali ex ipsius voluntate penes dominum existente ipse ab obsequiis præstandis liber est, illius fructus non percipiat; cùm cesset causa, ob quam res in feudum data, istiúsque fructus sunt concessi.

Neque hac in re multùm refert, an fructus servitia adæquent, vel ista excedant; cùm enim feudum initiò gratis concessum sit, ut ejus fructus quantumvis amplos vasallus percipiat, si servitium præstet: non autem, si hoc non præstet, ii quanticunque sint, à domino, feudum sibi oppignoratum detinente sine injuria, vi primi contractûs retinentur, quamdiu servitia non exhibentur, Panormit. *in c. Conquestus cit. n. 2.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 2.* & Zæsius *ad hanc Rubr. n. 6.* Unde

57. Dubium & controversia alia nascitur, an *c. 1. & c. Conquestus citt.* decisio locum habeat in re emphyteutica, & istius in pignus receptæ fructus lucretur dominus directus. Ratio dubitandi est; quòd *cc. citt.* dispositione restringatur Jus commune: quô spectatô, pignoris fructus in sortem imputandi sunt, *c. Cùm contra 6. de Pignorib. c. 1. c. Quoniam citt. &c.* unde illam, tanquam odiosam, à feudo ad emphyteusin non extendendam, existimat Covarruvias *cit. n. 4. in fine.* Sed, si Jus penitiùs inspiciatur, *c. 1. & c. Conquestus citt.* Jus commune non tam restringitur, quàm declaratur; cùm istô nuspiam cautum sit,

ne gratuitæ concessioni rei apponatur clausula: vi cujus, quandocunq; & quamdiu, sicut servitium non exhibetur, sic etiã canon vel pensio non solvitur, ex ea oppignorata provenientes fructus suos non faciat dominus directus; eò quòd conditione, sub qua res concessa est, cessante contractus obligatio suspendatur.

58. Quare etiam rei in emphyteusin gratìs concessæ, sibíque oppignoratæ fructus, si interea canon seu pensio non solvatur, dominus directus suos faciet & in sortem non tenebitur imputare; cùm enim feudum & emphyteusis fere sint ejusdem naturæ, dispositum in illo locum etiam in ista habet, quando utrobique est eadem ratio, & de emphyteusi aliud Jure non expressum, ut latè Everard. *Legal. arg. loco 29. & 30.* Unde ea, quam amplector *ec. citt.* interpretatio Comprehensiva poti⁹, quàm Extensiva est, ut cum Speculat. *Tit. de Feudo §. 2. n. 63. V. Non interest*, probè advertit Fagnanus *in c. 1. cit. n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 20.*

59. Excipiendum tamen imprimis est feudum Francum; cùm enim hoc à servitiis liberum sit, ejus pro Mutuo vel alio debitò oppignorati fructus percipere dominus directus non potest, Sylvester *V. Feudum n. 20.* & Barbosa *in c. 1. cit. n. 2. V. Limita tandem.* Deinde, feudum & emphyteusis, si ab initio non concessa gratis, sed pecuniâ sint comparata; cùm enim illorum fructus percipiendi jus pretiò comparatum emptúmque sit, eorum oppignoratorum fructus in sortem imputandi erunt: &, si lucri dominus creditor voluerit, immunis non erit ab Usuraria iniquitate: qui se etiam contaminaret, si ex feudo, vitalli sumptibus meliorato, sibíque oppignorato provenientes fructus omnes, etiam qui melioritionibus respondent, vellet lucrari, ac proinde, ut ab Usura excusetur, ii saltem fructus, qui pretiò, quo feudum est comparatum, & melioritionibus respondent, detrahendi & in sortem imputandi erunt, ut cum Navarro *Manual. cap. 17. n. 217. citt.* Covarruvia *n. 1.* & Molina *n. 1.* notant Barbosa *in c. 1. n. 2. V. Limita cit.* & Gonzalez *in c. cit. n. 4.*

TITVLVS XXI.

De Pignoribus & aliis Cautionibus.

SUMMARIUM.

1. *Pignoris varia acceptio.*
2. *Pro contractu sumpti definitio;*
3. *Et differentia ab Hypotheca:*
4. *Qua vel Expressa (eáque Specialis aut Generalis,)*
5. *Vel Tacita est:*
6. *Qualem Jure constitutam habent Creditores varii,*
7. *Et Ecclesia in bonis sui Prælati,*
8. *Res illius immobiles sine solemnitate Hypotheca Speciali,*

9. *Et secundùm aliquos Generali subjicere non valentia.*
10. *Verùs hoc sine solennitate potest Antiquô,*
11. *Et novô etiam Jure spectatô.*
12. *Oppignorari etiam cum solennitate nequeunt Beneficia & Pensiones:*
13. *Possunt tamen vasa sacra, etiam non confracta,*
14. *Urgente tamen maxima necessitate, & post res temporales:*
15. *Nisi Ecclesia habeat sacram suppellectilem superfluam.*
16. *Liber homo obnoxius non est oppignorationi,*
17. *Nec venditioni de Jure saltem moderno.*
18. *Fructus pignoris creditor etiam ex pacto non lucratur:*
19. *Sed in sortem imputantur, deductô interesse.*
20. *Pactum Commissorium in Pignore rejicitur,*
21. *Nec firmatur juramentô.*
22. *Commissionis tamen pacto locus est in venditione:*
23. *Et speciali casu in pignore sustinetur,*
24. *Usufructuarius præstare cautionem,*
25. *Aliter tamen in proprio, aliter in improprio Usufructu tenetur.*
26. *Ea cautio idonea esse debet;*
27. *Nec remitti potest in Usufructu voluntate ultima:*
28. *Sed actu tantùm inter vivos constituto.*

1. Pignus à *Pugno* seu manu; quòd res, quæ pignori dantur, manu tradantur, appellatum, *l. Plebs. 238. §. 2. ff. de V. S.* aliquando sumitur pro ipsa re, quæ creditori pro debiti securitate traditur vel obligatur: quô sensu, Pignus idoneum, traditum, venditum, distractum, restitutum, dicimus; juxta §. 1. *Just. Quibus alienare licet, Rubricam* eíque subjectos textus *ff. & C. de Distract. pign.* aliquando pro jure, quod in re sibi tradita vel obligata creditor habet, *l. 1. pr. & §. 2.* ibi, *Pignori obligaverit, ff. de Pignor. act. l. in novalibus 30.* ibi, *Si in re jus habeant, qualis est creditor, ff. de Noxal. Action.* & demum aliquando pro ipsô Pignorationis contractu sive actu, quô res alteri traditur vel obligatur, *l. 1. §. fin. ff. de Pactis & l. 1. pr. & §. 1. ff. de Pignorat. Act.* Harprecht *in §. Creditor 4. Instit. Quib. modis re contrah n. 1.* & Gonzalez *in c. Cùm contra 6. n. 8.*

2. Postremô hoc modô sive pro Oppignorationis actu in genere acceptum Pignus est Contractus nominatus bonæ fidei, quô creditori res traditur vel in ea jus ipsi constituitur ad debiti securitatem, *l. 1. & l. Si convenerit 18. pr. ff. de Pignor. act.* finis enim Pignoris est; ut cautum sit creditori: cui, ut creditum faciliùs consequatur, ita non personæ duntaxat, sed etiam res ipsa obligatur; ut, si illud aliter non consequatur, ex hac ei satisfieri possit, *l. Plus 25. ff. de R. I.*

3. Sic genericè acceptum Pignus ab Hypotheca solô nominis sono differre, dicitur *l. Res hypothecæ 5. §. 1. ff. de Pign. & Hypoth.* strictiùs tamen & magis specificè acceptum ab ista differt; quòd ad Pignus requiratur, ut res plerumque mobilis, aliquando tamen etiam immobilis alteri tradatur, sive ad eum tranſeat, *l. Plebs cit.* Hypotheca verò perficiatur solô consensu seu conventione, quâ res plerumque immobilis, aliquando tamen etiam mobilis, sine actuali traditione, alteri obligetur, *l. Si rem 9. §. 2. ff de Pign. act l. contrahitur 4. ff. de Pign.*

& Hypoth. & §. Serviana 7. V. Nam pignoris Instit. de Act. cit. Harprecht *n. 3.* & Haunold. *Tom. 4. de I. & I. Tract. 10. n. 869.*

4. Est autem Pignus latè acceptum, vel potiùs Hypotheca duplex. Una Expressa, altera Tacita: quarum illa constituitur vel consensu & conventione partium, vel præceptô aut sententiâ judicis, vel jussu & voluntate testatoris, vg. prædia sua obligantis pro legatis: estque hujusmodi Hypotheca vel Specialis, quâ creditori una vel plures certæ & determinatæ: vel Generalis, quâ eidem debitoris bona omnia obligantur: quâ generalitate, etsi non solùm præsentia & jam acquisita, sed futura etiam & acquirenda debitoris bona comprehendantur, licet istorum expressa mentio facta non sit, *l. fin. V. Super qua C. Quæ res pign. oblig.* non tamen veniunt imprimis ea, quæ debitoris defuncti hæres per se acquiret, *l. Paulus 29. pr. ff. de Pign. & hypoth.* deinde, quæ si eorum expressa mentio facta fuisset, debitor verisimiliter obligaturus non fuisset, ob eorum necessitatem vel specialem affectionem, *l. Obligatione 6. &c. ff. eâdem Rubr. & l. Executores 7. &c. C. Quæ res pign. obl. poss.* & demum res, quæ alienari saltem principaliter ob alicujus, vg. pupillorum aut minorum, favorem prohibentur, *arg. l. 1. & l. Si pupillorum 7. §. 5. ff. de Reb. eorum qui sub. tutela*, Negusant. *de Pign. p. 2. memb. 3. n. 73.* Zæsius *in ff. de Pignorib. n. 12.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 528. n 6.* & Haunold. *Tract. cit. n. 874.* & generaliter, quæ specialiter obligari nequeunt,, in generali Hypotheca non comprehenduntur, Speculat. *Tit. de Pignorib. p. 1. n. 30. cit.* Negusant. *p. cit. Memb. 2. n. 61.*

5. Ista, sive Hypotheca Tacita voluntate contrahentium præsumptâ vel legis dispositione constituitur, ferè in favorem certorum creditorum; sic enim Primo Locatori prædii Urbani, in hoc à Conductore seu inquilino illatæ res pro pensione seu Locationis mercede tacitè sunt obligatæ, *l. fin. C. In quib. caus. pign.* Secundâ pro eadem mercede seu pensione, atque etiam deterioratione domino tacitè obligati sunt fructus prædiorum Rusticorum, sive ii naturales sint, sive industriales, *l. In prædiis 7. ff. In quib. caus. pign.* Tertiò pro pecunia mutuò data ad refectionem ædium, in his ex eâ refectis tacitam & privilegiatam hypothecam habet creditor, *l. Creditor 25. ff. de Reb. Credit. & l. 1. ff. de Pign. & hypoth.* Quartò res seu bona mariti ex dispositione legis ita obligata sunt pro securitate & restitutione dotis, intiò & bonorum Paraphernalium, quorum ille administrationem habet, *c. Ex literis 5. hâc Rubr. l. Unic. §. 1. C. de Rei Uxor. act. & l. Ubi adhuc 29. C. de Jure dotium.* Quintò vice versa etiam maritus pro dote promissa sibi præstanda tacitam hypothecam habet in bonis Uxoris, *§. 1. cit.* Sextò eandem legatarii & fidei commissarii habent in bonis testatoris, *l. 1. C. Communia de Legat. & §. Sed & olim 2. Instit. de Legat.* Septimò simili modo absque omni conventione fiscus tacitu pignoris jus habet in omnibus bonis, tam futuris quàm præsentibus eorum, quibuscum contraxit, & pro pensione tributi, *l. 1. & l. Certum 2. C. de Pign. & hypoth.* Octavò tale jus à lege indultum est pupillis, minoribus & cæteris, qui sub tutela vel alia simili gubernatione sunt, in bonis tutorum, curatorum &c. pro officii rationibus, *l. Pro officio 20. C. de Administr. Tut. & l. fin. C. de Legitima tut.* quæ omnia latè explicant Legistæ. Demum, quia Ecclesia Jure minoris gaudet, *c. 1. & c. Auditis 3. de In integr. re-*

tegr. restit. sicut hi tutorum & curatorum, sic ipsa omnia bona Prælati vel alterius bonorum Ecclesiasticorum administratoris sibi tacitè obligata habet pro neglecta vel malè gesta administratione, *arg. cc. citt.* Glossa *in c. Ex literis cit. V. Obligata, ubi* Panorm. *n 11.* & Sylvester *V. Pignus q. 1.* Quare, sicut minor contra tutoris vel curatoris, sic etiam Ecclesia agere potest contra bonorum Prælati sibi obligatorum tertium possessorem; quia res semper transeunt cum suo onere adeo; ut nec debitor, legans, donans, vendens rem pignori nexam hypothecæ jus convellat, per ea, quæ *arg. l. Debitorem 15. C. de Pign. & hypoth. & l. Si debitor 12. C. de Distract. pign.* tradit Bruneman. *in l. Debitorem cit. n. 4.* De Pignoribus hactenus declaratis propositæ Rubricæ subjecti textus sex potissimùm difficultates offerunt explicandas.

8. Prima est de Ecclesiarum Monasteriorum &c. rebus temporalibus immobilibus: quarum, uti & mobilium pretiosarum, quæ servandô servari possunt, oppignoratio sive hypotheca Specialis Prælatis & cæteris rerum Ecclesiasticarum administratoribus sine justa causa & Canonicis solennitatibus prohibita, & irrita etiã est *can. Hoc jus porrectũ pr. 10. q. 2. c. Nulli 5. & Extrav. Ambitiosæ inter communes de Reb. Eccles. alien.* Rationem Baldus *in l. fin. C. de Reb. alien. non alienand.* reddit; quòd, prohibita alienatione, prohibitus videatur omnis actus, per quem alteri jus rei quæritur, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* ac proinde etiam hypotheca sive nexus pignoris, *l. fin. cit.* quia per hunc rei jus alteri quæritur, & ad alienationem facilè pervenitur, *Novell. 7. cap. 6. pr.*

Excipiendus est casus valde gravis necessitatis: quâ urgente res Ecclesiarum immobiles, hisque à Jure æquiparatæ mobiles pretiosæ, sicut alienari, juxta dicta *Tit. 13. n. 43.* sic etiam oppignorari sine Apostolico & superioris etiam immediatè consensu possunt, quando ad istos recursum illius ratio & angustiæ temporis non permittunt, Donatus, *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Tract. 14 q. 67. n. 2. & 3.*

9. Dubium controversúmque est, an extra hujusmodi necessitatis casus ita prohibita Prælatis & irritata etiam sit constitutio hypothecæ Generalis. Quod affirmant & ipsis, sicut unam aut plures res immobiles vel pretiosas particulares, sic etiam generaliter sive in communi Ecclesiæ vel Monasterii bona oppignorandi facultatem *citt. cc.* ademptam, volunt Donatus *q. cit. n. 1.* & Bonacina *Tract. de Alienat. q. Unica p. 2. n. 23.* quorum iste Molinam, ille etiam Covarruviam præter alios pro se allegant, & moventur; quod, licet *c. Nulli cit.* disertè hypotheca solùm Specialis prohibeatur, Paulinâ tamen Constitutione *Extravag. cit.* relatâ, uti & Decretô S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. Urbani VIII. jussu editô, *Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum*, sicut *Alienationes* aliæ, sic etiam *Hypotheca* prohibeatur, omissâ illâ particulâ *Specialis*, quæ habetur Jure antiquiori *c. Nulli cit.* argumentô minimè obscurô, istô expressæ prohibitioni *Specialis*, à Paulo II. additam *Generalem*; ac proinde illicitam hodie & irritam esse hypothecam quamcunque non solennem. Cui rationi non leve pondus addere, & accedendi necessitatem imponere videri possunt tradenda *Tit. 49. n. 110.* ubi Novissimô Jure *Constitutionis* Gregorii XIV. quæ incipit *Cùm alias 9. Calend. Junii 1591. Editæ*, ex Ecclesiis cæterísque sacris & religiosis locis excludi agrorum Depopulatores etiam *Diurnos*, ex eo solùm statuetur; quòd *Constitutione illa* criminum exceptorum reis agrorum Depopulato-

res accenseantur indistinctè & omissâ particulâ *Nocturnus* : cujusmodi solùm Depopulator ex asylo sacro excludebatur Jure antiquo, *c. Inter alia 6. de Immunit. Eccles.* Accedit, & DD. *citt.* Opinionem confirmat ; quòd hypothecâ Generali Prælatis liberè permissâ, etiam perveniatur ad alienationem immobilium hisque æquiparatorum Ecclesiæ bonorum ; cùm illius nomine contracta debita tanta esse possint ; ut ad ea expungenda mobilia non sufficiant ; ac proinde immobilia & pretiosa danda in solutum sint, vel distrahenda.

10. Sed verius cum Panormit. *in c. Nulli cit. n. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 1.* Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. Rubrica 1. cap. 6. n. 12.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 466. n. 1.* hypothecam Generalem, exigente aut suadente justâ causâ, Prælatis, sicut antiquo, sic moderno etiam Jure sine solennitatibus permissam, rectè desumunt argumentô à contrario ductô ex *c. Nulli cit.* & eô etiam ; quòd ex duabus speciebus oppositis unius assumptio alterius exclusio, & vicissim unius exclusio assumptio alterius censeatur, *arg. l. Si inter 15. ff. de Except. rei judic.* junctâ Glossâ *in Clement. 2. V. Directò contrariis de Testibus.*

Hypothecam autem *Specialem*, permissâ *Generali*, Prælatis prohibendi ratio fuit ; quòd per illam magis, quàm per hanc Ecclesiis præjudicetur ; cùm, quòd, ut dictum, Generali hypothecâ non comprehendantur res & bona principaliter ob favorem alicujus, ut ea de quibus agimus ob Ecclesiarum favorem, prohibita alienari : uti & ea, quæ hypothecæ Specialis titulô nequeunt obligari : tum verò ; quòd, licet hypotheca Generalis etiam ejusmodi res afficeret, eâ tamen singulæ minùs sint obligatæ : neque ita facile deveniatur, ad alienationem vel distractionem alicujus rei immobilis aut mobilis pretiosæ, in communi tantùm obligatæ ; cùm in executione ad solvenda debita priùs distrahenda sint mobilia non pretiosa : &, his deficientibus vel non sufficientibus, pretiosa mobilia aut immobilia justô pretiô vendantur, vel dentur in solutum, Molina *l. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 16.* 12.

Neque dictis adversatur, aut re- 13.
deri potest, specialiter urget ratio allata in contrarium ; quia, Gregoriana constitutione circa criminosos ad asylû confugientes, ultra Jus antiquum Seculari potestati aliquid permissum, ex ipsius tenore constat : &, si non constaret, ad eviandam Jurium correctionem, agrorum depopulator *Diurnus* hodie quoque non esset excludendus, *arg. l. Non est ad. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* Contrà Constitutione Paulinâ sacrorum Canonũ antiquiori prohibitioni sub gravissimarum pœnarum comminatione duo tantùm casus, scilicet ne rerum Ecclesiæ immobilium alienatio Romanô Pontifice inconsultô, & absque istius consensu locatio ultra triennium fiat, superadditos notant Quaranta in *Summa Bullar. V. Alienatio n. 5.* & Pirrhing *ad Rubric. de Reb. Eccles. alien. n. 54.* quoad cæteros verò illud non correctum, imò firmatum, ex verbis, *Præterquam in casibus à Jure permissis*, cum Alexand. de Nevo *Consil. 30.* desumit Alex. Stiaticus *in Extravag. cit. n. 3.*

Non majorem Vim habet confirmatio ; quia etiam Juris antiqui, hypothecam Generalem non prohibentis, dispositio se non extendit ad casum, quô Ecclesiarum bona etiam in communi pro tanta quantitate mutuò accepta obligantur ; ut alienationis sive distractionis periculo etiam immobilia exponantur, Pirrhing *l. cit. n. 5.*

Alter

12. Altera difficultas est de rebus spiritualibus annexis. Non quidem consequenter, ut sunt beneficia & pensiones Ecclesiasticæ; cum earum, sicut Venditio sic & pro rei temporalis debito Oppignoratio Simoniaca foret: & generaliter ea, quorum commercium non est, sicut emi vendíque, sic pignoris jure accipi vel dari non possint, *l. 1. §. 1. ff. Quæ res pign. dari*: Sed antecedenter, ut sunt sacri 13. calices, patenæ cæteráque Ecclesiarum suppellex, affecta consecratione vel benedictione: de quarũ rerũ licita oppignoratione dubitandi ratiò est; quòd, cùm sint res dicatæ Deo, nullius in bonis, & extra commercium etiam ipsæ sint, *l. In tantùm 6. §. 2. ff. de Rer. divis.* ex ipso Jure Gentium, *l. Sed Celsus 6. pr. & l. Si in emptione 34. §. 1. ibi, Vel Gentium ff. de Contrab. empt.* primario, sive Naturali: ex quo in Deum Religionem & rebus ejus cultui per consecrationem dicatis debitam Reverentiam descendere, dictum est in Proœmio *n. 20. & 56.* Quæ causa est, cur calices cæteráque vasa & vestimenta sacra, cùm propter gravem necessitatem laicis & ad prophanos usus venduntur, priusquam tradantur, conflanda, confringenda vel dissuenda sint, *can. Aurum 67. V. In his tribus 12. q. 2. l. Sanctimus 21. & Auth. Præterea C. de SS. Eccles.* Barbosa *in citt. l. n. 9. & Auth. n. 9.* Unde eadem vasa &c. laicis vel pignori dari non poterunt, vel non sub eadem forma: sed confracta vel comminuta primùm tradi debebunt.

Verùm, quia rei ex Venditione traditæ dominium, eáque utendi jus transfertur: Pignoris autem dominium retinet debitor, *l. Pignus 9. C. de Pign. act.* eóque uti sine furti vitio creditor non potest, *l. Si pignore 54. pr. ff. de Furtis*, calices cæteráque vasa & vestimenta sacra, etiam cùm laico oppignorantur, conflari, comminui aut dissui, ut cùm vendita laico tradunrur, non est necesse. Neque sacra ejusmodi suppellectilia extra humanum commercium ita constituta sunt, ut etiam quoad materiã & juxta istius æstimationem in pignus dari non possint; cùm enim, urgente gravi necessitae, illius æstimationi & valori commensuratô pretiô aliis Ecclesiis vel monasteriis etiam integra, formáque non immutatâ possint vendi, ut cum Navarro *Manual. cap. 23. n. 108.* Sylvestro *V. Simonia q. 10.* Suarez *de Simonia cap. 14. n. 6.* & aliis *Lib 5. Tit. 3. n. 55.* statuetur. Cur, urgente 14. tali causâ, in crediti securitatem pignori dari non possint etiam laico, juxta *c. 1. hîc?* cùm eorum in pignus acceptorum iste non usum, sed solam detentionem acquirat, Glossa *in can. Hoc jus cit. V. Conflata 10. q. 2.* & Panormit. *in c. 1. cit. n. 5.*

Pro praxi hac in re probè notanda est differentia inter res Ecclesiarum; cùm merè temporales, ut domus, prata, fundi & similes priùs, & solius Utilitatis causâ: eæ verò, quæ per consecrationem vel benedictionem ad ministerium Altaris & cultûs Divini decentem celebrationem deputatæ & necessariæ sunt, post illa & solius, neque cujuscunque, sed valde gravis Necessitatis causâ vg. pro redemptione captivorum vel injustè carceratorum, pauperum aliorúmque, aliàs fame interiturorum, alimentis valeant oppignorari, *c. 1. cit.* ibi, *Nisi justissima necessitate urgente*, junctâ Glossâ, *V. Necessitate cit.* Panormit. *n. 5.* & Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 16. n. 8.* ubi, tali necessitate urgente, res Ecclesiarum solummodo benedictas: & demum his deficientibus consecratas pignori tradendas, uterque monet. *Necessariæ,* 15. inquam; quia, si Ecclesia sacrâ supellectile superfluâ, aut minùs necessariâ vel utili instructa esset, hujusmodi ejus res ad Divinum cultum deputatæ potiùs, quàm merè tem-

merè temporales immobiles in pignus dari, præsertim Ecclesiis vel monasteriis possent, *can. Hoc jus cit.* Turrecremata *in can. cit.*

16. Tertia est de homine Libero: quem dari pignori, & istius jure detineri posse, suadet ratio; quòd cujusque rei faciliùs traditio in pignus quàm venditio permissa credatur: Liber autem homo ad participandum pretium vendi à seipso queat, *l. Et servorum 5. §. 1. & l. Homo liber 21. ff. de Statu homin.* & ex ipsius Juris dispositione, datâ pecuniâ ab hostibus redemptus, jure pignoris detineri queat, donec redemptionis pretium persolvat aut, si hoc redemptori solvere nequeat, quinquennii, labore & obsequiis beneficii vicem ei debeat referre, *ll. Ab hostibus 2. & 18. C. de Cap. & postlim. revers.* Bruneman *in l. 2. cit. n. 1. & 2.* Imò apud varias Gentes receptus fuerit mos oppignorandi liberos pro debito Civili, juxta illud Viduæ, *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos, 4.* Reg. *cap. 4. v. 1.* vel detinendi ipsum debitorem; ut, si non habeat in ære, in corpore luat, *l. fin. ff. de In jus Voc. & l. 1. §. fin. ff. de Injuriis,* Cassiodor. *Lib. 9. Var. Epist. 2.* ibi, *Reddat debitum pœnis, qui non potuit compensare pecuniis.*

Nihilominus pignoris obligatio in libero homine, sive filius sive ipse debitor sit, Jure regulariter non consistit, ex decisione *c. Lator 2.* traductâ ex *l. Ob æs 12. C. de O. & A. & l. Qui filios 6. C. Quæ res pign. oblig.* & præsertim *Novell. 133.* cujus *cap. 7.* creditor, debitoris filium in pignus detinere præsumens, in pœnam non solùm debitô cadit: sed istius quantitatem aliam ei, qui detentus est, ejúsque parentibus præstandam dare, atque insuper pœnam corporalem à loci judice infligendam subire debet. Ratio decisionis est; quia liber homo est de numero rerum, ab humano commercio exemptarum, *l. Si in emptione cit. §. 2. & l. Inter 83. §. 5. ff. de V. O.* earum autem rerum, quæ extra commercium sunt, pignoris obligatio non consistit, *l. 1. §. 1. ff. Quæ res pign. dari.*

Neque ita firmatam utriusque Juris decisionem in contrarium allata ratio evertit; quia potissimùm nititur exceptionibus, in casibus non exceptis firmantibus Regulam, generaliter prohibitæ liberi hominis oppignorationis: & favore libertatis à Jure specialiter concessæ creditoribus data pecuniâ redimentibus captivos; ut ad istorum liberationem pretii recipiendi majori securitate cæteri invitarentur, Gonzalez *in c. Lator cit. num. 9.* sicut contrà in odium ac pœnam improbi facti, ad participandum pretium se venundari patientis, hunc ita in servitutem detrudi permisit, Bruneman. *in l. Et servorum cit. n. 2.*

Minùs urgent exempla & leges antiquæ, debitores, qui solvendo non essent, in temporariam servitutem creditoribus addicentes; quia earum rigor æquitate Canonica *c. cit.* & Imperiali etiam benignitate *cit. Novell. cap. 3.* mitigatus est; ut Jure communi modernô, neque ipsius debitoris civilis, etiam laici, detentioni locus sit, nisi condemnatus bonis cedere nolit, *l. 1. C. Qui bonis ced. poss.* aut fugitivus vel suspectus sit de fuga, *l. Ait Prætor 10. §. 16. ff. Quæ in fraud. credit.* Panormit. *in c. Lator cit. n. 2.* neque vendi aut pignori dari liberi, nisi ad propulsandam extremam necessitatem à parentibus possint, Haunold. *cit. Tract. 10. n. 907.* Labore tamen & obsequiis pro debitis satisfacere debitores creditoribus suis plurium locorum moribus & Statutis tenentur, teste Gonzalez *in c. cit. n. 10.* Criminales vero debitores, sive ad pœnam pecuniariam condemnati, si non habeant in ære, in corpore luere compelluntur, *l. 1.*

§. fin.

§. *fin. cit. & l.* 1. §. *fin. ff. de Pœnis* Covarruvias *Lib.* 2. *Var. cap.* 1. *n.* 1. *& 8.*

18. Quarta difficultas est de pacto Antichreseos, pignoris contractui adjecto, quò inter creditorem & debitorem placuit; ut, donec pecunia solvatur, fructus ex prædio vg. aut fundo sibi oppignorato provenientes percipiat. Quod non inutile VV. JCT. censuerunt *l.* 1. §. 3. *& l. Si is* 11. §. 1. *ff. hâc Rubr.* neque injuriâ; cum enim debitor utatur fruatúrque commodis pecuniæ sibi creditæ, æquum est; ut vicissim creditor in ejusmodi commodorum compensationem utatur fruatúrque re sibi oppignoratâ.

19. Sed ratione hac potior, & utroque jure fundata Resolutio est, pignoris fructus imputandos in sortem, sive partem solutionis debiti; ut istius quantitas secundùm ipsorum æstimationem diminuatur: &, si ista debitum adæquet, hoc omnino extinguatur; ac proinde pignus debitori reddere creditor teneatur, juxta claras decisiones *c.* 1. *Quoniam* 2. *&c. de Usuris, c. Illo* 4. *c. Cùm contra* 6. *l. Si dominium* 9. *C. hac Rubr. l.* 1. *& l. Quod ex operis* 2. *C. de Pignorat. act.* Non minùs clara est ratio; quia rei pignoratæ fructus, tanquam ejus pars, sequuntur dominium, *l. Fructus* 33. *ff. de R. V.* quod est penes debitorem, *l. Cùm & sortis* 35. §. 1. *ff. & l. Pignus* 9. *C. de Pign. act.* etsi enim in eo jus reale habeat creditor, in ejus tamen bonis non numeratur, *l. Statu* 38. §. 2. *ff. ad L. Falcid. & l. Itaque* 12. §. 2. *ff. de Furtis:* neque ab eo tenetur, ut faciat lucrum; sed, ut crediti habeat securitatem, *l. Si pignore* 54. §. 1. *ff. de Furtis.* Alia ratio est rei creditæ sive mutuò datæ; cum enim istius dominium sit penes debitorem sive accipientem, *l. Mutuum* 2. §. 2. *ff. de Reb. credit.* penes hunc erit ejus usus; cum in pecunia & cæteris rebus fungibilibus utendi jus à dominio non distinguatur, S. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *in c.*

Ne autem creditori mutuatio & pignoris fructiferi detentio damnosa sit, in sortem imputare eos tantùm fructus tenetur, qui æstimatione laboris & necessariis atque etiam utilibus expensis, quæ in culturam factæ sunt, præter damni emergentis, lucri cessantis &c. interesse, juxta dicenda *Lib.* 5. *Tit.* 19. *à n.* 26. deductis, supersunt, *c.* 1. *c. Quoniam* 2. *citt. c. Ad nostram* 7. *de Jurejurando l. Necessarios* 8. *pr. l. Si servos* 25. *ff. de Pignor. act. & l. In Summa* 6. *C. hîc,* Sylvester *V. Pignus q.* 13. Molina *tract.* 2. *cit. disp.* 575. *n.* 7. & Palao *Tract.* 32. *disp.* 4. *p.* 19. *n.* 5. *& 6.*

20. Quinta est de pacto Legis Commissoriæ, quò inter creditorem & debitorem convenitur; ut, si ab isto debitum vg. centum aureorum constitutò tempore creditori non fuerit solutum, pignus committatur & transeat in dominium creditoris. Pro cujusmodi conventionis seu pacti Commissorii honestate militat non contemnenda ratio, quòd cuique rerum suarum administrationem habenti, de iis pro libitu liceat pacisci, & pacisendò conditionem suam facere deteriorem, *l. Jurisgentium* 7. §. 13. *l. In traditionibus* 48. *ff. de Pactis & l. In re mandata* 21. *C. Mandati.* Unde creditor, sicut alia, sic etiam Commissionis pactum pignori adjicere; &, sicut in rerum suarum venditione cum emptore, ut, si constitutò tempore non solverit pretium, res sit inempta, *l. Cùm venditio* 2. *&c. ff. de L. Commiss.* sic etiam in earum oppignoratione convenire posse videtur; ut, si centum crediti constitutò tempore soluti non fuerint, sibi pignus cedat; cùm enim creditori pro accepta pecunia pignus dari valeat, *l. Titius* 34. *ff. de Pignorat. act. & l. Cùm dominam* 13. *C. de Pignorib.* non

apparet ulla ratio, cur, ut id post certum tempus creditori pro debito cedat, nequeat conveniri. Sed quamcunque vim ratio hæc præseferat,

Ne pacta Commissoria pignoribus apponantur, cautum est *c. Significante 7. & l. fin. C. de Pact. pignor.* cùm; ut coërceretur avaritia fœneratorum, quorum fraudibus istiusmodi pactionum licentia obnoxios reddidit debitores; quòd isti, pecuniæ ob rei familiaris defectum aliunde parandæ necessitate cogente, & pignoris in tempore reddendi nimiâ & plerumque inconsultâ fiduciâ suadente, hanc Commissionis, & quascunque lucri cupiditas creditoribus suggerit, conditiones facilè admittere soleant: tum verò propter Usurariæ iniquitatis periculum; cùm enim pignora pecuniæ creditæ quantitatem valore suo regulariter excedant: & non rarò pro creditis centum res ducentis constans pignori detur, creditores plerumque ultra sortem multùm acciperent, si Commissionis pacta pignoribus adjecta sustinerentur.

21. Neque creditoribus prosunt ejusmodi pactis adjecta juramenta; cùm enim ista iniquitatis vincula non sint, *can. Inter cætera 22. §. Porro 22. q. 4. & c. Quantò 18. de Jurejurando*, eorum adjectione pacta non convalescunt, ut ipsis jus aliquod acquiratur: &, licet juramenta illa, quòd sine salutis dispendio & tertii præjudicio possint, observanda sint à debitore juxta Regulam *c. Cum contingat 28. Rubr. cit. & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* qui res suas jactare, ac proinde minori, quàm valent, pretiò aliis relinquere potest: creditor tamen, quidquid ultra sortem creditam accepit, restituere tenetur: &, si renuat, Ecclesiasticâ severitate compelli potest *c. 1. & c. Debitores 6. de Jurejurando.* Imò ipse debitor juramenti relaxationem petere à superiore, eáque impetratâ pignus repetere potest. Panormit. *in c. Significante cit. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 29.*

Neque pactionum Commissoriarum in pignoribus honestas pro ipsis allatâ ratione generaliter vindicatur; quia non quæcunque libent, sed Juri duntaxat consona pacta cuique licita sunt, *l. Jurisgentium cit. §. 7.* Neque hac in re paritas est cum Venditione; quia in ista nullum usurariæ: & alterius iniquitatis non magnum periculum est; cùm enim res ferè justò pretiò venire soleant, injuriam aut damnum non patitur emptor, si pretiò ad terminum ejus solutioni præfixum ab ipso non numeratò res pro inempta habeatur, *citt.* Panormit. *n. 7.* & Pirrhing *n. 28.*

Cæterùm, quia hujusmodi pactum etiam pignori adjici Naturali Jure non prohibetur, & potest, quin usurariâ aut aliam iniquitatem contineat, Jure etiam Positivô, eô saltem casu toleratur, quô inter creditorem & debitorem conventur; ut, si debitum constitutô tempore non fuerit solutum, pro ejus securitate constitutum pignus pretiô justô sive eô, quô arbitriô boni viri æstimatur, empti vel in solutum sit datum, *l. Fundus 16. §. fin. ff. hîc*; cùm hac pactione ultra sortem nihil exigatur: & debitor non magis laedatur, quàm si rem vendat, Panormit. *in c. cit. n. 6.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 2. n. 8. V. Secundò.* Simili modo favorabilis sustinetur cautio, quâ pro ea in pecunia promissa socer vg. genero oppignorat fundum eô pactô; ut, si pecunia debito tempore numerata non fuerit, in dotem datus sit fundus. Quod pactum ea ratione defenditur; quòd, socer aut alius in dotem plus quàm initiò promisit, dare & gener accipere possit: & ejusmodi cautione in dotem certam quantitatem pecuniæ vel, istâ in tempore non numeratâ, fun-

tâ, fundum, ex cujus fructibus interea uxor alatur & cætera conjugii onera supportentur, oppignoratum promisisse censeatur, Guido Pap, *decis. 6.* & Azor *p. 3. Inst. lib. 7. de Pignoribus cap. 10. V. Quæ res postremò.*

24. Postrema difficultas est de Cautione usufructuarii: quam iste, si usus fructus propriè dictus seu constitutus sit in rebus, quæ usu non absumuntur, præstare debet, de ejusmodi re imprimis utendô salvâ substantiâ, *l. 1. ff. de Usufructu* & arbitriô boni viri, hoc est, eâ moderatione; ne pereat, deterioretur, usucapiatur, sicut
25. faceret in rebus suis propriis, *l. 1. §. 3. ff. Usufructuar. quemadm. cau.* deinde de restituendo eo, quod finito usufructu extabit, videlicet re vel, si hæc ejus culpâ interiit, ejus æstimatione, *l. 1. cit. §. 7.* Si verò Ususfructus improprius sive in pecunia aliisve rebus fungibilibus, quæ ipso usu consumuntur, constitutus sit, cavere solùm debet, se finitô usufructu tantam vg. pecuniæ quantitatem, quantam acceperat, vel aliam rem fungibilem ejusdem valoris & qualitatis, vel istius æstimationem restituturum, *l. Si uni 7. ff. de Usufructu earum rer.* Cujus Imperialis & à Gregorio IX. *c. fin.* confirmatæ dispositionis, & inter ejusmodi rerum usûsfructûs differentiæ ea ratio est; quòd rerum, quæ usu non consumuntur, penes usufructuarium solùm utendi & fruendi jus, non etiam dominium sit; ac proinde dominus proprietatis rectè exigat cautionem, quâ tam de moderatô earum usu, quàm de restitutione sit securus: contrà pecuniæ & cæterarum rerum usu consumptibilium ipsum etiam dominium sit penes usufructuarium: &, si iste iis utatur, nihil remaneat. Unde, cùm post usum non ipsæ res, utpote ipsô usu absumptæ, sed aliæ ejusdem valoris & qualitatis, earúmve æstimatio solùm restitui queat, de istarum duntaxat restitutione, finitô usufructu facienda, cautio exigi potest, Fachineus *Controvers. Lib. 8. cap. 41. V. Ratio*; Zœsius *in ff. Usufructuar. quemadm. cau. n. 1. & 2.* Molina *Tract. 2. disp. 7. n. 15.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 5.*

Cautionem autem, de utendo re arbitriô boni viri, eáque finitô usufructu restituenda, idoneam esse oportere, *c fin. cit.* decisum, & per pignora & fidejussores, si potest, præstandam, apud DD. passim receptum est. Si autem, inopiâ obstante, dare pignora aut fidejussores invenire usufructuarius nequeat, an juratoria cautio admittenda sit, Menoch. *de Arbitr. casu 139. n. 1.* relinquit arbitrio judicis, qualitatem personæ usufructuarii, an ea proba & honesta aut suspecta sit, rerúmque & locorum circumstantias ponderantis; ut, si istis perpensis interitûs vel deteriorationis aut corruptionis periculum non sit, juratoriam ab inope usufructuario admittat, *Auth Generaliter C. de Episc. & cleric. & Novell. 112. cap. 2.* Sin, eam rejiciat, & usufructuario proprietarium, tanquam custodem, adjungat: vel rem fructuariam sequestret apud virum bonum, qui ei fructus præstet, *arg. l. Sed si is 5. § 2. ff. de Carbon. Edicto*, Panormit. *in c. fin. cit. n. 6.* Perez *in C. de Usufructu, n. 5.* & Gonzalez *in c. cit. n. 2.* 26.

An cautio ista Usufructuario remitti 27.
valeat, dubium & ratio dubitandi est; quòd non sit de substantia ususfructûs, *arg. l. Hoc Senatus consultum 5. §. 1. ff. de Usufructu earum rer. quæ usu*; cùm re utendi fruendi jus subsistere queat, etiamsi cautionis præstatio, sit omissa. Unde cautionis remissio generaliter permissa videri potest. Sed hac in re, licet DD. mirè varient, frequentiori tamen eorum calculô recepta est distinctio inter Usumfructum, relictum testamentô, & contractu inter vivos constitutum; cùm in illo,

sive proprius sive improprius seu quasi usufructus sit, cautionem fructuario remitti à testatore non posse, & remissionem non tenere, satis clarè habeatur *l. 1. C. de Usufructu l. Scire 7. C. Ut in possess. leg. & l. Si pecuniæ 6. ff. Ut in possess. legat.*

28. In isto autem, sive inter vivos constituto, eam remitti à constituente posse, communis sit doctrina, quam cum Gomez *Lib. 2. Var. cap. 15. n. 3.* Pinello *in l. 1. C. de Bonis matern. p. 2. n. 75.* Guttierez *in l. Nemo 55. ff. de Legat. 1. n. 287.* & aliis defendunt Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 23. §. 2. n. 10.* & Harprecht *in §. Constituitur 2. Instit. de Usufructu n. 200.* & persuadet ratio; quòd, ejusmodi cautionis, sicut præstatio introducta, sic remissio prohibita sit testatori *ll. citt.* quæ cùm expresè loquantur de testatore usumfructum relinquente, earum dispositio extendenda non est ad usumfructum contractu constitutum inter vivos, sicut à DD. numerô & nomine potioribus etiam non extenditur ad hæredem; quòd ejusmodi remissio testatori denegetur in favorem hæredis, in cujus favorem cautio est introducta, *l. Si de pecunia 2. & l. Tribus 8. ff. de Usufructu ear. rer.* qui proinde huic suo favori renuntiare, *c. Si de terra 6. de Privileg. & l. Si quis 29. C. de Pactis* & cautionem remittere potest, Glossa *in l. 1. cit. V. Cautionem, ubi* Bartol. *n. 11.* Salicet *n. 3.* Pinell. *l. cit. n. 76.* Guttierez *in l. Nemo cit. n. 280.* & Harprecht *n. 16.*

Neque de eo, qui inter vivos usumfructum tribuit, dictis adversatur *l. Usufructu 4. C. de Usufructu*, quâ satisdatio sive cautio exigitur, sive usufructus testamentô sive voluntariô contractu constitutus sit, quia secundùm *l. cit.* etiam in posteriori usufructu præstanda cautio est, si exigatur & non remittatur; cùm eam cautionem remittere neque, qui illum inter vivos tribuit, neque hæres: sed solus testator prohibeatur *ll. citt.* Palao *cit. §. 2. num. 10.*

TITVLVS XXII.

De Fidejussoribus.

SUMMARIUM.

1. *Natura Fidejussionis,*
2. *Non consistentis sine obligatione principali:*
3. *Certam tamen verborum formam non exigentis.*
4. *Fidejubere nequit Infans &c. Servus,*
5. *Minor sine curatore, si quem habet,*
6. *Miles in castris & expeditione versans,*
7. *Mulier tuta est SC.to Velleiano:*
8. *Cujus beneficium variis casibus cessat,*
9. *Eique renuntiari: at non simpliciter,*
10. *Sed cum juramento potest,*
11. *Clerico fideiubendi, non facultas,*
12. *Sed facilitas & levitas adempta est.*
13. *Sic tamen intercedens obligatur.*
14. *Religiosus sine Prælati licentia pro alio:*
15. *Et pro ipso, sine illa contrahente, alius validè non intercedit,*

16. Pro-

16. *Prælatis etiam fidejussio non semper permissa:*
17. *Aliquando obnoxia est Censuræ suspensionis,*
18. *Episcopum malè fidejubentem non afficientis.*
19. *Fidejussor in eam, in quam principalis debitor, vel minorem,*
20. *Non in majorem summam obligatur:*
21. *Nisi ad hanc se obliget juramentô.*
22. *Idem ad solutionem tenetur, deficiente principali debitore.*
23. *Defenditur tamen beneficiis I. Ordinis sive Excussionis,*
24. *Cessantis variis casibus:*
25. *Non tamen casu, quô juratus intercessit.*
26. *II. Divisionis,*
27. *Si etiam non semper patrocinantis.*
28. *III. Cedendarum Actionum.*
29. *IV. Liberationis,*
30. *Ad quam variis casibus agere potest.*

1. PIgnoratitiæ Cautioni succedit Fidejussoria: quâ quis creditorem fide sua securum esse jubet, *l. Ubi 75. §. 6. ff. de V. O.* sive alienam obligationem in se suscipit in eventum, quô eam debitor non est impleturus. Fidejussio ergo est Contractus, quô quis promittit se soluturum, quod debet alius, istô tanquam principali debitore nihilominus manente obligatô; fidejussoris enim obligatio accessoria est obligationi principali, quam sive ex contractu vel quasi, sive ex delicto vel quasi ortam supponit, ut sine ea consistere non possit, *l. 1. & l. Græcè 8. §. 6. ff. de Fidejussoribus.*

2. Quare, licet Fidejussioni locus sit in omni conventione & obligatione, sive Re, sive Verbis, sive Literis vel solo Consensu contrahatur: nec interest utrum Civilis vel Naturalis obligatio sit, *l. 1. l. Et commodati 2. ff. & §. 1. Instit. eâdem Rubr.* ubi tamen hæc omnino invalida est, puta cùm quis fidejubet in contractu, sive ex ipsa rei natura, sive ex humani Juris dispositione reprobatô, vg. in promissione Usurarum, vel rei temporalis prô beneficio Ecclesiastico, vel alia re seu jure spirituali aut huic annexo, nulla etiam est fidejussio, *l. Cùm lex 46. ff. Rubr. cit.* cùm, deficiente principali, quod ei est accessorium, non subsistat, *Reg. Cùm principalis 178. ff. & Reg. Accessorium 42. in 6.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 28. n. 5.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 539. n. 4.*

Quantumvis autē ad fidejussionem, tanquam speciem aliquam Stipulationis, Civili certa aliqua verborum forma requiratur, *l. Græcè cit. pr. & l. Blanditur 12. C. hâc Rubr.* Canonicô tamen Jure ad certa verba non restringitur: imò hodiernis moribus usúque Germaniæ nostræ generali etiam per epistolam & procuratorem inter absentes contracta valet, teste Harprecht §. *fin. Instit. hîc n. 3.* 3.

Fidejubere possunt omnes, qui possunt obligari: nisi specialiter prohibeantur, Præter Infantes autem Furiosos, hísque similes: uti & Pupillum sine authoritate tutoris; quòd sine isto obligari nequeat, §. *Neque 1. Instit. de Auth. tutor.* fidejubere prohibentur 4.

Primò, Servus: nisi jussu domini, vel ex re peculiari fidejubeat, *l. Servus 19. & l. Sed & si 20 ff. hâc Rubr.* cùm extra istam non habeat, ex quo fidem suam liberare & pro debitore principali solvere possit. Quod tamen de servis propriè, non etiam impropriè dictis, sive Adscriptitiis & Originariis, sive iis, quos propter quandam cum servis similitudinem homines proprios, vulgò Leibaigne vocamus; hi enim, cùm reipsa

homines liberi sint: & habeant propria bona, quæ alienare valent, fidejubendô pro aliis intercedere non prohibentur, Zæsius *in ff. de Fidejuss. & mand. n. 3.*

5. Secundò, Minor habens curatorem; etsi enim, quando personam tantùm suam vg. ad operas sine curatoris authoritate obligavit, teneatur, *arg. l. Puberes 101. ff. de V. O.* intercessio tamen ejus pro alio sine illius authoritate non subsistit; cùm per eam periculo læsionis in patrimonio sive rebus suis exponatur, ut rectè advertit Haunold. *Tom. 3. Tract. 9. n. 58.* Cum curatore autem, vel si eum non habeat, solus si fidejubeat, tenetur quidem, sed læso in integrum restitutionis remediô succurritur. Idem cum Gomez *Lib. 2. Var. cap. 13. n. 19.* & *cit.* Molina *disp. 540. n. 25.*

6. Tertiò Miles, qui in castris atque expeditione versatur & stipendia meret, *l. De die 8. §. 1. ff. Qui jurisd. cog.* ne, dum privatis negotiis occupatur, à studio & officio suo militari & Reipublicæ defensione avocetur, *ll. Milites 30. ff. Locati & 15. C. de Re militari.* Quæ ratio cùm in nostri seculi militibus in expeditione versantibus procedat, *ll. citt.* dispositio etiam in his locum habebit, Harprecht *in pr. Instit. de Fidejuss. n. 79.*

7. Quartò Mulier: nec solùm, ut antiquitus, pro marito, *l. Et primò 2. pr. ff. ad SC. Velleian.* quòd ad intercessionem pro isto vehementiori amore magìs incitari, imò reverentiali metu adigi aliquando soleat: sed pro qualibet, etiam pro omnino extranea persona *l. 1. §. 1. &c. ff. & C. Rubr. cit.* quibus mulier à fidejussionibus generaliter removetur, propter sequioris sexûs naturalem & multis captionibus deceptionibúsque obnoxiam imbecillitatem; & quòd intercessio sit officium civile ac virile, *l. Femina 2. ff. de R. I.*

Neque refert; quòd, si mulier contrahat, & principaliter propriòque nomine subeat obligationem, adversus hanc SC.ti Velleiani alióve beneficiô magìs, quàm mares, non adjuvetur, *l. Quamvis 8. §. 1. & l. Si mulier 11. ff. ad SC. Vell.* quia id non mirum; cum in principalibus obligationibus patrimonii diminuendi periculum citiùs advertat, quàm in fidejussionibus: in quibus, ne id facilè advertat, facit spes solutionis promissæ ac petendæ à debitore principali, ut rectè observant clarissimi duo Antecessores ex TT.is Haunold. *l. cit. n. 122.* ex ICT. Magnificus & amicissimus Collega D. Bassus *Justinian. Decis. 18. n. 4.*

Præter casum, quô principaliter obligatur, SC.ti beneficium mulieri non prodest. Primò, si ipsa major pro alio intercedat apud creditorem minorem, & is, pro quo intercessit, non sit solvendo; cùm eô casu, ne minor debitô suo defraudetur, ipsa valeat conveniri, *l. Si apud 12. ff. de Minoribus.* Secundò, si pro alia muliere quôcunque modô, etiam nudô pactô, dotem promiserit, favore dotis SC.ti beneficium adimente, *l. fin. C. ad SC. Vell.* uti etiam, si intercedat pro servo; ut consequatur libertatem, *l. Veterum 24. C. eâdē Rubr.* Quòd cùm receptum sit favore libertatis, quæ causa Pia est, mulierem in alia etiam causa Pia fidejubentē SC.ti beneficiô non adjuvari, *arg. l. Veterum & l. fin. cit.* cum nonnullis aliis vult Tiraquell. *Causa pia Privileg. 113.* Tertiò si, se ex fidejussione non teneri sciens, nihilominus pro alio intercedat, itáque creditorem ignorantem decipiat, *l. Si decipiendi 30. ff. ad SC. cit.* Idem esset, si præsens expressè vel tacitè, sed tamen sponte consentiret, ut bona sua à marito quasi propria obligarentur, *l. Si sine voluntate 5. C. ibi*

C. hic ubi rationem Imp. eam reddit; *Quoniam* SC.to *infirmitati, non calliditati mulierum consultum est*: & *Jura deceptis, non decipientibus opitulantur*, §. 3. *l. Et primò cit.* Quartò, si pro fidejussione pro extraneo (non pro marito) interposita accepit pretium, *l. Antiqua 23. C. Rubr. cit.* non quodcunque minimum: sed quod respectu periculi fidejussionis, si venderetur, justum foret, Bruneman, *in l. cit. n. 2.* quòd non tam sexûs imbecillitate, quàm cupiditate lucri ducta intercessisse; ac proinde indigna videatur beneficiô SC.ti, quod quasi pretiô nummariô æstimavit. Quintò si, postquam ipsa se vel res suas pro extraneo (non pro marito) obligavit, integrô biennio à prima obligatione elapsô, pignus dedit, aut obligationem in se susceptam ratam habuit, *l. Si mulier 22. C. Rubr. cit.* Quô casu SC.ti beneficium adimendi ratio fuit; quòd fidejussio maturô consiliô facta & confirmata videatur; cùm biennii spatiô sæpius cogitare potuerit & ex fidejussione imminens periculum evitare.

9. An etiam, si SC.to mulier renuntiet, magnâ Opinionum varietate agitata controversia est. Et omnium quidem totius mundi tribunalium usu illius renuntiationes pro validis haberi, testis est Albericus *in l. fin. §. fin. ff. ad Velleian.* apud Gaill. *Lib. 2. observat. 77. n. 1.* quod Jure etiam Bavaricô Landrecht *Tit. 1. art. 12. &c.* approbatur: dummodo certæ & *ibi* præscriptæ solennitates observentur. Juri autem communi Scripto & ejus conditorum intentioni magis conformis sententia est, ejus beneficio renuntiari saltem simpliciter non posse; ne illô intentus finis facilè eludatur; cùm mulier eâdem facilitate, quâ solutionis à debitore præstandæ spe ad fidejubendum, etiam ad renuntiandum inducatur: & propterea permissâ renuntiatione fragilitati & imbecillitati mulierum minùs, quàm leges voluerunt, esset consultum. Quæ ratio non parùm confirmatur partim ex eo; quòd leges biennii spatium exigant; ut repetitâ fidejussione prior ratificetur *l. Si mulier cit.* minimè obscurô indiciô, eam priùs ratificari etiam renuntiandô non posse: partim verò; quòd ejus renuntiatio certis casibus ex speciali ratione approbetur, *l. fin. §. fin. cit. & Auth. Matri, C. Quando mul. offic. tut. fungi*, argumentô satis clarô, ejus renuntiationem saltem simplicem regulariter non tenere, *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. V. Denique, ff. de Instruct. & instr. leg.*

Sicut simpliciter, sic etiam cum juramento renuntiari SC.ti beneficio à femina non posse, resolvit Hunnius *Vol. 1. in Treutl. disp. 24. q. 8.* quantumvis ista ejus à Jure sibi indulti sit certa. Sed contra torrentem cæterorum DD. juramentum, quô ea Velleiano renuntiat, pro obligatorio habentium, cum Gomez *cit. cap. 13. n. 17.* Covarruvia *in c. Quamvis 2. de Pactis in 6. p. & §. 2. n. 5.* & Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 20. n. 2.* Rationem reddit Molina *cit. disp. 540. n. 12.* quòd ejusmodi juratæ renuntiationis observantia vacet omni peccatô & culpâ; ac proinde locus sit Regulæ *c. Quamvis cit. & c. Cùm contingat 28. de Jurejurando.* Quæ Opinio confirmatur Imprimis paritate minoris, in integrum Restitutionis beneficio renuntiantis cum juramento: quô præstitô minori ad beneficium illud recursum non esse, communis sensus est DD. Deinde; quia SC. renuntiatio à muliere facta cum juramento propter istius religionem non minùs matura & deliberata esse censetur, quàm fidejussionis post biennium facta renovatio, quâ SC.ti beneficium 10.

neficium adimi, est dictum.

11. Quintò à fidejussionibus removeri videntur Clerici, *can. Te quidem 26.* ibi, *Ne fidejussor existas*, 11. *q.* 1. *& c. 1. hâc Rubr.* cujus palmaris textus est, *Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatus*, hoc est, deponatur, juxta *can. 20. Apostol.* Gonzalez *in c.* 1. *cit. n.* 1. A sacris Canonibus non divertit Justinianus, clericum à fidejussionibus arcens *Novell. 123 cap. 6.* & arcendum suadet ratio; ne litibus & negotiis secularibus implicatus à Divinis officiis abstrahatur.

Sed hoc generaliter & indistinctè verum non est; cùm ab Ecclesiastico vir bonus pronuntietur, qui fidejubet pro proximo suo, *cap. 29. v. 18.* & S. Gentium Doctor pro Onesimo propriâ syngraphâ interceserit *Epist. ad Philemonem v. 19.* Imò, naturali Jure pro proximo egente intercedere, si fidejussor idoneus sit, quemlibet obligari, tradat Archidiacon. *in can. Sicut q.* 1. *cit.* & juramentum de non fidejubendo, cum Panormit. *in c. Si verò 8 de Jurejurando n. 5.* pro invalido habeat Rodericus *de Annuis reddit. Lib. 2. cap. 12. n. 6.* quia fidejussionis actus ad usum commercii humani necessarius, imò virtutis Misericordiæ & Charitatis proximi actus est; cùm inopiâ laboranti eâ subveniatur.

12. Quare clericum Secularem non solùm ex fidejussione obligari; ut, debitore principali deficiente, de bonis propriis satisfacere ipse teneatur, juxta *c. Pervenit 2.* sed insuper eâ pro alio se obligandò, cùm id justa causa necessitatis proximi & Charitas suadet, laudabile piúmque opus exercere, res est omnino indubitata.

Neque obstat *can. Te quidem vel c.* 1. *citt.* quia iis non reprobantur simpliciter fidejussiones quæcunque, quibus egestate oppressis cæterisque miseris personis subvenitur; sed eas duntaxat libere interponendi levitas & frequentia; ut ex earum assiduitate clericus negotiis secularibus & litibus forensibus implicetur; hoc enim est fidejussionibus intervire: quod *c.* 1. *cit.* reprobatur, Gonzalez *in c. cit. n. 4.* Non male etiam cum Panormit. in eundem textum *n.* 1. *& 4.* alii eò potissimum damnari asserunt facilitatem fidejubendi in præjudicium & damnum Ecclesiæ, cujus redditum solam administrationem clerici habent; hoc enim faciens iubetur abjici seu deponi, ut Interpp. communiter secundùm *can. 20. cit.* vel, ut non infimè verbum illud exponit idem Panormit. *n. 6.* ab intercessionibus repelli; ut, si debitor principalis pro fidejussore producat clericum, iste non facile recipiatur à creditore; quippe cui per fidejussorem clericum minùs est provisum; quòd propter geminum Fori & Competentiæ privilegium multò quàm alii difficiliùs conveniatur.

Ex illicitis tamen ejusmodi intercessionibus clericum obligari, & de bonis suis patrimonialibus vel quasi patrimonialibus, hisque deficientibus de ipsis beneficii redditibus, quos jam percepit, creditoribus satisfacere, retentò tamen ne ipse egeat, compelli ex *c. Pervenit cit.* cum Panormit. *ibi n.* 12. tradunt Gomez *cit. cap. 13. n. 18.* Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 17. n. 17.* & Molina *cit. disp. 540. n. 21.* quia multa licita Jure prohibentur, quæ tamen facta roboris obtinent firmitatem *c. Ad Apostolicam 16. de Regular. &c.*

Sextò fidejubere sine Prælati licentia & majoris partis capituli consensu prohibetur Religiosus *c. Quod quibusdam 4.* quia proprium nolle & velle, & res, de quibus creditori satisfacere queat, non habet,

habet, *can. Non dicatis, 12. q. 1. & c. Si Religiosus 27. de Electione in 6.*

An autem à Religioso sine Prælati licentia facta intercessio valida sit, dubium & ratio dubitandi est; quòd juxta dicta clerici, inconsultè & illicitè pro aliis intercedentes, creditoribus teneantur. Sed alia, quàm istorum, ratio est Religiosi; cùm enim iste non habeat, ex quo, principali debitore deficiente, creditoribus satisfaciat, eum ex fidejussione obligari, cum Hostiensi *in c. Quod quibusdam cit. n. 2.* & Franco *in c. Ut periculosa 2. pr. Ne clerici vel monachi in 6. n. 6.* meritò negat Molina *l. cit. n. 23.* etiam cùm de Prælati sui licentia in studiis versatur; etsi enim hujusmodi Religiosi Scholaris contractu monasterium obligari valeat in iis, quæ necessaria sunt ad studiorum utilem prosecutionem, pro alio tamen intercedendò monasterium & ipsum etiam peculium, studiorum causâ à Prælato sibi concessum, obligare Religiosus non potest, Panormit. *in c. Quod quibusdam cit. n. 3.* Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 42.* & Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 3. q. 6. n. 35.*

15. Pari ratione ex fidejussione probabiliùs non obligatur is, qui intercedit pro Religioso, sine expressa vel tacita licentia Prælati contrahente, & promittente rem aliquam temporalem, ut cum Panormit. *in c. Ex rescripto 9. de Jurejurando, n. 1.* Alex. de Nevo *in cit. c. n. 6.* non obscurè sentit Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 15. n. 3.* Ratio est; quia ex una, deficiente obligatione principali, fidejussoria, tanquam accessoria, non subsistit, *l. Cùm lex 46. ff. hâc Rubr. & Reg. Accessorium 42. in 6.* Ex altera verò parte, Religiosus, cùm careat non solùm nolle & velle, à Prælati voluntate independente, sed etiam propriò peculiò, sive rebus temporalibus, ex quibus creditori satisfaciat, *can. Non dicatis cit.* ex contractu, quò rei temporalis præstationem promittit, nullam etiam naturalem contrahit obligationem; cùm ad transgressionem voti Paupertatis, utpote iniquam & peccaminosam, obligari utique non possit.

Neque his adversatur; quòd Religiosus obligetur ex Votis editis absque licentia Prælati, donec ab isto irritentur. Cur non etiam saltem naturaliter obligetur ex promissione facta homini? Non, inquam, hoc adversatur; quia, licet Deo & homini etiam factâ promissione ita obligari queat ad alias actiones: obligari tamen nequit ad præstandam rem temporalem, sine Prælati licentia promissam; cùm sine istius licentia eam præstare licitè, & sine voti Paupertatis transgressione non valeat: ad quam tanquam actum peccaminosum obligatio nulla est, nec aliqua esse potest, secundùm receptissimam Glossam *in can. Faciat 15. V. Quod potest, 22. q. 2.*

Septimò demum fidejubere ipsi etiam Prælati prohibentur, *can. Te quidem cit.* quò fidejussio ipsis etiam Episcopis est interdicta. At, licet hoc aliqui asserant indiscriminatim, minimè tamen perpetuum: sed adhibitò distinctionis moderamine temperandum est; cùm, si Prælatus pro aliis intercedendò solos mensæ suæ reditus, & in quantitate notabile dammum aut periculum Ecclesiæ non afferente obliget, fidejussio de Jure subsistat; quia id faciendi potestas, præsertim ad Charitatis officium exercendum, pertinet ad liberam administrationem Prælatorum, *arg. c. Fraternitatis 2. de Donat.* ubi ex justa causa eis moderatæ donationes permittuntur, Sylvester *V. Fidejussio, q. 4.* & Laiman *Tract. de Alienat. Canon. n. 98.* Quare *can. cit.* sine justa causa & frequenter, vel in 16.

Ecclesiæ aut Monasterii sui detrimentum, & in magna quantitate pro aliis fidem suam interponere, itáque Ecclesiam aut etiam mensam suam gravare prohibentur: etsi, quando id faciunt cum consensu Capituli vel Conventûs, ex fidejussione Ecclesia vel Monasterium obligetur, *arg. c. Quod quibusdam cit.* quia Prælatus cum Capitulo vel Conventu ipsam Ecclesiam vel Monasterium repræsentat. Casu tamen, quô etiam hujusmodi aut alia fidejussione notabile damnum Ecclesiæ inferretur, huic in integrum restitutionis remediô subveniretur, *arg. c. 1. & c. Auditis 31. de In integ. rest. cit.* Laiman *n. 99.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 11.*

17. Prælati autem, qui Ecclesias pro alienis debitoribus fidejubendô, vel ad istorum debita expungenda sigilla aut literas, quibus Ecclesia pro ipsis obligetur, tradendô gravare præsumunt, ab administratione in spiritualibus & temporalibus suspenduntur; ut nec beneficia aliáque ministeria Ecclesiastica conferre, nec super Ecclesiæ suæ rebus ac bonis litem movere aut motam prosequi, neque alios jurisdictionis & administrationis actus valeant exercere, *c. Si quorundam 2. de Solut.* ut ita puniantur, in quo deliquerunt, *c. Literas 13. de Temp. Ordinat.* & priventur usu potestatis, quâ, ad Ecclesiæ utilitatem & commoda promovenda sibi providè concessâ, in ejus præjudicium & damnum temere sunt abusi, Vivian. *in c. cit.* & *ibi* Gonzalez *n. 8.*

18 Etsi verò *c. cit.* dispositione Episcopi quoque comprehendantur; ut ad alienorum debitorum, quibus Ecclesias suas gravant, solutionem istæ non teneantur: ad eos tamen non extenditur pœna suspensionis; quòd propter Pontificalis officii reverentiam & subditorum utilitatem quâcunque constitutione latis suspensionibus, uti & interdictis non afficiantur: nisi in iis Episcoporum expressa mentio habeatur, *c. Quàm periculosum 4. de Sent. excom. in 6. & c. Quod nonnullis 25. de Privileg.* Eam autem suspensionem, quam propter Ecclesiarum suarum gravamina inferiores Prælati incurrunt, si Ecclesia indemnis servata, eive pro illato damno satisfactio exhibita sit, relaxare Episcopi possunt, ex Sylvestri *V. Suspensio n. 6. d.* 10. benigniori sententia, quam Palao *Tract. 30. disp. 4. p. 10. §. 2. n. 4.* & Pirrhing *ad Rubr. de Solut. n. 8.* sequuntur, quòd nullibi reservata, neque etiâ lata sit in perpetuum: sed indefinitè & sine ulla certa temporis determinatione; cujusmodi suspensiones relaxandi potestatem cum Glossa *in Clement. 2. §. Verum, V. Excommunicationis, de Hæreticis,* & Innocentio *in c. Si quorundam cit.* Episcopis adstruunt Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. pr. n. 15.* Laiman *Lib. 1. Tract. 5. p. 3. cap. 4. n. 3.* & *cit.* Palao *p. 9. n. 1.*

Personæ fidejubere Jure non prohibitæ, pro alio intercedendô se obligare possunt in eandem summam, quam principalis debet, vel etiam in minorem, sive ejus duntaxat aliquam partem, ut si principalis debitor in centum, ipse in quinquaginta aut viginti duntaxat obligetur, *l. Fidejussores 9. ff. hâc. Rubr.*

An etiam in summam majorem, quàm ille debet, dubitandi ratio est; quòd fidejussor obligari possit efficaciùs & arctiùs quàm debitor principalis; ut, cum iste solùm naturaliter, ipse civiliter, *l. Fidejussor 16. §. 3. ff.* cùm principalis simpliciter, ipse sub instrumento habente paratam executionem, sub juramento, vel cum hypotheca, *l. Creditori 2. l. Pignoribus 25. C.* imò etiam sub pœna, si in mora sit, præstandâ obligę-

obligetur, Glossa *in l. Sicut 65. ff. hâc Rubr. citt.* Gomez *cap. 13. n. 1* & Molina *disp. 541. n. 7.* Sed, licet hæc ita se habeant, in plus tamen sive summam majorem, quàm principalis debet, obligari fidejussor de Jure nequit, *l. Græcè §. §. 7. ff.* & *§. Fidejussores 5. Instit. Rubric. cit.* cùm, ut dictum, Fidejussoris obligatio sit accessoria: absurdum autem utique sit, plus esse in accessione, quàm est in re principali: & ab æquitate alienum; ut ejus, qui nullô Jure cogente & solô proximi amore ductus fidem suam pro altero interponit, gravior damnosiórque conditio sit, quàm principalis.

Imò fidejussores in plus, quàm principalis debet, se obligantes, omnino, hoc est, non solùm ad excessum, sed ad id etiam, quod principalis debet, non obligari, non pauci volunt & desumitur ex *§. 7. cit.* verbis, *Placuit eos omnino non obligari.* Sed parùm benignè, & minùs probabiliter; quia ex una, in his, quæ divisionem seu separationem accipiunt, utile per inutile non vitiatur, *Reg. 37. in 6.* & excessus habetur pro non adjecto: ex altera verò parte, *§. cit.* aliqui *Non omnino* pro *Omnino non* legendum putant: alii ea, ut jacent, accepta referunt ad excessum, & ad hunc ab ipso etiam Ulpiano relata, satis liquet; quod ICT.^9 iste, *De universis*, qui pro aliis intercedunt, statuat, eos in duriorem causam omnino non obligari: cæteros autem intercessores, nempe constitutores & mandatores, si pro majori summa intercedant, ad summam in principali obligatione comprehensam obligari, Juris sit omnino indubitati, *l. Hactenus 11. §. 1. ff. de Constit. pecun.* & *l. Rogatus 33. ff. Mandati.* Quare etiam fidejussorem, in plus se obligantem, *Omnino non*, hoc est, non in solidum sive totam summam, sed ad solam quantitatem à principali debitam obligari, meliori ratione defendunt Gomez *cit. cap. 13. n. 2.* Molina *disp. 541. n. 3.* Zœsius & Perez *ad hanc Rubr.* ille *in ff. n. 9.* iste *in C. n. 16.* quòd quantitas minor insit majori; ut hanc promittens etiam minorem promisisse censeatur.

21. Casu etiam, quô fidejussor in plus, etiam cum juramento, se obligavit, eum ad plus, quàm principalis debet, non adstringit Zœsius *l. cit. n. 12.* quòd juramentum sequatur naturam actûs, cui est adjectum, *l. fin. C. De non numer. pec.* Verùm, quia hoc quoad valorem & obligationem non generale *arg. c. Debitores 6.* & *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando*: & juramentum, cùm sine salutis dispendio & tertii præjudicio potest, opere adimplendum est, *cc. citt.* & *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* ità jurantem ad præstandum etiam excessum, non quidem ex Justitiæ, tanquam debitori principali accessorium: sed ex Religionis duntaxat virtute, & tanquam promissorem & debitorem, quoad excessum, principalem ratione juramenti obligari, cum Bartolo *in l. Cùm pater 77. §. Filius 2. ff. de Legat. 2.* meritò defendunt Guttierez *p. 1. de Juramento cap. 22. n. 4.* & Molina *l. cit. n. 4.*

22. Fidejussionis pro alio legitimè interpositæ effectus præcipuus est; quòd, si creditor solutionem consequi à principali debitore non valeat, convenire possit fidejussorem: neque hunc solùm, sed ejus etiam mortui hæredes: sicut reo sive debitore principali mortuô ipsius hæres obligatur, *l. Fidejussoris 24. C.* & *§. Fidejussor 2. Instit. hâc Rubr.* cùm regulariter omnibus obligationibus ex contractu ortis defuncti hæredes constringantur, *l. Ex contractibus 49. ff. de O. & A.* cùm enim hæres & defunctus una eadémque persona esse censeantur, *No-*

vell. 48. pr. hærésque in universum jus defuncti succedat, *l. Hæreditas 62. ff. de R. I.* meritò defuncti debita solvere, ab eóque in se receptas obligationes subire cogitur; quâ enim ratione quis pacisscendô, tam sibi quam hæredi prospicere: eâdem etiam obligandô, tam hæredem quàm se adstringere intelligitur.

23. Ne autem officium Humanitatis fidejussori ejúsque hæredi nimis sit damnosum, quatuor beneficia à Jure sibi indulta habent.

Primum vocant Ordinis vel Excussionis: quod introductum est ab Imp. Justiniano, abrogante Jus vetus, fidejussorem æque ac debitorem principalem; imò ante hunc conveniri permittens, *l. Creditori 2. & l. Jure 5. C. hâc Rubric.* Quare hodie à creditore debitum petente conventus fidejussor, ante litem contestatam, imò secundùm aliquos etiam post hanc usque ad conclusionem in causa, opponere ei potest exceptionē, quòd solvere non teneatur, nisi priùs excussô debitore principali, notoriè constiterit, ipsum solvendo non esse, secundùm *Novell. 4. cap. 1. & Auth. Præsente C. de Fidejussoribus.*

24. Hoc tamen novi Juris beneficium fidejussori variis casibus non patrocinatur, & Primò quidem, si principalis debitor à provincia procul absit, vel etiam lateat; ut sine magnô negotiô & difficultate nequeat conveniri: nisi fidejussor ad eum sistendum tempus petat, *Auth. cit.* Secundò, si idem debitor notoriè non sit solvendô; quòd frustra petatur & instituatur excussio ejus, quem, unde solvat, in bonis non habere constat, *arg. c. Cùm olim 16. de Restit. Spoliat. & l. Nam is 6. ff. de Dolo.* Tertiò, si fidejussor, pro alio se interceſſisse, malitiosè inficietur, mendaciique postea convincatur, *l. Si dubitet 10. §. 1. ff. hic;* ne ex mendacio, quod leges maximè odio habent, fructum & legum auxilium consequatur, contra *l. Etsi 4. C. Si contra Jus & util. publ.* Quartò, si pro filio pater, *l. Denique 3. §. 4. V. Prinde*, aut alius interceſſit pro eo, qui non efficaciter & civiliter, sed naturaliter tantùm obligatur; cum enim Actio contra istos non competat, adversus eos locus non est excussioni, Haunold. *cit. Tract. 9. n. 108.* Quintò, si fidejussor ei beneficio specialiter renuntiavit; cùm enim iuri & favori pro se introducto renuntiare quivis possit, *l. Sed & §. 4. 4. ff. Si quis caution.* Ordinis vel excussionis beneficio expresè, vel saltem æquivalenter renuntians, vg. se principalem debitorē constituens, vel se ante hunc soluturū promittens fideiussione tenebitur; quia hoc nihil aliud est, quàm beneficio Ordinis renuntiare, Perez *in C. n. 23.* & Harprecht *in §. Si plures 4. Instit. hâc Rubr. à n. 28.*

Dubium est; an casu, quò Ordinis sive excussionis beneficium aliunde non cessaret, ei locus sit, si fidejussori adjectum sit juramentum. Ei enim locum non esse, cum Baldo *in c. Ex rescripto 9. de Jurejurando n. 2.* Guttierez *cit. p. 1. cap. 23. à n. 7.* Gaill. *Lib. 2. observat. 27. n. 21.* & alii desumunt ex *c. cit.* ubi, qui fidejussoriam obligationem juramentô confirmant, principali nolente, implere coguntur contractum, pro cujus impletione interceſſerunt, rationem reddunt partim; quòd fidejussio cum juramento præcisæ enixissimæque voluntatis & quasi expressæ renuntiationis vim habeat, *arg. l. Cùm Pater 77. §. 23. ff. de Legat. 2.* partim verò; quòd juramentum, cùm sine dispendio salutis & tertii præjudicio potest, omnino servandum sit, *c. Cùm contingat & c. Quamvis cit.* ac proinde eô adhibitô fidejussori

benti ad excussionis beneficium non sit recurrendum; ne nomen Domini in vanum sit assumptum.

Sed verius, Fidejussori etiam jurato Ordinis sive excussionis beneficium prodesse, cum Alciato *in c. Cùm contingat cit. n. 174.* Covarruvia *in c. Quamvis cit. p. 1. §. 4. n. 4.* & Gomez *cit. cap. 13. n. 21.* defendunt *cit.* Molina *disp. 545. n. 20.* Fachineus *Lib. 3. cap. 11.* & Perez *l. cit. n. 27.* nixi solida ratione; quòd juramentum sequatur naturam & conditiones actûs sive contractûs, cui est adjectum, *Reg. Accessorium cit. c. Ex parte 13. de Cleric. non resid.* & *l. fin. C. De non numerata pec.* fidejussoriæ autem obligationis natura sit, ut fidejussor ante reum principalem non conveniatur: &, antè conventus, excipere & ejus excussionem petere possit, antequam solutionem ipse præstet. Confirmatur; quia juramentum præstitum in materia Juris ad istius terminos est restringendum, & secundùm Juris dispositionem intelligendum, ut colligitur *ex c. Ex parte cit. c. Ad nostrã 21. & c. Clericus 35. de Jurejurando*; cùm jurans, qui aliud non expressit, Juris dispositioni se conformâsse præsumatur, Alciatus *de Præsumpt. Reg. 4 præsumpt. 32.* Unde fidejussor, sicut si simpliciter, sic etiam si cum juramento pro alio intercedat, super debito conventus recurrere poterit ad beneficium Excussionis; quia hoc, cùm summa æquitate nitatur, per juramentum sublatum dici non potest.

Neque adversatur *c. Ex rescripto cit.* quia ejus textu Papa fidejussores ad solutionem compellit; quin eis adimat beneficium Excussionis; cùm, ut solvat, etiam debitori mandet: & fidejussoribus solummodo præcipiat; ut, sicut jurârunt, conventionem faciant adimpleri: quòd ipsi exequi possunt, salvô beneficiô Excussionis, *citt.* Molina *n. 21.* & Fachineus *V. Ex hanc.*

Minùs urget ratio; quia beneficio renuntiatum ex solo juramento argui nequit; cùm hoc enixam quidem voluntatem declaret: sed præstandi id, quod fidejussor pro alio intercedendô promisit, scilicet quòd debitum solvere velit, deficiente debitore principali; ac proinde istô prius excusso. Quare, si excussô istô solvat, obsérvat juramentum, neque nomen Domini in vanum invocatum appareat; cùm, hôc suæ intercessioni adjectô, ad solutionem præstandam fortiùs, nec solius Justitiæ sed Religionis etiam vinculô fuerit adstrictus.

Alterum fidejussorum beneficium 26.
vocatur Divisionis; cùm enim plures pro eodem debito in solidum, hoc est, pro eodem debito singuli se obligârunt, omnes quidem pro eo tenentur, à creditore tamen hodie non ampliùs pro libitu eorum unus in solidum, totius debiti solutionem ab eo petendô, ut Jure antiquo: sed, si eo tempore, quò conveniuntur, omnes solvendo sint, singuli pro virili parte, ut obligatio inter ipsos dividatur, conveniri possunt, *l. Non rectè 3. l. Si inter 26. ff. & §. Si plures 4. Instit. hic*; ne officium suum ipsis nimiùm sit damnosum. Si verò tempore conventionis aliqui solvendô non sint, cæteri (imò etiam unus, si solvendô solus sit) onerantur, & ad totum debitum solvendum compelli possunt, §. *cit. V. Ideóque.* Aliud esset, si post conventionem sive judicium susceptum, unus bonis labatur; ut non sit solvendo; hoc enim cæteris fidejussoribus non nocet, sed soli creditori: qui sibi imputare debet, quòd illos tempestivè & cum solvendo essent, non convenerit, *l. Liberum 16. C. hîc.*

Porro cùm hôc beneficiô fidejusso- 27.
res non juventur ipsô Jure, sed ope exceptionis, *l. Non rectè & l. Si inter citt.*

qui hâc omissâ solidum creditori solveret, neque soluti partem tanquam indebitam repetere à creditore, neque à reliquis fidejussoribus petere posset, §. *cit. V. Sed si ab uno, & l. Ut fidejussor 39. ff. de Fidejuss.*

Præterea beneficium hoc non prodest fidejussoribus, qui pro uno tutore interfessérunt, rem pupilli salvam fore, si ab isto conveniantur, *l. fin. ff. Rem pupill. salv. fore*; ne una causa cum pupilli incommodo dividatur in plures. Deinde, quando se interfessisse fallò ac temere inficiati fuerint, *l. Si dubites 10. §. 1. ff. Rubr. cit.* uti &, si quis pro alio cum muliere intercessit; quia istâ privilegiò SCti. Velleiani subductâ, qui cum ea fidejussit, conveniri solus potest, *l. Si Titius 48. pr. ff. ibidem*; cùm scire potuerit ac debuerit, mulierem ex fidejussione non obligari, Perez *in C. Rubr. cit. n. 31.* & demum ei, qui beneficio Divisionis renuntiavit, *arg. l. fin. ff. & l. Si quis 29. C. de Pactis.*

Tertium eorum beneficium vulgò
28. dicitur Cedendarum Actionum; fidejussor enim casu, quò nec Ordinis sive Excussionis, nec Divisionis beneficiis ex aliqua causa uti potest, excipiendò à creditore, totum debitum exigente, petere potest; ut sibi cedat Actiones, quas adversus debitorem principalem, *l. Si mandatu 13. ff. & §. Si quid 6. Instit. hac Rubr.* adversus considejussores reliquos & pignorum possessores habet, *l. Fidejussoribus 17. ff. l. Cum alter 11. & l. Sicut 21. C. ibid.* Quod usque adeò verum est; ut, si fidejussori totum debitum solvere parato, sed sibi Actiones cedi petenti, eas cedere creditor recuset, vel suâ culpâ nequeat, iste ab agendo, & meritò repellatur; quòd, etsi cum fidejussore non convenerit, æquum tamen sit; ut huic debitum, pro quo intercessit, totum solventi, Actiones suas cedat; cùm hoc creditori non noceat, & prosit fidejussori; ut servetur indemnis.

Quartum eorundem beneficium est 29
Liberatio; quantumvis enim Regula sit, quòd fidejussor ante debiti solutionem à creditore liberationem impetrare non valeat, *l. Si pro ea 10. C. Mandati*, jure tamen proditæ sunt variæ ab ea exceptiones & casus, quibus ille, ut à fidejussione liberetur, agere contra principalem debitorem potest; veluti Primò, si debitor 30
nimis diu vg. decenniò vel longiori, an etiam breviori tempore, quod judicis arbitrio relinquitur, & culpabiliter protrahat solutionem, *c. fin. cit. & l. Lucius 31. § 1. ff. Mandati*; ne fidejussoris obligatio & periculum æquò diuturnius, & quodammodo perpetuum, evadat. Secundò, si idem debitor incidat in prodigalitatem, ut verendum sit; ne omnibus bonis labetur, ut nec creditori solvendo sit, nec fidejussori, & huic officium suum sit damnosum, *c. fin. l. Lucius & l. Si pro ea cit.* Tertiò, si fidejussor debitori principali à judice sit condemnatus; cùm enim adversus fidejussorem condemnatum parata in continenti sit executio, *l. 1. C. de Except. rei judic.* perinde, ac si jam solvisset, agere adversus debitorem potest, ut pro ipso solvat, *l. Si mandatu 45. §. 4. ff. & l. Si fidejussor 6. C. Mandati.* Quartò, si inter contrahentes convenisset; ut ante solutionem ad liberationem agere fidejussor possit, *l. Si pro ea cit.* cùm notissimi Juris Regula sit, contractus legem accipere à conventione, *l. Contractus 23. ff. de R. J.* Quintò, si fidejussor exurgente vel necessaria causa peregrè sit profecturus, diúque non rediturus, *arg. l. Filiusfamilias 8. §. fin. ff. de Procurat.* Quare Studiosus, qui pro alio intercessit, si ab una ad aliam Universitatem migret, petere potest, ut à fidejussione eximatur, Panormit. *in c. fin. cit. n. 4.* & Barbosa *ibid. n. 16.*

TITU-

TITVLVS XXIII.

De Solutionibus.

PIgnoribus & Fidejussionibus succedit solutio, de qua in tempore accipienda, illis tanquam idoneis cautionibus, creditor redditur securus.

ARTICULUS I.

De Mutuo.

SUMMARIUM.

1. *Mutui etymon & natura.*
2. *Perficitur traditione,*
3. *Rei functionem recipientis:*
4. *Cujus dominium transfertur in recipientem,*
5. *Cum obligatione eandem, non in specie,*
6. *Sed in genere, sive aliam similem,*
7. *Ad diem præfixam:*
8. *Vel si præfixa non est, cùm creditor petierit, reddendi.*
9. *Mutui contractus gratuitus est,*
10. *Et à contractibus aliis variè differt.*

1. MUtui nomen derivatum vel compositum est ex *Meo Tuóq;* cùm, si pecuniam aliámve rem fungibilem tibi mutuò dem, eam ex mea faciam tuam; ut ea à te expendendò liberè valeat consumi, *l. Mutuum 2. §. 2. ff. de Reb. credit & pr. Instit. Quib. modis re contrah. oblig.* tamúsque ejus interitus sit, *l. Incendium 11. C. Si cert. pet. & §. Item is 2. V. Et is quidem, Instit. Rubr. cit.*

Sumitur autem Mutuum aliquando pro ipsa re mutuò data: aliquando & hôc locô pro Juris gentium & nominato Contractu, quô ejusmodi res alteri mutuò conceditur. Posteriori hôc modô sumptum Mutuum à Bartolo in *l. Mutuum cit. §. fin. n. 8.* dicitur Contractus celebratus ab aliquo datione verâ aut fictâ rei, consistentis in numero, pondere vel mensura, spe tantundem recipiendi in genere suo: à qua JCT. definitione verbis, non sensu, discrepat illa TT. qui Mutuum esse aiunt, Traditionem rei in genere suo functionem recipientis eâ lege, ut statim fiat accipientis, & postea tantundem ejusdem generis & qualitatis reddatur, Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 299. n. 1.* Wading. *de Contract. disp. 6. dub. 2. n. 1.* & Haunold *Tom. 3. de J. & J. tract. 9. n. 293.* secundùm quos DD. ad Mutui substantiam & valorem requiruntur quinque.

2. Primum est Traditio plerumque vera & realis: ut, cùm in ipso contractu alteri ab altero pecunia vg. adnumerata traditur: aliquando ficta seu quasi traditio, ut cum pecuniæ ante depositæ dominium transfertur in depositarium; ut ex hoc solo partium consensu & fictione brevis manûs ex Deposito Mutuum, & Mutuatarius ex Depositario fiat, *l. Certi 9. §. fin. ff. Si*

ff. Si cert. pet. Donellus *Lib. 5. Comment. cap. 9. in fine* & Bruneman. *in l. cit. n. 6.* Ratio traditionem requirendi est; quia mutuum est contractus, qui perficitur re, istiúsque dominium transfert in accipientem, *pr. & l. Mutuum citt. §. 4.* rerum autem dominia non nudis pactionibus, sed traditionibus & usucapionibus transferuntur, *l. Traditionibus 20. C. de Pactis*; antequam enim pecunia vg. verè vel quasi seu fictè tradita sit, non Mutuum, sed pactio & mutui dandi promissio simplex est, in promittente pariens obligationem pecuniæ, si promissarius velit, numerandæ.

3. Secundum, tanquam Mutui materia, est res Fungibilis, sive talis, quæ ex natura rei vel consuetudine functionem, æqualem æstimationem & promiscuum usum recipiat, *citt. pr. & l. Mutuum* §. 1. & quantitate, sive numerô, pondere, aut mensurâ constet; quòd in communi usu & commerciis vel numerari, ut ova, tegulæ: vel ponderari, ut aurum, argentum, stannum, plumbum: vel mensurari vg. per urnas aut sextarios, ut vinum, oleum & cætera liquida, vel ut frumentum, legumina & similia solida per scaphas aut modios soleat. Quæ res etiam usu consumptibiles dicuntur; quòd proprius earum usus abusus sive consumptio sit; nam & pecunia, cùm pro aliis rebus expenditur, donatur, in solutum aut mutuô datur, licet physicè in rerum natura esse non desinat, moraliter tamen comparatione dantis dicitur consumi. Ratio, cur in rebus numerô duntaxat pondere & mensurâ constantibus Mutuum consistere possit, ea est; quòd, quando pro aliqua harum alia ejusdem generis sive naturæ, quantitatis, qualitatis & bonitatis redditur, in communi usu & prudenti æstimatione hominum eadem, quæ accepta est, restituta videatur, unáque alterius vice fungatur: quòd, licet aliquando in rebus aliis, puta equis, bobus, ovibus accidere possit, id tamen per accidens sit, & communiter paris qualitatis & æstimationis non soleant esse.

Quare, licet Mutuum in cujusvis sortis moneta, in aureis, argenteis aliisque nummis, majoribus, minoribus, æqualibus constitui possit: &, speciali pactione, statutô & Consuetudine seclusis, ex mutui contractu decem aureos accipiens viginti taleros & superioribus annis triginta, hôc tempore quadraginta florenos reddere valeat; quòd totidem taleri aut floreni decem aureis in communi usu & æstimatione hominum æquivaleant, id tamen per se non contingit, nec functionem communiter recipiunt, *cit.* Haunold. n. 312. Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 3. in fine* & alii, dissentiente Cujacio *Lib. 11. observat. 37.* & multa, quæ ex natura sua vel de consuetudine functionem de facto non recipiunt, in certis circumstantiis functionem recipere posse: &, si recipiant, atque à contrahentium altero alteri certus eorum numerus vel pondus cum dominii translatione & sub obligatione tantundem, sive totidem ejusdem generis & qualitatis seu bonitatis, post certum incertúmve tempus reddendi detur, mutuum contrahi asserente: cujus Opinionem, licet Hunnius apud *cit.* Haunold n. 313. monstrosam vocet, non obscure tamen approbat Bartolus *in l. Mutuum cit.* §. 1. *n. 17. & 18.* & amplectuntur Molina *cit. disp. 299. n. 3.* & Wadingus *cit. dub.* §. 2. *n. 3. in fine.*

Tertium est Translatio dominii: cum enim, juxta dicta, Mutuum dicatur; quòd ex meo faciat tuum, si rei fungibilis mutuô datæ dominium à mutuô dante in tuô datæ dominium à mutuô dante in mutuatarium non transferretur, non Mutui, sed alius vg. Comodati, Precarii, Locationis, vel nullus contractus foret, *citt. pr. & l. Mutuum §. 2.* Hinc profecto etiam quòd

quòd mutuum non contrahatur traditione rei furtivæ vique ablatæ, *l. Nam & si 13. pr. &* §. 1. neque etiam traditione rei suæ, facta à furioso, pupillo, alióve rerum suarum non habente administrationem, *l. Si à furioso 12. ff. Si cert. pet.* quòd tales rerum suarum dominium in alios transferendi careant potestate. Quodsi tamen res à prædictis mutuò datæ fuissent consumptæ, mutuũ reconvalesceret; quòd consumptio operetur dominii translationem; ut Condictione certi ex mutuo, sive specialis valeat recuperari, *l. Nam & si* §. 1. *citt. ubi* Zœsius *n.* 12. & Bruneman *n.* 2. Nisi dolò malò consumpta esset; tali enim casu rei perinde, ut si extaret, Vindicationem Utilem vel Actionem ad exhibendum dari, ex *l. Rogâsti* 11. §. *fin. ff. eâdem Rubr.* desumit *cit.* Haunold. *n.* 315. *concluſ.* 2.

5. Quartum est Obligatio reddendi, *pr. & l. Mutuum cit.* Quamvis autem eadem res in specie sive, ut Dialectici loquuntur, eadem numerò quæ accepta est, si consumpta non sit, reddi valeat, ex Mutui tamen contractu non in specie, sed in genere eandem sive aliam similem, puta pro pecunia aliam ejusdem valoris pecuniam, pro vino aliud ejusdem quantitatis, qualitatis & bonitatis vinum reddendi obligatio est; ut creditor pro pecunia vinum, pro isto frumentum, aut aliud minoris quantitatis, aut non ejusdem qualitatis & bonitatis vinum recipere non teneatur. Ratio, cur non eadem in specie sive numero reddenda sit, ea est; quia, si eandem numerò reddendi esset obligatio, mutuum inutile foret; cùm enim rerum, quæ numerò, pondere vel mensurâ constant, & mutuò dantur, proprius usus consistat in abusu sive consumptione, si eadem numero reddenda esset, mutuum careret proprio usu & utilitate, ut *ad Rubr. ff. de Reb. credit* rectè observant Wesenbecius *n.* 11. & Zœsius *n.* 17. Cur autem 6. eadem in genere, sive alia similis vg. pro mutuò dato vino aliud ejusdem quantitatis, qualitatis & bonitatis vinum reddendum sit: & creditor pro eo triticum aliámve diversi generis rem, vel etiam minoris bonitatis vinum recipere non teneatur, ratio est; quia ex Regula generali aliud pro alio, invito creditore, non potest solvi, *l. Mutuum cit.* §. 1. *& l. Eum à quo 16. C. de Solutionibus*, licet expressè cautum non sit; *Cùm in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum sit: id autem agi intelligatur, ut ejusdem generis eadem bonitate solvatur, l. Cùm quid 3. ff. de Reb. credit.* saltem in mutuo, de quo *l. cit.* est sermo; cùm enim Mutuum ex natura sua beneficium & liberalitas sit, mutuanti damnosum esse non debet: foret autem, si pro vino frumentum, vel minoris bonitatis vinum recipere creditor teneretur, *citt.* Wading. *dub.* 2. *n.* 5. Donell. *Lib.* 14. *Comment. cap.* 1. & Bruneman *in l. cit. n.* 1. An pecuniam ex mutuo debitam, in eadem, quâ accepta est, bonitate intrinseca vel extrinseca solvi necesse sit, controversia est magni in praxi usûs & momenti, quam infrà latè discutiam *Tit.* 40. *à n.* 29.

Dubium hoc locô est de tempore, quô 7. creditori pecunia aliáve res fungibilis mutuò accepta est reddenda. Et quidem, si redditioni certa dies præfixa à contrahentibus sit, sicut cæteri, sic & Mutui contractus, atque ex isto acceptum restituendi obligatio legem accipiet à conventione, juxta *Reg. Contractus 85. in 6.* ut neque à creditore repeti ante, neque post præfixæ diei lapsum redditio differri valeat à debitore: quin ille plus petitionis exceptione removeri, §. *Si quis 33. V. Tempore Instit. de Action. & c. Unicô de Plus petit.* & iste sive debitor conveniri, ab eóque omnis damni ex mora emergentis

& lucri ex ea cessantis resarcitio peti valeat in externo, *l. Nummis 3. ff. De in litem jurando l. Arbitraria 2. §. fin. & l. Quodsi Ephesi 4. pr. ff. De eo, quod certo loco*. ad eamque in interno sive Conscientiæ foro ante omnem judicis sententiam teneatur, Panormit. *in c. fin. de Usuris, n. 14. cit.* Molina *n. 5.* Gaill. *Lib. 2. observat. 5. n. 15.* & Bruneman. *in l. Arbitraria cit. n. 15.* cùm, quod concessum est ad certum tempus, postea denegatum censeatur, *arg. l. Si unus 27. §. 1. ff. de Pactis, & l. Titia 34. in fine ff. de Legat. 2.*

8. Si autem certa dies præfixa non sit, mutui redditio facienda est, cùm primùm eam creditor postulârit, *l. Eum qui 41. §. 1. ff. de V. O.* dummodo tamen eam, inopinatæ necessitatis casu non urgente, non statim postulârit: sed rei usus mutuatario constare possit; quia mutuum juxta dicta beneficium est, quô adjuvari nos, non decipi oportet, *l. In commodato 17. § 3. in fine ff. Commodati.* Quare inter mutui dationem & redditionem intercedere debet spatium aliquod temporis, quô ex mutuo commodum aliquod habere mutuatarius possit, *arg. l. Quod dicimus 105. ff. de Solutionibus*; cùm bona fide eóque animo datum acceptúmque intelligatur, ut re sibi credita debitor aliquamdiu fruatur, Wesenbec. *l. cit. n. 13.* Tempus autem, quô tali casu mutuum debitor reddere teneatur, si loci statutô vel consuetudine definitum non sit, boni viri sive judicis, personæ qualitatem, rerúmque, præsertim negotii sive causæ, pro qua mutuum acceptum est, circumstantias ponderantis arbitrio permittunt *cit.* Molina *n. 6.* & Haunold. *n. 294. uterque in fine.*

9. Quintum mutui requisitum est; ut reddatur tantundem, hoc est, eadem, non major quantitas rerum ejusdem generis, qualitatis & bonitatis; quia ex mutuo creditor ultra creditum sive sortem principalem ex vi contractûs mutui, indéque orto debito & obligatione Justitiæ nihil pretiô æstimabile exigere vel accipere sine labe sive iniquitate Usuraria potest, *can. 1. can. Plerique, can. fin. 13. q. 3. & c. Consuluit 10. &c. de Usuris*; cùm mutuum ex natura sua contractus gratuitus sit juxta illud Servatoris, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, Lucæ *cap. 6. v. 35.* cujus ad *Rubr. de Usuris* plenior explicatio tradetur. Ex hactenus dictis

Patet, Mutuum, licet in aliquibus conveniat, plurimùm tamen differre a Locatione, Precario, Commodato, Pignore, Permutatione & Censu.

A Locatione quidem; quòd non, ut ista & Venditio, perficiatur consensu, sed traditione rei: istiúsque non usum tantum, sed ipsum dominium, & sine pretii vel mercedis solvendæ obligatione transfertur in accipientem.

A Commodato & Precario; quòd his quoque contractibus rei, non dominium, sed usus duntaxat concedatur, utíque expleto, vel cùm libuerit, res eadem in specie sive numero, non in genere tantùm sive alia similis, ut ex Mutuo, venit reddenda.

A Pignore; quòd istô etiam rei non dominium, sed detentio sola ad debiti securitatem transferatur: eadémque in specie, non in genere tantùm, sit reddenda.

A Permutatione; quòd ex ista non, ut ex mutuo, ejusdem sed diversi generis res, & non post alicujus temporis lapsum, sed statim recipiatur.

Demum à Censu; quòd istô sive contractu Censuali, non etiam Mutuô, acquiratur jus, fructuariam vel pecuniariam pensionem percipiendi ex re vel persona aliena; cùm ex Mutuo neque pensionem, neque aliud quidpiam pretio æstimabile ultra id, quod datum est, in genere reddendi obligatio oriatur.

ARTICU-

ARTICULUS II.

De Cessione bonorum & Privilegio Competentiæ.

SUMMARIUM.

11. *Significatio nominis Solutio:*
12. *Quæ à debitore petenda,*
13. *Vel super ea judex adeundus est.*
14. *Solutioni deficienti succedit carcer:*
15. *Nisi debitor cedat bonis.*
16. *Hac tamen cessione debitum non cessat:*
17. *Nec carcerem effugiunt omnes debitores.*
18. *Cessionis beneficio renuntiare debitor cum juramento;*
19. *Imò & simpliciter potest.*
20. *Bonis etiam cedere non coguntur vafrii debitores:*
21. *Præsertim Clericus,*
22. *Privilegiô Competentiæ tutus,*
23. *Quod tamen ei Criminaliter,*
24. *Et Actione Reali convento,*
25. *Et quibusdam casibus aliis non patrocinatur.*
26. *Eô tamen gaudent etiam clerici minores quicunque:*
27. *Nisi deponant signa Clericatûs vel sint conjugati.*
28. *Neque ei renuntiare simpliciter,*
29. *Et cum juramento valent.*

11. NOmen Solutionis sumi aliquando solet strictè & specificè, pro naturali præstatione ejus, quod debetur, *l. Solutam 49. pr. ff. de Solut.* sive pecunia, sive res alia, aut etiam factum debeatur: aliquando latè & genericè pro liberatione seu satisfactione quocunque modô facta, *ll. Solutionis 54. ff. eâdem Rubr. & 176. ff. de V. S.* quô modô solvisse dicitur non solum is, qui pecuniam aliámve rem præstitit: sed &, qui Compensatione, Transactione, Novatione, Pacto de non petendo, aut quocunque aliô modô ab obligatione est liberatus, Vallens. *ad hanc Rubr. n.* 1. & Perez *in C. ibid. n.* 1.

12. Ut autem Solutionem creditor consequatur, eam ex debitoris bonis non sibi præstare ipse; cùm jus sibi dicere nemo possit, *l. Extat. 13. ff. Quod metus causa:* sed, ut ea sibi præstetur, debitorem con- 13. venire amicabiliter: vel, si hujusmodi conventioni non acquiescat, adire debet judicem; qui debitorem citet: &, si de debito ex ejus confessione vel sententia, quæ in rem judicatam transiit, aut etiam ex instrumento publico vel privato, à debitore agnito, legitimè constet, ipsi solutionem faciendam imperet: &, si creditori nec satisfactionem præstare, neque eum Pignoratitiâ aut Fidejussoriâ cautione de solutione in tempore exhibenda securum reddere valeat, ad executionem procedat, debitáque solvat de ipsius bonis, ea vendendô in publica subhastatione: deficientibus demum aut ad debita solvenda non sufficientibus bonis, debitorem 14. ad instantiam unius vel plurium creditorum in carcerem detrudat, donec aliunde integrè solvat, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 1. n. 2.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 11. n. 51.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 571.* & Palao *Tract. 32. disp. 1. p. 18. §. 26. n. 1. & 2.*

Carceris tamen squalorem cæterás- 15. que molestias hujusmodi debitor evitat, si bona sua omnia (de rigore Juris usque ad saccum & peram: ex æquitate autem & humanitate veste & victu quotidianô retentis) creditoribus dimittat; ut ex iis pro viribus sibi satisfaciant: & promittat,

si bona ad totius debiti solutionem sufficientia non sint, se, cùm ad pinguiorem fortunam venerit, in reliquis satisfacturum, *l. 1. C. Qui bonis ced. possl. l. Is qui*
16. *4. ff. de Cess. bonor. & §. fin. Inst. de Actionibus*; neque enim bonorum cessione debitis omnino, sed tantùm ab importunis creditorum exactionibus liberatur ad tempus, donec scilicet fortuna melior affulserit. Istâ autem postea affulgente, si bona aliqua acquisiverit, ab iisdem creditoribus conveniri denuo potest: non tamen in solidum, sed in id tantùm, quod commodè, sive quotidiano victu familiæque sustentatione deductâ præstare potest, *l. Qui bonis 6. ff. de Cessione bonor.* quòd inhumanum visum sit, eum, qui fortunis se omnibus exuit, in solidum conveniri & condemnari, §. *fin. cit.* Gomez *cit. cap. 11. n. 52.* & Menoch. *de Arbitr. casu 83. num. 20.*

17. Neque tamen istô, quantumvis miserabili, cessionis auxiliô debitores indiscriminatim omnes carcerem effugiunt; quia præter eos, qui ex furto, rapina, alióve delicto pecuniariam pœnam debent, in quibus; ne delicta impunita maneant, locus est Regulæ, Qui non habet in ære, luat in corpore, *l. fin. ff. De in jus voc. & l. 1. §. fin. ff. de Pœnis*: præter hos, inquam, bonorum cessione carcerem non evitant, qui illius spe debita contraxisse, aut in ea bona aliqua occultâsse convincuntur; quòd, cùm dolosè agendô committant in legem, istius auxilium frustra implorent, *c. Quia frustra 14. de Usuris & l. Auxilium 37. in fine ff. de Minoribus*: qui bona sua in fraudem creditorum alienârunt aut dissipârunt, *l. & §. fin. ff. Quæ in fraud. credit.* cùm fraus sua & dolus nemini debeat patrocinari, *l. Nec ex dolo 12. ff. de Dolo & l. Non fraudantur 134. ff. de R. J.* qui prodigè & luxuriosè bona sua consumserunt; cùm enim turpitudine suâ inopiam sibi accersiverint, commiseratione digni non sunt, Perez *in C. Qui bonis ced. poss.* & Corvinus *ibid. à §. Sunt & alii*, ubi plures hujusmodi casus dabunt cum cæteris LL. Interpp. Inter quos

Dubium & controversia non levis 18
est, an cessionis beneficio debitor valeat renuntiare. Et illorum quidem aliqui simplicem duntaxat: alii etiam juratam renuntiationem subsistere negant, eâ præcipuè persuasi ratione; quòd cessioni renuntians debitor se obliget perpetuo carceri: ad quem, cùm perpetua quædam servitus sit, se adstringere liber homo lege prohibetur, *arg. l. Titio 71. §. 1. ff. de Condit. & demonstr. & l. Nihil 2. ff. de Hom. libero exhib.* Sed hæc ratio levis est, partim; quia renuntiatione illa debitor se non obligat ad carcerem: sed solummodo amittit auxilium, quô obligationem carceris à lege inductâ posset evitare: partim verò; quia, si jus debitores, qui solvendo non sunt, carceri obnoxios reddendô, eos in servitutem non detrudit, cessionis renuntiatione perpetuæ servituti se etiam debitor non addicet, præsertim; cùm carcerem non perpetuò: sed donec propriô labore & industriâ vel ultimâ alterius voluntate, amicorum donatione, piâve aliorum liberalitate comparata solutione creditori satisfecerit, vel ab isto debitum fuerit remissum.

Quare meliùs cessionis beneficio 19
debitore renuntiari non solùm cum juramento, *arg. c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* sed etiam simpliciter posse, cum Felino *in c. Ex referipto 9. de Jurejurando n. 11.* Panormit. *Vol. 2 Consil. 42. n. 1.* Speculat. *Tit. de Renunt. & concluf. §. 1. n. 29.* & aliis meliori ratione defendit Palao *Tract. 32. disp. 1. p. 7. §. 7. à n. 1.* quia, cessione bonorum, carceris molestias evitandi jus, etsi aliquô modô pertineat ad bonum

comm-

commune; directè tamen & principaliter concessum est in bonum ipsorum debitorum, sive in eorum subsidium & miseriæ levamen, *l. Cùm & filiisfamilias 8. & l. fin. C. Qui bonis ced. possunt.* favori autem & juri directè & principaliter sibi indulto, quantumvis indirectè & secundariò commune bonum Reipublicæ spectet, renuntiare cuivis integrum est, *c. Si de terra 6. de Privileg. & l. Si quis 29. C. de Pactis.*

20. Sicut debitores aliqui ad cessionem non admittuntur, eáque adversus creditores non defenduntur: sic vicissim adversus istos alii muniti sunt privilegiô, vi cujus ob debita Civilia conveniri nequeunt ultra id, quod congruâ sustentatione retentâ facere possunt, veluti

Primò, Parentes *l. Sunt qui 16. l. Cùm causa 30.* Patronus istiúsque liberi & parentes, *l. Patronus 17.* Donator, si ex donatione, *l. Inter eos 19. §. 1. ff. de Re judicata*, & Socii, si ex Societate conveniantur, *l. Sunt qui cit. & l. Verum est 63. ff. pro Socio*, Maritus & Uxor: nisi ex contractibus post divortium initis vel reatu conveniantur, *l. Non tantùm 20. l. Si rerum 52.* & Socer, *l. Sicut 21. ff. de Re judic.* Perez *in C. de Execut. rei judic. à n. 27.*

Secundò, Mulieres honestæ, ob pudorem sexûs, *Auth. Sed hodie C. de Offic. divers. jud. & Auth. Hodie C. de Custod. rer.*

Tertiò, Milites militiæ armatæ, *l. Miles 7. pr. & l. Item miles 18. ff. de Re judic.* & istarum *ll. arg.* Nobiles, Jason *in l. Miles cit.*

Quartò, Doctores, Advocati & Professores, *arg. Earundem ll. & l. Medicos 6. C. de Profess. & Medic.* qui bona sua creditoribus dimittere, sicut non prohibentur, sic, ut carcerem effugiant, non compelluntur, Glossa *in l. Miles cit. V. Facere*, Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 88. n. 7.*

Quintò Clerici *c. Odoardus 3.* quô 21.
textu à Gregorio IX. muniti sunt privilegiô, cujus vigore super debitis Civilibus conventi, si congruâ sustentatione ex patrimonii sui, vel servitii aut beneficii Ecclesiastici intuitu quæsitis bonis subductâ, creditoribus plenam solutionem exhibere nequeant, incarcerari, ad bonorum cessionem compelli, vel aliter molestari non possunt: dummodo debitum recognoscentes seu confessi fidejussoriam vel saltem juratoriam cautionem præstent de solvendo, cùm venerint ad fortunam pinguiorem, *arg. Auth. Generaliter 6. C. de Episc. & Cleric.* Glossa *in c. cit. V. Idonea*, ubi Joan. Andr. *n. 7.* Ant. de Butr. *n. 17.* Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 1. n. 9.* Barbosa *in c. cit. n. 25.* & 22.
alii Interpp. ac DD. id, de quo agimus, passim nuncupantes Privilegium *c. Odoardus*, vel Competentiæ: cujus clericis indulti ratio justissima fuit; ne, rerum inopiâ urgente, cum Ordinis & Statûs Clericalis opprobrio sordidum aliquem quæstum exercere vel mendicare cogantur, *can. Diaconi 22. V. Mendicat, dist. 97.* propter quam causam seculares clerici sine beneficii Ecclesiastici vel competentis patrimonii titulo ordinari *c. Non liceat 2. & c. Episcopus 4. de Præb. & Dignit.* & jam ordinati hujusmodi patrimonium aut beneficium, nisi de congrua & stabili sustentatione ipsis aliunde provisum sit, distrahere vel resignare prohibentur à Tridentino *Sess. 21. cap. 2. de Reformat.* Confirmatur; quia clerici cælesti sive Christi militiæ adscripti, *can. Christianis, 11. q. 1.* & non minùs favorabiles sunt, quàm milites hujus Seculi sive Legales, *arg. l. Sacrosanctæ 34. C. de Episc. & Cleric.* &, qui istorum jure gaudent, Advocati seu Patroni causarum: &

rum : & propterea meritò istorum atque illorum instar muniti sunt privilegiô, ne creditoribus plus solvere cogantur, quàm possunt subductâ congruâ sustentatione, Glossa *in l. Miles cit. V. Facere*, ubi Bartol. *n. 3.* Ripa *n. 7. & in c. Odoardus cit.* Panormit. *n. 8.* & alii apud Fagnanum *n. 19.*

23. Dixi tamen, *Conventi super debito Civili*; quia super crimine Criminaliter sive ad vindictam publicam conventi & ad pœnam pecuniariam condemnati, si solvendo non sint, carcerem non effugiunt &, quod in ære non habent, in corpore luunt, *citt.* Panormit. *n. 5.* Covarr. *n. 8.* & Guttierez *p. 1. de Juramento cap. 17. n. 27.*

24. Variis etiam casibus privilegiô Competentiæ clericus non gaudet in debitis Civilibus, veluti si conveniatur Actione Reali vg. Depositi, quòd penes se habet, & deponenti petenti reddere tenetur, Barbosa *in c. cit. n. 13.* & Fagnan. *n 52.* si tempore contractûs se laicum simulandô creditorem ignorantem decepit, *cit.* Guttierez *n 20.* si in fraudem creditorum; ne ipsis integra solutio obveniret, bona sua abscondit vel alienavit, *cit.* Barbosa *n. 17. & 18.* si ludendô, luxuriosè vivendô bona sua dissipavit, & ad inopiam pervenit, *cit.* Barbosa *n. 21.* & alii apud Fagnan. *n. 35.* si suspectus sit de fuga; talis enim mandatô judicis apprehendi potest; quòd id exigat defensio creditorum : à quibus,cùm actu fugit, propriâ authoritate retineri,suo judici Ecclesiastico sistendus, potest, *citt.* Covarr. *n. 9.* Guttierez *n. 29* & Barbosa *n. 10.* quibuscum *cit.* Fagnanus *à n. 13.* hujusmodi casus plures dabit.

25.

26. Dubium nunc est, an Competentiæ privilegiô gaudeant omnes clerici. Non quidem Majores; hos enim & in minoribus Ordinibus constitutos,si juxta Trid. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* beneficium Ecclesiasticũ habeant,aut habitum & tonsuram clericalem deferentes alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi serviant, vel in Seminario aut studio aliquo versentur, illô gaudere, ferè convenit inter DD. Sed de Minoribus, qui de mandato Episcopi non serviunt ulli Ecclesiæ,neque in studiis versantur; his enim privilegium illud prodesse, cum nonnullis aliis negat Carolus de Grassis *Effectu Clericat. 7. arg. cit. cap. 6.* & contrà affirmat Rotundus à Valle *Consil. 16. n. 11.* id desumens ex *c. Odoardus cit.* generalitate : quæ in concordiam reducere nititur *cit.* Fagnanus *n. 24.* ubi utitur distinctione: & clericis minoribus,imò primâ solùm Tonsurâ initiatis & non conjugatis, quando publicè pro clericis se gerunt, deferendo habitum & tonsuram,dictum privilegium adstruit,propter allegatam *c. cit.* generalitatem. Quando autem, indictis Clericatûs abjectis, publicè se gerunt pro laicis, aut conjugati sunt, id ipsis patrocinari negat, partim; quòd tales, licet Ordinis Characterem indelebilem retineant, in omnibus tamen ut laici reputentur : partim verò propter Constitutionem Bonifacii VIII. *c. Unic. de Cleric. conjug. in 6.* conjugatis, quando habitum & tonsuram deferunt, solius Canonis & Fori (respectu delictorum) privilegia relinquentis : &, quando sine habitu & tonsura incedunt, etiam illa actamentis, Guttierez *cit. cap. 17. n. 11.* qui tamen *n. 16. & 17.* notat, Clerico habenti beneficium, ex quo vivere valeat, cætera bona auferri : imò ipsos etiam reditus beneficiales, relictâ pro alimentis congruâ portione, creditoribus adjudicari posse, juxta *c. Pervenit 2. de Filiis presb.* & ibi DD.

Aliud & majus dubium est, de memorati privilegii renuntiatione; hanc enim, non

nim, non quidem simpliciter, sed cum juramento factam, tenere & creditori integram solutionem exigenti Competentiæ, sive congruæ sustentationis retinendæ privilegium opponi non posse, volunt *cit.* Guttierez *n. 35.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 571. n. 21.* pro quorum Opinione faciunt Primò textus *l. Si quis 51. C. de Episc. & Cleric. & l. Si quis 29. C. de Pactis*, juxta quos renuntiare licet privilegio, sicut ratione Militiæ & prærogativæ Dignitatis, sic etiam ratione Sacerdotii competenti. Secundò; quòd Clerici Competentiæ privilegio renuntiare valeant tacitè, sive per actum ejus retentioni contrarium vg. dolosè contrahendò, bona occultandò, vel dissipandò. Cur non etiam expressè? cùm taciti non major vis sit, quàm expressi, *l. Nonnunquam 32. ff. de Condit. & demonstr.* præsertim, si fiat cum Juramento, *arg. c. Cùm contingat 28. de Jurejurando.* Tertiò; quòd juramentum, quando sine peccato & tertii præjudicio potest, servandum sit, per Regulam *c. cit. & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* observatio autem renuntiationis juratæ nec peccatū, nec tertii præjudicium involvat. Quartò; quia juramentum, etsi teneat, ad petitionem tamen Clerici, vel ex officio relaxari à judice Ecclesiastico potest: sicut quod adiicitur promissioni Usurarum, *c. 1. & c. Debitores 6. de Jurejurando*: quô factô status Clericalis opprobrium & præjudicium omne evitatur.

29. Mihi, sicut allatæ rationes non contemnendæ, sic tam authoritate quàm ratione spectatis, Competentiæ privilegium ejus renuntiatione, tam jurata quàm simplici, à Clericis amitti, non videtur cum Cyno *in l. 1. C. Qui bonis ced. poss. à n. 10.* Bruno *de Cessione Bonor. q. 3. pr. n. 17.* Barbosa *in c. Odoardus cit. n. 24.* Fagnano *ibid. à n. 74.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 29.* Ratio unica, sed solida est; quia privilegium illud non privatus singulorum, sed publicus favor est totius Ordinis seu statûs Clericalis, *arg. l. 1. §. 2. ff. de I. & I.* ne, ut dictum, in istius opprobrium clerici cogantur mendicare, aut aliàs sordidè vivere: publici autem favoris renuntiatio nulla est, *l. Jus publicum 38. ff. de Pactis*, licet ei adiiciatur juramentum, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* quia juramentum, hôc ipsô; quòd Statui sive Ordini clericali præjudicet, tanquam iniquitatem continens, non subsistit *arg. can. Inter cætera, 22. q. 4. & c. Quantò 18. de Jurejurando.*

Neque adversus renuntiationem firmatum clericale privilegium restringendi vim habent allatæ rationes. Prima; quia textus illi solummodo procedunt in privilegio, quod principaliter clerici personæ, aut clero certæ provinciæ: non in eo, quod toti Ordini clericali & ipsius Clericatûs, sive Sacerdotii favore principaliter est concessum, ut notat Petr. Barbosa *in l. Alia 14. §. Eleganter ff. Soluto matr. n. 21.* hoc enim censetur Jus publicum, *l. & §. 1. cit.* cui privatorum pactionibus renuntiari non potest, *c. Si diligenti & l. Jus publicum citt.* Confirmatur partim: quia *c. Odoardus cit.* concessô privilegio idem intenditur, quod *c. Non liceat, c. Episcopus* & Trident. *cap. 2. citt.* quibus favorem publicum contineri patet; quia aliàs patrimonium & beneficium, ad cuius titulum clericus ordinatus est, alienari vel resignari non prohiberetur: partim; quia si privilegium Competentiæ non esset ius & favor publicus, sed privatus singulorum, ei renuntiari non solùm cum iuramento, sed etiam sine isto & simpliciter posset, iuxta *l. Si quis & c. Si de terrâ citt.* quod tamen cum *cit.* Guttierez *n. 34.* negat lauda-

laudatus Molina *n.* 25.

Secunda; quia in proposita materia plus potest renuntiatio tacita, quàm expressa; quia tacita vim habet ex dispositione Juris potiùs, quàm ex voluntate clerici, qui dolosè contrahendo, bona dissipando &c. privilegium competentiæ etiam invitus amittit: sicut clericus minor non habens beneficium &c. deponendô habitum & tonsuram privilegiô Fori privatur ex dispositione Tridentini *cap. 6. cit.* cui tamen expressè renuntiare, etiam cum iuramento non potest, *c. Si diligenti cit.*

Tertia partim; quia iuramentum hoc reverentiæ & honori statûs Clericalis præiudicare, patet ex dictis: partim verò; quia iuramentum sequitur naturam & conditiones actûs; ac proinde simplicis renuntiationis, cui est adiectum: quâ proinde corruente etiam ipsum vim non habet.

Postrema; quia alia propositæ renuntiationis ratio est, quàm iuratæ promissionis Usurarum; cum ista iniquitatem non contineat ex parte iurantis, sicut iuramentum ex parte clerici Competentiæ privilegio renuntiantis: contrà verò iurata renuntiatio ferè nullam turpitudinem continet ex parte creditoris, propter quam potissimùm relaxari solet iurata promissio Usurarum, Gloss. *in c. 1. V. Jurata, de Jurejurando.*

ARTICULUS III.

De Solutione debitorum ex Mutuo à Prælatis &c. nomine Ecclesiæ vel Monasterii contractorum.

SUMMARIUM.

30. *Prælatus de Ecclesiæ suæ rebus mutuum dat,*
31. *Eóque accepto nomine Ecclesiæ hanc obligat:*
32. *Si id in hujus Utilitatem versum probet creditor:*
33. *Qui tamen id probare non tenetur, si debitum, cum Capituli consensu,*
34. *Vel etiam sine isto à Prælato,*
35. *Vel de istius licentia à Religioso contractum, de mobilibus non pretiosis solvi queat:*
36. *Sed, si ista ad solutionem non sufficiant.*
37. *Ea tamen probatio non exigitur, si Ecclesia ex contractu alio,*
38. *Vel ex Mutuo creditor sit Civitatis:*
39. *Imò etiam Ecclesiæ, quando contractûs tempore mobilia non pretiosa ad solutionem sufficiebant:*
40. *Nisi Mutuum acceptum fuisset sine ulla justa causa.*
41. *Quando pecunia in Utilitatem versa esse intelligatur,*
42. *In dubio judicis arbitrio relinquitur.*
43. *Ad solutionem debiti ex mutuo successorem generaliter non obligantium,*
44. *Et obligantium Opiniones.*
45. *Quæ conciliantur,*
46. *Eáque conciliatio exemplis illustratur.*
47. *Differentia inter Successorem in Prælatura & Hæredem.*

QUantumvis Prælati Ecclesiarum & Monasteriorum suorũ reditus ad cultum Divinum decenter peragendum, in ministrorũ alimenta & salaria &c. impendere: aliàs autẽ non necessarios in illorũ Utilitatem convertere, ex iisque, cùm bonâ conditione possunt, prædia, fundos, census comparare, aut pro futuris necessitatibus asservare te-

vare teneantur; quia id recta administratio requirit, *arg. l. Tutor 7. §. 2. ff. & l. Tutores 24. C. de Administr. Tut.* ex iis tamen indigentium necessitates sublevare & mutuum dare non prohibentur; cùm id, tanquam Pietatis & Misericordiæ opus, Ecclesiam vel maximè deceat: &, si pecuniæ creditæ summa moderata & cum debita assecuratione detur, Ecclesiam gravare non videatur, Panorm. *in c. Si quorundam 2. n. 9.* & *ibi* Joan-Andr. *n. 2.*

31. Mutuum autem Ecclesiarum & Monasteriorum suorum nomine accipere, licet Prælatis aliquando permissum sit, ut tamen illæ aut ista ex mutuo creditoribus obligentur, communis DD. sententia apud Covarruviam *Lib. 2. Var. cap. 17. n. 3.* istis generaliter imponit onus probandi id, quod dederunt, in Ecclesiarum &c. Utilitatem fuisse conversum, 32. *Novell. 120. cap. 6. §. 3. & Auth. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* cuius *pr.* Imperator pro Ecclesiæ creditore eum duntaxat habet, *Qui, quod credidit, probat in Utilitatem Religiosæ domûs processisse.* Quam *Auth. cit.* dispositionem à Gratiano *can. Hoc jus porrectum 10. q. 2.* Canonizatam, cum Panormit. *in c. 1. de Depositi n. 9.* asserit Redoanus *de Reb. Eccles. non alien. q. 4. pr. n. 1.* Sed, salvâ tantorum DD. authoritate, eius Canonizatio rectiùs in Ecclesiæ usum & summorum istius Antistitum approbationem saltem tacitam refunderetur; cùm Gratianus, tanquam privatus, Constitutiones quidem Imperiales transcribendi, non Canonizandi sive Ecclesiastici Juris vim eis tribuendi habuerit potestatem, iuxta tradita *in Proœmio n. 90.*

Undecunque autem *Auth. & can. cit.* textus eam, quâ apud Interpp. & DD. cæteros in Scholis & utroque foro pollent, Ecclesiastici Juris vim obtinere dicatur, hodie, si quod dedit, in Ecclesiæ Utilitatem processisse, probare creditor non possit, non ipsam Ecclesiam, sed Prælatum aut alium, qui istius nomine Mutuum accepit, eiúsve hæredes poterit convenire, Covarr. *cit. cap. 17. n. 2.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 300. n. 2.* & Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 196. n. 6.* ubi contractum Mutui Ecclesiæ nomine, etiam debitâ formâ observatâ, celebratum quoad contrahentes quidem, sive ut Prælatus istiúsque hæredes conveniri valeant, tenere: in Ecclesiæ autem præiudicium non subsistere docet, nisi pecuniam Mutuô datam in ipsius Utilitatem versam esse, doceatur.

Sed communis eius sententiæ generalitas restringenda & ad Veritatis terminos reducenda est auxiliô distinctionis non solùm inter ipsum Mutuum, sive pecuniæ creditæ quantitatem: sed inter personas etiam, Ecclesiæ nomine Mutuum accipientes. 33.

Et primò quidem, si Mutuum Ecclesiæ nomine accipiat Prælatus simul & Capitulum, vel ille cum istius consensu, & in ea quantitate, ut ad debiti eius acceptione contracti solutionem sufficiant reditus seu mobilia non pretiosa, & quæ servandô servari nequeunt, Ecclesia obligatur: quantumvis creditor, quod dedit, in ipsius Ecclesiæ Utilitatem versum esse, non probet, ut cum Innocentio *in c. Quod quibusdam 4. de Fidejuss. n. 4.* & Panormit. *ibid. n. 5.* docent Redoanus *cit. q. 4. §. Sed Abbas n. 6.* & Molina *cit. disp. 300. n. 5.* argumentô à contrario ductô ex *c. 1. de Depositc*, ubi ad restitutionem pecuniæ; quòd ea à particulari persona, non à Prælato & Capitulo sive cum istius consensu ab illo accepta sit, Ecclesia non obligatur ex ratione; quòd in ejus Utilitatem non sit conversa. Ratio est; quia Prælatus &

Capitulum ejusmodi redituum & mobilium bonorum liberam habent administrationem : ideóque hujusmodi reditus & bona ab ipsis, sicut alienari argumentò à contrario desumptò ex *Extravag. Ambitiosæ de Rebus Eccles. alien.* verbis, *Immobilia & mobilia pretiosa Deo dicata*: sic etiam creditoribus obligari possunt : etiamsi isti, quod dederunt, in Ecclesiæ Utilitatem processisse, non doceant.

34. Secundò, eôdem modò ex Mutuo, quod solus Prælatus in quantitate sibi permissa, & ex qua contracti debiti solutio de ejusmodi rebus mobilibus fieri potest, accepit, Ecclesia obligatur : dummodo, id pro Ecclesia sive istius necessitate vel utilitate acceptum, constet : etiamsi, quàm dedit, pecuniam in Ecclesiæ Utilitatem versam esse, creditor non probet, ut non obscurè desumitur ex *c.* 1. quò relatò Concilii Cantuariensis decretò Prælatus à suo in Prælatura antecessore pro Ecclesiæ necessitate contracta debita solvere tenetur, sine ulla mentione versionis in Utilitatem. Ratio est; quia rerum Ecclesiæ administrationem Prælatus etiam solus habet, exceptâ immobilium & pretiosorum alienatione, *c. Cum nobis 19. in fine, de Electione & c. Is cui 42. eâdem Rubr. in 6. citt.* Panormit. *n.* 6. Molina *n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 12.

35. Tertiò, casu etiam, quò de Prælati & Capituli simul, vel illius solius mandatò vel licentiâ particularis clericus aut Religiosus, vg. dum in Studiis versatur, Ecclesiæ vel Monasterii sui nomine Mutuum accipit in summa seu quantitate sibi taxata, Ecclesia vel Monasterium ad debiti eô contracti solutionem, si ad hanc mobilia non pretiosa sufficiant, obligatur : licet mutuum in ipsius utilitatem versum esse, non probetur, ut colligitur ex *c. Quod quibusdam cit.* & tradunt Panormit. *in c. cit. n. 3. citt.* Redoan. *n.* 12. & Molina *n. 9.*

Neque aliud evincit *Auth. & can. Hoc jus cit.* generalitas vel, quam aliqui hac in re faciunt, paritas cum administratore Civitatis, à quo solo ipsius nomine acceptò mutuò civitas non tenetur : nisi, quas dedit, pecunias in ejus utilitatem conversas esse, creditor sive mutuator probet, *l. Civitas 27. ff. de Reb. credit. & l.* 1. *C. de Solut. debit. Civit.* quia imprimis *Auth. & can. Hoc jus cit.* probatio versionis in utilitatem ejus solùm casu à creditore exigitur, quò ad solutionem debiti reditus non sufficiunt ; ac proinde necesse est pervenire ad immobilium vel pretiosorum distractionem. Deinde ; quia administrator Civitatis minùs generalem liberámque, & à populo vel Senatu magis dependentem redituum aliorúmque mobilium non pretiosorum administrationem habet, quàm Prælatus, *citt.* Panormit. *n.* 6. & 7. & Molina *n.* 7. & 8.

Etsi verò ex hujusmodi mutuo, sub nomine accepto, Ecclesia creditori, versionem in ipsius utilitatem non docenti, merò Jure obligetur, in integrum tamen restitutionem impetrare potest, id in suam utilitatem non impensum, indeque se læsam prætendendò, *arg. c.* 1. & *c. Auditis* 3. *de In integr. restit.* Reden. *cit. q.* 4 §. *Et deveniendo, n.* 10. Covarruvias *cit. cap.* 17. *n.* 3. & Palao *Tract.* 32. *disp.* 4. *p.* 5. *n.* 7.

Quartò, ex Mutuo à Prælato solo, vel ab ipso simul & Capitulo Ecclesiæ nomine in tanta quantitate accepto, ut ad debiti eô contracti solutionem immobilia aut mobilia pretiosa in solutum dari vel alienari sit necesse, Ecclesia vel Monasterium non obligatur : nisi Mutuum ob Ecclesiæ Utilitatem acceptum

&in

& in eam cõversum seu impensum esse constet, vel ostendatur à creditore, *Auth. & can. Hoc jus cit.* quod ex istius textu cum *citt.* Panormit. *n. 4.* & Molina *n. 3.* desumunt, & casu illô, quô solutionem non nisi distractis vel in solutum datis immobilibus aut pretiosis mobilibus fieri posse, Mutui accepti tempore jam apparuit, omnino indubitatum censent Laiman *Tract. de Alienat. Canonica n. 105.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 14.* cùm enim hujusmodi bona non nisi ex causa evidentis utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ alienari valeant, juxta dicta *Tit. 13. àn. 49.* ne id occasione Mutui indirectè fieret, meritò fuit cautum, *arg. Reg. Cùm quid unâ 84. in 6.*

37. Neque huic Resolutioni obstat primò; quòd in aliis Contractibus, vg. Emptione Venditione Ecclesiæ nomine celebratâ cum Prælato, contrahenti non incumbat probatio, de re aut pretiô in ejus Utilitatem versô; quia imprimis, sicut creditor in Mutuo, sic etiam in Venditione rerum Ecclesiæ immobilium, servatâ quidem debitâ formâ, sed æris tantùm alieni sive debiti dissolvendi causâ factâ versionem in Utilitatem emptori probandam, variis Interpp. relatis vult Covarruv. *cit. cap. 17. n. 3.* Deinde; quia de Mutuo Ecclesiæ dato id specialiter constitutum & constituendi ratio satis urgens fuit; ut obviaretur periculis læsionum, faciliùs & frequentiùs ex eo, quàm cæteris contractibus timendarum; quòd Prælatos pecuniæ, usibus suis opportunæ faciliùs parandæ, & fœnerato res majoris lucri spe sæpius ad Mutui, quàm ad alios contractus pervenire, usu compertum sit, *citt.* Panormit. *in c. 1. de Depositi n. 9.* Redoanus *cit. q. 4. pr. n. 10.* Molina *n. 1.* & Palao *cit. p. 5. n. 13. in fine.*

38. Neque eisdem obstat secundò; quòd ex Mutuo, ab administratore Civitatis istius mandatô vel consensu acceptô, illa creditori obligetur: quin isti incumbat onus probandi versionem in Utilitatem ipsius Civitatis. Non, inquam, etiam hoc obstat; quia, licet hujusmodi administratoris solius non ita generalis & libera administratio sit, ut Prælati: maior tamen illius simul & Civitatis sive tribunorum plebis eam repræsentantium potestas est, quàm Prælati cum Capitulo; cum iste & Capitulum simul immobilia alienare sine necessitatis aut evidentis Utilitatis causa & superioris consensu validè non possint, *can. Sine exceptione 12. q. 2. ut dictum Tit. 13. à n. 49.* Id autem sine ejusmodi causa & ullâ solennitate valeat administrator Civitatis cum Civium aut istos repræsentantium tribunorum plebis vel Senatûs, in quem Cives omnem potestatẽ transtulerunt, consensu, per tradita à *cit.* Bartolo *in l. Civitas cit. n. 2.* Panormit. *in c. Quod quibudam cit. n. 5.* & Bruneman. *in l. cit. n. 6.* Unde mirum non est, quòd ex Mutuo, à Prælato simul & Capitulo acceptô, si eô immobilia alienationis periculo exponi tempore contractûs apparuit, Ecclesia vel Monasterium non obligetur, nisi, pecuniam in ipsius Utilitatem versam esse, creditor ostendat: etsi ab isto id non exigatur, cùm Civitatis nomine Mutuum accipit ipsius administrator cum Civium aut eorum, qui hos repræsentant, consensu, *citt.* Molina *n. 4.* Laiman *n. 105.* & Pirrhing *n. 11. §. Aliud.*

Aliud esset, si tempore contractûs 39
debiti ex Mutuo orti solutio sine immobilium & pretiosorum alienatione fieri potuisset; ex eo enim, à Prælato simul & Capitulo vel illo solo acceptô Ecclesia obligatur: licet postea debitum dissolvi sine ejusmodi bonorum distractione non possit & Mutuum in Ecclesiæ Utilitatem

versum, à creditore non ostendatur: dummodo ex Prælati & Capituli vel illius solius confessione, instrumentô contractûs, aut aliunde constet vel probetur, Mutuum pro Ecclesiæ necessitate vel Utilitate esse acceptum, Laiman & Pirrhing *l. citt.* cùm, si ex contractu legitimè inito orta Ecclesiæ obligatio & jus creditoris ita facilè mutaretur, nemo esset, qui Ecclesiæ etiam maximè indigenti Mutuum dare vellet.

40. Quintò, ex Mutuo à Prælato sine justa, hoc est, Necessitatis aut Utilitatis causa & irrationabiliter vg. pro pompa, picturis & similibus rebus superfluis accepto Ecclesia non tenetur: nisi quatenus inde locupletiorem factam, aut aliquid in ipsius Utilitatem versum probatur, *citt.* Panormit. *n. 9.* & Molina *n. 10.*

41. Porro in Ecclesiæ Utilitatem Mutuum versum censetur, quando impensum fuit in causam, vg. reparationem fabricæ, vini, frumenti aliarúmque rerum ad sustentationem necessariarum coëmptionem aut aliam, in quam Ecclesia tantundem insumptura fuisset, *arg. l. In pupillo 47. §. 1. ff. de Solut.* cùm eô ipsô; quòd Ecclesia tantundem impensura de aliis bonis fuisset, in tota quantitate locupletior sit, *citt.* Molina *n. 10.* & Pirrhing *n. 16.* Quod procedit, licet ob circumstantiam aliquam vel eventum, qui rationabiliter prævideri non potuit, utilitas & commodum, quod prudenter intentum est, non fuerit subsecutum; quia nihilominus Ecclesia ex Mutuo, hôc ipsô, quod in eum finem tantundem ex propriis bonis, licet per accidens inutiliter insumpsisset, in quantitate illa locupletior facta est, *arg. §. 1. l. In pupillo cit.* Panormit. *in c. Quod quibusdam cit. n. 8.* Menoch. *de Arbitr. casu 432. n. 41.* & Molina *n. 10. cit.*

In dubio, an in eam, quæ prætenditur, aut aliam Ecclesiæ Utilitatem Mutuum versum sit, relinqui solet prudentiæ & arbitrio judicis: qui, rei circumstantiis bene ponderatis, id factum ferè pronuntiabit, si tempore Mutui contracti Ecclesia pecuniis valde indigeret, Glossa *in can. Hoc jus cit. V. Probat.* si Prælatus vir probus, providus & Ecclesiæ commodis atque Utilitatibus promovendis seriò semper intentus fuit, Archidiaconus *in can. cit.* si pecuniæ acceptæ quantitas prætensæ Utilitatis aut necessitatis causæ proportionata: & demum, si satisfactum sit causæ, ob quam Mutuum dicitur acceptum, vg. fabrica reparata, comparata necessaria alimenta, prædium vel fundus emptus fuit, Alcatus *in l. Civitas cit. n. 6. citt.* Menoch. *à n. 33.* & Palao *cit. n. 13.* Ex hactenus dictis

Dubium & controversia nascitur, an à Prælato vel alio Rectore Ecclesiæ ex Mutuo contracta debita solvere teneantur successores. Si creditor, quod debit, in Ecclesiæ Utilitatem versum esse non probet, hos ad solutionem teneri, cum Ant. de Burrio *in c. Quod quibusdam cit. n. 9.* generaliter negant Fachineus *Controvers. Lib. 2. cap. 77.* §. *Ego verò* & Palao *c. 1. cit. p. 5. n. 10.* cum propter textum *c. cit.* quô ad Ecclesiam creditoribus obligandam Mutui in ejus Utilitatem versio distertè exigitur; tum quòd Prælatus Ecclesiam ultra vitæ suæ tempus obligare non possit, nisi pro ejus Utilitate vel Necessitate, *c. 1.* Contrà successoribus generaliter quæcunque & ex quacunque causa debita, ab antecessore contracta, sine ulla probatione ejusmodi versionis dissolvendi obligatio imposita videri, potest *c. 1. cit.* ubi Prælatus distertè æquiparatur filio, qui, si defuncti patris hæres existat, ad ejus de-

ejus debita omnia, saltem secundùm hæreditatis vires, si inventarium confectum sit, solvenda obligatur, textus & Glossa *l. fin. C. de Jure delib.* cùm hæres in Universum jus defuncti, sicut quo ad jura & commoda, sic etiam quoad onera & obligationes succedat, *l. Hæres in omne 37. ff. de Adquir. hæred. & l. Hæreditas 62. ff. de R. J.*

45. Mihi media via tenenda: &, quoties Prælatus antecessor, qui Mutuum Ecclesiæ nomine & pro istius necessitate vel utilitate accepit, ad debiti eô contracti solutionem obligari, totiesetiam successor videtur, quin à creditore ejus, quod dedit, in Ecclesiæ utilitatem versio exigatur, ut cum Panormit. *in c. Quod quibusdam cit. n. 7.* Anchorano *ibid. n. 9.* defendunt Redoanus *cit. q. 4. §. Sed Abbas n. 11. cit.* Molina *n. 8.* Pirrhing *n. 13.* Moveor eôdem *c. 1. & c. Quod quibusdam citt.* quorum textuum priori successor obligatur ad solvenda debita, quæ pro Ecclesiæ necessitate antecessor contraxit, sine ulla mentione versionis in Ecclesiæ utilitatem: posteriori; ut monasterium obligetur, hujusmodi Versionis probatio exigitur casu, quô religiosus sine Prælati & Capituli consensu Mutuum accepit ultra summam, communi providentiâ constitutam. Unde à contrario infertur casu, quô mutuum ab isto cum ejusmodi licentia; ac proinde multò magis à Prælato & Capitulo vel ab illo solo in quantitate sibi permissa acceptum est, ejusmodi probationem non requiri. Id ipsum suadet ratio; quia, si hujusmodi probatio à creditore exigeretur, quoties ex Mutuo pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate in quacunque, etiam alienationis immobilium periculum non afferente quantitate, ab antecessore accepto successorem conveniret, id Ecclesiis & Monasteriis damnosum foret; cùm nemo facilè reperiretur, qui ipsis inopiâ laborantibus mutuô datô vellet subvenire. Unde planè corruunt, quæ allata sunt pro ejusmodi probationis necessitate, præsertim; cùm aliud sit Mutuum pro Ecclesiæ necessitate accipi, & aliud, quod acceptum est, in ejus necessitatem vel utilitatem impendi.

Quare successor tenetur debitis, quæ 46.
ab antecessore non tantùm pro reparanda fabrica Ecclesiastici ædificii, ruinam minitantis, pro emptione agri, vineæ, fundi, vel eorum cultura, pro litis ab Ecclesia vel ipsi ab alio motæ prosecutione &c. contracta creditor probat: etsi pecuniam, ex qua Mutuô data debita orta sunt, in ejusmodi causam impensam esse, non doceat; cùm talia pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate contracta esse, liquidum sit: sed etiam ad ea, quæ ab eo contracta sunt pro personæ suæ sustentatione, pro valetudinis recuperatione, imò etiam pro ejus defuncti sepultura; quia etiam hujusmodi debita contracta videantur pro necessitate Ecclesiæ, quæ statui Ecclesiastico congrua vitæ subsidia ipsi subministrare tenetur, Panormit. *in c. 1. cit. n. 2.* & Barbosa *n. 3. & 4.* Alia ratio est eorum, quæ antecessor ex mutuo pro splendore aliisque non necessariis, & multò magis pro inutilibus rebus & usibus contraxit; super his enim, cùm quoad quantitatem, congruam sustentationem excedentem, pro Ecclesiæ necessitate aut utilitate contracta non sint, successor conveniri de Jure non potest, Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5. & 6.*

Neque hac in re generaliter ea, quæ 47.
hæredis, ratio est successoris in Prælatura; quia iste antecessoris sui hæres propriè non est; cùm neque ex ipsius voluntate, sed Ecclesiastici superioris institutione in eadem dignitate succedat: neque ejus personam, ut hæres, repræsentet: neque Prælaturæ acceptatione ad debita

anteceſſoris perſonalia ſe obſtringat: ſed impropriè duntaxat & quaſi hæres; quòd ipſi in eadem ſede & Eccleſia, & in eodem officio ſubrogetur: cujusmodi ſucceſſor anteceſſoris ſui perſonalibus obligationibus non afficitur; ne alienô factô prægravetur, præſertim ſi nihil accipiat à defuncto, Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5.*

ARTICULUS IV.

De Indebitè ſoluti Repetitione.

SUMMARIUM.

48. *Errore indebitè ſolutum repetitur.*
49. *Indebitum quid eſſe poteſt Naturaliter & Civiliter ſimul,*
50. *Vel Naturaliter tantùm, aut Civiliter tantùm.*
51. *Repetitur indebitum utroque modô vel Naturaliter tantùm:*
52. *Licet ſolutio facta ſit per errorem Juris.*
53. *Civiliter indebitum repeti nequit.*
54. *Indebitum probare tenetur, qui ſolvit:*
55. *Niſi accipiens negârit ſolutionem,*
56. *Vel indebitè ſolverit pupillus, minor, miles &c.*

48. EOrum, qui pecuniâ numeratâ aliáve re exhibitâ ſolutionem fecerunt, ſolennis querela aliquando eſt, eam factam errore, & indebitum fuiſſe, quod exhibuerunt; atque idcirco id Actione Perſonali quam Indebiti Condictionem appellant, meritò repetunt; quòd ſibi omnino indebitum recipiens tacitè ad reſtitutionem ſe obligâſſe videatur, *l. Is cui 13. §. fin. ff. de Condict. indeb.* cùm, ratione naturali dictante, iniquiſſimum ſit, cum alterius damno retineri, quod per errorem & ſine ulla cauſa eſt acceptum, *l. Hæc conditio 66. ff. Rubricit. Errore*, inquam; quia indebitum ſcienter exhibens repetere nequit; quòd ſi ex circumſtantiis aliud non appareat, donâſſe videatur, *l. 1. ff. ibid. & l. Cujus per errorem 52. ff. de R. J.*

Errore etiam, ſive ab ignorante ſolutum indebitè, Condictioni repetitionique non ſemper obnoxium eſt: & propterea, ut, quando repeti valeat, planum reddatur, inter indebitum opus eſt aliqua diſtinctione; cùm id, quod ſolutum eſt, ſicut debitum, ſic indebitum eſſe poterit variis & tribus præcipuè modis, Naturaliter & Civiliter ſimul: quô modô indebitum eſt, quod præſtandi obligatio neque ex Naturali neque ex Civili Jure orta eſt; ut vg. quod promiſſum fuit ſub conditione propriè dicta, ſive cujus eventus futurus eſt incertus; ideóque illâ pendente, ſive ante ejus eventum repeti poteſt, *l. Sub conditione 16. pr. ff. de Condict. indeb.* Naturaliter, tantùm, quô modô indebitum & Civiliter debitum dicitur, quod ſolvendi ex Jure ſolùm Civili obligatio datur: ſicut, qui futuræ numerationis ſpe chirographô ſuô pecuniam, quam non accepit, ſibi numeratam faſſus eſt, ad ſolutionem ejus, quod literis expreſſum eſt, non quidem Naturaliter, cùm nihil acceperit: ſed Civiliter ſive ex literis & Jure Civili ſaltem intra biennium obligatur, *V. Multum, Inſt. de Liter. oblig.* Civiliter tantùm: quô modô indebitum vocatur, quod præſtandi obligatio ex Natutali, non etiam Civili Jure datur: ut, quod debetur ex pacto nudo; cùm id præſtandi non detur obligatio, quæ Actionem Civilem producat, *l. Jus gentium 7. §. 4. ff. de Pactis.*

Horum modorum primô & ſecundô, ſive Naturaliter & Civiliter ſimul, vel ſolùm

solùm Naturaliter indebitum condictioni sive repetitioni obnoxium esse, in dubium vocare non licet, per *l. 1. &c. ff. & C. de Condict. indeb.* saltem si solutio exhibita sit, per errorem Facti: ut, cùm hæres vg. aut alius solvit debitum, pro quo creditori, solutione à defuncto jam exhibitâ, satisfactum esse ignorat, *l. Si per ignorantiam 6. ff. Rubr. cit.* Ratio est; quia error sive ignorantia Facti in damnis: imò etiam in compendiis seu lucris nemini nocet, per Regulam *l. Error facti 8. ff. de J. & F. J.*

Quin etiam, si ea facta sit per erro- 52.
rem Juris, ut cùm quis ex mutuo usuras solvit, eas vi contractûs debitas existimans, indebitè solutum repeti posse, cum Panormit. *in c. fin. n. 15.* docent ex TT. Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 567. n. 1.* ex JCtis Sichardus *in Rubr. C. de Condict. indebit.* Wesenbecius *in ff. ibid. n. 9.* Gonzalez *in c. fin. cit. n. 5.* & Magnificus D. Collega à Widmont *de Contract. Tit. 26. n. 33.* cùm; quòd indebitè solutum repeti posse, Jura statuant, nullâ factâ distinctione inter errorem Facti & Juris: & hic etiam in damno vitando suúmque repetentibus obesse non soleat, *l. Error cit. & l. Juris 7. ff. de J. & F. J.* tum verò; quòd omni modo, aut etiam naturaliter indebitè solutum penes accipientem sine causa remanere æquitas naturalis non patiatur; ne cum alterius damno locupletetur. *l. Nam hoc 14. ff. de Condict. indeb.* Contrarium tamen ad eandem Rubricam defendunt Duarenus *cap. 3.* Perez *in C. n. 24.* Zœsius *in ff. n. 14.* & alii: quibus licet non obscurè faveat, in foro tamen Conscientiæ interno accipientem ad indebitè soluti restitutionem rectè obligat Haunoldus *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n. 1156.*

53. Tertiò autem modò, sive Civiliter duntaxat indebitum, Naturaliter autem debitum, si errore, tam Facti quàm Juris solutum fuerit, repetioni locus non est, secundùm *citt.* Zœsium *n. 7.* Perez *n. 8.* Gonzalez *n. 6.* & laudatum D. Collegam *n. 46 & 47.* Ratio est partim; quòd indebitè soluti repetitio Naturali æquitate solummodo nitatur, *l. Cùm hoc cit.* ac proinde cesset eô casu, quô obligationem naturalis ratio & æquitas inducit: partim verò; quòd debitum sive obligatio naturalis sufficiens sit ad faciendam compensationem, *l. Etiam quod naturâ 6. ff. de Compensat.* ac proinde multò magis ad retentionem ejus, quod est acceptum *arg. l. Ob negotium 20. ff. Rubr. cit.* cùm propter Regulam, quæ potiorem facit conditionem possidentis, quàm petentis. *l. Sive autem 9. §. 4. ff. de Publ. in rem act. & §. Retinendæ 4. V. Commodum, Instit. de Interdictis:* tum verò; quòd, etiam negatâ compensatione, non hôc ipsô etiam retentio denegetur, *l. Si necessariæ 8. §. 1. ff. de Pignorat. act.* Cephal. *Lib. 4. consil. 573. n. 21.* Plura de Indebito LL. Interpp. dabunt. Hîc pro *c. fin. cit.* declaratione

Dubium est, cui in controversiis de 54.
eo ortis incumbat onus probandi. Qua in re *c. fin.* duo, *& l. De indebito 25. ff. de Probat.* ex qua illius decisio desumpta est, tres casus distinguuntur.

Primus est, quô reus, super indebito conventus, pecuniam quidem acceptam, ab initio fatetur: eam autem indebitam fuisse, negat. Quô casu, licet probandi, onus non actori debitum neganti, sed potiùs eam debitam fuisse, affirmanti reo subeundum, primo intuitu videatur, *l. Ei 2. ff. l. Actor. 23. in fine C. de Probat. & c. Bonæ 23. V. Porro, de Elect.* meritò tamen *l. cùm de indebito cit. pr. V. Sin verò & c. fin. citt.* actori injungitur; quia præsumptio est pro reo, qui pecunias accepit; cùm, ut *V. cit.* dicitur, nemo ita resupinus

fit; ut

fit; ut facilè pecunias suas jactet & indebitas effundat: neque etiam in patrimonii sui administratione ita negligens; ut in solvendi causa erret.

55. Alter, quô super indebito conventus, solutionem sive pecuniam sibi numeratam esse, inficiatur. Quô casu, si pecuniam accepisse ab actore convincatur, non iste eam indebitè solutam, sed reus de solutione convictus, eam sibi debitam fuisse, demonstrare jubetur *pr. & c. citt.* cùm; quia inficiatione illâ & mendaciô rei existimatio gravatur; ut in alio ei non credatur, & probandi onus suscipere ipse potiùs quàm adversarius compellatur, *l. Sive possidetis 16. C. de Probat.* Glossa *fin. in c. cit.*

Postremus est, quô indebitè solutum queruntur & repetunt pupillus, mulier, miles & similes. Quô casu, illi, quantumvis actores sint, probandi onere, propter simplicitatem & Juris imperitiam, relevantur: idque in reum conventum & solutionem etiam confessum transfertur, *l. Cum de indebito cit. §. 1.* Nisi pupillus, minor &c. contendant solutam partem tantùm indebitam fuisse; hoc enim casu debitô plus persolutum, probandi onus etiam ipsis imponitur, *l. cit. §. 2. ubi* Bruneman *n. 8.*

TITVLVS XXIV.

De Donationibus.

QUantumvis Donatio Jure novissimô adnumeretur Contractibus, eam tamen ab istis separatam Pontifex solutionibus subjecit; quòd donans non id agat, ut, quod cæteri contrahentes solent, alter sibi obligetur; sed, ut beneficiô afficiatur.

ARTICULUS I.

De Donationis Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Donationis etymon, definitio,*
2. *Et differentia à Precariis, Commodato ac Mutuo:*
3. *A Constitutione dotis & Remunerationis.*
4. *Alia est Mortis causa, alia inter Vivos:*
5. *Quarum illa intuitu mortalitatis:*
6. *Ista nullâ hujus mentione fit.*
7. *Et Propria vel Impropria est.*
8. *Differentiæ inter hanc & Mortis causâ donationem.*
9. *In dubio facta inter Vivos præsumitur,*
10. *Spectatô Jure & Ratione.*

DOnatio à verbo Dono quasi Donatio sit, ita nuncupata, *l. Donatus 35. §. 1. ff. de Mortis causa donat.* est Liberalitas, quæ nullô jure cogente exercetur, sive Datio rei licitæ, nullô jure cogente facta, *l. Donari*

l. Donari ff. hâc Rubr. Eôdem ſenſu, ſed explicatiùs Barboſa *ad hanc Rubr. n. 5.* Donationem eſſe, ait, Conceſſionem rei licitæ, animô dominium irrevocabiliter transferendi, ex mera liberalitate factam: ex qua definitione

2 Patet propriè & ſtrictè acceptæ Donationis differentia imprimis à Precario & Commodato; quia his contractibus res non dominii, ſed uſûs tantùm transferendi animô & revocabiliter datur; cùm accipiens eandem in ſpecie, ſive individuo, reddere teneatur: & à Mutuo: quô in accipientẽ quidẽ rei dominiũ tranſit, ſed non irrevocabiliter; cùm eô accepta res in genere, ſive alia ejusdem rationis, ſit red-
3. denda, Barbola *cit. n. 5.* Deinde à conſtitutione Dotis, & propter nuptias Donatione; cùm non merè liberaliter, ſed ob cauſam, & Jure cogente utraque fiat, iiſque acceptæ res obnoxiæ ſint reſtitutioni, faciendæ matrimoniô ſolutô, Perez *in C. hâc Rubr. n. 2.* Prætereà à Remuneratione ſive donatione Remuneratoria; cùm etiam iſta non ad meram liberalitatem exercendam, ſed ob cauſam, ſcilicet ob merita vel obſequia præcedentia fiat: & ſupponat ex iis ortum Gratitudinis naturale debitum, *l. Sed & ſi 25. §. 11 ff. de Hæredit. petit.* olim adeò conſiderabile; ut Athenis actio adverſus ingratos conſtituta fuerit; quòd hominum vitæ & Societati maximè neceſſarium dandi atque accipiendi beneficii commercium tollere videretur, qui benemerito parem referre gratiam negligeret, ut ex Valerio Maximo *Lib. 5. cap. 3. de Ingratis ad §. 11. cit. V.* Planè Gloſſa *marg.* adnotavit, Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 9. n. 141.* Et demum à Donatione, quæ mortis cauſâ nuncupatur; quia iſta usque ad ſupremum vitæ ſpiritum revocari poteſt *l. Mortis cauſa 16. ff. de Mort. cauſa Donat.* Harprecht *in §. 1. Inſtit. hac Rubr. hîc n. 66.* Unde

Donatio latiùs accepta apud DD. 4.
paſſim obviâ & in utroque foro receptâ partitione alia mortis cauſâ fieri dicitur, & alia non mortis cauſâ, ſive inter vivos, *pr. Inſtit. Rubr. cit.*

Mortis cauſâ Donatio eſt, quâ mor- 5.
tis imminentis metu, aut mortalitatis intuitu res ſeu bona in alium eô animô conferuntur, ut morte ſecutâ ejus fiant, *§. 1. cit.* periculum enim ſeu ſuſpicio mortis imminentis, vel ſaltem ejus aliquando ſecuturæ ſive mortalitatis conſideratio cauſa eſt hujusmodi Donationis: quæ propterea donantis primùm morte confirmatur, *l. Non videtur 32. ff. de Mort. cauſa donat.* &, donec iſta ſequatur, revocari poteſt, *l. Mortis cit.* cùm, qui Mortis cauſâ donat, ſupervivere malit, & ſe habere, quàm eum, cui donat, *l. 1. ff. de Mort. cauſa don.*

Inter vivos autem Donatio eſt, quâ 6.
res ſeu bona alteri ſine ulla mortis conſideratione iſtiúsque mentione, *§. Aliæ autem 2. Inſtit. Rubr. cit.* eáque mente conferuntur; ut ſtatim accipientis fiant, & ad donantem non revertantur, *l. 1. cit. pr.* quâ irrevocabilitate donatio hæc præcipuè conſtituitur; cùm etiam, quando mortis mentio fit, inter vivos donatio reputetur, ſi donatio ab eo, qui donat, non valeat revocari; ac proinde ejus, quam producit, obligationis executio duntaxat, non etiam conſtitutio in tempus mortis conferatur, ut ſatis clarè decidi-
tur, *l. Ubi ita donatur 27. ff. ibid.* & cum Claro *§. Donatio q. 4. n. 5.* advertunt Petr. Barboſa *in l. Qua dotis 33. ff. Soluto matr. à n. 113.* Fachineus *Controverſ. Lib. 5. cap. 23.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. diſp. 287. n. 16.* Cui non obſtat *l. Si alienam 13. ff. Rubr. cit.* quia iſtius textu aliud non aſſeritur, quàm mortis cauſâ donationi adjici poſſe pactum; ne ullô ca-

su revocetur. An autem ejus adjectione donatio alteretur &, quod *l. Ubi cit.* deciditur, donatio inter vivos esse incipiat, relinquitur intactum, Fachineus *l. cit.* & Bruneman. *in l. Ubi ita cit. n. 2.*

7. Ista etiam, sive inter Vivos donatio celebri divisione alia Propria, alia Impropria est. Propriè dicta, sive simplex & pura donatio est, quam donans facit ex mera liberalitate, hoc est, nullô aliô fine, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat, *l. 1. pr. ff. de Donat.* Impropriè dicta, quæ fit ob causam, vel sub conditione aut modo, vel ad certum diem vel tempus. Ob causam, ut donatio Remuneratoria, quæ fit in beneficii vel obsequii compensationem: donatio causâ Dotis, quam marito uxor aut istius nomine alius pro matrimonii oneribus sustinendis: donatio propter nuptias, quam vicissim maritus uxori facit in dotis vicem & securitatem. Sub conditione, à cujus eventu ejus obligatio pendet, ut cùm res Titio donatur, si gradum Literarium vel munus honorificum fuerit assecutus. Sub modo sive ad certum finem, ut cùm Titio donantur mille, ut ea in emptionem domûs, in Literarum studium &c. impendat. In certum diem, puta ut res donatarii post annum fiat, Interpp. *in C. de Donat. quæ sub modo &c.* Unde

8. Mortis causâ donatio, licet cùm ea, quæ fit inter vivos conveniat; quòd donantis & donatarii in rem donatam consensum utraque exigat; cùm, sicut invitus nemo donat, *l. Rem legatam 18. ff. de Adimend. legat.* ita nec invito donetur, *l. Hoc jure 19 §. 2. ff. hâc Rubr.* vel beneficium detur, *l. Invito 69. ff. de R. J.* ab ista tamen sive inter vivos donatione plurimùm differt non solùm quoad causam, scilicet imminentis mortis periculum metúmve aut mortalitatis cogitationem, quæ ad mortis causâ donationem inducit: sed etiam quoad effectus; cùm illa, ut revocari amplius non valeat, ipsâ primùm morte confirmetur: ideóque ad ultimas voluntates proximè accedat, & legatis connumeretur, *§. 1. V. Ha mortis, Instit. hâc Rubr.* Neque hoc immeritò; cùm, sicut legatum, sic & ipsa à donante liberè valeat revocari, *l. Mortis 16. cit.* ad ejus valorem quinque testes requirantur, sicut ad Codicillum, *l. fin. C. de Mortis causâ donat.* in ea, an donans habilis & donatarius capax sit, inspiciatur tempus, non donationis, sed mortis, quô effectum sortitur, *l. In mortis 22. ff. ibid.* insinuatione non sit opus, licet quingentorum solidorum summam excedat, *l. fin. cit.* ab ea rejiciantur conditiones impossibiles, *l. Quæ sub conditione 8. §. 3. ff. de Condit. instit.* perinde, ut à legatis, Falcidia detrahatur, *l. Si mortis 5. C. ad L. Falcid.* in ea donatariis perinde, ut legatariis, competat jus accrescendi, *l. Unica §. 14. C. de Caduc. toll.* à morte donatarum rerum dominium absque ulla traditione in donatarium transeat, sicut à morte testatoris legatorum dominium in legatarium, *l. Vel mortis 2. ff. de Publ. in rem act.* &c. *Clarus §. cit. q. 5.* Molina *disp. 288. à n. 1.* & Haunoldus *Tom. 2. de J. J. tract. 7. n. 449.*

Controversum est, an in dubio inter Vivos & simpliciter potiùs, quàm Mortis aut aliâ causâ facta donatio præsumatur. Ratio dubitandi in speciem minimè levis est; quòd, cùm donatio Juris stricti & rerum suarum quædam jactatio sit, *arg. l. Filius 7. ff. hac Rubr.* in dubio donare nemo præsumatur *l. Cùm de indebito 25. pr. V. Sin verò ff. de Probat.* adeò; ut neque ob solam sanguinis conjunctionem, licet arctissimam, donâsse quis reputetur, quotties alia interpretatio vel conjectura dari potest, *arg. l. cit.* Menoch. *de Arbitr. cas. 88. à n. 1.* Unde donatio in dubio potiùs Mor-

sius mortis aut aliâ, quàm inter Vivos & meræ liberalitatis exercendæ causâ facta videri potest; cùm per hanc res magis jactentur, quàm per illam, utpote obnoxiam revocationi vel debitum aut causam supponentem.

10. Nihilominus frequentiori DD. calculô comprobatur Opinio aliorum, in dubio præsumentium donationem inter Vivos adeò; ut infirmus & in articulo mortis constitutus, si absolutè & citra mortis mentionem donet, non tam mortis causâ quàm moriens donâsse sit existimandus, juxta responsum Papiniani *l. Seia 42. §. 1. ff. de Mort. causâ donat.* quem cum Bartolo *in l. Seia 11. ff. de Dote præleg.* & Jasone *in l. Quæ dotis 26. ff. Soluto matr.* Clarus §. *cit. q. 4. n. 3.* & Haunold. *cit. Tract. 7. n. 451.* sunt secuti. Ratio satis expedita est; quia in dubio præsumenda est donatio, quæ verbô hôc propriè acceptô denotatur, ex Regula generali, quâ in dubio pro verborum proprietate præsumitur, donec aliud fuerit demonstratum, *l. Non aliter 96. pr. ff. de Legat. 3.* Donationis autem verbô propriè acceptô inter Vivos & simplex, non mortis aut aliâ causâ facta donatio denotatur.

Ad rationem dubitandi aliqui Donationes Juris minimè stricti esse volunt; quòd sint donantis quoddam beneficium; ac proinde admittant plenissimâ & donatario maximè favorabilem interpretationem, *c. Cùm dilecti 6.* Verùm, quia istius textûs Regula non generaliter de omnibus, sed de Principum duntaxat beneficiis gratiisque, merum illorum favorem continentibus, *c. Olim 16. de V. S.* & personarum dignitate vel nobilitate præcellentium donationibus procedit, *arg. c. 1. meliori* ratione alii donationes in dubio regulariter non præsumi, haud ægrè concedunt.

Neque tamen propterea DD. inter Vivos potiùs & simplicem, quàm Mortis causâ &c. donationem præsumentium, communi sensui dubitandi ratio adversatur; quia absolutè & sine ulla mortis vel alterius causæ mentione donans meræ liberalitatis & munificentiæ exercendæ animum studiúmque satis declarat: neque perdere intelligitur, nisi personis indignis donet. Unde ei, qui Mortis vel Remunerationis causâ à se donatum contendit, probandi onus *citt.* aliique DD. imponunt: nisi inter vivos & merè liberaliter donandi facultate careat.

ARTICULUS II.

De Donationum Revocatione.

SUMMARIUM.

11. *Mortis causâ donatio revocatur Morte donatarii ante donantem,*
12. *Reconvalescentiâ & Pœnitentiâ.*
13. *Facta inter Vivos I. Nativitate liberorum,*
14. *Etiamsi perfecta jam sit, revocatur;*
15. *Nisi ipsa sit modica,*
16. *Aut facta filio emancipato:*
17. *Vel nati liberi legitimi non sint:*
18. *Vel revocationi renuntiatum sit cum juramento.*
19. *Non revocatur donatio Remuneratoria*
20. *Et facta causæ Piæ,*
21. *Nisi quatenus legitimæ præjudicat.*
22. *Non revocatur donantis Professione.*
23. *II. Donatio inofficiosa revocatur,*
24. *Quatenus præjudicat legitimæ liberorum.*
25. *III. Revocatur Ingratitudine in donantem:*

26. *Non tamen ipsô Jure,*
27. *Et non nisi ex causis istô expressis.*
28. *Neque etiam donatio Remuneratoria, Pia,*
29. *Et facta beneficii collatione.*
30. *Valet remissio Ingratitudinis commissæ.*
31. *Non etiam committendæ, licet jurata sit.*
32. *Donationem revocandi jus aliquando, non semper ad hæredes,*
33. *Et in hæredes transit.*

11. MOrtis causâ donatio tribus potissimùm modis revocatur. Primò quidem, si is, cui donatum est, decesserit ante donantem, *l. Filiofamilias 23. ff. de Mort. causâ donat.* adeò; ut, quæ rem donatam respiciat, nulla Actio competat hæredi, cùm; quòd donans donatario duntaxat benevoluerit, Perez *in C. ibid. n.* 11. tum verò; quòd etiam legata ultimâ voluntate relicta non debeantur, si præmoriatur is, cui sunt relicta, *l. Unica C. de*
12. *Caduc. toll.* Secundò, si gravis infirmitatis, periculosæ navigationis aut belli intuitu donans convalescat, aut à periculo salvus revertatur, §. *Mortis 1. Inst. Rubr. cit.* Ratio est partim; quòd hujusmodi donatio in se contineat conditionem, *Si moriar*, veluti causam finalem: quâ cessante, cessat etiam ipsa, *c. Cum cessante 60. de Appellat.* partim verò; quòd mortis causâ donans, licet rem donatam potiùs donatarii quàm hæredis, suam tamen illam potiùs, quàm donatarii esse velit, *l. 1. & l. Senatus 35. §. 2. ff. de Mort. causa donat.* Tertiò, si donantem pœniteat donationis, §. *Mortis cit.* quia mortis causâ donatio species quædam est ultimæ voluntatis, *l. fin. C. câdè Rubr.* quæ ambulatoria est usque ad extremum vitæ spiritum, & revocari semper potest, *l. Cùm hic status 32. §. 3. ff. de Donat. inter vir. & uxor. & l. Quod si 4. ff. de Adimend. leg.* Perez *l. cit. n. 10.* & Harprecht *in §. Mortis cit. à n. 67.*

Inter vivos etiam Donatio, etsi se- 13
mel ritè perfecta magis firma sit, *l. Si apud 2. &c. cum l. fin. pr. C. de Revoc. donat.* celebres tamen tres casus & causæ sunt, ob quas etiam ipsa, quamvis jam consummata, revocatur ac rescinditur.

Prima est, si donator post factum omnium vel notabilis partis bonorum donationem præter omnem spem & expectationem suscipiat liberos, *l. Si unquam 8. l. De Revocand. donat.* aut etiam prolem unicam duntaxat; cùm *Liberorum* appellatione unus quoque unâve proles comprehendatur; ut, qui unam tantum reliquit, sine liberis decessisse non intelligatur, *l. Non est 148. ff. de V. S.* Ratio est, quia donator alienas successiones propriis, sive extraneos liberis suis antepone re voluisse, non præsumitur; ut donatio facta censeatur sub tacita conditione, *Nisi liberi nascantur*, Clarus §. *Donatio, q. 22. n. 15.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 282. n. 1.* & Perez *in C. de Revocand. donat. n. 15.*

Quæ dispositio etiam procedit, si 14
liberi donatione jam perfectâ suscepti ante patrem, qui donavit, moriantur. Ratio est; quia in donatione subintelligitur conditio, *Si liberi non nascantur*: quâ proinde, liberis susceptis, deficiente etiam ipsa deficit & extinguitur; ut donata ad donantem revertantur, *l. Si unquam cit.* res autem, quæ semel extincta est, non amplius revivisci, *l. Quires 58. §. 7. ff. de Solut.* Ita ex communi DD. tenet Fachineus *Lib. 3. cap. 90.* §. *Caterùm.* Si tamen donans filiis natis iterúmque mortuis res donatas, cùm facilè posset, repetere omisisset, donationem confirmâsse aut renovâsse: vel initiò, etiamsi de liberis cog-

ris cogitâsset, eâm nihilominus facturus fuisse intelligeretur, Clarus §. *cit. q.* 28. *n.* 9. Tiraquellus *in l. Si unquam cit. V. Susceperit liberos n.* 137. *citt.* Molina *n.* 8. & Haunold. *n.* 276.

Eidem *l. Si unquam cit.* dispositioni locus est in donatione firmata juramentô; cùm enim hoc sequatur conditiones actûs, cui est adjectum *c. Quemadmodum* 25. *pr. de Jurejurando*, sicut donatio, sic etiam ipsum huic appositam conditionem, *Nisi liberi nascantur* tacitè includet, *citt.* Clarus *q.* 23. *n.* 1. & Molina *n.* 7.

15. Dixi tamen, *Si donatio sit partis notabilis*: cujusmodi non solùm major vel dimidia, sed etiam minor, tanta tamen bonorum pars est; ut donator, si de liberis cogitâsset, eam donaturus verisimiliter non fuisset; si enim donatio esset modica; ut, etiamsi liberi in mentem venissent, eam nihilominus fuisse faciendam, præsumi posset, liberorum nativitate non revocaretur, *citt.* Clarus *q.* 22. *n.* 5. Fachineus *cap.* 88. & Molina *n.* 5.

Excipiuntur etiam &, liberis supervenientibus, non revocantur donationes

16. Primò, facta filio emancipato; cùm enim de isto *l. Si unquam cit.* dispositio, utpote de extraneis loquens, non procedat, ei facta donatio aliis liberis supervenientibus revocari nequit, nisi quatenus est inofficiosa; ut liberis postea natis salva sit legitima: sicut revocari potest, quando facta est ipsis jam natis, *l. Si totas* 5. *C. de Inofficios. donat. citt.* Molina *disp.* 273. *n.* 1. & Haunold. *n.* 281.

17. Secundò, si liberi, qui supervenium, sint spurii: imò etiam naturales; quia donator non præsumitur favere voluisse liberis, de quorum susceptione sine peccato cogitare, & sine rubore loqui non potuisset, *citt.* Molina *n.* 9. & Haunoldus *n.* 272.

Tertiò, nisi donationem, liberis supervenientibus, revocandi juri cum juramento renuntiâsset; talis enim donatio liberorum nativitate non tota, sed quoad legitimam duntaxat revocaretur. Ratio de legitima est; quia hanc adimere, in eâve liberis donatione aliâve dispositione præjudicare, Jure prohibetur. De excessu autem; quòd ejusmodi renuntiatio tollat præsumptionem donationi inexistentis tacitæ conditionis, *Nisi liberi nascantur*: &, quatenus afficit bona legitimam excedentia, propriè non præjudicet, nisi donanti, cujus liberos postea suscipientis favorem, *l. Si unquam cit.* spectat; ac proinde juramentum, cùm sine peccato & tertii præjudicio possit, omnino debeat observari, per Regulam *c. Cùm contingat* 28. *de Jurejurando & c. Quamvis* 2. *de Pactis in* 6. Fachineus *l. cit. cap.* 84. *in fine* Guttierez *p.* 1. *de Juramento cap.* 9. *n.* 8. & *cit.* Molina *n.* 6. 18.

Quartò, donatio facta ob causam Remunerationis, vel Dotationis; quamvis enim talis revocetur, quatenus causam illam excedit vel, si ista vg. merita, aut matrimonium nondum posita sint, casu tamen, quô causa donationi proportionata & ex parte donatarii positâ jam est, donationem non revocari, probabiliùs censent Lugo *disp.* 23. *de I. & I. s.* 11. *n.* 196. & Haunold. *cit. tract.* 9. *n.* 282. 19.

Quintò, donatio facta Ecclesiæ vel alteri causæ Piæ: quam Jure Fori externi omnino firmam esse: Jure autem Poli sive in foro Conscientiæ interno totam revocari, non pauci & non postremi nominis DD. desumunt ex *can. fin.* 17. *q.* 4. ubi relatus S. Augustinus laudat factum Aurelii Episcopi, cuidam, qui post omnium bonorum donationem (retentô usufructu) Ecclesiæ factam liberos suscepe- 20.

perat, omnia reddentis: & addit, *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed Jure Fori, non Jure Poli.*

21. Sed meliùs alii, præsertim *citt.* Lugo *n.* 174. & Haunold. *n.* 277. ejusmodi donationem de rigore Juris solummodo revocari docent, quatenus est inofficiosa, & præjudicat legitimæ. Rationem reddunt; quòd donans, sicut contra Pietatis officium nihil agere, ac proinde legitimam liberis salvam esse, sic etiam pro beneficiis acceptis Deo gratum se exhibere animæque suæ prospicere; ac proinde ea, quæ legitimam excedunt, Ecclesiæ vel alteri causæ Piæ vel potiùs Deo absolutè donare voluisse, præsumatur. Quæ Resolutio *can. fin. cit.* decisione confirmatur potiùs quàm, ut aliquibus visa est, evertatur; cùm enim ex una, Jure etiam Fori sive Justitiæ obligatione spectatâ, Ecclesiæ facta donatio non tota firma, sed quoad legitimam saltem obnoxia fuerit revocationi, *l. Si totas cit.* ex altera verò parte, Jus Fori id tantùm, quod legitimam excedit, retinendi Ecclesiæ potestatem concedens, quoad Justitiæ obligationem cum jure Poli non pugnet; de rigore Juris sive, solius Justitiæ obligatione spectatâ, donata quoad legitimam tantùm debebunt reddi: quoad excessum autem poterunt retineri: etsi omnia reddi conveniat Juri Poli sive, Æquitati, Honestati & Pietati, *can. fin. cit.* ut ita Ecclesia ab omni avaritiæ suspicione purgetur. Ex quibus tamen titulis donata reddere volenti Prælato Juris solennitates hodie necessarias esse, Lugo *l. cit.* monet.

22. Sextò, si donans ingrediatur Religionem. Hoc tamen, teste Tiraquell. *V. cit. n. 48.* aliqui negant; quod monasterium sit locô Filii *c. In præsentia 8. de Probat.* & propterea, sicut nativitate filii, sic etiam donantis Professione donatio revocetur. Sed argumentum hîc leve est, cùm; quia ea Juris fictio commentitia est: & monasterium *c. cit.* Filii locô non haberi, *ad Rubr. de Testament. n. 213.* ostendetur; tum verò; quia, licet Filii locô monasterium haberetur *c. cit.* hoc tamen non verus, sed fictus duntaxat filius foret; nec afficeretur dispositione *l. Si unquam cit.* quòd ista ex communi Interpp. sensu de filiis solummodo veris procedat.

Quare inter vivos donationem donantis Professione revocari, cum Felino *in c. cit. n. 42.* & Tiraquello *V. cit. n. 4.* rectè negat Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 3. n. 41.* quibus non adversatur; quòd monasterio debeatur legitima, *Auth. & can. Si qua mulier C. de SS. Eccles. & l. 9. 3.* quia hæc illi solùm debetur à Professo, quando de bonis suis disponit post Professionem: quod ei, si ante non fecit, permittitur *Auth. & can. cit.* licet extra hunc casum testamentô aliquid monasterio relinquere Religionem professuro non teneatur, Franc. *in Rubric. de Testam. à n. 67.* Beroius *in c. In præsentia cit. n. 219.* & alii apud *cit.* Sanchez *n. 1.* Verùm, etsi res ita se habeat, quando donatio alio intuitu, quàm Professionis in Religione emittendæ facta est: alia tamen ratio est donationis factæ intuitu istius; talem enim decretô S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 16. de Regular.* irritatam, non pauci volunt, An verè *Tit. 31. à n. 43.* discutietur.

Altera inter vivos factas donationes revocandi causa est, si eæ sint inofficiosæ, seu contra officium pietatis in liberos: ut, si pater matérve in tanta quantitate donet extraneo, aut etiam uni vel pluribus liberis; ut cæteris legitima, hoc est, portio de paternis maternisve bonis lege ipsis debita auferatur vel diminuatur; hujusmodi enim donationem à patentibus

frentibus factam liberi in legitima gravati post mortem parentis ita donantis, querelâ apud judicem institutâ revocare jure possunt: non quidem totam, sed quatenus ea immodica est & detrahit legitimæ; ut id, quod conquerenti jure legitimæ debetur ad donatoris patrimonium redeat, *l. Si pater 2. l. Si totas 5. l. Cùm mater 7. & l. Si liqueat 8. C. de Inofficios. donat.* Ratio est partim; quia à Pietatis officio recessum & peccatum est non in tota donatione, sed quoad legitimam tantùm portionem, ut adeò, istius duntaxat revocationem permitti, conveniens fuerit; ne pœna major sit delictô, Perez *in C. de Inofficios. donat. n. 3.* partim verò; quia donationis revocatio, tanquam exorbitans & odiosa, extendenda non est ultra id, quod expressum est Jure: quô, eas in totum revocari, nusquam est expressum, Palao *Tract. 32. disp. 2. p. 30. §. 1. n. 2.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 47. in fine* & alii, monentes, sicut liberos à parentibus, sic & hos à liberis immodicè & inofficiosè factas donationes revocare posse, per textum *l. Filius 4. C. de Inofficios. donat. & arg. l. Nam etsi 15. ff. de Inofficios. Testament.*

24. 25. Tertia inter vivos factas & traditione jam perfectas donationes revocandi causa est Ingratitudo donatarii in donantem: non quomodocunque, sed modis, *l. fin. C. de Revocand. donat. & c. fin. hâc Rubr.* expressis, commissa: *Si* donatarius *fortè in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit*: additur *l. cit. Si conventiones, quas spopondit, minimè implere voluerit.* Quem casum *c. fin. cit.* omissum aliqui asserunt; quòd eô donatio non tam propter ingratitudinem, quàm non impletas conditiones seu pacta & modos donationi appositos revocetur. Non malè tamen alii in hoc ipso ingratitudinem agnoscunt; quòd beneficii immemor & contemptor videri jure possit is, qui illius conditiones implere neglexerit Guttierez *p. 1. de Juramento cap. 10. n. 2.* Rebellus *de Oblig. Justitiæ Lib. 18. cap. 9. num. 3. & cit.* Palao *p. 31. §. 1. n. 7.*

26. Non revocatur tamen Donatio ipsô Jure; ut, Ingratitudine relatorum modorum aliquô admissâ, donatarius res sibi donatas & traditas restituere teneatur, antequam ingratitudo in judicio probata sit à donante, & pro eo sententia lata, ut colligitur ex *l. fin. cit.* verbis, *Si fuerint in judicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ.* Casu tamen, quô donatæ res traditæ non fuissent, donatarius ingratus à donante repelli posset per exceptionem; cùm ei, cui post solutionem datur Actio, multô magis ante illam Exceptio detur, *l. Invitus 156. ff. de R. I.* Panormit. *in c. cit. n. 5. citt.* Molina *n. 5.* Palao §. 1. *n. 13.* Haunold. *n. 260.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 36.* Ex his

27. Dubium oritur primò, an Donatio revocari valeat ob causas ingratitudinis, expressis æquales vel graviores. Id enim cum Glossa *in l. fin. cit. V. Voluerit*, affirmant Clarus §. *cit. q. 21. n. 2.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 4. n. 14.* & Menoch. *de Arbitr. casu 130. n. 2. & 3.* quia, ubi est eadem (vel major) ratio, eadem legis dispositio est, *arg. l. Illud 32. pr. ff. ad L. Aquil.* Verùm, quia huic sive Axiomati, sive *l. cit.* argumento, cùm de pœna contrahenda agitur, vix locus est, *arg. Regulæ Odia 15. in 6.* in puncto Juris Negativa præferenda est cum Molina *cit. disp. 181. n. 8.* Zœsio *in C. de Revoc. donat. q. 1.* Perez *in C. eâdem Rubric. n. 7.* & Bruneman. *in l. fin. cit.*

cit. n. 6. propter istius legis textum, donationis revocationem ad causas relatas disertè restringentem; cùm iis enumeratis subjiciat, *Ex his tantummodo causis donationes everti concedimus.* Ubi tamen DD. rectè advertunt, rarò, imò vix evenire posse casus ingratitudinis, *l. & c. fin. citt.* expressis graviores, ipsis non comprehensas; quia casus, quò donatarius uxori aut filiæ donantis obtulisset stuprum, ad atrocem injuriam ipsis expressam revocatur; cùm iis injuriæ mentio fiat absolutè: injuria autem non minùs sit, quæ factò aliquò injuriosò, quàm ea, quæ contumeliosis verbis infertur, *citt.* Molina *n. 9.* & Palao *n. 11.*

28. Dubium secundò est, an ob ingratitudinē revocationi obnoxiæ etiam sint Donationes Remuneratoriæ. Quod cum Panormit. *in c. cit. n. 12.* Claro *q. 21. n. 4.* & Molina *l. cit. n. 7.* communiter, & meritò negatur; quia Remuneratoria propriè dicta donatio non est; cùm non procedat ex mera liberalitate: sed sit meritorum compensatio, donatario debita ex honestate & gratitudine; ut proinde pœnalis & odiosa Constitutio ad eam: uti etiam ad constitutionem dotis & propter nuptias donationem non rectè extendatur, Barbosa *in c. fin. cit. n. 16.* Pari modò donationem factam Ecclesiæ vel alteri causæ Piæ propter Prælati vel alterius administratoris ingratitudinem revocari, cum *cit* Claro *n. 5.* meritò negant Menoch. *Recup. remed. 9. n. 102.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 18. n. 105.* & Palao *cit. p. 31. §. 3. n. 5* cùm; quia talis donatio censetur facta intuitu Domini Dei, in quem, tanquam liberalissimum bonorum omnium Largitorem & Remuneratorem cadere nequit ingratitudo: tum verò; quia delictum personæ in Ecclesiæ vel Monasterii detrimentum redundare non debet, *Reg. 74. in 6.*

Multò minùs revocari ab ingrato potest beneficium Ecclesiasticum; quia istius collatio, quantumvis gratis, non tamen de propriis, sed de Ecclesiæ bonis, & ex Officio facta est à collatore, ad eam alicui clerico idoneo, &, quidem ex natura beneficii perpetuò faciendam obligato, *citt.* Panormit. *n. 9.* Clarus *n. 1.* & Molina *n. 14.*

Dubium tertiò est, an Donatio revocari etiam possit ab eo, qui ejus ob donatarii ingratitudinem revocandæ iure renuntiâsset. Posse, si renuntiatio simpliciter: non etiam, si facta sit cum juramento, cum Tiraquello *in l. Si unquam cit. Præfat. n. 140.* volunt laudati Guttierez *cap. 9. n. 5. & cap. 10. n. 1.* Molina *n. 10. & 11.* Perez *n. 10.* & Hannold. *n. 265.* quòd eam revocandi jus favor ipsius donantis, & propterea locum sit Regulæ *c. Si de terra 6. de Prebend.*

Sed meliori ratione, ejusmodi renuntiationem, etiam juratam, donationis revocationi obstare, negat Boërius *Consil. 41.* & alii, quos sequitur Palao *cit. p. 3. §. 2. n. 5.* Ratio est; quia renuntiatio juris revocandi ob ingratitudinem futuram donatario ansam præbet ingratitudinem delinquendi: sicut promissio non accusandi de adulterio futuro vel de dolo committendo in administratione; ac proinde neque ipsa, neque firmandæ adjectum juramentum, tanquam contra bonos mores præstitum, obligatorium erit, *Reg. Non est 58. in 6.*

Neque donatario adversus revocationem patrocinatur; quòd, donationem ingrato factam non revocare, licitum non minùs sit, quàm lytrum vel usuras solvere prædoni aut fœneratori: cujusmodi promissioni adjectum juramentum obligat promittentem, *c. Debitores 6. de Jurejurando*; quia, licet omissio revocationis licita sit, postquam ingratitudo jam est com-

est commissa; illicita tamen & nulla est promissio, quâ donationis ab ingrato revocandæ juri renuntiatur; cùm renuntiatio ista non habeat causam, quæ honestet ansam delinquendi, quam præbet: cujusmodi tamen causam habent juramenta, quæ de lytrô vel usuris solvendis fiunt; hæc enim valida, & honesta etiam sunt; quia redemptio injustæ vexationis vincit ansam sive occasionem peccandi, quam usurario & prædoni jurans præbet.

32. Dubium quartò est, an pro revocanda Donatione competens Actio transeat ad & in hæredes. Ad hæredes eam transire, negant multi & suadet ratio; quòd donanti competat ob illatam sibi injuriam: Actio autem injuriarum morte extinguatur, & ad hæredes non transeat: nisi lis contestata sit cum defuncto, *l. Injuriarum 13. pr. ff. de Injuriis, cit.* Molina *n. 3.* Bruneman *in l. fin. cit. n. 9.*

Mihi semper placuit communis & *l. fin. cit.* non obscurè insinuata distinctio. Et quidem, si donans, in se admissæ ingratitudinis conscius, tacuit, Actionem & revocandi jus ad hæredes non transire, clarè decisum est *l. l. fin. V. Hoc tamen, & c. fin. citt.* quòd ipsâ taciturnitate suâ eam remisisse videatur. Si verò eam ignoravit: aut revocare, cùm vellet, morte præventus non potuit, & multò magis, si ingratitudo commissa est in defunctum, vg. eum graviter diffamandô, Actionem hæredibus competere, non malè desumitur ex verbis, *Qui hoc tacuit, c. fin. cit.* &, *Si ipse. qui hoc passus est, tacuerit, l. fin. cit. V. Etenim:* quæ cum de ignorante aut revocare non valente verè dici nequeant, argumentô ex ipsis à contrario ductô rectè infertur, jus revocandi ad ignorantis vel impotentis hæredes transmitti, non obstantibus, quæ aliàs generaliter sancita sunt de Actione injuriarum, ut advertit Ripa *in l. fin. cit. q. 62. n. 208.*

Neque obstat; quòd *l. fin. cit.* primis tantùm personis revocandi jus concedatur, & ad successores non extendenda dicatur; quia per subjecta verba, *Si ipse, qui hoc passus est, tacuerit*, satis indicatur, non agi de casu, quô donans ingratitudinem vel ignoravit, vel morte præventus per revocationem non potuit vindicare; cùm *Tacere* non dicatur ignorans: sed qui scit &, cùm posset non prodit, *citt.* Panormit. *n. 7.* Molina *n. 3.* Lugo *n. 169.* Palao §. 4. *n. 2.* & Haunold. *n. 259.*

33. Eôdem modô de transitu Actionis in, sive adversus hæredes Donatarii discurrunt Panormit. & Molina *l. cit.* Alii tamen in hos transire negant; quòd *c. fin. cit.* nulla istorum mentio fiat: & *V. Etenim cit.* non statuatur, quid in hos liceat donanti; ac proinde, si donatariô vivente Actionem non proposuit, hæc ipsi non competat adversus hæredes, cùm aliud expressum non est, satis tutos Regulâ generali, quæ injuriarum & cæteras, quæ ex delicto descendunt, Actiones adversus hæredes non concedit, *pr. cit.* & §. *Non autem 1. V. Est enim, Instit. de Perpet. & temp. act.* cùm delictorum pœnæ suos tenere debeant autores & delinquentes, *c. Quæsivit, 2. de Iis, quæ à majori & l. Sancimus 22. C. de Pœnis.* Ita ex ICT.um communi sensu Barbosa *in c. fin. cit. n. 14. citt.* Lugo *n. 170.* Palao *n. 6.* & Haunold. *n. 263.*

ARTICULUS III.

De Donationibus rerum Ecclesiasticarum.

SUMMARIUM.

34. *Prælati liberè donare nequeunt immobilia,*

35. *Et pretiosa mobilia.*
36. *De aliis moderatas donationes ex causa Remunerationis,*
37. *Et modicas merè liberaliter facere possunt.*
38. *Differentia hac in re inter Tutorem & Prælatum.*
39. *Quæ donatio modica & immoderata sit.*
40. *Immoderata etiam cum Capituli consensu illicita est.*
41. *Facta tamen Jure subsistit:*
42. *Nisi inducat immobilium distractionem.*
43. *De largitione munerum interdicta Regularibus,*
44. *Ejúsque interdictæ causis.*

34. PRæ aliis Alienationibus interdicta Prælatis cæterísque rerum Ecclesiasticarum administratoribus est ejusmodi rerum Donatio *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. c. Cùm Apostolica 7. c. Tua 8.* ibi, *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare &c. De iis, quæ à Prælatis &c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* Ratio est; quòd rerum jactationi valde propinqua, & patrimoniis maximè sit periculosa. Eâ tamen prohibitionis generalitate, ne potestas Prælatorum & donandi præsertim facultas nimiùm constricta, ísve omnino adempta videatur, operæ pretium erit, si inter Ecclesiarum res seu bona, & inter ipsas etiam istorum Donationes distinctio adhibeatur.

35. Bona enim, sive res Ecclesiarum immobiles, & his æquiparatas mobiles pretiosas, sicut merè liberaliter, & sine necessitatis, evidentis utilitatis, aliáve simili justa causa, & Canonicis solennitatibus donari non posse, ex *cc. citt.* omnino exploratum: sic justâ aliquâ causâ exigente vel suadente, & Juris solennitatibus intervenientibus eas quoque donari posse, ex *can. Quicunque q. 2. cit. & c. Per tuas 5. hâc Rubr.* cum Panorm. *in c. cit. n. 5.* desumunt Laiman *Tract. de Alienat. rer. Eccles. n. 112.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 11.*

De Reditibus etiam cæterísque ejusmodi mobilibus non pretiosis, sicut Remunerationis sive Pietatis & Misericordiæ aliáve simili causâ, moderatas & meritis comensuratas & si modicæ sint, etiam merè gratuitas donationes Prælatis DD. comunis sententia & meritò permittit: immodicas sive magnæ quantitatis donationes eis Jure permissas, eadem merito negat; quòd id planè liqueat ex *l. Paternitatis 2.* ubi ratio redditur; quòd Prælati, licet Ecclesiasticorum reditum & similium mobilium non pretiosorum generalem liberámque habeant administrationem, eorum tamen careant dominio, atque insuper Ecclesiæ conditionem meliorem facere debeant, non deteriorem: quod posterius fit magnæ quantitatis & merè liberali donatione; quia donare quodammodo perdere est, *l. Filius 7. pr. ff. de Donat. & l. Ordinem 2. C. de Consul. & non sparg. per.*

Contrà Remunerationis vel alterius Pietatis aut Misericordiæ causâ Donationes moderatas eis permittendi ratio sint; quòd hujusmodi donationes, cùm justâ ratione nitantur, ex quadam obligatione & necessariò fieri censeantur, *arg. l. 1. hîc l. Filius cit. §. 1. & l. Sed & si §. 11. ff. de Hæred. petit.*

Gratuitas autem sive merè liberalis, si modicæ sint; cùm propter Consuetudinem universalem fere omnium Ecclesiarum, quarum Prælati & Rectores modica seu minima donare passim solent, teste Laiman. *Tract. cit. n. 114.* & Pirrhing *n. 14.* tum verò; quòd hoc exigere videatur libera administratio, quam

quam in Ecclesiæ rebus Prælatus habet: & per hujumodi rerum donationes non solùm evitetur suspicio avaritiæ, cui personæ Ecclesiasticæ aliquando obnoxiæ sunt; sed istarum bona existimatio & hominum erga ipsas benevolentia studiúmque liberalitatis erga Ecclesias & Monasteria conservetur.

Neque cum hujusmodi donationibus pugnat; quòd Prælati aliíque administratores Ecclesiastici æquiparentur tutoribus, apud Steph. Gratian. *Discept. forens. cap. 601. n. 6.* & Guttierez *de Tutelis p. & cap. 1. n. 8.* qui de rebus pupilli donare nihil possunt: nisi ex causa justa: ob quam donatio in illius Utilitatem cedere videtur, *l. Tutor 13. §. 1. & fin. ff. de Administr. Tut. & l. Pactum Curatoris 22. C. de Pactis.* Non, inquam, 38. æquiparatio hæc cum hujusmodi Donationibus pugnat; quia, ut silentiô prætermittam; quòd, parvas donationes etiam ipsis tutoribꝰ permissas, aliis DD. relatis velle videatur *cit.* Guttierez *p. 2. cap. 6. n. 10.* licet tutor & Prælatus in multis æquiparentur, in aliis tamen notabiles differentiæ inter eos intercedunt, secundùm Glossam *in can. fin. V. Quia Episcopus, 5. q. 3.* Primò enim tutor est temporalis sive ad tempus datus, *pr. Instit. Quibus mod. tutela fin. & l. fin. C. Quando Tut. esse desin.* Prælatus autem fere perpetuus; cùm Prælatura, sicut cætera beneficia Ecclesiastica, conferatur in Titulum: & Prælato, dum vivit, non auferatur, *can. fin.* junctâ Glossâ *V. Perpetuò, dist. 7. c. Ex parte 5. de Clerico ægrot. & c. Si gratiosè 5.* junctâ Glossâ *fin. de Rescript. in 6.* Secundò, tutor non utitur nec fruitur rebus pupilli, *arg. l. A tutoribus 33. §. fin. & l. Qui negotiationem 58. pr. ff. de Administr. Tut.* Prælatus autem sæpe (quando scilicet distinctos non habet) ex reditibus Ecclesiæ vel Monasterii accipit sustentationem; atque idcirco Usufructuario, vel saltem Usuario comparatur, Glossa *in c. fin. V. Reservari, de Offic. Ordin. in 6.* Menoch. *de Arbitr. casu 433. n. 35.* & Petr. Barbosa *in l. Divortio 7. pr. ff. Soluto matr. p. 2. n. 27. & 53.* Tertiò, tutela, si non, ut quidam volunt, tantùm onus, sed munus publicum & honorificum *l. 1. ff. de Muneribꝰ. & honor. & l. Testamento 51.* ibi *Ab honore administrandi ff. de Manumiss. Test.* non tamen Dignitas est, ut Prælatura; Prælatus enim præeminentiam cum jurisdictione externa, & in Ecclesiæ suæ bonis liberam & generalem, multóque ampliorem potestatem habet, quàm in pupilli vel minoris rebus administrándis tutor vel curator, Glossa *V. Quia Episcopus cit.* Barbosa *in l. Filiusfamilias 26. §. fin. ff. Soluto matr. n. 22.* & Guttierez *cit. cap. 1. n. 9.* ut adeò mirum non sit; quòd modica etiam merè liberaliter donandi facultas, licet tutori negetur, Prælato tamen adstruatur præsertim; quia, ut dictum, per eam laicorum in Prælatos & commissas ipsis Ecclesias benevolentia & beneficentia conservatur: propter quam causam ita donandi facultatem Ecclesiæ utilem, cum *cit.* Laiman *n. 114.* censet *cit.* Pirrhing *n. 14.*

Porrò quænam magnæ & immoderatæ, vel modicæ & Prælatis permissæ donationes sint, viri prudentis, Ecclesiæ facultates & qualitates tam donantis quàm donatarii, istius merita vel indigentiam cæterásque circumstantias ponderantis æstimationi & arbitrio relinquendum, iidem censent cum Redoano *de Reb. Eccles. non alien. Rubric. 33. casu 27. §. Quæ verò n. 1.* 39.

Dubium hôc locô moveri solet, de merè liberali & immodica donatione à Prælato facta cum consensu Capituli. Et 40.

eam quidem, tanquam prodigalitatem, illicitam esse, convenit inter DD. Dissensio tamen inter eos est de valore; eam enim perinde ut, quæ de immobilibus vel pretiosis in casu non licito facta est, pro invalida habet Glossa *in c. Fraternitatem cit. V. Inconsultis*, ubi subaudiendam ait vocem *Maximè* vel *Præsertim* aut aliam similem implicativam casûs magis dubitabilis, quô ejusmodi gravis & Ecclesiæ damnosa donatio cum Capituli consilio & consensu fit. Eandem tanquam irritam rejicere Panormit. *in c. cit. n. 5.* & omnino rejiciendam suadere videtur ratio; quòd, ut Prælatus licitè ac validè donet, *can. Sine exceptione cit.* disertè exigatur, *Ut meliora prospiciat & cum Cleri tractatu atque consensu id eligat*, sive justa causa & solennitas: quarum, licet posterior in proposito casu non desideretur; deficere tamen, hôc ipsô, quòd donatio sit immodica, ponitur prior, sive Utilitatis aut alia similis & justa causa.

41. Sed meliùs eam pro valida habet Joan. Andr. *in c. cit. in fine:* cujus Opinionem Laiman *l. cit.* benigniorem, *cit.* Pirrhing *n. 15.* probabiliorem vocant. Ratio est partim; quòd *c. cit.* tanquam irritæ rejiciantur ejusmodi donationes ab Episcopo factæ *Suis Canonicis inconsultis.* Unde, factas prævio istorum consiliô & consensu validas esse, infertur argumentô ductô à contrario: cujus in Jure magna vis est, *l. 1. pr. V. Hujus rei ff. de Offic. ejus, cui mand.* quando eô illati contrarium Jure non est expressum: neque ex eo sequitur iniquitas aut absurdum, Menoch. *de Præsumpt. Lib. 3. præs. 93. n. 5. & Consil. 120. n. 31.* partim verò; quòd Prælatus cum Capitulo repræsentet Ecclesiam vel Monasterium, eique agendô & contrahendô obesse possit.

Neque obstat *can. Sine exceptione cit.* cùm, eum de immobilibus accipiendum, non obscurè desumatur ex eerum: cujus argumentô excipiendus est casus, quô immodica ejusmodi donatio induceret necessitatem distrahendi immobilia aut mobilia pretiosa; cùm enim istorum alienatio ad sui valorem præter solennitates etiam Utilitatis aliámve similem causam exposcat, Donatio ita immodica, ut ejusmodi rerum distractionem inducat, utique non subsistet, Laiman & Pirrhing *l. citt.*

Atque hactenus de rerum Ecclesiasticarum Donationibus tradita in Prælatis etiam Regularibus locum habent; quantumvis enim isti vi generalis & liberæ administrationis sibi competentis, *can. Nullam, 18. q. 2.* de Monasteriorum suorum mobilibus non pretiosis largiri eleemosynas, & Misericordiæ, Pietatis hisque affinium virtutum intuitu: imo etiam Remunerationis vel aliâ simili causâ Donationes moderatas facere, & à statu suo non aliena munuscula dare licitè possint: largitiones tamen sive donationes immodicas, graves & notabiles facere ipsi, & multò magis subditi Religiosi adeò severè prohibentur, ut, si factæ, irritentur; & eas facientes, præter mortalis peccati reatum & restitutionis obligationem, incurrant pœnas Constitutionibus Apostolicis *de Largitione monachorum, Regularibus utriusque sexûs interdicta*, à Clemente VIII. quæ incipit *Religiosa 13. Calend. Julij 1594. editâ* latas, & ab Urbano VIII. quæ incipit *Nuper 16. Octob. 1640. editâ* declaratas, Cujus à supremis his Ecclesiæ Antistitibus innovatæ firmatæque prohibitionis ratio non ea duntaxat fuit; quòd per ejusmodi largitiones, à Religiosis tam Prælatis quàm subditis factas, res & bona in Divinum cultum istiúsque ministrorum necessitates

necessitates & alimenta pauperum impendenda, contra Fundatorum aliorúmque fidelium ea offerentium intentionem dilapidentur ac dissipentur: sed etiam; quòd Religiosæ Paupertatis Votum & Vitæ fundamentum convellatur: atque Ambitionis, aucupandæ gratiæ, aliísque à sanctissima illa Professione & Perfectionis via omnino alienis studiis excitatis, disciplinæ Regularis observantia relaxetur, Donatus *Tom. 1. Prax. Regular. p. 2. tract. 15. q. 2.* Carolus Thesaurus *de Pœnit Eccles. p. 2, cap. 10. V. Munera.*

ARTICULUS IV.

De Hæreditatis & Legati Ecclesiæ vel Monasterio relicti Repudiatione.

SUMMARIUM.

45. *Hæreditatis jam aditæ repudiatio sine solennitate invalida est.*
46. *De nondum aditæ repudiatione idem docentium Opinio,*
47. *Et fundamenta.*
48. *Sententia DD. ejus valorem propugnantium,*
49. *Firmata geminâ ratione,*
50. *Et solutione argumentorum, deductorum pro nullitate.*
51. *Valida etiam est repudiatio in favorem tertii aliunde:*
52. *Non ex sola Prælati repudiatione successuri.*

45. DOnationi rerum Ecclesiæ temporalium affinis est Hæreditatis aut Legati rei immobilis vel pretiosæ mobilis Ecclesiæ vel monasterio relicti Repudiatio; quam proinde etiam Prælatis, tam Secularibus quàm Regularibus, sine justa causa & Canonica solennitate prohibitam irritámque esse, communiter asserunt DD. Quod an generaliter ita, aut aliter se habeat, expediet, aut saltem dubitandi rationem aperiet distinctio inter duos ejusmodi rerum status seu casus.

Et Hæreditatem quidem, jam aditam atque ejusmodi Legatum jam acceptatum, repudiari à Prælato sine justa causa & solennitate Canonica non posse, nemo facilè inficias ibit; cùm enim per additionem hæreditas & Legatum per acceptationem evadant res seu bona Ecclesiæ vel Monasterii: istorum autem res & bona immobilia & mobilia pretiosa Prælatorum liberæ alienationi non subjaceant, *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. de his, quæ à Prælat &c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* repudiari utique & abdicari sine justa causa & solennitate non valebit hæreditas aut legatum post additionem vel acceptationem, ut ex communi aliorum sensu observat Palao *Tract. 12. disp. unica p. 15. §. 1. n. 9.*

An autem illa, nondum adita & hoc nondum acceptatum, liberè repudiari à Prælato valeant, dubium & controversia est, magnis in utramque partem militantibus tam DD. studiis, quàm momentis rationum, diu multúmque agitata; hanc enim potestatem illi cum Geminiano *in c. 1. de Reb. Eccles. alien. n. 19.* negant Quaranta *V. Alienatio rer. Eccles n. 23.* Everardus *Legal. arg. loco 31 n. 2.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 468. n. 10.* Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 1. q. 12.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 54.* 46.

Moventur primò & præcipuè; quòd ex una, Prælatis prohibita sit alienatio immobilium & mobilium pretiosorum, quæ servandô servari possunt, *cc. citt.* ex altera verò parte, repudiatio hæreditatis 47.

aut legati alienatio sit, per expressum textum *l. Magis puto 5. §. 8. ff. de Rebus eorum, qui sub tut.* ubi Pupillo fundi sibi legati repudiatio sine authoritate Prætoris negatur: ejúsque ratio ab Ulpiano redditur; *Esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat:* cujus in præsenti controversia vis non enervatur, opponendò, id procedere in pupillo; quòd careat administratione; quia ICT. ratio non fundatur in administratione: sed in eo; quòd res sit pupilli. Cùm ergo, sicut istius, sic & Ecclesiæ sit, quod ipsi voluntate ultima est relictum, hoc repudiari, sicut à pupillo sine authoritate Prætoris, sic à Prælato sine solennitatibus non potest. Confirmatur hoc argumentum, & ratio est

Secundò; quia favore Ecclesiæ legatum in Ecclesiam vel Monasterium transit ipso Jure, etiam absque traditione, *l. fin. C. de SS. Eccles.* Imò generaliter quodlibet legatum in specie relictum à morte testatoris in dominium legatarii transit: neque hæreditatis aditionem oportet expectari, *l. Legatũ 80. ff. de Legat. 2. & l. A Titio 64. in fin. ff. de Furtis.*

Tertiò, quæ Molinæ & omnium maximè urgens ratio est; quia sine justa causa & solennitatibus alienari prohibitæ sunt non tantùm ipsæ res sive bona immobilia & mobilia pretiosa: sed etiam jura ejusmodi res spectantia, sive ejusmodi rerum debita & actiones ad illas, Glossa *in c. fin. V. Jura, de Reb. Eccles. alien. in 6.* & Panormit. *in c. Nulli cit. n. 9. & 10.* Cùm ergo ad delatam hæreditatem & legatum sibi relictum Ecclesia ex dispositione testatoris jus & actionem habeat ante acceptationem aditionémve, *l. 1. l. Omnes 2. C. Communia de legat.* illam & hoc, si rei immobilis vel pretiosæ sit, sine solennitatibus Prælatus invalidè repudiabit; cùm repudiatio ista revera alienatio sit, si non ipsarum rerum à testatore relictarum, saltem ipsius juris & actionis ea respicientis, quæ Prælati repudiatione Ecclesia amittit.

Quartò; quia *Prælatus conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriorem non debet*, textus est, *c. Fraternitatem 2.* Imò nec potest, *§. Si ergo* post *can. fin. 16. q. 6.* qui textus, sicut loquuntur, generaliter de rebus Ecclesiæ quibuscunque sunt intelligendi, nec restringendi ad res jam quæsitas, juxta Regulam *l. In pretio 8. ff. de Publ. in rem act. & can. Consuluisti 20. §. Et quod 2. q. 1.* Confirmatur; quia Prælatus Ecclesiæ tuæ debet acquirere: idque, cùm possit, non faciendò, tenetur instar tutoris, *can. Quicunque* junctâ Glossâ *V. Aut neglectum, 12. q. 4.* qui per negligentiam tuo pupillo non acquirens ad restitutionem obligatur, *l. Quidquid 7. C. Arbitr. tutelæ*, Panormit. *in c. Tua cit. n. 9.* & Jason *in l. Legatum 7. ff. de Legat 1. n. 19.*

Quintò; quia in dubio favendum est Ecclesiæ, *arg. l. Sunt personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* cùm, ut *ibi* dicitur, *Summa ratio sit, quæ pro Religione facit*; neque minùs quàm pupillo, à quo ad Ecclesiam ductum argumentum pro valido habent Everard. *cit. n. 2.* & Perret *in Extravag. Ambitiosæ de Reb. Eccles. alien. V. Quinquam n. 23.* Cùm ergo à pupillo sine Prætore, etiam à Prælato sine Capitulo facta repudiatio alienatio erit, & de Jure non subsistet, *arg. l. Magis puto 5. §. 8. cit.* Ita & satis probabiliter isti.

Alii contrà, licet ejusmodi repudiationem, quæ Ecclesiæ vel monasterio damnosa, aut aliàs magni momenti est, esse illicitam: & repudiantem ad relationem damni vel potiùs lucri neglecti compensationem obligari, facilè concedant, juxta *can. Quicunque, 12. q. 4.* ibi, *Si neglectum laboris exhibuit aut minuta-*

tionem

tionem vel perditionem induxit, restituat: actum tamen validum, & repudiantem malè alienantium pœnis non obnoxium esse, probabiliùs defendunt cum Panormit. *in c. Tua cit. n. 8.* Sylvestro *V. Alienatio, q. 19. n. 18.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 14. n. 13.* & Riccio *in Praxi decis. 96.* quibuscum ex TT. sentiunt Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 24. n. 65.* Sanchez *Lib. 6. de Matrim. disp. 4. n. 11. & 12.* Laiman *Lib. 3. Tract. 4. cap. 10. n. 7.* Palao *cit. §. 1. n. 11.* & alii calculò multò frequentiori: itáque Rotam sæpius censuisse, testis est Donatus *cit. p. 2. tract. 14. q. 59. n. 8.* quamvis ipse contrariæ Opinioni non obscurè adhæreat.

49. Ratione geminâ nituntur. Una est; quòd hæreditas Ecclesiæ delata, sed non adita, & legatum ei relictum quidem, sed nondum acceptatum, non sint jus Ecclesiæ quæsitum, sed primùm quærendum per additionem & acceptationem: per quam Ecclesiæ vel monasterio incorporata, inter ejus bona immobilia computentur, *l. Pretia 63. pr. V. Sed nec hæredem, ff. ad L. Falcid.* ipsum etiam jus & actio, quæ hæreditatem & legatum respiciunt, non sint absoluta, sed conditionata à nostra voluntate pendentia ita; ut factâ repudiatione, nunquam fuisse nostra convincantur, *l. 1. §. 6. ff. Si quid in fraud. patroni,* ibi, *Legatum cùm repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est,* in jure autem primùm quærendo Prælatus Ecclesiæ vel monasterio obesse possit, secundùm Glossam *in §. Si ergo cit. V. Meliorem* ibi, *Hoc verum est in acquisitis, secus in acquirendis: & c. Fraternitatem cit. V. Non debet* ibi, *In faciendo: sed omittendo tamen potest.* Altera est; quòd Prælatis interdicta sit alienatio: Repudiatio autem propriè non sit alienatio, sed solummodo non-acquisitio. *l. Alienationis 28. pr. ff. de V. S. & l. Si sponsus 5. §. 13. ff. de Donat. inter. vir. & uxor.* ubi à marito facta repudiatio hæreditatis, ut uxori obveniat, alienatio aut inter conjuges prohibita donatio non censetur: & si alienatio censeretur, in fraudem creditoris alienare dicendus esset debitor, si legatum sibi relictum repudiaret, contra apertum textum *l. Quod autem 6. §. 2. ff. Quæ in fraud. credit.*

Confirmantur ista partim; quia penes Episcopum & alios, tam Regulares quàm Seculares Prælatos generaliter est tota administratio rerum ad Ecclesias & monasteria pertinentium, juxta dicta *Lib. 2. Tit. 1. n. 40.* ut quæcunque circa istas dispositio ipsis permissa, aut valida sit, nisi Jure prohibita aut irritata reperiatur, *arg. c. Cùm apud 23.* junctâ Glossâ *V. Prohibitorium, de Sponsal. & Matr. & l. Mutuus 43. §. 1.* junctâ Glossâ *V. Edictum, ff. de Procurat.* Cùm ergo hæreditatis & legati repudiationem ipsis interdictam, aut saltem irritatam & pœnis obnoxiam esse, Jure expressum non sit, permissa aut saltem valida, & à pœnis, in malè alienantes Jure latis, immunis erit. Partim verò; quia actus & dispositiones quæcunque in dubio validæ censeri debent, *ll. Quoties 80. ff. de V. O. & 12. de Reb. dubiis;* ideóque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas, Tuschus *Practic. V. Actus, conclus. 36. n. 1. & 14.* &, quæ pro actûs valore militat, cæteris fortior præsumptio censetur per ea, quæ *arg. ll. Quoties citt.* in suis Tractat. *de Præsumpt.* tradunt Alciatus *Reg. 3. præs. 35.* & Menoch. *Lib. 3. præs. 29. n. 45.* Cùm ergo propositæ Repudiationis valor & nullitas maximè dubia sint, ea pro valida haberi debet.

Rationes in contrarium deductæ, 50
etsi minimè leves sint, Repudiationis tamen nullitatem persuadendi vim sufficientem non habent.

Prima

Prima & quarta; quia pupillo non solùm alienatio propriè sumpta, quæ in alicujus rei vel juris jam quæsiti abdicatione: sed etiam impropriè dicta, quæ in primùm quærendi juris omissione consistit, sine authoritate Prætoris est interdicta, *citt.* Gomez *n. 14.* & Sanchez *n. 12.* In Prælatis autem aliud obtinere suadent Jura, ipsis tribuentia amplissimam administrationem: & cum Glossa tradunt DD. nomine & numerô potiores, firmantque supremi Ecclesiæ tribunalis decisiones. Confirmatur; quia Emphyteutæ Ecclesiastico, per biennium canonem non solventi, solus Prælatus, illum postea oblatum acceptandô, caducitatem remittere: itáque Ecclesiæ non acquirendô nocere potest, ex doctrina Panormit. *in c. fin. de Locato*, ut *ibi* dictum *n. 55.*

Secunda & tertia; quia legatum, ejúsque acceptandi & hæreditatis adeundæ jus non est absolutum, sed pendens à tacita conditione, *Si placuerit*; ac proinde revocabile & tale, quod inter hæredis aut legatarii bona nequeat censeri, *l. Pretia V. Sed nec cit.* cùm legatum, sicut retro nostrum est, si non repudietur: ità, si repudietur, retro nostrum non sit, *l. 1. §. 6. cit.* & per Repudiationem Ecclesiæ quæsita res & jus amissum, & de ipsius patrimonio aliquid alienatum non censeatur, *arg. l. Si Sponsus §. §. 13. Gl. Quod autem 6. §. 2. citt.*

Quinta & postrema partim; quia Ecclesiæ patet recursus ad beneficium restitutionis in integrum; ac proinde indemnis servari potest, licet Prælati Repudiatio de Jure subsistat: partim verò; quia Prælatus administrationem, quâ pupillus caret, & multò ampliorem quàm tutor habet, juxta dicta *n. 38.* Cùm ergo firmissima sit præsumptio, quæ militat pro valore actûs, standum erit pro valore Repudiationis: quô, Ecclesiâ illæsâ, Prælati existimatio conservatur. Sed hinc

Aliud nec leve dubium nascitur de 5) valore Repudiationis, à Prælato factæ in favorem alterius. Et quidem, si iste Ecclesiæ vel Monasterio substitutus, vel etiam ab intestato hæres esset futurus, ejus intuitu & favore factam subsistere, *arg. §. 13. cit.* haud ægrè concedunt, quotquot stant pro valore simplicis Repudiationis.

Eam autem in favorem alicujus, alias 5) non successuri, factam subsistere, contra Phanuc. de Phanuciis *de Lucro dotis, glos. 8. n. 18.* & Socinum seniorem *Consil. 33. n. 27.* negant Bartolus *in l. Qui autem l. cit. pr.* & Ripa *in l. Si unquam §. C. de Revocand. donat q. 11. n. 21.* & JCti alii: quos secutus est Sanchez *cit. disp. 4. n. 17.* & Rotæ decisionibus allegatis Thomas del Bene *de Immunit. & Juridit. Eccles. cap. 17. dub. 6. & 26.* Ratio est, quia hujusmodi Repudiatio juris Ecclesiæ vel Monasterio jam quæsiti donatio & alienatio est; cùm ita repudians priùs naturâ hæreditatem adierit aut legatum acceptârit, ut colligitur *ex l. Si Avia 6. C. de Jure delib. & l. Si Sponsus cit.* quarum priori, qui de hæreditate sibi relicta testatur, eô ipsô adire videtur: posterioris autem *§. 13. cit.* ex mente Juliani JCti Repudiatio hæreditatis aut legati à marito, ut uxori obveniret, facta donatio inter conjuges & propriè dicta alienatio non censetur, *& Mulieri prodest, si vel substituta sit vel etiam ab intestato hæres futura.* Quibus verbis JCti non obscurè insinuat, donationem Jure prohibitam & propriè dictam alienationem fore, si uxor præcisè ex renuntiatione mariti in suum favorem factâ, & non ex substitutione vel ab intestato acquireret jus ad hæreditatem vel legatum.

Neque obstat; quòd etiam in alterius favorem facta ejusmodi Repudiatio principa-

spaliter non tendat ad acquirendum, sed ad renuntiandum: & propterea illa momentanea aditio & acquisitio non sit attendenda, *arg. l. & §. fin. C. de Bonis, quæ liberis*; quia etiam momentanea, quando aliquem Juris effectum producunt, in consideratione esse, patet ex *l. Uxoris 2. C. de Posthum. hared. instit.* & tradit Petr. Barbosa *in l. Dotalem 62. ff. Soluto matr. num. 13.*

TITVLVS XXV.

De Peculio Clericorum.

PRiusquam à Donationibus cæterisq; contractib⁹ ad Ultimas voluntates transeamus, declarandũ est Peculium & varietas Bonorum, quorum clerici dominium habent aut solam administrationem; ut, quæ eorum dispositioni sint obnoxia, constet.

ARTICULUS I.

De Bonis ipsarum Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

1. *Peculii etymon & significatio.*
2. *Bona Clericalia alia Patrimonialia vel quasi,*
3. *Alia Beneficialia,*
4. *Et alia Ecclesiastica sunt.*
5. *Ecclesiasticorum dominium particulare non est penes Christum Dominum:*
6. *Sed penes ipsas Ecclesias particulares.*
7. *Simile dominium est penes Monasteria,*
8. *Specialiter Jure & Ratione.*
9. *Quo sensu ejusmodi bona Dei & Christi,*
10. *Vel BB. Cœlitum esse dicantur.*
11. *Bonorum ad Ecclesias & Monasteria pertinentium generalis Papa:*
12. *Particulares administratores sunt Episcopi,*
13. *Abbates & alii Prælati Regulares,*
14. *Abbatissæ & his similes, monialium Præpositæ.*
15. *Multùm tamen restricta est administratio istarum,*
16. *Et superiorum Localium in Ordinibus Mendicantium.*
17. *Uti & Rectorum Parochiarum & Hospitalium.*

PEculium, sic dictum, quasi *Pusilla pecunia*, seu parvum Patrimonium sit, *l. Depositi 5. §. 2. ff. de Peculio*, & strictè acceptum, eam Patrimonii sive bonorum portionem denotat, quam filiusfamilias aut servus à rationibus patris vel domini separatam, & istorum permissu quasi propriam habet, *l. cit. §. fin.* Barbosa *ad hanc Rubr. n. 4.* Latè verò acceptum Peculium significat quodcunque patrimonium sive bona alicujus, etiam qui sui juris est, *l.* 1.

Cogè 16. pr. ff. ad S. C. Trebell. Pirrhing *ad Rubr. cit n. 1.* Quô posteriori modô sumpti Peculii sive bonorum, quorum clerici dominium aut saltem administrationem habent, quatuor genera sunt: scilicet Patrimonialia, quasi Patrimonialia, Beneficialia & Ecclesiastica.

2. Patrimonialia dicuntur, quæ clericis aliunde quàm ratione beneficii vel officii aut ministerii Ecclesiastici, vg. ex hæreditate, legato, donatione, contractu, usucapione, labore vel industriâ obvenerunt.

Quasi-Patrimonialia, quæ ipsi, non quidem ratione beneficii Ecclesiastici, sed ratione alicujus ministerii sive exercitii Ordinis vel jurisdictionis tanquam præmium aut stipendium acquisiverunt, vg. canendô in choro, sacrificandô, prædicandô, Sacramenta administrandô, Vicarium temporalem obeundô &c. Ad quæ pertinent Funeralia & cæteri reditus, ut vocantur, Stolæ: uti & quotidianæ Distributiones: & reduci possunt, quæ ex congrua sibique ex beneficialibus proventibus debita sustentatione frugaliùs vivendô comparserunt.

3. Beneficialia, quæ aliqui etiam Ecclesiastica nominare solent, sunt reditus, qui ab ipsis ratione alicujus dignitatis vel beneficii Ecclesiastici, in titulum collati, percipiuntur: qui aliquando omnes, aliquando ipsorum duntaxat pars aliqua necessaria ad congruam clerici sustentationem: reliqui verò superflui sunt, Navarrus *de Eccles. Redit. q. 1. monito 19.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 4. n. 35.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 142. à num. 1.*

4. Ecclesiastica demum, prout à Beneficialibus distinguuntur, sunt bona & res mobiles & immobiles ipsarum Ecclesiarum aliorúmque sacrorum & religiosorum locorum, quibus clerici serviunt aut præsunt, in illarum Fabricam, sive istius conservationem reparationémque, misé strorum salaria, eleemosynas pauperum, infirmorum curam &c, impendenda quibus accensentur villæ, prædia & fundi, ex quibus reditus beneficiales proveniunt & à clericis Ecclesiarum suarum nomine percipiuntur Haunold *Tom. 1. de J. & J. Tract. 4. cap. 2. pr.* Ex quibus bonorum generibus

Postremorum sive Ecclesiasticorum, à Beneficialibus distinctorum, bonorum dominium Innocentius, *in c. Cùm super 4. de Causa poss. & propr. n. 3.* Navarrus *Comment. de Spoliis §. 2. n. 3.* & cum ipso Donatus *Prax. Regul. Tom. 1. p. 2. tract. 14. q. 27. n. 1.* Christo Domino tribuunt; cùm propter varios textus, quibus vocantur Pecunia Christi, *can. 1. & can. Qui abstulerit 12. q. 2.* Christi Patrimonium, *c. Cùm secundùm 16. de Præb. & dign. & c. Cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* Res Dei, Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reformat.* ibi, *Nec res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt.* tum verò; quòd hujusmodi res & bona à Fidelibus Deo & Christo Domino in Divinum & Beatorum Cœlitum honorem cultúmque offerantur & dicentur, *can. Res quæ, q. cit.* Quibus accedit communis sensus & Vox Fidelium, Ecclesiarum bona & proventus *Ad Sanctum*, in cujus venerationem & memoriam templa Deo dedicata sunt, pertinere dicentium, sie gehören dem Heiligen; eorúmque administratores die Heiligen Pfleger appellantium.

Sed, sicut frequentioribus DD. sufragiis approbata, sic veritati magis consentanea est sententia Turrecremat. *Summæ lib. 1. cap. 113.* Cajetani 2, 2. *q. 47. art. 1.* Sarmienti *de Reddit. Eccles. p. 5. & cap. 1. n. 22.* & Molinæ *cit. disp. 142. n. 6.* ejusmodi bonorum particulare dominium esse, docentium penes ipsas Ecclesias sive Collegia & Capitula clericorum

tum: aut, ubi talia non sunt, penes communitatem Fidelium ad Ecclesiam spectantium: & penes ipsa Monasteria seu Conventus & communitates Religiosorum, si illa dominii capacia: si verò istius incapacia sint, penes sedem Apostolicam sive Ecclesiam Romanam: vel potiùs penes ipsum locum sacrum seu Religiosum, tanquam personam fictam, secundùm Glossam *in c. Causa 13. V. Ecclesiam de P. S.* sicut bonorum defuncti, ne nullius & vacantia, proindéque occupantis sint, dominium penes hæreditatem esse, fingitur, donec hæres aditione dominus efficiatur, *l. Hereditas 34. ff. de Adquir. rer. domin. l. Heres 22. l. Captam 40. ff. de Usurp. & Usucap.*

Dixi autem, *Particulare*: non Universale; quantumvis enim Ecclesiarum & Monasteriorum quorumcunque bona omnia subjiciantur Ecclesiæ Universali: cujus pariter Universale caput, & rerum Ecclesiasticarum omnium supremus administrator est summus Pontifex, *can. Imprimis 7. §. Contra hoc 2. q. 1. & c. Licet 2. de Prab. & dignit. in 6.* Particulare tamen illorum dominium est penes ipsas Ecclesias & Monasteria.

8. Et Rerum quidem his oblatarũ dominium penes ista esse (quod cum *citt.* DD. agnoscit ipse Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 3. & 8.*) non obscurè insinuatur *can. Non dicatis, 12. q. 1.* & clarè expressum est *can. Quoniam, 16. q. 1.* ubi Clerici vel potiùs Episcopi, *Decimas & oblationes in monachorum dominium & usum transferre* permittuntur. Idem disertè traditur à Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Regular. Omnibus monasteriis & domibus, tam virorum quàm mulierum, & Mendicantium* (*exceptis Domibus FF. S. Francisci Capucinorum & eorum, qui Minores de Observantia vocantur*) concedente, *Ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Quibus verbis Monasteriis & domibus Regularium dominium competere, supponitur aut insinuatur. Idem constat ex eo; quòd Monachus, quidquid acquirit, Monasterio acquirat, *Auth. Si qua mulier, Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. can. Quia ingredientibus, 19. q. 3. &c.* quod impropriissimè diceretur, si Monasterio non dominium, sed administrationis tantùm jus acquireretur, ut rectè advertunt Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 18. n. 10.* & Tamburinus *Tom. 3. de Jure Abbatum disp. 11. q. 2. n. 4.*

Id ipsum, de rerum sibi oblatarum dominio Ecclesiis secularibus competente, desumitur à paritate Monasteriorum; quia, quô istis, eôdem modô Ecclesiis offeruntur: & ex variis sanctionibus Ecclesiasticis, quibus ejusmodi res Ecclesiarum Dos, Bona & Res ipsarum Ecclesiarum, Ecclesiæ facultates communes & ad Sacerdotum jus pertinentes nuncupantur, *can. Si quidam 2. & 10. 10. q. 1. can. Expedit, 12. q. 1. can. Nulli ibid. q. 2. c. Causa cit.* Idem satis clarè habetur *c. Episcopi 4. de Reb. Eccles. alien.* ibi, *Ad jus Ecclesiæ revocabit*, & in terminis *c. 1. de Testament.* sub cujus finem Gregorius Papa, non III. ut vulgatæ lectiones habent, sed I. sive Magnus, non Antonio, ut eædem sonant, sed Anthemio Campaniæ Archidiacono, ut eruditè ostendit Gonzalez *in c. 1. cit. n. 1.* rescribens, *Quidquid*, inquit, *Ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoverit, vel in Episcopatûs Ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur.*

Ratio de iisdem Ecclesiis & Monasteriis est; quia ejusmodi res & bona fidelium liberalitate oblata & donata sunt ipsis Ecclesiis: licet intuitu honoris & cultûs Divini ac salutis animarum; ut scilicet in ipsis Divinorum mysteriorum celebratio, administratio Sacramentorum &

verbi Divini prædicatio conservaretur & augeretur: & Ecclesiæ ministri, per quos functiones illæ obeuntur, congruam sustentationem laborísque remunerationem acciperent: &, quod superest, in alimenta pauperum erogaretur. Unde ejusmodi rerum dominium, quantumvis penes Clericorum aut Religiosorum collegia & communitates sit, non tamen omnino est absolutum, sed affectum onere atque obligatione, eas non nisi in Ecclesiæ vel Monasterii necessitates utilitatésque, ad cultum Divinum, salutémque animarum, egentium alimenta &c. impendendi, *cit.* Molina *n. 9.* & Palao *Tract. 31. disp. unica p. 7. §. 3. n. 2.*

Confirmat ista *cit.* Sarmiento *n. 21. in fine* ex eo; quòd una Ecclesia & monasterium &c. contra Ecclesiam vel monasterium aliud præscribat, *c. Illud 8. c. Cùm vobis 14. &c. de Præscript.* ex iísque una subjecta sit alteri, & inter eas detur servitus Realis, non obscurô argumentô rerum præscriptarum, subjectarum, servientium, dominii ipsis competentis, juxta *l. Tria prædia 31. ff. de Servit. rustic. præd. & l. Usucapio 3.* junctâ Glossâ *V. Eôdem ff. de Usurp. & Usucap.*

9. In contrarium allata speciem majorem, quàm vim habent; quia imprimis *can. 1. & can. Qui abstulerit citt.* ejusmodi bona non solùm Christi, sed etiam Ecclesiæ res appellantur. Deinde; quia Res, Dos, Pecuniæ, Bona; Patrimonium Christi & Dei vocantur; non quòd in ejus speciali dominio sint: sed, quòd ejus intuitu & cum onere, ut in Divinum cultum impenderentur, Ecclesiis, Monasteriis &c. oblata sint: vel, quòd Christo donentur in ejus ministris, juxta illud *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* Matth. *cap. 25. V. 40.* Et demum; quòd, cùm Christus, quà homo, supremum Caput & Sponsus sit Ecclesiæ Universalis, & Particularium & tiam, ex quibus illa coalescit, ea, quæ his quasi in dotem oblata sunt, quodammodo res & bona ipsius censeantur & vocentur, *cit.* Molina *n. 7.*

Neque adversantur, aut ad rem aliquid conferunt vulgi sermonibus tritæ rerum & bonorum Ecclesiasticorum appellationes; quia ejusdem usu non minùs receptæ sunt phrases: quibus eadem ad ipsam Ecclesiam, Capellam, Monasterium zu dem Gotts-Hauß/ zur Kirchen ꝛc. dicuntur pertinere: eorúmque administratores der Kirchen-Pfleger/ Pröbst/ Verwalter/ ꝛc. nuncupantur. Unde

Dubium oritur, de bonorum Ecclesiasticorum administratione. Et generalem quidem supremámque & à Deo immediatè constitutam illorum sive rerum juriúmque non ad Romanam tantùm, sed ad inferiores etiam Ecclesias, Monasteria cæteráque sacra & Religiosa loco pertinentium administrationem penes summum Pontificem esse: & hunc de ipsis, prout ipsarum particularium Ecclesiarum &c. privata aut etiam publica Ecclesiæ Universalis necessitas aut utilitas exigere videtur, disponere liberè posse, S. Thomæ 2. 2. *q. 100. art.* 1. Navarri *cit. q.* 1. *monito 40. n. 6. & 8.* cæterorúmque TT. & Canonistarum communis sensus & doctrina est.

Post Papam autem, & ab isto communicata ejusmodi rerum & bonorum administratio dispensatiòque competit Episcopis cæterísque Prælatis Secularibus confirmatis, *can. Quisquis 19. V. Omnium 12. q. 2. &c.* Uti & Abbatibus, Præpositis & aliis Monasteriorum & Congregationum Regularium superioribus, *can. Nullam, 18. q. 2.* ubi Pelagius Papa, *Universa,* inquit, *quæ ad Divini cultûs reverentiam vel ad utilitatem Monasterii*

nasterii pertinent; *Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debet adimplere.* Similia habentur *c. Edoceri 21. de Rescriptis, c. Fraternitatem 2. de Donat. c. Monachi 2. & c. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monach.* uti & in Regulis variorum & antiquissimorum Ordinum Religiosorum, S. Basilii *Reg. 7. & 8.* S. Augustini *pr.* S. Benedicti passim & præsertim *cap. 66.* Dixi, *Confirmatis*; quia administratio non est actus alicujus Ordinis; ac proinde Episcopis cæterisque Prælatis confirmatis competit ante Consecrationem vel Benedictionem, *arg. c. Nosti 9. & c. Transmissam 15. de Elect.* Glossa *in c. Nosti cit. V. Confirmata*, Panormit. & Barbosa *in c. Transmissam cit. n. 3.*

14. Abbatibus aliisque Regularium superioribus Localibus quoad omnia, quorum sexus femineus capax est, ferè æquiparantur Abbatissæ, hisque similes monialium Monasteriis præpositæ feminæ; ut, sicut illi, sic etiam ipsæ Monasteriorum vel conventuum suorum bona & jura administrare illorúmque negotia procurare de Jure possint, Glossa *in c. Dilecta 12. V. Jurisdictione, de Major. & Obed.* Panormit. *in c. Continebatur 2. de lis, quæ à Prælat. n. 4.* Navarrus *Comment. 3. de Regular. n. 4.* Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 32. q. 13. n. 2.* & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. tract. 8. q. 16. De Jure*, inquam; quia istarum auctoritas & administrandi potestas variorum Ordinum specialibus Regulis & Consuetudine multùm est restricta: & hodie passim non tantùm à Conventûs sui monialium consensu, sed à superioribus quoque suorum Ordinum Prælatis aut diœcesium Ordinariis, in plerisque alicujus momenti negotiis pendent, ut *cit.* Tamburin. *n. 3.* observat.

16. Simili modò & Jure speciali in Monasteriis virorum, rerum communium administratio & super iis agendi facultas non ita libera, sed restricta est à Prælatis aliisque eorum Præpositis, præsertim in Religionibus Mendicantium: in quibus superiores Locales vg. Priores, Rectores, Guardiani à Præpositis Provincialibus: isti verò ab uno totius Ordinis Generali, tanquam à Capite, sicut quoad jurisdictionem potestatémque in sibi subditos Religiosos exercendam, sic etiam quoad Ecclesiarum, Monasteriorum & Collegiorum; rerúmque & jurium ad ea pertinentium administrationem pendent. Quanta autem hujusmodi subordinatorum superiorum cujusque administrandi potestas sit, non tam ex communi quàm speciali Jure, sive cujusvis Religionis Constitutionibus, privilegiis & receptis consuetudinibus est desumendum. Et quidem in Societate JESU, cujus subordinati superiores à supremo sive Præposito Generali plurimùm dependent, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 5. Ad cognoscendam*, inquit, *Unjuscujusque Prælati facultatem, utendum potiùs est affirmativâ quàm negativâ Regulâ*, id est, id unumquemque posse, quod sibi concessum est: non verò, quod sibi non est prohibitum.

17. Prælatis Secularibus Episcopô inferioribus similem rerum, ad Ecclesias suas spectantium, administrationem, Rectoribus parochiarum & in his Canonicè institutis vicariis perpetuis, cum Felino *in c. G. Perpetuus 12. de Fide instrument. n. 4.* tribuunt Wagnereck *in Exegesi c. Edoceri cit. not. 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Judiciis n. 36.* & obtinere Rectores Hospitalium aliorúmque locorum piorum, authoritate Episcopali erectorum, supponi videtur *Clement. 2. de Religiosis domibus.* Quamvis illorum & istorum potestas hodie non sit ita libera & abso-

luta, multúmque pendeat ab Episcopis: & in multis locis à Principibus aut aliis Magistratibus secularibus. Imò multarum parochiarum res temporales in pluribus Provinciis Germaniæ præsertim nostræ administrantur per Seculares, vulgò die Kirchen-Pröbst / Kirchen vnd Heiligen Pfleger / ut ex *Recessu Concordat.* inter Seren.mos & Potentissimos Principes Bavariæ nostræ ex una, & Rev.mos ac Celsissimos diœcesium Ordinarios ex altera parte 1583. initorum *Art. 1. §.* Damit aber / constat: & de rebus ad illas aliásque Ecclesias & Capellas pertinentibus contractus cum Ecclesiastici & Secularis Magistratûs consensu celebrantur, ut ex iisdem Concordat. *Art. 5. §.* Zu den Contracten habetur.

ARTICULUS II.

De Bonis Clericorum Patrimonialibus, vel quasi.

SUMMARIUM.

18. *Clerici domini sunt bonorum verè,*
19. *Et quasi Patrimonialium:*
20. *Et hæc inter etiam quotidianarum Distributionum,*
21. *Et aliorum ex talibus emptorum.*
22. *Ex ipsius Ecclesia bonis empta ad istam pertinent:*
23. *Etiamsi empta sint nomine alieno.*

18. PAtrimonialium suorum bonorum dominos hodie ipsos clericos esse; ac proinde de iis ad quascunque causas, tam inter vivos quàm per ultimam voluntatem, disponere, perinde ut laicos, liberè posse, Catholicorum DD. nemo facilè ausit inficiari: & constat ex *can. Episcopi 19. Cc. 12. q. 1. can. Quicunque ibid. q. 3. & 5. Quia nos 9. de Testament.* Ratio est; quia Clericatûs vel Ordinis assumptione rerum suarum dominiò se non abdicant ipsi, neque privantur à Jure; cùm proprium habere disertè permittantur, *can. Certè ego q. 3. cit. Hodie*, inquam; quia in primitiva Ecclesia clericos nihil proprii habuisse: sed omnia omnibus communia, & pro cujusque necessitate inter eos distributa fuisse, patet ex *can. Expedit. 13. & can. Videntes 12. q. 1.*

19. Quasi-Patrimonialium quoque bonorum quorumcunque, ac proinde etiam Distributionum quotidianarum dominos clericos esse, cum S. Thoma *2. 2. q. 15. art. 7.* Panormit. *in c. Cùm esses 10. de Testament. 26.* Covarruvia *in c. Cùm in Officiis 7. eâdem Rubr. n. 7.* magnò consensu docent cæteri TT. & Canonistæ. Ratio est; quia hujusmodi bona accipiunt tanquam stipendium congruæ sustentationis, *c. Cùm secundum 16. de Præb. & dignit.* sine ullo onere, ea ex toto vel ex parte in pauperes vel alios pios usus expendendi, non obscurò indicio, dominii hujusmodi bonorũ in eos translati: quod de Distributionibus indubitatè desumitur ex *c. Unico, de Clericis non resid. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *Qui verò*, inquit, *aliter*, quàm si Divinis Officiis adfuerit, *de Distributionibus ipsis quidquam receperit, rerùm sic acceptarum dominium non acquirat:* quibus verbis à præsentibus Distributionum receptarum dominium acquiri, apertè supponitur & apertè insinuatur, ut *ibi* notant Francus *n. 8.* Geminian. *n. 3.* & Barbosa *n. 22.*

20. A communi hoc DD. sensu diverti Navarrus *de Eccles. Redit. q. 1. Monitô 30. n. 2.* Clericis Distributionum dominium negans; quòd Ecclesiæ intuitu non minùs, quàm Beneficiales reditus acquirã-

acquirantur: imò his sive fructibus, quos passim *Grossos* vocant, subrogentur, & ex decreto Trident. *Sess. 21. cap. 3. de Ref.* in Ecclesiis, in quibus non erunt, præbendarum proventibus sint detrahendæ: imò aliquando in ipsis solis præbenda consistat, ut ex *c. Olim 16. de V. S.* colligitur & cum Glossa *in c. Unic. cit. V. Receperit* notant *cit.* Franc. *n. 8.* & *in c. Olim cit.* Barbosa *n. 4.* Sed hæc leviora sunt, quàm ut Navarri Opinionem persuadeant partim; quia Distributiones personæ potiùs, quàm Ecclesiæ intuitu acquiruntur: & revera non subrogantur fructibus grossis; cùm ab his sint diversæ; in casu enim decreti Tridentini fructus in distributiones converti potiùs, quàm has illis subrogari, notat Moneta *de Distribut. p. 3. q. 1. n. 23.* partim quia; etiamsi fructibus grossis subrogarentur; ac proinde præbendæ rationem haberent, nihilominus clerici ipsarum perceptarum dominium consequerentur, ut *Art. sequenti* statuetur. Hic

21. Resolvendum breviter est dubium, ad quem pertineant res ab Ecclesiarum Prælatis emptæ. In quo inter DD. ferè convenit, ab ipsis cæterisque rerum Ecclesiasticarum Administratoribus ex verè aut quasi Patrimonialibus bonis empta ipsis: ea verò, quæ ex ipsarum Ecclesiarum bonis, quorum solam administrationem habent, empta sunt, Ecclesiis acquiri; ut ab his vindicari possint: quantumvis non Ecclesiæ suæ, sed propriò Prælati vel clerici, imò alienò alicujus consanguinei vel amici nomine emptæ fuissent, juxta *c. 1. & c. Presbyter 2. c. Inquirendum 4. hâc Rubr.*

22.

23. Neque huic adversatur; quòd à procuratore vel administratore ex pecuniis alienis etiam ejus, cujus res administrat, suò nomine empta & tradita acquirantur emptori, *l. 1. C. Si quis alteri vel sibi*; quia, sicut in pupillo & minore, *l. Si curator 3. C. Arbitr. tutelæ* & in milite *l. Si ut proponis 8. C. de R. V.* sic etiam ex speciali privilegio aliud obtinet in Ecclesia; *can. Fixum, 12. q. 5. & c. Inquirendum 4. cit.* & secundùm Panormit. *in in c. cit. n. 5.* etiam in Clerico, tanquam Christi Domini Cœlesti militiæ adscripto & participante privilegia concessa militi Seculari, Glossa *in l. Miles 6. V. Facere potest, ff. de Re judic.* ex quorum proinde pecunia administrator rem etiam alienò nomine emens, eam Ecclesiæ, clerico, pupillo &c. non sibi aut alii acquirit ex dispositione Juris, emptionem factam præsumentis aut ratam habentis in commodum ejus, in cujus commodum fieri debebat, Bruneman. *in l. Ex ea 6. C. de R. V. n. 4.*

ARTICULUS III.

De Bonis eorundem Beneficialibus.

SUMMARIUM.

24. *Horum Clerici habent administrationem.*
25. *Dominium verò ipsis multi negant:*
26. *Et, si divites sint, aliqui etiam usum.*
27. *Distinctio inter quatuor Ecclesiæ tempora.*
28. *Hodie Clerici etiam divites bonorum beneficialium usum habent,*
29. *Ipsos istorum etiam dominos esse,*
30. *Ex Concilio Tridentino & Apostolicis Constitutionibus:*
31. *Ex Titulorum Beneficialium institutione,*
32. *Et Ratione ostenditur.*
33. *Sensus, quò ejusmodi bona Patrimonium*

monium Christi & Res pauperum,

34. *Et Clerici Fures Sacrilegi &c. vocantur.*
35. *Ratio ipsis prohibita testamentifactionis.*
36. *Reditus superfluos in pauperes &c. expendere,*
37. *Secundùm aliquos Naturali Jure tenentur.*
38. *Verùs ea obligatio immediatè neque istô neque Divino Jure,*
39. *Ex Justitiæ,*
40. *Charitatis aut Misericordiæ,*
41. *Vel Religionis virtutibus clericos obligante:*
42. *Sed Lege Ecclesiastica imposita est.*
43. *Pauperum nomine qui veniant.*
44. *Clerici domini sunt rerum, ex reditibus illis emptarum:*
45. *Quæ tamen propriis Ecclesiis sunt relinquendæ.*
46. *In dubio res aliquando ex iis,*
47. *Aliquando ex Patrimonialibus reditibus empta præsumitur.*

24. DE his sive Reditibus, quos ex beneficiis suis Ecclesiasticis Clerici annuatim percipiunt, dubium ingens & famigerata controversia est inter DD. illorum enim penes istos solùm administrationem & dispensationem; ut ex illis sibi & familiæ statui suo convenienti ad sustentationem necessaria sumere possint: superfluos autem erogare in pauperes, vel aliis piis causis applicare, vel in Ecclesiæ suæ Utilitatem convertere teneantur: dominium autem
25. vel penes Christum Dominum, vel penes Particulares aut saltem Universalem Ecclesiam esse, cum Gratiano post *can. Nulli 27. §. Si ergo 12. q. 1.* Archidiacono *in Summa dist. 44. n. 5.* Navarro *de Eccles. Redit. q. 1. monitô 21. n. 1.* & VV. Canonistis permultis ex RR. defendunt Marsil. *de Redit. Eccles. p. 3. cap. 34.* Moneta *de Distrib. p. 3. q. 1. n. 14.* Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. 8. §. Prima igitur* & §. *Quod attinet* Comitolus *Respons. Moral. Lib. 1. q. 70. &* 71. & ab his relati alii.

Moventur primò; quòd quidquid Clerici ex Ecclesiæ bonis habent, Patrimonium Christi, *c. Cùm secundum 16. de Prab. & dignit.* Jus & Res Ecclesiæ, *can. Episcopi, 12. q. 1. can. Similiter 58. can. Quia juxta 59. &c. 16. q. 1.* Patrimonium & Res pauperum, *can. cit. & can. fin. q. 1. cit.* Esurientium Panis & egentium animarum Tributum, *can. Sicut 118. dist. 47. & c. Tua nobis 20. de Decimis &c.* vocetur. Cùm ergo ejusdem rei dominium penes duos simul esse non possit, *l. Si ut certo 5. §. 15. ff. Commodati*, Clerici redituum Beneficialium domini non erunt.

Secundò; quia ejusmodi reditus sive bona in profanos usus expendendô clerici Furtum, Rapinam, Sacrilegium committunt, *can. fin. cit. can. Quis Christi, 12. q. 2.* manifestô indiciô, Clericos ipsorum non dominos, *l. 1. §. fin.* junctâ Glossâ *V. Rei ff. de Furtis*: sed dispensatores duntaxat esse & administratores; quales eriam appellantur, *can. Quisquis, 12. q. 2. can. Expedit, can. Videntes cum & c. Fraternitatem 2. de Donat.*

Tertiò; quia de ejusmodi bonis testari, *c. 1. c. Cùm in officiis 7. c. Quia nos 9. de Testament.* & inter vivos etiam liberè & ad quascunque causas disponere non possunt, ex decreto Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reformat.* ubi ejusmodi bona in profanos usus expendendô, aut consanguineos non indigentes de ipsis dizendô, graviter peccare dicuntur: quod nedum *can. 21. C. Mandati*, cuilibet de rebus suis liberè

liberè disponendi facultatem tribuenti, viderur repugnare.

26. Non defuerunt etiam, & ab Archidiacono *in can. Clericos* 1. *q.* 2. *n.* 2. referuntur DD. qui Clericis, patrimoniò ad congruam sustentationem sufficiente instructis, beneficia non conferenda: & ista obtinentes de illo, non de istis vivere teneri, existimârint propter text. *can. cit.* ubi relatus S. Hieronymus ad Damasum Papam scribens, *Clericos*, inquit, *convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum non suffragantur bona: qui autem bona parentum aut suis sustentari possunt, si, quod pauperum est*, hoc est, de bonis Ecclesiasticis aliquid *accipiunt*, *Sacrilegium profectò committunt.* Consonant S. Prosper *can. Pastor & can. Si quis, q. cit.* & S. Augustinus ad Bonifacium Comitem *Epist.* 50. *can. fin.* 12. *q.* 1. relati.

27. Quid hodie de ejusmodi sive Beneficialium bonorum dominio sentiendum sit, satis expeditum reddet distinctio inter quatuor tempora Ecclesiæ. Primum istius nascentis, quò Christiani, tam laici quàm Clerici, Evangelicam Perfectionem fere, ut hodie Religiosi, sectantes rerum suarum dominiò se abdicârunt: rerúmque venditarum pretia ad pedes Apostolorum, in suas cæterorúmque Fidelium necessitates impendenda, deposuerunt, ut refertur Actor. *cap.* 4. *v.* 37. Alterum, quò fidelium numerò in dies & in immensum crescente, cùm in communi vivere & necessaria suppeditari omnibus commodè non possent, laici bona propria ex Ecclesiæ voluntate retinebant: clerici verò, adhuc in communi vita persistentes & nihil proprium habentes, ex prædiorum Ecclesiis donatorum proventibus aliisque oblationibus & eleemosynis sustentabantur, *can. Expedit & can. Videntes citt.* Tertium quò, primævò fervore & Perfectionis studiò remittente, clerici sua patrimonia & aliunde quæsita bona ex Ecclesiæ permissione retinebant ita; ut ipsi viverent ex propriis: cæteris autem clericis, perinde ut pauperibus laicis, necessaria sustentatio, sicut prius, ex Ecclesiæ proventibus ministraretur, juxta *can. Clericos* 3. *&c.* 1. *q.* 2. *can. Certè ego* 18. *& can. Episcopi*, 12. *q.* 1. Quartum, quò, institutis à Simplicio Papa Titulis Parochiarum, istarum singulæ singulis clericis attributæ & Ecclesiarum bona quoad reditus seu proventus annuos distributa sunt in quatùor partes: quarum una Episcopo, altera parochis, tertia fabricæ, quarta denique peregrinis & pauperibus est deputata, *can. Vobis* 23. §. *Ex qua*, *can. Vulteranæ* 25. *can. Quatuor* 27. *& can. De reditibus* 12. *q.* 2. Barbosa *Juris Ecclesiast. Lib.* 3. *cap.* 17. *à n.* 3. & Fagnanus *in c. Si quis sanè* 5. *hâc Rubr. n.* 15. Hoc præmisso

Censeo imprimis clericos, retentò 28.
aut in alios usus collatò propriò patrimoniò, de beneficiorum suorum fructibus vivere posse, ut cum Innocentio SS. Canonum Interprete & Romano Pontifice ejus nominis IV. *in c. Episcopus* 4. *de Præb. & dignit. n.* 1. ubi, *Non credimus*, inquit, *quòd, qui habet beneficium, vivere debeat de patrimonio*, sed de Altari: cum Felino *in c. Postulasti* 27. *de Rescript. n.* 2. Panormit. *in QQ. disput. q.* 4. *n.* 12. Navarro *cit. q.* 1. *monito* 32. & Covarruvia *in c.* 1. *de Testament. n.* 2. communis doctrina est TT. & Canonistarum fere omnium, pro se allegantium D. Thomam 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. Quibus suffragatur Consuetudo Ecclesiarum Clericis, sicut pauperibus, sic & divitibus beneficia conferentium, & deputantium stipendia, ex quibus percipiant sustentationem. Idem suadet ex Divinis

Oraculis deprompta ratio ; quia decet, ut qui altari deservit, de Altari vivat ; *Cùm nemo militet suis stipendiis unquam*, 1. Corinth. *cap. 9. v. 7.* & *Dignus sit operarius mercede sua*, 1. Timoth. *cap. 3. v. 18.* Similia habentur *can. Charitatem 45. in fine 12. q. 2. c. Cùm secundùm cit. c. Extirpandæ 30. de Præb. & dignit.* & præsertim *can. Clerici, 1. q. 2.* ubi, cùm decernitur, clericos omnes, qui Ecclesiæ deserviunt, stipendia laboribus suis debita, secundùm servitii meritum consequi debere, clarè indicatur, non solùm pauperibus, sed etiam divitibus, laborum & meritorum potiùs, quàm facultatum habitâ ratione, sustentationem ab Ecclesia præberi, ut Panormit. *cit. n. 12.* observat.

Neque aliud evincitur textibus allegatis in contrarium ; quia, vel loquuntur de portione pauperibus designata, vel secundùm statum primitivæ Ecclesiæ : quò beneficiorum Tituli nondum erant constituti, & Ecclesiarum reditus, quòd exiles essent, non dignitatis aut meritorum, sed solius necessitatis & indigentiæ habitâ ratione, parciùs distribuebantur, *can. Dilectissimis 2. can. Quia tua 8. &c. 12. q. 2.* ut cum *cit.* Felino *n. 6.* & S. Thoma *in 4. dist. 38. q. & art. 2.* advertit Covarruvias *in c. 1. cit. n. 3. & 4.*

29. Deinde censeo, bonorum Beneficialium etiam superfluorum dominium esse penes clericos beneficiatos ; quod ex TT. cum S. Thoma *cit. art. 7.* Bannez *2. 2. q. 32. art. 6.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 143. n. 3.* Haunold. *Tom. 1. de I. & I. Tract. 4. à n. 68.* ex IGT. is cum Glossa *in can. Duo sunt 7. V. Proprietatem, 12. q. 1.* Covarruvias *in c. Cùm in Officiis cit. n. 7.* Sarmiento *de Redit. Eccles. p. 4. cap. 6. n. 2.* Marsilius *Tract. eôdem p. 2. cap. 35.* Vasquez *de Redit. cap. 1. §. 2. dub. 1.* Barbosa *cit. cap. 17. n. 10.* Gonzalez *in c. fin. hic n. 6.* & ab his relati alii Divini humanique Juris Interpp. ac DD. defendunt & desumunt

Primò ex variis textibus Juris, & Imprimis quidem ex *Auth. Presbyteru C. de Episc. & Cleric.* ibi, *Quomodòlibet ad dominium eorum & c. fin. de Iii, qua à Pralat.* cujus textu canonicorum reditus vocantur *Sui.* Deinde clarius ex decretis Reformatoris S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 1.* quò, cùm clerici non residentes pro rata temporis absentiæ à suis Ecclesiis fructus suos non ferre, & *Sess. 24. cap. 12.* quò, cùm pedem pro rata temporis privandi dicuntur fructibus, quos ratione præbendæ & residentiæ lucrati sunt & fecerunt suos, manifestè indicatur, fructuum dominium à residentibus acquiri ; quia *Fructus facere* eósque *lucrari* idem omnino est, quod *Dominium acquirere*, patet ex c. *Unico V. Qui verò, de Cleric. non resid. in 6.* verbis, *Rerum receptarum dominium non acquirat, nec eas faciat suas.* Denique & clarissimè ex constitutione Pii III, quæ incipit *Cùm sicut 6. Junij* [illegible] *editâ*, redituum beneficialium dominium sicut negante, antequam sunt exacti, sic disertè adstruente, postquàm sunt percepti. Ejus tenor ita habet. *Nos attendentes, fructus, pecunias & alias res, occasione Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licet, postquam ad manus beneficiatorum pervenerunt &c. non ulterius in Ecclesiasticis, sed potiùs ipsorum beneficiatorum propriis & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus & profanis haberi &c. compoverint, nihilominus donec ipsi beneficiati pecunias non exegerint & fructus non perceperint &c. semper ipsarum Ecclesiarum & verè Ecclesiasticos esse & esse debere &c.*

Secundò

Secundò ex ipsa institutione Titu-
31. lorum Beneficialium,& bonorum Eccle-
siasticorum, quæ communia erant, di-
visione: quâ, dum reditus divisi sunt
in quatuor portiones, istarúmque tri-
bus Episcopo, Fabricæ & Pauperibus re-
lictis, quarta particularibus clericis assi-
gnata & adjudicata fuit, *can. Quatuor 27. can. de Reditibus*, 12. *q.* 2. hæc isto-
rum propria est facta *arg. §. fin. Instit. de Offic. jud. & l.* 1. *C. Communia utrius-
que jud.* juxta quem textum Divisio vim
obtinet Emptionis.

32. Tertiò ex ratione, partim; quia
Clerici beneficiorum suorum fructus ob-
tinent, tanquam stipendium, ipsis ab Ec-
clesia attributum ad congruam sustenta-
tionem & retributionem sive præmium
laboris;beneficium enim propter officium
datur *c. fin. de Rescript. in 6.* partim; quia
fructus beneficiales clericis omnes obve-
niunt titulò beneficii & promiscuè, inter
superfluam & ad sustentationem necessa-
riam partem non distinguendò, argu-
mentò non obscurò, ipsis idem juris in
utraque: & dominium, sicut istius, ita
etiam illius acquiri. Demum partim e-
tiam; quia, si ejusmodi fructuum non
domini sed dispensatores tantùm essent,
eos contra Ecclesiæ voluntatem ad pro-
fana expendendò, tam ipsi quàm alii,
quibus eos dant, ad repetitionem aut
restitutionem obligarentur & compel-
lendi essent ab Ecclesiæ Prælatis, *arg. c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.*

33. Deducta in contrarium speciosa ma-
gis quàm efficacia sunt. Primum quidem
& secundum; quia *text. citt.* ejusmodi
bona, Patrimonium Christi &c. vocan-
tur & fuerunt, antequam eorum certa
portio clericis deputata esset per divisio-
nem: vel etiam post hanc, quoad par-
tem Ecclesiæ fabricæ & pauperibus attri-
butam, aut priusquam particularibus
clericis applicarentur per institutionem,
quâ beneficium in Titulum acceperunt.
Eôdem modô Furtum,Rapinam & Sacri- 34.
legium committebant olim Clerici, ul-
tra necessitatem aliquid accipiendô & ex-
pendendô ante illorum divisionem: &
post hanc etiam in profana expendendô
bona ipsarum Ecclesiarum, quorum dis-
pensatores tantùm erant & procurato-
res, *c. Edoceri 21. de Rescript. & c. Fra-
ternitatem cit.* Accedit; quòd sacri Ca-
nones & Ss. PP. præsertim S. Bernardus
Epist. 2. & 42. atque alibi ejusmodi
clericos *Fures*, quin & *Homicidas pau-
perum* vocandò, sæpe usi sint justâ qui-
dem, sed Oratoriâ exaggeratione; quali
aliquando etiam in avaros laicos invehi
consueverunt; quòd ab ipsis in extrema
aut valde gravi necessitate constituti pau-
peres negligerentur. Ita DD. *citt.* cum
S. Thoma *cit. art. 7. ad 2. & 3.* ubi,
cùm Clericorum bona non omnia in pau-
perum,sed in alios etiam usus expendenda
asseruisset, sententiam S. Hieronymi *c. an. Clericos cit. & can. Quoniam*, 16. *q.* 1.
relati, & quidquid clerici habent pau-
peribus tribuentis, intelligit de Articulo
necessitatis: quô pro redemptione ca-
ptivorum, necessitatibus pauperum, e-
tiam vasa cultui Divino dicata distrahun-
tur,*can. Aurum*, 12. *q.* 2. quia tali casu bo-
na illa pauperibus communia evadunt.

Tertium autem; quia imprimis te- 35.
stamentifactionem non habent impube-
res & alii, *pr. & §.* 1. *Instit. Quibus non est permiss. test.* licet bonorum suorum
domini sint, juxta illud S. Gentium Do-
ctoris, *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo; cùm sit domi-
nus omnium*, Galat. *cap.* 4. *v.* 1. Dein-
de; quia ejusmodi bona superflua ad
pios usus applicare Clerici jubentur par-
tim; quòd id personas Ecclesiasticas præ
aliis & ad Fidelium laicorum exemplum

deceat: partim; quòd hâc spe à fidelibus oblata & ab Ecclesia liberaliùs ipsis sint deputata. Denique; quia de illis testari specialiter prohibentur, non ob defectum dominii: sed ex iisdem causis: atque etiam, ut minùs intenti sint congerendis opibus, & magis proni ad eleemosynas & alias pias causas, ut rectè observat *cit.* Haunold. *n.* 82. Unde

36. Dubium secundò & maximi præjudicii ac momenti controversia est de Jure, quô bona seu reditus Beneficiales superflui in pauperes aliósque pios usus sunt impendendi. Illos enim in hos impendendi obligationem in Naturale Jus refundunt non pauci & magni nominis DD. inter quos tamen non modica dissensio est, in qua Virtute & Naturali ratione ea obligatio fundetur. Et Navarrus quidem *de Redit. Eccles. q.* 2. *monito* 7. *n.* 1. eam Justitiæ obligationem esse contendit; quòd abundantes reditus ac proventus ab Ecclesia clericis assignati sint sub tacito pacto modóve & cum onere eos, qui honestam eorúmque statui convenientem sustentationem excedunt, erogandi in pauperes, aliisve piis causis applicandi. Alii eam fundari, ajunt, in Lege Charitatis & Misericordiæ, clericos beneficiatos præ aliis adstringentis, *can. Quia juxta* 59. *& can. fin.* 16. *q.* 1. juxta illud Servatoris, *Veruntamen quod superest, eleemosynam date*, Lucæ *cap.* 11. *v.* 41. Quidam cum Card. de Lugo *Tom.* 1. *de I. & I. disp.* 4. *n.* 16. eam obligationem esse volunt Religionis; quòd reditus illi quodammodo sint Patrimonium Christi & à S. Synodi Trident. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reformat.* vocentur *Res Dei*, sive Deo ad ejus cultum oblatæ à fidelibus & juxta istorum intentionem clericis assignatæ; ut de ipsis disponerent, sicut disponi convenit de Patrimonio Christi Domini: quod clerici præstant, si ex illis ipsi tanquam Divini cultûs Ministri accipiant congruam sustentationem &, quod superat, in alimenta pauperum aliósque Divinum cultum spectantes usus convertant.

At multò verisimiliùs, eam obligationem Naturalis aut Divini Juris esse, cum Soto *Lib.* 10. *de Justitia q.* 4. *art.* 3. & *cit.* Sarmiento *p.* 2. *cap.* 1. & 2. *& p.* 4. *cap.* 1. negant Lessius *Lib.* 2. *de I. & I. cap.* 4. *n.* 47. Palao *Tract. de disp.* 1. *p.* 6. *n.* 5. Haunold. *cit. n.* 82. & TT. ac ICT. RR. alii. Moventur geminâ & utrâque magni ponderis ratione.

Una est; quòd, si ea obligatio esset Juris Naturalis aut Divini, à potestate humana, saltem per legem vel Constitutionem concedi non posset facultas de ejusmodi bonis ac reditibus ad quascunque causas liberè disponendi, de ipsis testandi & clericis intestatis in iis succedendi, cùm; quia Naturale Jus immutabile est, *§. Sed Naturalia* 11. *Instit. de I. N. G. & C.* tum verò; quia inferior superioris, *can. Inferior* 4. *dist.* 21. & *c. Cùm inferiar* 16. *de Majorit. & obed.* ac proinde humana potestas quæcunque relaxare, præsertim per Constitutionem, legis totam aliquam communitatem afficientis, vim obtinentem, nequit obligationem Naturali vel Divino Jure introductam: ea autem de Beneficialibus perinde, ut de propriis ac Patrimonialibus bonis, liberè disponendi testandique, in iisque ab intestato succedendi facultas clericis quibuscunque in Urbe istiúsque districtu ad decem milliaria tribus diversis seculis liberaliter indulta & stabilita est *Constitutionibus* Apostolicis, legis retentionem & vim habentibus, à Sixto IV. quæ incipit *Etsi universis, edità Calend. Jan.* 1474. à Julio III. quæ incipit *Cupientes editâ Idib. Maij* 1550. cujus locum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ventus tenor est *Motu proprio &c. statuimus & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Urbis incolæ cujuscunque dignitatis, status, gradûs &c. de omnibus & singulis eorum immobilibus, mobilibus & se moventibus bonis, pecuniis, juribus, actionibus & rebus aliis in dicta Urbe & ejus districtu pro tempore existentibus, & per eos etiam ex fructibus, reditibus & proventibus Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum &c. acquisita, cujuscunque quantitatis, qualitatis, summæ, valoris ac pretii seu conditionis existant, tam donatione inter vivos quàm causâ mortis, etiam testamentô, codicillis, fideicommissis, legatis aut quavis alia Ultima voluntate in favorem consanguineorum & affinium suorum & quarumvis aliarum personarum disponere &c. licitè valeant. Quódque, si ab intestato decesserint, eorum bona, pecuniæ, jura, actiones & res hujusmodi ad ipsorum pro tempore proximiores agnatos & alios, qui eis, nisi beneficiati essent, de Jure succedere deberent, aliàs juxta Juris dispositionem devolvantur.* Eadem facultas iisdem à Paulo V. *Constitutione*, quæ incipit *In eminenti, 18. Aprilis 1606.* editâ, amplissimè est confirmata.

Altera ratio est; quia, si ea clericorum beneficiatorum obligatio immediatè descenderet ex Jure Naturali vel Divino, ullâ quanticunque etiam immemorialis temporis Consuetudine acquiri non posset facultas bona beneficialia superflua donatione inter vivos & mortis causâ aut quacunque voluntate ultima relinquendi consanguineis aut in illis ab intestato succedendi, per textum & Glossam *in c. fin. V. Naturali Juri, de Consuetudine*, & *ad hanc Rubr.* tradita *n. 38.* Cujusmodi tamen Consuetudinem saltem immemorialem sibi constare, argumentô ex ante allegatis constitutionibus Apostolicis depromptô proximè sequentibus *Tit. 26. à n. 36. & Tit. 27. à n. 26.* statuetur.

Non parùm roboris his rationibus, iisque suffultæ Sententiæ addit, & adimit Oppositæ; quòd inter istius Assertores non conveniat de ejus, quam propugnant, Opinionis fundamento, sive Naturali ratione ac Virtute, ex qua proposita superfluos reditus piis causis applicandi obligatio oriatur.

Neque enim ea oritur ex Justitia; 39.
cùm enim juxta deducta *à n. 29.* clerici ipsâ bonorum Ecclesiasticorum partitione & quartæ partis per titulorum Beneficialium institutionem sibi factâ assignatione ejus perceptæ consequantur dominium, de ipsis ad quascunque causas validè & sine Justitiæ læsione disponunt: & si quod congruam sustentationem excedit, in consanguineos & similes prophanas causas conferendô Justitiam violarent, tam ipsi, quàm ii, in quos id contulerunt, ad restitutionem tenerentur, & compellendi ex officio essent à Prælatis, superioribus suis Ecclesiasticis: quòd tamen hi sine ullo officii sui neglecti scrupulo non præstant, atque, ad id ex officio præstandum, se obligatos non agnoscunt.

Neque etiam ex Virtute Charitatis 40.
& Misericordiæ, cùm; quia clerici superfluos reditus in alia quàm Charitatis & Misericordiæ opera, vg. in cultûs Divini augmentum, in fundationem beneficii vel altaris & his affines usus alios impendendô obligationi suæ satisfaciunt: tum verò; quia ex mente D. Thomæ *2. 2. q. 32. art. 5.* lex Charitatis & Misericordiæ ad subveniendum pauperibus graviter non obligat, nisi hi in extrema vel gravi necessitate sint constituti: quâ necessitate cessante, cùm de reditibus superfluis consanguineos ditandô & alias causas prophanas promovendô nihilominus graviter peccent, illam obligationem immediatè

diatè in alia quàm Charitatis lege ac Virtute fundari, est necesse.

41. Neque etiam ex Virtute Religionis; quia reditus beneficiales in se non sunt res sacræ vel benedictæ, ut calices cæteràque vasa & vestimenta sacra, sed merè temporales; ut non appareat, quâ ratione eorum ad prophanas causas applicatio perinde, ut rei sacræ vel benedictæ ad eas abusus, Religioni adversetur. Huic certè non adversatur, ratione piæ intentionis fidelium, à quibus oblati sunt Deo; ut in istius cultum convertantur; quia in hunc reditus illi conversi jam intelliguntur per assignationem factam clericis, ratione eorum ad spirituale officium & servitium Divinum obligatis; cùm his facta assignatio ultimata executio sit fidelium intentionis, sicut talis est similis redituum Ecclesiasticorum portionis assignatio cantoribus, ædituis & aliis officialibus ac ministris laicis facta, intuitu temporalis servitii Ecclesiæ exhibendi: &, si ejusmodi assignatio intentionis fidelium ultimata executio non esset, ejus etiam redituum beneficialium partis, quàm clerici frugaliùs vivendô comparserunt, & ipsorum quoque bonorum quasi Patrimonialium in prophanos usus insumptio Religioni adversaretur; quia Parsimonialia & quasi Patrimonialia bona ejusdem, cujus reditus beneficiales superflui, rationis sunt ac naturæ, *citt.* Pirthing *n.* 11. & Haunoldus *n. 48.*

42. Verisimiliùs itaque est, superfluos reditus in pios usus impendendi obligationem clericis beneficiatis præceptô Ecclesiasticô *cc. supra citt.* impositam; ut Ecclesiæ in se liberalitatis memores, ad liberalitatem in pauperes ac pias causas alias exercendam proniores & congerendis opibus minùs intenti essent.

43. Pauperum autem & Piæ causæ nomine secundùm Doctorem Angelicum *art. 7. cit.* & communem aliorum doctrinam in hac materia veniunt quæcunque personæ, ad victum aut vestitum necessaria non habentes, & quæcunque opera pia tendentia ad cultum Divinum. Quare beneficii sui reditus, ut oportet, impendere videbitur clericus, si ex iis Imprimis ipse accipiat sustentationem; quæ non tantùm suæ personæ & familiæ alimenta & salaria, *can. Studeat 36. in fine dist. 30* sed etiam honestas & statui suo convenientes recreationes, hospitalitatem & moderatas, ac præsertim ex causa Remunerationis factas donationes comprehendit, Navarrus *cit. q. 1. monito 36. n. 1. V. Cæterùm.*

Deinde, si ex iis alat liberos suos, non solùm ex legitima conjuge susceptos ante Clericatum, sed etiam post hunc illegimè natos, Navarrus *de Spol. Cleric. §. 19. n. 10.* & Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Solut. matrim. p. 4. n. 133.* imò etiam si, bonis aliunde deficientibus, hujusmodi filios conferat dotem, Navarr. §. *cit. n. 18.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 136. n. 11.* & August. Barbosa *Lib. 3. Jur. Eccles. cap. 17. n. 39.* cùm quia hoc Pietatis & Misericordiæ est opus; tum verò; quia dos succedit loco alimentorum, Bald. Novell. *de Dote p. 6. privileg. 16.* ut adeo, sicut hujusmodi filiæ præstare alimenta, sic eam dotare possit.

Demum, si quæ supersunt liberaliter expendat in eleemosynas & alimenta pauperum: ex iisque juvet consanguineos & familiares; ut secundùm decentiam status sive conditionis suæ vivere (non status suum ad majorem splendorem attollere, superbè & luxuriosè vivere &c. Sylvester *V. Clericus 4. n. 11. V. Decimo quintò*) possint, *can. Omnino*, juncta Glossa *V. Ut mercede, dist. 31. & c. 1. de Cohabit. cleric. & mul.* Felinus *in c. Postulasti cit. n. 6. V. Et hoc*, & Panormit. *in c. Perve-*

pervenit 3. de Arbitr. n. 10. vel in Templorum & Altarium ornatus, pias fundationes, & similia opera impendat, secundùm *citt.* S. Thom. *art. 7.* & Fagnanum *à n.* 17. rem hanc latè expendentem.

44. Dubium tertiò est de rebus, à Clerico emptis ex redditibus Beneficialibus superfluis. Earum enim dominium non emptori, sed ipsi Ecclesiæ acquiri existimat *cit.* Sarmiento *p. 3. cap. 2.* ductus *can. Placuit, 12. q. 3.* & inde desumpto *c. 1. hâc Rubr.* juxta quos textus à clerico aliunde, quàm ex proprio patrimonio quæsita bona Ecclesiæ esse debent. Verùm, quia bonorum sive redituum beneficialium dominium clericis jam attribuimus, sicut hos, sic etiam ex ipsis à clerico suô nomine emptos non solùm equos, vestes libros, aliâque utensilia & mobilia séque moventia: sed etiam domos, hortos, vineas, aliâque immobilia in ipsorum dominio esse, non malè defendunt alii, id desumentes partim ex Regula, quòd subrogatum sapiat naturam ejus, cui subrogatur, *c. Ecclesia 3.* junctâ Glossâ *init. Ut lite pendente &c.* partim ex *Constitutionibus* Pauli & Pii IV. *editis 25. Octobr. 1556. & 3. Aprilis 1560.* quibus hujusmodi bona accensentur Spoliis Clericorum, cedentibus fisco Pontificio, sive Cameræ Apostolicæ: quæ bona ad ipsas Ecclesias spectantia sibi vendicare nequit. Unde in contrarium allegati textus vel exaudiendi sunt de rebus emptis ex bonis ipsarum Ecclesiarum, vel istarum nomine ex beneficialibus bonis: vel de Episcopis aliisque clericis, non habentibus proprios & ab Ecclesiarum redditibus distinctos proventus Beneficiales: vel, si tales habent, dicendum est, ex ipsis empta relinquenda esse propriæ Ecclesiæ, juxta *c. Ut*
45. *unusquisque 3.* & huic post mortem cedere, juxta *c. Relatum 12. de Testament.* nisi aliis debita sint jure Spoliorum.

In casibus dubiis, an res de propriis 46.
clerici vel de Beneficialibus ejus bonis empta sit, observanda est distinctio. Et quidem, si clericus tempore acquisiti beneficii nullum aut tenue patrimonium habuit, eam ex Beneficialibus sive Ecclesiæ intuitu quæsitis bonis emptam, præsumendum censuerunt PP. Conciliorum Carthag. & Tolet. *c. 1. & c. fin.* relatorum; quòd, sicut acquisita ab uxore tempore constantis matrimonii, ad præsumptionem vel suspicionem turpis questûs excludendam, ex mariti bonis quæsita censentur, *l. Quintus 51. ff. de Donat. inter Vir & uxor.* sic etiam ad evitandam suspicionem lucri minùs honesti, hoc est, ex negotiatione clericis prohibita *c. 1. & c. Secundùm 6. Ne Clerici vel monachi* ab ipsis post suam Ordinationem sive in beneficio institutionem ex Beneficialibus comparata præsumantur, Mascard. *de Probat. conclus. 202.* Non est tamen hæc præsumptio Juris & de Jure; ac proinde in contrarium, sive prædictas res mobiles aut immobiles ex bonis industriâ, labore, aut aliô modô, quàm Ecclesiæ intuitu quæsitis emptas, probationem admittit, ut *in c. 1. cit.* cum Glossa *V. Debet*, notat Panormit. *n. 7.*

Si verò clericus habuit proprium, 47.
præsertim amplum patrimonium, & contrà reditus Beneficiales fuerunt tenues & congruam sustentationem non excedentes, eæ ex proprio patrimonio emptæ præsumuntur, arg. à contrario *c. 1. cit.*

Demum, si consideratâ quantitate, tam patrimonii quam redituum beneficialium, ex quibus comparatæ sint, dubium perseveret, eas partim Patrimonialibus, partim Beneficialibus bonis comparatas, præsumendum; ac proinde inter eos, quibus hæc aut illa debentur, post clerici obitum dividendas, tradit Panorm. *in c. Ut unusquisque cit. n. 3.*

TITU-

TITVLVS XXVI.

De Testamentis & Ultimis Voluntatibus.

DOnatiactionibus inter vivos succedunt voluntates Ultimæ, sive de rebus suis in mortis tempus collatæ dispositiones, ad præsentem Rubricam declarandæ, quatenus Ecclesiasticis competunt personis, sanctionibúsque & judicio Ecclesiastico subjiciuntur.

ARTICULUS I.

De Natura & Origine Testamenti.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Ultimæ voluntatis.*
2. *Etymon,*
3. *Et definitio Testamenti:*
4. *Istiúsque ab aliis voluntatibus Ultimis,*
5. *Et præsertim à Codicillo differentiæ.*
6. *De Testamenti Origine varii sensus DD.*
7. *Verius rationi Naturali quidem consentanea:*
8. *Non tamen Naturali,*
9. *Aut Gentium Jure propriè dictô:*
10. *Sed Civili est introductum.*
11. *Et in minùs propriè acceptum Gentium jus transiit.*

ULtima voluntas generatim, ptô ut Testamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommissum aut Mortis causa donationem comprehendit, est Gratuita dispositio de bonis in tempus mortis seu post mortem. Ultima ea dicitur, non; quòd post eam alia extitura non sit: sed; quòd sicut, quàm inter vivos factæ dispositiones valent, conferatur in ultimum vitæ terminum & tempus mortis: & istâ primùm confirmetur; ut revocari amplius non possit, juxta Apostolicum illud, *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet*, seu firmũ non est, *dum vivit, qui testatus est*, ad Hebræos *cap. 9. n. 17.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 124. n. 2.*

Ejus species præcipua Testamentum, à verbo *Testor*, indéque derivatô nomine *Testamen*, ut Gellio *Noct. Attic. Lib. 6. cap. 12.* vel potiùs *Testatio*, ut apud hunc Servio eúmque secuto Imperatori *pr. Instit. de Testament.* placuit, ita dicitur; quòd mentis seu voluntatis de rebus seu bonis nostris coram testibus declaratio sit: & cum JCT.o *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* definitur, quòd sit Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri volumus. Jam istam autem hujusmodi sententiam aliqui quamcunque legitimam, seu Juris Regulis conformem: alii eam esse asserunt, quæ con-

quæ continet solennitates præscriptas *l. Hâc consultissimâ 21. C. de Testament.* & directam hæredis institutionem, *l. Jubemus 29. C. eâdem Rubricâ.*

3. Verùm, quia istarum justæ voluntatis declarationum prior Testamentum à Legato, Fideicommisso, Codicillo & ipsa Mortis causâ donatione non secernit: posterior Parentum inter liberos, Militare, ad causas Pias, cæteráque minùs solennia Testamenta apertè excludit, non malè à RR. Testamentum generatim &, prout etiam minùs solenne comprehendit, & excludit Codicillum, esse dicitur Ultima voluntas, continens directam hæredis institutionem; quia Testamenti præcipua pars, imò caput & fundamentum est institutio sive surrogatio hæredis in universum jus, quod tempore mortis habuit testator, *§. Ante hæredis 34. Inst. de Legatis.*

4. Atque hâc directâ hæredis institutione Testamentum præcipuè differt non solùm à Legato & Fideicommisso: sed etiâ à Mortis causâ donatione: præterquam, quòd ista non solâ Donantis, ut Testamentum solâ de rebus suis disponentis voluntate, sed Donatarii quoque acceptatione constituatur.

5. Magis, quàm hæ voluntates ultimæ, ad Testamentum accedit, Testamentum tamen etiam non est Codicillus: qui sic dicitur; quòd sit quasi *Parvus Codex*, éstque Ultima voluntas minùs solennis defuncti, sive testati sive intestati, de eo, quod is post mortem de rebus suis fieri vult, absque directa hæredis institutione, Cotvinus *ad C. de Codicillis*; quantumvis enim, ut Testamentô, sic & Codicillô de rebus suis quis disponere, sive in scriptis, sive per nuncupationem valeat, multùm tamen interest inter Testamentum & Codicillum, imprimis quoad testium numerum & qualitates, *§. fin. Inst. & l. fin.* junctâ Glossâ *C. eâdem Rubr.* Dein; quòd Codicillus tam ab eo, qui intestatus, quàm qui testatus decedit, *§. 1. Instit. de Testament. ordin.* & non unus tantùm, sed plures fieri possint; ut, si contrarii non sint, omnes subsistant: si verò sint contrarii, prior revocatus censeatur, *l. Cùm proponatis 3. C. eâdem Rubric.* Et demum; quòd Codicillô hæreditas directè, neque dari, neque adimi, *§. Codicillis 2. Instit. l. Hæreditatem 2. C.* neque etiam directè substitui, neque hæredi testamentario conditio adjici possit, *§. Codicillis cit. l. Hæreditatem 2. & l. Si idem 7. C. de Codicillis. Directè*, inquam; quia indirectè id potest per Fideicommissum, hæredem ab intestato gravandô; ut hæreditatem restituat ei, qui expressus est Codicillô, *l. Si quis 3. ff. de Jure Codicill.* vel declarandô, unum ex hæredibus voluntatem suam non mereri, sive hæreditate indignum, *l. Hæreditas 4. C. De hîs, quib. ut indignis.*

Dubium & controversia celebris est 6.
de Jure, quô Testamenti factio est introducta. Codicillorum usum tempore Augusti cæptum & Sapientum suffragiis approbatum, liquet ex *pr. Instit. de Codicillis*, Testamenti factio autem, licet formam sive testandi modum acceperit à Jure Civili, ipsam tamen testandi facultatem à Gentium, cum Claro §. *Testamentum q. 2. n. 2.* & Covarruvia *Lib. 3. Var. cap. 6. n. 7.* Gilken *in l. 1. C. de Hæred. Instit. n. 8.* & ab ipso Naturali Jure procedere, Molina *2. de J. & J. disp. 124. in fine* voluêre: contra quos, ipsam etiam testandi facultatem à Civili Jure profectam, cum Bartolo in *l. Ex hoc 5. ff. de J. & J. n. 5.* & Baldo *in l. Decernimus 16. C. de SS. Eccles. n.* 10. defendunt Canisius *ad hanc Rubric. n. 3.* Haunoldus *de J. & J. tom. 3. Tract. 6. n. 14.* & Eminentiss. de Luca *de Testament. discurs. 41. n. 36.*

In hoc DD. dissidio ego imprimis 7.
existimo, rationi & affectioni Naturali

valde consentaneum esse; ut rata firmáque esse sinantur testamenta, aliæque defunctorum ultimæ voluntates; cùm utique Æquitati Naturali conforme sit, ut quis de bonis suis, quæ mortalitas ademptura est, aliis benefacere, gratam sui memoriam ad posteros propagare, animæ suæ per pia legata consulere possit; ac proinde; ut ratæ firmæque esse jubeantur voluntates dominorum, volentium rerum suarum dominium in alios transferre, §. *Per traditionem 40. Instit. de Rerum divis.* præsertim, cùm de rebus suis disponentium voluntas est suprema, *l. 1. C. de SS. Eccles. & §. unico, Inst. de Lege Caninia &c.*

8. Deinde censeo, testandi facultatem Juris Naturalis non esse ita; ut, si lex, defunctorum supremas voluntates ratas esse præcipiens, deficeret, testamenta &c. firma essent. Ratio est; quia spectatâ præcisè Naturâ nemo de ulla re disponere valet pro eo tempore, quô nullius rei dominium amplius habet: aut jus alteri tribuere pro tempore, quô ipse omnis juris est incapax & Reipublicæ membrum desiit esse; quia dispositio, tempore etiam habili facta, sed collata in tempus inhabile, cujus modi est dispositio testamentaria, quæ juxta *l. 1. ff. de Testament.* in tempus, quô testator mortuus est, confertur, inutilis est, nisi Lege adjuvetur, *l. Stichus 39. ff. de Mânumiss. testam.* Quare rerum Naturâ solâ consideratâ defunctorum voluntates ultimæ non aliud, quàm justum quidem, sed ex se infirmum testatoris desiderium sunt; ac proinde rerum ipsius dominium ad testamentariam hæreditatem transferendi vim non habent, nisi Lege confirmentur, ut rectè advertit Haunold. *l. cit. n. 15.* Confirmatur hæc ratio; quia bona defuncti ex natura rei sunt bona vacantia; cùm defunctus in ea, quod habuit, jus omne amiserit. Unde, si ejus voluntatem ultimam Lex destitueret, nec roboraret, eorum instar, quæ vacant, derelicta & jam nullius forent, & Naturali ratione cederent occupanti, §. *Feræ 12. Instit. de Rer. divis. & l. Quod enim 3. ff. de Adquir. rer. dom.*

Deinde censeo, testandi facultatem verisimiliùs etiam non introductam Gentium propriè acceptô Jure. Rationem nonnemo reddit; quia, quæ istius Juris sunt, apud omnes Gentes sunt recepta, §. 1. *Instit. de J. N. G. & C.* non etiam Testamenta: quorum usum Athenis olim nullum fuisse, Plutarchus *in Solone*, in Germania etiam nostra hæredes suos cuique liberos; &, si liberi deficerent, proximos cognatos sine testamento fuisse, Tacitus *de Morib. German.* perhibet. Idem de Dacia vel potiùs Dania tradit, & ex integra lectione *c. Ex literis 2. de Consuet.* desumit Gonzalez *ibi n. 3.* Verùm, quia ea, quæ Gentium Juris sunt, apud Gentes simpliciter omnes esse recepta, necesse non est: sed sufficit; quòd plerumque bene institutarum Gentium moribus & usu observentur, testandi facultatem Juris Gentium non esse, ex unius alteriúsve prisco non usu perperam infertur. Quare, eam propriè dicti Gentium Juris non esse, fortius argumentum est; quòd ad Jus hoc ea duntaxat pertineant, quæ gentes servare tenentur inter se, ad earúmque commune bonum & felicitatem promovendam omnium aut fere omnium gentium usu sunt recepta, per tradita Procœm. *n. 55.* Eum autem finem & communis omnibus boni ac felicitatis promotionem & Societatis inter eas conservationem testamenti condendi facultas non spectet, licet plerarumque gentium moribus sit recepta.

Superest ergo, ut testandi, non formam duntaxat, sed facultatem quoque introductam dicamus Jure Civili alicujus Populi,

Populi, qui primus testandi usum inter cives suos Legibus approbavit: à quo dein receptus est tam moribus, quàm Legibus aliarum Gentium tam multatum, ut à DD. satis multis ejus origo Gentium potiùs, quàm alteri Juri attri-
11. bueretur: fortassis meliùs, in Gentium Jus minùs propriè dictum transiisse, diceretur; quòd, licet sine mutua obligatione gentium inter se, & non ad commune omnium, sed ob privatum cujusvis civitatis seu populi bonum unius usu introducta & approbata Lege, cum tempore propagata & à cæteris gentibus ferè omnibus observata sit.

ARTICULUS II.

De Personis Jure permissis ac prohibitis testari.

SUMMARIUM.

12. *Testari possunt, qui non prohibentur.*
13. *Prohibentur Naturâ Infans, Amens, Furiosus, Impubes.*
14. *Lege Prodigus, Filiusfamilias,*
15. *Servus, Captivus, Obses,*
16. *Deportatus, Crimine capitali damnatus,*
17. *Surdus & Mutus à natura,*
18. *(Non ex accidenti, aut Cæcus)*
19. *Damnatus ob carmen famosum, Hæreticus &c.*
20. *Ad causas etiam Pias non testantur, Naturâ,*
21. *Et probabiliùs etiam Lege prohibiti.*
22. *Canone testari prohibetur Usurarius manifestus,*
23. *Excommunicatus ob Hæresin vel Offensionem Cardinalis,*
24. *Et Religiosi.*
25. *Excipiuntur ex his, qui liberos in seculo reliquit,*
26. *Professi Ordinum Militarium,*
27. *Scholastici & Coadjutores non-Formati Soc. JESU,*
28. *Et quibus licentiam testandi Papa:*
29. *Non solus superior Ordinarius dedit.*
30. *De istius licentia Professus nec Codicillum facere,*
31. *Mortis tamen causâ donare valet.*
32. *Clerici de bonis Patrimonialibus vel quasi:*
33. *Non de Beneficialibus testari Jure possunt.*
34. *Vi Consuetudinis testari valent prohibiti Jure solùm Humanô.*
35. *Non tamen Professus Religionem.*
36. *Ejusdem vi Clerici de Beneficialibus ad Pias:*
37. *Non etiam ad Prophanas causas testari queunt secundùm aliquos DD.*
38. *Secundùm alios etiam ad has testandi facultatem acquirere possunt.*
39. *An talis Consuetudo de facto detur dubium est.*
40. *Jure tamen reprobata,*
41. *Aut irrationabilis non est.*

QUantumvis autem Testamenti 12.
factio creatura & beneficium Legis sit, Regula tamen est, testari ante mortem de bonis suis non, quibus hoc specialiter permissum: sed generaliter posse omnes, qui specialiter non prohibentur, *l. 1. C. de SS. Eccles. & l. Ex facto 43. ff. de Vulg. & pupill. substit.* quâ iniquum esse, seclusâ gravi causâ, asseritur auferre testamenti factionem sanæ mentis homini, Covarruvias. *ad hanc Rubric. p. 3. n. 42.* Manzius *de*

Testam. Tit. 2. n. 4. & Haunold. *Tom. 2. de J. & J. tract. 6. n. 205.*

13. Prohibentur autem quidam Naturâ, alii Lege, alii Canone. Naturâ, qui voluntatem & sanam mentem non habent, ut Infans, Mente captus, Furiosus, §. 1. *V. Item furiosi, Instit. Quibus non est permiss. test.* nisi iste dilucidi intervalli tempore condiderit Testamentum; hoc enim Jure subsistit, etiamsi ei perfecto furor supervenerit, *V. Item cit. & l. Furiosi 9. C. Qui test. fac. non poss.* Ratio redditur *V. cit.* quòd neque Testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum postea superveniens furor perimat. Ob judicii, & ab isto pendentis justæ voluntatis defectum Testamentum condere nequit Impubes, §. 1. *cit. & l. Si filiusfamilias 9. ff. Qui test. fac.* etiamsi proximus sit pubertati; quòd licet aliquod judicium habeat, *l. Pupillum 111. pr. ff. de R. J.* ejus tamen judicium fragile & ad hunc actum non satis firmum, & non justa voluntas esse videatur, *l. fin. C. de Testam. milit.* Manzius *cit. Tit. 2. n. 47.*

Lege, sive Jure Civili Testamentum facere prohibentur!

14. Imprimis qui voluntatem habet corruptam, ut Prodigus, sive is cui, quòd bona sua dissipandò profunderet, eorum administratio est interdicta, §. *Item prodigus 2. Instit. & l. Is cui 18 ff. Rubric. citt.* quia prodigi æquiparantur furiosis, *l. 1. ff. de Curat. furios. & l. Fulcinius 7. §. 12. ff. Quibus ex caus. in possess.* qui testamenti factionem juxta dicta non habent. Ratio ulterior est; quia in testatore requiritur judicium & consilium, *l. Vel negare 5. ff. Quemad. test. aper. & §. Sed & unum 13. Instit. de Test. ordin.* quæ in furioso & prodigo desiderantur, *l. His, qui 12. §. 2. ff. de Tut. & curat. dat. ab his* &c. Wesenbecius *in ff. de Curat. furios. n. 3.* & Manzius *cit. Tit. 2. n. 77.*

Dein, qui voluntatem habet ab alterno arbitrio pendentem, ut Filiusfamilias qui, ne quidem patre consentiente, testari de bonis adventitiis potest, *pr. Instit. Quib. non est permiss. l. Qui in potest. 3. pr. ff. & l. Senium 3. §. 1. C. Qui test. fac. non poss.* licet de Castrensibus & quasi Castrensibus bonis, etiam patris consensu non requisitò, testari, si pubes sit, permittatur, *pr. cit. & l. fin. C. eâdem Rubr.* quòd in his patrisfamilias locum obtineat, *arg. l. Nulla lis 4. ff. de Judiciis.* Servus, ne quidem dominò permittente, *l. Filiusfamilias 19. ff.* Captivus, quamdiu in captivitate est, *l. Ejus qui 8. pr. ff. Qui test. fac.* quia servus fit capientis, §. *Servus 3. Instit. de Jure Perf.* Obses apud hostes detentus, *l. Obsides 11. ff. Qui test. fac.* quòd similis sit captivo, & quodammodo in hostium potestate, Perez *in C. Qui test. fac. n. 6.* Inter Christianos tamen testari hic & captivus potest; quòd bello captus servus non fiat capientis, Manzius *cit. Tit. 2. n. 190.* Deportatus, cui igne & aquâ ei interdictum: Proscriptus & capitali crimine damnatus, *l. Ejus qui cit. §. 1.* & quorum tamen bona hodie parentibus & liberis usque ad tertium gradum servantur, *Auth. Bona, C. de Bonis proscript.* Nisi quis Majestatis crimine sit condemnatus, *Auth. cit.* cùm istius reorum bona publicentur: sicut & ejus, qui de capitali crimine accusatus, mortem sibi ipse consciscit; ut supplicium anteverteret. Unde à tali conditum Testamentum irritum evadit, *l. Si quis 6. §. 7. ff. De injusto rupto* &c. Perez *l. cit. n. 8. & 10.* & Haunold. *cit. Tract. 6. à n. 22.*

Demum, qui voluntatem Lege imperditam habet, sicut Imprimis est Mutus & Surdus simul, & à nativitate: non idèm ex morbo vel casu; qui enim ita vitium contraxit, si scribendi peritiam habeat, manu propriâ Testamentum con-

scribere

scribere potest; uti & Surdus tantùm, vel Mutus tantùm, sive à natura sive ex ac-
18. cidenti: dummodo mentem suam exprimere voce aut scriptô indicare possit, §. *Item surdus 3. Instit. Quibus non est permiss. & l. Discretio 10. C. Qui test. fac. &c.* Testari etiam cæcus valet, sed tantùm nuncupativè & observatâ solennitate à Justino Imp. præscripta *l. Hâc consultissimâ 9. C. eâdem Rubr.* Dein, Damnatus ob carmen famosum, *l. Is cui*
19. *18. fin. ff. eâdem Rubric.* Hæretici eorúmque credentes, receptatores ac fautores, *l. Manichæos 4. §. 5. & Auth. Credentes C. de Hæret. & Manich.* Et demum quicunque intestabiles lege esse jussi; cùm testamentum condi nequeat, nisi adhibitis testibus: lege autem intestabiles testimonium dicere non possint *l. Cùm lege 26. ff. Qui test. fac. non poss.*

20. Dubium & momenti minimè levis controversia inter DD. est, an testari Lege prohibiti testari saltem valeant ad causas pias. Certum est, ad has etiam testari non posse infantem, mente captum & furiosum, saltem extra tempus diluciди intervalli; quòd ob defectum usûs rationis careant judiciô & voluntate. Simili modò ad eas etiam testari nequeunt Hæretici & Majestatis crimine damnati; quòd talium bona fisco addicantur, *Auth. Cæsaros pr. C. de Hæreticis & Auth. Bona C. de Bonis proscript.* Tiraquell. *Privileg. Causæ piæ 79. §. Sed si.*

Cæteris autem ad causas Pias testamenti factionem cum Riccio *Prax Aureæ P. 4. resol. 89.* adstruit Engel *ad hanc Rubricam*, permotus partim textu *l. 1. C. de SS. Eccles.* quâ à Constantino Augusto sacris locis & causis piis sua relinquendi facultas concessa est Unicuique, generaliter & ullô inter personas discrimine factô: partim; quòd à sacris Canonibus ad testamenta, Pias causas spectantia, plus non exigatur, quàm Jure Gentium, *c. Relatum 11.* istô autem Jure ad ejusmodi causas testari non prohibeantur.

Verùm, licet Opinio hæc pia & si 21.
locorum Consuetudo non adversetur, in Praxi tenenda sit, de rigore tamen Juris personas, Jure Civili inhabiles, ad Pias quoque causas testari posse, cum Glossa *in l. 1. cit.* verius negant Clarus *§. Testamentum q. 5. n. 2.* Grassus *§. Testamentum q. 17. n. 12. & 13.* Tholos. *Lib. 42. Syntag. cap. 8. n. 3.* Vasquius *Lib. 3. de Success. §. 22. n. 8.* Mantica *Lib. 6. de Conject. ult. volunt. Tit. 3. n. 4.* Barri *Lib. 1. de Success. test. & intest. tit. 4. n. 12.* & aliis DD. relatis Barbosa *in l. 1. cit. n. 9.* Ratio est; quia, juxta dicta *n. 10.* testamenti factio activa introducta est Jure non Gentium, sed Civili. Unde iis, quibus, hôc Jure non concessa vel adempta est, ad causas etiam Pias non competit: nisi concessa vel restituta sit à sacris Canonibus, qui hac in re à Civili Jure nuspiam divertunt: imò, cùm filiosamilias, cui (præterquam de Peculio Castrensi vel quasi Castrensi) testamentifactio omnino adempta est, pro anima sua, hoc est, ad causas Pias per ultimam voluntatem relinquendi facultas cum consensu Patris specialiter indulgetur: &, sine istius consensu tantùm negatur, *c. Licet 4. V. Quamvis, de Sepult. in 6.* satis clarè indicatur, ante hoc sacrorum Canonum indultum de bonis Adventitiis testari ad causas etiam Pias non potuisse: ac proinde etiam cæteris Lege intestabilibus ad hujusmodi causas testandi facultatem non competere, quamdiu hæc ipsis à sacris Canonibus non indulgetur. Unde pro filiis & Piis causis adducta ratio planè evanescit.

Neque fortiùs urget *l. 1. cit.* quia istâ ab Imp. abrogatæ sunt leges Impp. antiquiorum, Collegiis Orthodoxis quasi illicitis per ultimam voluntatem aliquid

relinqui vetantium : quoad habilitatem autem personarum testari prohibitarum nihil est immutatum. Unde *l. cit.* generalem particulam *Unusquisque* de personis habilibus exaudiendam, cum Jasone *n.* 12. & Gothofredo *V. cit.* adnotavit *cit.* Barbosa *n.* 5.

22. Canone, sive Jure Ecclesiastico testari prohibentur primò Usurarii manifesti : nisi priùs satisfecerint vel idoneam cautionem præstiterint de usuris restituendis, *c. Quamquam* 2. junctâ Glossâ *V. Aliter, de Usuris in* 6.

23. Secundò, Excommunicati ob hæresin, eorúmque credentes, receptatores, defensores ac fautores *c Excommunicamus* 13. §. *Credentes de Hæretic.* ubi tolerati non sunt: vel ob percussionem vel persecutionem alicujus S. R. E. Cardinalis, *c. Felicis* 5. *de Pœnis in* 6. ex quorum speciali exceptione non malè infertur, cæteros excommunicatos, etiam non toleratos ac vitandos, validè testari; quia exceptio Regulam in contrarium firmat in casibus non exceptis, *l. Quæsitum* 12. §. 43. junctâ Glossâ *V. Non potest, ff. de Instruct. & instr. leg. &c.*

24. Tertiò, Religiosi, saltem Professi, etiam ad Pias causas, & cum licentia superioris sui Ordinarii, *can. Quia ingredientibus,* 19. *q.* 3. *& c. Quia* 2. *hâc Rubric. ubi* Barbosa *n.* 5. *&* 6. ob defectum voluntatis; cùm non habeant velle & nolle, *can. Non dicatis* 12. *q.* 1. & dominium bonorum etiam temporalium, de quibus testentur; quia propter solenne votum Paupertatis fere incapaces sunt dominii ac proprietatis; cùm, quod acquirunt, monasterio acquirant, *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* Atque ob hanc rationem testari etiam nequeunt Societatis JESU Coadjutores Formati, tam temporales quàm spirituales, ut colligitur ex *Constit.* Gregorii XIII. quæ incipit *Quantò fructuosius, editâ* 2. *Cal. Febr.* 1582. quâ nihil omnino Proprii ampliùs domi vel foris habere posse, asseruntur.

Excipiuntur tamen imprimis, qui Religionem professus, in seculo liberos reliquit : cui, si ante professionem de bonis suis non disposuit, divisio bonorum inter illos, legitimâ nulli diminutâ, & retentâ Monasterio saltem portione filiali, permittitur, *can. Si qua mulier* 19. *q.* 3. qui textus, licet ex Civili Jure *Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles. & Novell.* 123. *cap.* 38. in Decretum translatus sit, vim tamen & authoritatem Juris Ecclesiastici : non quidem à Gratiano transcribente juxta dicta *Dissertat. Proœmial. n.* 91. Sed Ecclesiæ usu & Summorum Pontificum approbatione, saltem tacitâ, accepit, ut pluribus relatis advertit Barbosa *in can. cit. n.* 3. Ea tamen bonorum divisio, licet vices subeat, vim tamen Testamenti verisimiliùs non habet; cùm ex una, *citt. textibus* Testamenti mentio, ne verbô quidem, fiat: ex altera verò parte, Legis præsertim Ecclesiasticæ, testamentifactionem Professis generaliter prohibentis correctio, quando commodâ interpretatione potest, evitanda sit, *c. Cùm expediat* 29. *de Electione in* 6. *& l. Præcipimus* 32. *C. de Appellat.* Meliùs ergo esse dicitur actus administrationis, ejusmodi Professo Jure specialiter indultus, fortassis; ut præcideretur ansa calumniis, quibus Monasteria forent obnoxia, si solâ legitimâ liberis relictâ reliquam substantiam universam sibi vendicarent, Lessius *Lib.* 2. *de Justitia cap.* 41. *n.* 82. & Sanchez *Moral. Lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 10.

25. Deinde excipiuntur Professi Ordinum Militarium S. Joannis Equitum Melitensium, Equitum S. Jacobi &c. qui cum superioris sui licentia non solùm de bonis Patrimonialibus : sed de redditibus quo-

bus quoque suæ Commendæ annexis ratione officii militaris testantur, ex Privilegiis Apostolicis à Clemente VII. & Innocentio VIII. indultis & post revocationem Pii V. à Gregorio XIII. juxta pristinam Consuetudinem, confirmatis, Sanchez *ibid. cap. 8. n. 30.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 141. n. 6.*

Neque his adversatur, quòd obstricti sint votô solenni Paupertatis, proprietatem ac dominium adimentis, *Auth. Ingressi cit.* quia, sicut ejusmodi Equites non omnes omnimodam & perfectam Castitatem; cùm illorum aliqui matrimonia ineant: ita nec perfectam, sed eam solùm Paupertatem profitentur, quæ antiquissimâ &, scientibus neque contradicentibus superioribus, constanter observatâ Consuetudine est recepta, & de ejusmodi bonis liberè disponendi ac testandi etiam facultatem non excludit; quia compossibilis est cum dominio: cujus tamen usum superiorum voluntati & Ordinis Regulis subordinatum habent, ut cum *citt.* DD. tradit Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 12. n. 7.*

27. Excipiuntur tertio Scholastici & Coadjutores nondum Formati Societatis JESU: qui, licet propter emissa post biennium Novitiatûs tria vota Religionis substantialia, quantumvis simplicia, veri ac propriè dicti Religiosi sint, secundùm *Constitutionem* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente, editam 8. Cal. Junij 1584.* de bonis tamen suis testari possunt cum licentia superiorum; quia justas ob causas ad tempus retinent jus atque dominium suorum bonorum, quorum tamen ipsis usus & libera, sive à superiorum voluntate independens, dispositio adempta est, ut *Constitut. Quantò fructuosius cit.* habetur, *cit.* Molina *disp. 139. n. 11. Cùm licentia*, inquam; quia absque ista testandô contra votum Paupertatis graviter delinquunt: licet conditum ab ipsis testamentum, quòd nullô Decretô vel Constitutione Ecclesiasticâ irritatum reperiatur, pro validô meritò habeant *cit.* Sanchez *cap. 8. n. 25.* Azor *p. 1. Instit. lib. 12. cap. 11. q. 8.* & Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. cap. 6. n. 12.* contra Lessium *cap. 4. cit. n. 38.* & Molinam *l. cit.*

Denique excipiuntur cæteri Religiosi, etiam Professi quicunque; quos saltem cum licentia superioris: non quidem sui Ordinarii, sed summi Pontificis testamentum condere posse, cum Panormit. *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 61.* & Navarro *Comment. 2. de Regul. n. 57.* indubitata hodie doctrina plerorumque, & ratio est; quia, stante votô Paupertatis, concedi Religioso à superiore potest licentia donandi aliqua bona in vita. Cur non etiam in morte per viam testamenti, nisi lege Ecclesiastica prohiberetur? Quæ cùm à summo Ponrifice relaxari valeat, etiam testari Religiosus poterit cum licentia, licet non superioris suis Ordinarii; quia huic in Jure communi Ecclesiastico quoad hoc dispensandi facultas concessa non reperitur: saltem Papæ, tanquam supremi Ecclesiæ Legislatoris & omni Lege Ecclesiastica superioris, *citt.* Sanchez *cap. 8. n. 5* & Molina *disp. 141. n. 9.* Concedi autem hæc facultas à Papa aliquando solet Religiosis evectis ad Episcopatum vel Cardinalatum, & beneficiatis degentibus extra claustrum: aut, si beneficium non habeant, necessaria alimenta habentibus aliunde, quàm ex Monasteriis, in quibus sunt professi, ut locis *citt.* tradunt Navarrus *n. 58.* & Sanchez *n. 60.* 28.

Pugnare cum hactenus dictis primô occursu videtur *c. Cùm ad monasterium 6. de Statu Monach* in cujus fine abdicatio Proprietatis ita esse annexa asseritur 29.

Regulæ

Regulæ Monachali; ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam concedere. At reipsa non pugnat; quia, ut omittam; quòd, sicut alibi non infrequenter, sic etiam hôc textu summi Pontificis nomine Episcopum denotari, existimet Mendoza apud Pontium *de Matrim. Lib. 7. cap. 10. n. 6.* ut, inquam, hoc omittam, *c. cit.* per abdicationem Proprietatis non dominii; cùm retentô istô verus Religiosus esse queat: sed liberi & à superiore independentis usûs abdicatio venit, ut *cit.* Doctor *n. 9.* & ex eo Barbosa *in c. cit. n. 11.* advertunt.

30. Dubium hîc est, an dicta de Testamento Professi ad Mortis causâ donationes extendantur. Extendi ad Codicillos, communis sensus est DD. quia, qui Jure testari, etiam codicillari non potest, *l. Divi 6. §. 3. ff. de Jure Codicill. ubi* Glossa ac DD. Unde idem de Mortis causâ donationibus, cum Navarro *de Donat. Consil. 6. n. 3.* & aliis existimat Rodriquez *Tom. 2. Regul. q. 47. art. 7.*

31. Sed crebriori & meliori calculô alii, licet testandi facultatem à Papa indultam ad ejusmodi donationem porrigi, facilè concedant, propter textum *l. Marcellus 15. ff. Qui test. fac. poss.* nihilominus prohibitione Testamenti Mortis causâ donationes non comprehendi; adeóque à superiore suo Ordinario, saltem aliquid moderatum, mortis causâ donandi facultatem concedi posse, cum Cyno *in Auth. Ingressi cit. q. ult. n. 14.* & Covarruvia *ad hanc Rubric. p. 3. n. 12.* probabiliùs defendit Sanchez *cit. cap. 8. n. 11.* partim; quòd hujusmodi donatio quoad sui productionem imitetur naturam, & sequatur Regulas contractuum & Donationis inter vivos, secundùm Clarum §. *Donatio, q. 5. n. 1.* cum licentia superioris Professo permissorum: partim vero; quòd ademptio juris concedendi facultatem testandi non sit extendenda; cum per eam adimatur privilegium Principis, latissimæ interpretationis patiens, *c. Cùm dilecti 6. de Donat. & l. Beneficium 3. ff. de Constit. Princip.*

Quartò testari prohibentur Clerici Beneficiati. Non quidem de bonis Patrimonialibus; de his enim *c. 1. & c. Quia nos 9.* sicut & de quasi Patrimonialibus, liberam testamenti factionem eis Jure communi non ademptam, communis est doctrina, *arg. cc. citt.* etsi enim quodammodo dici valeant acquisita intuitu Ecclesiæ, propriè tamen & principaliter intuitu personæ, tanquam stipendium propter præsentiam & ministerium Ecclesiasticum dantur & recipiuntur, Covarruvias *in c. Cùm in officiis 7. n. 4.* & *ibi* Barbosa *à n. 3.*

Sed de Beneficialibus, sive principaliter intuitu Ecclesiæ quæsitis & superfluis congruæ sustentationi: de quibus clerici non solùm inferiores, sed ipsi etiam Episcopi & cæteri Prælati testari prohibentur *cc. citt.* tam ad causas Pias, quàm ad Prophanas, ut clarè colligitur ex *c. Adhæc 8.*

Dubium hôc locô & controversia non levis est, an testamenti factio, Jure adempta, tribui valeat Consuetudine. Qua in re inter DD. convenit, eam, sicut acquiri nequit ab iis, qui testari prohibentur Naturâ, ob defectum usûs rationis, *arg. c. fin. de Consuet.* sic tribui Consuetudine posse prohibitis Lege, ut sunt prodigus, deportatus &c. uti & usurariis & excommunicatis ob hæresin, respectu quorum Testamenti factionis ademptio rationem habet pœnæ; quam Consuetudine tolli posse, à plerisque conceditur, cum Panormit. *in c. 1. de Treuga* & Sylvestro *V. Consuetudo p. 3. & 11.*

Dubium itaque solummodo procedit de

dit de Religiosis Professis & Clericis : quorum prioribus testandi facultatem Consuetudine competere posse, existimat Sanchez *cit. cap. 8. n. 62.* eâ ductus ratione ; quòd eis competere valeat Privilegiò Papæ : cui Consuetudo, saltem immemorialis, æquiparatur, *l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst. & c. Super 26. V. Præterea, de V. S.* Verùs tamen alii distinguunt : &, licet vim concedant Consuetudini, tollenti necessitatem licentiæ Apostolicæ, eam tamen negant tribuenti Professis liberam, hoc est, absque ulla cujusquam, etiam Ordinarii, superioris licentia testandi facultatem ; cùm propter textum & Glossam *in c. Quia 2. V. Ex Consuetudine, hîc* : tum verò ; quòd ejusmodi Consuetudo sit irrationabilis & corruptela ; cùm non tantùm damnosa sit Monasteriis, & diminuat studium Perfectionis : sed omnino repugnet statui Religionis & Paupertatis professioni : cui nihil magis, quàm ejusmodi de rebus temporalibus libera disponendi facultas adversatur, *c. Cùm ad monasterium cit.* Rodriquez *Tom. 1. Regul. q. 69. art. 2. & in c. Quia cit.* cum Hostiensi & Joan. Andr. *n. 2.* Fagnanus *n. 12.*

36. Posterioribus, sive Clericis de bonis Beneficialibus supersluis, ad Pias saltem causas, testandi jus competere posse vi Consuetudinis, communiter & rectè desumitur ex Rescripto Alexandri III. *c. Relatum 12.* disertè asserentis, non improbandam Consuetudinem, vi cujus de bonis mobilibus per Ecclesiam quæsitis pauperibus & Religiosis locis, & iis, qui viventi servierunt, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Unde à contrario infertur, improbandam Consuetudinem, vi cujus Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis testentur ad causas meræ prophanas.

Hujusmodi certè Consuetudinem cum Panormit. *in c. Cùm esses 10. n. 5.* & Navarro *de Redditibus q. 1. monitô 53.* tanquam invalidam impugnant Henric. Canisius *in c. 1. n. 18.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 147. n. 31.* Vasquez *de Redit. cap. 2. §. 1. n. 83.* Laiman *Lib. 4. Tract. 2. cap. & n. 3.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 42.* & alii, præter argumentum ex *c. Relatum cit.* deductum, moti gravissima ratione ; quòd clericis Testamenti factio, ad hujusmodi saltem causas, à sacris Canonibus interdicta sit ; ut congerendis opibus minùs intenti, & magis proni essent ad eleemosynas, & promovendas alias causas Pias : ut reditus superflui expenderentur in usus respondentes primæ intentioni Fundatorum, & statui Clericorum convenientes : ut, quòd *c. Cùm in officiis 7.* habetur, provideretur indemnitati Ecclesiarum &c. quæ procurandi studium, cùm Consuetudo, ad profanos usus testandi licentiam universaliter permittens, multùm diminuat, & penè extinguat : & contrà vana, & à clericali Ordine aliena studia excitet, pro irrationabili meritò habetur & corruptela, *arg. c. 1. de Consuet. & c. Unici, de Cleric. non resid. in 6.* Confirmatur ; quia ejusmodi consuetudo non leve damnum infert Ecclesiis, quæ beneficiatorum bonis aliò aversis, negliguntur : & parùm utilitatis affert hæredibus profanis, apud quos clericorum bona vix unquam solent fructificare, imò sæpe magna mala & clades domesticas familiis afferre, manifestô indicio Divinæ maledictionis. 37.

Contrà verò de ejusmodi bonis testandi licentiam Consuetudine acquiri posse, cum Covarruvia *in c. Cùm in Officiis cit. n. 9.* Sarmiento *de Redit. Eccles. p. 4. cap. 1. n. 8.* Garcia *de Benef. p. 2. cap. 1. n. 16.* Petr. Barbosa *in l. Divor.* 38.

tio, princip. ff. Soluto matr. p. 2. n. 53. Augustino Barbosa *Juris Eccles. Lib. 3. cap. 17. n. 68.* Gonzalez *in c. Relatum cit. n. 2.* & aliis ICT.is docent ex TT. Lessius *l. cit. cap. 19. n. 43.* Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 9. q. 1.* Haunoldus *l. cit. Tract. 6. n. 257. &c.*

Moventur etiam ipsi minimè levibus momentis rationum, Primò quidem paritate Consuetudinis, vi cujus beneficii vacantis fructus aliis, etiam Secularibus personis, applicantur, quæ *Extravag. 2. Joan. XXII. de Electione* non rejicitur. Secundò, quòd clerici de ejusmodi bonis testari prohibeantur Jure solùm Humanô: cui Consuetudo, legitimè præscripta, potest prævalere, *c. fin. de Consuetud.* Tertiò; quòd de iis ad causas profanas, sicut inter vivos, sic & per ultimam voluntatem disponere valeant vi privilegii Apostolici, non solùm particularis, sed communis, per modum Legis, perpetuis futuris temporibus duraturæ, clericis in Urbe, ejúsque districtu amplissimè concessi à Sixto IV. Julio III. & Paulo V. *Constitutionibus, Tit. 25. n. 30.* relatis. Cur non etiam vi Consuetudinis, præsertim immemorialis? quia hæc æquiparatur privilegio, *l. Hoc Jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst. & c. Super quibusdam 26. §. Præterea, de V. S.* & vim legis habet, *l. Diuturna 33. ff. de LL.* cùm circumstantiæ, quæ istam, etiam illam rationabilem reddere possint, Sylvester *V. Consuetudo, n. 2. in fine.* Quartò; quia defacto in Hispania Galliáque, teste Covarruvia *n. 7. cit.* & alicubi etiam in Germania nostra, teste *cit.* Pirrhing *n. 39.* obtinet ejusmodi Consuetudo, Papa sciente & non contradicente, ac proinde tacitè consentiente introducta, juxta *Reg. Qui tacet 43. in 6.*

39. In hoc Doctorum in utramque partem militantium dissidio non immeritò quis ambigat, an allegata de superfluis liberè testandi Consuetudo tam latè pateat, quàm ab aliquibus existimatur, partim; quia Consuetudinem, vi cujus Episcopi, iisque superiores Prælati de bonis, suarum Ecclesiarum intuitu quæsitis, sine Sedis Apostolicæ licentia liberè testentur, neque in Regnis & Provinciis, Regibus, Catholico & Christianissimo subjectis, neque in Germania nostra, vel Polonia, neque alibi introductam, ex posteriorís sententiæ Assertoribus agnoscit Azor *q. 1. cit.* partim; quia ex clericis inferioribus plurimi bona Beneficialia superflua non habent; & propterea ex eo; quòd ad causas profanas testentur, de Beneficialibus superfluis ad hujusmodi causas disponendi libera facultas non evincitur: illi verò, qui superflua habent & timoratæ Conscientiæ sunt, de iis, vel ad pias duntaxat causas, vel cum superiorum licentia disponunt.

Ea autem Consuetudine, ut allegatur, suppositâ, licet probabilem censeam & in praxi omnino suadeam sententiam priorem: posteriorem tamen, spectatâ tam ratione quàm authoritate, judico probabiliorem.

Neque ei adversatur ratio allata pro priore; quia imprimis argumentum à contrario ex *c. cit.* desumptum, etiam militat contra Consuetudinem ad causas Pias testandi de immobilibus: quam tamen ex ejus sententiæ Assertoribus plerique defendunt. Deinde; quia textus ille est Jus merè Humanum: cui derogari potest Consuetudine, per textus & DD. *in c. fin. cit. de Consuet. & l. De quibus 32. ff. de LL.* præsertim immemoriali: quæ generali, & dictione etiam universali facta Consuetudinis reprobationem sublata non censetur, nisi ejus expressa mentio fiat, Felinus *in Rubr. de Script. n.*

script. n. 18. saltem, si non reprobetur
43. tanquam irrationabilis aut iniqua, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 13. n. 15.* quò modò ea, de qua nobis sermo est, à Jure nusquam reprobatur: neque etiam reprobanda censeri debet propterea; quòd aliquando studium bona congerendi augeat, & piè expendendi diminuat; quia hoc per accidens aliquando fit: sicut contrà per accidens aliquando clerici sua prodigunt, aut negligunt; quòd de ipsis liberè disponere non possint. Tertiò; quia bona Beneficialia juxta intentionem fundatorum applicata hôc ipsô jam sunt; quòd clericis ad cultum Divinum ex Officio obligatis sint deputata. Et denique; quia damnum, quod ex ea Ecclesiæ patiuntur, non est injustum; cùm superflua ipsis non debeantur ex Justitia; &, si ita debita aliquando fuissent, Consuetudine præsertim immemoriali tempore præscriptâ, esse desiissent, *arg. §. Præterea & §. 4. citt.*

ARTICULUS III.

De Testamenti condendi ac mutandi Libertate.

SUMMARIUM.

42. *Testandi liber stylus & arbitrium est;*
43. *Ut quis neque à testamento faciendo mutandóve impediri,*
44. *Quin impediens hæreditate, fisco pro ipsius,*
45. *Non etiam cohæredum, portione applicandâ, excidat:*
46. *Neque etiam ad testamentum faciendum aut mutandum cogi possit.*
47. *Rescissioni obnoxium,*
48. *Imò verius ipso Jure irritum est testamentum vi metúve,*
49. *Aut dolô malô extortum.*
50. *Non etiam, si blando sermone, precibus &c. sit obtentum.*
51. *Vi, dolóve extortô testamentô relicta aliqui Fisco addicunt*
52. *Verius ab intestato venientibus &c. obveniunt.*
53. *Metu, dolóve extortum testamentum non præsumitur.*
54. *Sed probationibus, saltem præsumptivis, est evincendum.*

PErsonarum, quibus testamenti factio Jure adempta non est, liberas esse voluntates ac dispositiones ultimas voluit Constantinus 42
Imp. *l. 1. C. de SS. Eccles.* justissimâ ductus ratione; *Nihil enim*, inquit, *est, quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis, post quam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus & licitum* (*Liberum* legit Baldus apud Glossam *in l. cit. V. Licitum*) *quod non redit, arbitrium.* Consonat Imp. Justinianus *Novell. 22. cap. 2.* Ea autem testandi libertas exposcit duo, scilicet

Primò; ut, qui testamentifactionem Jure habet, non impediatur, quò 43
minùs supremæ voluntatis elogiô de rebus suis disponere, aut dispositionem semel factam mutare usque ad mortem possit, *l. Si quis 6. C. Qui test. fac. poss. & l. Omnium 19. C. de Testam.*

Quodsi quis, sperans hæreditatem 44
ab intestato sibi obventuram, aliquem, quò minùs testamentum condat: vel, cùm hæredem se scriptum sciret, quò minùs testamentum mutet, dolosè impediat vel prohibeat, indignum se reddit successione adeò; ut, si defuncto intestato solus erat successurus, tota hæreditas ei auferatur & applicetur fisco, *l.*

1. *pr. ff. Si quis aliq. test. prohib.* idémque sit, si plures defuncto intestato successuri, aut priori testamentô instituti omnes testatorem dolosè impediant; ne testamentum condere vel jam conditum mutare valeat; ab eis enim omnibus tanquam indignis ablatam hæreditatem fisco applicandam, liquet ex *cit. l.* 1. §. *fin.* & identitate rationis, ut observat Menoch. *de Arbitr. casu* 395. *n.* 22. Quod ipsum etiam statutum est in eum, qui prohibuit; ne testamentarius seu testamenti scriptor vel testes vocarentur, aut vocati convenirent, *l.* 1. *cit. & l. Si quis dolo* 2. *pr. ff. Rubr. cit.* cùm is, qui defuncto intestato aut ex priori testamento successurus est, si tale quid attentet, uti & is, qui impedit, ne quid ad testamenti valorem statutô loci vel consuetudine requisitum adhibeatur, defunctum testari aut testamentum mutare prohibere convincatur, Salicet. *in l.* 1. *C. Rubr. cit.* & Menochius *Casu cit. à n.* 36.

45. Dixi, *Ab eo vel iis, qui erant successuri*, non ab aliis, qui nihil egerunt; cùm unius vel plurium ab intestato vel ex priori testamento successurorum, defunctum dolosè impedientium factum aliis, qui nihil egerunt, non præjudicet vel noceat, quò minùs hæreditatis partem sibi obventuram consequantur, *l. Si quis cit.* §. 1. Quodsi persona omnino extranea, ne testamentum mutaret, defunctum prohibuit, id priori testamentô institutis hæredibus non nocet, sive priori ii, qui testatori intestato successuri erant, sive alii sint instituti, ut contra Menochium, id ad venientes ab intestato restringentem, indistinctè docet Barri *Lib.* 1. *de Success. test. & intest. tit.* 9. *n.* 11. cùm, quòd *l.* 1. *cit. & l. Unic. ff. Quibus non compet. bon. poss.* confiscatio solùm decernatur, quando testamentum mutari prohibuit institutus, ejúsve dominus aut pater; tum verò; quòd, cùm ipsius instituti mutationé prohibentis factum nec legatariis nec fideicommissariis universalibus noceat, *l. Marcellus* 3. §. *fin. ff. ad SC. Trebell.* etiam extranei dolosè prohibentis factum nocere non debeat indiscriminatim omnibus priori testamentô institutis. Unde hac in re generalis Regulæ instar statuitur, quandocunque fiscus hæreditatem auferet indignis, id de sola portione personæ indignæ exaudiendum, nec trahendum ad cohæredes aut alios, qui nihil egerunt, Boerius *Decis. 25. n.* 9. Barbosa *in l. Si ab hostibus* 10. §. *fin. ff. Soluto matrim. n.* 31. & Bruneman. *in l. Si quis cit. n.* 2.

Secundò eadem testandi libertas exposcit; ne quis invitus ad testamentum condendum hæredémque instituendum, ídve, quod jam condidit, mutandum vi metúve aut dolô compellatur, *l. fin. ff. l.* 1. *& l. fin. C. Si quis aliq. test. prohib.* Ubi

Dubium est primò, an testamentum, gravi metu incusso extortum, iritum sit. Et Jure quidem Naturali spectatô id subsistere, satis exploratum est; quòd metus etiam gravis non tollat libertatem, ad valorem actûs illo Jure requisitam; cùm coacta voluntas revera sit voluntas, *l. Si mulier* 21. §. 5. *ff. Quod met. causa gest.* quæ, cùm ad hæreditatis additionem sufficiat, §. *cit.* non est, cur non eadem sufficiat ad institutionem.

An autem Positivô Jure humanô irritatum sit, controversia ingens est inter Doctores; id enim Jure validum, & in integrum restitutionis auxiliô, & Actione *Quod metus causâ* propositâ rescindendum, cum Menochio *cit. casu* 395. *n.* 7. Peregrino *Lib.* 2. *de Jure Fisci. tit.* 6. *n.* 4. Fachineo *Lib.* 10. *Controvers. cap.* 15. Gaill. *Lib.* 2. *observat.* 117. *n.* 4. & aliis sustinent Zœsius *ad Rubr. ff. de Iis, quæ vi metúve caus. n.* 9. & Perez *in Rubr. C.*

Rubr. C. Si quis aliq. test. n. 1. Moventur; quòd coacta voluntas sit voluntas, §. 5. *cit.* metúmque passis in integrum restitutionis auxilium, illóque gestorum rescissionem Prætor polliceatur generaliter, *l. 1. ff. Quod met. caus. gest.* & in specie ei, qui metûs causâ adiit hæreditatem, illò succurrat & ab hæreditate abstinendi tribuat libertatem, §. *cit.* Cur non etiam metu extortum testamentum rescindendi? cùm læsio non minùs frequens ac præjudiciosa sit in hæredis institutione, quàm est in aditione hæreditatis.

48. Verisimiliùs tamen, testamenta extorta metu Jure irritata, cum Jasone *in l. 1. C. Rubr. cit.* defendunt Barri *de Testat. & intest. Lib. 1. tit. 9. n. 10.* & Vasquius *de Success. creat. Lib. 2. §. 17. n. 5.* quos novissimè secuti sunt Bruneman. *in l. 1. C. Si quis aliq. test. prohib. n. 5.* ex Universitatis nostræ Electoralis TT. Haunold. *Tom. 2. tract. 6. à n. 183.* & ex JCT. is Manzius *de Testam. tit. 3. à n. 17.* in eam rem allegantes *l. 1. C. de SS. Eccles. & l. Qui testamento 20. ff. Qui test. fac. poss.* quorum priori decedentibus res suas, cui volunt, relinquendi libertas ita stabilitur; ut hæredes habere possint, quos optant: cujusmodi sive optatus hæres non est, cujus institutio incussô testatori gravi metu extorta fuit: posterioris §. *fin.* vis & coactio à testamenti factione sic removetur; ut testamenti nullitatem inducat vis illata testibus, coactis ut interfint. Quantò magis, si illatâ sit testatori, coacto ad ingrati & non optati hæredis institutionem; cùm testandi libertas magis testatori, quàm testi illata vi minuatur. Rationem reddunt; quia testamenti factio creatura est Iuris Civilis, & ab hoc introducta favore decedentium: qui, seclusâ lege, pro eo tempore, quô tanquam rebus humanis jam exempti ullius rei dominium & jus non amplius habent, de rebus suis disponere non valerent, ut *n. 10.* est dictum. Jus autem sive lex Civilis testamento metu extorto non assistit; cùm ei solùm assistat, quando ipsius assistentia favorabilis & utilis est testatori, cui testamenti metu extorti valor minùs quàm nullitas favorabilis & utilis est; cùm, si id valeat, hæredem ingratum, scilicet testamentô coactô extortum: si autem irritum sit, ab intestato venientem, aut aliô liberè ac sponte antè conditô testamentô electum hæredem consequatur. Quare ne; quod ejus favore constitutum est, ad ejus læsionem inventum videatur, contra *l. Quod favore 6. C. de LL. & Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* illata vi ab invito testatore extortum testamentũ pro valido habendũ non est.

Confirmantur ista; quia testamentum pendere nequit à voluntate & arbitrio alieno, *l. Illa 32. ff. de Hæred. instit.* Ergo multò minus à voluntate hæredis, *l. Senatûs 43. §. 3. ff. de Legat. 3.* præsertim, sui institutionem gravi & injusto metu extorquentis ab invito.

Ex his facilè refelluntur allegata pro valore; quia imprimis coactâ voluntate volumus quidem, at non, quod nobis est gratum, optamus: testator autem gratum & optatum hæredem posse habere debet. Deinde; quia *l. 1. cit.* Prætor restitutionem pollicetur adversus id, *Quod gestum est:* quæ verba non pertinent ad hæredis institutionem & jus testandi, *l. Verba 20. ff. de V. S.* quando enim metum passus testator in integrum restituetur? cùm de testamenti rescissione primùm quærendum sit post ejus mortem, à cujus eventu perfectionem primùm sumit, *l. Omnium 19. C. de Testament.* Demum; quia ab aditione hæreditatis perperam arguitur ad institutionem; cùm illa inter vivos, ista morte perficiatur: illa rationem habeat contractûs, non etiam

testamentum *l. Verba cit.* ut mirum non sit, illam coactam subsistere, hoc corruere, quando metu extortum est ab invito.

49. Dubium est secundò de valore testamenti, ad quod testator inductus est falsis suggestionibus & dolosis persuasionibus, vg. proximiorem ab intestato venientem, jam mortuum, testatorem gravi injuria affecisse, ejus hæreditatem contemnere vel non appetere, improbè mentiendò. Quale testamentum perinde, ut quod metu extortum est, esse invalidum, cum Jasone *in l. fin. C. Si quis aliq. test.* docent Barri *Lib. 1. de succes. test. & intest. tit. 9. n. 13. citt.* Haunold. *tract. 6. n. 192.* & Bruneman *in l. fin. ff. Rubr. cit. n. 8. arg. l. fin. cit.* ibi, *Qui non per vim nec dolum.* Ratio est; quòd hujusmodi suggestiones, mendacia, dolíque voluntarium aliquando omnino tollant: plerumque multùm minuant; ut propterea conveniens fuerit, iis obtentas institutiones, perinde ut metu extortas, irritari.

50. Aliud esset, si offensus aut aversus testator blando sermone placatus, vel officiis, suasionibus, precibus, lacrymis & similibus illecebris, cum importunitate, violentia, dolóue non conjunctis, ad institutionem inductus fuisset; cùm enim ista testandi libertatem nec tollant nec minuant, ejusmodi lenociniis sine importunitate, mendaciis, calumniis obtentæ institutiones pro validis habentur *l. fin. cit. ubi* Bruneman. *n. 1. & 2. citt.* Peregrin. *n. 26.* & Gaill. *Observat. 117. n. 4.*

51. Dubium tertiò est, an testamentò metu dolóve extortò relicta hæreditas Fisco deferatur: quod cum Bartolo *in l. fin. ff. Rubr. cit. n. 1. citt.* Peregrin. *n. 8. & 18.* & Menochio *n. 5.* vult Sententia communis, testamenti vi dolóve obtenti valorem supponens, contra præcedentes duas Resolutiones.

52. Sed his inhærendum, & cum Jasone *in l. 1. cit. n. 3.* Vasquio *cit. §. 17. n. 5.* Barri *cit. tit. 9. n. 10.* & Bruneman *in l. 1. cit. n. 5.* ullus hoc casu locus Fisco relinquendus non est; quòd, cùm testamenta, quæ quis non sponte, sed metu coactus dolóve deceptus facit, ipso Jure non subsistant, admittendi sint hæredes ab intestato venientes: quos insontes scelerato alterius factô gravari, iniquum videtur. Cui Opinioni aliquid roboris inde accedit; quòd in dubiis quæstionibus, præsertim de caducis, respondendum ac pronuntiandum sit contra Fiscum, *l. 1. C. Theodos. de Advocat. Fisci.* 54.

Neque patrocinium hac in re Fisco præstant *l. 1. ff. & l. 1. C. Rubr. cit.* quia prior, licet apertè locum faciat Fisco, ipsius tamen commodô actiones hæreditarias solùm denegat ei, qui hæreditatem captans defunctum testari vel testamentum mutare prohibuit: ejus autem, qui defunctum testari compulit ullam mentionem non facit: posterior verò de illo quidem expresè loquitur, sed in ejus criminis pœnam hæreditatem Fisco non adjudicat, imò hujus ne verbô quidem meminit; ut adeò neutra lex obstet, quò minùs testamentis, quæ gravi metu diríve & importunis sollicitationibus, mendaciis dolosísve persuasionibus aliis a defuncto extorta sunt, penitus evacuatis ad successionem hæreditariam ab intestato venientes, vel priori testamentò scripti hæredes admittantur, & Fisco præferantur.

Dubium est quartò, de metus dolíque probatione; cum enim vis, coactio & dolus delicta sint, & in dubio non præsumantur, *l. Metum 9. C. de His, qua met. caus. l. Dolum 6. C. de Dolo & l. Adversùs 51. ff. Pro socio,* ei, qui testatorem coactum dolóve deceptum allegat, coactionem violentam importunásque sollicitationes, calumniosas suggestiones & dolos

losas machinationes alias interveniſſe, probandi onus incumbit, Mantica *Lib. 2. de Conjectur. ult. volunt. tit. 7. à n. 1.* Menoch. *Lib. 4. præſumpt. 10. & 11. utrobique n. 1.* & Barri *cit. tit. 9. n. 12.* Quoniam verò metûs doliique probatio difficilis plerumque eſt, cùm ex illis teſtamentum impugnatur, deficientibus probationibus aliis, præſumptiones & conjecturæ, ex circumſtantiis deſumptæ, in legitimæ probationis vim admittuntur.

54. Et metu quidem teſtamentum hæredisve inſtitutio extorta præſumitur, ſi probetur, ſtatim à teſtamento condito teſtatorem aſſeruiſſe, invitum ſe comminationibus, importunis duriſque ſollicitationibus inſtituti, aut alterius cujusdam ad illam adactum, malléque ſe id mutare, ſi bonâ inſtituti aut alterius cujusdam ei faventis pace id fieri poſſit: ſi conſtet vel probetur, teſtatorem graviter ægrotantem moleſtis ſuaſionibus aut nimiâ reverentiâ ad teſtamentum conficiendum inductum: ſi teſtamento inſertæ ſint clauſulæ & proteſtationes inſolitæ, de eo ſponte & non metu confecto: ſi teſtamentum confectum ſit ab incarcerato aut aliter detento causâ teſtamenti condendi, vel illô inſtitutus ſit is, à quo teſtator ita detentus, aut ejus detentor hujusmodi actus ac diſpoſitiones minis aut violentis compulſionibus ſolitus ſit procurare, *cit.* Menoch. *præſ. 11. à n. 7.* & Barri *n. 12.*

Dolô autem teſtator ad inſtitutionem inductus, ceſſantibus aliis probationibus, præſumitur ex inſolitis circumſtantiis confecti teſtamenti, vg. ſi inſtitutus vel, qui eum inſtitui voluit, Notarium & teſtes convocavit, aliáque præparavit, antequam ſciret, teſtatorem velle condere teſtamentum: ſi teſtamentum confectum eſt in loco obſcuro vel tempore nocturno ſine lumine, ad teſtatoris vel teſtium perſonas diſcernendas ſufficiente, præſertim ſi hæc, inſtitutô vel ejus fautore procurante, ita facta eſſent: ſi, nullâ juſtâ causâ exiſtente, filio prælata eſt filia, aut filius novercæ natu minor majori, ex alia matre defuncta procreato; id enim filiæ inſtitutæ dolô, aut fallaciis ac ſuaſionibus novercæ factum, præſumitur, *l. Non eſt 4. ff. de Inoffi. teſtam. &c. cit.* Menoch. *Præſ. 12. à n. 3.*

ARTICULUS IV.

De Teſtamento Solenni.

SUMMARIUM.

55. Teſtamentum Veteri triplex:
56. Novo Jure duplex, Solenne aut minùs ſolenne,
57. Et utrumque vel Scriptum, vel Nuncupativum eſt.
58. Solenne Scriptum exigit ſeptem teſtes idoneos, ſimul præſentes &c.
59. Non admittit Servum, Impuberem, Fœminam, Furioſum, Prodigum,
60. Surdum, Mutum, Cæcum, teſtatoris Hæredem, utriusque Domeſticum,
61. Et quemcunque lege Inteſtabilem.
62. Totidem teſtes idoneos &c. exigit Solenne Nuncupativum.
63. Teſtium numero derogatum eſt Jure Canonico,
64. Quod DD. aliqui ubique & in omni Foro:
65. Meliùs alii in territorio Temporali Papæ:
66. In Imperio autem Legales ſolennitates obſervari, volunt,
67. Etiam à Clericis, de patrimonio ſuo teſtantibus.

68. Jure

68. *Jure Canonico non omnes Solennitates sublatæ,*
69. *Sed solus Testium numerus est restrictus.*
70. *Varii sensus DD. de obligatione Solennitatum:*
71. *Quæ ad valorem in Foro animæ exigi potuerunt.*
72. *Iis destitutô testamentô relicta adjudicanda sunt hæredibus legitimis,*
73. *Et ab his salvâ conscientiâ capi possunt:*
74. *Etiamsi, defuncti aliam mentem fuisse, sciant.*
75. *Retinere tamen bona hæreditaria aliquando Scriptus hæres potest:*
76. *Donec ea Legitimo adjudicentur.*

55. TEstamentum veteri Civili Jure triplex erat: & vel Pacis tempore Calatis comitiis, sive coram universo populo in comitia coacto: vel in Procinctu sive à viris ad prælium exituris hæredem, nuncupantibus coram commilitonibus suis: vel per Æs & Libram sive imaginariam quandam venditionem, adhibitô libripende & familiæ emptore conficiebatur, §. 1. *Instit. de Testam. ordin.*

56. Novô hodiéque obsérvandô Jure duplex, aliud Solenne & aliud minùs Solenne est. Testamentum Solenne sive Perfectum est, quô Jure communi præscriptæ solennitates omnes adhibentur: Minùs Solenne, quod, licet nullas vel non omnes Juris illius solennitates habeat, ex privilegio tamen seu favore Juris valet; ideóque Privilegiatum vocari solet. Quoniam verò tam Solenne, quàm minùs Solenne testamentum aliquando scripturæ, & aliquando vivæ vocis adminiculô perficitur, §. *fin. Instit. de Test. ord. & l. Hæredes* 21. *pr. ff. Qui test. fac. poss.* utrumque ulterius in Scriptum & Nuncupativum dividitur, Manzius *de Testam. Tit.* 1. *n.* 29. *& 30.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 2.

Testamentum Solenne Scriptum, quòd §. quia testator eô contentum supremæ voluntatis suæ elogium testes & tabellionem latere vult, etiam Clausum vocari solet, est Ultima voluntas, ab ipso testatore vel ejus jussu ab alio conscripta: quam ille coram septem idoneis, ad id rogatis sive invitatis, simul præsentibus eámque videntibus testibus exhibet, & suam Voluntatem Ultimam esse profitetur: eámque statim ipse, vel ipsius locô assibitus testis octavus, & reliqui septem testes, nullô extraneô sive ab instituto negotio alienô actu interpositô, manu propriâ subscribunt, eíque sigillum apponunt, §. *Sed cum 3. Instit. de Test. ord. l. Hæredes* 21. *&c. ff. Qui test. fac. poss. l. Hac consultissima* 21. *& l. Cùm antiquitas* 28. §. 1. *C. de Testament.*

Idoneus autem testis ut sit, esse debet §. Primò, homo Liber, §. *Testes 6. Instit. ibid. & l. Hâc consultissimâ cit.* quia servi Juris Civilis communionem non habent, *l. Qui testamento* 20. §. 7. *ff. Qui test. fac.* Secundò, Mas & Pubes, *l. cit. pr. & §. 6. & §. Testes cit.* non fœmina & impubes; ob fragilitatem sexûs vel ætatis ac judicii infirmitatem. Tertiò, Sanæ mentis; ob cujus defectum idoneus testis non est mente captus & furiosus, extra furoris remissi sive dilucidi intervalli tempus, *l. Qui testamento cit.* Imò & prodigus, §. *Testes cit.* quòd à furioso non multùm distet, & in Jure eâdem ferè, qua iste, conditione censeatur, *l.* 1. *ff. de Curat. furios. & l. His qui* 12. §. 2. *ff. de Tutor. & curat. dat.* Quartò, non Mutus, Surdus, §. *Testes cit.* aut Cœcus, *arg. l. Si non speciali 9. C. de Testament.* quòd hujusmodi corporis vitiô laborans, vel testatorem non videre; vel ea, quæ dicuntur exaudire

exaudire ac intelligere: vel auditorum rationem reddere non possit. Quintò, qui hæres institui & legatum capere ex testamento non potest, §. *Testes cit.* junctâ Glossâ *V. Factio*: non tamen ipse hæres eò testamentò institutus, §. *Sed neque* 10. etsi testes adhiberi valeant legatarii, §. *Legatariis* 11. *Instit. de Test. ord.* quòd his licet emolumentum aliquod percipiant, principaliter tamen testes sint negotii, concernentis commodum hæredis: &, si ipsi quoque testes esse non possent, ultimæ voluntates non rarò corruerent ex testium defectu, Mynsinger *in* §. *cit. n.* 4. & Manzius *n.* 9. & 16. Clerici etiam & Religiosi adhiberi possunt in testamento, quò Ecclesia sua vel Monasterium hæres instituitur; quòd causa Ecclesiæ, vel Monasterii non sit causa clericorum vel monachorum singulorum, Glossa *in can.* 1. *V. Stephani*, 14. *q.* 2. & Farinacius *Prax. Criminal. q.* 61. *n.* 126. Sextò, non Domesticus ipsius testatoris vel hæredis; ut filius in patris, iste in filii, frater in fratris, qui in ejusdem patris potestate est, testamento, adhiberi nequeant, §. *Sed neque* 61. *cit.* Demum idonei testes non sunt quicunque lege Intestabiles esse jussi, sive quibus propter insignem morum improbitatem testimonii fides ipsâ lege est abrogata & adempta: ut sunt ob carmen famosum vel aliud crimen publicò & privatò etiam judiciò damnati, si damnationem infamia sequatur; quòd cùm tales ad testimonium dicendum in judicio non admittantur, multò magis in testamento adhiberi non permittantur, Harprecht *in* §. *Testes cit. n.* 28. & Manzius *de Testam. Tit. 5. à n.* 25.

62. Nuncupativum Solenne Testamentum est, in quo testator coram septem ejusmodi & rogatis testibus hæredem nominat &, quid post mortem suam fieri velit, palam & articulatâ seu distinctâ voce declarat, §. *fin. Instit. de Test. Ord. & l. Hâc consultissimâ cit.* §. 2. Ad quod Testamentum, ne testibus, à quorum fide totum pendet, procul absentibus aut mortuis corruat, adhiberi hodie solet Notarius publicus, à quo ultimæ voluntatis coram testibus facta declaratio redigatur in scripturam: quæ tamen ad hujus Testamenti substantiam minimè pertinet, sed ad faciliorem ejus probationem solummodo adhibetur, Vinnius *ad* §. *fin. cit. n.* 3. Ex his

Dubium oritur primò, an enumeratæ solennitates ad Testamentum requirantur, etiam de Jure Canonico. Ratio dubitandi oritur ex Rescripto Alexandri III. *c. Cùm esses* 10. relati, & pro validis habentis Testamenta, *Quæ Parochiani coram presbytero suo & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate*: & Consuetudinem, ad valorem Testamenti septem vel quinque testes exigentem, reprobantis, tanquam alienam à Consuetudine Ecclesiæ generali, à SS. PP. institutis & ab ipsa lege Divina: secundùm quam *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, Deuteron. *cap.* 19. *V.* 15. & Matth. *cap.* 18. *V.* 16. Qua ratione ducti Fagnanus *in c. cit.* 64. *n.* 2. & 40. & Eminentiss. Card. Sfondratus *de Lege in præsumpt. fund. p.* 2. §. 1. *n.* 4. cum Archidiacono *in can. Placuit.* 2. *q.* 5. Hostiensi *in c. Cùm esses cit. n.* 4. Panormit. *in c. cit. Repet. n.* 17. Speculat. *de Instrument. edit.* §. 12. *n.* 11. & aliis à Joan. Andr. *in c. cit. n.* 2. relatis, ab Alexandro correctum ajunt Jus Civile; ac proinde etiam extra territorium temporale Papæ in Christiani Orbis provinciis omnibus & curiis etiam Secularibus pro validis habenda contendunt Testamenta, prædictò testium numerò & cæteris solennitatibus destituta: dummodo coram parocho & duobus vel tribus testibus sint 63.

facta. Quam rationem ac Sententiam suam Interpp. ac DD. citt. geminâ & utraque validâ ratione firmant.

Una est; quòd Leges Testamentariæ, testium septenarium ad testamenti valorem exigentes, foveant ac nutriant peccatum; cùm ultimæ voluntatis executionem impediant etiam, quando de ea duorum omni exceptione majorum & ipsius parochi testimoniô, aut aliunde certò constat, contra *can. Ultima, 13. q. 2. & l. 1. C. de SS. Eccles.* Quibus textibus insuper habitis, ejusmodi Voluntatis Ultimæ executionem secundùm leges Civiles impediens, si non graviter peccaret, in eum decerni *c. Cùm esses cit.* non potuisset Excommunicationis, omnium quas Ecclesia habet, gravissima pœna, *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis:* quando autem Leges Civiles peccatum nutriunt, eis contrariæ sanctiones Canonicæ, etiam extra territorium temporale Papæ & in Foro seculari sint observandæ, *arg. c. Sæpe 18. de Restitut. spoliat. & c. fin. de Præscript.* Cùm enim ratione peccati omnis anima judicio Apostolico subjecta sit, *can. Si Imperator 11. dist. 96. & c. Novit 13. de Judiciis &c.* de rebus peccatum & animarum periculum concernentibus aliquid statuere Ecclesiasticæ potiùs, quàm Imperialis est potestatis: &, cùm circa ejusmodi res sacri Canones à legibus Civilibus divertunt, hæ ab illis corriguntur & abrogantur, *can. Certum 6. can. Constitutiones 7. dist. 10.* Panormit. *in c. 1. de Novi Op. nunt. n. 5.* Laiman *Lib. 1. Tract. 4. cap. & n. 8.* & Pirrhing *ad Rubr. de Constit. n. 69.*

Altera; quòd *c. Cùm esses cit.* dispositionem Apostolicam ad territorium temporale Papæ non restringat ejus tenor: & restringendam non evincatur ex eo; quòd contineat Rescriptum ad Hostiensem, ejus territorii Episcopum: atque insuper, tanquam Juris correctoria & odiosa, extensionis ad reliquas Christiani Orbis provincias patiens non esse videatur, *arg. c. Cùm non expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 31. in fine C. de Appellat.* partim; quia, cùm ea ad promovendam supremarum Voluntatum executionem, & peccata, ut dictum, removenda tendat, perinde, *ut c. Sæpe 18. de Restitut. Spoliat. & c. fin. de Præscript.* & cæteræ Constitutiones animarum periculis obviantes, non odiosa, sed favorabilis est, & admittit extensionem, ut cum Franco *in c. Sciant 12. de Elect. in 6.* advertit Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 33. n. 5.* partim; quia eô ipsô; quòd *c. Cùm esses cit.* relatum Alexandri III. Rescriptum Juris communis Corpori à Gregorio IX. insertum sit, non alicujus Particularis duntaxat, sed Universalis Ecclesiæ Jus erit: sicut VV. Impp. Rescripta directa ad personas privatas, Juris Imperialis authoritatem obtinuerunt ipsâ in Codicem, toti Populo Romano propositum, insertione factâ ab Imp. Justiniano, *l. 1. ff. de Constit. Princip. & l. Unica C. de Vet. Jur. Enucl.* Mendo *Lib. 1. de Jure dicend. q. 28. n. 420.* & Gonzalez *in Proem. Decretal. n. 50. & 54.*

Sed meliùs *c. Cùm esses cit.* dispositionem ultra territorium temporale Ecclesiæ Romanæ non porrigi; atque adeò circo eam in isto: in terris autem Imperii Civili Jure proditas solennitates hodie quoque retinendas, hisque destituta & speciali Juris favore non suffulta testamenta pro irritis habenda, cum Glossa *in c. cit. V. Improbamus* Joan. Andr. *ibid. n. 4.* Boërio *decis. 393. n. 2.* & Claro *§. Testamentum q. 57. n. 3.* meritò defendunt Covarruvias *in c. cit. n. 3.* Menochius *Lib. 1. præsumpt. 80. n. 21.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 133. n. 4. & 5.* Barbosa *in c. cit. n. 2.* ex Universitatis nostræ

nostræ Antecessoribus JCT. is Canisius *in c. cit. n. 7. cit.* Manzius *Tit. 4. n. 6.* & ex TT. Haunold. *Tom. 2. de J. & J. tract. 6. n. 7.* Ratio prioris sive, quòd *c. cit.* dispositio in territorio Ecclesiæ observanda sit, ea est; quòd in territorio hoc Papa, tanquam Princeps superiorem in eo etiam in temporalibus non recognoscens, obtineat supremam & legislativam potestatem, etiam temporalem: vi cujus pro eo leges, statum quoque Politicum concernentes condere, conditas abrogare eisve derogare non minùs potest, quàm in reliquo Imperio Romano Imperator. Posterioris verò, sive de retinendis in Imperio solennitatibus Legalibus; quia testamentifactio, saltem ad prophanas causas, creatura est Juris Civilis; quia originem ducit ex Lege XII. Tabularum, *l. Verbis 20. ff. de V. S.* Cùm ergo in terris Imperii observandum sit Jus Civile, *c. Cùm esses cit.* dispositione non obstante, in terris illis saltem à laicis, ad causas prophanas testantibus, retinenda erit Jure illo prodita forma seu modus conficiendi testamenta. Confirmatur ratio hæc; quia ex una, summus Pontifex leges Civiles, negotiis seu actibus merè prophanis formam præscribentes & peccatum non fo. 66. ventes, corrigere non potest, ut *arg. can. Verum 6. can. Duo 10. dist. 96. c. Novit 13. de Judiciis & c. Causam 7. Qui filii legit*, hac in re aliàs dissentientis Panorm. *in c. Cùm esses cit. n. 7.* & aliorum magni nominis Interpp. ac DD. communis Sententia est. Ex altera verò parte, testamentum spectans causam merè prophanam, est negotium sive actus merè temporalis: pro eóque legibus Civilibus præscriptæ solennitates peccatum non continent, nec fovent: imò ad peccata diminuenda tendunt, occurrendò hominum malitiis ac fraudibus, quibus morientium voluntates ultimæ sunt subjectæ, *l. fin.* ibi, *Ne quid falsitatis incurrat*, *C. de Fideicommiss. & §. Sed hu 4. Instit. de Testam. Ord.* Quare in Imperio testamenta solennitatibus destituta, & speciali Juris privilegiò non munita hodie quoque pro irritis rectè habentur.

Neque in contrarium facit dubitandi ratio prior; quia testium septenarium ad testamentum exigens Consuetudo *c. Cùm esses cit.* à lege Divina &c. aliena dicitur, non quòd contra: sed, sicut ipsæ leges Testamentariæ, præter eam legem sit introducta; cùm lex Divina exigens testes duos vel tres, certis casibus plures exigi non vetet, *arg. c. Licet 23. in fine de Test. & attest.* quò textu idē Alexander III. disertè ait, esse quasdam causas, plures, quàm duos testes exigentes. Et qua ratione, si plures exigi Divina lex vetaret, ad S. R. E. Clerici septem ad Cardinalis Diaconi viginti septem, ad Presbyteri quadraginta quatuor, & ad Episcopi condemnationem septuaginta duo testes exigerentur? *can. Præsul. 2. q. 4.* Quomodo à Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.* ad conjugii, & *c. Cùm esses cit.* ab ipso Alexandro ad Testamenti valorem, præter parochum testem Qualificatum, duæ vel tres aliæ personæ, itáque tres vel quatuor testes requiri potuissent?

Non majorem vim habet altera, partim; quia leges Testamentariæ non impediunt executionem ultimæ Voluntatis justæ: sed malitiosas duntaxat illius subversiones excludunt; cùm in terris Imperii ultima voluntas justa ea tantùm sit, quæ illis legibus est conformis: licet in locis temporali Papæ dominio subjectis justa, secundùm *c. Cùm esses cit.* ordinationem, etiam sit, quæ contra illas coram parocho & duabus vel tribus aliis personis idoneis est confecta. Unde in eos, qui hanc rescindere conantur, salubriter decreta est excommunicatio: etsi

sacrum hoc fulmen timendum non sit iis, qui in reliquis Imperii provinciis impediunt executionem supremæ voluntatis, coram paucioribus, quàm septem testibus expressæ; cùm illi, non etiam isti delinquant, Covarruvias *in c. cit. n. 12.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 133. n. 9.* partim verò; quia *c. cit.* dispositionem, etsi communis Juris corpore clausa sit, ad Ecclesiæ Romanæ territorium, temporale restringendam, desumitur non solùm ex ejus inscriptione: sed multò magis ex subjecta materia, & contra ejus extensionem allata ratione: cui simile, etiam *c. 1. de Locato* & quædam alia Rescripta Apostolica, Decretalibus inserta, localia duntaxat esse, *in c. 1. cit.* persuasit Joan. Andr. & Gonzalez *n. 5.*

67. Dubium secundò est, an dictæ solennitates in terris Imperii etiam requirantur ad testamenta Clericorum, de bonis suis patrimonialibus disponentium ad causas prophanas. Quod cum Panorm. *in Repet. c. Ecclesia 10. de Constitut. n. 45.* affirmant Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 133. n. 8.* & Laiman *in c. cit. n. 15.* secuti Praxin quarundam Imperii provinciarum, in quibus ejusmodi ultimas Voluntates Clericorum secundùm Jus Cæsareum regulari asserunt; licet in pluribus locis vi consuetudinis aut statutorum Municipalium, quæ hac in re præcipuè attendenda sunt, testium numerum restringi: imò Viennæ in Austria & Venetiis ad testamenta prophana, tam laicorum quàm clericorum, duos testes sufficere, *cit.* Laiman testetur *Lib. 3. tract. 54. cap. 2. n. 18.* Seclusis autem consuetudinibus & statutis particularibus solennitates Jure Imperiali requisitas etiam in Clericorum, de patrimonialibus bonis disponentium, testamentis servandas, suadet ratio; cùm enim clerici in communi vitæ societate viventes sint cives ac membra Reipublicæ, æquum est; ut in rebus suâ naturâ Politicis ejus leges Clericali statui non repugnantes, etiam ipsi observent, juxta dicta *ad Rubric. de Constitut. n. 117.* turpis enim omnis pars est suo universo non congruens, ex pronuntiato S. Augustini *Confess. Lib. 3. cap. 8.*

Dubium tertiò est, an *c. Cùm esset q. cit.* legibus Civilibus in temporali Ecclesiæ territorio derogatum sit, quoad solum testium numerum, vel etiam quoad qualitates & alias solennitates; illis enim etiquoad has derogatum, aliqui volunt; quod Barbosam *in c. cit. n. 7. in fine*; ut adeò in territorio illo ad testamentum testes etiam non rogati sufficiant, itque non ad substantiam, sed ad probationem duntaxat necessarii sint. Rationem reddunt partim; quòd textûs illius dispositio intendatur in Jure Naturali, Divino & Gentium: quibus spectatis etiam fœminæ & masculi non rogati, & sine subscriptione testes esse possunt: & hi ad testamenti probationem duntaxat, non ad ipsam ejus substantiam & valorem exiguntur: partim verò; quòd textu illô nulla mentio fiat qualitatis aut requisitionis testium: &, cùm dicitur, coram parocho & duobus testibus facta testamenta firma esse debere, solis duobus sine parocho, aut illo cum uno solùm teste præsente facta, infirma esse, non exprimatur

Sed verisimiliùs Clarus §. *Testamentum cit. q. 55. n. 3.* Grassus §. *Testamentum q. 57. n. 3.* Zoësius *in ff. Qui testam. fac. poss. n. 47.* & in *c. Cùm esset cit.* Covarruvias *n. 14.* Barbosa *n. 7. cit.* Fagnanus *n. 18. 24. & 36.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 12.* legibus Civilibus quoad solum numerum derogatum; atque idcirco in territorio Papæ præter parochum requisitos duos testes idoneos, hoc est masculos, puberes, &c, & ad id rogatos ad Testamenti substantiam exigi, ea ratione

tione defendunt; quòd divortium à Jure Civili, istiúsque correctio statuenda non sit, nisi sacris Canonibus sit expressa: & in dubio hi cum illo conciliandi, *arg. can. Si in adjutorium 7. dist.* 10. *& c. 1. de Novi oper. nunt.* Textus autem *c. Cùm esses cit.* à legibus Civilibus expressè quoad solum testium numerum recedat.

Confirmatur hæc ratio & Opinio; quia imprimis *c. cit.* expressè pro testibus exiguntur *Personæ idoneæ*, manifestò indiciò, quoad eorum qualitatem nihil mutatum, adeóque fœminam, impuberem &c. non sufficere. Dein; quia, cùm eò dicitur, *Coram presbytero suo*, hoc est, proprio parocho, & tribus vel duabus aliis personis idoneis factum, firmum esse, argumentò à contrario ductò coram duabus hujusmodi personis sine, vel coram non suo, sed alieno presbytero, aut ejus locò coram alio quantæcunque authoritatis viro factum, non subsistere, rectè infertur, præsertim ad odiosam Jurium correctionem evitandam, *arg. c. Cùm expediat 29. & l. Præcipimus cit.* Demum, præter parochum proprium duos alios testes ad substantiam & valorem testamenti exigi, docet Praxis ambigui Juris optima Interpres: quâ sublâ, non Jure spectatò, parochum per duos testes suppleri posse, cum Claro *cit. q. 57. n. 3.* alii monent. Atque ex his corruunt rationes in contrarium allatæ.

Neque tamen ex iis inferes, in territorio temporali Papæ parochum de bonis suis patrimonialibus validè testari non posse ad causas prophanas; quòd proprium parochum, ad hujusmodi testamenti valorem requisitum, non habeat; quia nihilominus testari potest vel solemniter, vel juxta *c. Cùm esses cit.* coram Decano aut Episcopo aut istius Vicario, vel locò parochi adhibendò alios duos testes: quod non vanè conjici & divinari satis docet Consuetudo, quæ, sicut dubiam interpretatur, sic non existentis legis vices supplet, *can. Consuetudo 5. dist. 1. & l. De quibus 32. ff. de LL.*

Dubium quartò & ingens controversia est, an dictæ solennitates in terris Imperii ad testamenti valorem exigantur etiã in foro Conscientiæ; ut istò sine illis institutus hæres aut legatarius hæreditatem vel legatum non petere vel retinere: & contrà hæres ab intestato veniens ea petere ac retinere valeat: quantumvis hæreditatem aut legatum à testatore hæredi aut legatario scripto vel nuncupato destinatum, certò sciat. In re perquàm difficili 70.

Convenit inter DD. solennitates ita exigi legibus potuisse, ut illis destitutũ & non privilegiatum testamentum nullum esset in Foro utroque; sicut, tam in interno Conscientiæ, quàm in externo Foro nullum est matrimonium, quòd aliter quàm coram proprio parocho & duobus vel tribus testibus aliis est contractum, secundùm Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Ref. matrim.* cùm enim ipsa testamentifactio adimi legibus valeat, à fortiori his omnino invalida reddi potuerunt testamenta, solennitatibus destituta. 71.

Eadem defacto ita irritata, affirmant Panormit. *in Repet. c. Cùm esses cit. n. 8. & 15.* Covarruvias *in c. cit. à n. 12.* Azor *p. 3. Instit. lib. 6. cap. 9. q. 1.* Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 80. n. 28.* Arnold. Rath *de Testament. à n. 92.* & Haunold. *cit. Tract. 6. n. 30.* Negant autem Clarus §. *cit. q. 90. n. 1.* Fachineus *Controvers. Lib. 4. cap. 5* Molina *cit. Tract. 2. disp. 81. n. 16.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 19. à n. 13.* & Zœsius *in ff. Qui testam. fac. poss. n. 43.* Inter quos mediam & in praxi cæteris expeditiorem viam incedunt Sotus *Lib. 4.*

de Justitia q. 5. art. cit. Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 17. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 16.* Quibuscum

72. Censeo primò, in Foro externo ejusmodi testamentum habendum pro nullo; ac proinde à judice hæreditatem adjudicandam hæredibus ab intestato venientibus, hósque à legatis prophanis liberos pronuntiandos. Ratio est; quia judex secundùm leges pronuntiare debet, *can. In istis 3. dist. 4. & l. Nemo 13. C. de Sent. & interlocut.* Leges autem, imperfectum & minùs solenne testamentum non tenere, & pro nullo, hoc est, omni vi & effectu destituto, & pro infecto, hoc est, perinde acsi non extitisset, habendum, decernunt §. *Ex eo 7. in fine Instit. Quib. mod. test. infirm.* ibi, *Nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est*, & *l. Hâc consultissimâ cit.* quâ Imperator post recensitas solennitates, *Non scriptum*, inquit, *à testibus ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit:* ac subdit, *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti (nisi inter solos liberos &c.) non volumus.* Unde

73. Censeo secundò, etiam in Foro Conscientiæ hæredem ab intestato venientem hæreditatem relinquere, aut restituere, vel legata prophana solvere hæredi aut legatariis scriptis aut nuncupatis, non teneri. Ratio est; quia, qui in Foro externo justæ ac receptæ legis beneficiò se tueri valet, quò minùs solvat, is neque in interno, sive Conscientiæ, Foro solvere ex Justitia tenetur: Quod generalis Regulæ instar tradit *cit.* Laiman *n. 3.* Cùm ergo, juxta ante dicta, hæredi ab intestato in Foro externo hæreditas, sine ejusmodi legata solvendi obligatione, adjudicetur secundùm leges Civiles, quas esse justas, uno ore omnes fatentur, is hanc relinquere vel restituere, aut legata prophana præstare in conscientia non tenetur.

Neque hanc doctrinam infringunt *l. Etsi inutiliter 2. l. Quæstionem 32. C.* & *§. fin. Instit. de Fideicommiss. hæred.* secundùm quos textus, si testator neque quinque testibus, neque scriptura adhibitâ, cum hærede præsente egerit, ut fideicommissum universale vel particulare Titio restituat: & hæres præstandam fidem adimplere recuset, negando aliquid sibi ita relictum, tali casu, fideicommissario exigente, hæredi jusjurandum super hoc subeundum: vel, si jurare recuset, fideicommissum præstandum est; quòd ita, etiam sine scriptura & quinque testibus ad fideicommissum requisitis, *l. fin. C. de Codicil.* de voluntate constet. Non, inquam, hi textus dicta infringunt, partim; quòd, a contra dicta aliquid, nimiùm & plus quam adversæ parti proficit, probarent, nimirùm solennitates testamentarias non necessariò requiri etiam in Foro externo: sed, ipsis deficientibus, hæredi ab intestato deferendum jusjurandum; quòd de contrar voluntate defuncti sibi non constet: u cum Card. de Lugo *de Justitia disp. 2 s. 9. n. 258.* probè observat Haunold. *cit. n. 37.* quod tamen tribunalium praxi non observatur: partim verò; qua allegati textus non loquuntur de Testamentis, sed de Fideicommissis: in quibus id specialiter obtinet, quando testator hæredis præsentis fidei committit aliquid solvendum aut restituendum, secundùm DD. *citt.*

Neque etiam; quòd leges, impro fecta testamenta irritantes, nitantur præsumptione fraudis: quæ cùm in foro Conscientiæ cedat veritati, *arg. c. per hoc 5. de Renuntiat.* hæreditas relinquenda erit hæredi instituto, si illam hab à testatore destinatam, certò constet.

Expedia

Expedita enim responsio est, leges illas fundari in præsumptione, non fraudis in quovis casu particulari intervenientis, sed universalis periculi plurimarum fraudum in ultimis voluntatibus committendarum, nisi testamenta imperfecta, universaliter irritentur: quæ posterior præsumptio, cùm vera sit, etiamsi in casu aliquo particulari omnis fraus absit, hâc etiam cessante testamentum imperfectum, perinde ferè, ut matrimonium, absente propriô parochô sine omni fraude ac fictione celebratum, invalidum erit, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. n. 89.*

75. Censeo nihilominus tertiò, ab hærede, imperfectô testamentô instituto, uti & à legatario res hæreditarias aut legata, quæ à testatore sibi destinata certò sciunt, & sine vi ac fraude consecuti sunt, retineri salvâ conscientia posse, donec abipsis in judicio repetantur. Ratio est partim; quia, secundùm probabilem sententiam DD. non paucorum, testamentum imperfectum in Foro Conscientiæ non est irritum ipsô Jure; adeóque de voluntate testatoris certus, illa sibi relicta, retinere potest, donec testamentum per sententiam irritum pronuntietur: partim verò; quia propter dissensionem DD. obligatio restituendi dubia est; ac proinde ejusmodi hæres ac legatarius, quæ sine vi aut fraude consecuti sunt, retinere valent beneficiô possessionis, *arg. Reg. Cùm sunt partium* 11. *& Reg. in pari* 65. *in 6.*

76. Neque tamen idcirco non solenni testamentô institutus hæres aut legatarius occultâ compensatione uti valet, si hæreditas in Foro externo ab intestato venientibus adjudicetur, iisque à legatis prophanis præstandis absolvantur; quia, hôc ipsô; quòd sententia judicis hæreditatem istis adjudicantis, sit justa, illam adeundi possidendique habent jus, quô spoliari sine injuria non possunt, Laiman *l. cit. n. 7.*

ARTICULUS V.

De Testamentis non-Solennibus.

SUMMARIUM.

77. *Hujusmodi testamenta privilegiata sunt sex.*
78. *I. Militare, olim ab omni solennitate absolutum:*
79. *Hodie testes saltem duos exposcens.*
80. *II. Parentum inter liberos, sine ulla solennitate:*
81. *III. Ad Pias causas, duobus testibus adhibitis conditum:*
82. *Quale testamentum ferè à sine supernaturali*
83. *Aliquando à publica Utilitate censetur,*
84. *Et sine solennitate in territorio temporali Papæ:*
85. *Imò Orbe Christiano toto subsistit.*
86. *In eo duo testes, secundùm aliquos DD. ad valorem:*
87. *Verùs ad probationem tantùm necessarii sunt;*
88. *Ut quôvis modô suppleri valeant,*
89. *Et testes non qualificati admittantur.*
90. *In charta non Sigillata exaratum testamentum Pium,*
91. *Et legata Pia testamentô prophanô non solenni relicta valent:*
92. *Legata etiam prophana, Piô non solenni relicta, subsistunt.*
93. *Uti & non solenne testamentum, ad causam Piam conditum à Caco.*
94. *Favore causæ Piæ in alterius arbitrium col-*

trium collata institutio sustinetur,

95. *Et causæ illi favorabilem admittit interpretationem:*

96. *IV. Rusticorum, sive degentium ac testantium ruri, &*

97. *V. Conditum tempore pestis: quibus aliquid est remissum.*

98. *VI. Oblatum Principi, nullas exigens solennitates.*

99. *Sicut & conditum apud Acta.*

77. MInùs solenne Testamentum, juxta dicta, est, quòd licet solennitates legibus præscriptas non omnes habeat, ex privilegio tamen & speciali favore Juris sustinetur: cujusmodi Testamenta sunt Militare, Parentum inter liberos, ad causas Pias, Rusticorum, tempore Pestis confectum, oblatum Principi, & apud Acta conditum.

78. Primum sive Militare est, quod à milite, dum in castris & expeditione versatur, Iure militum propriò conficitur, & nullis solennitatibus adhibitis confectum valet: dummodo de ipsius voluntate & testandi animo constet, *pr. Instit. de Milit. test. l. 1. & l. Miles 35. ff. de Test. milit.* adeò; ut, si in scriptis testaturus literis aut aliis notis sanguine rutilantibus, vel gladiò in locum calami suffectò, ultimam suam voluntatem terræ inscripserit, nullis testibus adhibitis, voluntas ejus rata habeatur, *pr. cit. & l. Milites 15. C. Rubric. cit.* aut, per nuncupationem id facturus, supremam suæ voluntatis sententiam, quoquò modò potest, explicet coram duobus saltem testibus, quorum testimoniò de illa constet, §. 1. *Instit. & l. Divus 24. ff. eâdem Rubr.* Hæc de Justinianeo. Novissimò Jure etiam in Testamento militis, si in castris quidem, sed extra conflictum testetur, duo saltem testes adhibendi sunt, ex *Constitut.* Maximiliani l. *edita* 1512. *Tit. de Testament.* §. 2. Ratio autem testamentum militis, remissis solennitatibus, ad Juris Gentium simplicitatem redigendi fuit, vel nimia imperitia Juris & istius peritorum defectus in Castris, *pr. cit. Instit. l. 1. ff. & l. Quamquam 3. C. de Test. milit.* vel potius favor Reipublicæ; ne solius testamenti ordinandi causâ stationem deserere cogantur: & ipsorum etiam militum; ut voluntates ipsorum ultimæ non ita facilè destituantur: & fortassis etiam; ut in expeditione commilitones hæredes faciliùs existant.

Secundum, sive Parentum inter liberos Testamentum nullas exigit solennitates; ut, si nuda & simplex schedula reperiatur, quâ illi de rebus suis inter liberos disponant, ea custodienda sit, & mandanda executioni, *l. Hâc consultissimâ 8. §. 1. & Auth. Quod sine C. de Testament.* dummodo patris vg. manum liberi agnoscant, & de ejus voluntate certò constet, Clarus §. *Testamentum q. 13.* Si tamen liberis admixta persona extranea, eique relictum aliquid esset, petit id ab ista ex tali testamento non posset, sed accresceret liberis, §. *cit.* Ratio ejus Privilegii liberis indulti est; quòd hic nulla præsumatur fraus; cùm liberi aliàs intestato essent successuri: imò ad paternam hæreditatem quodammodo ab ipsa natura vocentur, & non tam in bona parentum quàm propria succedant, Bruneman. *in §. 1. cit. n. 4.*

Tertium, Pium sive ad Pias causas conditum Testamentum nihil exigit ultra Jus Naturale & Gentium: & præterea, si per duos testes vel scripturam vel per hæredis confessionem de suprema voluntate testatoris, ad ejusmodi causas aliquid relinquentis, constet, perinde habetur,

betur, ac si id testamentum omnibus Juris solennitatibus munitum reliquisset, ex percelebri rescriptô Alexandri III. *c. Relatum* 11.

82. Testamentum autem Pium nomen suum præcipuè accipit à fine seu motivo supernaturali, cujus intuitu conditum est: eâque omne illud, quô hæreditas vel tota vel ejus pars relinquitur; ut cultus & obsequium præstetur, vel pro acceptis beneficiis gratiæ habeantur Deo, & BB. Cœlitibus veneratio exhibeatur; ut peccatorum abstergantur maculæ & à pœna liberatio obtineatur: ut divina gratia meritum ac præmium in cœlo augeatur &c. Baldus *in l. 1. C. de SS. Eccles.* & Panormit. *ad hanc Rubric. n. 9.* Unde ad causas Pias condita testamenta, & legata etiam relicta censentur, quibus Ecclesiæ, Monasteria, Confraternitates, Hospitalia, Leprodochia, Nosocomia, Orphanotrophia aliáque Sacra aut Religiosa loca instituuntur: iisque pro fabrica, vasis aut vestimentis sacris: pro ornamentis aliáve suppellectile: pro Missarum & divinorum Officiorum celebratione vel oblationibus: pro sustentatione & salariis clericorum, Religiosorum, aliorúmque eis servientium: pro alimentis, curatione, aliisve necessitatibus personarum iis receptarum, &c. aliquid est relictum. Uti & quibus relictum est pro servorum libertatibus, eleemosynis pauperum, redemptione captivorum, & carceratorum liberatione: pro conversione infidelium & hæreticorum ad Ecclesiæ gremium reductione: pro orphanorum educatione, pauperum puellarum dotatione: pro literarum studii & sacrarum præsertim disciplinarum promotione, & pauperum in artificiis & opificiis instructione &c. Tiraquell. *de Privileg. causa Pia in Præfat. à pr.* Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 115. à n. 3.* & Barri *de Test. & Intest. Lib. 1. tit. 4. n. 13.* Dummodo ea non merè prophani atque privati, sed spiritualis boni aut finis intuitu relicta esse, ex ultimæ voluntatis tenore aut aliunde constet, *citt.* Menochius *n. 9.* & Barri *n. 13.* quantumvis enim Pia dispositio reputetur, si pauperi virgini constituatur dos, pupillo, viduæ aliquid decernatur, servi liberi esse testamentô jubeantur, *arg. l. Cùm is 32. §. 2. ff. de Condict. indeb. l. Mela 14. §. 1. in fine ff. de Aliment. & cib. leg. & l. In testamento 38. ff. de Fideicommiss. lib.* nihilominus, si non amore Dei vel pro animæ salute; sed ob sanguinis affectionem aut aliam necessitudinem humanam, ob familiæ honorem vel splendorem funebris deductionis relictum constet, ad Piam causam relictum nemo dixerit, *citt.* Menoch. *n. 9. & 15.* Barri *n. 13.* ubi uterque monet, in dubio Religionis ac Pietatis intuitu relictum censeri, quod relictum est consanguineo professo Religionem: uti &, si minùs solenni testamentô sit relictum; ne dispositio corruat, Mantica *de Conject. ult. volunt. Lib. 6. tit. 3. n. 14.*

Piis causis adnumerari solent relicta 83
pro refectione viarum ac pontium, pro civitatis adversus hostiles incursus munitione, pro constructione monumentorum, aut ad aliam publicam Utilitatem; quòd hujus causa, licet verè Pia non sit; cùm ad finem supernaturalem non referatur: ob Utilitatis tamen publicæ favorem causis Piis æquiparetur, earúmque privilegiis gaudeat: *citt.* Menoch. *à n. 22.* & Barri *n. 14.*

Dubium de *c. Relatũ cit.* dispositio- 84.
ne & controversia minimè levis est, an perinde, ut *c. Cùm esses 10.* juxta deducta *n. 51.* locum habeat in solo territorio temporali Papæ. Quod virili conatu in hac nostra Universitate quondam

propugnavit celeberrimus Anteceſſor Henric. Caniſius *in c. Relatum cit. n. 5.* præcipuè ductus *c. cit.* Inſcriptione; cùm, ſicut *c. Cùm eſſes 10.* Oſtiæ Tiberinæ, Civitatis in Eccleſiæ Romanæ temporali territorio ſitæ, ſic *c. Relatum cit.* Velitrenſis, loci ejusdem Papæ dominio & jurisdictioni etiam temporali ſubjecti judicibus inſcriptum Reſcriptum contineatur, & utrumque ab eodem Papa emanârit. Unde, ſicut illius, ſic & iſtius diſpoſitionem ultra Eccleſiæ temporale territorium non porrigi, ſibi perſuaſit. Ratio eſt; quia ultima voluntate, etiam ad cauſas Pias, de rebus ſuis à laico facta diſpoſitio Prophanum ac Politicum negotium non minùs eſt, quàm ea, quæ fit ad cauſam non-Piam ſeu merè prophanam, cùm; quia eſt hominis ſecularis, & de re merè temporali: tum verò; quia illa de rebus ſuis diſponendi facultas Humanô, eóque Civili Jure introducta eſt, ex veriori ſententia Bartholi *in l. Ex hoc 5. ff. de I. & I. n. 5.* Baldi *in l. Decernimus 16. C. de SS. Eccleſ. n. 10.* & Haunoldi *Tom. 3. de I. & I. Tract. 6. n. 14.* cùm, ſpectatâ præcisè naturâ, nemo de re ulla validè diſponere valeat pro tempore, quô ejus dominium & jus non habet, imò ejus capax & humanæ Reipublicæ membrum deſiit eſſe, & diſpoſitio collata in tempus inhabile, cujusmodi eſt teſtamentaria, *l. 1. ff. de Teſtament.* inutilis ſit, niſi lege adjuvetur, *l. Stichus 39 ff. de Manumiſſ. teſt.*

85. At meliùs *c. Relatum cit.* diſpoſitionem territoriô illô non concludi: ſed ubique, & in quocunque, etiam Seculari, Foro obſervandam, cum Panormit. *in c. cit. n. 2.* Claro §. *Teſtamentum q. 6. n. 2.* & Tiraquello *Cauſæ pia privileg. 164.* defendunt Covarr. *in c. cit. n. 8.* Graſſ. §. *Teſtamentum q. 18. n. 2.* Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 134. n. 4.* Barboſa *in c. cit. n. 2.* & alii, ab iſto magno numerô congeſti, ad omnes Chriſtiani Orbis provinçias extendentes *c. cit.* diſpoſitionem, quâ cauſæ Piæ quoad numerum teſtium ac probationem à legibus Teſtamentariis exemptæ, & ad Divinum ac Naturale Jus ſunt redactæ. Ratio hujus Aſſertionis eſt; quia Teſtamenta condita ad Pias cauſas, eô ipsô quòd finem ſupernaturalem, ſcilicet Divinum cultum, venerationémque ſanctorum & ſpiritualem animæ ſalutem ſpectent, ſunt cauſæ Spirituales & Eccleſiaſticæ: quas ſanctionibus publicè promulgatis, promovere earúmque removere impedimenta Eccleſiaſticæ, præſertim Apoſtolicæ, potiùs quàm Secularis, etiam Imperialis eſt poteſtatis, *can. Certum 3. diſt. 10. can. Si Imperator 11. diſt. 96. c. Decernimus 2. de Judiciis, c. Si judex 12.* ibi *Glos. de re ſpirituali & Eccleſiaſtica eſt, de Sent. excom. in 6. &c.* Unde cùm *c. Relatum cit.* Apoſtolicô Reſcriptô in relictis ad cauſas Pias, non Legum, ſed Decretorum, perinde ut Jus Naturale & Divinum, duorum triúmve teſtimonio fidem adhibentium, ſtatuta obſervanda, generaliter ſancitum: & Reſcriptum illud Joris Communis Corpori inſertum ſit, ut in cæteris Orbis provinciis omnibus, eô ipsô, quòd poſſit, obſervandum, & ſupremâ voluntate Eccleſiis, Monaſteriis &c. relicta, præſtanda erunt: dummodo illa duorum triúmve teſtimoniô probentur.

Atque ex his ſponte ſua corruit ratio in contrarium deducta; cùm eô ipsô quòd ultima voluntas Pia ſupernaturalem finem ſpectet, & poteſtatis Eccleſiaſticæ diſpoſitioni ſubjecta ſit, *c. Relatum cit.* Juri Communi inſerta Apoſtolica diſpoſitio, ultra Romanæ temporale, ad ſpirituale atque ad totum Orbem Chriſtianum

stianum se extendens, Papæ territorium porrigetur: quod Universali Consuetudine, quæ ambigui Juris optima interpres est, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* & Curiarum etiam Secularium, praxi receptum, DD. plerique agnoscunt.

86. Dubium secundò est, an duo testes, quorum *c. Relatum cit.* mentio fit, ad ejusmodi testamenti valorem, vel ad solam ejus probationem pertineant. Ad valorem enim ac substantiam eos pertinere, cum Claro §. *cit. q. 7. n. 2. & 3.* & aliis existimant Barri *de Testat. & Intest. Lib. 1. tit. 4. n. 17.* & Fachineus *Lib. 4. Controvers. cap. 3. in fine*, eâ potissimùm ducti ratione; quòd à legibus Civilibus testes requirantur ad valorem cujuscunque testamenti: & solummodo excipiantur, quæ à Parente inter liberos aut à Milite in conflictu fiunt: neque in Jure Ecclesiastico ullus extet textus, quò ad causas Pias condita testamenta sine testibus subsistere jubeantur.

87. Eos contrà ad solam probationem exigi &, si de voluntate defuncti nullum testem adhibentis aliunde, vg. per scripturam ipsius manu exaratam, certò constet, eam executioni mandandam, cum Tiraquello *Causæ piæ privileg. 4. in c. Relatum cit.* defendunt Covarruvias *n. 11.* Barbosa *n. 4.* Fagnanus *n. 8.* Wagnereck *not. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 20.* & alii ratione persuasi multò solidiore; quòd *c. cit.* ad testamentum Pium aliud non exigatur, quàm Jure Naturali ac Divino; quia duo vel tres testes sufficere dicuntur ex ratione; *Quoniam scriptum est, in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, Deuteron. *cap. 17. v. 6.* & Matth. *cap. 18. v. 16.* quibus verbis apertè insinuatur, duos testes Jure Canonico non aliter desiderari ad testamentum, quàm ad alios actus desiderantur Divinò ac Naturali: quò Jure utroque eos non pro forma & ad valorem, sed ad probationem duntaxat requiri, eorúmque defectum per aliam probationem suppleri posse, res est omnino explorata. Unde corruit tota ratio Fachinei. Confirmatur nostra; quia causæ Piæ non minùs favorabiles sunt, quàm causa liberorum, *arg. l. Sunt personæ 43.* ibi, *Summa ratio est, quæ pro Religione facit, ff. de Relig. & sumpt. fun.* inter quos etiam schedula propriâ testatoris manu scripta aut solummodo subscripta, saltem quoad ipsos, sustinetur, *Novell. 107. cap. 1.* Unde

88. Infertur primò ultimam voluntatem Piam subsistere, quantumvis Ecclesia, Monasterium, Hospitale, pauperes, peregrini, aliáve causa Pia solò defuncti nutu vel externò signò aut notis etiam aliàs inusitatis sit instituta *l. Jubemus 29. C. de Testament. & l. Sed cum patrono 6. §. fin. ff. de Bonor. possess.* Tiraquellus *Causæ piæ Privileg. 8. & 12.* & *cit.* Molina *disp. 134. n. 8.*

89. Infertur secundò, ad ejusmodi voluntatem ultimam non requiri: ut testes ad eam à testatore rogati, aut etiam masculi sint. Ratio utriusque est; quia, licet *c. Relatum cit.* proposita dubitatio fuerit de solo numero testium, rescriptum tamen Papæ generale est, in causis testamentorum, quibus aliquid relictum est Ecclesiæ, non secundùm Leges, sed secundùm Decretorum statuta, soli Naturali Divino ac Gentium Juri inhærentia, procedendum, Panormit. *in c. cit. n. 3. citt.* Tiraquell. *Privileg. 3. & 5.* Covarruv. *n. 4. & 5.* & Molina *n. 4.*

90. Infertur tertiò, testamentum, quò causa Pia instituitur, validum esse, etiamsi exaratum non sit in charta signata: & legata etiam Pia, testamentò prophanò in simplici charta descriptò, relicta subsistere; quantumvis statutò Provinciali

vinciali aut Regia vel Imperiali Constitutione testamentum & actus quicunque, in scriptis sine charta sigillata celebrati, sint irritati; quia institutiones & legata Pia regulantur secundùm sanctiones Ecclesiasticas, quibus Legales solennitates omnes sublatæ & ad illorum valorem, ultra Naturalis & Divini Juris requisita, quidquam exigi vetitum est, *c. Relatum cit.*

91. Infertur quartò, subsistere legata Pia, relicta testamentò prophanò, quòd aliàs quoad institutionem hæredis & alia ob defectum Solennitatum invalidum est; quia voluntas ultima, quatenus causas Pias respicit, à Solennitatibus non pendet, Covarruvias *l. cit. n. 3.* etsi contrà testamentò minùs solenni ad causas Pias relicta legata etiam prophana subsistant, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6. citt.* Tiraquell. *Privileg. 13. & 15.* Covarr. *n. 3.* & Molina *n. 2.* Neque obstat; quòd testamentum, à parente conditum inter liberos, non valeat quoad legata relicta extraneis, *l. Hâc consultissimâ cit.* quia testamentum patris ad solos liberos expresè restringitur, *l. cit. §. 1. V. Si verò*, testamentum autem ad causas Pias, *c. Relatum cit.* simpliciter & sine restrictione confirmatur; ut proinde locus sit *Regulæ cit.* ut præter DD. *citt.* tradunt Clarus §. *Testam. q. 6. n. 9.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 19. n. 9.* Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 2. n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 22.*

92. Infertur quintò, testamentum inchoatum quoad causas Pias subsistere, etiamsi alias, quòd testator morte præventus illud perficere non potuerit, invalidum sit, *citt.* Covarr. *n. 10.* & Molina *n. 9.*

93. Dubium tertiò est, an subsistat testamentum ad Piam causam à Cæco conditum sine solennitate *l. Hâc consultissimâ 8. pr. C. Qui testam. fac. poss.* Negat id nonnemo, eô deceptus argumentô; quia Jure Civili ad testandum inhabiles ne ad Pias quidem causas valide testantur, juxta dicta *n. 21.* Cæcus autem ad testandum Civili Jure habilis non est, nisi formâ *l. cit.* observatâ. Cujus argumenti fallacia sanè luculenta est; cùm, si ad testandum inhabiles reputarentur, quicunque testandi formam Civili Jure præscriptam non observant, ad causas Pias sine solennitate *l. Hâc consultissimâ 21. C. eâdem Rubr.* validè testari nemo, nisi speciali Juris privilegiô quoad testandi modum munitus, posset; quòd ad testandum sine forma, *l. cit.* præscripta, habiles non sint, qui speciali Juris privilegio non sunt muniti. Quod cùm nemo dixerit, ad causas Pias sine Juris Civilis solennitate testari Cæcus non minùs, quàm alii, valebit; quia, sicut à cæteris, sic ab ipso quoque sine Jure Civilis solennitate conditum testamentum non ob potentiæ, sed ob formæ duntaxat defectum invalidum est: is autem, cujus testamentum ob formæ solius, & non ob potentiæ, defectum invalidum est, Jure etiam Civili ad testandum habilis sit; quòd ad testandum hôc Jure quis inhabilis ex potentiæ duntaxat defectu reputetur.

Dubium quartò est, an favore causæ Piæ etiam valeat testamentum, collatum in arbitrium alienæ voluntatis. Quæ in re communis multorum Opinio diversorum statuit Canonici Juris à Civili; & illô quidem favore causæ Piæ sustineri, ait, institutiones, in alienæ voluntatis arbitrium collatas, *c. Cùm tibi 13.* quæ istô sive Civili Jure pro invalidis habentur, *l. Illa 32. ff. de Hæred. instit.*

At meliùs & calculô multò crebriori alii, licet *c. cit.* testamenta in alienæ voluntatis arbitrium collata favore causæ Piæ [illegible]

Piæ subsistere, ipsi quoque asserant, eâ tamen in re plenum divortium à Jure Civili, saltem novô, non agnoscunt; cùm *c.* 95. *cit.* affinis dispositio ad causas Pias sustineatur, *l. Nulli 28. & l. Si quis 49. C. de Episc. & Cleric.* Quare ultimam suam voluntatem alterius dispositioni committens, sive clericus sive laicus sit, vel testatus esse ad causas Pias, & bonorum suorum inter Ecclesias vel pauperes solam distributionem alieno arbitrio commisisse, ut *in c. Cùm tibi cit.* volunt Panorm. *n. 4.* Covarruvias *n. 13.* vel designatum arbitrum instituisse, & causis Piis faciendæ restitutionis onere gravâsse, præsumitur, ut existimant *citt.* Laiman *Tract. 5. cap. 2. n. 7.* & Haunoldus *n. 318.* Quam ejusmodi voluntatis interpretationem commendat *c. cit.* textus; quia sic defunctus non videtur decedere intestatus. Pro eadem facit ratio; quia ultima voluntas sic intelligenda est, ut potiùs valeat, quàm pereat, *arg. c. Abbate 25. de V. S. & l. Quoties 12. ff. de Reb. dubiis.* Quare, ne secundùm *l. Illa cit.* ultima voluntas irrita evadat, sic exaudienda est; ut institutus hæres sit vel ipsa causa Pia, vel designatus arbiter cum onere restituendi præsertim; quia talis explicatio optima est ipsi testatori defuncto, in cujus animæ bonum cedit. Aliam *c. cit.* expositionem Barbosa *n. 2.* & aliam Gonzalez *num. 13.* dabunt.

96. Quartum sive Rusticorum Testamentum dicitur non solùm, quod aratores, vinitores, pastores & similes agrestes: sed etiam, quod alii etiam Nobiles ruri degentes condunt; nam, sicut illis, sic istis quoque, cùm ruri testantur, quoad testium numerum ac subscriptiones aliquid remissum est *l. fin. C. de Testament.* sed cùm distinctione; vel enim, ubi testantur, septem & literatorum copia suppetit, vel non? Si prius, totidem adhiberi & subscribere est necesse. Si posterius, interest, an septem cogi valeant, aut secus; priori enim casu totidem adhibendi, ex quibus, qui literas callent, pro reliquis subscribere possunt: dummodo etiam hi sciant, quis hæres sit institutus. Posteriori autem casu valet Testamentum coram quinque testibus confectum ex privilegio, *l. cit.* rusticis indultô propter rusticitatem, hoc est, simplicitatem & literarum imperitiam: vel etiam, & fortassis potiùs propter inopiam testium, qui literas nôrint, *cit.* Barri *t. 2. n. 9.* & Bruneman. *in l. cit. n. 4.*

Quintum ex Testamentis Privilegiatis est conditum tempore Pestis: in quo 97.
Jure testium, non quidem numerus, sed simultanea eorum præsentia duntaxat remissa videtur, *l. Casus 8. C. de Testament.* ut testes, prohibente periculo aut metu contagionis, omnes unô eodémque tempore simul adhiberi non sit necesse; sed adhiberi & obsignare illud singuli valeant separatim, Fachineus *Controvers. Lib. 5. cap. 92. Jure*, inquam; quia iltius rigorem locorum consuetudo passim ita mitigavit; ut contagiosæ luis tempore subsisteret testamentum, quod conditum est coram testibus tribus vel saltem duobus, Gaill. *Lib. 2. observat. 118. n. 18.* & Mynsinger *96.*

Sextum sive Principi oblatum Testamentum est, quod inseritur libello supplici, eóque fine Principi offertur; ut ejus authoritate sustineatur: ad quod neque præsentia subscriptióque & obsignatio testium, neque solennitas alia, sed id solummodo exigitur, ut testator per se, non per alium, Principi exhibeat supplicem libellum, in eóque ultimæ voluntatis suæ elogium contineri profiteatur; ita enim factum inconcussam meretur fidem; quòd authoritas principalis suppleat defectum, & superet omnes solennitates, *l.* 98.

Omnium 19. C. de Testament. Fachineus *Controvers. Lib. 6. cap. 80.* & Bruneman. *in l. cit. à n. 1.*

99. Huic affine est Testamentum Judiciale, sive conditum & publicatum apud Acta; nam etiam hoc ullos testes aliásve solennitates non exigit: sed sufficit; quòd testator ipsemet judici cuicunque, etiam aliàs incompetenti, sive in, sive extra locum judicii, ultimam suam voluntatem offerat in Scriptis aut vivâ voce declaret; ita certè ordinatum Testamentum publicâ fide sustinetur, *l. Omnium cit.* quòd, sicut authoritas Principis, sic & Acta judicialia suppleant numerum & nomina testium, ac removeant omnem suspicionem falsitatis, *citt.* Fachineus *cap. 86.* & Bruneman. *à n. 7.*

ARTICULUS VI.

De Hæredis Institutione.

SUMMARIUM.

100. *Hæredes alii Voluntarii, alii Necessarii:*
101. *Et hi vel non sui, ut servus à domino institutus,*
102. *Vel Sui sunt, ut liberi in potestate testatoris existentes.*
103. *Liberi necessariò à parentibus, & hi ab illis:*
104. *Aliquô casu etiam frater à fratre, exhæredari vel institui debent,*
105. *Saltem in portione legitima:*
106. *Quæ hodie respectu liberorum pro eorum numero tertia vel dimidia:*
107. *Respectu parentum tertia,*
108. *Eadémque aut dimidia pars bonorum est respectu fratrum.*
109. *Ea liberis ac parentibus quòad substantiam Naturali,*
110. *Fratribus Civili Jure debita:*
111. *Et hi quôvis, illis Institutionis titulô,*
112. *Et sine ullo gravamine omnibus relinquenda est.*
113. *Voluntarii hæredes esse possunt omnes, Jure non prohibiti;* 101.
114. *Laici, Clerici, Religiosi, etiam Scholastici Soc. JESU.*
115. *Civitates, Municipia, Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia,*
116. *Et ipse Dominus Deus ac BB. Cælites,* 102
117. *Instituí hæredes Jure Civili prohibentur quicunque ob crimen Intestabiles,*
118. *Mulier suspecta, nubens intra annum luctûs, liberi Spurii,*
119. *Communitas Judæorum & Collegia illicita:*
120. *Canonicô, Hæretici & Perfecutores alicujus Cardinalis,*
121. *Regulâ suâ Conventus & Ecclesiæ FF. Minorum & Capucinorum,*
122. *Ut eis neque hæreditatis æstimatio debeatur.*
123. *Multò magis ipsi FF. ac Professi S. J. in particulari institui non possunt:* 103
124. *Etsi legata capere valeant ex Testamento.*
125. *Domus professa S. J. Hæres esse potest: sed immobilia vendere tenetur.*
126. *Hæres gravari potest, ut ei & FF. Min. ac Capucinis annuum legatum præstet.*

HÆres dicitur, qui in universum jus, quod mortis tempore defunctus habuit, succedit, *l. Nihil 24. ff. de V. S. & l. Hæreditatem 62.*

tui 82. ff. de R. J. cujus Institutio præcipua, & usque adeò necessaria pars Testamenti est; ut hoc sine ea non valeat, *l. Proximè 3. ff. de His, qui in test. del.* Sunt autem hæredes ex testamento alii Necessarii, alii Voluntarii.

101. Necessarii generatim olim dicebantur; qui, testamentô scripti, hæreditatem adire debebant etiam nolentes: isque vel Sui, vel non Sui erant. Necessarii non Sui sunt mancipia, seu servi à domino hæredes instituti, §. 1. *Instit. de Hæred. qualit.*

102. *& diff.* Necessarii Sui sic dicuntur; quòd de familia testatoris sint: &, quòd cum isto una eadémque persona censeantur, *l. fin. C. de Impub. substit.* penéque sibi ipsis hæredes fiant, & quodammodo ad propria bona veniant, *l. 1. §. 12. ff. de Success. Edict.* qui propterea hæredes institui, vel nominatim exhæredari necessariò debent: ut sunt Filii Filiæque, & in istorum præmortuorum defectum Nepotes Neptésque, in patriâ potestate defuncti mortis tempore existentes, §. *Sui 2. Instit. eâdem Rubric.* nec solùm legitimè jam nati; sed posthumi quoque sive nascituri, imò & adoptati ab ascendentibus, *pr. & §. 1, & Instit. de Exhæred. lib.* Hi

103. proinde, & hodie etiam emancipati, §. *Emancipatos 3. Inst. Rubr. cit.* sicut & respectu matris illegitimi, licet instituti modernô jure ab hereditate abstinere, si velint, valeant, §. *Sui cit. V. Necessarii:* eos tamen instituere parentes hodiéq; necessariò tenentur; ut, si citra justam causam testamentô expressam exhæredent, vel silentiô prætereant, id invalidum sit, Clarus §. *Testamentum q. 42. à n.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 175. n. 1.* latè & accuratè Manzius *de Testam. tit. 8. à n. 10.* & Haunold. *Tom. 2. de J. & J. tract. 6. à n. 382.* Respectu liberorum autem, turbatô mortalitatis ordine præmortuorum, nullis ex ipsis descendentibus extantibus, Necessarii hæredes sunt parentes &, his deficientibus, ascendentes alii gradu proximiores, eô ordine, quô liberis seu descendentibus intestatis succedunt, adeò; ut, si absque justa causa expressa exhæredentur, vel silentiô prætereantur, testamentum viribus destituatur, *l. Nam etsi 15. pr. ff. de Inoffic. test. & Novell. 115. cap. 4. pr. citt.* Clarus *q. 48. n. 2.* Molina *disp. cit. n. 3.* Manzius *Tit. 9. à n. 1. & 4.* & Haunold. *à n. 422.*

Fratrem instituere vel expressè exhæredare Frater ullô Jure non cogitur, sed eum præterire impunè potest: dummodo hæredem non instituat personam turpem, hoc est, Juris, imò & Facti infamiâ laborantem: ut sunt meretrices, concubinarii, lenones, arenarii, mimi, lusores publici, filii presbyterorum adulterini, incestuosi & quocunque coitu legibus damnatô procreati; cùm, si Frater, Fratre Germanô vel Consanguineô sine justa causa exhæredatô vel præteritô, talem aliquam personam instituat, testamentum licet non ipsô Jure nullum: obnoxium tamen sit impugnationi, & propositâ à fratre vel sorore inofficiosi querelâ rumpi possit, *l. Fratres 27. C. de Inoffic. test. citt.* Clarus *q. 50. n. 1.* Manzius *tit. 9. q. 2. num. 7. & q. 3. num. 1.* & Haunoldus *n. 427.* 104.

Non est autem necesse, ut hæredes Necessarii in tota substantia instituantur; cùm nimis dura testatoribus foret omnimoda ademptio liberæ facultatis de rebus suis in eventum mortis disponendi, & de aliis benemerendi: sed satisfaciunt testatores, si bonorum suorum portione aliquâ relictâ hæredibus Necessariis, quos à successione excludendi justam causam non habent, de reliqua substantia pro voluntatis suæ arbitrio disponant. 105.

Portio autem, illis Jure debita, Legitima 106.

gitima nuncupata, & non eadem, sed pro temporum & Necessariorum etiam hæredum numerô diversa: & respectu liberorum quidem, & ab his præmortuis descendentium antiquô Quadrans, sive quarta pars fuit ejus, quod omnes simul habituri essent, si parenti intestato successissent, §. *Sed hæc 3. & §. fin. Instit. de Inoffic. test.* Novô autem &, quô hodie utimur, Jure est Triens, sive pars tertia, si liberi quinis pauciores: si verò quini vel plures numerô sint, Semis sive dimidia pars est bonorum sive ejus, quod omnes simul consecuturi essent ex successione ab intestato, *Novell. 18. cap. 1. & Auth. Novissima C. de Inoffic. test.* ut proinde eorum singuli in Legitima instituti consequantur Trientem aut Semissem, non totius substantiæ, sed ejus partis, quam ab intestato essent habituri, Tuschus *Practic. V. Legitima, conclus. 183. n. 26. citt.* Haunoldus *n. 492.* & Manzius *Tit. 12. q. 3. à n. 1.* excipiens adoptivos, quorum Legitimam novô Jure nihil auctam, sed indiscriminatim quadrantem esse, *n. 15.* ait cum Jasone *in l. Si arrogator 22. ff. de Adopt. n. 52.*

207. Simili modô Legitima parentum, quæ veteri Quadrans, novô Jure Triens sive tertia pars est ejus, quod percepturi fuissent, si vg. filius, nullis liberis relictis, decessisset intestatus, ut colligitur ex *Novell. cit. cap. 1.* in cujus fine id, quod de liberis constitutum est, observandum asseritur in omnibus personis, quæ olim habuerunt querelam inofficiosi: hanc autem parentibus Legitimam non consecutis datam, extra dubitationem est, §. 1. *Instit. & l. Nam & si parentes 15. ff. de Inoffic. test. citt.* Tuschus *conclus. 185. n. 2.* Manzius *q. 6. n. 1.* & Haunold. *n. 501.*

208. Fratrum quoque ac Sororum casu, quô ipsis præteritis persona turpis instituta est, Legitimam, si quatuor vel pauciores, Trientem: si numerô plures sint, Semissem esse, cum Fachineo *Lib. 4. Controvers. cap. 28.* & aliis contra Graffum §. *Legitima q. 10.* & Wesenbecium *in §. Sed hæc 3. Instit. de Inoffic. test. n. 6.* ex *Novell. cit.* desumit Manzius *cit. Tit. 12. q. 7. n. 3.* quòd in fine *cap. 1. cit.* Legitima aucta sit omnibus personis, quibus ab intestatio, hoc est, Jure antiquô (non, ut verba illa adversarii exponunt, per se & ordinariô Jure: & non solùm per accidens ex post facto, extraordinariô & cessante Jure, ex personæ turpis institutione superveniente) competebat querela inofficiosi: quam antiquô Jure fratribus quoque ac Sororibus competivisse, liquet ex *l. Fratres cit. & §. 1. Instit. de Inoffic. test.*

Dubium est, quô Jure Legitima debeatur. Qua in re aliqui, ejus debitum Naturale esse, indiscriminatim ajunt. Alii verò DD. discrimen statuunt inter personas, quibus ea relinquenda est: & liberis quidem eam Naturali Jure debitam, liquet ex *l. Scripto 7. in fine, ff. Si tabulæ test. l. Cum ratio 7. pr. ff. de Bonis damnat. l. Scimus 36. §. 2.* ibi *Ne filius defraudetur debito Naturali, C. de Inoff. test. Novell. 1. pr. §. 2. & c. 1. §. Atque, hâc Rubr. in 6.* Ratio est; quia liberis Legitima debetur in alimenta, *Novell. 18. cap. 3.* quæ ex parentum substantia liberis competunt Jure Naturali, *l. 1. §. 2. ff. de J. & J.* Unde legitima hôc Jure debetur, saltem quoad substantiam: licet certæ quantitatis, Trientis vel Semissis determinatio Iuris sit Civilis, & abisto Legitima nominitetur, *l. Scimus cit. §. 1. Cf. Lege 14. C. de Legit. hared. citt.* Graffius §. *Legitima, q. 2.* Fachineus *Lib. 4. cap. 32.* & Manzius *Tit. 12. q. 11. à n. 1.* quibus cum, eôdem Iure Legitimam parentibus debitam, docent Gomez *Tom. 1. var. cap. 4. n. 7.* & Barbosa *in l. 1. cit. n. 4.* id desumen-

sumentes ex *Novell. cit. pr.* §. 1. ubi Imp. eam filiis, nepotibus, patribus & matribus *Secundùm Naturam* deberi, ait, & *c. 1. cit.* cujus *V. fin.* à filio testamentô suô matrem Iure Naturæ debitâ portione privari non posse, in terminis asseritur. Ratio est; quia, licet filii ante parentes suos decedentis obitu mortalitatis ordo naturalis turbetur, *l. Scripto cit.* casu tamen, quô eô ordine inversô filius nullis descendentibus relictis præmoritur, Pietatis & Gratitudinis etiam obligatio Naturalis parentes præteriri & ab hæreditate excludi non sinit, *l. Nam & si 15. ff. de Inoffic. test.*

110. Alia ratio est Legitimæ Fraternæ; cùm Naturale Ius, licet personam turpitudinis maculâ notatam vetet institui, fratrem tamen præ quovis alio, etiam Pia causa, in hæreditatis partem vocari, non præcipiat. Unde, eam Civilis Iuris inventum esse, ex communi aliorum sensu docet Grassus *q. 2. cit.*

111. Sicut non eôdem Iure, sic non eô, quô fratribus titulô liberis ac parentibus Legitima est relinquenda; licet enim illis secundùm Ius antiquum quoquo modo, sive jure hæreditario, sive jure Legati, Fideicommissi, Donationis mortis causa &c. relinqui hodie quoque valeat, §. *Igitur 6. Instit. l. Papinianus 8. §. 6. & l. Omnimodo 30. pr. V. Et hac, C. de Inoffic. test.* his tamen sive liberis ac parentibus novo Iure relinquenda est titulô Institutionis, *Novell. 115. cap. 3. pr.* præ Legati, Fideicommissi &c. titulis non solùm honorabili, sed utili quoque, propter jus accrescendi; cùm, si filius institutus acceperit cohæredem, isto repudiante, ipse hæreditatem totam consequatur: secus, quàm contingeret, si ipsis non Institutionis, sed Legati, Fideicommissi alióve particulari titulô aliquid relictum esset: cui, haud sanè levi, ea quoque commoda accedunt; quòd institutus sibi relicta capiat propriâ authoritate, & remedio *l. fin. C. de Edicto Adriani toll.* in bonorum possessionem immitti, petere possit, *citt.* Clarus *q. 38. n. 1.* Manzius *q. 13. n. 2.* & Haunold. *n. 504.*

Relinquenda autem Legitima, sicut 112.
Liberis ac Parentibus, sic & turpis personæ institutæ casu Fratribus est sine onere, *l. Quoniam 32. l. Scimus 36. §. 1. C. de Inoffic. test.* ut neque fideicommissô, neque conditionibus dilationibúsque, neque aliâ ratione gravari possit; cùm enim Legitimæ, ferè naturali Iure debitæ, portio legis dispositione potiùs, quàm judiciô testatoris definita sit, eam istius arbitriô gravaminis adjectione deteriorem reddi, conveniens non fuit, *citt.* Grassus *q. 38. n. 2.* & Manzius *q. 42. à n. 1.* Hactenus de Necessariis.

Voluntarii hæredes dicuntur, qui, 113.
sicut instituti hæreditatem adeundi ullâ necessitate non adstringuntur, sed eam repudiare liberè possunt, sic à testatore præteriri & non institui possunt. Tales autem sunt & Testamentô hæredes instituti, ex eóque legata capere possunt omnes, qui specialiter non prohibentur, *pr. Instit. de Hared. instit.*

Nec solùm Laici, sed Clerici quo- 114.
que, & ipsi etiam Religiosi; nisi Ordinis sui Constitutionibus specialiter prohibeantur, ita tamen; ut non-prohibitis relicta Monasteriis acquirantur, *l. Deo 56. §. 1. C. de Episc. & Cleric.* Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 43.* & Clarus §. *Testamentum q. 29. in fine*, de hoc neminem dubitare, asserens. Scholastici etiã Societatis JESU, & Coadjutores nondum Formati, licet veri Religiosi sint, hæredes tamen in particulari instituí ita possunt, ut sibi acquirant; quia ob graves causas retinere ad temp⁹ permittuntur dominium suorum bonorum: quorum tamen

usu & administratione independenter à voluntate superiorum, propter emissum Paupertatis votum, carent, ut constat ex *Constit.* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente, edita 8. Calend. Junii* 1584. & Constit. Societ. *p. 4. cap. 4. §. 5. & 6. & p. 6. cap. 2. §. 11.*

115. Neque solùm personæ in particulari, sed in genere etiam, vg. Pauperes, Orphani, Captivi, *l. Sancimus 46. & l. Si quis 49. C. de Episc. & Cleric.* Civitates & Municipia, *l. Hæreditatis 12. C. de Hæred. instit.* Universitates & Collegia licita, *l. 1. C. de SS. Eccles. & l. Collegium 8. C. de Hæred. instit.* Ecclesiæ, Oratoria, Hospitalia, *arg. l. Si quis cit. l. 1. & l. Quoniam 26. C. de SS. Eccles.* Monasteria, Conventus & Congregationes utriusque sexûs Regularium, *arg. LL. citt.* uti & Collegia & Domus Probationis Societatis JESU, Examinis *cap. 1. §. 4* Constitut. Societ. *p. 4. cap. 2. §. 5. & p. 6. cap. 2. §. 1.* junctâ *declarat lit. A.*

116. Quin hæres institui etiam potest Deus & Dominus noster JESUS Christus ac BB. Cœlites, *l. 1. §. 5. ff. ad L. Falcid. l. Quoniam 26. cit. & Novell. 131. cap. 9.* quibus relicta impendi debent in Dei cultum, SS. venerationem, alimenta pauperum &c. juxta illud, *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* Matth. *cap. 25. V. 40.* Zypæus *Consult. 1. de Paroch. pr.* & Manzius *Tit. 6. n. 3.*

117. Hæredes autem institui quidam Civili vel Canonicô communi; alii speciali Iure prohibentur. Civili imprimis Peregrini, *l. 1. l. Sed si 6. ff. de Hæred. instit.* Deportati, tanquam peregrini, *l. 1. cit.* Damnati in metallum, *l. Si in metallum 3. ff. de His, quæ pro non script.* & ad triremes, Grassus *§. Institutio q. 6.* Qui occidit testatorem, *l. fin. §. 4. ff. de Bonis damnat.* Hæretici, non tolerati eorúmque fautores & Apostatæ, *l. 1. l. His qui sanctum 3. C. de Apostat.* Rei læsæ Majestatis, *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest.* Ob carmen famosum condemnati, *argum. ll. citt.* & cæteri ob delictum prohibiti testari; tales enim, sicut condere testamentum, sic ex isto capere non possunt, *citt.* Clarus §. *Testamentum q. 34. n. 2.* Grassus *cit. q. 6.* Manzius *q. 7. n. 45.* & Haunoldus *263.*

Dein Mulier, in quam turpis suspicio cadit, *l. Mulier 41. §. 1. ff. de Test. milit.* & nubens intra annum luctûs, *l. 1. C. de Secund. nupt.* qui tamen istius textûs rigor Iure Canonicô temperatus est, *c. Super illa 4. & c. fin. de Secund. nupt.* ut ad hanc Rubricam pluribus ostenderur; Spurii & quicunque coitu legibus damnato procreati; hi enim à patre saltem & matre hæredes institui, eisque ab intestato succedere non possunt, *Auth. Licet C. de Natural. liber. & Novella 74. cap. 6.* licet à quocunque alio, etiam à sui patris hærede, institui permittantur; quòd in his causa prohibitionis, scilicet damnata libido & incontinentiæ levitas, cesset, *cit.* Clarus *q. 31. n. 4.* Grassus *q. 7. n. 13.* & Manzius *Tit. 6. q. 7. n. 103.* & ex Canonica æquitate ejusmodi proli alimenta necessaria à parentibus non sint subtrahenda, *c. Cùm haberes 5. De eo, qui duxit in matrim. quam poll.* qua de re sermo redibit *Lib. 5. Tit. 16. n. 25.*

Demum Communitas Judæorum, *l. 1. C. de Judæis,* Collegia illicita & erecta privatâ authoritate, *l. Collegium 1. C. de Hæred. instit. Illicita,* inquam; quæ tanquam fomenta conspirationum, & in Rempublicam machinationum fabricæ ullum favorem non mereantur, Non etiam *Licita,* sive authoritate publicâ erecta causâ Pietatis ac Religionis; talia enim laudabiliter piéque institui, liquet *ex l. 1. §. 1. ff. de Colleg. & Corp. & l. 1. C. de SS. Eccles.* Laiman. *Lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 1. §. Tertiò* & Manzius *cit. q. 7. n. 148.*

Canoni-

Canonicò Iure, præter Hæreticos
120. eórumque credentes, receptatores, defensores ac fautores, *c. Excommunicamus 13. §. Credentes de Hæreticis*, hæredes instituí prohibentur persecutores & percussores alicujus S. R. E. Cardinalis, *c. Felicis 5. de Pœnis in 6.* quô textu in tanti excessûs pœnam intestabiles esse usque adeò jubentur; ut nec testamenti liberam habeant factionem, neque ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato admittantur, & violatæ Majestatis rei habeantur, *arg. l. Quisquis 5. cit.* Laiman. *cit. n. 11. §. Octavò*, Farinac. *Prax. Criminal. q. 112. n. 11. & in c. Felicis cit.* Barbosa *n. 17.*

121. Speciali Iure propriæ Religionis institui non potest Primò Seraphicus Ordo S. Francisci FF. Minorum & Capucinorum: neque etiam Monasteria sive Conventûs ipsorum, ut patet ex *Clem. 1. §. Item quod V. Cùm enim & c. Exiit 3. V. Adhæc cum Fratres, de V. S. in 6.* neque etiam probabiliùs eorum Ecclesiæ ac Sacristiæ, Corduba *in Regulam S. Francisci cap. 6. q. 11. p. 1.* & aliis DD. relatis Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 25. n. 14.* Ratio est; quia laudati Ordinis FF. tam ex Regula, in summa Paupertate & Humilitate fundatâ, quàm ex Professione suâ, in communi & in particulari, incapaces sunt dominii ac proprietatis immobilium & mobilium bonorum, juriúmque & actionum ea respicientium; ac proinde etiam hæreditatis, *Clement. 1. & c. Exiit citt.* Manzius *cit. Tit. 6. n. 152.*

Quare, si ejusmodi Conventus vel Ecclesia instituatur, institutio, tanquam in persona incapaci facta, nulla est, & hæreditas cohæredi illi adjuncto vel substituto eam adeunti: vel, si substitutus aut cohæres datus non sit, ab intestato succedentibus obveniet, *l. 1. C. de Caduc. toll.* Baldus *in Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. n. 46.* Sylvester *V. Testamentum 1. q. 6.* & Sanchez *cit. cap. 25.* Unde

Dubium oritur, an tali casu cohæres, 122.
substitutus aut ab intestato venientes, quibus hæreditas obvenit, istius æstimationem Fratribus præstare teneantur. Teneri in foro saltem conscientiæ & eo casu, quo testatorem dispositionem suam jure Codicilli & meliori, quô potest, modô valere voluisse, scirent, cum Bartolo *Tract. Minorit. Lib. 1. dist. 1. cap. 3. n. 7.* & Anchorano *in Reg. Possessor 3. in 6. n. 19.* voluit *cit.* Sylvester *q. 6. arg. l. Cùm Servus 39. §. fin. & l. Sed si res 40 ff. de Legat. 1.* quô textu utroque ei, qui rei sibi relictæ in propria specie recipiendæ ob personæ suæ conditionem capax non est, æstimatio debetur, quando istius est capax. Sed veriùs, illos ad æstimationis præstationem ullô modô teneri, cum Baldo *in Auth. cit. n. 4.* & Felino *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 52.* negant Rodriquez *Tom. 2. Regul. q. 78. art. 2. & cit.* Sanchez *n. 8.* Moventur; quòd *Clement. 1. V. Cùm enim cit.* Fratres successionum dicantur capaces *Nullatenus*, dictione omnem modum ad successionem, ac proin etiam æstimationis recipiendæ facultatem excludente, secundùm Glossam *in Clement. 1. V. Nullo modo, de Ætat. & qualit.* Imolam *ibid. n. 19. & 33.* & Barbosa *Usufreq. dict. 226. n. 2.* Ratio est; quia clausulæ, *Ut testamentum valeat jure Codicilli & Meliori modô, quô potest*, effectus est conversio institutionis in fideicommissum Universale: cujus Ordinis illius Conventus & Ecclesiæ etiam sunt incapaces, *V. Cùm enim cit.* Jason *in l. 1. ff. de Legat. 1. n. 99.* Gabriel, *Lib. 4. de Hæred. instit. conclus. 1. n. 5. citt.* Sanchez *n. 5.* & Manzius *n. 161.* Unde pro hujusmodi Conventibus & Ecclesiis non faciunt adducti textus; quia hæredes instituí nullatenus; ac proinde etiam in æstimatione, non possunt.

Secundò, multò minùs, quàm Mona- 123.
steria, hæredes instituí possunt ipsi Pro-

fessi FF. Minorum & Capucinorum, *V. Cùm enim & V. Adhæc cit.* Sicut etiam Professi & Coadjutores Formati Societatis JESU in particulari; quia hæreditariæ successionis cujuscunque incapaces reddi-ti sunt, Constit. *cit. cap.* 2. §. 12. ut adeò ipsorum intuitu principaliter facta institutio invalida sit. *Ipsorum*, inquam, *intuitu*; quia, si professus vg. hæres institueretur intuitu ipsius Societatis vel certi alicujus Collegii vel Domûs, ut principaliter ista instituta viderentur, valida institutio foret; quia præcipuè attendendũ est, quô respectu & cujus contemplatione aliquid fiat, ut notârunt ex JCTis Everardus *Legal. arg. loco* 116. *n.* 5. ac Manzius *de Testament. Tit.* 6. *n.* 183. & ex TT. *citt.* Laiman *cit. cap.* 5. *n.* 5. & Haunold. *n.* 286.

In dubio, cujus intuitu facta institutio sit, DD. isti statuunt auxiliô distinctionis; vel enim, inquiunt, testator Professum per se validè institui non posse scivit, vel non? Si prius; institutionem principaliter ipsius societatis vel Domûs aut Collegii intuitu factam, est præsumendum; quia ultimæ voluntatis dispositionem sic interpretari oportet; ut potiùs valeat, quàm pereat, *arg. l. fin. C. de Usufructu.* Si posterius, alteram adhibent distinctionem: &, si testator extraneus, institutionem Societatis Collegii vel Domûs: Si verò consanguineus instituti fuit, propinquitatis vel personæ intuitu factam præsumendum, censent, argumentô deprompto ex eo, quod communiter & frequentiùs contingit.

124. Neque cum hactenus dictis pugnat; quòd, sicut aliis Religiosis quibuscunque, sic etiam FF. Minorib⁹, Capucinis &c. non solùm in communi, sed in particulari quoque relinqui valeant legata, ità tamen; ut ista Domibus & Collegiis, in quibus habitant, vel Ecclesiæ Romanæ acquirantur, §. *Adhæc quia Fratribus cit.* Sanchez *cap.* 27. *n.* 25. Is autem, qui hæres institui testamentô non potest, incapax sit etiam Legati, §. *Legati* 24. *Instit. de Legat.* Non, inquam, hic textus cum dictis pugnat; quia eô tradita Regula, licet procedat in iis, qui hæredes esse nequeunt ex dispositione Iuris communis: fallit tamen in iis, qui successionis hæreditariæ ex testamento vel ab intestato incapaces sunt ob Votum Paupertatis. Cujus differentiæ & ex tali causa hæreditatis incapacibus legata permittendi ratio fuit; quòd legata, cùm sint rerum particularium, se habeant instar eleemosynæ & rei donatæ: cujus Religiosi omnes sunt capaces: neque annexa habeant onera & lites sive Actiones judiciales, ut solent hæreditates, Laiman *cap.* 5. *cit. n.* 5. & Sanchez *cap.* 26. *n.* 10.

Tertiò, Societatis JESU Domus Professæ hæredes institui quidem possunt, immobilia tamen testamentô relicta, sicut & donata nequeunt retinere: sed ea oblatâ opportunâ occasione vendere, indèque paratam pecuniam in necessarios usus convertere debent; cùm bonorum & reddituum stabilium (exceptâ Domô Ecclesiâ, hortóque contiguo, & vineâ sive horto cum domo sua ad extraordinariam Religiosorum relaxationem) non sint capaces, *Constitut.* Julii III. quæ incipit *Exposcit, edita* 12. *Calend. Augusti* 1550. & Constit. Societ. *p.* 6. *cap.* 2. §. 5. Sed hinc

Dubium oritur, an valeat institutio, quâ hæres gravatur, ut singulis annis Domui Professæ certam pensionem pro Professorum sustentatione, fabricâ, ornatu Ecclesiæ solvat. Ratio dubitandi est; quia prædictæ Domui sic relinquitur legatum annui reditûs: cujus ipsa non est capax.

Nihilominus, licet Societatis Religiosis

ligiosis prohibitum sit, ne quemquam ad ejusmodi eleemosynas perpetuas Domibus professis relinquendas invitent, *cap. 2. cit. §. 2. & 6.* veriùs tamen est, sic institutum hæredem ad ejusmodi legatum annuum præstandum ex Justitia obligari; quia Societatis Constitutiones ejusmodi Domibus solùm interdicunt jus Civile sive Actionem ad eas petendas in judicio, & dispositionem sive eorum administrationem, *§. 6. cit. & Declarat. lit. B.* non autem prohibent aut irritant illorum juxta defuncti voluntatem oblatorum acquisitionem, *cit.* Sanchez *cap. 27. n. 9.* Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 6. n. 9.* & Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 10. n. 4.* Eadem ferè ratio & obligatio est hæredis, ad annuum legatum FF. Minoribus præstandum gravati; nam etiam hic ad id præstandum tenetur, licet id petendi jus & Actio dictis FF. non acquiratur, ut cum Sylvestro *V. Legatum 2. q. 3. dicto 3.* Rodriquez *Tom. 2. Regul. q. 126. art. 4.* & aliis tradunt *citt.* Suarez *Tom. 3. lib. 18. cap. 17. n. 19. & 25.* & Palao *p. 9. n. 12.*

Neque obstat; quòd *cit. §. 6.* dicatur, hæredem ejusmodi legata & eleemosynas perpetuas præstare, *Cùm eum moverit charitas in Deum*; quia, licet ad id moveatur Charitate comparatione Societatis, hujusmodi legata petendi jus non habentis: ex Justitia tamen movetur comparatione defuncti testatoris ex quasi contractu cum illo inito ipsâ aditione hæreditatis, Palao *cit. p. 10. n. 5.* ideóque hæres ad ejusmodi legata præstanda à Judice ex officio vel ad Civitatis ejúsve Syndici, imò cujusvis de populo agentis instantiam compelli potest, Sanchez *l. cit. n. 10.*

ARTICULUS VII.

De Legatis.

SUMMARIUM.

127. *Legati definitio,*
128. *Et differentia ab Institutione, Fideicommisso & Donatione.*
129. *Legare omnes, & legari omnibus non prohibitis potest:*
130. *Etiam Religiosis incapacibus institutionis hæreditariæ.*
131. *Legatum Pium in genere relictum valet,*
132. *Et ferè à circumstantiis recipit interpretationem.*
133. *Legari valent omnes res, in rerum natura & commercio existentes,*
134. *Alienari non prohibtæ & utiles.*
135. *Nec solùm res testatoris propriæ, sed alienæ quoque:*
136. *Cujus legatum etiam Jure Canonico subsistit:*
137. *Licet ea ad Ecclesiam spectet:*
138. *Et favore causæ Piæ, si eam alienam esse, testator ignoravit.*
139. *Legata relinqui possunt vel absolutè,*
140. *Vel sub conditione, Jure tamen non reprobatâ.*
141. *Conditio nuptias excludens pro non adjecta habetur,*
142. *Variè tamen casibus à legatario implenda est.*
143. *Sub conditione*, Si nupserit, *legatum capit ingrediens Religionem.*
144. *Conditio*, Si nupserit Titio, *à legatario plerumque:*
145. *Non semper adimplenda est.*

146. *Conditionem, à Religione retrahentem, à legato reijci, asserentium,*
147. *Et negantium verior Sententia.*
148. *Conditio*, Si Religionem ingrediatur, *implenda est*,
149. *Saltem per ingressum in Novitiatum.*

127 LEgatum, non pro re à defuncto relicta, sed pro actu legandi & propriè acceptum, optimè Justinianus esse ait, Donationem quandam, à defuncto relictam, ab hærede præstandam, §. 1. *Instit de Legatis.* Ab Imperatore, si sensum spectemus, non recedit Molina, cùm illud definiens, Legatum, inquit, est Ultima voluntas, quâ defunctus rem particularem, hoc est, id quod rationem hæreditatis non habet, alicui ab hærede præstandum liberaliter relinquit, *Tract. 2. de I. & I. disp. 193. n. 2.* & Haunold. *Tom. 2. de I. & I. Tract. 7. n. 220.* Unde

128. Legatum, licet cum Fideicommisso Particulari hodie ferè conveniat, ab aliis tamen Voluntatibus Ultimis multùm differt: & Imprimis quidem à Directa hæredis Institutione, cùm; quia hæreditas non ab alio, scilicet hærede, sed ab ipso testatore immediatè accipitur: tum verò; quia legatum onera, ut hæreditas, adjuncta non habet, *cit.* Molina *n. 2.* Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 10. n. 1.* & Zœsius *in ff. de Legat. n. 9.* Dein à Fideicommisso universali; quia hoc non est rei particularis, sed universalis, quæ hæreditatis habet rationem, Laiman *cit. n. 1.* Demum, à Donatione propriè dicta etiam ea, quæ mortis causâ fit, partim; quia legatum non conventione sive mutuô donantis & donatarii consensu; sed voluntate solius defuncti, rem aliquam post mortem suam in alium conferre volentis, relinquitur; partim verò; quia Donatio etiam mortis causâ, non necessariò ab hærede, sed ab ipso donante præstatur; ut dominium, si ea inter vivos, ferè firmiter: si verò mortis causâ sit, revocabiliter transferatur, *cit.* Molina *n. 3.* Laiman *n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 31.*

Legandi facultatem habent omnes, qui testamenti faciendi jus habent, *l. Sciendum 2. ff. de Legat. 1.* ut hac in re locus sit *Reg. Accessorium 42. in 6.* Legata etiam capere omnes, & regulariter soli ii possunt, qui hæredes instituere, aut saltem instituì possunt, §. *Legari 2. Instit. de Legat. cit.* Molina *disp. 193. n. 1. & 2.* Zœsius *de Legat. & fideicommiss. n. 10. & 11.* & Manzius *in §. cit. n. 2. Regulariter*, inquam, imprimis propriè Professos & Coadjutores Formatos Societatis JESU, Institutionis, non etiam Legati, incapaces, juxta dicta *n. 122.* licet & propter Ordinis S. Francisci FF. Minores & Capucinos: quibus, licet hæredes instituì nequeant, relinqui tamen legata possunt: dummodo tamen his non relinquatur legatum tantæ quantitatis; ut in fraudem Regulæ, & sub nomine Legati Hæreditas dari videatur, *Clement. 1. §. Item quod, V. Cupientes de V. S.* vel legato rei mobilis aut immobilis adjicitur conditio vel modus, ipsorum professioni repugnans, *c. Exiit. 3. §. Ita tamen V. Adhæc quia Fratribus, de V. S. in 6.* vg. si eis vinea vel domus monasterio non contigua; ut eas retineant, excolant, vel locent: vel pecunia; ut ex ea vestes duplices atq; superfluæ comparentur, Sanchez *Moral. Lib. 7. cap. 26. n. 10. 22. 24. &c.* Deinde, propter spurios, quibus, licet hæredes instituì nequeant, *Auth. Licet C. de Natural. lib.* Jure tamen, saltem Canonicò, aliquid relinqui potest in alimenta competentia, *c. Cùm haberet 5. De eo, qui duxit in matrim. quam*

trim. quam poll. sicut & in dotem, quæ locò alimentorum succedit, Molina *cit. disp. 195. n. 4.* Grassus *§. Institutio q. 97. n. 16.* & Manzius *de Testam. Tit. 6. q. 7. à n. 98.* Ubi

131. Dubium est, cui debeatur legatum Pauperibus generatim, vel Ecclesiæ, si plures sint in loco. Hujusmodi legata non deberi, sed prophanorum instar, *§. Incertiu 25. Instit. de Legatis l. Si quis ita 3. §. 7. ff. de Adimend. legat. & l. Si quis 27. ff. de Reb. dub.* ob incertitudinem vitiari, vult Socinus *in l. Quidam 5. ff. de Reb. dub. n. 12.* Sed contra expressam dispositionem Juris, quò legata incerta favore pauperum, & qui istorum nomine veniunt, sustineri, liquet ex *l. 24. C. de Episc. & Cleric.* cujus tenor, *Id quod pauperibus Testamentò vel Codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, Sed omnibus modis ratum firmúmque consistat*, Tiraquell. *Causa pia privileg. 56.*

132. Quare tali casu præ oculis habendæ & ponderandæ sunt rei circumstantiæ, vg. an testator alicui Ecclesiæ aut alteri Pio ac Religioso loco speciali affectu addictus, sua in eum conferre, vel ibi frequenter orare solitus sit; hôc enim casu ab eo legatum huic aut, si talis in loco non sit, Ecclesiæ ipsius Parochiali, præsertim existenti in domicilio habitationis, præstandum existimat Panormit. *in c. Indicante 4. n. 4.* Quando verò ex ejusmodi circumstantiis testatoris mens & affectio explorata non est, id propriæ Ecclesiæ Parochiali, aut in qua sepulturam habet, exhibendum: aut, si duarum Ecclesiarum Parochianus fuit, has inter ex æquo dividendum est, secundùm *cit.* Tiraquell. *Privileg. 56.* si verò talem in loco non habeat, Ecclesiæ, Monasterio vel hospitali relictum, ex pluribus pauperiori tribuendum erit, secundùm *Novell. 131. cap. 9.* Cui accedit ratio; quia testator in dubio illi Ecclesiæ legare voluisse præsumitur, cui legandò majus opus Charitatis exercet, & animæ suæ meliùs consulit: quod per legatum Ecclesiæ, Hospitali &c. magis indigis relictum obtinetur, Barbosa *in c. Indicante cit. n. 5.* Quando verò legatum relinquitur in alimenta pauperum, inter pauperes illius loci, in quo decessit, distribuendum erit, *Novell. cit. cap. 11.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 11. n. 8.*

133. Legari possunt Res quæcunque: Corporales, ut castrum, prædium, fundus, ædes, grex, peculium, supellex: & Incorporales, ut servitus aliáve jura & actiones, §. *Tam autem 21.* nec solùm in natura existentes ac præsentes, sed & futuræ, ut fructus, qui hoc anno nascuntur, §. *Ea quoque 7. Instit. de Legat.* neque res tantùm, sed facta quoque, vg. refectio ædium, liberatio ab ære alieno, *§. Tam autem cit. V. Sed & tale & l. Mortuo 49. §. fin. ff. de Legat. 2.* quæ, alicui legata, de bonis hæreditariis ab hærede præstari, est necesse: nec iste liberatur solvendò interesse; quia, sicut Legales, sic & Testamentariæ dispositiones sunt præcisæ; ut eô modô, quô testator expressè disposuit, effectum debeant sortiri, *l. Vel negare 5. ff. Quemad. test. aper. & l. Qui hæredi 44. pr. ff. de Condit. & demonstr.* Everard. *Legal. arg. loco 46.* Gomez *Tom. 2. Var. cap. 10. n. 22. V. Tertius* & Manzius *ad §. cit. n. 14.*

Ut autem rei legatum valeat, necessarium est Primò; ut existat, vel saltem in rerum natura existere valeat, *l. Si servus 108. §. 10. ff. de Legat. 1. & l. Quidam 7. §. 1. ff. de Tritico, vino, ol. leg.* cùm impossibilium nulla obligatio sit, *Reg. 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* Secundò; ut non sit extra commercium hominum, idest, talis, quæ ab aliquo acquiri,

quiri, haberi & possideri non possit. Unde Templa, Fora aliáque Sacra & principali vel publico usui destinata loca, uti & liber homo legari non possunt, §. *Non solum 4. Instit. l. Si servus 39. §. 8. &c. ff. de Legat.* 1. adeò; ut ne quidem eorum æstimatio debeatur, *l. cit. §. fin.*

134. Tertiò; ut alienari & per consequens legari non sit prohibita: ex qua causa legari nequeunt, quæ juncta aut fixa ædibus & istarum parietibus inhærent, *l. Cætera 41. ff. de Legat.* 1. Quartò; ut ex ea aliquid commodi & emolumenti pervenire ad legatarium possit, cùm; quia legatum dominii acquirendi est modus, §. *fin. Instit. Per quas pers. cuique acquir.* tum verò; quia id exigit natura Donationis, cujus legatum species quædam est, §. *Instit. de Legat.* Quare res sua nemini utiliter legatur; cùm, quod proprium est alicujus, ampliùs ejus fieri non possit, §. *Sed si 10.* sicut & ea, quæ legatario tota debetur, vg. si debitor creditori leget, quod ei debet, §. *Ex contrario 10. Instit. & l. Sin autem 29. ff. de Legat. 1.* si plus in legato, quàm in debito non sit, §. *Sed si uxori 15. Instit. ibid.* Zœsius *in ff. de Legat. & Fideicommiss. à n. 17.* & Perez *in C. ibid. à n. 9.* Unde

135. Dubium oritur de valore legati rei alienæ. Non quidem de Jure Civili; hôc enim spectatô apud Interpp. ac DD. cæteros recepta est distinctio: quâ rei, neque ad testatorem, neque ad hæredem pertinentis legatum, si testator eam relinquens rem alienam esse scivit, pro valido: si ignoravit, pro nullo disertè habetur, §. *Non solum cit. l. Unum 67. §. 8. ff. de Legat. 2. & l. Cùm alienam 10. C. ibidem.* Casu tamen, quô aliena & in commercio humano existens res legata est à sciente, non ea domino invito auferenda, sed hæres cogendus est eam justô pretiô redimere & redemptam legatario tradere: aut, si eam consequi à domino non valeat, justam ejus æstimationem legatario solvere. Ratio hoc ita statuendi fuit favor Ultimæ voluntatis; quæ ut effectum sortiretur, rem alienam redimi, aut si redimi nequeat, æstimationem præstari testatorem voluisse, Juris præsumptio est. Onus tamen probandi, testatorem rei alienæ scientiam habuisse, legatario, tanquam agenti, imponitur, §. *cit.* cùm enim testamentum de re sua dispositio sit, *l. Verbis 120. ff. de V. S.* rem legatam pro sua habuisse; ac proinde, rem alienã esse ignorâsse, præsumitur, donec scientia probetur, secundùm *Reg. Præsumitur 47. in 6.* vel hæc Juris præsumptio per aliam fortiorem tollatur: sicut contingeret, si rem alienam legâsset uxori vel alteri personæ conjunctæ; hôc enim casu, eam legaturus fuisse, præsumitur etiam, si alienam esse scivisset, *l. Cùm alienam cit.* Ita *cit.* Zœsius *n.* 15. Perez *n.* 14. & ex TT. Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 10. n. 7.* & Haunold, *Tom. 2. de I. & I. tract. 7. n. 281.*

Sed de Jure Canonico, propter Rescriptum Gregorii Papæ *c. Filius 5.* alienæ rei legatæ retentionem pronuntiantis injustam, ejúsque restitutionem imperantis ex ea ratione; quòd *non Lege hujus Seculi* sive Civili, rem alienam legatam præstari cogente: sed *Lege Dei*, eam domino suo restitui jubentis, sit vivendum. Quâ ratione & *c. cit.* decisione ducti Interpp. non pauci *in c. cit.* cum Glòssa *fin.* Panormit. *n. 5.* Imola *n. 9.* & aliis apud Covarruviam *in c. cit. n. 9.* Civilem de re aliena legata dispositionem correctam, volunt. Sed malè; quia hanc ipsorum Opinionem convellit *can. Si Episcopus 12. q. 5.* ubi de Ecclesiastici juris proprietate ab Episcopo legatum sustinetur,

stinetur, *Si tantundem de proprii juris proprietate suppleverit.* Non minùs ei ratio adversatur partim; quia ratio, ob quam rei alienæ legatum Jure Civili sustinetur, scilicet favor ultimæ voluntatis, Jure Canonicô approbata est, *can. Ultima, 13. q. 2.* partim verò; quia Leges Civiles, alienæ rei legatum permittentes, nihil continent iniquitatis; cùm secundùm ipsas domino invito res sua non auferatur: sed eam duntaxat justô pretiô vendendi occasio ipsi offeratur, ut rectè notant Covarruvias *in c. Filius tit. n.* 10. Zœsius *in ff. de Legat. & Fideicommiss. n.* 24. & Gonzalez *in c. cit. n.* 13.

Neque in contrarium facit Rescriptum Gregorianum; quia isto solummodo improbatur factum Episcopi Messanensis, suæ Ecclesiæ legatam aut ab hærede traditam rem alienam, ejus domino, scilicet Ecclesiâ Consentinâ invitâ, retinentis & pro se allegantis dispositionem Juris Civilis, rem alienam legatam præstari permittentis: cui Gregorius non III. sed I. ejus nominis vulgò Magnus reposuit, eum Seculi sive Civili Lege non defendi: sed secundùm Legem Divinam, rem alienam invitô Dominô retineri prohibentem, calicem & puerum à testatore injustè detentũ Ecclesiæ Consentinæ restituere teneri. Ita cum Menhaca. *de Succes. creat. §. 11. n.* 21. & aliis difficile hoc Rescriptum ex integra ejus lectione eruditè exponit Gonzalez *n.* 14.

Affinis huic & *c. Filius cit.* plenæ lectioni, à Gonzalez relatæ, maximè consentanea est expositio Haunoldi *Tract. cit. n.* 282. cum Covarruvia *in t. cit. n.* 41. & Fachineo *Lib. 5. Controvers. cap.* 38. asserentis, à laudato Papa leges Civiles, alienæ rei legatum sustinentes, non improbatas generaliter & eô etiam casu, quô ea domino consentiente redempta, vel ejus æstimatio præstatur: sed in facto duntaxat Episcopi rem alienam retinentis in circumstantiis, in quibus hæres ad ejus redemptionem vel æstimationis præstationem non poterat obligari, cùm; quòd ipsi vix congrua sustentatio à patre esset relicta: tum verò; quòd legatum sepulturæ gratiâ relictum esset contra sanctionem Ecclesiasticam ejusdem Papæ, sepulturæ gratiâ aliquid exigi & accipi vetantis, *can. Questa, 13. q. 2.*

Dubium secundò est, an valeat scienter relictum legatũ alienæ rei non sacræ, vg. fundi ad Ecclesiam spectantis. Ratio dubitandi est; quia ejusmodi res prohibita est alienari, *c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien. & l. Jubemus 14. C. de SS. Eccles.* Verùm, quia ejusmodi res alienari non omnino, sed tantùm sine justa causa & non adhibitis Juris solennitatibus, prohibetur, *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. c. Cùm Apostolica 7. §. E contrario, c. Tua nuper 8. V. Irrita, de Iis, quæ à Prælat. c. fin. de Reb. Eccles. alien. & c. 1. ibid. in 6.* ideo, sicut res Minorum & Pupillorum legari possunt, quantumvis non nisi observatô certô modô valeant alienari: sic etiam ipsæ, licet sine certa solennitate nequeant alienari, à testatore tamen, eas ad Ecclesiam spectare sciente, legari possunt; ut vel ipsæ redemptæ vel, si redimi nequeant, earum æstimatio debeatur, *can. Si Episcopus cit.* Panormit. in *c. Cùm esses 10. n. 18.* & Covarruvias *in c. Filius cit. n.* 7. 137.

Neque obstat *l. Cùm servus 39. §. 7. ff. de Legat. 1.* quia textu istô agitur de legata re aliena, quæ in commercio esse non censetur; cùm vendi non possit sine consensu Principis, quem iste præstare minimè solet, Covarruvias *ibid. n.* 9.

Dubium tertiò est, an legatum rei alienæ ab ignorante factum valeat favore 138.

causæ Piæ. Quod contra Panormit. *in c. Filius cit. n. 1.* concedunt Tiraquell. *Causæ piæ privileg. 66.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 116. n. 31. arg. l. Cùm alienam cit. & l. Paulus 39. pr. ff. de Fideicommiss. libert.* secundùm quarum legum priorem ejusmodi Legatum personæ conjunctæ: secundùm posteriorem verò, libertas servo alieno ignoranter relicta, debentur ob favorem conjunctionis & libertatis: quibus cùm non minùs favorabilis sit causa Pia, meritò etiam huic legatum à testatore relinquendum fuisse præsumitur, si rem alienâ esse ignorâsset; cùm enim Deus Pater noster & Ecclesia Mater sit, *can. Qui abstulerit, 12. q. 2.* illi & huic pro anima relictum, nobis maximè conjunctis relictum censetur, Baldus *in Repetit. l. 1. C. de SS. Eccles. n. 34.*

139. Relinqui prædictæ res à legatario possunt vel purè, hoc est, simpliciter & non adjectâ ullâ conditione, modô, die &c. quô modô relicta, licet peti nequeant ante mortem testatoris; quòd hominis voluntas usque ad supremum vitæ exitum ambulatoria sit, *l. Quodsi 4. ff. de Adimend. legat. & l. 1. §. 1. & 5. C. de Caduc. tollend.* & post aditam primùm hæreditatem sint præstanda, *l. Omnia 32. pr. ff. de Legat. 2.* ut, si ex hæredibus scriptis eam nemo adierit, legata prophana (nisi virtute clausulæ Codicillaris subsistant) omnia corruant cum testamento, *l. Si nemo 9. ff. de Testam. tutela:* nihilominus ad hæredes legatarii transmittuntur, quantumvis iste ante aditam hæreditatem decedat, *l. 1. & l. Si Pontionilla 3. C. Quando dies legati:* & peti possunt unà cum fructibus, qui ex rebus legatis post mortem testatoris, etiam ante hæreditatis aditionem, sunt percepti, ut cum Bartolo Baldóque ex *l. Si sibi 86. §. 1. ff. de Legat. 1.* desumunt Gomez *Lib. 1. Var. cap. 12. n. 5.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 180. n. 3.* Vel non purè, sicut fit, cùm aliquid legatur in tempus aut diem certum, vg. ad proximas Calendas Januarias, incertúmve vg. cùm studiorum cursum absolverit, cùm ex peregrinatione, expeditione bellica &c. salvus redierit; & præsertim sub conditione relata in eventum futurum, vg. *Lego mille, si Dottor evaserit, si matrimonium contraxero, si Religionem fuerit ingressus &c.* cujusmodi legata conditionalia regulariter neque debentur neque peti possunt ante conditionis eventum, *l. Ulrica §. 7. C. de Cad. tollend. l. Si cùm hæres 4. & l. si post diem 5. §. 2. ff. Quando dies legati,* quia antè non est certum debitum. 142.

Dico, *Regulariter*; quia impiritia conditio aliquando à Jure remittitur, & habetur pro non adjecta, *l. Si post diem 5. cit. §. 3. & 4.* ubi sub conditione impossibili relictum pro legato puro habetur. Deinde; quia, cùm, quò magis conditionem legatarius impleret, per hæredem vel per eum stetit, in cujus persona illa implenda fuit, ea pro impleta habetur, *l. cit. §. 5.* Et demum; quòd quando legatum, vg. centum alicui puellæ in dotem, *Si nupserit*, relictum fuit principaliter non intuitu ipsius personæ, sed Pietatis, eâ mortuâ legatum non expirare: sed alteri puellæ pauperi maritandæ applicandum, monent Panormit. *in c. Nos quidem 3. n. 14.* & Sylvester *V. Legatum 1. q. 10.* Unde

Dubium oritur primò de valore legati relicti sub conditione, Nuptias excludente. Qua in re quatuor præsupp. casus distingui solent.

Et primò quidem Legatum, fiat & hæreditatem, Virgini relictam sub conditione, *Si non nupserit*, ei etiam nubenti deberi: & eam cui, *Si nupserit centum, Si non nupserit*, ducenta legan-

gata sunt, etiam cùm nusperit ducenta consequi & conditionem, tanquam procreationi prolis & Utilitati Reipublicæ contrariam, Jure Civili pro non adjecta haberi, liquet ex *l. Cùm tale 72. §. 5. & l. Titia 100. ff. de Condit. & demonstr.* Eadem ratio est legati, quod legatarius, *Si nupserit* restituere vg. Titio jubetur; nam etiam id retineri à nubente potest, *l. Quoties 22. ff. de Condit. & demonstr.* quarum legum dispositionem, quòd justa & à sacris Canonibus intacta sit, etiam in Foro Conscientiæ locum habere, tradunt Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 19. n. 10.* Guttierez *de Matr. cap. 21. n. 11.* & Sanchez *Lib. 1. de Matr. disp. 34. n. 6.*

142. Dixi autem, *Virgini*; quia conditio, *Si non nupserit*, legato viduæ aut viduo relicto adjecta non rejicitur, *Auth. Cui relictum C. de Indicta viduit. & Novell. 22. cap. 43. & 44.* Ratio est; quòd honestum sit à secundis nuptiis abstinere, *can. fin. 31. q. 1.* Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 9. n. 3. & 11.* Gomez *Lib. 1. Var. cap. 12. n. 78. citt.* Molina *disp. 207. n. 3.* & Sanchez *disp. 34. à n. 29.*

Secundò simili modo pro non adjecta habetur conditio non nubendi, nisi ex alterius voluntate & consensu, *l. Cùm tale cit. §. 4.* cùm; quòd eâ conditione matrimonii libertas minuatur: tum verò; quòd legatarius retrahatur à matrimonio; cùm alter suum consensum in personam, cui legatarius nubere vult, possit denegare. Secus esset, si legato adjecta conditio ad non nubendum sine consilio obligaret; cùm enim vi talis conditionis consilium alienum petere duntaxat, non etiam sequi teneatur, libertas matrimonii non diminuitur, *citt.* Sanchez *n. 24.* Guttierez *cap. 21. n. 25.* & Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 11. n. 6.*

Tertiò, nihilominus validum est legatum, etiam Virgini relictum sub conditione, *Si non nupserit ante certum & matrimonio aptum tempus*, *l. Sed si hoc 62. §. fin. ff. de Condit. & demonstr.* vel cum certa aliqua, præsertim indigna & disparis conditionis persona: vel cum certo genere personarum, vg. certi oppidi, provinciæ, familiæ vg. ignobili, aut ex Judæorum sanguine descendenti, Henriquez *Lib. 11. cap. & n. 6.* & *cit.* Sanchez *à n. 35.*

Quartò, validum etiam est legatum sub conditione *Si non nupserit* relictum; ut, *Si nupserit*, pro libertate servo concedenda, vel pauperibus, Ecclesiæ vel alteri loco aut causæ Piæ legatum sit applicandum: ut de libertate desumitur ex *l. Titio 96. §. 1. ff. de Condit. & demonstr.* de causa autem Pia; quòd libertati æquiparetur, & propterea ab ista ad illam validum sit argumentum, per tradita ab Everard. *Legal. arg. locô 58. n. 6.* Tiraquell. *Causæ piæ Privileg. 18. citt.* Sanchez *n. 34.* Guttierez *n. 36.* & Palao *n. 10.*

Dubium secundò est de legato sub conditione, *Si nupserit.* Quod quidem 143. valere; cùm conditio, licet non de meliori bono, justa tamen & honesta sit: attamen, si is, cui relictum est, Religionem ingrediatur, legatum etiam ipsi deberi, voluit Imperator *Novell. 123. cap. 37.* pro non scripta habens conditionem illam; & benignâ supremæ voluntatis interpretatione præsumens, testatorem, uti & donantem, si de Religione cogitâsset, nihilominus legaturum fuisse aut donaturum, ut cum Card. Mantica *de Conject. Ultim. volunt. Lib. 11. tit. 18. n. 2.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 148. n. 6.* tradit *cit.* Sanchez *disp. 33. cit. n. 30.* Aliud esset, si testator indefinitè puellis in matrimonium locandis reliquisset; id enim non deberi, nisi ineuntibus matrimonium carnale, cum

Baldo *in l. fin. C. de Sent. quæ sine certa quant. n.* 14. Covarruvia *in c. Non quidem 3. n.* 11, *V. Sextò* & aliis DD. verisimiliùs existimat *cit.* Sanchez *n. 32.* quòd ita legans intellexisse præsumatur de nuptiis propriè dictis: cujusmodi non est matrimonium spirituale.

Neque obstat *cit. Novell. cap.* 37. quia ejus dispositio, utpote exorbitans à Jure communi, exigente conditiones in propria & specifica forma impleri, *l. Qui hæredi 44. & l. Mævius 55 ff. de Condit. & demonstr.* ad alios casus; ac proinde loquens de legato certæ personæ, *Si nupserit*, ad legatum puellis maritandis non est extendenda. Aliud esset, si legatum ad filias aut neptes in matrimonio collocandas esset relictum; hoc enim propter præsumptam singularem affectionem erga personas sanguine conjunctas admitteret interpretationem pleniorem, & legatum ad easdem Religionem ingressuras extendentem, juxta *l. Aurelius 28. §. 3. ff. de Liberat. legat.* Mantica *Tract. cit. Lib. 8. tit. 5. n. 22. citt.* Guttierez *cap. 20. n.* 27. & Sanchez *cit. n. 32.*

144. Dubium tertiò est de legato aut hæreditate relicta sub conditione, *Si nupserit certa persona* vg. Titio, aut alicui de certa familia. Quam conditionem; quia honesta est, & pro non adjecta non habetur, implendam; ut relictum legatarius consequatur, contra Saa *V. Legatum 37.* communis sensus est DD. id ex *l. Si ita 12. §. 1. l. Legatum 63. §. 1. & l. Titio 71. §. 1. ff. de Condit. & demonstr.* desumentium apud *cit.* Sanchez *disp. 33. n. 6. & 9.*

145. Excipi tamen ab iisdem solent Primò casus, quò tali conditione vel modò gravamen fieret in Legitima; ista enim cùm lege debita sit, gravari non potest, *l. Quoniam 32. C. de Inoffic. test.* Mantica *cit. Tit. 18. n.* 12. & Sanchez *n.* 10. Secundò, quò vi ejusmodi conditionis nubendum esset personæ indignæ, aut quacum matrimonium honestè & licitè contrahi non posset; quia talis conditio, tanquam turpis & impossibilis, pro non adjecta habetur, *l. Cùm ita legatum 71. §. 1.* cùm id solùm possimus, quod possumus licitè & honestè, *can. Facta*, junctâ Glosâ *V. Quod potest, 22. q. 2. cit.* Sanchez *n.* 11. Tertiò, quò persona, cui vi conditionis nubendum esset, hæredis aut legatarii nuptias reculat, aut ante eas decedit; hoc enim casu hæres aut legatarius sub ea conditione relictum absolutè consequetur, *l. In testamento 31. ff. de Condit. & demonstr.* quia conditio habetur pro impleta, Menoch. *cit. præsumpt. 183. n. 25. citt.* Mantica *Tit. 11. n. 37.* & Sanchez *n.* 19. Quartò denum, Legatum virgini relictum sub conditione, *Si nubat Titio*, illa consequetur, si alteri nubat jussu patrui; quia subintelligitur altera conditio, *Si honestè potest*: virgo autem paternæ voluntati contravenire honestè non potest, Mantica *cit. Tit. in fine* & Covarruvias *cit. p. 2. cap. 3. §. 9. n. 2.*

Dubium quartò est de legato aut donatione facta sub conditione ab ingressu Religionis vel Clericatu abstrahente, Quam, sicut & conditionem, *Lego Titio, si nupserit, ducenta, si Religionem ingrediatur centum*, pro non adjecta haberi, cum Acosta *in l. Cùm tale cit. §. 4. ampliat. 11. n. 1.* Parisio *in c. In præsentia 8. de Probat. n.* 137. Everardo *Legal. arg. loco 76. n. 5. & 8.* Medina *de Restit. q. 23. §. Itaque quatuor* & alii similiter sustinet Pontius *Lib. 3. de Matr. cap. 7. n. 13. & 14.* partim; quòd matrimonium Spirituale æquiparetur Camali, *Novell. 123. cap. 37.* Secundùm quam legatum relictum virgini maritandæ consequitur

147

sequitur ingrediens Religionem: à Carnali autem matrimonio abstrahens conditio pro non scripta habeatur, *l. Cùm tale cit. §. 5. & l. Titiæ citt.* partim; quòd Clericatus & Religionis Status sint perfectiores Statu Matrimoniali: & propterea ab iis retrahens conditio meritò videatur turpis, ac proin contractum vitiet, & à Legato rejiciatur, *l. Conditiones 9. l. Institutio 10. ff. de Condit. instit. & l. Non debita 20. ff. de Condit. & demonstr.*

147. Sed veriùs ejusmodi conditionem valere, & à legatario adimplendam, cum Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 19. n. 10.* Menoch. *præsumpt. cit. à n. 18.* Mantica *cit. Tit. 18. n. 29.* Molina *cit. disp. 207. n. 17.* Guttierez *cap. 21. n. 14.* & Sanchez *cit. disp. 34. n. 11.* defendit Palao *cit. p. 11. n. 12.* Ratio, quâ nituntur, est; quòd conditio illa non turpis, sed licita sit & honesta; cùm rejecta non sit à Iure: & à testatore, non legatarii à vita & statu perfectiori retrahendi animô, sed conjugium inituri necessitati, dotem multò, quàm in Religione victuro necessaria est, ampliorem exposcenti, majori bonorum parte relictâ prospiciendi, propagandæ & in splendore conservandæ familiæ & Reipublicæ per sobolis procreationem augendæ studiô adjecta videatur: eâque fidelium aliquem à sanctioris vitæ proposito abstrahendum, verisimile non sit.

Neque vim habent argumenta, quibus ejus honestas impugnatur; quia imprimis æquiparatio matrimonii Spiritualis cum Carnali in casu *Novell. cit.* procedit ex præsumpta voluntate testatoris: non contra eam, ut notat *cit.* Mantica *Tit. 18. n. 31.* Deinde; quia argumentum à matrimonio Carnali ad Spirituale non procedit, quando finis per dispositionem de uno intentus, per alterum non obtinetur; sicut hic procreatio prolis ad augendam Rempublicam & familiam conservandam: cui matrimonium spirituale adversatur. Demum; quia, licet Clericalis & Religiosus Status perfectior sit Matrimoniali, illius tamen perfectionis intuitu conditionem, quæ huic præillo favet, pro non scripta habendam, ullô Iuris textu, ut dictum, expressum non est.

Confirmantur ista; quia, ut mox statuetur, valet conditio *Lego Titio si Religionem ingrediatur ducenta. Si nubat centum.* Cur non vice versâ? quia Religionis professio privatum ingredientis: matrimonium autem publicum bonum spectat, Laiman *cap. 10. cit. num. 12. in fine.*

Dubium quintò est de conditione, 148.
Lego Titio centum, si ingrediatur Religionem, aut Clericatum assumat. Ratio de ejus valore dubitandi est; quòd retrahat à matrimonio; cùm æquivaleat conditioni, *Lego centum. si non nupserit,* apertè rejectæ *l. Cùm tale §. 5. & l. Titiæ citt.* Verùm, quia conditionis istius appositione testator directè legatarium præmii duntaxat spe ad vitam perfectiorem allicere intendit: à nuptiis autem solummodo in consequentiam quandam, non directè retrahit, eam validam & à legatario, ut relictum consequatur, assumptione Clericatûs vel Religionis ingressu adimplendam, cum Baldo *in Auth. Cui relictum cit. n. 3.* Jasone *ibid. n. 4.* & aliis defendunt Covarruvias *cit. cap. 19. n. 10.* Gomez *Tom. 1. Var. cap. 12. n. 78. citt.* Molina *n. 6.* Sanchez *n. 15.* & Palao *n. 13.* asserens *§. 5. & l. Titiæ citt.* rejici solas conditiones, à nuptiis directè retrahentes.

Tali tamen conditione relictum le- 149.
gatarius probabiliùs consequitur, & retinere valet, si post Clericatum vel Religionem bonâ fide & perseverandi ani-

mô assumptam mutet consilium, & ante susceptionem Subdiaconatûs vel probationis annum expletum ad seculum & laicalem conversationem revertatur; quia seriâ assumptione Clericatûs & Novitiatûs ingressu conditio jam impleta censetur secundùm loquendi usum communem, qui in legum & ultimarum voluntatum dubiarum interpretatione præcipuè spectatur. Quod confirmatur paritate Voti ingrediendi Religionem: cui perseverandi animô Novitiatum ingressus satisfacit, quantumvis postea ex rationabili causa ad seculum redeat; quòd in dubio promisisse præsumatur ingressum Iuri conformem, scilicet conjunctum cum libertate regressûs, si Religio displiceat, ex mente S. Thomæ 2. 2. *q. 189. art. 4.* Cùm ergo legato à testatore relicto apposita conditio etiam de ingressu, usu receptæ nominis significationi conformi, exaudienda sit, ingressu in Novitiatum & Ordinum minorum susceptione, perseverandi animô factis, conditio illa impleta erit; ut relictum legatarius consequatur, ac retinere valeat post regressum; quia ad legati consecutionem sufficit, conditionem aliquando esse impletam, *l. Si hæredem 7. C. de Instit. & substit.* Jason *in l. cit. n. 13. citt.* Sanchez *n. 17.* & Palao *n. 15.*

ARTICULUS VIII.

De Falcidiæ deductione.

SUMMARIUM.

150. *Hæres deducit quartam partem bonorum,*
151. *Quæ mortis tempore habuit testator,*
152. *Computatis in illam sibi relictis titulô Institutionis:*
153. *Deductô tamen prius ære alieno,*
154. *Impensis funeris & pretiis manumissionum.*
155. *Quarta non deducitur ex relictis testamentô Militari,*
156. *Aut ad Pias causas,*
157. *Et ex aliis contra prohibitionem testatoris:*
158. *Neque ex iis, quæ iste tanquam debitum reliquit.*
159. *Eandem non deducit hæres, qui non confecit inventarium.*
160. *Aut res hæreditarias surripuit,*
161. *Aut executus non est voluntatem testatoris:*
162. *Qui legata integra Iuris:*
163. *Non qui Facti errore solvit,*
164. *Et, cui rei legata alienatio prohibita est.*

NE, scriptis vel nuncupatis hæredibus ob nullum vel exiguum lucrum hæreditatem recusantibus adire, suprema hominum judicia facilè destituantur, latâ à Falcidio Tribuno plebis, ab eóque Falcidiæ nomen sortitâ lege salubriter cautum est; ne quis Testamentô plus quàm dodrantem, sive tres partes bonorum legare possit ut regulariter hæres, sive unus sive plures sint, quartam illorum partem ex Legatis, Fideicommissis, Donationibus mortis causâ factis, & morte confirmatis detrahere sibique retinere possit, *pr. Instit. l. 1. pr. ff. l. Etiam si 3. l. Si quis 8. l. In donationibus 12. C. ad L. Falcid. & l. Intestata 2. C. de Donat. mort. causâ.* Si hæredes de numero descendentium vel ascendentium sint, de bonis testatoris accipere possunt portiones suas legitimas integras, quas ille de rebus suis disponendô diminuere non potuit, Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 213. n. 1.*

Quarta

151. Quarta autem pars illa deducitur ex omnibus bonis, quæ mortis tempore testator habuit, nullâ ratione habitâ auctionis vel diminutionis; ut, si quid post testatoris mortem bonis accrevit vel decrevit, legatariis nec noceat nec prosit: sed totum hæredis lucro vel damno cedat, §. *Quantitas* 2. *Instit. l. In ratione 30. pr. & l. In quantitate 73. pr. ff. ad L. Falcid.* Ratio hoc ita statuendi fuit; quòd hæreditas mortis tempore hæredi deferatur; ut eam adire, si velit, statim possit: eóque tempore ut plurimùm cedat dies legatorum, hoc est, legatariis jus quæratur ad legata: quæ proinde quanta eô tempore sunt, tanta debentur; ut, sicut non augentur bonorum incrementô, nec decrementô minuantur: sed hoc etiam cedat hæredi, qui sibi imputare debet additionis dilationem, Wesenbecius *in* §. *Quantitas cit. n.* 1. & *ibi* Manzius *n.* 5.

152. Quantumvis autem hæres in quartam illam partem imputare teneatur omne id, quod ipsi titulô sive jure Institutionis est relictum, imputare tamen in eam non tenetur omne id, quod ipsi relictum est titulô legati: sed quarta illa pro rata detrahenda est de legatis omnibus, tam ipsi, quàm aliis relictis, *l. In quartam 91. ff. ad L. Falcid.* Molina *l. cit. n.* 5. & Haunold, *Tom.* 2. *de J. & J. tract.* 7. *n.* 355.

153. Priusquam etiam testatoris bonorum ratio ineatur, deducenda sunt tria: & Primò quidem totum æs alienum, sive omnia debita, & quæcunque in Foro conscientiæ obnoxia sunt restitutioni: quæ si totam hæreditatem absorberent, nec legata nec fideicommissa deberentur, & per consequens neque Falcidiæ deductioni locus foret, *l. Successores 8. C. ad L. Falcid.* Dein impensæ funeris, & quidquid hæredes in testamenti insinuatione, Inventarii confectione & ratione hæreditatis quôvis modô necessariò insumpserunt. Et tandem pretia servorum, quibus libertas est relicta; ut ex eo demum, quod his deductis supereſt, quarta pars apud hæredem remaneat: tres verò partes reliquæ inter legatarios distribuantur pro rata portione ejus, quod cuique est relictum, §. *fin. Instit. eâdem Rubr.* Perez *in C. ad L. cit. n.* 8. & 9. Manzius *in* §. *cit. n.* 2. & ex TT. Molina *disp.* 213. *cit. n.* 19. & Haunold. *tract.* 7. *cit. n.* 360. Declaratur exemplo testatoris id, quod ære alienô, impensis funeris & servorum manumissorum pretiis deductis supereſt, totum vg. quadringentos aureos, quos in bonis habuit, legantis; hôc enim casu hæredi debetur quarta pars, scilicet centum aurei: quos ut consequatur, legatariis quarta pars detrahenda est; ut, si ipsis portiones æquales vg. quatuor legatariis singulis centum legati sint, singulis ablati viginti quinque aurei hæredi obveniant: si verò ipsis portiones inæquales vg. primo ducenti, secundo centum tertio sexaginta & quarto quadraginta aurei relicti sint, primo quinquaginta, secundo viginti quinque, tertio quindecim & quarto decem detractos; ac proinde universè centum aureos consequatur, Harprecht *in* §. *cit. n.* 10. & Manzius *à num.* 7.

Hæc autem quartæ defalcatio, ut insinuatum, Regularis est. Non Perpetua; cùm variis casibus lex Falcidia cesset, & integra legata præstare hæres teneatur. 155.

Sic enim primò quartæ partis deductioni locus non est in legatis, relictis testamentô Militari; cùm militis sola in disponendo voluntas spectetur, & secundùm eam legata, ut relicta sunt, integra debeant præstari, *l. Si certarum* 17. §. *fin. ff. de Testam. milit. & l. In testamento* 7. *C. ad L. Falcid.* Quod Jus hodie quoque obtineret, & *Novell.* 1. *cap.* 4. minimè sublatum,

sublatum, cum Tholos. *Syntag. Lib.* 42. *cap.* 6. *n.* 10. Contra Manticam *de Conject. ult volunt. Lib.* 6. *tit.* 1. *n.* 37. fortiter sustinet Barri *de Testat. & intest. Lib.* 15. *cap.* 7. *n.* 9.

156. Secundò in legatis ad causas Pias, *Auth. Similiter C. ad L. cit.* quâ disertè asseritur, *In his, quæ ad causas pias relicta sunt, Falcidiam cessare.* Simili modò legata, loco Pio relicta, sine diminutione qualibet assignari jubentur *c. Nos quidem* 3. *hâc Rubr.* Quorum textuum licet prior ex *Novell.* 131. *cap.* 12. non fideliter descriptus sit: posteriori verò agatur de hærede, legatorum solutionem negligenter ultra annum differente: de quo dispositum perperam trahitur ad eum, qui in legatis præstandis moram ullam aut aliam culpam non commisit, ut satis eruditè nonnulli, præsertim RR. observant: licet, inquam, hoc ita sit, communi tamen judicantium & consulentium usu utriusque tenor, ut sonat, receptus, & approbatus est sensus favorabilis causæ Piæ, & huic legatorum partem aliquam in quartam hæredi debitam imputari non permittens, Covarruvias *in c. Raynaldus* 18. §. 3. *n.* 13. Tiraquell. *Privileg. causæ Piæ* 26. §. *Et id*, plurimos in rem hanc allegans. Gaill. *Lib.* 2. *observat.* 119. & Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 12. Nisi tamen hæres institutus sit Ecclesia, Monasterium, pauperes vel alius locus aut causa Pia; ab his enim Falcidiam ex legatis piis detrahi posse, satis frequenti DD. calculô est receptum, *arg. l. Sed & milites* 8. *pr. ff. de Excusat. tut*, quòd, cùm duo privilegiati circa eandem rem concurrunt, & de lucro captando uterque certat, utantur Iure communi, Tiraquell. *cit. Privileg.* 26. §. *Sed quod* & § *Sed his in fine*, Molina *disp. cit. n.* 10. & Pirrhing *l. cit. n.* 113.

157. Tertiò, si testator non ignarus patrimonii virium (quas in dubio scire præsumitur, *arg. l. Quisquis* 15. *C. de Rescind. vendit.* Covarruvias *in c. Raynaldus* 18. §. 3. *n.* 8.) Falcidiam detrahi nominatim vetuerit, *Auth. Sed & C. ad L. cit.* & *Novell.* 1. *cap.* 1. & 2. Cui non adversatur; quòd Falcidia contra voluntatem testatoris introducta dicatur, *c. Raynaldus cit. in fine*; quia ex legis dispositione contra ejus voluntatem introducta ideo solùm dicitur; quòd ab hærede retineri valeat: nisi ea detrahi à testatore expresè & nominatim prohibeatur, Glossa *fin. in c. cit.* Molina *disp. cit. n.* 9. & Zœsius *in ff. ad L. Falcid. à n.* 28.

Quarto, si prælegata sit dos; cùm is in hac uxor recipiat, quod suum est, l. *Cùm dotem* 57. *ff. ad l. cit.* uti &, si quid aliis tanquam debitum legetur; cùm Falcidia non debeatur, nisi deducto prius ære alieno, *l. Successores cit.* Ad id autem non instrumentum duntaxat de ejusmodi rei debito relictum, sed sola testatoris confessio sufficit in præjudicium Falcidiæ & legatariorum: licet confessio sola non sufficiat ad Legitimam filiorum diminuendam, Barri *cit. tit.* 7. *n.* 11.

Quintò, Quartam non deducit hæres, qui inventariô non ritè confectô adit hæreditatem, résque hæreditarias capit, tractare, *Novell.* 1. *cap.* 2. Imò cautè hoc non solùm Falcidiam detrahere nequit: sed insuper ultra vires hæreditarias legatariis relicta præstare in foro externo tenetur, *Auth. Sed cùm testator C. ad L. cit.* quòd inventarium non conficiens de bonis hæreditariis aliquid subtraxisse præsumatur, ut cum Tholos. *cit. Lib.* 41. *cap.* 34. *n.* 13. & Mascardo *de Probat. conclus.* 852. *n.* 9. observat Bruneman *in Auth. cit. n.* 13. *In externo*, inquam; quia in foro Conscientiæ interno, hæredem, inventario non confecto hæreditatem sine fraude & subtractione adeuntem ad legata ultra

ra ultra ejus vires præstanda ante judicis sententiam non teneri, plerique agnoscunt & tradit *cit.* Molina *n.* 22.

160. Sextò, multò minùs Quartæ deductio permittitur hæredi, qui de bonis hæreditariis aliquid surripuisse, detraxisse vel occultâsse fuerit convictus, *cit. Novell. cap.* 2. *pr. V. Sancimus.* Hôc tamen casu Falcidiæ deductionem non in totum, sed de re solummodo subtracta impediri, *arg. l. Falcidiæ* 26. *ff. ad L. cit.* notat *cit.* Barri *tit.* 8. *n.* 2.

161. Septimò, hæres, qui à judice admonitus intra annum testatoris jussa, sive ejus dispositionem non fuerit executus, *Novell. & cap.* 1. *cit.* Qua de re sermo redibit *n.* 288.

162. Octavò, hæres, qui legata integra solvit. Quo tamen casu interest, an id fecerit, integra deberi sciens, vel ignorans; cùm, si id sciens prudénsque fecit, de solutis partem detrahere ad Quartæ complementum nequeat; quod, indebitum scienter & consultò solvens, donâsse præsumatur, *arg. l. Cujus* 53. *ff. de R. J.*

163. Si autem solvit ignorans, locus, imò opus est alterâ distinctione inter ignorantiam; si enim integra solvit errore Juris, puta ignarus Falcidiæ legis, indebitè solutæ portionis repetitionem non habet, *l. Error facti* 9. *C. ad L. cit.* Nisi sit persona, in qua Juris ignorantia toleratur, *cit.* Molina *n.* 16. & Haunold. *Tract.* 7. *n.* 356. Si verò legata integra solvit errore solius Facti; quòd vg. post ea soluta appareat inopinatum æs alienum, sive debita antè ignorata: & hæreditatē, quàm antè existimabatur, esse minorem, errore detectô hæres ad Quartæ complementum necessariam portionem repetere de solutis, & de nondum solutis detrahere potest, *l. Error cit.* Quin tali casu portionem de solutis Jure sibi competentem non solùm repetere hæres: sed eam, tanquam rem alienam indebitè receptam, restituere legatarius in conscientia tenetur, si eam hæredis errore indebitè solutam sciat, ut cum Panormit. *in c. Quia plerique* 8. *de Immunit. Eccles. n.* 16. & 17. Molina *l. cit. n.* 21. & aliis rectè observat Haunoldus *n.* 357.

Nonò, si testator certam aliquam rem legavit, adjectô modô; ut à legatario nequeat alienari, sed successoribus debeat relinqui, & perpetuò in familia permanere, Falcidiam ex ea detrahi non posse, desumitur ex *Auth. Sed & ea C. ad L. cit. & Novell.* 1. *cap.* 1. Ratio est; quòd, hôc modô rem legandô, Quartæ deductionem tacitè prohibuisse testator censeatur, Menoch. *Lib.* 4. *præsumpt.* 198. *n.* 25. *citt.* Molina *n.* 11. & Barri *tit.* 8. *num.* 21. 164.

ARTICULUS IX.

De Substitutione Directa.

SUMMARIUM.

165. *Substitutionis definitio & divisio in Directam & Indirectam,*
166. *Directæ in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam & Compendiosam,*
167. *Vulgari in casum, quô institutus hæres non erit,*
168. *Et diversimodè substitutio fit:*
169. *Vimque habet, si is hæres esse non potuerit, vel noluerit;*
170. *Ut, institutô deficiente, substitutus succedat,*
171. *Exclusô ipsius hærede & cohærede:*
172. *Aliquando etiam eô Professô Religionem,*

173. *Substitutio cessat, cùm hæreditatem adit institutus:*
174. *Nisi iste restituatur adversus additionem hæreditatis,*
175. *Vel ista ei, defuncti voluntatem non exequenti, auferatur.*
176. *Eadem cessat obitu substituti ante institutum.*
177. *Pupillari in casum mortis ante pubertatem,*
178. *A patre impuberi, in sua potestate constituto,*
179. *Suáque morte in alterius potestatem non recasuro,*
180. *Suóque testamentô non præterito,*
181. *Et hæreditatis additionem non omittenti hæres subrogatur.*
182. *Differentiæ hujus substitutionis à Vulgari:*
183. *Qua tacitè in Pupillari expressa,*
184. *Et vicissim ista in expressa Vulgari continetur:*
185. *Nisi contraria voluntas testatoris refragetur.*
186. *Eveniente casu illô, succedit substitutus,*
187. *Aliquando patri, aliquando filio ejus impuberi,*
188. *Exclusâ matre vi Pupillaris expressæ,*
189. *Et verisimiliter etiam tacitæ Vulgaris, expressâ comprehensa.*
190. *Exemplari filio Furioso &c. hæres substituitur,*
191. *A patre, vel etiam matre:*
192. *Si ante furorem ipse sibi testamentum non fecerit,*
193. *Et à parente hæres sit institutus.*
194. *Exemplariter substitutus succedit, Si institutus in furore &c.*
195. *Non etiam, si sanâ mente decesserit.*
196. *Reciproca continet plures substitutiones simplices:*
197. *Quæ omnibus sibi invicem substitutis æqualiter conveniunt.* 167
198. *Compendiosa verbis generalibus complectitur diversa tempora & ætates.*

SUbstitutio generatim, prout non in Hæreditate duntaxat, sed in Legato quoque & Donatione mortis causâ fieri potest, secundùm Covarruviam *in c. Raynutius 16. §. 4. n. 1.* & Molinam *Tract. 2. de J. & J. disp. 182. n. 1.* est Unius vel plurium in alterius vel aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio. Præsiùs autem, & uti DD. passim solet, accepta est Vocatio ad hæreditatem, vel istius partem, si in hæreditatis partem quis institutus est, in locum alterius, scilicet hæredis instituti: quæ quòd verbis directis vel obliquis fieri queat, in Directam *præsenti*, & Obliquam sive Indirectam atque, ut nuncupari solet, Fideicommissariam, *sequenti* 167 declarandam, dividi solet.

Directa est, per quam substitutus immediatè & sine ministerio alterius instituti hæreditatem testatoris consequitur: sicut contingit, quando iste hæredem substituit verbis, *Titius hæres esto: Si is hæres non erit, Cajus hæres esto*; his enim & similibus verbis Titio substitutus Cajus, conditione *Si Titius hæres non erit* 168 eveniente, hæreditatem immediatè & propriâ manu, non verò alterius instituti, scilicet Titii, ministeriô consequitur. Cujus Directæ institutionis species à DD. quibusdam tres, scilicet Vulgaris, Pupillaris & Exemplaris: ab aliis quinque referri, & tribus illis addi solent Compendiosa & Reciproca: quæ tamen, sicut & substitutio Militaris revocantur ad priores; quòd ab iis non differant, nisi solâ verborum formâ & conceptione, ut observant Canisius *in c. Raynutius cit. n. 11.* & Tœsius *in §. de Vulg. substit. n. 1.*

Substi-

167. Substitutio vulgaris, quâ, ut ipsum nomen indicat, cuicunque ætati & personæ institutæ in casum vulgarem substituitur, à Duareno *de Vulg. & pupill. substit. cap. 4.* & Haunoldo *Tom. 2. de J. & J. Tract. 7. n. 10.* esse dicitur, quâ hæres secundus instituitur in casum, quô primus hæres non erit, sive in eventum & locum primi hæredis deficientis: ubi nomine *Primi* quicunque priùs institutus, &c. *Secundi* nomine quicunque, priùs instituto ac deficienti substitutus intelligitur; potest enim testator plures hæredum subordinationes & gradus constituere, vg. *Titius mihi hæres esto. Si Titius hæres non erit, Cajus hæres esto. Si is non erit hæres esto Sempronius. Si iste non erit, Mævius hæres esto*, & sic deinceps quousque testator volet, *l. 1. pr. & l. Quidam 30. ff. de Vulg. & pupil. substit.* ne enim iste, eô, quem instituit, hæreditatem adire non volente, vel non valente, intestatus decedat, in casum & locum priùs instituti deficientis ei unum vel plures subrogare est permissum, Harprecht *in pr. Instit. de Vulg. substit. n. 13.* & *ibi* Manzius *à n. 1.*

168. Neque solùm unus uni, vg. Titio Cajus; sed etiam uni plures, vg. eidem Titio Cajus & Sempronius: & è contrario unus pluribus institutis, vg. Titio & Cajo Mævius, ità substitui à testatore possunt. Quin etiam plurium singuli in locum singulorum institutorum subrogari hâc formâ, *Titium & Cajum hæredes instituo. Si Titius hæres non erit, in ipsius partem Sempronium. Si Cajus hæres non erit, in ejus locum Mævium substituo*, §. 1. *Instit. ibid.* cùm enim testator rerum suarum moderator & arbiter sit, de iis disponere quôvis modô Jure non reprobatô pro suæ voluntatis arbitrio potest, *citt.* Harprecht & Manzius *in* §. 1. *cit. uterque à n. 1.*

An substitutio in casum, quô institutus hæres esse non potuerit, etiam in casum, quô hæres esse noluerit: & vicissim in casum, quô is hæres esse noluerit, in casum, quô esse non potuerit, sive an substitutus in casum impotentiæ, ut DD. loquuntur, in casum noluntatis & vicissim substitutus præsumatur, controversia, in eáque frequentiori calculô recepta est Affirmativa: quæ desumi solet ex *l. Titius 25. ff. de Lib. & posth.* cujus §. 1. filia instituta in casum, si esset paritura, instituta præsumitur in casum, quô ea, ignorante patre, jam ante enixa fuit: & ex *l. Si mater 3. C. de Instit. & substit.* ubi à matre institutus in casum mortis paternæ, etiam in emancipationis eventum institutus censetur. Unde Regulæ instar tradunt, dispositionem testatoris in uno casu ad alium casum extendi ex verisimili conjectura de illius mente; ne intestatus decedat, *arg. l. In testamento 12. ff. de R. J.* Bartol. *in l. 1. ff. de Vulg. & pup. substit. n. 12.* Grassus §. *Substitutio q. 6 n. 7.* Gomez *Tom. 1. var. cap. 3. num. 10.* Covarruv. *cit. §. 4. n. 5.* Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 65. n. 2. cit.* Molina *disp. 183. n. 2.* & Perez *in C. de Impub. substit. n. 3.* & alii, textus in contrarium allegari solitos exaudientes de casu, quô de contraria voluntate testatoris constat. 169.

Effectus hujus substitutionis est; quòd hærede instituto, qui hæreditatem adire vel noluit, vel ex quacunque causa non potuit, deficiente, locus fiat substituto; ut per eum sustineatur voluntas testatoris: & huic in bonis ipse, non instituti hæres, neque etiam ei adjunctus sive cohæres, succedat, *l. Quamdiu 69. ff. de Adquir. hæred. & l. Æquissimo 2. §. 8. ff. de Bonor poss. secund. tab.* Ratio de instituti hærede est; quia hæreditatem ab instituto non aditam ad ejus hæredes transmitti, nec veteres nec novæ Leges 170.

171. permittunt, ait Imp. *l. Unica, §. 5. C. de Caduc. toll.* Nisi hæres institutus sit ex ipsius testatoris liberis; talis enim hæreditatem non aditam (non etiam repudiatam) ad descendentes suos utriusque sexûs transmittit beneficiò *l. Unic. C. De his, qui ante apert. tab.* Gomez *Tom. 2. var. cap. 3. n. 14.* Canisius *in c. cit. n. 25.* & Zœsius *in ff. de Vulg. & pupill. subst. n. 4.* De instituti cohærede ratio est; quòd substitutio vulgaris potior sit jure accrescendi, quod aliàs est inter cohæredes; quia ex una, substitutio est provisio hominis in eum casum, quo institutus hæres non erit; jus autem accrescendi est provisio legis, præsumentis testatorem, qui in casum instituti deficientis non providit, per substitutionem voluisse unius deficientis portionem alteri accrescere; ne pro parte testatus, pro parte intestatus decedat, *citt.* Canisius *n. 25.* Zœsius *n. 5.* & Haunoldus *Tom. 2. de J. & J. Tract. 7. num. 46.*

172. Dubium est, an, institutô Religionem professô, admittatur vel excludatur ei substitutus. Qua in re discrimen statuendum est inter Religiones; cùm, si institutus Religionem hæreditariæ successionis incapacem professus sit, extra omnem dubitationem substitutus admittatur; quòd, cùm tali Professo testatoris morte delata hæreditas, neque ab ipso, neque à Religione vel Monasterio adiri possit, conditio, *Si hæres non erit*, sub qua fuit institutus, sit adimpleta. Si verò Religio successionis est capax, institutô eam professô substitutum excludi, communi DD. suffragio est receptum, cùm; quòd *Novell. 123. cap. 37.* Monasterii favore sublata sint omnia onera substitutionum: tum verò; quòd cùm Religiosus ipsâ professione se suáque bona & jura omnia transferat in monasterium, *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* in hoc etiam transferatur jus delatam hæreditatem adeundi, & ejus aditione excludendi substitutum, Panormit. *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 36.* Zœsius *de Vulg. subst. n. 25.* Dauth. *de Vulg. subst. n. 125.* sententiam hanc Germaniæ notissimâ praxi receptam asserentes, & *cit.* Haunold. *n. 40.* qua de re *ad Rubric. seq.* fermo redibit.

Expirat substitutio vulgaris Impiis aditione hæreditatis ab instituto, *l. Post aditam 5. C. de Impub. substit.* quia deficiente conditione deficit actus conditionatus: instituto autem hæreditatem adeunte deficit conditio, sub qua substitutus vocatus est ad hæreditatem; ac proin etiam petitio hæreditatis, ad quam sub conditione est vocatus. Ubi

Dubium est, an, si institutus minor hæreditatem jam aditam in integrum restitutionis auxiliô repudiat, ad hæreditatem substitutus, ab intestatô venientibus exclusis, admittatur: Quod contra *citt.* Duarenum *cap. 10.* & Zœsium *n. 13.* meritò affirmant Donellus *Lib. 6. Comment. cap. 24. citt.* Perez *n. 7.* & Haunold. *n. 242.* cùm eô casu hæreditatem ad substitutum perventuram, apertè proditum sit *l. Ex contractu 44. ff. de Re judic.* & evincatur perspicuâ ratione; quia in integrum restitutione in pristinum statum omnia reducuntur perinde, ac si nihil actum fuisset. Unde ex adita & restitutionis beneficiô iterum repudiata hæreditate minor hæres non re, sed solo nomine dicitur: & ipsâ ejus restitutione substitutio convalescit; cùm ex testatoris mente substitutus in eum casum excludatur, quô institutus re & nomine hæres exiit; ut per eum suprema voluntas ac dispositio sustineatur: quòd cùm hæreditatis aditione & hanc secuta repudiatione non fiat, locus erit substituto; ut testamentum per eum conserve-

tur. In

tur. Ita DD. *citt. l. Ait Prætor 7. §. 10. ff. de Minoribus* dispositionem, in contrarium allegari solitam, ex speciali ratione in solo servo substituto procedere, monentes.

175. Simili modò, si institutus post aditam hæreditatem testatoris voluntatē, cùm à judice admonitus esset, atque etiam posset, intra annum exequi neglexit, atque idcirco hæreditate excidit, substituto locus erit: dummodo de executione facienda cautionem præstet, *Auth. Hoc amplius C. de Fideicommiss.* Ratio est; quòd ejusmodi negligentiâ & privatione res reducatur in statum, in quo fuit ante additionem; ut, quasi hæreditate non aditâ, substitutio reviviscat, Barri *de Test. & intest. Lib. 3. tit. 7. n. 15.* & Haunold. *n. 22.*

176. Dein substitutio expirat morte substituti, decedentis ante institutum; ut ad illius hæredes nihil transmittatur, *l. Unica §. 5. cit. C. de Caduc. toll.* Non etiam morte instituti ante testatorem; cùm tali casu substitutio revocetur ad institutionem; ut substitutus in primum gradum evadat & testatori succedat locò instituti, *l. Si pater 26. ff. de Vulg. & pupil. subst. ubi* Zœsius *n. 10. & 12.* Perez *in C. de Impub. substit. n. 6. & 7.* & Haunold. *Tract. 7. cit. n. 21.*

177. Pupillaris substitutio est, quâ quis impuberem in sua potestate constitutum, & per mortem suam in alterius potestatem non recasurum, hæredem instituit, eique alium hæredem substituit sub conditione sive in casum, quò is ante pubertatis annos decesserit, ut ex *pr. Instit. de Pupill. substit. & l. 1. §. 2. ff. de Vulg. & pup. subst.* desumunt *citt.* Covarruv. *§. 5. n. 1.* Molina *disp. 182. n. 10.* & Haunold. *n. 52.* Patriæ enim potestatis ratione Romanis moribus introductum, & utroque Jure, *pr. & l. 1. citt. & c. 1. §. fin. in 6.* receptum est in favorem liberorum impuberum; ut, cùm ob judicii imbecillitatem testamenti condendi jus ante pubertatem ipsi non habeant, *§. 2. Instit. Quibus test. fac. non permiss.* hæredes ipsis scribere vel nuncupare parens valeat; ne prorsus intestati decedant, *pr. & §. 1. citt.* ubi ejus hæc forma traditur, *Titius filius meus hæres mihi esto: & si hæres non erit; vel hæres erit, sed priùs moriatur, quam in suam tutelam venerit*, id est, quàm pubes factus fuerit, *Cajus hæres esto*, *citt.* Canisius *n. 29.* & Manzius *in pr. cit. n. 1.*

Ut autem hæc substitutio Jure sub- 178.
sistat, requiruntur varia, & Primò quidem; ut is, cui substituitur, tempore mortis testatoris sit in ejus potestate, aut saltem posthumus in utero existens, *pr. cit. l. Moribus 2. pr. & l. Cohæredi 41. §. 2. ff. de Vulg. & pupil. substit.* quia substitutio est effectus patriæ potestatis, liberos ei, in cujus potestate sunt, ita conjungentis; ut quasi una cum eo persona, utriusque patrimonium & testamentum unum; ac proinde pater in sua potestate constituto hæredem substituendò, eum quodammodo sibi substituere videatur: quantumvis reipsa duo: vel, si unum, duarum causarum sit testamentum, eóque à testatore alteri sit substitutum.

Secundò; ut is, cui substituitur, sit impubes, hoc est, fœmina duodecimum & mas decimum quartum ætatis annum nondum egressus, *l. & pr. cit.* cùm enim, substitutione hâc permissâ, ei tantùm prospectum sit, qui testamentum condere ipse non potest, eam in pubere, testamentifactionem habente, cessare est necesse. Miles tamen etiam ultra pubertatem substituere potest; ut, institutò post pubertatem decedente, ei substitutus saltem admittatur ad bona,

quæ iste à patre est consecutus, *l. Centurio 15. ff. de Vulg. & pupill. substit.* Gomez *Lib. 1. Var. cap. 7. n. 4.* & *cit.* Manzius *in §. fin. n. 6.*

179. Tertiò; ut impubes testatoris morte non recidat in potestatem alterius: sed sui juris efficiatur, *l. Moribus & §. 2. cit.* Unde avus nepoti, istius patre vivente, ita substituere non potest; quia pupillariter substituitur impuberi, qui testatoris morte futurus est pupillus: qualis avi morte futurus non est impubes, cujus pater vivit. Speciali tamen privilegiò miles filio, sui juris non futuro, substituere potest, per textum aut communem intellectum *l. Cùm filius familias 28. ff. de Testam. milit.*

Quartò; ut testator testamentum priùs sibi fecerit, *l. Moribus cit. §. 4.* quia substitutio est pars accessoria testamenti paterni, *l cit. §. 5.* Ubi an Testamentò non solenni, inter liberos tamen validò, facta substitutio Jure subsistat, ambiguum est: & multùm refert, an filio filiæve alius ex liberis, vel extraneus sit substitutus; cùm, si alius ex illis, testamentum purè inter liberos factum validúmque sit: si verò extraneus substitutus sit, propter ejus admixtionem, id pro non facto quoad substitutionem haberi, sit necesse, ex *l. Hâc consultissimâ 21. §. 1. C. de Testament. cit.* Haunold. *n. 67.*

180. Quintò; ut impubes, cui substituitur, hæres instituatur vel exhæredetur; quia præteritis non rectè substituitur; cùm filii præteritio testamentum patris reddat nullum; ut, eò corruente, etiam corruat substitutio Pupillaris.

181. Sextò; ut ex testamento hæreditas adeatur; quia aditionis omissione testamentum paternum corruit; ut in consequentiam etiam pupillaris substitutio evanescat. *l. cit. §. 2.* Nisi testamentum sit Militis: *l. Miles 41. §. fin. ff. de Test. milit.* vel institutus hæreditatem adeat ab intestato; quia, institutò hæreditatem ab intestato adeunte, substitutū Prætor servat, *l. Moribus cit. §. 1. citt.* Canisius *n. 30.* Perez *à n. 11.* Zœsius *à n. 24.* & Manzius *in pr. cit. à n. 4.* Ex dictis

Patet imprimis luculentum & non unum discrimen, intercedens inter Pupillarem & Vulgarem substitutiones; cùm istâ à quovis testatore, & cuivis hæredi instituto: Pupillari verò à solo parente, qui liberos in potestate constitutos habet, hæres substituatur. Præterea Vulgari substitutus hæres fiat in casum, quò institutus hæres non extiterit: Pupillari verò substitutus in casum, quò impubes hæres extiterit: &, post hæreditatem adituam, ante pubertatem decesserit, hæres fiat; itáque simul duas, scilicet à patre & à filio relictam, quasi unam hæreditatem consequatur, *citt.* Perez *n. 11. & 13.* & Zœsius *n. 18.*

Patet deinde, in Pupillari substitutione expressa contineri tacitam Vulgarem; cùm pater Titio impuberi pupillariter, id est, si hæres extiterit & in pubertate decesserit, Caium substituens, hunc etiam in casum, quò Titius hæres non erit, substituisse; itáque ad Caium, sicut omnia filii, sic sua quoque bona pervenire voluisse censeatur, *l. Jam hoc jure 4. pr. ff. de Vulg. & pupsubst.* Diversò substitutio Vulgaris expressa, impuberi à patre facta, continet tacitam Pupillarem; ut, si pater testamentò scribat, *Hæredem instituo Titium filium meum impuberem, si is hæres non erit, Caium hæres esto*, Caium Titio substituisse judicetur etiam in casum, quò is hæres extiterit & decesserit ante pubertatem, *pr. cit. l. Quamvis 4. C. de Impub. substit.* Quod Jure ita sancitum est non contra sed ex præsumpta mente testatoris eum

quem in

quem in unum casum substituit, in alterum quoque substituturi, si de eo cogitâsset. Unde consequens est casu, quô de 187. contraria ejus voluntate constaret, ei dispositioni locum non fore: sed præsumptionem veritati & compertæ testatoris intentioni cessuram. De mente autem contraria luculenter constaret, si testator in utrumque casum substitueret separatim, vg, scribendô, *Hæredem instituo Titium filium meum, si is hæres non erit, ei substituo Caium. Si hæres erit & impubes decesserit, Mævius hæres erit, l. Cùm ex filio 39. §. 1. ff. de Vulg. & pup. subst.* uti &, si testator filio impuberi adderet cohæredem puberem vel extraneum, iisque substitueret unâ oratione, si hæredes non erunt: ut si ita scriberet, *Instituo Titium filium meum impuberem & uxorem meam. Si filius & uxor mea hæredes non erunt, Cajus hæres esto*; cùm enim substitutio in eum casum facta judicetur, quô utrique substitui potuit, ad vitandam inæqualitatem; ne unus geminâ, alter una viâ ad hæreditatem vocatus videatur: & utrique pupillariter substitui non potuerit; quòd unus duntaxat impubes sit, utrique vulgariter tantùm substitutum præsumitur, *l. Quamvis cit. citt.* Molina *disp. 184. n. 15.* Perez *n. 10.* & Haunold. *à n. 69.*

188. Effectus hujus substitutionis varii, & præcipuè tres sunt. Primus; quòd, sicut in Vulgari substitutione, existente conditione, ad pupilli hæreditatem substitutus admittatur: eâque deficiente ab ista removeatur. Alter; quòd ejus vi substitutus aliquando ipsi patri, aliquando pupillo, à patre instituto, hæres fiat, *l. Jam hoc jure 4. pr. ff. de Vulg. & pup.* 187. *subst.* Patri quidem, si ei filius institutus hæres non erit; quòd Pater filio impuberi Titium substituendô, in casum, quô is hæres non erit, Titium sibi quoque substituisse videatur: itáque, ut dictum, substitutio pupillaris vulgarem complectatur. Pupillo verò, si testatoris hæres factus decesserit ante impletos annos pubertatis: quô casu substitutus pupillo succedit in bonis, non solùm ipsi aliunde quàm à patre, ante vel post conditum testamentum quæsitis, sed etiam in iis, quæ fuerunt patris & ab isto relictæ hæreditatis aditione est consecutus: cùm hæreditatis aditione paterna & aliunde quæsita bona fuerint conjuncta; ut quodammodo una hæreditas reputetur, *l. Sed si plures 10. §. 2. ff. de Vulg. & pup. subst. & l. Qui patri 59. ff. de Adquir. hæred.* Tertius; quòd substitutus pupilli matrem à successione, & ab ipsa etiam Legitima excludat, *l. Papinianus 8. §. 5. ff. de Inoffic. test.* ut, quantumvis aliàs, istâ à filio sibi non relictâ, mater habeat querelam Inofficiosi, §. *Tam autem 2. Instit. de Inoffic. test.* hôc tamen casu ipsi non competat; quòd, cùm testamentum filius impubes non ipse sibi fecerit, sed pater, conqueri mater non possit de filio, sed de marito: iste autem uxorem instituere non teneatur, *c. 1. §. & V. fin. in 6. citt.* Perez *n. 15. & 29.* & Zœsius *n. 26. & 49.* 188.

Sed, ut hoc ita sit, & in Foro etiam Conscientiæ procedat; cùm, quòd alicui justâ & à sacris Canonibus approbatâ lege ademptum est, sicut ei non adjudicatur in externo, sic in interno quoque sive Animæ foro non debeatur, Covarruvias *in c. Cùm esses 10. n. 12.* & *cit.* Gomez *cap. 4. n. 7.* exploratum tamen non est, an mater tantùm excludatur substitutione pupillari expressâ: vel etiam tacitâ, quæ sub expressa vulgari continetur. Et quidem, si sufficientes conjecturæ adessent, testatoris mentem fuisse; ut sua bona & bona filii ad substitutum, uxore exclusâ, pervenirent:

nirent: cujusmodi forent, si ille uxorem excludendi voluntatem ante testamentum conditum coram aliis declarâsset: vel, si unum ex descendentibus vel ascendentibus suis, aut fratrem, vel causam Piam ad animæ suæ salutem substituisset; si, inquam, tales conjecturæ adessent, tacitâ etiam pupillari matrem excludi, ex *l. Jam hoc jure cit. §. 2.* verbis, *Si voluntas patris non refragetur*, desumunt *citt.* Molina *disp. 182. n. 21.* & Haunold. *n. 85.*

189. Quando autem tales conjecturæ non adessent, substitutione Pupillari tacitâ matrem non excludi, volunt DD. non pauci, Opinionis suæ humanitate freti, & non destituti ratione; quòd ex dispositione Juris matri Legitima debeatur à filio liberis carente; imò hæreditas tota, si intestatus decedat: quæ proinde matri adimenda non sunt sine authoritate Juris, eam substitutione Pupillari solùm tacitâ excludi, nuspiam exprimentis. Sed ratio hæc non admodum urget; cùm enim Jure patri collata sit potestas, matrem hæreditate & ipsa etiam Legitimâ privandi, eam substitutione pupillari etiâ tacitâ à testatore excusam, meritò præsumitur; quòd, extraneum impuberi substituendò, hunc magis quàm uxorē dilexisse videatur non minùs, quàm illū huic prætulisse præsumitur ex substitutione pupillari expressâ; cùm taciti & expressi eadem vis sit, quando Legibus aliud cautū non reperitur, Dauth. *de Vulg. subst. n. 163.* & aliis DD. accuratè allegatis Haunold. *n. 91.*

Expirat substitutio Pupillaris patre condente novum testamentum; eóque deportatò & passò maximam capitis diminutionem: morte substituti ante impuberem, cui est substitutus: impubere emancipatò & pubertatem assecutò: dum testator vivit: hæreditate ab impubere non aditâ, si ipsi extraneus fuit substitutus, & aliis modis apud DD. *citt.*

Exemplaris sic nuncupata; quòd ad Pupillaris exemplum introducta, sive, 193
ut etiam nominatur, quasi-Pupillaris substitutio est, quâ pater aut mater vel alius ex ascendentibus liberis, etiam puberibus, furiosis & mente captis; &, secundùm communem DD. sensum, prodigis & surdis simul ac mutis à natura, hæredes substituit in casum, quò in eodem statu sive non recuperatâ sanitate sunt decessuri, §. 1. *Instit. de Pupill. substit.* & *l. Humanitatis 9. C. de Impub. &c. cit.* Covarruvias §. *6. n. 1.* Molina *disp. 182. n. 11.* & Haunold. *n. 104.*

Introducta hæc substitutio est causâ Humanitatis; ut, cùm ejusmodi liberi testamenti factionem non habeant, 194
§. 1. *&c. Instit. Quib. test. fac. non permiss.* eorum defectus suppleretur ab iis, quibus à natura eorum cura est commendata: à patre scilicet, & ipsâ etiam matre; quòd, licet in patris, non in matris, potestate liberi sint, non minor tamen in eos sit istius; quàm patris humanitas & affectio, cujus intuitu hæc substitutio est concessa. Casu tamen, quò ejusmodi proli substituere vellet parens uterque, patrem præferri oporteret; cùm, quòd in ejus persona Naturalia & Civilia jura concurrant, *pr. Instit. de Nuptiis*: tum verò; quòd paterno consiliò filio optimè prospici leges præsumant, *l. Si plures 3. §. 1. ff. de Administr. tut.* Valquius *Tom. 2. de Success. §. 17. à n. 39.* & Manzius *in §. 1. Instit. de Pupill. subst. n. 7.* 195

Ut autem Exemplaris hæc substitutio valeat, requiritur Imprimis, ut filius pubes ante furorem vel dementiam sibi ipse non fecerit testamentum; cùm enim hoc furor & amentia superveniens non tollat: & cum testamentis duobus non possit, existente eò, quòd decedere ipse condidit, dum sanæ mentis esset, alteri

alteri à patre condito testamento locus
193. non est. Dein; ut parens exemplariter subsituens testamentum sibi ipse condat, eóque filio mente capto, cui substituit, Legitimam relinquat: atque insuper; ut ei substituat liberos, si quos habet, hísque deficientibus fratres aut sorores: ac demum, his non existentibus, extraneos, quos volet, *l. Humanitatis cit.* Ratio est; quòd parentum hæreditatem liberis adjiciat ratio Naturalis: Humanitas etiam exigat ipsos primò, secundò verò locò ad successionem admitti, qui eis sunt proximiores, *citt.* Perez *n. 76.* & Manzius *n. 8.*

194. Effectus ritè factæ Exemplaris substitutionis est; quòd, sicut impubere, cui pupillariter, ante impletos annos pubertatis, sic etiam eô, cui exemplariter hæres substitutus est, in furore vel amentiâ, hísque vicina intemperie decedente, bona ejus undecunque quæsita ad substitutum devolvantur, *l. Humanitatis cit. & l. Sed si plures 10. §. 5. ff. de Vulg. & pupill. substit. citt.* Perez *n. 39.* & Zœsius *n. 79.*

Ferè iisdem modis hæc substitutio expirat, quibus Pupillaris: veluti, si testandi facultas auferatur testatori: si ejus testamentum corruat, ex eóve hæreditas non adeatur: si liberi nascantur ei, cui substitutio est facta, *l. Ex facto*
195. *43. pr. in fine ff. de Vulg. & pup. subst.* & præcipuè, si furiosus & mente captus resipuerit, hoc est, non solùm ad breve intervallum, sed ita sanitatem recuperaverit; ut ea stabilis, vel saltem ad notabile tempus duratura videatur, §. 1. & *l. Humanitatis citt.* quòd tali casu cesset causa finalis hujus substitutionis; quia cum mentis sanitate etiam recuperatur testamenti factio, quæ sui juris & sanæ mentis homini non est auferenda, *citt.* Perez *n. 39.* & Haunold. *n. 121.*

Reciproca substitutio est, quâ plu- 196.
res personæ sibi invicè substituuntur, vg. *Titius ex semisse hæres esto: Caius ex semisse hæres esto: si Titius non erit, Cajus ex ejus parte hæres esto, & vicissim si Cajus hæres non erit, Titius ejus locò hæres erit.* Vel, *Titius & Caius uterque ex semisse mihi hæredes sunto. Si Titius non erit, Caius solus hæres erit. Si Caius non erit, Titius solus hæres erit, l. Jam hoc jure 4. §. 1. ff. de Vulg. & pup. substit.* Quæ verborum brevitas ansam præbuit multis DD., ut substitutionem hanc Breviloquam nominarent. Meliùs tamen & Juri conformiùs RR. quòd non verborum brevitate, sed substitutionum compositione ac vicissitudine inducatur, eam Reciprocam vocant; ne cum Compendiosâ, non minùs, quàm ipsa est, brevi confundant.

Quamvis autem Reciproca ab aliis 197.
hactenus explicatis substitutionibus verborum forma & conceptione distet, effectu tamen & concipiendi modò ab illis non differt: & ex iis plures, & eas tantùm substitutiones complectitur, quæ æqualiter omnibus sibi invicem substitutis convenire possunt; cùm, quando sibi invicem duo extranei substituuntur, contineat duas Vulgares; cùm eorum uterque alteri substituatur in vulgarem casum & sub conditione, *Si hæres non erit.* Cùm verò sibi mutuò substituuntur duo filii impuberes in testatoris potestate constituti, duas Vulgares & duas Pupillares comprehendat, *l. Jam hoc jure cit. & l. Lucius 45. §. 2. ff. de Vulg. & pup. subst.* Quod si iidem filii impuberes, sibi substituti, furiosi aut mente capti sint, præter eas duas Exemplares substitutiones complecteretur, *citt.* Covarruvias §. *7. n. 3.* & Canisius *n. 41.* ubi iste & ille *n. 4.* monent casu, quô Reciproca substitutio fieret duobus inæqualis conditionis, quorum utrique æ-

qualiter non conveniret, eam non alias substitutiones comprehensuram, quàm quæ conveniunt utrique; ac proinde in Reciproca substitutione, filio impuberi & puberi facta, duas duntaxat vulgares, non etiam Pupillarem contineri; ne eorum impar sit conditio; cùm, si impuberi & puberi simul facta substitutio etiam Pupillarem contineret, sibi mutuò substitutorum alter ex duplici, alter ex una duntaxat: pubes impuberi ante aditam hæreditatem ex Vulgari, & post ejus aditionem ex Pupillari: impubes autem puberi ex sola Vulgari substitutione succedere posset: quod iniquum & alienum videbatur à mente testatoris, *cit.* Haunold. *n.* 164.

198. Compendiosa substitutio dicitur, quæ verborum generalitate plures substitutiones quoad plura, vg. impubertatis, pubertatis, sanitatis &c. tempora complectitur: sicut fit, cùm testator ultimâ suâ voluntate ait, *Titius filius meus hæres esto, & quandocunque decesserit, Caius hæres esto:* vel, *Instituo hæredem Titium filium meum, & quandocunque mortuus fuerit, ei substituo Caium.* Quæ substitutio, si Titius, quòd hæreditatem non adierit, hæres non sit, Vulgarem: si aditâ hæriditate ante pubertatem decesserit, Pupillarem: si post pubertatem furiosus aut amens decesserit, Exemplarem: & aliquando, si sanâ mente decesserit, Fideicommissariam substitutionem complectitur; ut substitutus pro temporum & ætatum varietate ex ea variè admittatur, Gomez *Tom. 1. cap. 7. n. 2.* & *cit.* Haunold. *n.* 171.

Differt compendiosa ab aliis substitutionum speciebus, ut Reciproca: ab ista verò; quòd ad Reciprocam plures & saltem duæ exigantur: ad Compendiosam sufficiat una persona substituta, Haunold. *l. cit.*

ARTICULUS X.

De Hæredis Substitutione Indirecta.

SUMMARIUM.

199. *Hujus Substitutionis definitio.*
200. *Fideicommissi origo, confirmatio que,*
201. *Et divisio in Universale & Particulare.*
202. *Fideicommissum relinqui ab omnibus,*
203. *Et omnibus testamentifactionem habentibus, potest.*
204. *Eô omnes, quibus judicii defuncti aliquid est obventurum,*
205. *Verbis, scriptô, nutu coram quinque testibus gravari possunt.*
206. *Eô gravati Trebellianicam deducunt:*
207. *Non etiam Fideicommissarius restitutione gravatus:*
208. *Vel Fiduciarius hæreditatem repudians aut adire coactus.*
209. *Pater filium gravâsse præsumitur sub conditione,* Si sine liberis decesserit:
210. *Sub qua gravatus, si Monachus fiat, substitutus excluditur à Monasterio,*
211. *Si hoc capax sit hæreditariæ successionis:*
212. *Idque secundùm aliquos, quòd Monasterium sit locô Filii:*
213. *Secundùm alios ex præsumpta voluntate defuncti.*
214. *Eâ de re sensus Auctoris.*
215. *Substitutus etiam excluditur, si institutus Clericus fiat.*
216. *Varia casibus substitutus Monasterium excludit.*

217. Sub-

217. *Substitutus non excluditur perpetuò, si ei restitutio post mortem fieri simpliciter jubeatur.*
218. *Liberi restitutione gravati Trebellianicam simul & Legitimam deducunt.*
219. *De Jure saltem Canonico:*
220. *A quo hac in re Leges recipiunt interpretationem.*
221. *Non refert, an Legitima sit trieus vel semis.*
222. *Variis casibus Trebellianicæ deductioni locus non est.*

219. INdirecta seu Fideicommissaria Substitutio est, quâ hæres testamentô institutus, vel ab intestato veniens à defuncto gravatur; ut hæreditatem totam vel ejus quotam, hoc est, mediam, tertiam vel aliam similem partem alteri restituat: ut eam ad aliorum DD. mentem definiunt Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 182. n. 12.* & Haunold. *Tract. 2. de I. & I. Tract. 7. n. 125.* præcipua enim istius à Directis Substitutionibus differentia est; quòd directè substitutus hæreditatem sua manu ab ipso testatore: non, ut substitutus indirectè, alienô ministerio, sive ab alio tanquam hærede gravato sibi restituendam accipiat.

220. Originem hæc Substitutio ducit ab usu quorundam, bona sua ad eos, qui testamentô hæredes instituti, ex eóque legata capere Jure non poterant, vg. ad cœlibes, orbos & similes transmittendum per manus alicujus institutionis capacis: quem à se institutum rogabant, ejúsque fidei committebant; ut hæreditatẽ ejúsve partem vel rem etiam singularem alteri, cui volebant, restitueret. Quô modô relicta cum solâ rogatorum seu gravatorũ fide niterentur: &, hâc in perfidiam versâ, quandoque retinerentur, demum ab Augusto Juris vinculò constricta, itáque firmata sunt; ut personis tantùm institutionis & legati capacibus restituenda alterius hæredis instituti fidei committi: & iste ad relictorum restitutionem Prætoriâ authoritate compelli posset, *§. 1. &c. Instit. de Fideicommiss. hæred.* Unde is, qui hæreditatis ejúsve partis restitutione gravatur, hæres Fiduciarius, *l. Seius 46. & l. Postulante 67. in fine ff. ad SC. Trebell.* is autem, cui restitutio facienda est, Fideicommissarius Universalis, *§. Sed quia stipulationes 8. Instit. de Fideicom. hæred.* ipsa demum hæreditas, quæ ab illo huic restitui jubetur, Fideicommissaria seu Fideicommissum Universale, *Instit. & C. eâdem Rubricâ* nuncupatur.

Dico, *Universale*; quia non hoc 201.
duntaxat, sed Particulare quoque Fideicommissum introductum moribus, & Legali authoritate stabilitum est; cùm institutus non solùm; ut hæreditatem ejúsve partem: sed etiam; ut rem aliquam singularem, vg. fundum, torquem, certam pecuniæ summam alteri restituat, rogari & gravari possit, *pr. Instit. de Singul. reb. per fid. relict.* secundùm Regulam, quæ ultimæ voluntati cuique subest, *Ut quisque rei suæ legâsset, ita jus esto*; quòd suæ rei moderator & arbiter quisque sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati.* Cujusmodi Fideicommissa Particularia, quia novô ac modernô Jure legatis coæquata sunt, eorúmque naturam & conditiones in plerisque sequuntur, *l. 1. ff. de Legat. 1.* iis *Art. 7.* jam declaratis, *præsenti* eorum, quæ Universali propria, aut utrique Fideicommisso communia sunt, explicationem prosequi lubet.

Fideicommissa relinquendi jus com- 202.
petit omnibus, qui jus habent testandi, *l. Sciendum 2. ff. de Legat. 1.* licet, quando ea relinquunt, actu non testentur;

cùm ab inteſtato quoque Fideicommiſſa relinqui valeant: at non niſi ab eo, qui teſtari Jure non prohibetur, §. *Præterea 10. Inſtit. l. Eam quam 14. & l. Ex teſtamento 29. C. de Fideicommiſſ.*.

203. Relinqui etiam Fideicommiſſa hodie poſſunt non, ut veteri uſu ac Jure, quibusvis: ſed capacibus directæ inſtitutionis, & quibuscum Jure communi teſtamentifactio eſt, §. *Legari 24. Inſtit.* junctâ *l. 1. ff. de Legat. 1.* adeò; ut incapaci palam relictum habeatur pro non ſcripto, & hæres præſtare non teneatur, *l. Ult. in fine ff. De his, quibus ut indignis & l. 1. C. Hæred. inſtit.* tacitè autem, ex fide ſecretò interpoſita, relictum fiſcus vindicet, *l. 1. C. de Delatorib.* Quod ita ſtatuendi ratio fuit; ne lex, aliquos hæreditariæ inſtitutionis incapaces reddens, Fideicommiſſorum beneficiò facilè eluderetur, Perez *in C. de Fideicommiſſ. n. 3.* Zœſius *in ff. ad SC. Trebell. n. 2. & 3.* & Haunold. *cit. tract. 7. n. 129.*

204. Fideicommiſsô onerari, ſive ad hæreditatem ejúsve partem, vel unam aut plures res particulares alteri reſtituendas obligari poſſunt omnes, ad quos aliquid judiciô defuncti relinquentis aut non adimentis eſt perventurum: ſive ii Teſtamentarii, *l. Cùm acutiſſimi 3. C. de Fideicommiſſ.* ſive Legitimi hæredes ſint, §. *Præterea cit.* quia etiam his defunctus, quòd, cùm poſſet, non ademerit, dediſſe videtur, *l. 1. §. 6. ff. de Legat. 3.* ſive Legatarii, *pr. Inſtit. de Sing. reb. per fid. relict.* ſive mortis causâ Donatarii ſint, *l. Cùm Pater 77. §. 1. ff. de Legat. 2.* Quin ipſe etiam Fideicommiſſarius; ut, ex fideicommiſſo ab hærede Fiduciario accepta, rurſum alii reſtituat, rogari & gravari poteſt, §. *Eum quoque 11. Inſtit. de Fideicommiſſ. hæred.* ſicut hodie contingit in Fideicommiſſo perpetuo Familiæ; vi cujus ſenior de Familia ex fideicommiſſo accepta bona conſervandi, & poſt mortem ſuam alteri de familia ſeniori futuro reſtituendi onere gravatur, Harprecht *in §. cit. n. 1.* & *ibi* Mantua *n. 2. & 3.* Quare Fideicommiſsô onerari is duntaxat non poteſt, qui neque Hæreditatem, neque Legatum, neque Fideicommiſſum, neque mortis causâ Donationem à defuncto eſt accepturus, *l. Ab eo 9. C. de Fideicommiſſ.* ſicut filius, qui præteritus fuit in teſtamento patris; hic enim, quaſi injuriâ à quo affectus, Fideicommiſſum præſtare non cogitur, quantumvis hæreditatem putenam aliâ via vg. reſciſsô teſtamentô, fuerit conſecutus, *l. Quidam 31. C. de Fideicommiſſ. citt.* Perez *n. 4.* & Haunold. *n. 134.*

Porro fideicommiſſa, licet olim per verba Precaria ſeu Precatoria, *Peto, Rogo, Fidei committo* & ſimilia: hodie tamen, ſcrupulosâ verborum conceptione ſublatâ, per qualiacunque, quibus teſtatoris Fideicommiſsô gravantis voluntas ſufficienter declaratur, *l. Omne verbum 2. C. Communia de Legat.* uti & per ſcripturam, libellum, epiſtolam, imò & nutum, fideicommittendi voluntatem latis exprimentem, relinqui poſſunt, *l. Et in epiſtola 22. C. de Fideicommiſſ. & l. Nutu 21. pr. ff. de Legat. 3.* Adhibendi tamen ſunt quinque Teſtes, §. *fin. Inſtit. de Fideicommiſſ. & l. & §. fin. C. de Codicillis:* Niſi quis præſens rogetur; ubi enim caſu, licet pauciores vel omino nulli teſtes ſint, Fideicommiſſum ſubſiſtere poteſt, ſi, Fideicommiſſariô juſjurandum deferente, is, qui rogatus eſt, ſuæ fidei nihil commiſſum, jurare recuſet, §. *fin. Inſtit. & l. fin. C. de Fideicommiſſ. citt.* Perez *n. 7.* Zœſius *n. 4.* & Haunold. *n. 131.*

Hæres fideicommiſsô gravatus & hæreditatem alteri reſtituere rogatus, ſicut ex Le-

ex Lege Falcidia quartam de Legatis & Fideicommissis Particularibus, si iis ultra dodrantem gravatus esset: sic etiam ex Fideicommisso Universali detrahere & sibi retinere potest quartam partem sive totius hæreditatis, sive ejus partis, in qua est institutus: quæ ab ejus nominis SCto Trebellianica vocatur, §. *Sed quia* 5. *&c. Instit. de Fideicommiss. hæred.* ne hæres, eò gravatus, ob nullum vel exiguum lucrum detrectet adire hæreditatem: & sic, fideicommissò extinctò, defunctum faciat intestatum, *l.* 1. §. 2. *& 3. ff. ad S. C. Trebell.* Cujus quartæ ratione sustinere debet onera & actiones, quæ cum proportione inter ipsum & Fideicommissarium dividuntur, Zœsius *l. cit. n.* 207. 88. Casu tamen, quò Fideicommissarius etiam per Fiduciarii manus acceptam hæreditatem, ejúsve partem, aut rem aliquam singularem, tertio ut restituat, rogatur & gravatur, non duæ quartæ, una ab hærede fiduciario, altera à fideicommissario: sed una duntaxat à solo fiduciario detrahitur; quòd in fideicommissario cesset causa deductionis: &, ut deductioni locus sit, oporteat eum, qui vult detrahere, gravatum esse, tanquam hæredem, & quidem directum, *l. Mulier 22. ff. ad S. C. Trebell.* Quin etiam, si hæres sine ulla deductione fideicommissum restituat, quarta detrahi à fideicommissario non potest: nisi illum deductionis omissione in hunc liberalitatem exercere, eámque donare voluisse, appareat, *l.* 1. §. 18. *& 19. ff. ad S. C. Trebell.* Mynsinger *in* §. *Eum quoque cit. n.* 8. *ubi* Harprecht *n.* 3. Manzius *n.* 5. & Haunold. *l. cit. n.* 405.

Si quando hæres Fiduciarius sponte totam hæreditatem, quartâ non retentâ Fideicommissario restituat, omnes actiones hæreditariæ huic & adversus eum competunt: ille verò ab omnibus oneribus ipsò Jure est liber, §. *Sed quia 7. V. Si verò, Instit. de Fideicommiss. hæred.* Si 208.
hæreditatem; quòd eam sibi suspectam & damnosam fore putet, Fiduciarius adire omnino recuset, petente Fideicommissariò eam cogitur adire, & huic, quartâ non deductâ, restituere; eâ tamen conditione, ut omnes actiones ad Fideicommissarium, & contra eum transferantur, nullò neque damnò neque lucrò apud hæredem Fiduciarium remanente, §. *cit. V. Sed etiam. l. Quia poterat 4. ff. ad S. C. Trebell.* Harprecht *in* §. *cit. n. 6.* & *ibi* Manzius *n.* 12. Neque tamen hôc casu, ut recusatæ hæreditatis rationem reddat, compelli potest; cùm varia hominum judicia sint ac voluntates: & quidam damna, alii negotia timeant aut vexationem, Bruneman *in l. Poterat cit. n.* 1.

Si pater fideicommissò universali 209.
gravet hæredem filium, aut nepotem, aut alium ex descendentibus suis utriusque sexûs, eúmque, etiam naturalem, hæreditatem post mortem alteri extraneo, vg. Titio restituere jubeat, non aliter eum ita gravâsse præsumitur, quàm sub tacitæ conditione, *Si sine liberis decesserit, l. Cùm avus 102. ff. de Condit. & demonst.* adeò; ut liberis utriusque sexûs post (non antè: nisi hoc testator ignorârit, Gomez *Lib.* 1. *var. cap.* 5. *n.* 36.) testamentum factum susceptis, & tempore mortis ipsius gravati vel ipsis vel vel aliis eorum descendentibus adhuc superstitibus, fideicommissum extinguatur, & gravatus hæreditatem Titio restituere non teneatur, *l. Cùm acutissimi 30. C. de Fideicommiss.* quâ *l. Cùm avus cit.* relatum Papiniani responsum ab Imp. confirmatum est & amplificatum. Ratio est; quòd verisimile non sit, testatorem, si de nepotibus cogitâsset, filium ad hæreditatem extraneo restituendam fuisse gravaturum; itáque successiones alienas propriis antepositurum,

rum. Contra hanc tamen Juris præsumptionem, quia de Jure non est, probationem in contrarium admitti, rectè observant Menoch. *Lib. 4. Præsumpt. 89. à n. 13.* Barri *de Test. & intest. Lib. 17. Tit. 13. à n. 1.* Fachineus *Lib. 4, Controvers. à cap. 58.* & alii, monentes *l. Cùm acutissimi cit.* dispositionem procedere in solo patre, filium duntaxat filiámve aut alium ex descendentibus suis gravante: & his ab illo substitutum per solos liberos, ex matrimonio verè aut saltem putativè justo procreatos, aut legitimatos & tempore mortis gravati superstites, excludi. Quare, neque, si extraneo gravato legitimi: neque, si gravato filio illegitimi nascantur ab eóve arrogentur: neque, si ab eodem filio ex legitimo thoro procreati ante eum decesserint, substitutus excludetur, *citt.* Perez *à n. 13.* Zœsius *à n. 11.* & Haunold. *n. 144.* Unde

210. Dubium oritur, an filius aut etiam extraneus à testatore gravatus; ut, *Si sine liberis decesserit*, hæreditatem alteri, vg. Titio restituat, hoc facere teneatur, si ingrediatur Religionem capacem bæreditariæ successionis, *Capacem*, inquam; quia, si Religio istius incapax sit, illam Titio restituendam extra controversiam est apud omnes: imò hæreditatem restituendam statim post Professionem in hujusmodi Religione, cum Covarruvia *in c. Quia 2. n. 6.* & Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canonic. cap. 32. n. 25.* & aliis rectè tradit Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. & n. 16.* quòd talis Professio ad effectum successionis morti naturali æquiparetur: neque ulla ratio sit, cur ipsius fideicommissum pervenire debeat ad hæredes ab intestato.

211. Si verò profiteatur Religionem, bonorum temporalium & hæreditariæ successionis capacem, & restituere gravatus sit sub conditione *Si sine liberis decesserit* expressâ, fideicommissum expirare: ejusque relicta ipsâ filii professione ad Monasterium, substitutô exclusô, transire favore Religionis constitutum est Jure utroque *Novell. 123. cap. 37. Auth. Nisi rogati C. ad S. C. Trebell. & c. In præsentia 8. de Probat.* quibus textibus proditus Religionis favor, omnino perspicuus.

Dubium tamen secundò & ancipitis Resolutionis controversia inter DD. est, an favor iste Juris aliquâ fictione, vel potiùs præsumptione nitatur; nam Glossa in *Auth. cit.* casu & *ibi* Baldus *n. 7.* Solycet *n. 1. & 6. & in c. In præsentia cit.* Innocentius *n. 8.* Joan. Andr. *n. 27.* Francus *in c. 1. de Testament. in 6. n. 8.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 41. n. 84.* & alii Religionis ingressu conditionem illam evanescere ac deficere volunt perinde, ac liberi suscepti fuissent; quòd Monasterium Juris fictione locô Filii habeatur *c. In præsentia cit.* ubi patruus, quos filio suo instituto pater substituerat sub conditione, *Si sine liberis decesserit*, illius demortui fideicommissum sibi restitui petentibus ex ratione; quòd conditio illa ipsius morte fuerit impleta, à Monasterii Syndico excipiendô objectum est, filium sine hærede non decessisse; quòd Monasterium hæredem reliquerit. Quô loco nomen Hæredis pro Filio sumi contendunt, cùm; quòd exceptio hæc ad patruorum agentium intentionem elidendam aliàs sufficiens non fuisset: tum verò; quòd in aliquibus editionibus loco verborum *Sine hærede* verba *Sine liberis* exprimantur, teste Sarmiento *Lib. 8. Select. 5. Is cui in tempu n. 2.* Cui non leve pondus addit; quòd hâc allegatione Monasterii Syndicus intentionem sive exceptionem suam plenè fundâsse, ipsô *c. cit.* textu disertè asseratur: & secundùm eam lata sententia à Papa fuerit confirmata.

Rationem hanc DD. alii frequentiori calculô

calculò rejiciunt, partim; quòd, si *c. cit.* Monasterium locò Filii haberetur, non extraneus duntaxat, sed filius quoque, & causa pia substituta, à Monasterio excluderentur, contra *cap. 37. cit.* partim verò; quòd hujus *cap.* textu ab Imp. non Monasterium locò Filii: sed conditio, *Si sine liberis decesserit*, pro invalida & non scripta in terminis habeatur, ut cum Bartolo *in Auth. cit. n.* 1. Felino *in c. In præsentia cit. n.* 42. Beroio *in c. cit. n.* 76. *& à n.* 477. ostendunt Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 83. à n.* 29. Mantica *de Conject. Ult. volunt. Lib.* 11. *tit.* 7. *n.* 6. Guttierez *cit. cap.* 32. *n.* 54. & alii, qui conditionem, *Si sine liberis decesserit*, quatenus Monasterio præjudicium affert, pro non scripta habendam, ajunt; non quidem, tanquam turpem & Jure impossibilem; cùm talis revera non sit: sed favore Religionis, &; quòd quoties filius eâ gravat⁹ Monasteriũ ingreditur, substitutio evanescat: & Monasterium ex præsumpta voluntate testatoris præferatur. Quam de testatoris voluntate conjecturam colligunt *ex Auth. & cap. 37. citt.* cùm, sicut ex Pietate & Naturali affectione parentum in liberos pater filium restitutione gravans id sub conditione, *Si sine liberis decesserit*, fecisse præsumitur; ut substitutò liberi sint potiores, *l. Cùm avus & l. Cùm acutissimi cit.* sic ex studio ac favore Religioni debito rationabilis conjectura sit, tam filium quàm extraneum, *Si sine liberis decesserit*, restitutionis extraneo faciendæ onere gravatum, ad eam non adstringi casu, quò ingressus est Religionem; ut istius favore conditio, quatenus Monasterio præjudicat, pro non scripta habeatur, *cap. 37. & auth. citt.* vel, si pro scripta habeatur, plus dictum, quàm est scriptum: & filius in eum duntaxat casum gravatus intelligatur, quò decesserit sine liberis & Religionem non fuerit professus: quod postremum insinuant Gonzalez *in c. In præsentia cit. n.* 14. *in fine* & Bruneman. *in Auth. cit. n.* 4.

Ex duabus his rationibus prior non rejicienda; quòd *c. In præsentia cit.* tenori valde consona sit: & argumento, ex filii & causæ Piæ substitutione deprompto, quò passim impetitur, facilè occurrat reponendò, Monasterium locò Filii Juris fictione tantùm esse, ad extraneos & causas prophanas: non etiam ad causam Piam & testatoris filium substitutum excludendum; quòd de his id ullo Jure non sit expressum: & causæ Piæ ac filii substitutorum favor naturalis & major: Civilis verò duntaxat & minor favor sit Monasterii: minor autem favor respectu majoris odium reputetur, ut *arg. l. Si apud minorem* 12. *ff. de Minoribus* ait Baldus *in c. cit. n.* 10. & alii apud Fagnanum *in c. cit. n.* 28. Posterior tamen ratio potior videtur; quòd *c. In præsentia cit.* Innocentius III. non condiderit Jus novum: sed solummodo confirmârit sententiam, à Cardinale pro Monasterio contra patruos substitutos latam, secundùm Jus antiquum & Leges Imperiales: quibus Monasterium locò Filii nuspiam: ejus autem & Religionis favore conditio, *Si sine liberis decesserit*, ex præsumpta voluntate testatoris pro non adjecta & scripta apertè habetur *cap 37. cit.* cujus & *Auth. cit.* intuitu *c. In præsentia cit.* à Monasterii Syndico intentionem, vel potiùs exceptionem suam plenè fundatam, Cardinalis asseruit, non tam; quòd conditio illa Religionis professione defecerit, quàm quòd ea, quatenus Monasterio præjudicat, non attendatur; eáque insuper habitâ professus Monasterium Jure instituerit & reliquerit hæredem. 214.

Sicut Religionem professus, sic & clericus secularis, Ecclesiæ ministeriis per sacram Ordinationem perpetuò mancipatus, sub- 215.

tus, substitutum perpetuò excludit; ut bona, in eventum, quò *Sine liberis decesserit*, restituenda substituto, Ecclesiæ suæ relinquere vel in alia pia opera impendere valeat, *cit. cap. 37.* ibi, *Si monasteria ingrediantur aut clerici fiant*, Innocentius *in c. In præsentia cit. n. 8. ubi* Felinus *n. 31.* Menoch. *cit. præsumpt. 83. à n. 65.* & Guttierez *cap. 32. cit. n. 32.* idque tam in hujusmodi clerico, quàm in Religioso non solùm in externo, sed in interno quoque foro procedit; quia generaliter lex justa in præsumptione fundata in utroque foro observanda est, donec de veritate præsumptioni illi contraria constet, *citt.* Menoch. *præsumpt. 85. à n. 59.* Guttierez *n. 4.* & Sanchez *cit. cap. 16. num. 1.*

216. Quantumvis autem hic Religiosæ professionis & Clericatûs favor in utroque Jure fundatus, & utriusque fori usu approbatus sit, perpetuus tamen non est; cùm non paucis casibus, gravatò sine liberis decedente, Ecclesia, & Monasterium, etiam hæreditariæ successionis capax, à substituto excludatur; veluti.

Primò, si instituto in eventum, quò sine liberis decesserit, substitutus sit filius aut nepos, vel etiam causa Pia, puta pauperes, captivi, Ecclesia parochialis, Felin. *in c. In præsentia cit. n. 54. ubi* Beroius *n. 492.* & Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Libertis n. 91. & Privileg. caus. Piæ 95.*

Secundò, si testamentò exprimatur aut perspicua indicia sint, à testatore substitutum Monasterio prælatum, vg. filio unum vel plures de familia substituendò adjiciat, suam voluntatem esse, ut bona in familia perpetuò conserventur; cùm enim *Auth. & cap. 37. citt.* substitutus à Monasterio excludatur ex præsumpta voluntate testatoris, hoc illi prælaturi, si de Religione cogitâsset, compertâ voluntate testatoris contrariâ, præsumptio & in hac fundata substituti exclusio cessabit, Ripa *in l. Ex facto 17. §. 4. ff. ad SC. Trebell. n. 41.* Decius *Consil. 259. n. 2.* & Covarr. *Lib. 1. Var. cap. 19. n. 11.*

Tertiò, si hæres gravatus Religionem ingrediatur animò fraudandi substitutum: sicut fieri præsumeretur, si hæres ante ingressum substituto minatus fuisset, se ad eum à fideicommisso excludendum Religionem professurum; cùm enim fraus sua & dolus nemini patrocinari debeat, *l. Hæredibus 13. ff. de Dolo malo & c. divimus 3. de Colluf. deteg.* illò Religionem ita professò, substitutus à Monasterio non excludetur, Panormit. *in c. In præsentia cit. n. 46. ubi* Felin. *n. 58.* Beroius *n. 500.* & Bald. *in Auth. Nisi tregum C. ad SC. cit. n. 24.*

Quartò, si hæres ad ingressum suasionibus & blanditiis Regularium fuisset inductus; sicut enim Monasterium tali casu cætera Professi bona non consequitur, *can. Constituit. 16. q. 7.* ita etiam non excludit substitutum, Bald. *in Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles. n. 13.* Sylvester *V. Religio 3. n. 11.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 83. n. 87.*

Quintò, si Monasterii ingressus careat effectu; quòd novitius ad sæculum reversus, mortuus ante professionem, aut hæc invalida sit; quia *Auth. & cap. cit.* verba, ad substituti exclusionem exigenda gravati ingressum in Monasterium, accipienda sunt de ingressu cum effectu; ut eò persona divino servitio perpetuò mancipetur, *l. 1. §. 1. V. Hæc autem verba ff. Quod quisque juris in alt.* Bartol. *in Auth. Si qua cit. n. 4.* Beroius *in c. In præsentia cit. n. 499.* & Menoch. *præsumpt. num. 83.*

Sextò, si Monasterium in professi bona succedere recuset; illò enim hæc repudiante ad bona à testatore relicta ite-

tim ad-

tim admittitur substitutus, fere sicut, si professio edita esset in Religione successionis incapaci, Felin. *in c. In præsentia cit. n. 90. ubi* Decius *n. 195.* & Menoch. *l. cit. n. 72.*

Septimò, quando conditio, *Si sine liberis decesserit*, apponitur in contractu oneroso; tali enim gravato in liberorum deficientium casum substitutus non excluditur eò, qui restitutione gravatus est, Divino servitio in Ecclesia vel Monasterio le perpetuò mancipante; quia Jura substitutum excludentia, de eo ultimâ voluntate vel contractu gratuitò sub conditione, *Si sine liberis decesserit*, substitutò loquuntur, & extensionem non admittunt. Plures & accuratè discussos casus dabunt, Menochius *cit. præsumpt. 83. à n. 27.* Guttierez *cit. cap. 32. à n. 25.* Sanchez *cap. 16. cit. à n. 11.*

217. Dubium tertiò est, an etiam, si hæreditatis restitutione post mortem alteri faciendâ absolutè, hoc est, non expressâ conditione, *Si sine liberis decesserit*, gravatus Monasterium ingrediatur, ab isto substitutus perpetuò excludatur. Quod cum Glossa *fin. in l. Cùm acutissimi cit.* & Baldo *in c. In præsentia cit. n. 18.* & aliis affirmat Gomez *Tom. 1. Var. cap. 5. n. 34.* eâ ductus ratione; quòd substitutus à Monasterio perpetuò excludatur, quando ea conditio est expressa, *Auth. & cap. 37. citt.* ubi ea conditio habetur pro non scripta: cùm ergò taciti & expressi eadem vis sit, *l. Cùm quid 3. ff. Si certum petatur*, substitutus à monasterio perpetuò excludetur, sive conditio illa sit expressa, sive tacitè subintelligatur.

Sed verisimiliùs, substitutum non perpetuò excludi, sed professo succedere post mortem ejus naturalem, cum Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 190. n. 35.* defendit Sanchez *cit. cap. 16. n. 82.* quòd *Auth. & cap. 37. cit.* & in iis fundata *c. In præsentia cit.* dispositio, tanquam à communibus Juris Regulis exorbitans, restringenda, & à casu ejusmodi conditionis expressæ, de quo agit, ad casum quò fictione Juris tacitè subintelligitur, non sit extendenda, præsertim; quia, illam ad hunc casum extendendò, contra *l. 1. C. de Dote promissa*, duplex fictio Juris concurreret in eodem subjecto: una, quâ subaudiretur conditio, *Si sine liberis decesserit:* altera, quâ pro varietate Opinionum vel Monasterium loco Filii venire intelligeretur, vel conditio illa, sicut favore liberorum pro expressa, sic Monasterii favore haberetur pro non adjecta.

Unde corruit in contrarium allata ratio; cùm enim Juris dispositio fundetur in conditionis expressione, istius solùm tacitè subintellectæ minor vis erit, quàm expressæ, præsertim ad effectum exclusionis substituti, ut cum Curtio juniore *in l. Cùm quid 3. ff. Si certum pet. n. 15.* & aliis observat *cit.* Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 40. n. 10.*

218. Dubium quartò est, an hæres necessarius, vg. filius, fideicommissò gravatus, Trebellianicæ nomine quartam cum legitima deducere possit. Certum ex dictis est, deduci ab eo posse saltem legitimam. Cum ista etiam Trebellianicam deduci posse, negat Alciatus *in l. Cùm proponas 21. C. de* Pactis & alii apud Clarum §. *Testamentum q. 63. n. 1.* affirmant autem cum non paucis & primi nominis DD. & viriliter propugnant ex Electoralis nostræ Universitatis Antecessoribus JCTis Fachineus *Lib. 5. Controvers. cap. 2.* ac Besoldus *Delib. Juris ex lib. 35. ff. q. 1.* & ex TT. Haunold. *Tom. 2. de J. & J. tract. 7. n. 363.* permoti authoritate summorum Pontificum Innocentii III. & 219. Gregorii IX. *c. Raynutius 16. & c. Raynaldus 18.* disertè approbantium sententiam judicis delegati, qui legitimam restitutio-

stitutioni non obnoxiam & Trebellianicam deduci posse, pronuntiârat, itáque liberis fideicommisso gravatis perspicuè utramque adjudicantium. Ratio utramque adjudicandi fuit imprimis; quòd pater, hæreditatis restitutione filium gravans, eum non gravet in legitima; cùm hæc tanquam Jure naturali debita sine ullo gravamine relinquenda sit, *l. Quoniam 32. C. de Inoffic. testam.* atque idcirco gravatus esse videatur in solo reliquo, obnoxio restitutioni: de quo quarta Trebellianicæ nomine deducenda est, secundùm *Novell. 39. cap. 1.* Deinde; quia non deterior est conditio restitutione gravati filii, qui ferè ad propria bona venit, quàm extraneorum, *l. 1. §. 12. ff. de Succeff. Edict.* quod tamen contingeret, si filius cum legitima non etiam Trebellianicam recuperaret; quia ita ex voluntate testatoris nihil; sed id solùm consequeretur, quod ipsi Juris beneficiô debetur, & à testatore non potuit auferri: cùm contrà quilibet extraneus quartam Trebellianicam ex institutione consequatur. Demum; quia legitima filio Jure Naturæ debetur, ut Filio: Trebellianica, ut Hæredi Fiduciario sive rogato restituere hæreditatem. Quando autem alicui duplex beneficium competit ex diversis causis, utrique est locus, *l. Quoties 91. ff. de R. J.* neque novum est unum eundémque duplex commodum capere, *l. Tutorem 22. V. Etsi ff. de Hu, quæ ut indig.* Cur non etiam filius utrumque consequatur?

Neque enim ei adversatur; quòd *cc. citt.* textibus Canonicis liberi fideicommissô gravati fuerint sub conditione, *Si sine liberis decesserint*; quia idem esse, si graventur purè, inde liquet; quòd Apostolica decisio non fundetur in eo; quòd hæreditatem restituere jussi sint sub conditione: sed quod in legitima, tanquam Jure naturali debitâ, non potuerint gravari: Trebellianicam verò deducere quilibet extraneus possit; ac proinde, si id permissum non esset hæredi filio, ipse deterioris conditionis quàm extraneus foret: quæ ratio non minùs urget, si filius purè, quàm si sub conditione gravetur, ut *l. cit.* rectè observat Fachineus.

Atque hæc de Jure Canonico: cu- 220
jus Æquitas an ab Imperiali recesserit, magna dissensio est inter DD. in utramque prolixâ allegatione Legum, eáque vim litantes; ut omnibus ponderatis Juris Civilis dispositio ambigua remaneat: quod cùm contingit, leges interpretationem recipiunt à sacris Canonibus, *arg. c. 1. & c. Cùm ex injuncto 2, de Novi oper. nunt.* ut istorum perspicua dispositio in utroque foro sit observanda; quia citrà decisione Canonicâ sublata cessetur Legum obscuritas, & sopita varietas Legistarum, Panormit. *in c. Per venerabilem 13. Qui filii legit. n. 38.* Parisius *Vol. 3. Consil. 27. n. 10.* & Laiman. *in c. Super literis 20. de Rescript. n. 6.* Eandem triusque Juris concordiam persuadet debii Juris optima interpres Consuetudo sive praxis tribunalium, saltem extra Hispaniam, frequens; cùm utrilibet legitimæ simul & Trebellianicæ deductionem filio in senatu Parisiensi Pedemontanoque, in Frisiæ Hollandiæque curiis & aliis tribunalibus adjudicari, & celebriorum Orbis Scholarum judiciô permitti, testentur non pauci apud Gonzalez *in c. Raynutius cit. n. 22.* Unde

Dubium quintò est, an Trebellianicæ 221
deductioni locus etiam sit, quando legitima est semis sive dimidia pars bonorum: sicut fit, cùm testator quaternis pluribus liberos relinquit. Quòd cum Baldo & aliis negat Covarruvias *in c. Raynutius cit. §. 11. n. 10. in fine*, eâ ductus ratione quòd absurdum videatur, ut hæreditatem restituere gravatus ex ea plus consequatur, quàm

tur, quàm is, cui ea est restituenda: quòd hôc casu utriusque deductione eveniret; quia gravatus præter semissem legitimæ nomine deductam, alterius semissis quartam partem Trebellianicæ nomine consequeretur.

Sed verìùs utriusque detractionem hôc etiam casu cum Cravetta *Consil. 50.* & aliis permittunt Fachineus *Lib. 5. cit. cap. 3.* & Haunold. *cit. tract. 7. n. 376.* quod id evincant textus Canonici & rationes pro Trebellianicæ deductione allatæ, & eô etiam casu, quô legitima dimidia pars bonorum est, militantes. Neque id absurdum aut ab æquitate alienum videri debet; partim propter favorem, quô liberorum numerum leges prosequuntur, *Auth. Novissima C. de Inoffic. testam. & Novell. 18. cap. 1.* eorúmque commodo sacri Canones studeant, *c. Cùm haberet 5. De eo, qui duxit in Matrim.* partim verò; quòd ex quinque liberis fideicommissô gravatis, etsi cum legitima Trebellianicam deducant, singuli multò minùs, quàm Fideicommissarius consequantur.

222. Porrô deductio Trebellianicæ præter casus, quibus hæreditatem adire institutus & gravatus hæres recusat, aut eam adit per fideicommissarium coactus, cessat Inprimis in fideicommisso relicto causæ Piæ sive, cùm hæres gravatus est restitutione facienda causæ Piæ: nisi ipse quoque esset causa Pia; huic enim substituta causa Pia privilegiô suô ad Trebellianicæ deductionem impediendam uti nequit: sed Jure communi eam permittente stare cogitur, Barri *de Testat. & intest. Lib. 5. Tit. 7. n. 8.* Deinde, si ejus detractionem testator prohibuerit, Idem *Tit. 8 an. 1.* Demum in omnibus Testamentis, in quibus Falcidiæ, etiam Trebellianicæ deductionem cessare, cum Tholos. *Syntag. Lib. 42. cap. 31. n. 18.* idem *cit. Tit. 7. n. 13.* ait.

ARTICULUS XI.

De Testamenti Resolutione.

SUMMARIUM.

223. *Testamentum viâ Juris, vel Hominis adminiculô infirmatur.*
224. *Viâ Juris rumpitur, irritatur, vel destituitur.*
225. *Rumpitur I. Agnatione posthumi prateriti,*
226. *Etiam quoad legata:*
227. *Nisi hæc causæ Piæ quantitate moderatâ,*
228. *Vel ad Conscientiam exonerandam sint relicta.*
229. *II. Arrogatione, vel alicujus descendentis adoptione:*
230. *Quâ non rumpitur testamentum Pium.*
231. *III. Voluntate testatoris, id conscindentis, delentis, cancellantis:*
232. *Id se valere nolle declarantis,*
233. *Vel conficientis aliud testamentum:*
234. *Quô ferè non rumpitur testamentum Pium:*
235. *Licet istô plerumque rumpatur quodvis Prophanum.*
236. *Irritatur testamentum diminutione capitis testatoris:*
237. *Non etiam istius furore, surditate, prodigalitate superveniente.*
238. *Statu etiam recuperatô testamentum irritatum capite minutorum:*
239. *Uti & captorum ab hostibus consequitur effectum.*
240. *Professione Religionis testamentum rumpi vel irritari, asserentium,*
241. *Et negantium vera Opinio.*
242. *Professio nec Agnationem,*

243. *Nec mutatæ voluntatis præsumptionem,*
244. *Nec diminutionem capitis inducit.*
245. *Professus revocare nequit testamentum:*
246. *Sed hoc, si Religio successionis incapax, statim:*
247. *Si ejus capax sit, post professi mortem effectum consequitur:*
248. *Nisi aliud voluerit professus.*
249. *Testamentum destituitur, si ex eo hæres non existat.*
250. *Adminiculô Hominis infirmatur, si Inofficiosum declaretur,*
251. *Ad querelam liberorum aliorúmve descendentium,*
252. *Vel Ascendentium,*
253. *Vel fratrum aut sororum, id impugnantium,*
254. *Post aditam hæreditatem.*
255. *Inofficiosi querela variis casibus cessat.*

223. SIcut in humanis rebus aliis nihil tam firmum; ut non casui aliquando obnoxium sit: sic & Testamentum, ritè confectum ab initio, ejus roboris non est, ut non aliquando resolvatur: non quidem hodie, ut Veteri Jure, solô lapsu decennii: sed, temporaneâ hac illius evacuatione antiquatâ, *l. Sancimus 27. C. de Testament.* vel viâ Juris vel adminiculô Hominis.

224. Viâ Juris id contingit, cùm testamentum rumpitur, irritatur, vel destituitur, *Rubric. & text. ff. de Injusto rupto test. & Instit. Quib. mod. test. infirm.*

Rumpitur & ipsô Jure tollitur testamentum, cùm, in eodem statu permanente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur, §. 1. *Instit. Rubr. cit.* quod fit tribus modis, Agnatione posthumi, Arrogatione vel Adoptione, mutatâ Voluntate testatoris.

Agnatione naturali, sive nativitate, posthumi legitimi & naturalis simul rumpitur, quando testatori post mortem vel post testamentum absolutum & perfectum nascitur filius ex justis nuptiis procreatus, de quo nulla in testamento facta mentio, §. 1. *cit. & §. 1. Instit. de Exhæred. liber.* Quantumvis autem testamentum solâ posthumi conceptione non rumpatur, nisi is perfectè natus & ex utero in lucem editus sit, *l. Cùm quidam 30. §. 1. ff. de Adquir. hæred.* rumpitur tamen nativitate ejus, qui vivus & non monstrosus editus est: licet illico & in obstetricis manibus decesserit, *l. Quædam tarum 3. C. de Posthum. hæred.* ut totum evacuetur, §. 1. *Instit. de Exhæred. Libr.* & ex eo nec legata debeantur, *arg. l. Sicut 9. C. de Testam. milit.* Clarus §. *Testamentum, q. 52. n. 4.* Grassus §. *Legatum, q. 87.* Gaill. *Lib. 2. observat. 113. n. 2.* Menoch. *de Arbitr. casu 147. n. 1.*

Neque, ut primò occurlu apparet, legata conservari inde evincitur; quòd, cùm ex causa exhæredationis vel prætentionis tantùm irritetur, quoad solas institutiones, non etiam quoad legata irritum sit, *Auth. Ex causa C. de Liber prætorit.* quia *auth. hæc* procedit in filio jam nato vel nascituro præterito scienter; quòd, cùm testator in sola institutione, non etiam in cæteris peccârit, illâ corruente, ista meritò conserventur: non etiam in nascituro aut jam nato, præterito ignoranter; quòd eum, qui natus erat, testator mortuum putârit, vel uxorem ignoraverit esse prægnantem; in hoc enim ex tacita vel præsumpta voluntate testatoris *l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat.* procedere &, testamentô ruptô, legata non conservari, cum Tiraquell. *in l. cit. V. Largitus, n. 763.* & aliis advertunt Barri *de Succeff. test. & inteft. Lib. 10. tit. 10. n. 9.* & Bruneman *in l. Sicut cit. n. 5.*

Dubium

227. Dubium est, an, testamentô posthumi agnatione ruptô, etiam non debeantur eô relicta legata Pia. Ratio dubitandi est; quòd ex summa & ab ipsa natura patri commendata affectione in liberos oriatur vehemens præsumptio, testatorem patrem, si de posthumo cogitâsset, in Piæ causæ favorem dispositurum non fuisse, *arg. l. Sicut 9. & l. Si cùm* 10. *C. de Testam. milit.*. Ratio hæc causæ Piæ institutionem evanescere omnino persuadet. Quoad hujusmodi autem legata faciendum existimo discrimen; ut causæ Piæ legatum conservetur, si moderatæ: si magnæ quantitatis sit, evacuetur. Ratio discriminis & prioris partis est; quòd, cùm etiam, qui liberos habent, animæ suæ recordari & Pia legata relinquere soleant, rationabiliter præsumatur ad pias causas legata moderata à patre, etiamsi de posthumo cogitâsset, relinquenda fuisse, *arg. l. fin. in fine ff. de Hæred. instit.* Posterioris verò; quòd, cùm parentes, qui liberos habent, in Pias causas sua non profundere, sed naturali affectu & amore movente illis & posteritati suæ meliori, quô possunt, modô prospicere soleant, rationabiliter præsumatur, causæ etiam Piæ magnæ quantitatis legatum à patre, si de posthumo cogitasset, non fuisse relinquendum, *arg. l. Generaliter 6. V. Cùm autem C. de Instit. & subst. & l. Militis 36. §. 2. ff. de Testam. milit. cit.* Menoch. *n.* 2. & Barri *n.* 10. ubi conservari etiam ajunt modicum legatum relictum personæ conjunctæ & alteri causâ Remunerationis.

Quænam autem magna aut moderata seu modica quantitas sit, *citt.* DD.
228. judicis arbitrio relinquunt, monéntque magnæ etiam quantitatis legatum, posthumô natô, præstandum, si relictum à patre sit pro exonerandâ conscientia, Usurarũ maléque partorum restitutione, cùm; quòd testator animæ suæ salutem posthumo prætulisse meritò præsumatur: tum verò; quòd hujusmodi legatum necessaria restitutio potiùs quàm pia liberalitas sit, idque præstari posthumo ipsi expediat; quòd testamentô posthumi agnatione ruptô defuncti conscientiam exonerare etiam hæres teneatur, *c. fin. de Sepult. & c. Tua nos 9. de Usuris*, ut etiam advertit Gaill. *l. cit. n. 5.* quantumvis ipse pia legata, testamentô ita resolutô, conservari inficietur.

Arrogatione & Adoptione alicujus 229.
descendentis quasi agnatione Civili rumpitur testamentum, si post hoc perfectum testator sibi arrogârit aliquem, qui sui juris est, aut adoptârit unum ex descendentibus inque familiam & potestatem suam redegerit: sicut contingit, si avus vg. paternus vel maternus nepotem, quem, quòd ejus pater patriâ potestate liberatus sit, in potestate non habet, in filium aut nepotem adoptet, *cit.* §. 1. *Instit. Quib. mod. test. infir.* junctâ *l. Cùm in adoptivis* 10. *C. de Adopt.* Ratio est; quia suus hæres testamentô præteritus id agnatione rumpit, §. *cit.* is autem, qui arrogatur vel ab ascendente adoptatur, suus fit hæres, §. *Posthumorum 2. Instit. de Exhæred. lib.* Mynsinger *in §. 1. cit. n. 3.* & Manzius *n.* 4.

Dubium est, an Civili hâc Agna- 230.
tione sui hæredis rumpatur testamentum Pium. Pia legata saltem moderatâ quantitate relicta præstanda, planum est argumentô ductô à posthumi agnatione naturali; cùm enim ista, ut dictum, talia legata non tollat, & tanquam in naturali affectione fundata potentior sit agnatione Civili, verisimile est, istâ non solùm legata pia moderata relinqui intacta, sed magnâ etiam quantitate relicta non evacuari: imò nec rumpi ad Pias caus-

sas conditum testamentum; quòd præsumi nequeat amore hujusmodi filii testatorem à pia dispositione recedere: sed potiùs præstitâ ei quartâ, debitâ ex constitutione Divi Pii, *l. Papinianus 8. §. 15. ff. de Inoffic. test.* Pium testamentum quoad reliqua conservari voluisse: nisi adoptatus non extraneus, sed ex descendentibus sit; cùm enim in hoc Naturalia & Civilia jura concurrant, ejus adoptione Pium saltem testamentum & hujusmodi legata magnâ quantitate relicta, moderatis solùm conservatis, tollentur.

231. Mutatâ voluntate testamentum rumpitur imprimis, si testator consultò, idque revocandi animô, vel ex ejus voluntate alius testamentum conficiderit, linum aut signa amoverit, vel scripturam deleverit aut cancellârit, *l. 1. ff. de His, quæ in test. del. & l. fin. ff. de Liber. & posthum.* Non etiam, si horum aliquid casu vel præter voluntatem testatoris acciderit, *l. Nostram 30. C. de Testam.* Neque, si ex ejus voluntate solùm pars vg. unius hæredis nomen deletum sit, inde testamentum totum corruet, sed deleti pars accrescet portionibus cæterorum, *l. Cancellaverat 2. ff. de His, quæ in test. del.* Neque etiam, si omnium hæredum nomina inducta sint, eô ipsô revocata sunt legata: sed ista ideo non inducta intelligentur; ut valerent, *l. Cùm quidam 12. in fine ff. de His, quæ ut indign. cit.* Barri *Lib. 1. tit. 9. n. 46.* & Haunold. *Tom. 3. de I. & I. tract. 6. n. 165.* Si testamentum Nuncupativum & facilioris probationis causâ publico instrumentô à Notario confectô comprehensum sit, ut ita rumpatur, ejus cancellatio vel dilaceratio à testatore cum protestatione, se intestatum decedere velle, facienda, eámque ita factam, probandum est, *citt.* Barri *n. 45.* & Bruneman. *in l. Nostram cit. n. 5.*

Deinde, si testator coram testibus saltem tribus aut inter Acta dixerit, se nolle testamentum valere, atque insuper ipsô vivô decennium, à confectionis (jure Bavarico à revocationis, Landrecht *Tit. 34. art. 15.*) tempore computandum, elapsum sit, id rumpitur sine ulla conscissione, remotione, cancellatione, *l. Sancimus 27. C. de Testam.* 232

Demum, si testator aliud testamentum confecerit, eô plenè perfectô prius ita rumpitur; ut, licet posterius ex accidenti aliquo vg. quòd eô scriptus hæres hæreditatem adire noluerit, effectum non sortiatur, non reviviscat, *l. cit. l. Hâc consultissimâ 21. §. 3. C. eâdem Rubr. & §. Posteriori 2. Instit. Quib. mod. test. infir.* Si priori testamentô extraneus; posteriori verò coram quinque solum testibus instituti sint ii, qui alioquin testatori intestato successuri fuissent, prius verè ruptum esset, §. 3. *cit.* Casu, quô priori inserta esset clausula derogans omni testamento posteriori, ut priùs rumpatur, clausulæ illi aliquô modô derogari, & testatorem præ illo posteriorem voluntatem valere velle, exprimi necesse esse, ex *l. Si quis 22. pr. ff. de Legat. 3.* desumit & ratione firmat Haunold. *l. cit. n. 177.* Unde 233

Dubium geminum nascitur: Unum, 234
an posteriori testamentô rumpatur prius, quô instituta est causa Pia. Qua in re, si testamenta contraria non sint; quòd priori causa Pia in re singulari, posteriori hæres prophanus in alia re singulari institutus sit, prius non rumpi, sed utrumque subsistere, satis exploratum est, cùm; quòd cum duobus testamentis decedere valeat miles, *l. Quærebatur 19. ff. de Testam. milit.* à quo conditum non magis favorabile quàm Pium testamentum est: tum verò; quòd Juris Civilis, ne paganus cum duobus testamentis de-

cedat,

cedat, inhibentis dispositio sapiat Juris illius subtilitatem, quæ in testamentis Piis non attenditur, *c. Relatum* 11. Si verò contraria sint, posteriori testamentô prophanô perfectô, quô testator se à prima voluntate recedere velle non exprimit, prius conditum testamentum Pium non rumpi, desumitur à paritate testamenti inter liberos, quod posteriori testamentô, si ab illo se recedere velle pater testator non exprimit, non rumpi, omnino & clarè liquet ex *Novell.* 107. *cap.* 2. & *Auth. Inter liberos C. de Testam.* Ratio est; quòd, sicut pater naturali & valde enixo amore fertur in liberos, sic affectu studióque impensissimo animæ suæ saluti consulere; atque idcirco à voluntate ultima, sicut illos, sic etiam animæ salutem spectante, recedere, si non exprimat, noluisse præsumatur; cùm testamentum inter liberos & ad causas Pias conditum pari passu procedat, *arg. c. Relatum cit.* junctâ *l. Hâc consultissimâ cit. §. 1.*

235. Alterum dubium est, an prius testamentum prophanum, clausulâ posteriori testamento derogante munitum, sine istius mentione etiam non tollatur per posterius testamentum Pium. Illud enim istô non rumpi suadetur *arg. l. Si quis cit.* Sed huic prævalet *Auth. cit.* cujus argumentô prius ejusmodi testamentum prophanum posteriori Piô, ullam illius mentionem non faciente, rumpi, cum Jasone *in Auth. cit.* Beroio *Lib. 2. Consil. 3. n. 8.* & aliis defendunt Covarruvias *ad hanc Rubric. p. 2. n. 66.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 166. n. 40.* Ratio est; quòd propter enixum studium, quô animæ suæ non minùs quàm liberis prospicere Christianus quilibet præsumitur, illius & istorum causa pari passu procedat, *arg. c. Relatum & §. 1. citt.* Tiraquell. *Pia causa privileg. 54.* ubi testamentum conditum inter liberos posteriori testamentô Piô, illius nullam mentionem faciente, revocari ait: dummodo istô liberis aliquid fuerit relictum.

Irritatur testamentum, cùm vitium 236.
id infirmans ac resolvens directè afficit personam testatoris; quòd iste post testamentum ritè confectum perfectúmque mutârit statum per Capitis diminutionem, *§. Alio 4. Instit. Quib. mod. test. insir. & l. Si quis 6. à §. 5. ff. de Injusto rupt. test.* Maximam, quâ testator è liberorum hominum numero exemptus & casu aliquo redactus est in servitutem: Mediam, quâ is, salvâ libertate, amisit Civitatem, itáque è numero civium exclusus: Minimam, quâ, cùm sui juris esset, per arrogationem alieno juri subjectus est &, libertate Civitatéque retentâ, in familiam ac domum transiit alienam, *§. 1. &c. Instit. de Capit. diminut.* Ratio, cur diminutione capitis testamentum irritetur, ea est; quòd capite minutus bona habere desinat in suæ potestate, & in iis hæredem ex testamento habere non possit: quod constat de eo, qui per Maximam in servitutem redactus est; quòd servus nihil suum habere possit, *§. Item vobis 3. Instit. Per quas pers. acquir.* de passis Mediam; quòd capitali judiciô damnatorum, quorum pœna mors aut deportatio est, *l. Publicorum 2. ff. de Publ. judic.* bona eâ damnatione publicentur, *l. 1. ff. de Bonis damnat.* &, licet Hodie eorum bona liberis, si quos habent, aut parentibus conserventur, *Novell. 134. cap. 13. V. Ut autem*, de iis tamen testandi ac disponendi facultas sit adempta: de iis, qui Minimam subjerunt; quòd bona sua in alienam domum & familiam transtulerint, eáque ipsi desierint habere, *l. Qui ex liberis 11. §. 2. ff. de Bonor. poss. sec. tab.* Donell. *Lib. 6. Comment. cap. 16. §. Casu quoque.* A-

que. Aliam hujus rationem reddit Manzius *in* §. *Alio cit. n.* 2.

Excipitur tamen testamentum patrisfamilias militis, de peculio Castrensi vel quasi factum; hoc enim ejus arrogatione non irritatur, *l. Si quis cit.* §. *fin.* quòd Minimâ hâc capitis diminutione bona sua non amittat, sed hæc ei conserventur, Barri *cit. Lib.* 10. *tit.* 15. *n.* 4. & Bruneman. *in l. cit. n.* 5.

237. Expedita ex his ratio est, cur testamenta irritentur tergeminâ hâc Capitis diminutione: non etiam supervenientе furore, surditate, prodigalitate testatoris: quantumvis hujusmodi naturali aut morali vitiô laborans perinde, ut Capite minutus, in eum statum devenerit, in quo testamentum facere non potest, §. 1. *V. Item furiosi*, §. *Item prodigus* 2. §. *Item surdus* 3. *Instit. Quibus permiss. fac. test.* quia tali vitiô laborans non solùm statum, id est, libertatem, civitatem, familiam, sed etiam bona sua retinet, hísque retentis nihil impedimento est, quò minùs testamentum ritè perfectum hæredem & exitum habere possit, Donell. *cap. cit.* §. *Quid nullâne*, Aliam discriminis rationem ultra hanc reddit Manzius §. *cit. n.* 14.

238. Quodsi capitis diminutionem passi statum postea recuperent, & mortis tempore cives suíque juris sint, eorum testamenta, cum debitis solennitatibus facta & septem signaculis munita, ex Æquitate Prætoria non per omnia inutilia sunt; cùm iis scripti hæredes bonorum possessionem secundùm tabulas agnoscere Prætoris officio possint, §. *Non tamen 6. Instit. Quib. mod. test. infirm.* ut adeò Prætor inspiciat duo tempora, conditi testamenti & mortis, & quem testamenti factionem habuisse utroque invenerit, ejus testamentum quasi validum sustineat, nullâ medii temporis habitâ ratione, *l.* 1. §. 8. *in fine, ff. de Bonor. poss. sec. tab.* Manzius *in* §. *Non tamen cit. n.* 4.

Speciali Juris privilegiô etiam testamenta eorum, qui post hæc ritè perfecta ab hostibus capti sunt, non solùm si redeant: sed &, si in hostium potestate decedant, quasi jure postliminii hæstinentur & effectum consequuntur perinde ut, si in hostium potestatem non devenissent; aut cùm caperentur, occubuissent, *l. Lege* 11. *ff.* & §. *fin. Instit. Quib. non est permiss. fac. testam.*

Dubium & perquam celebris controversia inter DD. est, an testamentum ante Religionis ingressum conditum, rumpatur aut irritetur Professione. Hæc certè non pauci: at non eâdem omnes, sed aliâ aliáque ratione ducti affirmant; aliqui enim testamentum saltem id, quò Monasterio nihil relictum est Professione quasi agnatione rumpi, volunt cum Glossa *in Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles. V. Competere* Cyno *ibid. n.* 1. & *in c. In præsentia* 8. *de Probat.* Innocent. *n.* 7. & Hostiens. *n.* 11. quòd professo Monasterium loco Filii sit, *c. cit.* atque idcirco, si præteritum omnino sit, illius testamentum, sicut agnatione posthumi præteriti, sic & Professione rumpatur, *arg.* §§. 1. *Instit. de Ex hared. lib. &* *Quib. mod. test. inf.* Iidem etiam, si Monasterium præteritum non sit, testamentum tamen Professione quasi capitis diminutione irritari existimant; quòd, cùm Professione mutetur status, professi bona cedant Monasterio, & persona sui juris desinat esse, *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. & c. Si Religiosus* 27. *de Elect. in* 6. Alii numerô plures mutatâ voluntate testamentum professi saltem ejus, qui conditi testamenti tempore de Religione non cogitavit, rumpi, censent cum Bartolo *in Auth. Si qua mulier cit. n.* 7. Baldo *ibid.*

do *ibid. n.* 12. Imola *in c. In præsentia cit. n.* 22. Covarruvia *in c. Quia ingredientibus 2. hic n.* 5. Grasso §. *Testamentum, q.* 34. *n.* 3. & Guttierez *Lib.* 2. *QQ. Canon. cap.* 1. *à n.* 9. quòd ipsô Religionis ingressu professus se suáque bona monasterio dedicet, *Auth. Ingressi cit.* itáque testamentum tacitè revocare intelligatur, *arg. l. Sancimus* 27. *C. de Testament.*

242. Sed meliori ratione ejusmodi testamentum, etiamsi Monasterio nihil relictum, ejúsque perfecti tempore Religionis cogitatio suscepta non fuerit, Professione nec rumpi, nec irritari, cum Ant. de Buttio *in c. In præsentia cit. n.* 32. Panormit. *ibid. n.* 52. Beroio *n.* 519. Franco *ad hanc Rubricam in 6. n.* 69. & Interpp. aliis defendunt Clarus §. *Testamentum, q.* 28. *à n.* 4. Sylvester *V. Religio 6. q.* 1. Navarrus *de Regular. Comment. 2. n.* 5. Fachineus *Lib.* 6. *Controvers. cap.* 14. §. *Postrema*, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp.* 139. *à n.* 17. Sanchez *Lib.* 6. *Moral. cap.* 3. *n.* 44. & apud hos alii TT. & ICT.i Et quidem, si testator Religionem successionis incapacem est ingressus, res omnino explorata est; cùm talem ingressi testamentum ipsâ professione confirmetur, atque ideirco perinde, ut testatore mortuô, mandetur executioni. Si verò ingressus est Religionem successionis capacem, non apparet, ex quo capite ejus testamentum rumpatur aut irritetur.

243. Neque enim primò id rumpitur quasi posthumi præteriti Agnatione, cùm; quia Monasterium locô Filii Jure non haberi, satis supérque ostensum est *n.* 213. tum verò; quia, etiamsi Juris fictione locô Filii esset, talis tamen solùm esset in casibus Jure expressis: Jure autem Monasterium ad effectum rumpendi testamenti, ante professionem conditi, locô Filii esse, ullibi expressum non est.

Neque secundò testamentum rumpitur mutatâ, seu priori contrariâ voluntate, partim; quia bonorum suorum Monasterio facta dedicatio mutatæ voluntatis prioris præsumptionem Jure solùm inducit, quando Religiosus ante ingressum seu professionem testamentum non fecit, *Auth. Nunc autem C. de Episc. & Cleric.* ibi, *Si prius testatus non fuit.* Unde casu, quô testatus antè fuit, prior voluntas mutata, bonáque à professo hæredi scripto adempta & in Monasterium translata, Jure non præsumuntur; quia tacitè adempta hæreditas non præsumitur, quando mutatæ voluntatis non adsunt conjecturæ, *l. fin. ff. de His, quæ in test. del.* casu autem, quô professus de bonis ante testatus est, aut aliter disposuit, alia conjectura habetur: partim verò; quia tacita ejusmodi voluntatis mutatio, ex professione præsumpta, non sufficit ad testamenti revocationem, sed ad hanc expresâ, aliáve dispositione aut factô expresè contrariô est opus, *l. Sancimus & l.* 1, *citt.* 243.

Neque tertiò testamentum irritatur capitis diminutione; quia, esto professione mutetur status, ea tamen mutatio alterius & sublimioris Ordinis est, quàm quæ inducitur capitis diminutione; cùm neque Religiosum propriè servum efficiat, neque omnia, quæ habuit, sed ea tantùm bona in Monasterium perpetuò transferat, de quibus ante ingressum testatus non est, aut aliter non disposuit, *Auth. Nunc autem cit. Novell.* 5. *cap.* 5. *pr. & Novell.* 76. *pr. V. Et quoniam:* quibus locis Monasterium ingressuro ante professionem de bonis suis disponendi & testandi stabilita facultas id spectat; ut ab eo ante ingressum *Quôvis modô* inter vivos aut ultimâ voluntate disposita postea valerent; quid enim utilitatis testandi 244.

stándi aut aliter disponendi facultas professo afferret, si ejus testamentum aliáve dispositio ipsô ingressu seu professione irritata evacuaretur?

Neque contrarium evincit; quòd, cùm Religiosus rebus suis, in Monasterium translatis, & propriâ etiam voluntate se abdicârit, *Auth. Ingressi & c. Sè Religiosus citt.* non habeat testamentifactionem, necessariam, ut testamentum subsistat; quia, ut hoc valeat, factio illa testamenti conditi & mortis etiam tempore exigitur, *l.* 1. §. *8. in fine citt.* Non, inquam, hoc illud evincit partim; quia testamentifactionem mortis tempore etiam non habet, cui testamentô jam perfectô furor, surditas, prodigalitas supervenit: & tamen ejus testamentum non rumpitur vel irritatur, *l. cit.* §. *9. V. Item furiosi*, §. *Item prodigus* & §. *Item surdus citt.* quòd ejus testamentum hæredem & exitum habere possit, ut cum Donello dictum *n.*237. Cùm ergo etiam testamentum, à Religioso factum ante professionem, post istam hæredem & exitum habere possit, ipsum quoque non irritabitur professione: partim verò; quia testamentifactionem etiam Religiosus habuit tempore mortis, non quidem Naturalis, sed Civilis: quam in ipso Jure sufficere, inde perspicuum est; quòd ei concessa sit facultas testandi ante professionem, mortem ejus Civilem: cujus concessio ne inutilis & delusoria sit, testamentum ante professionem ab eo conditum post hanc valere, est necesse. Confirmantur ista; quia, si testamentum professione irritaretur aut rumperetur, etiam bona, de quibus testamentô dispositi, istô evacuatô, cum reliquis ad Monasterium transirent, *Auth. Ingressi cit.* contra expressam dispositionem *Auth. Nunc autem cit.* quâ ea duntaxat bona, *De quibus prius testatus non est & Judicium ejus cessat*, Monasterio adjudicantur. Unde

Infertur, testamentum, ante profes- 24
sionem conditum, à professo non posse revocari, *citt.* Panormit. *n. 61.* Navarrus *n. 9.* Fachineus *cap.* 15. §. *Ego sententiam, cit.* Molina *disp. 40. n.* 5. & Palao *Tract. 16. disp.* 1. *p.* 14. *n.* 4. Ratio est, quia professione propriâ voluntate & bonis suis se abdicavit; ut testamentum condere amplius non possit, *c. Quia ingredientibus cit.* ac proinde etiam condi- tum revocandi careat potestate; quia testamenti revocatio novi condendi potestatem supponit, §. *Ex eo 7. Instit. Quib. mod. test. infirm.*

Quare, si testator ingressus est Re- 24
ligionem successionis incapacem, ut est Religio S. Francisci FF. Minorum & Capucinorum: &, si in Societate JESU Professorum & Coadjutorum Formatorum vota emisit, ejus testamentum ante conditum sic confirmatur; ut eô relicta hæreditas statim deferatur & legata debeantur perinde ut, si naturaliter mortuus esset; quia in ejusmodi Religione edita professio quoad omnes effectus; ac proinde quoad professi bona idem operatur, quod mors naturalis; cùm testamenti comprehensa bona nec penes professum nec penes Monasterium manere possint: & propterea, ab intestato venientibus ipso testamento exclusis, tradenda sint iis, quibus istô sunt relicta. Ita plurimis congestis *citt.* Sanchez *n.* 69. Molina *disp. 40. n.* 1. & Palao *p.* 14 *n.* 5. Si 24
verò ingressus est Religionem successionis ca- pacem, testamentum testatoris eam professi usque ad istius mortem naturalem effectum non habet; ut antè neque hæreditas neque legata danda sint iis, quibus sunt relicta, sed omnia professi bona usque ad mortem ejus naturalem penes Monasterium maneant, tam quoad

proprietatem quàm quoad usumfructum, ut cum *citt.* Ant. de Butrio *n. 33.* Panormit. *n. 59.* Beroio *n. 534.* & aliis docent *citt.* Navarrus *n. 54.* Fachineus *cap. 15.* §. *Ad secundum* Molina *disp. 40. n. 4.* Sanchez *cap. 3. n. 55.* Ratio est; quia, ut testamentum effectum habeat, necesse est, ut mors intercedat testatoris, teste Apostolo ad Hebr. *cap. 9. v. 16. & l. 1. ff. Qui test. fac. poss.* Unde, si hæres aut legatarius ante testatorem professum decedat, hæreditatem & legata ad hæredes suos non transmittent: sed ea tanquam caduca plenô jure & perpetuô penes Monasterium remanebunt, *arg. l. Statius 48.* §. 1. *ff. de Jure Fisci*, ut præter DD. *citt.* docent Bartol. *in Auth. Si qua mulier cit. n. 10.* Covarruvias *in c. Quia ingredientibus cit. n. 21.* Guttierez *cit. cap. 1. n. 53.* & Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 41. n. 85.*

248. Excipiendus tamen est casus, quô testator voluisset; ut suum testamentum ab ipso professionis die effectum haberet; cùm enim Religionem ingredienti eô, *Quô voluerit, modô* de rebus suis disponere permissum sit, *Novell. 5. cap. 5. pr. & Novell. 76. pr. V. Et quoniam*, si, ut testamentum suum effectum à professione haberet, voluit, id omnino observandum, & hæredibus ac legatariis, quæ relicta sunt, statim post professionem tradenda erunt; quòd de iis testari amplius non possit, *citt.* Molina *n. 4.* & Sanchez *n. 54.*

249. Destituitur testamentum, cùm vitium id infirmans directè afficit hæredem; cùm enim istius institutio caput ac fundamentum testamenti sit, §. *Ante 34. Instit. de Legat.* deficiente nullóque ex eo existente hærede, id irritum fieri est necesse, *l. 1. ff. de Injusto rupt. test.* sive eô institutus hæres non existat, vel ante testatorem decedat, sive (quô modô testamentum destitui propriè dicitur) delatam sibi hæreditatem non adierit &, vel eam repudiârit, vel intra annum deliberandi mortuus fuerit. Posteriori tamen hôc modô sibi delatam, sed nec aditam nec repudiatam, hæreditatem adeundi jus intra annum transmittit ad hæredem; ut, isto illam adire nolente sed repudiante, testamentum destituatur, *l. 1. cit. & l. Cùm in antiquioribus 19. C. de Jure delib.* Nequè tamen sic etiam omnino; cum teste Haunold. *Tract. 6. cit. n. 151.* non desint DD. qui tali casu legatariis & fideicommissariis hæreditatem adeundi facultatem, ut saltem legata & fideicommissa consequantur, concessam velint *Novell. 1. cap. 1. §. 1. V. Si verò nullus aliter.* De quo quidquid sit, destitutô ejusmodi testamentô relicta legata Pia conservari & præstanda esse, Tholosani *Syntag. Lib. 44. cap. 33. n. 19.* Covarruviæ *in c. Raynaldus 17. hîc §. 3. n. 25.* Grassi *§. Legatum, q. 68. n. 4.* & aliorum communissima sententia est apud Barri *cit. Lib. 10. cap. 13. n. 14.*

Adminiculô Hominis testamentum 250.
infirmatur, si motâ Inofficiosi querelâ judicis officiô rescindatur. Est autem querela illa Remedium extraordinarium, Jure introductum, competens personis, quæ cùm lege Hæredes institui deberent, contra Pietatis officium immeritò exhæredatæ vel (iis casibus, quibus pro exhæredatione præteritio est) præteritæ sunt, *pr. Instit. & l. Hoc colore 2. ff. de Inoffic. test.* sicut sunt

Imprimis utriusque sexûs liberi na- 251.
turales & legitimi simul aliíque ejusmodi descendentes, qui à patre non legitimè exhæredati, vel à matre aut avo præteriti sunt, testamentum tanquam inofficiosum impugnare ejúsque rescissionem petere possunt, *§. 1. Instit. eâdem Rubr. & l. Sed hæc 5. Instit. de Exhæred. liber.* I-

dem, possunt legitimi tantùm, non ab extraneis, sed ab ascendente aliquo, in cujus potestatem transeunt, adoptati, §. *Tam autem* 2. *Instit. de Inoffic. test.* Liberis autem Naturalibus tantùm, imò & spuriis inofficiosi querela competit, si à matre (non etiam, si à patre) exhæredati sint, *l. Si Suspecta* 29. §. 1. *ff. Rubr. cit.* nisi mater illustris, & liberi legitimi supersint, *l. Mater* 5. *C. Ad SC. Orfitian.*

252. Deinde parentes utriusque sexûs aliique ascendentes; nam & hi, si à liberis etiam emancipatis, quibus ab intestato successuri essent, iniquè exhæredati vel præteriti sint, liberorum testamentum dicere inofficiosum, ejúsque rescissionem petere possunt, §. 1. *cit. l.* 1. *& l. Pater* 14. *ff. de Inoffic. test.*

253 Demum fratres ac sorores germani & consanguinei, qui à fratribus aut sororib⁹ præteriti vel exhæredati sunt, inofficiosi querelam eô casu habent, quô ab his institutæ sunt personæ turpes, puta Usurarii manifesti, scorta, lusores aliíve Juris aut Facti infamiâ notati, §. 1. *cit. & l. Fratres* 27. *C. eâdem Rubr.*

254. His ergo personis earúmque hæredibus exhæredatis & (iis casibus, quibus præteritio pro exhæredatione est) præteritis adversus hæredes scriptos & nuncupativos quoscunque &, qui hæredis locum obtinent, post aditam ab istis hæreditatem Jure competit querela Inofficiosi, ad testamentum quoad articulos institutionis (iis, qui legata, fideicommissa & alia continent, salvis) rescindendum, *l. 1. &c. C. Rubr. cit. Novell. 115. cap. 3. §. 14. V. Si autem hæc, & Auth. Ex causa, C. de Liber. Præterit.* Quam querelam dictæ personæ ad hæredes, si sui, etiam nondum præparatam: si extranei sint, per litis contestationem interminationémve, aut agnitam bonorum possessionem jam præparatam transmittunt, *l. Si quis* 34. *& l. Scimus* 30. §. *fin. C. de Inoffic. testam. citt.* Tholosan. *Lib.* 44. *cap.* 4. *n.* 20. Barri *Lib.* 10. *tit.* 8. *n.* 15. & Hannold. *Tract.* 6. *n.* 226.

Non desunt tamen casus, quibus Inofficiosi querela cessat: veluti, si supetat aliud remedium, quô exhæredatus salvô testamentô ad defuncti hæreditatem vel ejus partem perveniat, §. *Tam autem cit.* quia querela hæc est remedium extraordinarium ac subsidiarium: cujusmodi remedia per ordinaria, præsertim, si illa odiosa, ut ad testamenti rescissionem tendentia, sint, excluduntur, *l. In causa* 16. *pr. ff. de Minoribus* junctâ Reg. *Odia* 15. *in 6.* Si exhæredatio facta est ex justa veráque causa, *cit.* §. 14. *V. Sed igitur.* Si exhæredato legitima vel ejus tem aliquid institutionis titulô sit relictum, §. *Sed hæc ita* 3. *Instit.* cùm, pote hôc titulô relictâ, ad legitimæ supplementum agere possit, *l. Omni modo* 30. Si exhæredatus testamentum approbavit aut querelæ quomodocunque, etiam tacitè, vg. legatum eô relictum agnoscendô, renuntiavit, *l. Si quando* 35. §. 2. quo tamen textu hôc casu non excluditur agens pro legitimæ supplemento. Si quennìô tacuerit post aditam hæreditatem, *l. Si quis filium* 34. *in fine C. de Inoffic. test.* legitimam tamen istiúsque supplementum petendi jus usque ad triginta annos durat, Bruneman. *in l. cit. n.* 4. Demum, si instituta sit causa Pia; quia, quòd testamentum, quô vg. filio institutionis titulô nihil relictum est, per inofficiosi querelam everti valeat, sapit meram Juris Civilis subtilitatem: quæ in testamentis ad Pias causas factis non attenditur, *c. Relatum* 11. *hic*; ut proinde tali casu solam Legitimam filius consequatur, Tiraquell. *Pia causa privileg.* 14.

ARTI-

ARTICULUS XII.

De Portione Canonica Episcopali.

SUMMARIUM.

256. *Portionis istius quantitas,*
257. *Et ratio, ob quam Episcopo solvenda est,*
258. *Ex Rebus ultimâ voluntate Ecclesiis &c. relictis.*
259. *Non solvitur ex iis, quæ obvenerunt ex contractu,*
260. *Vel Ultimâ voluntate personis,*
261. *Vel locis in compensationem meritorum,*
262. *Vel pro fundatione, structura, supellectile, Anniversariis &c. relinquuntur.*
263. *Portio ea aliquando non debetur Vi Privilegii,*
264. *Vel præscriptionis quadragenariæ, titulô munitæ, vel immemorialis.*
265. *Solvenda est ex Legatis,*
266. *Hæreditate, Mortis causâ donatis.*
267. *Non tamen à locis Exemptis:*
268. *Nisi ratione capellarum non exemptarum,*
269. *Et exemptarum solô tempore conditi testamenti.*
270. *Debetur Episcopo loci, cui aliquid est relictum,*
271. *Et à testatore prohiberi non potest:*
272. *Nisi pro ea aliquid legetur Episcopo:*
273. *Cui aliquando cum legato portio Canonica debetur.*

256. POrtio Canonica, à sacrorum Canonum institutione approbatione que ita nuncupata, Sylvester *V. Portio Canonica n.* 1. duplex est. Una Episcopalis, *præsenti*: altera Parochialis, *Tit.* 28. declaranda.

Episcopalis vocatur certa, regulariter & spectatô Jure, est quarta, *can. Vulterana*, 12. *q.* 2. *& c. Conquerente* 16. *de Offic. Ordin.* ex Consuetudine autem alicubi minor, alibi major, scilicet tertia, aut etiam dimidia pars *can. Antiquos* 10. *q.* 1. Glossa *in c. Requisisti* 15. & *ibi* Panormit. *n.* 15. obventionum ac bonorum mobilium & immobilium, inferioribus Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus cæterisque sacris & Religiosis locis, intra diœcesin sitis, per ultimam voluntatem à defunctis pro anima sua relictorum, Episcopo debita, Molina *Tract.* 2. *de J. & J. disp.* 215. *n.* 1. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 95.

Ratio, ob quam Portionem istam 257
Episcopo sacrorum Canonum Conditores attribuerunt, est ejus Superioritas & spiritualis Jurisdictio, quam obtinet in omnes Ecclesias aliáque loca sacra & Religiosa suæ diœcesis, *can. Decretum*, 10. *q* 1. Onus Pastorale, quod ipsi incumbit, celebrandô solenniter, prædicandô, corrigendô, & omnia, quæ ad utrumque F & Poli, sive Contentiosum & Pœnitentiale forum spectant, faciendô exerc *c. Conquerente cit.* & demum Communicatio, quæ intercedit inter Episcopum & Ecclesiam, cui aliquid est relictu, *c. Requisisti cit.* Pet. de Ubald. *de Pc. Canon. cap.* 1. *num.* 5. Barbosa *Lib. Jur. Eccles. cap.* 19. *n.* 5. Franc. Leo *thesaur. Fori Eccles. p.* 2. *cap.* 14. *n.* 29. & Gonzalez *in c. fin. n.* 4.

Quantumvis autem Epcopo & 258.
quibuscunque Prælatis, in eorum territorium & populum, plenô jure sibi subjectum, obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, portio Canonica generaliter debita sit de omnibus, non solùm mobilibus,

bilibus, ſed immobilibus quoque bonis, quæ ejusmodi ſacris & Religioſis locis à defuncto in ultima voluntate pro animarum ſuarum ſalute relinquuntur, *c. Officii 14. & c. Requiſiſti cit.* non pauci tamen caſus ſunt, quibus ea non præſtatur.

Et primò quidem non præſtatur de iis, quæ Eccleſiis aliiſque ejusmodi locis obveniunt ex contractu: imò & donatione inter vivos adeò; ut, ſi res à Titio vg. priùs legata, poſtea ab ipſo etiam infirmo inter vivos donaretur, de ea portio Canonica Epiſcopo præſtanda non foret: niſi defunctus à legandi voluntate Eccleſiæ Prælati perſuaſionibus abductus, & ad ſic donandum fuiſſet inductus, *citt.* Panormit. *n. 17.* Molina *n. 2. & cit.* Barboſa *num. 26.*

259. Secundò ex iis, quæ relinquuntur perſonæ: quod, licet non præſumatur, imò in dubio contrarium, ſive relicta Eccleſiæ Prælato vel Rectori perpetuo, non perſonæ, ſed dignitatis & beneficii aut officii nomine expreſsò, intuitu ipſius Eccleſiæ relicta præſumantur, præſumptio tamen iſta Juris duntaxat, non etiam de re eſt; ideóque, ſi ex circumſtantiis, vg. quod res alicujus Eccleſiæ Canonico ſeorſim vel clerico aut beneficiato in ea præbendam vel adminiſtrationem non habenti: vel etiam talem habenti à perſona ſanguine aliáve neceſſitudine conjuncta, aut legatario ratione meritorum obligata: vel ab extranea res ad uſum merè prophanum ſervientes, vg. canes venatici, falcones legati ſint, intuitu perſonæ relicta probetur, de relictis Epiſcopo nihil debetur, vi Panormit. *an. 13.* Barboſa *in c. Requiſſt. cit. n. 4.* & Pirrhing *n. 95. in fine.*

260. Tertiò ex iis, quæ pauperibus ſtudioſis, dotandis puellis, vel pauperibus in genere, ſive inter eos diſtribuenda, relinquuntur; quia talia relicta cenſentur ipſis perſonis. Aliud eſſet, ſi pauperibus certi hoſpitalis, ſive ad ſuſtentationem pauperum in eo degentium relinquerentur; quia talia loco relicta cenſentur. Imò illa etiam non debetur ex iis, quæ relinquuntur leproſis & ſimilibus habitantibus in certa domo; quia ejusmodi domus plerumque loca Religioſa non ſunt; cùm plerumque privatâ duntaxat non publicâ & Eccleſiaſticâ authoritate ſint erecta, Petr. de Ubald. *de Port. Canon. cap. 5. n. 11. & 12.* & Azor *p. 2. Inſtit. lib. 9. cap. 12. q. 8.*

261. Quartò eôdem modò non debetur ex iis, quæ Eccleſiæ vel Monaſterio non pro anima, ſed aliam ob cauſam, vg. pro levitio ſibi ab illa præſtito, legantur, *cit.* Pirrhing *n. 98. in fine*: dummodo, ut iſte rectè obſervat, talis cauſa non prætendatur in fraudem Epiſcopi; ut iſte debitâ ſibi portione defraudetur; de hoc enim ſi conſtaret, portio Canonica ex legato peti ab Epiſcopo nihilominus poſſet, *c. fin.*

262. Quintò ex iis, quæ pro ædificatione vel reparatione Eccleſiæ, pro lampade perpetuò aut certis diebus arſura, pro imagine, pictura, calice aut ſacra ſuppellectile aut ornamentis, pro excitando Sacello vel altari, pro fundatione beneficii vel Miſſæ, pro ſolennitate in honorem alicujus Sancti, pro Anniverſario, Septimo, Triceſimo relinquuntur: modò ita non relinquantur ad Epiſcopum portione ſibi debitâ defraudandum, *c. Ex parte 31. de V. S. & c. fin. cit. ubi* Panormit. *n. 1.* & Barboſa *n. 1.*

263. Sextò demum ex aliis, etiam intuitu Eccleſiæ & ad nullum ejusmodi certum finem relictis, portio Canonica in multis locis non debetur vi Privilegii Apoſtolici: quod, licet de privilegio antiquiſſimo, & multò tempore ante Concilii Tridentini publicationem, aut poſt hanc à ſede Apoſto-

de Apoſtolica præſertim in forma ſpeciali obtento, extra dubium ſit, à ſacra tamen Synodo illa derogatum eſt omnibus privilegiis non multò antè obtentis; ut ad quartam, tam Cathedrali, quàm Parochiali Eccleſiæ integrè perſolvendam teneantur Eccleſiæ, Monaſteria cæteráque loca Pia, à quibus ea ante quadraginta annos ſolvi ſolita fuit, *Seſſ. 25. cap. 13. de Reformat.* Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 81. n. 17. & in cap. 13. cit. n. 2. & 5.*

264. Ab ejusdem Epiſcopo ſolvendæ obligatione Eccleſiæ cæteráque ſacra & Religioſa loca liberari poſſunt vi Conſuetudinis ſeu potiùs Præſcriptionis: quod omnino eſt exploratum; cùm adverſus eam quadragenariam præſcriptionem Alexander III. apertè admittat, & Sedis duntaxat vacantis tempus deduci velit *c. De quarta 4. de Præſcriptionibus:* quô textu non minùs perſpicua ratio eſt; quia portio iſta eſt unum de juribus Epiſcopalibus, *c. Conquerente cit.* adverſus quæ præſcriptionem procedere, liquet ex *c. Auditis 3. de In integ. reſtit. c. Cùm venerabilis 6. de Except. c. Auditis 15. de Præſcript. &c.*

Dubium tamen eſt, an ea adverſus Epiſcopum quadraginta annis ſine titulo præſcribatur. Ratio dubitandi eſt; quòd *c. De quarta cit.* iſtius nulla mentio fiat. Verùm; quia in *c. cit.* caſu Papa de ſolo tempore conſultus fuit, non etiam de titulo, iſtius & bonæ fidei neceſſitate ſuppoſitâ, ſuper ſolo tempore reddidit reſponſum: &, ſicut ad decimarum adverſus parochum, *c. Ad aures 6. de Præſcript.* ut *ibi* notat Barboſa *n. 4.* ſic etiam ad portionis Canonicæ præſcriptionem adverſus Epiſcopum quadragenarii temporis lapſum ſufficere, reſcripſit *c. De quarta cit.* Unde, ſicut ille, quò minùs ad decimarum adverſus parochum, intra cujus Eccleſiæ fines illæ proveniunt: ſic iſte textus non obſtat, quò minùs ad propoſitæ portionis præſcriptionem adverſus Epiſcopum, ultra quadragenarii temporis lapſum, bona fides & titulus exigatur: niſi allegata præſcriptio ſit tanti temporis, cujus initii memoria non exiſtit, ſecundùm *c. 1. de Præſcript. in 6.*

Quare meritò, ad portionem hanc contra Epiſcopum præſcribendam, ultra quadragenarii temporis lapſum titulum exigunt *citt.* Sylveſter *q. 2. & 3.* Ubald. *cap. 2. n. 14. & 17.* Barboſa *cit. cap. 19. n. 6.* id Rotæ deciſionibus firmans & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 95.* Ratio eſt; quòd Epiſcopo portionem Canonicam petenti aſſiſtat Jus commune, eam ipſi conferens vetánsque auferri, & occurrens fraudibus, quibus ea poſſet auferri, *c. Officii, c. Requiſiſti & c. fin. citt.* eam autem adverſus Epiſcopum præſcribenti (tam Eccleſiæ ſubjectæ, quæ eam ſolvere recuſat, quàm Epiſcopo extraneo, qui eam ab Eccleſia alienæ diœceſis percipere vult) Jus commune reſiſtat, *cc. citt.* quando autem præſcribenti Jus commune reſiſtit, & ei, contra quem præſcribitur, aſſiſtit, ſoli quadragenariæ titulô munitæ vel immemorialis temporis præſcriptioni ſit locus, *c. 1. de Præſcript. in 6.*

Dubium ſecundò eſt, an Canonica 265.
portio debeatur ex iis, quæ Eccleſiis, Monaſteriis &c. obveniunt mortis causâ donatione aut jure inſtitutionis. Dubitandi Ratio eſt; quòd *c. Officii, c. Requiſiſti & c. fin. citt.* uti & *c. Ex parte 31. de V. S.* textus, quibus de Epiſcopali portione agitur, utantur verbis *Relicti & Legati.*

Nihilominus eam, ſicut de Legatis, 266.
ſic & de aliis ejusmodi obventionibus deberi, ex communi DD. ſenſu tradunt *citt.* Lapus *p. 2. n. 22.* & Ubaldus *cap. 6. à n. 3.* ſéque in eo fundant; quòd ratio, ob quam ſolvenda eſt de legatis, etiam mortis causâ donata & ex inſtitutione obventura

ventura comprehendat ; cùm, ſicut per illa, ſic & per ejusmodi donationem atque inſtitutionem Eccleſiæ diœceſanæ ex defuncti bonis & voluntate ejus ultima pro ſalute animæ relinquantur : portio autem Epiſcopalis ſolvenda ſit ex iis, quæ ad hunc finem ab illo voluntate ultima relinquuntur, & obveniunt Eccleſiis diœceſanis, ut colligitur à paritate portionis Parochialis : quæ vel juxta *c. 1. de Sepult. Tertia pars judicii*, quò nomine ſupremam defuncti voluntatem denotari, liquet ex *c. fin. eâdem Rubricâ in 6.* vel, juxta *c. Relatum 2. ibid.* medietas eſt omniũ eorum, de quibus defunctus pro ſalute animæ ſuæ diſponit : quod per mortis causâ donationem & hæredis inſtitutionem non minùs contingit, quàm per legatum. Quin, de Jure portionem Canonicam etiam ex hæreditate, quæ Eccleſiæ ab inteſtato defertur, Epiſcopo deberi, non obſcurè traditur, *c. Sancto 2. de Succeſſ. ab inteſt.*

Neque in contrarium faciunt *cc. citt.* cùm; quia de legatis loquuntur, non; quòd ipſorum diſpoſitio ad iſta reſtringatur : ſed; quòd ea frequentiſſimè, hæreditates autem rarò Eccleſiis obveniant: tum verò, quod verbô *Relicta*, etiam hæredis inſtitutio includatur, *c. Raynutius 16. V. Mortuo, & l. Quoniam 15. C. de Teſtament.* Demum ; quia mortis causâ donatio quoad perfectionem & effectum magis ad legata & hæredis inſtitutionem, quàm ad contractus accedit, & ultimis voluntatibus accenſetur, Clarus §. *Donatio, q. 5. n. 1.* & Gomez *Lib. 2. Var. cap. 4. n. 16.*

267. Dubium tertiò eſt, an Epiſcopo debeatur de relictis Eccleſiæ vel monaſterio Exempto. Quod cum Hoſtienſi *in Summa de Sepult.* affirmat Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 12. n. 12.* & tergeminâ ratione ſuadetur. Primò; quia Jura de relictis Eccleſiis, aliisque locis Piis diœceſanis illam Epiſcopo attribuunt generaliter, & ſine diſtinctione, *cc. citt.* & *can. Conſtitutum, 16. q. 1.* Secundò; quia privilegiô Exemptionis à Papa indultô Epiſcopo quoad portionem Canonicam non derogatur : niſi id exprimatur. Tertiò, propter paritatem cum portione Canonica parochiali : ad quam de Funeralibus & cæteris ejusmodi obventionibus omnibus ſolvendam Exempti non minùs, quàm alii tenentur, *Clement. Dudum 1. §. Et deinde, V. Verùm, de Sepult.* Rationibus his accedit moderna Praxis nonnullarum Eccleſiarum Cathedralium Germaniæ noſtræ, Canonicæ portionis nomine Vigeſimam aut aliam ſimilem partem exigentium de omnibus, quæ Eccleſiis & locis Religioſis, Exemptis non minùs quam Epiſcopi jurisdictioni immediatè ſubjectis, ultima voluntate quacunque à clericis beneficiatis ſaltem parochis relinquuntur.

Sed meliùs cum Innocentio *in c. Requiſiſti cit. pr.* & Panormit. *in c. cit. n. 6.* de relictis loco Exempto Canonicam portionem Epiſcopo deberi, negant *citt.* Sylveſter *q. 3. n. 4.* Lapus *p. 2. n. 10.* & Ubaldus *cap. 4. q. 6. n. 5.* quos cum *citt.* Barboſa *alleg. 86. n. 10.* & Franc. Leone *cit. n. 29. & 30.* cæteri DD. plerique ſequuntur, ſolidò nixi fundamentô; quòd ejus portionis Epiſcopo debitæ rationem in locis Exemptis omnino ceſſent; cum enim Eccleſiæ & Monaſteria vi Privilegii Exemptionis immediatè ſubjiciantur Papæ, qui proprius Epiſcopus & ſuperior eſt Exemptorum, Gloſſa *ſin. in can. Nulla 8. diſt. 93. & in c. Authoritate 4. V. Sola de Privileg. in 6.* reſpectu ipſorum in Epiſcopo diœceſano deficit Superioritas & Communicatio, quæ inter caput & membra intercedit; & regulariter in eos cum jurisdi-

jurisdictionem non exercet, ut latè ostendit Ubaldus *cit. à n. 6.* Cui rationi non leve pondus addit partim; quia locus exemptus situs in diœcesi loco extra diœcesin sito æquiparatur: & propterea *in diœcesi* quidem, sed non *de diœcesi* dicitur esse, *arg. c. Cùm Episcopus 7. de Off. Ord. in 6.* ut *ibi* notant Panormit. & Barbosa *utrique n. 8.* partim verò; quia portio Canonica est unum ex juribus Episcopalibus, per text. & Glossam *cit. c. Conquerente, V. Mortuariorum,* pertinentibus ad Legem Episcopi Diœcesanam vel Jurisdictionis: quarum priori regulariter Monasteria omnia, per textus & Glossas *in can. Inter cætera 8. V. Solutioni, 10. q. 3. c. Cùm pro utilitate 34. V. Diœcesana, 16. q. 1. & c. Dilectus 18. V. Lege, de Off. Ord.* posteriori verò saltem Exempti non tenentur, Glossa *in c. Dilectus cit.* imò universim jura Episcopalia à locis exemptis non percipiuntur, neque exiguntur, *can. Luminoso, 18. q. 2. & c. Cùm Episcopus cit.* Unde

Planè corruunt in contrarium allatæ rationes; quia iis textuum generalitatem ad loca non exempta restringi, & cum Exemptionis privilegio etiam ab ejusmodi portionis solutione liberationem indultam, satis ostendit ratio allata pro exemptis. Neque est paritas cum portione Parochiali; quia ratio, cur ista debeatur, est; quòd Sacramenta aliáque Divina à parochiali Ecclesia ex obligatione defuncto fuerint ministrata, ut *V. Verum cit.* habetur: quæ ratio, cùm locum habeat in parochiano, sepulto extra Parochialem & in Ecclesia vel Monasterio exempto, funeralium aliorúmque, quæ ratione funeris obveniunt Ecclesiæ Sepulturæ, portio Canonica meritò exigitur à Parochia etiam, quando ejus parochianus alibi sepelitur, Barbosa *l. cit. n.* 11.

Neque propositæ dubitationis resolutioni quidquam officit, eámve afficit allegata Praxis; quia vicesimam aliámve majorem aut minorem partem Ecclesiæ Cathedrales sive istarum Prælati vel Capitula non de iis tantùm detrahunt, quæ Ecclesiis aliisq; sacris aut Religiosis locis, sed etiã quæ personis quibusvis etiam consanguineis supremæ voluntatis elogiò ab ejusmodi clericis sunt destinata: sed planè de omnibus bonis Ecclesiæ vel beneficii intuitu quæsitis: imo de omnibus, quæ patrimonialia esse, non constat: neque solùm, si illi cum testamento, sed & si intestati decedant: eámque partem de bonis à defuncto relictis alieni ærisinstar detrahunt, antequam legatariis & hæredibus aliquid præstetur: eáque detractione factâ nihil exigunt de iis, quæ personis & locis etiam sacris ac Religiosis saltem exemptis à defuncto quôvis titulô sunt relicta. Unde, re penitiùs inspectâ, eæ vicesimæ aut alterius partis defalcationes spoliorum, collatoribus vel Prælatis aut Capitulis Ecclesiasticis ex privilegio vel consuetudine legitimè præscripta alicubi competentium, juxta dicenda ad *Rubr. seq. art. 2.* rationem potiùs habent, quàm sanctionibus Ecclesiasticis proditæ & præsenti Rubricâ propositæ Canonicæ portionis, de sibi relictis Episcopo debitæ ab Ecclesiis & monasteriis diœcesanis, ejus jurisdictioni subjectis: & speciosam istius nomenclationem illæ usu, vel potiùs propriam vocis significationem ignorantium atque ab ista ad impropriam trahentium abusu, sortitæ videntur.

Hæc tamen Monasteriorum Exemptorum à portionis Episcopo solvendæ obligatione immunitas non porrigitur ad Capellas, ipsis per unionem incorporatas, *c. Ex ore 17. de Privileg.* Nisi etiam ipsæ ab Episcopi jurisdictione exemptæ & Monasteriis illis plenô jure subjectæ essent, Ubald. *cit. cap. 4. q. 5. & 8.* Tamburin. 258.

burin. *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 16. q. 13. in fine & cit.* Barbosa *n. 13.*

269. Dubium quartò est de legato relicto Ecclesiæ vel Monasterio, Episcopo subjectis tempore conditi testamenti, exemptis verò tempore mortis. Cui detractam portionem Canonicam Episcopo non deberi: & contrà huic eam deberi de relictis Ecclesiæ exemptæ tempore testamenti, tempore verò mortis testatoris Episcopo subjectæ, desumitur *ex l. Si post diem 5. ff. Quando dies legat. & l. Generaliter 24. §. 3. ff. de Fideicommiss. libert.* secundùm quos & similes textus alios inspiciendum est tempus, quò legatum cedit, non id, quò legatur: scilicet mortis, non conditi testamenti. Unde de sibi relictis Ecclesia & Monasterium dictam portionē solvunt aut non solvunt, prout tempore mortis testatoris Episcopo subjecta, vel ab ejus jurisdictione exempta sunt, *citt.* Ubald. *q. 7. n. 3.* & ex eo Barbosa *citt. alleg. 86. n. 16.*

270. Dubium quintò est, de legatò Ecclesiæ relicto à testatore alterius diœcesis, vg. à diœcesano Eystadiano relictò Ecclesiæ diœcesis Ratisbonensis: ex quo portionem Canonicam hujus, non illius diœcesis Episcopo deberi, ex communi DD. sententia tradunt *citt.* Azor *cap. 12. q. 12.* & Barbosa *alleg. cit. n. 29.* Ratio est; quia Episcopo præstanda est non ratione personæ relinquentis, sed ratione jurisdictionis, curæ Pastoralis & superioritatis: quæ cum respectu Ecclesiæ in diœcesi Ratisbonensi sitæ competant soli Episcopo Ratisbonensi, huic portio illa erit persolvenda.

271. Dubium sextò est, an ea, de qua agimus, portio à testatore valeat prohiberi. Dubitandi ratio est; quia, si testator extraneus de relictis Episcopo Ecclesiam ejus Cathedralem excludat, legatum integrum illi soli debetur: quantumvis aliàs de iis, quæ Episcopo relinquuntur, portio aliqua Ecclesiæ debeatur, *c. Rev. sisti cit. V. Et hoc verum.* Unde, idem obtinere, videri potest in legato Ecclesiæ relicto eâ conditione; ut huic soli totum remaneat. Sed, rejectâ hujusmodi conditione, portionem Episcopo deberi, clarè deciditur *c. cit. V. Secus autem.* Et variis rationibus differentiæ præ aliis placet, quam reddit Glossa *in c. cit. V. Exprimat*; quòd, cùm aliquid ita relinquitur Episcopo, relictum videatur intuitu ipsius personæ, quæ ut privata persona considerari sine Ecclesia & ullò absurdo potest: contrà, cùm Ecclesia sit corpus Mysticum, cujus caput est Episcopus, *c. Novit 4. De ils, quæ à Prælat.* sine illo considerari absque absurdo non potest, quia corpus sine capite mortuum est, *arg. c. Cùm non liceat 12. de Præscript.* ideo ex Juris dispositione Ecclesiæ relinqui aliquid nequit, quin etiam Episcopo relinquatur, Barbosa *cit. cap. 19. n. 35.*

Sed, inquies, quid, si Episcopo aliquid legetur eâ conditione; ut eò contento nihil exigat de aliis Ecclesiæ relictis? quo casu usu recepta & in Jure fundata est distinctio inter casus, quibus legatum Episcopus acceptat aut repudiat; Priori enim ultra sibi relictum nihil exigi ab eo posse, decisum est *c. Officii cit.* quòd illo legatum acceptandò aliàs sibi debitæ portioni videatur renuntiâsse, *arg. l. Cùm ab uno 55. ff. de Legat. 2.* Posteriori verò casu portio Jure competens ex omnibus Ecclesiæ relictis exigi potest, *arg.* à contrario ductò ex *c. cit.*

Dubium septimò est, an portio Canonica de Ecclesiæ relictis Episcopo debeatur casu, quò ei legatum absolutè & sine dicta conditione est relictum, Portionem cum legato deberi, *c. Officii cit.* decisum & ratio est; quia, quando duo ex diverso capite & à diversis relicta ac debita con-

bita concurrunt, & ex parte relinquentis non datur animus compensandi, utrumque debitum peti potest, *l. Titia 19. §. 1. ff. de Annuis legat.* quia utriusque debiti petitioni nihil obstat. Cùm ergo in proposito casu duo ex diverso capite, scilicet legatum ex voluntate testatoris, & portio Canonica ex Juris dispositione, illud ab hærede, ista ab Ecclesia alióve loco sacro vel Religioso debita concurrant: & ex parte relinquentis compensandi animus deficiat; quia portio Canonica, quæ legatò compensatur, non ab ipso, sed ab Ecclesia debetur, hanc cum legato exigere Episcopus non prohibetur. Ita *in c. Officii cit.* Ant. de Butr. Panormit. & Covarruvias, omnes *n. 4.* quos duo Barbosæ, Petrus *in l. Si cùm dotem 22. §. Si pater 3. ff. Soluto matrim. n. 31.* Augustinus *alleg. cit. n. 30.* sunt secuti.

ARTICULUS XIII.

De ultimæ Voluntatis Executione.

SUMMARIUM.

274. *Executores alii Testamentarij,*
275. *Alii Legitimi sunt, aut Dativi.*
276. *Esse potest etiam fœmina, clericus,*
277. *Et cum superioris licentia Religiosus:*
278. *Nisi Ordinis sui Constitutionibus prohibeatur.*
279. *Eitamen mortuo non succedit Monasterium:*
280. *Nisi officii nomine expressò sit designatus.*
281. *Valida est executio Religiosi facta sine licentia:*
282. *Nisi ab eo agenda superior irritârit.*
283. *Admittere executionem quis ferè non tenetur:*
284. *Admissam tamen dimittere non potest.*
285. *Pauperibus certis relicta eis applicanda:*
286. *Relicta incertis, in quoslibet distribuere,*
287. *Et, si est pauper, sibi aut conjunctis applicare Executor potest.*
288. *Executio ultra annum non differenda,*
289. *Ejúsque facta ratio reddenda est.*

QUemadmodum Tutores, sic & ultimarum Voluntatum Executores alii Testamentarii, alii Legitimi sunt, & alii Dativi. 274.
Testamentarii vocantur, ab ipso testatore in ultima sua voluntate designati, unus vel plures: quorum unò decedente, absente aut aliàs impeditò, vel executionis officium non admittente, reliqui procedere possunt, *c. Si Religiosus 2. §. Sanè, in 6.* nisi in talem casum aliud testamentò sit expressum, §. *Sanè cit.* cùm enim rationabilis voluntas testatoris pro lege habeatur, *can. Ultima, 13. q. 2. & l. 1. C. de SS. Eccles.* id, quod testamentò expresserit, in hujusmodi eventu erit observandum, Vivianus *in* §. *Sanè cit.* Legitimi dicuntur, à lege seu Jure dati; nullis enim Executoribus à testatore nominatis, suprema ejus voluntatis executio, etiam quoad legata pia, pertinet ad hæredes, ut colligitur ex *c. Nos quidem 3.* Verbis, *Cujus desiderium*, id est, suprema voluntatis executio, *à religiosa fœmina ejus hærede protrahitur.* Nisi quædam pro captivorum redemptione vel alimentis pauperum sint relicta; horum enim executio, aliò à testatore non designatò, loci Episcopo competit, *l. Nulli 28. C. de SS. Eccles. & Novell. 131. cap. 10.* Glossa 275

in l. Nulla cit. V. Oritur, Panormit. *in c. Nos quidem cit. n. 4. ubi* Covarruvias *n. 8.* & Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 11. n. 1.* hac in re cujusque loci Consuetudinem attendendam, monens. Dativi demum nuncupantur unus vel plures, à Magistratu seu judice constituti, Haunold. *Tom. 2. de J. & J. tract. 6. n. 644.* & Pirthing *ad hanc Rubric. à n.* 101.

276. Executores esse possunt quicunque: nec solùm mares, sed fœminæ quoque, *c. Nos quidem cit. & l. A filio 15. ff. de Aliment. legat.* etiamsi minores sint viginti quinque annis: dummodo decimum septimum excesserint; quia hæc ætas sufficit, ut quis ad negotia sit procurator, *c. Qui generaliter 5. §. fin. de Procurat. in 6.*

Neque solùm Laici: sed Clerici etiam, imò & Religiosi, *c. Tua nos 17. & c. Joannes 19.* non tantùm quoad Pia, sed quoad prophana, etiam legata, ut colligitur ex *c. Religiosus 2. in 6.* de Religioso ultimæ voluntatis executore loquente generaliter, nullâque inter pias & prophanas causas factâ distinctione. Ratio est; quia justæ voluntatis defuncti ad prophanas etiam causas executio adnumerari solet operibus Pietatis & Misericordiæ, quæ non dedecent Religiosum, Glossa *in c. Religiosus cit. V. Obtenta*, & *ibi* Francus *num.* 1.

277. Religiosis tamen ad executionis munus subeundum necessaria est licentia sui superioris, *c. cit. & Clement. unic. hic*: eáque vel generalis, qualem habere censentur Religiosi, qui extra claustrum beneficio alicui perpetuò sunt addicti, Glossa *in c. cit. V. Religiosus*: vel specialis, qualem in Religionibus non exemptis dare non Ordinis duntaxat Prælatus, sed etiam Episcopus potest: in Exemptis verò Prælatus Ordinis, Sanchez *Moral. Lib. 6. cap. 11. n. 15. & 19.* Laiman *l. cit. n. 3.* & Pirthing *ad hanc Rubric. n. 108.*

Excipiuntur tamen Religiosi Ordinum, quorum Constitutionibus aliud præscribitur, vel consuetudine est receptum; sic enim in Societate JESU admnus executionis Testamenti suscipiendū dispensare potest solus Generalis, vel is, cui ab isto dispensandi potestas est communicata, Constit. *p. 6. cap. 3. §. 7. lit. D.* Fratres autem minores S. Francisci Executores esse omnino prohibentur; ut etiam de licentia superiorum circa testamenti executionem non nisi consilium dare valeant, ut expressè cavetur *Clement. Exivi 1. §. Item quod, V. Cùmque dilecti de V. S.* Ubi

278. Dubium occurrit primò, an Religioso executore mortuô ejus officium transeat ad Monasterium. Ratio dubitandi est; quòd ad hoc transeant cætera ejus jura. Verùm, quia exequendi jus mere Personale est: & in eo personæ industria & fides eligitur, *arg. c. fin. §. In autem, de Offic. deleg.* ad hæredes non transit, Baldus *in l. Id quod 24. C. de Episc. & Clericis.* Unde, Religiosô executore decedente, exequendi officium ab eo in Monasterio non transferri, cum Imola *in Clement. Unic. cit. n. 24.* docet Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 13. §. 1. n. 6.* & ante eum *cit.* Sanchez *n. 21.* ubi notat, mortuô Religiosô, ex cujus voluntate executores pecuniam aliquam in pauperes erogare vel in alios pios usus expendere à testatore sunt jussi, jus ipsi competens penes Monasterium non remanere; cùm talis Religiosus sit quasi testamenti executor. Ubi

279. Excipiendus est Religiosus aut etiam alius, qui executor designatus est, non proprió, sed tantùm appellativô dignitatis vel officii, vg. Præpositi, Prioris, Custodis, nomine expressô; huic enim decedenti in executionis munere ejus in dignitate vel officio successor succedit: nisi ex circumstantiis, vg. quòd ita designatus testatori:

testatori sanguine vel singulari familiaritate conjunctus fuerit, aliam mentem defuncti, & designatæ personæ industriam ad exequendum specialiter electam fuisse, colligatur, Sylvester *V. Testamentum* 2. *n.* 4. & *cit.* Pirrhing *n.* 134.

281. Dubium secundò est de executione testamenti, à Religioso facta sine licentia superioris: Eam enim pro invalida, cum Anchorano *in Clement. unic. cit. n.* 2. & Franco *l. cit. n.* 2. *in fine* habent Covarruvias *in c. Tua nos cit. n.* 2. *in fine* & Molina *de I. & I. disp.* 247. *n.* 9. ducti partim *arg. l. Non dubium* 5. *C. de LL.* secundùm quam nulla sunt, quæ lege prohibente fiunt: partim verò; quòd; cùm Religiosus nolle ac velle non habeat, nisi dependenter à suo superiore, *can. Non dicatis*, 12. *q.* 1. *& c. Si Religiosus* 27. *pr. de Elect. in* 6. istô nolente ipse perinde is habeatur, ut, qui non vult esse executor: atque idcirco, sicut alius executionis munus subire nolens, sic etiam superiore suô nolente Religiosus verus executor: &, sicut alterius non veri executoris, sic etiam ipsius invitô superiore exequentis, acta valida non sint. Ita & satis probabiliter isti.

Sed majori probabilitate cum Felino *in c. Decernimus* 2. *de Judiciis n.* 3. & Decio *ibid. n.* 78. ejusmodi executionem regulariter validam censent Menochius *Lib.* 2. *præsumpt.* 46. *n.* 14. Azor *p.* 2. *Instit. lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 1. & *cit.* Sanchez *n.* 44. Ratione moventur eâ; quòd sacri Canones, superioris licentiam exigentes, maneant intra terminos prohibitionis, & licentiam illam non exigant ad formam; ideóque locus non sit *arg. l. Non dubium cit.* nisi superior ultra prohibitionis terminos procedat, aut aliquid prohibeat ob vitium personæ.

Non majorem vim habet ratio in contrarium allata; quia Religiosus, licet sine licentia superioris non habeat velle ac ac nolle honestum, *can. Placuit & c. Si Religiosus citt.* habet tamen velle & nolle sive consensum Naturalem, sufficientem ad valorem actûs à Jure non irritati, Frid. de Senis *Consil.* 293. *in fine*: 282. ubi tamen nullam esse, ait, Religiosi executionem factam contra voluntatem superioris, non solùm contradicentis, sed ejus voluntatẽ & executionem irritantis.

Dubium tertiò est, an à testatore 283. designatus ad executoris officium suscipiendum valeat compelli. In quo DD. passim utuntur distinctione: &, licet eum ad executionem acceptandam compelli posse, regulariter negent: ad eam tamen semel acceptatam complendam compelli posse, affirmant propter clarum textum *c. Joannes* 19. Ratio est; quia 284. executoris officium est instar procuratoris: quod, licet à principio voluntarium, post susceptum tamen mandatum necessariò implendum est, *l. Invitus* 17. *C. de Procurat.* Neque refert; quòd testator hæredem aut alium, in suscepta executione negligentem, cogi prohibeat, *c. Tua nobis* 17. quia privata persona testatoris dispositionem Juris publici, tam Civilis quàm Ecclesiastici, impedire non potest, ut *in c. cit.* notat Glossa *V. Interdici.* Compelli autem executor etiam laicus potest non solùm à Magistratu seculari, sed ab Episcopo quoque, saltem quoad legata Pia, *c. Si hæredes c. Tua citt.* & Trident. *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* cùm enim defunctus, ut ultima sua voluntas impleatur, agere per se ipsemet nequeat, adnumerari potest personis miserabilibus & auxiliô destitutis: quibus subvenire judicis Ecclesiastici sive Episcopi est, *c. Super quibusdam* 26. *de V. S.* Panormit. *in c. Si hæredes cit. n.* 7. *ubi* Covarruvias *n.* 3. *& cit.* Molina *disp.* 150. *n.* 5.

Dixi etiam, *Regulariter*; quia, si necessitas exigat, Episcopus Clerico sibi subjecto executionis munus, saltem quoad legata Pia, delegare: eúmque recusantem ad hujusmodi delegationem acceptandam compellere potest per ea, quæ tradunt *in c. Joannes cit.* Panorm. *n.* 3. & Sylvester *l. cit. q.* 3.

285. Dubium est quartò, an executor, pecuniam in pauperes distribuere aut in pia opera impendere jussus, si ipse verè pauper sit, partem aliquam sibi valeat applicare. Quod extra casum extremæ necessitatis multi negant cum Panormit. *in c. fin. de Institut. n.* 4. Baldo *in c. Cùm in Jure* 33. *de Electione n.* 6. & *cit.* Sylvestro *q.* 2. Rationem reddunt partim; quòd testamentô relicta expendenda sint secundùm voluntatem defuncti, *c. Tua* 17. quod ab eo pauperibus relictorum partem sibi applicandô non facit, *arg. l. Si mandavero* 22. *§.* 7. *ff. Mandati* ibi *Jussus dare quæ*, vel potiùs, ut aliqui legunt, *cui voluerit & consumens mandati Actione tenetur:* partim verò; quòd, si ejusmodi executor vel alius in Pœnitentiam Sacramentalem aliquid pecuniarum erogare jubeatur in pauperes, nullam ejus partem sibi applicare possit.

286. Sed licet, quando eam certis aut ab executore distinctis pauperibus destinatam constat, ejus mens omnino sit adimplenda, *c. Tua cit.* casu tamen, quô de hoc non constat, veriùs relictorum partem aliquam sibi, quando verè pauper est, applicare non prohibetur; quia, si ipse verè pauper sit, relictorum pars aqua ab eo sibi attributa, expensa est in pauperem & juxta defuncti voluntatem, Menoch. *de Præsumpt. Lib.* 4. *q.* 125. *n.* 17. & pluribus relatis Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 83. *n.* 21. quòd Charitas bene ordinata incipiat à seipso, *l. Præses* 6. *C. de Servit. & aqua & can. Si non licet* 23. *q.* 5. *Partem*, inquam; quia, pecuniam in pauperes erogare jussus: non potest eam sibi, vel alteri etiam, soli totam applicare, Menoch. *ibid. n.* 20.

Neque in contrarium facit §. 7. *cit.* quia ejus dispositio exaudienda est de eo, qui sibi applicat relictum, quod ex mente testatoris in alios est distribuendum; non verò de eo, qui ejus, quod in plures certa qualitate præditos distribuendum est, partem aliquam sibi retinet; propter eandem vg. paupertatis qualitatem in se etiam repertam, Navarrus *de Reddit. Eccles. monitô* 13. *n.* 12. Neque paritas est cum obligato ex Pœnitentia Sacramentali; quia huic injunctam largitionem ex mente Confessarii in alios exercendam, constat ex eo; quòd injungatur in pœnam: cujus rationem non habet, quòd de rebus suis pœnitens retinet, & applicat sibi ipsi, Suarez *disp.* 7. *de Charitate s.* 1. *n.* 9. Ex dictis

Inferunt DD. Primò, pauperibus, inter quos relicta ex mente testatoris distribuenda sunt, accenseri posse consanguineos aliósque conjunctos, non solum testatori, sed ipsi etiam executori, si verè pauperes sint: imò etiam liberos utriusque, etiam spurios istius: etsi ejusmodi pauperibus accenseri nequeant filii spurii ipsius testatoris; quia his exhorti paternis ultra alimenta relinqui nihil potest, *Auth. Licet C. de Naturalib.* Menoch. *cit. Lib.* 4. *q.* 9. *n.* 12. Guttierez *Lib.* 3. *Practic. q.* 55. *n.* 21. & Paleo *Tract.* 6. *disp.* 2. *p.* 14. *n.* 9. Secundò, si electio pauperum à testatore commissa sit Priori Regularium, vg. Prædicatorum aut Eremitarum S. Augustini, ab eo proprii Ordinis Fratribus indigentibus reliquid distribui posse, Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 2. *n.* 54. & Barbosa *de leg. cit. n.* 25. Tertiò, ex ejusdem testatoris mente pecuniam expendendam in causas

causas & usus pios, à Clerico vel Religioso executore Ecclesiæ vel Monasterio proprio posse applicari, Sylvester *V. Testamentum 2. n. 2.* Rodriquez *Tom. 3. Regul. q. 70. art. 4.* & Barbosa *cit. n. 25.*

288. Dubium est quintò, intra quòd tempus suprema defuncti voluntas mandanda sit executioni. Et quidem, si executioni certum tempus ab illo præscriptum sit, ejus voluntas custodienda, *can. Ultima, 13. q. 2.* pro lege habenda & observanda est. Si verò certum tempus præscriptum non est, & hæres vel alius executor, post præviam judicis monitionem saltem unam, illam intra annum non exequatur, hoc faciendi potestas, saltem quoad legata Pia, ad Episcopum devolvitur, *c. Nos quidem & c. Si hæredes citt.* ubi hæres in negligæ executionis pœnam omni re, quæ ei relicta est, cum fructibus & cæteris emolumentis jubetur interdici, hoc est, iis omnino privari, secundùm receptam & *l. fin. C. de Fideicommiss.* consentaneam explicationem *c. cit.* ut *ibi* notat Barbosa *n. 2.* vel rebus hæreditariis privari quousque voluntatem defuncti adimpleverit, secundùm non minùs versimilem *c. cit.* interpretationem, traditam à Panormit. *in c. Si hæredes cit. n. 5.* & Covarruvia *n. 4.* quæ locum saltem habet in hærede Necessario: cui, licet in exequenda defuncti voluntate, etiam quoad legata Pia, negligens sit, saltem portio sua legitima non est auferenda, *Novell. 1. cap. 1.* ut iidem, Panormit. *n. 8.* & Covarruvias *n. 9.* observant.

289. Dubium sextò est, cui executionis rationem reddere debeant clerici exempti. Ratio dubitandi est, quòd, sicut non-exempti, sic & exempti Religiosi: imò & Prælati illam reddere debeant locorum Ordinariis, hoc est, Episcopis diœcesanis, & ab his puniri valeant, si deliquerint in executione; per textum *Clement. Unice*, ut ipsis materia præscindatur circa executionis Officium delinquendi: quæ ratio, cùm æquè militet adversus exemptos clericos Seculares, *Clement. cit.* dispositione etiam hi affici videntur, *arg. l. Illud 32. ff. ad L. Aquil.* Sed hoc *in Clement. cit.* cum Glossa *V. Tales*, rectè negat Panormit. *n. 8.* quòd Constitutio hæc odiosa & pœnalis; atque idcirco à personis expressis ad non expressas non sit porrigenda: propter quam rationem, cùm de Claustralibus loqui videatur, eam in Religiosis non-Claustralibus, qui alicui Ecclesiæ sæculari exemptæ proposita sunt, non procedere; ac proinde istos executionis testamentariæ rationem Papæ duntaxat, ejúsve legato vel alteri suo legitimo superiori reddere teneri, cum *cit.* Interprete *n. 5.* rectè docent Sanchez *cap. 11. cit. n. 23.* & Barbosa *in Clement. cit. n. 5.*

ARTICULUS XIV.

De ultimæ Voluntatis Commutatione.

SUMMARIUM.

290. *Ultimas voluntates non commutant executores:*
291. *Nisi aliquando quoad tempus:*
292. *Vel id faciant facultate ab ipso testatore,*
293. *Vel à Sede Apostolica acceptâ.*
294. *Illas commutari ab Episcopo posse, negantium,*
295. *Et affirmantium DD. Opiniones:*
296. *Eáque de re sensus Authoris.*
297. *Commutatio exigit causam Necessariam vel Justam.*

298. Ne

298. *Necessaria est impossibilitas executionis.*
299. *Justæ sunt in eadem occurrens magna difficultas,*
300. *Evidens Utilitas.*
301. *Et Pietas.*
302. *Ultimas voluntates etiam communitat Capitulum sede vacante,*
303. *Et Prælati habentes jurisdictionem quasi-Episcopalem:*
304. *Vicarius generalis Episcopi, speciali:*
305. *Et Capituli, generali istius mandato instructus.*

290. SUpremas, præsertim Pias, defunctorum voluntates, cùm de Facto & de Jure, sive licitè & honestè possunt, adimplendas, iisque relicta ab executoribus, etiam cum hæredum consensu, in alios quàm destinata sunt, usus converti non posse, Juris omnino explorati Regula, *c. Nos quidem 3. & c. Tua nobis 17.* & ratio perspicua est partim; quòd integrum cuique sit sua, prout vult, expendere: eáque in re præjudicium aliquod ipsi inferre ulli privato non sit permissum: partim verò; quòd executorum munus & officium, ut ipsum eorum nomen indicat, sit executione seu Ministeriô suô adimplere, quod supremæ suæ voluntatis elogiô constituit defunctus, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 249. n. 1.* & Moneta *de Commut. Ult. volunt. cap. 5. n. 53.* quocum tamen

291. Excipienda imprimis est, dispositionis testamentariæ mutatio in melius quoad tempus, præveniendô id, quod ad Piæ dispositionis suæ, vg. legatæ certæ quantitatis pecuniæ post sex menses in pauperes distribuendæ, executionem est præfixum; talem enim terminum (cessantibus conjecturis, quæ suadeant defuncti intentionem fuisse; ne distributio interè fiat) prævenire executori fas esse, cum Covarruvia *in c. Tua nobis cit. n. 5.* & aliis volunt *citt.* Molina *n. 2.* & Moneta *n. 57.* eâ & meritò persuasi ratione; quòd, cùm id cedat in majus commodum defuncti, ejúsque animæ pii operis praeventione subveniatur, rationabiliter præsumi queat, tempus illud à testatore præfixum non tanquam terminum, quem non liceret prævenire: sed quô lapsô executio facienda sit absque mora ulteriori, *arg. l. Post mortem 12. C. de Fideicommiss.* quâ hæreditatem restituere jusso post mortem, istius præventionem permissam, explorati Juris dicitur esse. Deinde casus, quô executori suam voluntatem in opus, quod meliùs judicat, commutandi facultatem defunctus specialiter concessit; quia etiam hac in re ipsius voluntatem servandam, & commutandi facultatem executori non adimendam, monet Socinus *de Oblat. Lib. 19. n. 21.* Demum commutatio, quæ ex justa causa fit, interveniente authoritate legitimi superioris. Quod, sicut unó ore concedunt omnes, sic

Dubium & non levis dissensio inter DD. est, an ad eam sufficiat Episcopalis. Apostolicam enim, si ultima voluntate ad Piam: &, si ad prophanam causam relicta sint, Principalem authoritatem sufficere, nemo est, qui in dubium vocet; cùm id de summo Pontifice liqueat ex *Clement. Quia contingit 2. de Relig. domib.* quâ Clemens V. ea, quæ ad cetum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum, non alium usum convertenda asserit, insertâ clausulâ, Salvâ *Sedis Apostolicæ authoritate:* quâ ea in alios usus convertendi potestas sanctæ Sedi ac supremæ Sedi apertè stabilitur, ut in *Clement. cit.* Glossa *V. Sedis Apostolicæ*, Panormit. *n. 3.* Imola *n. 9.* Anchoranus *n. 2.*

n. 2. & Covarr. *in c. Tua nobis cit. n.* 7. adnotârunt. Ratio est; quia penes Sedem Apostolicam est suprema, generalis & immediatè à Christo Domino collata administratio dispositióque omnium rerum, relationem habentium ad finem supernaturalem; ut de iis, publicis ac privatis necessitatibus exigentibus, aut utilitatibus suadentibus, disponere liberè possit, ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Navarri *de Redit. Eccles. q.* 1. *monito* 40. *à n.* 6. aliorúmque TT. & Canonistarum. De Principe & quovis magistratu Seculari supremo idem patet ex *l.* 1. & *l. Legatam* 4. *ff. de Administr. rer. civitat.* Ratio est; quia res, hásque spectantes voluntates subditorum proprio principi ita subijciuntur; ut de iis, saltem ex justa & publicam utilitatem concernente causa, disponere valeat, *l. Lucius* 11. *pr. ff. de Evict. & l. Quod semel* 5. *ff. de Decret. ab ord. fac. citt.* Covarr. *Lib.* 3. *Var. cap.* 6. *n.* 7. Molina *Tract.* 1. *disp.* 4. *n.* 7, & Suarez *Lib.* 2. *de LL. cap.* 14. *n.* 11.

294. Episcopalem autem authoritatem ad commutationem ultimæ voluntatis, quæ de Facto & de Jure impleri potest, aut impleta jam est, sufficere, cum Zabarella *in Clement. cit. n.* 4. Covarruvia *in c. Tua nos cit. n.* 7. & aliorum Interpp. ac DD. communi sententia negant *citt.* Molina *disp.* 149. *n.* 5. Azor *p.* 2. *Instit. lib.* 5. *cap.* 33. *q.* 9. *pr.* Moneta *cap.* 5. *n.* 312. & Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 83. *n.* 2. Moventur Jure & ratione: & ex illo quidem allegant *Clement. cit.* quâ, ut in certos usus largitione fidelium relicta in eos convertantur, Episcoporum curæ commendatur: & illorum in alios conversio seu commutatio soli Papæ vindicatur; sicut & *c. Conquestus* 16. *de Foro compet.* C. *Nos quidem & c. Tua nos citt.* quibus ultimarum voluntatum impletionem promovere Episcopi jubentur. Textibus Canonicis consonat Jus Imperiale *l. Legatam cit.* quâ pecunia, Civitati aut Municipio legata, in aliam rem, quàm defunctus voluit, citra summi Principis authoritatem converti prohibetur. Rationem reddunt; quòd legem superioris relaxare aut derogare inferior non possit, *can. Inferior* 4. *dist.* 21. & *c. Cùm inferior* 16. *de Majorit. & Obed.* Jure autem communi Ecclesiastico à defunctis ad certos relictorum in alios usus conversio & libera commutatio vetita sit, *can. Ultima*, 13. *q.* 2. *c. Nos quidem*, *c. Tua nos & Clement. cit.* &, quod his antiqui Juris textibus interdictum est, Episcopis à S. Synodo Tridentina permissum non sit *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Ref.* quia hôc ejus decretô non conceditur Episcopis ulla potestas, quæ ipsis antiquiori Jure non competebat: sed solummódo præcipitur; ut, quando ipsis à Sede Apostolica factarum commutationum executio aut commutationes faciendæ delegantur, ad has non procedant, priusquam summariè & extrajudicialiter cognoverint in precibus Papæ oblatis nihil Sub- vel Obreptionis interveniss, ut rectè advertunt Molina *cit. n.* 5. & Laiman *Lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* & *n.* 6. Unde hi DD. sicut antè, sic & post Tridentinum ultimas voluntates, quando juxta mentẽ testatoris impleri de Facto & de Jure possunt, sive res integra sive non, hoc est, res ad usum intentũ semel applicata sit, sive non, à solo Papa (vel sumo Principe Seculari, si causa prophana sit) commutari posse, docent cum DD. antè *citt.*

Ita Jure rationéque firmatæ communi DD. sententiæ contrariam, & à testatore vel donatore in certos usus pios relicta ex justa causa in alios, præsertim meliores, Episcopali quoque authoritate converti posse, cum Sylvestro *V. Legatum* 4. *q.* 12. Vasquez *Opusc. de Testa-* 295.

ment. cap. 8. §. 5. Lud. Penna *in l. Unic. C. de Expens. lud.* Lud. Beia *Respons. Cas. Conscient. p. 4. casu 22.* Comitolo *Lib. 7. Respons. Moral. q. 9. n. 2.* & aliis defendunt Diana *p. 2. tract. 3. Miscell. resol. 26.* & Engel *ad hanc Rubric. n. 23.* qui pro se imprimis adducunt *can. Præter hoc 5. dist. 32.* Cujus *V. Deinde* Oblationes vivorum & mortuorum in dispositione Episcoporum esse, asseruntur. Dein; quòd relictorum in meliores usus conversione testatorum, ea relinquentium, voluntas non infringatur, sed declaretur: &, licet non Formalis, Virtualis tamen & Interpretativa eorum dispositio adimpleatur. Tertiò; quòd Episcopo Jure competat potestas ex justa causa Ecclesias & beneficia Ecclesiastica etiam accessoriè uniendi, *c. Sicut unire 8. de Excess. Prælat.* quô modô facta unio cùm suppressionem & extinctionem operetur, & primævum ac fundatorum menti conformem statum mutet, non apparet, cur ex justa causa commutare Episcopus nequeat etiam alias Pias voluntates defunctorum. Demum; quòd *cit. cap. 6.* relatô S. Concilii decretô Episcopis non solùm præscribatur modus observandus in ultimarum voluntatum Commutationibus, quando à Sede Apostolica ipsis committuntur: sed Commutationes illas ex necessaria justáque causa faciendi potestas generali delegatione sit confirmata ferè, sicut ipsis Missarum reductionem, quæ ultimæ voluntatis quædam commutatio est, faciendi potestas *Sess. 25. cap. 4. de Ref.* stabilita est, vel, si ante non competebat, indulta.

Neque in contrarium, inquiunt DD. laudati, faciunt *cc. citt.* quia his ultimarum voluntatum executio Episcoporum curæ commendatur, quin earum in melius commutatio adimatur vel denegetur; *& Clement. cit.* recitata verba; quibus potissimùm urgentur, exaudiunt de casu, quô fidelium largitione in certos usus Pios destinata in alium, non meliorem & authoritate Episcopali, sed minùs utilem & Pium, aut in proprium & à testatoris voluntate omnino alienum usum convertuntur: ut colligitur ex ipso textu, quô Papa totus est in redarguendis Xenodochiorum, Leprodochiorum & Eleemosynarum administratoribus, quorum in humanitate pecuniæ, in pauperes & lepræ morbô percussos erogandæ, injustè retinebantur, & in alios minùs utiles propriósve usus convertebantur.

Ex duabus his Opinionibus Juri, sic 396
cut satis consentanea prior, sic posterior apertè non contraria, & recepta est usu: quô suprema voluntate ad certos destinata, justâ causâ subsistente, in alios usus ad hæredum instantiam, aut saltem cum eorum consensu, Episcôpali authoritate converti non rarò solent. Unde

Dubium secundò est de qualitate 397
causæ necessariæ ad ultimæ voluntatis justam commutationem. Cui ansam præbent *cit.* S. Synodi verba, *Quæ*, Commutationes, *non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent*; his enim expressæ particulæ *Et* sensus anceps & controversus est inter DD. quibusdam copulandi communem: aliis distinguendi minùs frequentem, Jure tamen etiam approbatam *l. Sæpe 53. ff. de V. S.* significandi vim ei tribuentibus. Nec malè utrique, si illi, causæ necessitatem justam esse oportere: & hi, præter necessitatem, quamvis aliam justam ac rationabilem causam sufficere, velint; cùm, ut *cit.* Moneta *cap. 6. n. 109.* probè observat, si semper exigeretur Necessitatis, evidentis & publicæ quoque Utilitatis causa insufficiens foret: quod communi sensui & usui repugnat.

In spe-

298. In specie autem Commutationis justa simul & necessaria causa est, si testatoris ultima voluntas nequeat adimpleri; cùm enim impossibilium nulla sit obligatio, *l. Impossibilium 185. ff. & c. Nemo 6. de R. I. in 6.* illius executione impossibili redditâ, utique locus erit Commutationi. Quare, si pecunia, ab eo ad Ecclesiæ vel Monasterii fundationẽ extructionémque relicta non sufficiat, vel illa in loco designato extrui non possit, Episcopus cum hæredibus & executore eam in fundationẽ capellæ vel altaris, aut in Ecclesiam vel Monasterium in alio loco excitandum, aut in alium Pium usum convertere possit, *c. Nos quidem cit.* ita tamen; ut à defuncti mente, quàm potest, minimùm recedatur, Innocentius *in c. cit. n. 1. ubi* Panormit. *n. 6.* Covarruvias *n. 9.* Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 11. à n. 50.* & Barbosa *cit. alleg. 83. n. 7. & 8.*

Neque hôc casu legatum sit caducum, & quasi non scriptum hæredibus cedit, *arg. l. Unic. §. 3. C. de Caduc. toll.* quia hæc Civilis Juris dispositio in legatis Piis non procedit, Panormit. *in c. cit. n. 13.* & Tiraquell. *Causæ piæ privileg. 38.* Petr. de Ubald. *de Port. Canon. cap. 7. n. 36.* & *cit.* Barbosa *n. 9.* excipientes casum, quò legatum annuum pecuniæ Ecclesiæ relictum esset ad usum inhonestum, vg. ut in ea quot annis choreæ vel ludicra spectacula exhibeantur; cùm enim ista honori & reverentiæ loco sacro debitæ adversentur, *c. Cùm decorem 12. de Vita & honest.* legatum inutile, nec locus esset Commutationi, *arg. l. Filius 15. ff. de Condit. instit. ubi* Bartol, *in l. 1. n. 5.*

299. Deinde justa Commutationis causa est in ultimæ voluntatis executione occurrens magna difficultas, secundùm Tridentinum, ex ea Missarum reductionem *cap. 4. cit. & Sess. 25. cap. 8. V. Quod si hospitalia*, in alium Pium & institutioni proximum usum impendi permittens proventus hospitalium, ad peregrinorum aut aliud certum genus personarum receptionem institutorum, si ejus generis personæ perpaucæ in loco reperiantur, Felinus *in c. Ecclesiæ 10. de Constitut. n. 86.* M. Ant. Genuens. *Prax. Neapol. cap. 5. n. 334. & cap. 9. n. 89.* Ratio est; quia id, quod valde difficile est, impossibile moraliter reputatur; cùm id tantùm dicamur posse, quod commodè possumus, *l. Nepos 125. ff. de V. S. & c. Statuimus 13. de Offic. deleg. in 6.*

Tertiò, etiam evidens Utilitas, ut 300.
colligitur ex Trident. *cap. 4. cap. 8. citt. & Sess. 23. cap. 18.* cujus *V. Et quia* S. Synodus Episcopis mandat; ut Ecclesiarũ, beneficiorum, hospitalium redditibus detractam portionem in Seminariorum erectionem impendant. Ex qua causa ad pingendos parietes Ecclesiæ, quæ minatur ruinam, in fabricæ conservationem reparationémque: ad calices aliámque sacram suppellectilem, quâ Ecclesia abundè instructa est, relicta in utiliores ejus usus commutare cum hæredum consensu Episcopus potest, *citt.* Leo *n. 48. & 49.* Barbosa *n. 12. & 13.* Ratio est; quia evidens Utilitas necessitati æquipatatur; ut ferè, quæ istius, etiam illius causâ permittantur, *c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6.* & *Clement. 1. eâdem Rubr. ubi* Glossa *V. Necessitas*, Lambertinus *Lib. 3. de Jure Patronat. pr. q. 6. art. 1. n. 6.* & Moneta *cit. cap. 6. n. 101.*

Demum Pietas, vg. redemptio fide- 301.
lium captivitate detentorum à Paganis, sublevatio pauperum tempore famis, epidemicæ luis aut alterius calamitatis urgentis; cùm enim ex tali causa Ecclesiarum res immobiles, & ipsi etiam calices aliáque vasa & pretiosa supellex oppignerari &

rari & aliquando distrahi utroque Jure permittantur, *can. Sacrorum 15. can. Aurum 12. q. 2. l. Sancimus 21. C. de SS. Eccles.* & *Novella. 120. cap. 10.* utique ex ea commutari poterunt ultimæ voluntates defunctorum, Moneta *cit. cap. 6. n. 81.*

302. Dubium tertiò est, an ultimâ voluntate relictorum ad certos, in alios usus Commutatio, sede Episcopali vacante, competat Capitulo. Qua in re interest, an ea potestas Episcopo competat Jure ordinario vel delegato; cùm enim, sede illâ vacante, ordinaria duntaxat, non etiam delegata jurisdictio penes Cathedrale Capitulum resideat, juxta dicta *Tit. 9. n. 47.* huic, sede quacunque ex causa vacante, Commutatio illa Jure non competet, si hanc Episcopus ex sola hominis vel etiam Juris delegatione obtineat: & contra competet, si eam ad ordinariam, in Scripto vel non-Scripto seu Consuetudinario Jure fundatam, Episcopi jurisdictionem pertinere asseratur, ut *Tit. cit.* dictum *n. 23.*

303. Eandem, quam Jure Ordinariò in sua diœcesi Episcopus, ultimas voluntates commutandi potestatem in Ecclesiis sui Tituli obtinent S. R. E. Cardinales, etiam Presbyteri ac Diaconi: sicut & Prælati Episcopis inferiores, in certum territorium & populum exercentes jurisdictionem quasi Episcopalem; quia Commutatio illa non Ordinis: sed Jurisdictionis Episcopalis est actus, *citt.* Moneta *cap. 5. à n. 452.* & Barbosa *alleg. 83. n. 16.*

304. Dubium quartò est, an ea potestas etiam competat Vicario generali. Et, sede quidem plenâ, in certos usus relicta, in alios etiam meliores converti ab eo vi mandati generalis non posse, dictum est *Lib. 1. Tit. 28. n. 46.* quòd ultimarum voluntatum Commutationes sint de causis gravioribus & arduis, ei sine mandato speciali non permissis, *arg. c. Licet 2. de Offic. Vicar. in 6. citt.* Cuchus *Inst. major. Lib. 1. tit. 9. n. 82.* Barbosa *n. 16.* & Moneta *n. 427.*

Eadem, quæ Episcopalis, ratio est, 305
se videtur Vicarii Capitularis sede vacante; quòd, sicut Capitulum, Episcopali sede ex quacunque causa vacante, non plus, quàm illâ plenâ Episcopus, possit; sic, sede illa quomodocunque vacante, Vicarius Capituli non possit plus, quam eâ plenâ potuit Episcopi Vicarius generalis.

Sed, licet hoc ita quondam fuerit, hodie tamen aliter res se habet; hoc ipso enim, quòd ex decreto S. Synodi Tridentinæ ad vitanda incommoda, quæ ex difficultate congregationis Capituli, non semper, ut occurrentia negotia exigunt, expeditæ: & ex Canonicorum in diversas sententias euntium contradictionibus oriri facilè possunt, Capitulum intra octo dies à morte Episcopi Vicarium generalem constituere vel antè existentem confirmare, eique penes se residentis jurisdictionis Episcopalis exercitium committere teneatur, ab eo constitutus Vicarius vi commissionis suæ generalis ea etiam, quæ aliàs mandatum speciale exigerent, expedire; ac proinde ultimas voluntates iis casibus, quibus ipsum Capitulum, commutare potest: nisi earum commutationem Capitulum specialiter reservaret, Quaranta *in Summa Bullar. V. Capitulum sede vac. q. 12. V. Verùm quia*, Guttierez *Lib. 1. Q. Canon. cap. 11. n. 10.* & Moneta *cit. cap. 5. à n. 97.*

TITU-

TITVLVS XXVII.

De Successionibus ab Intestato.

DUplex est Successio hæreditaria: alia ex Testamento, seu ultima justáque defunctorum voluntate: alia ab Intestato, sive ex dispositione legis, ejusmodi justæ voluntatis defectum supplentis, §. fin. Instit. Per quas pers. nob. acquir. quarum propterea illa Testamentaria: ista Legitima nominatur, l. Ea verò 8. §. 2. ff. Pro socio. De successione Testamentaria actum ad præcedentem. De legitima, seu quâ ratione Intestatis, Clericis præsertim, Novitiis ac Religiosis, succedatur, ad præsentem Rubricam est disserendum.

ARTICULUS I.

De Successione Clericorum intestatorum in bonis verè & quasi Patrimonialibus.

SUMMARIUM.

1. *Intestatus est, qui hærede Testamentario caret.*
2. *Clerico intestato in bonis Patrimonialibus propinqui:*
3. *Et I. quidem legitimi descendentes:*
4. *Aliquando in Capita, aliquando in Stirpes succedunt.*
5. *Liberi naturales patri ravò, & in duabus tantùm unciis:*
6. *Matri, sicut legitimi, succedunt.*
7. *Spurii ad parentum hæreditatem non admittuntur.*
8. *II. Ascendentes gradu proximiores,*
9. *Admissis defuncti fratribus ac Sororibus Germanis:*
10. *Non etiam solis istorum liberis,*
11. *Aut fratribus ac Sororibus tantùm Consanguineis vel Uterinis*
12. *Illegitimi parentes liberis, sicut hi ipsis succedunt.*
13. *III. Fratres Germani & Germanæ Sorores:*
14. *Post hos Consanguinei & Uterini.*
15. *IV. Cæteri Cognati usque ad decimum gradum,*
16. *Solâ Cognationis & Proximitatis gradûs ratione habitâ, succedunt.*
17. *V. Ecclesia, cujus fuit beneficiatus.*
18. *VI. Fiscus Ecclesiasticus,*
19. *Secluså saltem consuetudine locorum.*
20. *Eôdem modò clerico succeditur in quasi Patrimonialibus bonis.*

AB intestato, sive Legitimæ successioni locus tunc demum est, quando succedi non potest ex Testamento, *ll. Quamdiu 39. ff. de Adquir. vel omitt. hæredit. & 89 ff.*

de R. J. Ex isto autem successioni locus non est, quando defunctus, vel; quia non voluit: vel; quia de facto, scilicet morte præventus, vel de Jure, ut furiosus, impubes, filiusfamilias & similes, Lege vel Canone testari prohibiti, non potuit, nullum condidit testamentum: vel, quando ab eo conditum ob necessariæ solennitatis defectum irritum fuit: vel, quando testamentum legitimè factum validúmque posthumi vg. præteriti agnatione ruptum: aut propositâ Inofficiosi querelâ rescissum, aut capitis diminutione, vg. quòd testator condemnatus sit ad mortem, irritum est factum: vel demum, quando ex eo nemo hæres extitit, *l. Institutus 68. ff. de V. S. & pr. Instit. de Hæred. quæ ab intest. ubi* Interpp. & passim cæteri DD.

Legitima hæc successio, licet quoad modum, determinationem & ordinem, quò eâ hæreditas defertur, ut ipsum ejus nomen indicat, sit Juris Civilis, Origine tamen extra controversiam altior est; cùm ante omnem ejus Juris dispositionem, ab omnibus totius Orbis populis defunctorum bona ad liberos & propinquos devoluta sint, ex communi affectu, & Lege etiam Divinâ, illa ad familiarum conservationem in ejusdem generis posteros seu descendentes transmitti, præcipiente, Levit. *cap. 25. v. 42.* Numer. *cap. 27. v. 6.* & Deuteron. *cap. 4. v. 47.* Imò Jure & dictamine Naturali, ut colligitur ex *can. Jus Naturale 7. dist. 1. l. Scimus 36. §. 2. C. de Inoffic. testam. & Novell. 1. pr.* cùm amor propensior in liberos ac propinquos, iisque præ extraneis consulendi studium mortalibus insitum sit à Natura, *l. Conficiuntur 8. §. 1. ff. de Jure Codicill.*

Porro, ut Clericis intestatis succedendi ratio expeditior sit, memoriâ repetenda est supra *Tit. 25. à n. 2.* declarata varietas Clericalium bonorum. Et in Ecclesiasticis quidem certi & expediti Juris est, nec Testamentariæ nec Legitimæ successioni locum esse; cùm ea sint ipsius Ecclesiæ, non clerici; ac proinde extra istius defuncti bona & hæreditatem, Canisius *in c. 1. n. 45.*

In Patrimonialibus autem bonis ipsis, ferè sicut laicis, succedunt hæredes legitimi, secundùm *Novell. 118.* à sacris Canonibus nullibi correctam: imò non obscurè receptam *can. Sacerdotes, 12. q. 4.* ex cujus dispositione clerico intestato in ejusmodi bonis Imprimis & antè omnes alios, etiam patrem cæterósque ascendentes, succedunt utriusque sexûs liberi ejus justi, sive ex matrimonio verè aut putativè justo procreati, aut per subsequens matrimonium legitimati, aliique ex his præmortuis descendentes, & cum iis filii legitimi tantùm seu adoptivi, in defuncti familia existentes, *§. Sui autem 2. & §. Sed ea omnia 14. Instit. de Hæredit. quæ ab intest. & Novell. cit. cap. 1.* usque adeò; ut liberi, licet gradu quantumcumque remotò à defuncto descendant, nihilominus omnibus ascendentibus & cognatis in succedendo præferantur, *cap. 1. cit.* Ratio est partim; quòd liberi ad bona parentum veniant quasi ad sua propria: & quorum, vivis adhuc parentibus suis, quasi domini fuerunt, *§. Sui autem 3. Instit. Rubr. cit. & l. In suis 11. ff. de Liberis & posth.* partim verò; quòd ad ea vocentur votò ipsorum parentum & Naturæ, *l. Scripto 7. ff. Si tab. test. non extent*; ut defunctorum hæreditas ad eosdem pertineat, per quos illorum diuturnitatis memoria in ævum est perduratura, *l. Liberorum 22. §. fin. ff. de V. S.* Gomez *Tom. 1. Var. cap. 1. n. 2.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 162. n. 3.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 5. n. 400.*

Quantumvis autem causa liberorum sine ullo sexûs discrimine, in succedendo prima sit, iisque hæreditas communi parentum

centum votô & Naturali ratione deferatur: quoad modum tamen, quô his illi ſuccedunt, multùm intereſt, an à defuncto deſcendentes primi vel ulterioris ſint gradûs; cùm, ſi omnes primi gradûs ſeu filii filiævè ſint, ſuccedant in Capita, & ſoli, hoc eſt; ut ſinguli portiones accipiant æquales, & nepotes aliíque ex his deſcendentes excludantur. Si verò illorum aliqui gradûs ſint ulterioris, in Stirpes, hoc eſt; ut duo vel plures nepotes ex legitimo ejus filio vel filia legitimè deſcendentes ſuum parentem præmortuum omnes ſimul repræſentent: eíque, ſi ſupereſſet, competentem & aliis primi gradûs liberis ſuperſtitibus ſingulis æqualem portionem ſimul accipiant, *citt. Auth. In ſucceſſione & Novell. cap.* 1. Barri *de Succeſſ. teſt. & inteſt. Lib.* 18. *tit.* 1. *n.* 2. & 3. *citt.* Gomez *n.* 2. & 12. Molina *n.* 3. & Haunold. *à n.* 401. Ratio eſt; quia, cùm defuncti nepotes cum ejus filio ideo ſuccedant; quòd patris ſui defuncti perſonam repræſentent, aliàs tanquam gradu remotiores non ſucceſſuri, abſurdum eſſet, eos plus capere, quàm eorum parens; cùm tanquam remotiores non ex ſua, ſed patris ſui defuncti perſona, quam repræſentant, ad avi hæreditatem vocentur.

5. Si defuncti clerici liberi, non juſti ſeu legitimi, ſed illegitimi ſint, Jure ſtatutum eſt inter hos diſcrimen; cùm, ſi ii naturales, hoc eſt, ante ſuſceptum Ordinem ſacrum ex ſoluta, olim quidem locô uxoris domi retentâ, hodie verò etiam ex alia ſeductâ, procreati ſint, ſicut aliis, ſic etiam clerico inteſtato, liberis legitimis & legitima uxore non extantibus, ſuccedunt in duabus tantùm unciis, inter ipſos eorúmque matrem defuncti concubinam, ſi ſuperſtes eſt, dividendis: reliquæ autem decem unciæ obveniunt aliis clerici defuncti agnatis & cognatis, *Auth. Licet C. de Natural. liber.* Extantibus autem liberis legitímis aut legitimâ uxore, à paterna hæreditate omnino repelluntur: ab hæredibus tamen legitimis, ſecundùm ſubſtantiæ menſuram, boni viri arbitriô æſtimatam, ſunt alendi, *citt.* Barri *n.* 17. Molina *diſp.* 166. *n.* 4. Haunold. *n.* 442. & Bruneman *in Auth. cit. n.* 4. Ratio autem cur, legitimâ prole vel uxore legitimâ extante, liberi naturales patri ſuo in nulla parte ſuccedant, eſt favor & honor matrimonii, cujus intuitu illegitimè procreatæ proles à ſucceſſione remotæ ſunt; ne legitima uxor patiatur ſcandalum & triſtitiâ afficiatur, ſi cum ſua, legitimè genita, illegitimam admitti videat ad hæreditatem.

6. A materna autem hæreditate naturales liberi adeò non repelluntur; ut ad eam inſtar liberorum, à matre ſua ex legitimo thoro genitorum, & cum his æqualiter admittantur, & ipſis competat querela Inofficioſi, *l. Si qua* 5. *C. ad S. C. Orfit.* & repræſentationis jure in bonis etiam aviæ maternæ aliísque per lineam maternam aſcendentibus ab inteſtato ſuccedant, *l. Modeſtinus* 8. *ff. Unde cognati*, Graſſus §. *Succeſſ. ab inteſt. q.* 18. *à n.* 17. Barri *cit. Tit.* 1. *num.* 17. & Haunold. *à num.* 451.

7. Si verò liberi illegitimè nati ſpurii, hoc eſt, ſecundùm leges, ex meretrice publica paſſim corpus ſuum proſtituente: ſecundùm ſacros Canones autem ex muliere, quacum, neque conceptionis, neque nativitatis prolis, neque etiam intermedio aliquo tempore, matrimonium potuit conſiſtere, etiam ante clericatum procreati ſint, à paterna ſucceſſione etiam ipſi penitus repelluntur, *l. Ex complexu C. de Inceſt. & inutil. Nupt. & Novell.* 89. *cap. fin.* ut neque alimenta (quando propriâ induſtriâ aut aliâ viâ licitâ vitam conſervare poſſunt, ut *lib.* 5. *Tit.* 16. dicam) ipſis debeantur, per textus antè *citt.* ut

vel hac

vel hac ratione parentum libido refrænetur, *l. fin. C. de Natural. lib.*

8. Liberis seu descendentibus à defuncto ejusmodi clerico non relictis, in bonis Patrimonialibus ei, sicut aliis, succedunt ascendentes, secundùm *cit. Novell. 118. cap. 2.* Quod statuendi ratio fuit non solùm; quòd parentes cùm liberis eadem penè persona reputentur, §. *Quod si 4. V. Ei verò, Instit. de Inutil. stipulat.* atque idcirco istis, turbatô mortalitatis ordine præmortuis, succedendô ad propria sua bona reverti videantur, *l. 1. §. 12. ff. de Succeſſ. Edicto;* sed etiam ratio miserationis; quantumvis enim magis liberis debeatur hæreditas parentum, nihilominus ex liberorum suorum obitu conceptus mœror hoc solatium exposcit; ut ad istorum præmortuorum hæreditatem præ aliis vocentur parentes, *l. Scripto 7. ff. Unde liberi & l. Nam etsi 15. pr. ff. de Inoff. test.* utpote quibus, cùm post Deum vitæ autores nobis existant, gratiæ præ aliis rependendæ sunt, sicut honore & reverentia, sic beneficiis quoque & largitione, Aristot. *9. Ethic. cap. 20.* & Plato *de Republica.*

Succedunt autem in bonis Patrimonialibus, undecunque quæsitis, liberis suis ascendentes, servatâ gradûs proximioris prærogativâ; ut, si soli & plures ascendentes defuncto eôdem gradu proximô conjuncti sint, sic ut vg. avus & avia materni cum avo paterno, non in Capita, sed in Stirpes succedant; ac proinde avus paternus tantùm, quantum avus aut avia materni simul, scilicet semissem sive medietatem unam ille solus, alterum autem semissem isti simul accipiant. Si verò ascendentium plures defuncto in diverso gradu conjuncti, vg. ejus pater & avus cum avia materna, aut vicissim mater cum avo aut avia paternis, superstites sint, à proximiore remotiores, scilicet à patre vel matre avus & avia à successione excluduntur, *Auth. Defuncto C. ad S. C. Tertull. & cit. Novell. cap. 2.* quia, ut *ibi* Glossa *V. Proximi* notat, in ascendentibus repræsentationis locus non est, sicut in descendentibus: qui ejus beneficiô in parentum suorum præmortuorum locum vocantur, Covarruvias *de Succeſſ. ab inteſt. n. 2. in.* Barri *Tit. 2. n. 1.* Fachineus *Controverſ. Lib. 6. cap. 4.* & *cit.* Molina *disp. 269. num. 1.*

Neque cum hoc pugnat; quòd hi & illi sint correlativi: de quorum uno dispositum trahi ad alterum solet, *l. fin. C. de Indicta vid. toll.* quia hoc non procedit, quando de iis Jure expressa sunt diversa: & non eadem ratio est utriusque: sicut in proposito casu ascendentium & descendentium; cùm enim per hos, non etiam per illos, defuncti memoriæ consulatur, *l. Liberorum cit.* hæreditas descendentibus magis, quàm ascendentibus debetur, Covarruvias *l. cit. n. 3.* Canitus *in c. 1. hâc Rubric. num. 37.* & Haunold. *tract. cit. à n. 474.*

Quando defuncti parentes aut ascendentes alii non soli, sed præter eos supersunt fratres aut sorores germani, hoc est, ex utroque parente conjuncti, sive ex eodem patre & matre, ex quibus defunctus procreati, cum ascendentibus gradu proximioribus etiam hi succedunt in Capita, & non in Stirpes; ut, si vg. avus paternus solus, avus & avia materni cum defuncti fratre superstites sint, diviso in quatuor partes fiat: & avus maternus atque avia materna singuli tantùm, quantùm avus paternus vel Frater, scilicet quadrantem consequantur, *cit. Novell. cap. 2. V. Si verò.* Quod Imperator postmodum ad hujusmodi fratris aut Sororis præmortui liberos cum alio defuncti fratre vel Sorore superstites ita extendit; ut hi jure repræsentationis succedant in Stirpem, si-

pem, ſive, ut eam hæreditatis partem accipiant, quæ patri aut matri ſuæ præmortuæ ſive ipſius defuncti fratri aut Sorori obtigiſſet, ſi ſuperfuiſſet, *Novell. 127. cap. 1.* Covarruvias *l. cit. àn. 4.*

10. Aliter res ſe habet, ſi cum defuncti aſcendentibus nullus ejus Frater aut Soror, ſed iſtorum duntaxat præmortuorum liberi ſuperſtites ſint; ac proinde hi non cum aliquo patrui ſui defuncti fratre, ſed cum avo duntaxat aut avia concurrant; hôc enim caſu, ipſis excluſis, ad patrui ſui defuncti hæreditatem avus duntaxat & avia vel alii aſcendentes ſoli admittuntur, ut cum Perez *in C. ad S. C. Tertull. n. 8.* veriſimiliùs cenſet *cit.* Haunold. *n. 478.* eâ ductus ratione; quòd *cit. cap. 1.* hujus caſûs ulla mentio non fiat: & quia *cit. Novell. 118.* correctorium eſt, ejus diſpoſitio ultra caſum expreſſum non ſit porrigenda.

11. Simili modô defuncti fratres & Sorores non germani, ſed conſanguinei duntaxat vel uterini, à ſuperſtitibus illius parentibus aut aſcendentibus aliis excluduntur; quòd *V. Si verò cit.* textus concurſum cum defuncti aſcendentibus apertè indulgeat ſolis ejus fratribus ac Sororibus germanis, *citt.* Barri *Tit. 2. n. 2.* & Haunold. *n. 477.* Hactenus de parentibus legitimis.

12. Illegitimi liberis ſuis præmortuis eôdem caſu & modô, quô hi ipſis inteſtatis ſuccedunt; ut, naturali filiô liberos relinquente, parentes nihil conſequantur: ei autem ſine his decedenti & inteſtato pater in duas uncias ſuccedat: mater autem ei hæres ſit ex aſſe: niſi unà ſuperſtes ſit ejus pater; hôc enim caſu pater in ſextantem ſeu duas uncias ſuccedit: reliquæ autem decem unciæ ad matrem devolventur, §. *fin. Inſtit. ad S. C. Orfit.* junctâ *Auth. Licet C. de Natural. lib.* ſi cum matre frater naturalis, ex eadem matre eodémque patre natus, ſuperſtes ſit, fratri defuncto cum matre æqualiter ſuccedit, ut *arg. Auth. Defuncto C. ad S. C. Tertull.* vult Salicetus *in Auth. cit. n. 5.* eúmque ſecutus Haunold. *n. 483.* quòd talis frater, quantumvis legitimus non ſit, quoad hunc tamen ſucceſſionis effectum germanus reputetur. Demum in liberis ſpuriis ſive ex damnato concubitu procreatis nulla parentum ſucceſſio eſt, *citt.* Graſſus *q. 29.* Covarr. *n. 19.* & Caniſius *n. 39.*

Deficientibus tam aſcendentibus quàm deſcendentibus, ſicut laico, ſic & Clerico defuncto ab inteſtato ſuccedunt ejus conſanguinei collaterales. Et primò quidem fratres & ſorores germani utrinque conjuncti, excluſis conſanguineis duntaxat & uterinis, ſive ex eodem tantùm patre vel ex eadem matre ſolâ natis: & quidem, ſi ſoli exiſtant, in Capita. Si verò cum aliorum fratrum præmortuorum liberis concurrant, in Stirpes; ut his obveniat ea tantùm pars, quæ patri ſuo, ſi viveret, obtigiſſet, *Auth. Ceſſante, C. de Legit. hæred. Auth. Itaque C. Communia, de Succeſſ. & cit. Novell. 118. cap. 3.* Si verò ſoli filii fratrum diverſorum utrinque conjunctorum extent, vg. ex Titio unus, ex Cajo duo & ex Sempronio tres, tum hi, uterinis & conſanguineis iterum excluſis, patruo ſuo non in Stirpes, ſed in Capita ſuccedent; ut hæreditas in ſex partes dividatur & ſinguli ſextantem ſive duas uncias conſequantur, ut contra Accurſium cum Azone aliiſque eruditè defendunt Caniſius *in c. 1. cit. n. 41.* & Fachineus *Controverſ. lib. 5. cap. 3.* & ex TT. *citt.* Molina *diſp. 164. n. 12.* & Haunold. *n. 496.* id, ſicut communi Jure ſpectato ſatis ambiguum, ita in Imperio extra dubium eſſe aſſerens, poſtquam hoc caſu hæreditatis diviſionem in capita faciendam, à Carolo V. in Comitiis Spirenſibus conſtitutum eſt anno 1529. 13.

14. Secundò, Fratribus aut Sororibus Germanis sive ex utroque parente conjunctis non extantibus, ad hæreditatem vocandi sunt conjuncti ex parente tantùm uno, sive ex patre sive ex matre, & cum iis ex uno eorum præmortuo superstites liberi, *Auth. Post fratres C. de Legit. hæred.* ita tamen; ut si fratres consanguinei concurrant cum uterinis, illis solis paterna, istis verò solis materna bona deferantur, habitâ ratione originis, unde bona sunt profecta, ut ex *l. Si emancipatis 13. C. eadem Rubr.* DD. desumunt apud Brunemannum *ibi n. 2.*

15. Tertiò, si neque fratres aut sorores, neque ulli istorum liberi extent, reliqui consanguinei, nullô sexûs, cognationis vel agnationis aut conjunctionis ex uno vel utroque latere discrimine factô, non in Stirpes, sed in Capita succedunt usq; ad decimum gradum; ut hæreditas inter eos secundùm personarum numerum æqualiter dividatur, & remotiores à propinquioribus excludantur; quia in talibus sola cognatio & propinquitas spectatur, *Auth. Post fratres cit. & cit. Novell. 118. cap. 3. in fine & cap. 4.* est communis sensus DD. Unde satis expedita est resolutio

Dubitationis nuper motæ de successione Titii: qui, cùm opes quidem satis amplas, sed neque descendentes aut ascendentes, neque etiam fratres aut sorores, neque ex istis nepotes neptésve: sed tres duntaxat patruos, patris sui Caji fratres tantùm consanguinos vel uterinos, hoc est, ex eodem tantùm patre vel ex eadem solùm matre conjunctos, & ex totidem patruorum, Caji patris sui fratrum germanorum, sive ex eodem patre eadémque matre conjunctorum, complures liberos superstites haberet, nullóque testamentô conditô decessisset, super ejus intestati hæreditate tribus patruis superstitibus litem moverunt trium patruorum præmortuorum liberi, & illis omnino exclusis vel saltem cum illis ad hæreditatem admitti petierunt, eâ persuasi ratione, quòd ipsi patrum suorum præmortuorum, patruorum Titii & Fratrum Germanorum Caji, personas repræsentantes, idque eorum locum succedant: ab illis autem tanquam Caji fratribus germanis ejusdem fratres tantùm consanguinei vel uterini excludantur, *Auth. cessante C. de Legit. hæred.*

Sed ratione hâc potior est decisio Joberis, eô casu, quô neque descendentes aut ascendentes, neque fratres aut sorores neque ab his procreati liberi superstites, hæreditatem collateralibus cæteris gradu proximis deferentis; ut hi defuncti intestato non in Stirpes sed in Capita: & si plures sint, secundùm numerum personarum æqualiter succedant: & gradu remotiores quoscunque sine ullo inter mares & fœminas, agnatos & cognatos, existentes in potestate patris & emancipatos, superiores & inferiores, atque etiam inter bona paterna & materna discrimine, omnísque repræsentatione sublatâ, excludant *Novell. 118. cap. 3. §. fin. & Auth. Post fratres 2. C. de Legit. hæred.* Ubaldis *de Success. intest. p. 3. n. 7.* Rosella *de Success. n. 154.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 164. n. 8.* Schneidewin. *Instit. de Success. ab intest. de 3. Ord. succed. n. 5.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 23.* & Brunemann *in Auth. cit. n. 9.* Quare in proposito casu Titii patrui adhuc superstites, licet Caji, qui pater Titii erat, fratres tantùm consanguinei vel uterini sint, solí Titio in omnibus bonis succedunt, patruorum Caji fratrum germanorum liberis exclusis; quòd patrui superstites Titio, de cujus intestati hæreditate agitur, cognationis gradu proximiores sint, quàm liberi patruorum Titii, & Caji fratrum germanorum.

Ex his

Ex his planè evaneſcit pro patruorum liberis deducta ratio; quia repræſentatio in collateralibus ultra ejus, de cujus hæreditate agitur, fratrum liberos non porrigitur: neque poſt iſtos amplius attenditur, an cognati ſimplici vel duplici vinculô, hoc eſt, ex uno tantùm vel utroque parente ſint conjuncti: ſed ſolius cognationis & proximitatis gradûs ratio habetur, *Aub. cit.* ut defunctô inteſtatô, qui cognationis gradu remotiores ſunt, à propinquioribus excludantur: &, qui proximô parique gradu ei conjuncti ſunt, pariter & æqualiter admittantur, & ſecundùm numerum perſonarum hæreditatem æqualiter partiantur, *text.* & DD. *citt.*

Neque hactenus, de clericorum inteſtatorum in bonis Patrimonialibus ſucceſſione, deductis adverſatur; quòd Epiſcopus, filios aut nepotes non habens, alium quàm Eccleſiam hæredem relinquere non permittatur à Concilio Agathenſi, *can. Epiſcopus*, 12. *q.* 2. relatô & à Triburienſi *c. Sancto* 2. *hâc Rubr.* Presbyterorum defunctorum peculium dividi jubeatur in quatuor partes: quarum una Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pauperibus & quarta duntaxat parentibus aſſignatur. Non, inquam, hi textus adverſantur; quia imprimis *can. cit.* Epiſcopis proponi conſilium, non præceptum imponi, vult Gloſſa à DD. paſſim recepta *in can. cit. V. Alium.* Deinde; quia, ſpectatâ literâ ejus Originali, à Covarruvia *in c.* 1. *de Teſtament. n.* 6. relatâ, Concilium Agathenſe aliud non intendit, quàm ejusmodi Epiſcopi, ſi non Eccleſiam, ſicut deceret, ſed alium hæredem faciat, & res Eccleſiæ illicitè alienet, alienationem non tenere, juxta *Reg. can. Sine exceptione*, 12. *q.* 2. *cit.* Barboſa *in can. Epiſcopus cit. n.* 3. & Gonzalez *in c.* 1. *de Teſtament. n.* 15. Demum; quia *c. Sancto cit.* ſermo eſt de Presbyteris, qui ante promotionem ad ſacros Ordines fuerunt ſervi, & intuitu Divinorum libertatem conſecuti ſunt à dominis ipſos manumittentibus; ut ſacris Ordinibus initiati Eccleſiæ deſervirent: de quorum decedentium ſubſtantia, etiam aliunde, quàm intuitu Eccleſiæ quæſita, contrà quàm de libertis laicis, §. *Sed noſtra* 3. *Inſtit. de Succeſſ. libert.* habetur, nullam partem ſibi vendicat patronus: neque etiam, ſicut de aliis clericis inteſtatis eſt dictum, ſuccedunt ſoli conſanguinei, ſed in parte ſolùm quarta: reliquæ verò tres partes in opera pia diſtribuuntur; ut ita compenſetur libertas, quam Pietatis & Divini officii intuitu ſunt conſecuti, Vivianus *in c. cit.* & *ibi* Gonzalez *n.* 11. Si tamen ſervus ſacrorum Ordinum & clericatûs aſſumendi intuitu manumiſſus eſſet non ſimpliciter, ut *c. Sancto cit.* ſupponitur, ſed adjectâ conditione modóve; ut ejus inteſtati & ſine liberis decedentis bona aliunde, quàm Eccleſiæ intuitu quæſita ad patronum pertineant, hunc ab ejus inteſtati ſucceſſione Jure non excludi, veriſimiliter exiſtimat Barboſa *in c. cit. n.* 3. *in fine.*

17. Denique, non extantibus ullis conſanguineis ſeu cognatis, Clericis inteſtatis in bonis Patrimonialibus ſuccedit Eccleſia, in qua miniſtrârunt *can. fin.* 12. *q.* 5. *c.* 1. *hîc. & l. Si quis Presbyter* 20. *C. de Epiſc. & Cleric.* Ratio eſt; quòd Eccleſia clerico beneficiato ſit locô Uxoris, *arg. c. Inter* 2. *de Translat. Epiſc.* ſicut ergo, non extantibus ullis conſanguineis, marito inteſtato, excluſô fiſcô, Uxor, *l. Unica C. Unde vir & l. fin. C. Theodoſ. de Legit. hæred.* ſic in ſucceſſione clerici fiſco præfertur Eccleſia, in qua miniſtravit, Vivianus *in c. Adhoc cit.*

18. Si verò in nulla Eccleſia miniſtravit, ſive beneficiatus non fuit, ejus inteſtati &

sine consanguineis decedentis bona devolventur ad Fiscum Ecclesiæ loci, in quo est versatus, & arbitriô Episcopi in Pias causas impendentur, Panormit. *in c. Ad hoc cit.* Molina *disp. 164. n. 20.* & Barbosa *in c. 1. n. 2. in fine:* nec immeritò; cùm etiam laico consanguineos & uxorem non habenti in bonis, tanquam vacantibus, succedat Fiscus Secularis, *l. 1. l. Vacantia 4. C. de Bonis vacant. & l. 1. §. 2. ff. de Jure*
19. *Fisci.* Huic tamen Ecclesiæ juri derogatum est in multis provinciis, in quibus clericorum intestatorum & consanguineos non habentium bona Patrimonialia fiscus secularis apprehendit, Ecclesiasticô exclusô & facilè acquiescente, si Ecclesiarum intuitu quæsita ab illo intacta forent.

20. Hactenus de bonis Patrimonialibus, quibus quasi-Patrimonialia, utpote personæ potiùs, quàm Ecclesiæ intuitu quæsita, æquiparari, ex *Tit. 25. n. 19.* constat. Unde, sicut illa, sic etiam hæc à clericis intestatis ad legitimos hæredes deferri, rectè tradit Canisius in *c. 1. cit. n. 51.*

ARTICULUS II.

De Successione in bonis ipsorum Beneficialibus.

SUMMARIUM.

21. *In his clerico intestato succedit Ecclesia,*
22. *Una vel plures, quarum fuit beneficiatus:*
23. *Seclusô privilegio & consuetudine.*
24. *De jure Spoliorum Papæ,*
25. *Et aliquando inferioribus competente.*
26. *Consuetudinem consanguineis illa deferentem damnantium.*
27. *Et approbantium verior Opinio.*
28. *Monitum Clericis salubre.*

21. SUpersunt bona Clericorum Beneficialia, sive intuitu Ecclesiæ quæsita: quæ, clericô mortuô, de lure, legitimis hæredibus exclusis, remanere debent penes propriam Ecclesiam, *can. Quoniam 2. dist. 75. c. 1. & c. fin. de Pecul. cleric. c. Cùm in officiis 7. & c. Relatum 12. de Testament.* hoc est, penes Collegium clericorum seu canonicorum: vel, si clericus defunctus bona sive reditus â collegio separatos possidit, penes ipsius in Ecclesia vel beneficio successorem, vg. Episcopum, parochum vel similem alium, *c. fin. de Offic. Ordin. in 6.* Vallens. *ad hanc Rubr. n. 6.* & *ibid.* Engel *n. 23.* Si verò iste beneficiatus plures fuit Ecclesiarum diversarum, relicta ab eo hujusmodi bona, quando non apparet, ex cujus Ecclesiæ Beneficio proveniant, inter illas, habitâ ratione fructuum â singulis perceptorum, sunt dividenda; ut illi plus relinquendum sit, à qua plus percepit, *c. cit. in fine, ubi* Barbosa *n. 10.* Similis divisio facienda inter Ecclesiam & hæredes est, quando clericus præter beneficium habuit patrimonium, & aliunde non constat, an ab ipso relicta ad patrimonium, aut beneficium spectent, Vivianus *in c. Relatum cit. in fine*, ut dictum est *Tit. 25. num. 47.*

22. Ab his tamen Juris Ecclesiæ communis definitionibus, quantumvis, sicut perspicuæ, ita æquissimæ sint, cum tempore multùm variéque est recessum. Et imprimis quidem jure speciali Privilegii vel Consuetudinis legitimè præscriptæ, sicut Ecclesiæ & beneficii vacantis, sic ab illius Rectore vel beneficiato relicta bona ad Prælatum vel aliam personam Ecclesiasticam

ſiaſticam ſpectare poſſe, omnino exploratum eſt ex *c. fin. cit. V. Niſi de Speciali, de Offic. Ord. in 6.* Barboſa *in c. cit. n.* 24. 3. Dein: quia bona Clericorum, quæ verè aut quaſi Patrimonialia non ſunt, & non ſpectant ad domeſticam ſuppellectilem, ut arcæ, menſæ, ſedilia, dolia vacua & ſimilia: vel ex beneficiis aut penſionibus, reditus majores quàm triginta aureorum de Camera non habentibus, relicta ſunt, tanquam Spolia Sedi Apoſtolicæ ejúsque Cameræ reſervantur *Conſtitutionibus* Julii III. Pauli III. & IV. Pii IV. & V. teſte Navarro *Comment. de Spoliis* §. 14. & Caniſio *in c. 1. n. 50.* qui tamen monet, dictorum ſummorum Pontificum de Spoliis Conſtitutiones uſu non receptas in Germania noſtra. In iſtius tamen ſuperioribus Provinciis alicubi bona Clericorum, quæ Patrimonialia eſſe non conſtat, ab Epiſcopis aliísque collatoribus Spoliorum nomine vindicari ſolent. In inferioribus autem ſive Provinciis Belgicis iisdem inteſtatis in mobilibus intuitu Eccleſiæ quæſitis, Capitula ſive Epiſcopos ſuccedere, notat Vallenſ. *ad hanc Rubric. n. 7.* Demum; quia ex privilegio Apoſtolico iisdem ab inteſtato ſuccedere conſanguineos poſſe, res certa apud omnes

26. Dubium autem & controverſia ingens eſt, an hi illis ſuccedere in bonis Beneficialibus etiam valeant vi Conſuetudinis; hanc enim, tanquam irrationabilem & corruptelam, impugnant *citt.* Navarrus *de Reddit. Eccleſ. q. 3. monito 11. n. 3.* Caniſius *l. cit. n. 84.* & alii adverſus Conſuetudinem de ejusmodi bonis teſtandi *ad Rubric. præced. n. 37.* relati. Contrà cum Covarruvia & aliis *ibid. n. 38.* pro eadem Conſuetudine allegatis, eam tanquam validam defendunt Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 147. n. 28.* Satmiento *p. 2. de Redit. cap. 6. n.* 1. Petr. Barboſa *in l. Divortio pr. ff. Soluto matr. p. 2. n. 65.* Oliva *de Foro Eccleſ. p. 2. q. 30. n. 1.* & Zœſius *ad hanc Rubric. n. 4.*

Ex quorum pugnantibus Opinionibus, ſicut probabilem utramque, ſic probabiliorem cenſeo ac præfero poſteriorem: etſi, ſicut *l. cit. n. 39.* de teſtandi, ſic quoque de inteſtatis ſuccedendi Conſuetudine, an ita, ut aliqui volunt, latè ſaltem in Germania pateat, non parùm ambigam. Sed utcunque hoc ſit, iisdem rationum momentis, quibus de bonis Beneficialibus teſtandi, clericis inteſtatis in iis ſuccedendi Conſuetudo ſuadetur, & 27.

Confirmatur primò ex *c. Cùm tibi 18.* junctâ Gloſsâ *in Caſu, de V. S.* & *Extravag. 2. Joan. XX. de Elect.* quorum textuum priori hujusmodi Conſuetudo, dum contra eam conceſſum privilegium latè interpretandum, aſſeritur ſine ulla illius reprobatione, non obſcurè à Papa ſuſtinetur ſaltem, ubi adverſus eam privilegium non eſt conceſſum: poſteriori permittitur Conſuetudo, vi cujus beneficii vacantis fructuum pars aliqua ad unum, duos vel plures annos pertineat ad defunctum; ac proinde etiam, ut ab hoc ex Teſtamentaria vel Legitima ſucceſſione ad conſanguineos devolvantur, ſaltem ſi ea ſit tanti temporis, cujus initii memoria non exiſtit, ut *in c. Cùm in officiis 7. de Teſtament.* obſervat Covarruvias *n. 26.* Secundò, paritate cum Conſuetudine teſtandi; cùm enim argumentum ab Expreſſo ad Tacitum Jure validum ſit, per ea, quæ tradit Everard. *Legal. arg. loco 27. n. 1.* Conſuetudo validum reddere poterit, ſicut beneficiati teſtamentum ſive diſpoſitionem ad cauſas prophanas expreſſam, ſic etiam tacitam; ut eo ipsò, quòd quis inteſtatus decedat, relicta ab ipſo bona hi vel illi hæredes

consequantur, ut arguit Molina *cit. n. 28.* Tertiò; quia tali Consuetudine permissâ evitantur plurimæ lites aliáque gravia incommoda, provenientia ex incertitudine, an bona relicta Patrimonialia, an aliunde personæ vel Ecclesiæ intuitu sint quæsita. Quartò; quia hujusmodi Consuetudo in Gallia, Regno Castellæ & alibi de facto viget, testibus *citt.* Petr. Barbosa *n. 6.* Oliva *n. 1.* & præsertim Covarruvia *n. 27.* qui tamen clericos ipsos salubriter hortatur; ut tam gradûs, in quo per sacram Ordinationem constituti sunt & officii sui, quàm Ecclesiasticæ in se benignitatis liberalitatisque memores, Ecclesiarum & beneficiorum suorum intuitu quæsita bona piis in easdem, in pauperes, cæterásque Pias causas largitionibus impendendô, animarum suarum saluti consulere & aliis Fidelibus exemplô prælucere studeant; ne opes, quas ipsis, dum vivunt, in has non largientibus, non capit Christus, rapiat Fiscus: aut, istô non absorbente, beneficiorum non rarò immemores & plerumque ingrati consanguinei absumant. 28.

ARTICULUS III.

De Hæredibus Novitiorum & Professorum Intestatorum.

SUMMARIUM.

29. *Novitius de bonis liberè testatur.*
30. *Ei intestato secundùm aliquos Monasterium:*
31. *Verius proximiores consanguinei succedunt.*
32. *Ori & professo Religionem, successionis incapacem,*
33. *Ejus capacem professo Monasterium succedit,*
34. *Etiam in bonis adventitiis,*
35. *Usufructu tamen in his remanente patri:*
36. *Et, si quem ipse habuit, ad Monasterium transeunte,*
37. *Eidem Monasterium succedit in feudo, cujus capax est;*
38. *In emphyteusi, alienari vetitam potentiorem,*
39. *Et aliquando ad tempus in Majoratu.*
40. *Non etiam in jure Retractûs Consanguinitatis:*
41. *Licet præsentandi jus acquirat.*
42. *Res professo delatas Monasterium mediatè secundùm aliquos:*
43. *Verius immediatè acquirit,*
44. *Aut, profitentem cogit ad acceptationem,*
45. *Ejúsque nolentis defectum supplet.*
46. *Legitimam filio Religionem professus pater,*
47. *Et huic filius professus debet:*
48. *Eámque præstat post professionem in Religione successionis incapaci:*
49. *Imò etiam in capaci emissam.*

A Religioso Ordinis Novitius bona sua testamentô, donatione, aut cessione aliâ in Monasterio, consanguineos, aliósve pro suæ voluntatis arbitrio transferri posse, DD. unanimis & *Tit. 31. à n. 46.* declaranda sententia est.

Non etiam, an & quis ei, sine testamentaria aliáve dispositione decedenti, succedat; cùm non desint, qui cum Ant. de Butrio *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 44.* Decio *ibid. n. 284.* Claro *§. Testamentum q. 28. n. 6.* ejus bona Monasterio addicant, hæredibus ab intestato venientibus exclusis; quòd ex una, No-

ta, Novitius ipsô Religionis ingreſſu, & perſeverantiâ in ea ipsô obitu conſummatâ perſonam ſuam & in conſequentiam, ſua quoque bona Monaſterio tacitè ſeu ipsô factô dedicârit: ex altera verò parte, ſi ſe ſuáque dedicâſſet expreſsè, ejus bona Monaſterio, non conſanguineis ab inteſtato ſuccedentibus, obvenirent. Cùm ergo expreſſi & taciti eadem vis idémque judicium ſit, *l. Cùm quid 3. ff. Si cert. petat.* in Religione uſque ad obitum perſeverantis bona, tanquam acceſſoria perſonæ, Monaſterio cedent, Cui rationi non leve pondus addit; quòd Novitius, quamdiu à Religione non recedit, perſona Eccleſiaſtica & Religioſa reputetur, Foríque & Canonis privilegiis profeſſorum inſtar defendatur. Unde æquum, ajunt; ut quemadmodum iſtorum, ſic & Novitii inteſtati bona Monaſterio relinquantur.

31. Verùm, quia Novitius neque ſuo in Religionem ingreſſu vel habitûs aſſumptione, neque morte ipſa verus Religioſus cum effectu evaſit; cùm talem ſola profeſſio efficiat, *c. Porrectum 13. de Regular. & c. Religioſo 21. §. Quamvis de Sent. excom. in 6.* neque in Monaſterium bona ſua ultimâ voluntate aliáve diſpoſitione validâ contulerit: de iísque, ſi ſupereſſet, quavis ratione diſponere liberè poſſet, ab ejus bonis conſanguineos removendos, ulla ratio non evincit, ut cum Panormit. *in c. In præſentia cit. n. 68.* Beroio *ibid. n. 552.* Franco *in Rubr. de Teſtament. in 6. n. 67.* Navarro *Comment. 2. de Regular. n. 49.* obſervat Gutierez *Lib. 2. QQ. Canon. cap. 1. n. 101.* Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 140. n. 2.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 3. n. 92.* quocum Palao *Tract. 16. diſp. 1. p. 16. n. 1.* Monaſterium à conſanguineis, non deſcendentibus duntaxat & aſcendentibus, ſed collateralibus quoque ita excludi ait; ut, ſi ultimâ voluntate alióve modô legitimô aliquid ſibi relictum non probet, nec Legitimam conſequatur; cùm Monaſterium locô Filii Novitio eſſe nuſpiam ſit expreſſum: imò, ſeclusâ prævia conventione, alimentorum expenſas petere non poſſit; cùm hoc quoque ullô Jure cautum non ſit, ídque caveri non fuerit conveniens; ne eas refundendi obligatione ad ſeculum redeundi libertas adimeretur vel minueretur.

Neque hanc de ſucceſſione in bonis Novitii reſolutionem convellit in contrarium adducta ratio; cùm enim Novitius ingreſſu & habitûs ſuſceptione Religioni ſe ſolummodo ad probationem, non abſolutè tradiderit: & ipſa etiam mors hujusmodi traditio non ſit, neque cum effectu Religioſum efficiendi, neque ab inteſtato venientes excludendi vim habebit. Neque refert; quòd Novitius Fori & Canonis privilegiis defendatur; quia utrumque hoc privilegium competere poteſt ei, qui Religioſus & Clericus actu non eſt: & Monaſterio non confert jus Novitii perſonam & bona retinendi. Hæc de Religionis Novitiis.

De ejus Profeſſis & veris Religioſis, 32.
qui de bonis ſuis ante Profeſſionem non diſpoſuerunt, à DD. recepta & Regulæ inſtar notanda eſt diſtinctio inter eos, qui Monaſterium ſive Religionem ſucceſſionis capacē & qui incapacem ſunt ingreſſi; cùm, ſi ejus incapacem, ut eſt Religio & Monaſteria S. Franciſci FF. Minorum, qui de Obſervantia vocantur, & Capucinorum, ſecundùm *Clement. Exivi 1. de V. S.* uti etiam quoad ſucceſſionem ab inteſtato quæcunque Domus, Eccleſiæ & Collegia Societatis JESU; quantumvis enim iſtius Scholaſtici & Coadjutores nondum Formati cujuscunque ſucceſſionis capaces ſint, Domus tamen, Eccleſiæ & Collegia ipſius in bonis ſuorum

Religio-

Religioſorum inteſtatorum ſuccedendi jure carent, ſecundùm *Conſtitut. p. 6. cap. 2. §. 12.* Congreg. Gen. III. *can. 4.* & Apoſtolicam *Conſtitutionem* Gregorii III. quæ incipit *Aſcendente, 8.* Cal. Junij 1582. & 84. editam: ſi, inquam, ſucceſſionis incapacem Religionem ingreſſi ſint, & ante Profeſſionem nihil diſpoſuerint, bona eorum omnia ab ipſa Profeſſionis die ad proximos conſanguineos aliósque hæredes ab inteſtato devolvi perinde, ut, ſi ante naturali morte defuncti eſſent, communis omnium ſenſus & certa doctrina eſt; quia, cùm talis ſe ſpoliet omni dominiò & poſſeſſione: & hæc in Monaſterium propter ejus incapacitatem non tranſeant, de Jure, ne dominô careant, ad alios ſcilicet hæredes ab inteſtato devolventur, Panormit. *in c. In præſentia cit. n. 62.* Felinus *ibid. n. 50.* Baldus *in Auth. Ingreſſi C. de SS. Eccleſ. n. 38.* Clarus §. *cit. q. 28. n. 7.* Molina *Tract. cit. diſp. 39. n. 5.* Leſſius *Lib. 2. de I. & I. cap. 41. n. 86.* & Sanchez *cit. Lib. 7. cap. 35. n. 11.*

33. Si verò Religionem ſucceſſionis capacem ingreſſi & inteſtati decedant, eorum bona, quocunque titulô quæſita ſint, omnia tranſeunt ad Monaſterium, *Auth. Ingreſſi cit. Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccleſ. Novell. 5. cap. 5. Novell. 123. cap. 38. can. Quia ingredientibus 7. & can. Si qua mulier 9. pr. 19. q. 3.* ita tamen; ut liberis, ſi quos habent, Legitima ſit relinquenda, *Auth. & can. Si qua & cap. 38. citt.* Ratio, cur hujusmodi Religionem profeſſis ſuccedendi jus Monaſterio conceſſum ſit, eſt; quòd æquitas dictet; ut, cujus obſequio Divino mancipatur perſona, etiam huic acceſſoriæ res Deo ejúsque cultui conſecrentur: & bona potiùs cedant Monaſterio, à quo ille neceſſaria vitæ alimenta eſt percepturus: quàm aliis, quorum neque debitor eſt, neque ulla vitæ ſubſidia ab ipſis recepturus, Panormit. *in c. cit. n. 77.* Sylveſter *V. Religio 6. q. 2.* Navarrus *Comment. 2. cit. n. 50. citt.* Molina *diſp. 140. n. 3.* Leſſius *n. 82.* & Sanchez *cap. 12. n. 9.* Quæ ſicut ſatis certa, ſic

Dubium & controverſia eſt de variis bonis ac juribus, an & quâ ratione Profeſſione Religionis ſucceſſionis capacis in Monaſterium ab inteſtato tranſ... rantur.

Et primò quidem de peculio Adventitio filiifamilias: quod cum ipſo hujusmodi Religionem profeſſo ad Monaſterium tranſire, extra controverſiam eſt, propter textus *citt.* An verò in eo ... ſumfructum, quem antè habuit, pat... profeſſionem pater retineat, dubium & dubitandi ratio non levis eſt; quòd illi à filio editâ ceſſet patria poteſtas: quæ, cùm cauſa ſit acquiſitionis hujusmodi ... ſùsfructûs, iſte ceſſabit poſt profeſſionem, *arg. c. Cùm ceſſante 60. de Appell.* Ita cum Covarruvia *in c. Quia ingredientibus 2. de teſtament. n. 9.* Fachineus *Lib. 1. Controverſ. cap. 12.*

Verùm, quia Uſufructus iſte, ... cet in fieri à patria poteſtate pendeat, tamen ceſſante conſervari poteſt, *l. fin. §. 1. C. ad SC. Tertull.* propter reverentiam patri adhuc debitam: & in ... tendô uſufructu non domini, ſed uſufructuarii mors attenditur, *l. Si patri 7. 1. C. & §. fin. Inſtit. de Uſufructu*, ... tò minùs attendetur mors Civilis, quæ contingit per profeſſionem. Quæ, ... cet peculium adventitium ad Monaſterium tranſeat quoad proprietatem, patrem tamen in ſeculo manentem uſufructu, in eo ſibi antè competente, ... profeſſione non privari, cum Decio *in c. In præſentia cit. à n. 247.* Navarro *cit. Comment. 2. n. 55.* Rodriquez *Tom. 3. Regular. q. 16. art. 4.* meritò defendunt *citt. Lib.*

citt. Lessius *n. 84.* & Sanchez *cap. 13. n. 39.*

Secundò de Usufructu, tam Legali, quem in bonis adventitiis filii in seculo manentis ex legis dispositione pater habet, quàm Conventionali, sive qui alicui competit ex donatione, venditione aliáve conventione; & aliquando ex ultima voluntate: quem utrumque professione in Religione successionis incapace à patre aliove Usufructuario editâ, extingui & cum proprietate consolidari, convenit inter DD.

36. Idem dicendum, si is profiteatur Religionem successionis capacem, cum Glossa *in can. Si qua mulier cit. V. Non exantibus*, existimat Fachineus *Controvers. Lib. 6. cap.* 12. §. *Ego puto*, & suaderur tergeminâ ratione. Primò; quòd professus quasi mortuus censeatur, *can. Placuit, 16. q. 1.* Usufructus autem usufructuarii morte extinguatur, §. *fin. Instit. de Usufructu.* Secundò; quòd usufructus manere nequeat in persona ipsius professi, propter votum Paupertatis: neque ab ea in Monasterium transferri; cùm sit jus Personale, & ab usufructuario transferri nequeat, nisi in dominum proprietatis, *l. Si usufructus 66. ff. de Jure Dotium.* Tertiò, paritate cum pensione: quam Pensionarii professione, sicut morte naturali, extingui, ex recepto stylo Curiæ Romanæ docet Gigas *de Pensionibus q. 57. n. 5. arg. c. Beneficium 4 de Regular. in 6.*

Nihilominus Usumfructum professione non extingui, sicut communior, sic verior est doctrina, quam cum Glossa *in Auth. Ingressi cit. V. Dedicant & in c. In præsentia cit.* cum Innocentio *n. 5.* Joan. Andr. *n. 16.* Hostiensi *n. 8.* Navarro *Comment. cit. n. 38.* & aliis Interpp. ac DD, magnò numerò congestis defendunt Sanchez *cit. Lib. 7. cap. 13. n. 48.* Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 13. n. 6.* & Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 4. §. 1. n. 3.* propter generalitatem *Auth. Ingressi cit.* à professo, sicut se, sic sua quoque sine distinctione & exceptione Deo dedicari, asserentis: &, quia favet Religioni, latam interpretationem admittentis, *arg. l. Sunt personæ 41. ff. de Relig. & sumpt.* Quare ususfructus primùm finietur morte naturali professi: nisi relictus esset ipsi ejúsque hæredibus; hoc enim casu quia novus ususfructus in Monasterio constitutus esset, à professi morte centum annis duraret, sicut alius ususfructus Monasterio relictus, *arg. l. An ususfructus 56. ff. de Usufructu, cit.* Sanchez *cap. 13. n. 5.* Unde

Prior ratio in contrarium allata planè corruit; quia morti Civili non eandem usûfructûs extinguendi vim inesse, suadetur ex *Auth. cit.* Neque urget altera; quia ususfructus penes Monasterium manere potest sine vera transmissione vel translatione; cùm reipsa Monasterio per professionem solummodo communicetur; ut ususfructus, qui antè à professo in particulari, postea ab ipso possideatur cum communitate, cui per professionem est incorporatus. Multò minorem vim habet paritas cum Pensione; cùm hanc extingui exigat favor Ecclesiæ, cui expedit beneficia libera esse: non item extingui usumfructum, Palao *Tract. cit. disp. 3. p. 4. §. 1. n. 4.*

Tertiò de Feudis: quæ, si Franca 37.
sive libera à servitio, vel hoc Reale sit, aut per substitutum præstari valeat, ad Monasterium transire, cum Panormit. *in c. In præsentia cit. n. 69.* Navarro *cit. n. 55.* Claróque §. *Feudum, q. 78. n. 1.* & aliis defendunt *citt.* Molina *disp. 140. n. 15.* Lessius *cap. 41. n. 84.* & Sanchez *cap. 15. n. 36.* eâ ducti ratione; quòd à Regulâ generali, bona professi omnia ad

Monasterium transire permittente, feuda non sint excepta. Etsi verò hoc ita, & Regulæ instar sit, Monasterium succedere in omni feudo, quod etiam pro fœminis est concessum, & ex natura vel institutione sua ipsum specialiter non excludit, *cit.* Sanchez *n. 38.* juxta dicta *Tit. 20. à n. 50.* Religiosô tamen, cujus professione ad Monasterium transiit, vitâ functô, feudũ ad alios, investituræ tenore ad id vocatos: &, his non superstitibus, ad dominum directum revertitur, *citt.* Clarus *q. 78. n. 3.* & Sanchez *n. 46.*

38. Quartò, de Emphyteusi, saltem concessâ sub conditione; ne ad Ecclesiam vel personam potentiorem transferatur: cujusmodi conditionem licet Felinus *in c. In præsentia cit. n. 36.* & Sylvester *V. Emphyteusis, q. 20. n. 27.* & *cit.* Sanchez *cap. 15. n. 65.* exaudiendam velint de translatione voluntaria & directa: non de indirecta, quæ fit cum translatione personæ, & ex dispositione legis bona transferentis: verisimiliùs tamen Bartholus *in Auth. ingressi cit. §. 2. n. 19.* Baldus *ibid. n. 31.* Barbatia *in c. In præsentia cit. n. 121.* & Palao *cit. disp. 3. p. 4. §. 3. n. 8.* eam de qualibet translatione accipiendam volunt; partim propter paritatem Majoratûs, similem clausulam habentis: & propterea ad Monasterium non transeuntis, etiam indirectè: partim verò; quòd etiam indirecta & in consequentiam personæ facta translatio repugnet fini, intento per ejusmodi clausulæ appositionem; ne scilicet propter Ecclesiæ privilegia aut emphyteutæ potentiam durior fiat conditio domini proprietatis, & ratione emphyteusis debita difficiliùs consequatur.

39. Quintò de Majoratu: in quo locus, imò opus est aliquâ distinctione: & quidem, si Majoratus sit ex iis, qui summam dignitatem, ut Regnum, Ducatus & similes, aut jurisdictionem temporalem in aliquod oppidum annexam habent: uti &, si ad agnationem & familiæ conservationem vel cum onere nomen familiæ & istius arma atque insignia deferendi institutus, vel in ejus institutione adjecta sit alia clausula Religionem excludens, isti Religionem profesto Monasterium (etiam aliàs successionis capax) non succedere, sed Majoratum à die professionis ad proximum agnatum devolvi, communis sensus est DD. & ostenditur *à cit.* Sanchez *cap. 15. n. 5. & 22.* Si verò ejusmodi summam dignitatem, jurisdictionem aut onus annexum non habeat, neque agnationis & familiæ favore & sine clausula Monasterium excludente institutus sit, pariter recepta eorundem doctrina est, eum cum professo ad Monasterium successionis capax transire; ut, quamdiu ille vivit, Majoratûs commoditatem totam Monasterium percipiat: & illô primùm naturaliter mortuô ad proximum agnatum devolvatur, Tapia *in Auth. Ingressi cit. V. Sua, cap. 16. n. 9.* Molina ICT.[9] *Lib. 1. de Primogen. cap. 13. n. 93.* Molina Theologus *cit. Tract. 2. disp. 623. n. 3.* & Sanchez *cap. 15. n. 16.*

Sextò, de jure Retrahendi rem alienatam extra familiam, ratione sanguinis competente ante professionem: quod ad Monasterium cum illo non transire, cum Tiraquello *de Retractu gentil. §. 1. gloss. 8. n. 19.* docent *citt.* Sanchez *cap. 14. n. 26.* & Palao *p. 4. §. 2. n. 5.* res Retractui obnoxia alienetur extra familiam, scilicet in Monasterium: cui, non sibi ac familiæ, rem retractam monachus acquirit.

Septimò de jure Patronatûs; hoc enim ad Monasterium non transire, sed penes ipsum professum remanere, imò ipsum professum remanere, imò ipsum professum remanere, imò

ſtimabilis, atque idcirco voto Paupertatis non repugnet. Sed obſtat *Auth. Ingreſſi cit.* & alii textus adducti: ſecundùm quos profeſſi bona & jura omnia in Monaſterium transferuntur. Quam obrem cum ipſo ad hoc tranſibit etiam Patronatus ſeu præſentandi jus, tam Perſonale quàm Reale: niſi ex diſpoſitione fundatoris penes familiam debeat remanere, vel annexum ſit Majoratui &c. qui ex natura & inſtitutione ſua Monaſterium excludat, Lambertinus *Lib. 2. de Jure patron. p. 1. q. 2. art. 10. n. ult. citt.* Sanchez *à n. 2.* & Palao *n. 3.*

42. Dubium ſecundò, & inter utriusque Juris Interpp. ac DD. controverſia celebris eſt, an Religionem ſucceſſionis capacem profeſſo delata hæreditas vel legatũ Monaſterio acquiratur immediatè, vel ſolùm mediatè, putai mediante ipſius profeſſi aditione vel acceptatione; ut, iſtô illam adire vel hoc acceptare renuente, Monaſterio nihil acquiratur. Mediatè tantùm Monaſterio acquiri, Menhaca *de Succeſſ. creat. Lib. 3. §. 11. n. 25.* Fachineus *Lib. 6. Controverſ. cap. 16.* & alii deſumunt imprimis ex *l. Deo nobis 56. de Epiſc. & Cleric.* quâ deciſum eſt, monachos in omnem parentum ſubſtantiam ſuccedere, profeſſione Monaſticâ non obſtante. Deinde; quòd monachus comparetur ſervo, cui delata hæreditas, ſi hanc ipſe adire nolit, domino non acquiritur, *l. Cùm proponas 3. C. de Hæred. inſtit.* Demum; quòd neceſſitati aditionis ipſius profeſſi non obſtet defectus proprii Nolle ac Velle: cùm, licet ejus aditionem aut acceptationem à ſuperioris voluntate dependentem reddat, non tamen faciat; ut ejus aditio vel acceptatio neceſſaria non ſit, ad hæreditatem vel legatum Monaſterio acquirendum.

43. Sed Jure & ratione meliori DD. alii monacho delatæ hæreditatis & legati acquiſitionem immediatam Monaſterio adſtruunt; quòd exploratum omnino ſit, ipsâ profeſſione bona & jura monachi omnia, omnémque ejus voluntatem in Monaſterium transferri, *Auth. Ingreſſi cit. can. Nolo 11. can. Non dicatis 13. §. Cùm hujus, 12. q. 1. c. Si Religioſus 27. pr. de Elect. in 6. &c.* ac proinde etiam jus & voluntatem adeundi delatam hæreditatem & legatum acceptandi. Ita cum Panormit. *in c. In præſentia cit. n. 7.* Beroio *ibid. n. 558.* Lambertino *cit. p. 1. & n. 1.* Rodriquez *Tom. 2. Regular. q. 77. art. 1.* laudati Molina *cit. diſp. 140. n. 19.* & Sanchez *cap. 12. n. 40.* quorum doctrinam amplexi ſunt multi ex ICT.is &, qui non amplectuntur, Religioſum renuentem, ſicut ad alia Monaſterio utilia, ſic etiam ad hæreditatem adeundam & acceptandum legatum, cùm præceptô tum etiã pœnis compelli poſſe, volunt cum Speculat. *Tit. de Statu Monach. §. Unico, n. 12.* Fulgoſo *in l. fin. §. Hoc etiam, C. de Epiſc. & Cleric. n. 3.* & aliis. Si verò, his inſuper habitis, adire vel acceptare contumaciter nollet, ejus tanquam ſubditi ſui negligentiam ſuppleri, & Monaſterio proveniens damnum reparari à Prælato poſſe, exiſtimant *citt.* Sanchez *n. 42.* & Palao *p. & n. 5.* ne ipſius contumaciam Monaſterium luat, contra *Reg. Delictum 76. in 6.* 44.

Neque, ea Monaſterio tantùm mediate acquiri, evincunt allata argumenta. Primum; quia, licet ex *l. Deo cit.* rectè probetur, Profeſſione Suitatis & ſuccedendi jus non amitti, hoc tamen ipſi monacho competere, non infertur; cùm omne ipſius jus & voluntas in Monaſterium ſint translata. Alterum; quia monachus, licet ſervo comparetur quoad ipſam acquiſitionem, quatenus quidquid acquirit, Monaſterio acquirit, quoad

modum tamen acquirendi comparatur filiofamilias, cui delatam hæreditatem adire, ipsô nolente, pater potest, *l. fin. C. de Bonis, quæ liberis.* Ergo etiam professo delatam hæreditatem adire poterit Monasterium; quia professus nunc servo, nunc filio comparatur in favorem Monasterii, prout huic utilius est, *arg. Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* Monasterio autem utilius est, professum quoad substantiam servo, quoad modum autem acquisitionis filiofamilias comparari, *citt.* Molina *n. 19.* & pulchrè Sanchez *cap. 12. n. 40.* Postremum; quia hôc ipsô; quod, juxta dicta, sicut alia, sic etiam adeundi jus & voluntas translata sint ad Monasterium, hæreditas adiri ab isto sine illo & immediatè potest. Unde

Infertur primò, hæreditatem adiri à Monasterio posse, etiamsi professus, cui illa delata est, inciderit in amentiam, Baldus *in l. fin. §. Hoc etiam, C. de Episc. & Cleric. n. 7.* & *cit.* Sanchez *n. 43.* Secundò hæreditatem, delatam professo
45. viventi, adiri à Monasterio posse etiam post illius mortem; quia per ipsam delationem Monasterio jam acquisitum est jus adeundi: quod proinde deduci valet ad effectum, Covarruvias *in c. 1. de Testament. n. 31.* & pluribus aliis DD. relatis *cit.* Sanchez *n. 44.*

46. Dubium tertiò est de legitima: quam liberis in seculo relictis à parentibus religionem professis deberi, est dictum. An etiam istis in seculo manentibus relinquenda est à liberis professis Religionem. Id certè cum Glossa *in can. Si qua mulier cit. V. Non extantibus*, negant Francus *in Rubric. cit. n. 66.* & Ubald. *de Succes. ab intest. p. 2. n. 14.* Moventur *Auth. & can. Si qua citt.* textibus, quibus de solis liberis sive descendentibus est sermo. Rationem reddunt; quòd professo Monasterium fictione Juris loco Filii sit, *c. In præsentia cit.* ascendentibus autem à liberis suis nihil debeatur, quando hi filios sive liberos relinquunt, *Novell. 118. cap. 1.*

Sed melius *in c. In præsentia cit.* cum Innocentio *n. 6.* Hostiensi *n. 11.* & Panormit. *n. 53. citt.* Guttierez *cap. 1. n. 95.* Molina *disp. 140. n. 10.* & Sanchez *cap. 9. n. 11.* etiam parentibus in seculo relictis Legitimam Jure competere, defendunt; quòd *Auth. cit.* inde que desumpti &, juxta dicta *Tit. 26. n. 25.* ab Ecclesia tacitè approbati *can. Si qua mulier cit.* dispositio à liberis pottigenda sit ad parentes; quia ex una, ficut illi respectu parentum, sic isti, deficientibus descendentibus, hæredes Necessarii sunt liberorum, *cit. Novell. cap. 2.* ex altera verò parte, Monasterium pro Filio ad excludendum substitutum, *c. In præsentia cit.* non haberi, *cit. Tit. 26. n. 213.* est ostensum: &, si *c. cit.* ad istius exclusionem haberetur pro filio pro tali tamen non haberetur ad Necessarios hæredes, ut sunt parentes, excludendos; quia hoc ullô Jure expressum non est. Quare, cùm talis professus revera careat liberis, ab eo legitima parentibus debetur.

Dubium quartò est, an Legitima liberis (eadem ratio parentum in seculo relictorum est) debeatur statim post professionem, ante mortem patris naturalem. Eam, si professio edita sit in Religione successionis incapaci, statim deberi, plerique facilè concedunt, & expressè tradunt Grassus *de Succes. ab intest. §. Legitima, q. 12. n. 7. cit.* Guttierez *cap. 1. n. 93.* & Sanchez *cap. 10. n. 1.* Si verò ea in Ordine illius capaci edita sit, Legitimam ante mortem non deberi, cum Glossa in *Auth. Si qua mulier cit. V. Moriatur*, Felino *in c. In præsentia cit. n. 56.* & aliis

JCti 10.

JCT.is volunt *citt.* Guttierez *à n. 79.* & Rodriquez *q. 80. art. 2.* ducti textu *Auth. & can. Si qua citt.* quib⁹ dicitur, patre poſt ingreſſum & ante factam inter liberos diviſionem mortuô, filios Legitimam percepturos. Unde hanc, illô nondum mortuô, non percipi, argumentô à contrario ductô, clarè infertur. Rationem dant; quòd Legitima filiis non debeatur à patre ſuperſtite, *l. 1. §. 21. ff. de Collat. bonorum*; cùm debeatur jure ſucceſſionis, *c. Cùm ſimus 14. de Regular.* ibi *Quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt*: ſucceſſio autem & hæreditas viventis non ſit, *l. Qui ſuperſtitis 94. ff. de Adquir. hæred.* quibus juribus contrarium diſpoſitum non repetitur.

49. Hâc tamen, quantumvis magnâ ratione ſuffultâ, Opinione verior eſt Oppoſita, Legitimam poſt profeſſionem ſtatim deberi, ſuſtinens & colligens ex *c. Cùm ſimus cit.* quo Cœleſtinus III. de filio, qui cum patre ſuo monachalem habitum induerat, in hæc verba reſcripſit: *Si ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, ipſi liberum erit, eum dimittere & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt*, ſive legitimam, *poſtulare*. Neque, *a. cit.* patrem jam fuiſſe mortuum dici ſine divinatione, imò falſitate, poteſt, partim; quia textus patris mentionem facit, omiſſâ particulâ *Quondam*, apponi ſolitâ, cùm de mortuis eſt ſermo, ut notant & *ex c. Cùm contra 6. de Pignorib. c. Ex parte 15. de Foro compet.* &c. probant Panormit. *in c. Cùm ſimus cit. n. 6.* & Fagnanus *n. 8.* partim verò; quia Legitimam intra decem hebdomades ab edita profeſſione, &, cùm pater non febri ſed ſolummodo leprâ, minùs periculosô, laboraret, petitam conſtat ex integra lectione à Fagnano *l. cit.* relata. Confirmatur; quia vi *Auth. & can. Si qua citt.* pater Religionem profeſſus bona ſua diſtribuere poteſt inter liberos: quod ei, ſi bona à monaſterio usque ad mortem retineri poſſent, permitti non deberet.

Neque obſtat ex eadem *Auth. & can.* ductum argumentum in contrarium; quia huic argumento locus non eſt, ubi eô illati contrarium expreſſum eſt Jure, *arg. c. A. nobis 28. de Sent. excom. ubi* Panormit. *n. 4.* & Felin. *n. 2.* præſertim poſteriori, *c. 1. de Conſtitut. in 6.* ſicut id, ſcilicet legitimam poſt profeſſionem ſtatim deberi, expreſſum eſt *c. Cùm ſimus cit.* Neque etiam huic Reſolutioni obſtant verba, *Quæ proveniunt ex ſucceſſione*; quia monachi etiam viventis ſucceſſio datur, ut *in c. cit.* advertunt Barboſa *n. 3. & cit.* Fagnanus *n. 9.* cùm regulariter profeſſio morti naturali æquiparetur, *can. Placuit, 16. q. 1.* &, quando ex utraque morte idem effectus reſultat, diſpoſitum de caſu mortis Naturalis, verificetur de caſu mortis Civilis, *arg. l. Deo nobis 56. §. 1. C. de Epiſc. & Cleric.* Cùm ergo, ſicut per Naturalem, ſic etiam per Civilem mortem, quæ per profeſſionem obitur, patria poteſtas & filii gubernatio ſolvatur, poſt hanc legitima filiis ſtatim debita erit, ſicut poſt illam, Anchoranus *in c. Cùm ſimus cit. n. 2.* ne totô vitæ paternæ tempore alimenta petere cogatur: quod utique nimis durum foret, ut rectè advertit *cit.* Sanchez *cap. 10. n. 3.* à liberis in ſeculo relictis legitimam ſtatim peti poſſe, plurimis iisque præcipui nominis TT. & JCT.is congeſtis, latè propugnans.

TITVLVS XXVIII.

De Sepulturis.

TEstatorumInteſtatorúmque Succeſſionibus & Parochiis congruè ſatis interjiciuntur Sepulturæ; cùm, ſicut defunctorum ſupremus honos, ſic non poſtremum ſint ex juribus Parochiarum: quarum ſacro ſinu illorum excipiuntur corpora, & animæ ſuffragiis adjuvantur.

ARTICULUS I.

De Sepultura ſacra, & Perſonis eâ indignis.

SUMMARIUM.

1. *Supremus honos defunctorum eſt tumulatio,*
2. *In cæmiterio aliôve loco ſacro:*
3. *Ex quibus excluduntur nondum Baptizati, etiam Catechumeni,*
4. *Et ex baptizatis Excommunicati,*
5. *Saltem non tolerati ſeu Vitandi:*
6. *Interdicti, ſi ſint denuntiati:*
7. *Suicidæ,*
8. *Si violentas manus ſibi ſponte intulerunt:*
9. *Occumbentes in torneamentis, vel duello:*
10. *Manifeſti Uſurarii, Raptores & ſimiles alii:*
11. *Religioſi Proprietarii & Blasphemi.*
12. *Admittuntur ad eam ultimò ſupplicio affecti:*
13. *Niſi eorum corpora Magiſtratus præſtare jubeat.*
14. *Quod introductum eſt Conſuetudine,*
15. *Ad aliorum terrorem morte punitos,*
16. *Et aliquando ejus reos loco infami addicente.*
17. *Pœnæ ſepulturâ ſacrâ honoratorum eâ privatos.*

EX ritibus, quibus defunctorum corporibus ſupremum officium pendere Gentes conſueverunt, cæteris antiquior uſúque frequentior & rerum naturæ conformior eſt tumulatio ſive ſepultura: per quam homo redditur humo: & in cineres reſolutum corpus revertitur in terram, è qua fuit aſſumptum, Geneſ. *cap. 3. v. 19.*

Sed, licet intra extráque civitates & oppida, non tamen temere quâcunque, ſed à Chriſtianis præſertim Sacrâ humo, cæmiteriis, cryptísque: & Epiſcopi ſaltè, Abbates, digni Presbyteri ac Fideles, hoc eſt, vitæ ſanctitate & dignitate conſpicui, laici in ipſis Eccleſiis, *can. Cùm graviàtr. & can. Nullus, 13. q. 2.* aut iſtarum veſtibulis, cryptis ac porticibus ſepeliebantur, ut in *c. 1. hîc n. 8. & in c. Conſuluiſti 7. de Conſec. Eccleſ.* Gonzalez *n. 2.* adnotavit. Quod ita intro-

ita introducendi ratio fuit partim; quòd fideles piè crederent, se Inferni tenebras facilius evasuros meritis & patrociniis sanctorum, quorum ossibus sua sociarent, S. Ambrosius *Homil. 6. de Sanctis*: partim verò, ut participes fierent sacrificiorum; quæ in Ecclesiis offeruntur: & vivorum eas ingredientium Charitas ad fundendas pro requiescentium ibi defunctorum animabus preces excitaretur, *can. Cùm gravia cit.* & denique partim etiam; ut fideles, Ecclesias per cæmiteria adeuntes, commonefierent mortalitatis & futuri exitûs sui ex hac vita: quâ nulla est salubrior cogitatio, Eccles. *cap. 7. v.* 40. ob hanc enim vel maximè causam cæmiteria in aditu urbium (& templorum) collocata fuisse, notat S. Chrysost. Homil. *de Fide & lege Naturæ.*

3. Neque tamen quorumcunque, sed baptizatorum & fidelium duntaxat corpora in Ecclesiis, cæmiteriis, cæterisque ejusmodi locis tumulari permittuntur, *can. Ecclesiam 26. & 26. dist. 1. de Consecrat.* Unde è sepultura Ecclesiastica excluduntur non solùm Pagani & Judæi, sed etiam Hæretici, *can. fin. 24. q. 2.* eorúmque in crimine hæreseos credentes, receptatores, defensores ac fautores *can. cit. & c. Excommunicamus 13. §. Credentes V. Sanè, de Hæreticis*: uti & infantes Christianorum, qui decesserint sine Baptismo, ut docet Ecclesiæ praxis quotidiana: nisi proles mortua sit in ventre matris pariter defunctæ; eam enim non exsecandam, sed cum ista sepeliendam, cum Glossa *in can. Si quidquid 33. dist. 4. de Consecrat.* tradit Sylvester *V. Sepultura q. 10. d. 1.* quòd fœtus sit pars ventris sive matris, *l. 1. §. 1. ff. de Inspiciendo ventre.* Imò etiam Catechumeni, ut ex communi DD. sensu tradit & S. Ambrosii authoritate firmat Laiman. *Lib. 3. tract. 5. cap. 12. n. 11.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 62.* quòd, quamvis Ecclesia pro eis oret, nondum tamen eam ingressi sint per Baptismum,

4. Ex baptizatis etiam & Orthodoxis plura hominum genera sepulturâ Ecclesiasticâ sanctionibus Ecclesiasticis privantur: & primò quidem Excommunicati, saltem vitandi: etiamsi Contritionis signa ante obitum dederint, *c. Episcoporum 8. de Privileg. in 6. & c. Sacris 9. hâc Rubr.* ubi excommunicati, si in cæmiterio Ecclesiastico sepulti sint, & discerni possint, exhumari jubentur; ut, quibus non communicamus Vivis, nec defunctis communicemus. Si tamen antè signa pœnitentiæ dedissent, & quò minùs reconciliarentur, per eos non stetisset, etiam post mortem absolvendi & sepulturæ Ecclesiasticæ, sed non ante absolutionem, mandandi essent, *arg. c. Anobii 28. de Sent. excommunicat.*

5. Dixi, *Saltem vitandi*: cujusmodi notorii clericorum percussores & publicè ac nominatim denuntiati tantùm sunt, post Concilium Constantiense, in eóque à Martino V. editam *Constitutionem*, quæ incipit, *Ad evitanda scandala.* Idem de cæteris sive non Vitandis *ad hanc Rubr.* tradunt Zœsius *n. 9.* & Engel. *n. 19.* quòd *cit. Constitutione* nullus favor indultus sit ipsis excommunicatis. Sed frequentiori calculô alii tales, si datis pœnitentiæ signis decesserint, in loco sacro sepeliri posse, docent cum Navarro *ad hanc Rubr. Consil. 4.* Henriquez *Lib. 13. cap. 11. n. 3.* & Suarez *de Censuris disp. 12. s. 4. n. 5.* quòd *cit. Constitutione* Fidelibus communicatio externa cum ejusmodi excommunicatis permissa sit, inter vivos & mortuos non distinguendô: & Jure etiam antiquiori ea, quæ fit in sepultura, non magis quàm alia communicatio prohibita fuerit.

Neque obstat; quòd *cit.* Constitutio non fa-

non faveat ipsis excommunicatis; quia sepulturæ permissio propriè non cadit in ipsos excommunicatos; cùm sepelire se ipsi non possint: sed in alios fideles, quibus, sicut omnis alia, sic etiam sepulturæ Ecclesiasticæ communicatio prohibita antè, & post dictum Concilium permissa fuit, Suarez *l. cit.*

Etsi verò hæc ita se habeant, ob loci tamen Sacri & divinorum Officiorum reverentiam, majorémque fidelium pro ipsis suffragia offerentium securitatem, etiam excommunicatis toleratis & cum signis pœnitentiæ decedentibus, antequam in loco sacro sepeliantur, absolutionem impendi expedire, censet Palao *Tract. 29. disp. 2. p. 6. n. 12.*

6. Secundò, à Sacrâ sepulturâ excluduntur notorii & denuntiati Interdicti, *c. Episcoporum cit. & Clement. 1. hâc Rubric.* junctâ *Constit. cit.* nisi eos signa pœnitentiæ dedisse, constet aut rationabiliter præsumatur, Sairus *Clavis Regiæ Lib. 5. cap. 8. n. 22.*

7. Tertiò, qui ferrô, venenô, laqueô, præcipitiô in puteum aut flumen &c. mortem sibi ipsi intulerint, *can. Placuit. 23. q. 5.* Neque solùm, si conscientiâ criminis perpetrati: sed etiam, si tædiô vitæ, doloris impatientiâ, irâ, desperatione id fecerint, Farinac. *Prax. Criminal. q. 128. n. 17.* ex eo Guazzinus *Defens. Reor. 39. cap. 2. n. 2.* Suicidæ cadaver, si per ignorantiam in loco sacro sepultum fuisset, compertô errore exhumandum & extra locum sacrum projiciendum, asserentes. 8 *Sponte*, inquam; quia sacrâ sepulturâ privandi non sunt, qui casu vg. dum aquam haurirent ex puteo, in eum prolapsi sunt: vel furore, amentiâ aut aliâ mentis alienatione, vel dum incendii, insidiarum, aut alterius vitæ aut etiam pudicitiæ periculi effugiendi causâ in flumen aut ex ædibus se præcipitarent, mortis sibi causa fuerunt, *arg. c. Ex parte 11.* Ugolinus *de Offic. Episc. cap. 17. n. 4.* & Barbosa *de Offic. Parochi, cap. 26. n. 49.* ubi uterque & Farinacius *q. cit. n. 19.* notant; ut, qui in puteo aut flumine submersus, venenô aliôve simili modô interfectus reperitur, sacræ sepulturæ honore privetur, constare Ecclesiæ debere, quid à seipso interfectus sit: & in dubio potius præsumi casu, vel per vim aut insidias ab alio, quàm sponte & à seipso interfectum esse; cùm in dubio delictum, præsertim tam grave, de nemine præsumatur, *arg. l. Meritò 51. ff. Pro socio.*

Quartò, eâdem sepulturâ privantur, qui occumbunt in torneamentis, & hastiludiis à sacris Canonibus prohibitis: etiamsi pœnitentes decesserint, *c. 1. & c. fin. de Torneament.* vel in duello, etiam privato, ex condicto certô locô & tempore instituto, Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Reformat.* junctis *Constitutionibus* Gregorii XIII. quæ incipit *Ad tollendum* & Clement. VIII. quæ incipit *Illius vices*, ut *Lib. 5. Tit. 13. & 14* dicetur.

Quintò, Usurarii manifesti, *c. Quia in omnibus 3. de Usuris & c. Quanquam 2. eâdem Rubr. in 6.* Raptores, Incendiarii, *c. Super eo 2. & c. In literis 3. de Raptoribus*, & decimas Ecclesiæ debitas injustè detinentes, *c. Prohibemus 19. de Decimis*: nisi fecerint restitutionem aut de ista facienda præstiterint cautionem, ut *Tit. 30. n. 127* dicetur.

Sextò, Religiosus Proprietarius, *c. 11. Monachi 4. de Statu Monach.* & qui Confessionem annuam & Communionem Paschalem voluntariè negligunt, *c. Omnis 12. de Pœnit. & remiss.* Non etiam, qui consilio Confessarii eas ad tempus distulerunt, Barbosa *cap. cit. n. 40.*

Septimò, Blasphemi in Deum, B. Virg. Mariam, aliósve Sanctos, si pœnitentiam ab Ecclesia sibi injunctam non egerint,

gerint, *c. Statuimus 2. de Maledic.* Uti etiam fures, latrones, concubinarii & quicunque peccatores publici, sine pœnitentia notoriè decedentes, *can. Quibus, 16. & can. Non æstimamus, 13. q. 2.*

12. Hactenus enumeratis olim accensebatur, qui presbyterum tutorem testamentò dedisset, *arg. can. fin. dist. 88.* Qui tamen hodie; uti & fideles, ob gravia delicta ultimò suppliciò affecti, si pœnitentes objerint, à sacra sepultura non excluduntur: nisi eorum cadavera publicò locò insepulta relinqui à Magistratu jubeantur, Covarruvias *Lib. 12. Var. cap. 1. num. 11.*

Sed hoc an à Magistratu illo fieri juste possit, dubium & ratio dubitandi non contemnenda est; quòd reò defunctò crimen, *l. fin. C. Si reus vel accusat. mort.* & ipsa etiam criminis pœna extinguatur, *l. Defuncto 6. ff. de Publ. jud.* & mortuorum reliquiis non solùm nullam fieri injuriam, *l. Cùm sit 6. C. de Sepulch. viol.* sed capite etiam damnatorum atque animadversorum corpora cognatis & quibusvis aliis ea petentibus ad sepulturam dari jubeantur, *l. 1. & l. fin. ff. de Cadav. punit.* Ab Imperialibus non divertunt Ecclesiasticæ sanctiones, Sacramentum Pœnitentiæ non denegantes ultimò suppliciò damnatis quibuscunque, *c. Fures 2. de Furtis c. Super eo 4. de Hæreticis in 6. & Clement. 1. pr. de Pœnit. & remiss.* & quibus Sacramentum illud datur, sepulturam Ecclesiasticam concedentes, *can. Quæsitum, 13. q. 2.*

13. Verùm, esto hæc utroque Jure constituta: & debitorum Civilium cadavera perpetuò vel, donec æs alienum solutum sit, inhumata relinqui, injustum, *l. Cùm sit cit.* & ab omni humanitate alienum sit; criminosorum etiam quorumcunque, si pœnitentes decesserint, corpora sacrâ humo condi sacri Canones voluerint; vitamen Consuetudinis passim inductæ ob atrociora crimina morte punitorum cadavera furcâ suspensa, implexa rotæ, palò suffixa sæpe relinquuntur, eorúmve ossa sub patibulo sepeliuntur. Quin, ejusmodi criminosorum [illegible] supplicium in carcere mortuorum corpora [illegible]am vivi merebantur, ignominiâ affici, & in furcam rotámve agi, multis exemplis ostendit Farinac. *Prax. Criminal. q. 10. n. 78.* De qua tamen Consuetudine non parùm 14. variant sententiæ DD. & sunt, qui eam tolerabilem quidem, non etiam rationabilem esse velint, apud Bruneman. *in l. 1. ff. de Cadav. punit.* aliis contrà, eam non tolerandam statuentibus eò ipsò; quòd à ratione sit aliena, contra tenorem *c. fin. de Consuetud.*

Mihi, sicut ea, quâ animadversorum cadavera indiscriminatim omnia insepulta vulturum ferarumque laniatui & hominum spectaculo exponerentur, nec rationabilis nec tolerabilis: sic nequaquam damnanda & rationi satis congrua videtur, quâ propter atrociora aut Reipublicæ quieti ac securitati magis pernitiosa crimina damnatorum cadavera & istorum consumptorum ossa in loco supplicii aut viis publicis sine ulla honestæ sepulturæ 15. spe destituuntur; ut tristissimi illius exempli aspectu alii deterreantur; cùm ea non damnetur legibus, imò disertè approbetur in reis læsæ Majestatis, *l. 1. cit.* & Jure etiam Ecclesiastico variorum criminum rei, & præsertim, qui in hastiludiis ac duellis occumbunt, sacræ sepulturæ honore priventur decretis Oecumenicorum Conciliorum Lateranensis ac Tridentini *c. 1. & cap. 19. citt.* Id ipsum suadet ratio publicæ utilitatis, ex ea animadversionis in reorum cadavera extensione in totam communitatem redundantis, & privato bono, quod sacra sepultura defuncto affert, prævalentis; si

enim utilitas illa rationabilem addere potuit praxim, quâ punitorum cadavera ad Anatomiæ aliósque suæ artis usus Medicis conceduntur, cur non idem præstare valeat Consuetudini, quâ eadem, ut aliis documento [illegible], insepulta publicè prostare [illegible] quando permittuntur? cùm ista non plus ad sanitatem, quàm ista, flagitia arcendô, Reipublicæ conferat ad felicitatem, Covarruvias, *cit. cap.* 1. *n.* 11. Zœsius *in ff. de Cadav. punit. à n.* 1. & Perez *in C. Si reus vel accus. mort. in fine.*

16. Circa reos tamen, qui ex vulnere, morbo, casu in carcere vel, dum ex isto fugam parant, moriuntur aut occiduntur, bene observandum est; quòd, licet eorũ cadavera in supplicii loco sepeliri aut insepulta in furcam aut rotam agi vi consuetudinis aliquando valeant, si de atroci aut publicè valde pernitioso crimine condemnati jam sint, vel saltem per Judicialem confessionem, legitimam probationem aut facti evidentiam, de illo ita constet; ut ipsis nulla prorsus defensio competat: eô tamen rigore procedi non possit in cadaver ejus, qui cujuscunque etiam atrocissimi criminis solummodo diffamatione aut huic succedaneis criminis indiciis gravatus, vel etiam accusatus aut carcere & vinculis constrictus jam est; cùm enim talis in furcam aut rotam agi non posset vivus, multò minùs poterit mortuus, ut cum Bossio *Tit. de Accusat. n.* 33. rectè arguit *cit.* Farinacius *n.* 79.

17. Eorum autem, qui à sacra sepultura Ecclesiasticô Jure excluduntur, aliquem si parochus aut alius quicunque, insuper habitâ sacrorum Canonum prohibitione, in loco sacro sepelire scienter præsumat, mortalis peccati reatum contrahit: &, si ab eo sepultus excommunicatus publicè vel nominatim interdictus, aut manifestus Usurarius, vel hæreticus, aut istius defensor, fautor vel receptator fuerit, excommunicationis censuram ipsô factô incurrit, *c. Quicunque* 2. *pr. de Hæret. in* 6. *& Clement.* 1. *hâc Rubr.* à qua absolvendus priùs non est, quàm ad arbitrium Episcopi diœcesani competentem satisfactionem exhibuerit iis, quibus eô factô injuria est irrogata. Ossa etiam omnium eorum, qui in loco sacro contra illorum prohibitionem sepulti sunt, si discerni valeant, exhumanda sunt, & extra locum sacrum projicienda, per textus *citt.* & ibi DD.

ARTICULUS II.

De sacræ Sepulturæ Electione.

SUMMARIUM.

18. *Non omnes Ecclesiæ habent jus Sepulturæ:*
19. *Cujus Electio fidelibus permissa est.*
20. *Excipiuntur tamen Impuberes,*
21. *Et Religiosi, inferendi sepultura sibi Monasterii:*
22. *Etiamsi sint Prælati.*
23. *Eligi sepultura potest in loco minùs Religioso,*
24. *Sacrô tamen, & nonnisi ex rationabili causa,*
25. *Electio duorum testimoniô legitimè probatur.*
26. *Pœna in Religiosos, aliquem ad suam sepulturam votô &c. eligendam, inducentes,*
27. *Ad gravia incommoda tollenda lata,*
28. *Variis casibus non incurruntur.*

QUantumvis jus Sepulturæ, tam quam Parochiale, communi & antiquo Jure solis Ecclesiis populum su-

ſum curámque & jus Parochiale habentibus, competeret, Panormit. *in c. Certificari 9. n. 8.* & Sylveſter *V. Sepultura. q. 3.* vi conſuetudinis tamen & privilegii etiam aliis Eccleſiis competere poteſt & hodie competit Religioſorum Monaſteriis, Lancellot. *Inſtit. hâc Rubr. §. 1.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. diſp. 214. n. 21.* Imo FF. Minorum S. Franciſci & Prædicatorũ Ordinibus per Conſtitutiones Apoſtolicas Juri communi inſertas indultum reperitur, *Clement. Dudum 2. & Extravag. 2. inter communes :* quod privilegium aliis Religioſis communicari, tradit Donatus *Tom. 3. Prax. Regul. Tract. 9. q. 8. num. 2.*

19. Ex locis autem, in quibus de Jure communi vel ſpeciali poteſt, ſepeliri defunctus regulariter debet Primò in Eccleſia vel cæmiterio, quod ſuæ ſepulturæ propria electione ipſe deſtinavit, ut conſtat ex *c. 1.* ibi, *Nulli tamen negamus propriam ſepulturam vel alienam,* & *c. Is qui 3. pr. in 6.* Pro cujus ratione reddi poteſt tritum, quòd ſuprema voluntas teſtatoris dicitur adimplenda, *can. Ultima, 13. q. 2. l. Non negare 5. ff. Quemadmodum teſt. aperiant. & l. 1. C. de SS. Eccleſ.*

20. Dixi, *Regulariter,* propter Impuberes & Religioſos: quorum illi cùm ſepulchrum ſibi eligere nequeant, in Majorum vel Parochiali ſepultura ſunt tumulandi: Niſi conſuetudo, quæ præcipuè attendenda eſt, electionem illorum Patri (aut etiam matri, Donatus *Tract. cit. q. 14. n. 1.*) permitteret, *c. De uxore 7. §.*
21. *Illrum, & c. Licet 4. in 6.* Iſti verò ſive Religioſi, quòd per votum Obedientiæ voluntati propriæ renuntiaverint, ejusmodi electionem facere non poſſunt: niſi ità remoti à Monaſteriis ſuis decedant; ut ad ea commodè nequeant portari; hôc enim caſu ex licentia à Jure ſibi indulta ſepulturam eligere etiam ipſi permittuntur, *c. Religioſi 5.* ibi, *Niſi multùm à monaſterio remoti, hîc in 6. & c. Nimis 16. de Exceſſ. Prælat.*

Neque aliud deſumitur ex *c. De uxore cit.* ubi ſepulturæ libera electio uxori ſtabilitur ex ratione; quòd ea reſpiciat tempus mortis, quô ipſa à lege mariti eſt ſoluta. Unde inferri videtur, ejus electionem etiam permiſſam Religioſo; cùm conferatur in tempus, quô ipſum Prælati poteſtas & Obedientia obligare ceſſat. Sed lata diſparitas inter hunc & illam intercedit; quia, ut in *c. cit.* Gloſſa *fin.* notat, uxor, licet marito ſubjecta ſit quoad legem conjugii & actus conjugales, quoad alia tamen multa diſponere pro ſuo arbitrio poteſt: non etiam Religioſus, qui quamdiu vivit propriô velle & nolle caret, *can. Non dicatis, 12. q. 1. & c. Si Religioſus 27. de Elect. in 6.* ideóque totô vitæ tempore, quô facienda eſſet electio, aliquid velle vel diſponere independenter à Prælato nequit, etſi diſpoſitio in tempus mortis conferatur, *arg. l. Si minor 4. ff. de Servis export.* Gloſſa *fin. in c. Religioſi cit.* Panormit. *in c. De uxore cit. n. 4.* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 1.*

Excipiuntur tamen ab hoc Doctore 22.
n. 7. Prælati Regulares: neque ſolùm ſupremi, ſed inferiores quoque & aliis in ſua Religione ſubordinati, ut ſunt Provinciales, Priores, Rectores, Guardiani; quibus ſepulturæ electionem permittit cum Rodriquez *Tom. 3. Regul. q. 60. art. 1.* & Pellizario *Manual. Regul. Tom. 2. tract. 8. cap. 5. n. 126.* quòd in multis, præſertim ad ſuam perſonam pertinentibus, habeant velle ac nolle. Verùm hoc ipſorum velle non eſt omnino abſolutum, ſed dependens ab Ordinis Regula & Conſtitutionibus. Quare, ſi ſecundùm iſtas vel receptam Ordinis Conſuetudinem Religioſi in ſuis Monaſteriis ſepeliuntur, ibidem etiam Prælatos tumulandos, ne-

que sepulturæ extraneæ electionem ipsis permissam, existimo cum *cit.* Donato *Tract. 10. q. & n. 2.* quia ad Prælaturas evecti non dissinunt esse Religiosi: quibus sepulturæ electio indistinctè negatur *c. Religiosi cit.* Ex dictis

23. Dubium oritur primò, an sepultura licitè eligatur in loco minùs Religioso sive, in quo Missæ sacrificium cæteráque Divina & Orationes publicæ ratiùs vg. quot annis semel aut bis tantùm peragi solent, relictâ Majorum aut Parochiali sepulturâ. Ratio dubitandi oritur ex *c. Fraternitatem 3. & c. Cùm quis 2. §. fin. in 6.* quorum textuum priori hujusmodi electio, tanquam antiquæ institutioni & rationabili Ecclesiæ consuetudini contraria, rejicitur: posteriori verò impugnari prohibetur. Neque hoc immeritò; quia ex una, electio sepulturæ libera, pars est ultimæ voluntatis defuncti, *c. De uxore cit.* quæ, si rationabilis & honesta sit, modis omnibus adimpleri jubetur, *can. fin. 13. q. 2.* cùm eam exitum habere publicè intersit, *l. Vel negare 5. ff. Test. quemad. aper.* ex altera verò parte, defunctus ad electionem sepulturæ in loco minùs religioso moveri potuit honestâ & rationabili causâ, vg. quòd speciali devotione ferretur in Sanctum, qui in eo colitur, vel locus ob viciniam à successoribus aut hæredibus faciliùs adeatur &c.

24. Quare *c. Fraternitatem cit.* contraria dispositio vel *§. fin. cit.* correcta, vel exaudienda est de electione in loco minùs, hoc est, non religioso, sed prophano, cum Gonzalez *in c. cit. n. 9.* vel cum Panorm. *n. 4.* de loco non habente cæmiterium: quæ, quia institutioni Patrum & Fidelium usui contraria est, Jure optimò, tanquam irrationabilis, rejicitur, *arg. l. Filius 5. ff. de Condit. instit.* Vel demum cum eodem & Hostiensi *in c. cit. in fine* accipienda de electione loci minùs religiosi, facta sine justa & rationabili causa, sed ex contemptu alióve pravo affectu aut animò fraudandi debitâ portione Ecclesiam Parochialem: cujusmodi electio *§. Sed aliud* post *can. Placuit cit. q. 2.* meritò reprobatur.

Dubium secundò est de probatione electionis certæ sepulturæ: cujus ratio est, quòd sit pars ultimæ voluntatis; ac proinde non minorem, quàm ista, solennitatem ac probationem exigere videatur, Verùm, quia ultimæ voluntatis non quæliscunque, sed ad Pias causas dispositio est, sicut ista, sic etiam sepulturæ electio aliam, quàm Naturalis aut Gentium Juris, probationem non requirit, *arg. c. Indicante 4. & c. Relatum 11. de Testamen.* Quare, eam per duos vel tres testes, de defuncti electione deponentes, vel per scripturam ipsius manu exaratam, aut codicillum aliàs invalidum, vel per testem unum concurrentibus aliis adminiculis sufficienter probari, existimat Sebast. Medices *de Sepult. q. 8.* Imò Laurei. de Franchis *Controvers. Episc. & Regular. p. 2. q. 64. n. 6.* eam sufficienter probari, ait, solius Confessarii assertione. Mihi, sicut legata pia, sic etiam sepulturæ electio solius Confessarii testimonio non satis probari, videtur cum Donato *cit. Tract. 9. q. 22.* propter Regulam *c. Licet 23. c. Cùm nobis 28. &c. de Test. & attest.* à qua ejus, de qua agimus, electionis casus exceptus non reperitur. Si tamen alicujus loci Consuetudine vel statutò Confessarii aut alterius hominis dicto major vis tribueretur, iis standum esset, & in Curia Archiepiscopali Neapolitana, stari, testis est M. Anton Genuensis *in ejus Curia Praxi cap. 76. n. 8.*

Dubium tertiò, est de valore Votorum ac Juramentorum, obligantium ad certam sepulturam. Quæ, sicut sponte edita tenent, sic irrita nullâque sunt, tam ipsa

ipsa quàm aliæ promissiones, ad quas defunctus à Religiosis vel clericis Secularibus de suæ Ecclesiæ vel Monasterii sepultura eligenda, vel electa non mutanda est inductus, *c. 1. pr. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ad hujusmodi electionem inductum humari voluit non in electa aut alia postea eligenda: sed in ea, in qua nullâ factâ electione sepeliri debuisset, scilicet in Majorum vel Parochiali aut ea sepultura, quam, antequam ita induceretur, legitimè elegit, Rodriquez *l. cit. dub. 5.* Imò ita inducti corpus, si in locum sic electum illatum jam fuisset, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ ab eo percepta sunt, restitui præcepit sub pœna Interdicti, ab Ecclesia vel cæmiterio ipsò factò contrahendi, donec omnium restitutio fuerit facta.

Atque hæc Constitutio Bonifaciana non solùm confirmata, sed insuper excommunicatio, à temerariis ejus violatoribus ipsò factò contrahenda, lata est, *Clement. Cupientes 3. in fine de Pœnis.* 27. Cujus Ecclesiasticæ severitatis ratio non ea solùm fuit; quòd electio sepulturæ sit pars ultimæ voluntatis; ac proinde libera & usque ad mortem variabilis, *c. Cùm Martha 6. de Celebr. Miss. & l. Si quis 22. ff. de Legat. 3.* sed etiam; quòd sepultura sit res Sacra & Religiosa, & propterea pactionibus non obnoxia, *c. fin. de Pactis:* & multò magis; ut obviaretur periculis animarum & scandalis, *pr. c. 1. cit.* quæ præbebantur, cùm Regulares & Clerici etiam Seculares alienos parochianos ad sepulturam in suis Ecclesiis vel Monasteriis eligendam inducerent: & contrà Rectores Parochiarum illorum conatibus se opponentes parochianorũ suorum defunctorum corpora suis Ecclesiis vel cæmiteriis inferenda vindicarent, & aliquandò violenter auferrent, majori studio captandi lucri & emolumenti temporalis, quàm consulendi animabus defunctorum: quâ, clericos maximè dedecente avaritiæ specie, cæteri Fideles sæpe multùm offendebantur.

Rectè tamen *in c. 1. & Clement. citt.* 28. Interpp. cæteríque DD. notant, prædictas excommunicationis & interdicti censuras non incurri Primò à laicis, aliquem inducentibus ad sepulturam ubicunque eligendam; quia textus illi apertè loquuntur de Clericis & Religiosis, Toletus *Lib. 1. cap. 36. n. 4.* Secundò etiam à Clericis & Religiosis, aliquem ad sepulturam apud se eligendam inducentibus consiliò vel precibus, sine ullo voto, juramento vel promissione, Franchis *cit. q. 64. n. 2.* Tertiò, à quocunque alio, ad illam non in sua, sed in aliena Ecclesia, vg. à Religioso S. Francisci aliquẽ ad eam in Ecclesia S. Dominici eligendã quomodocunque inducente, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 103.* Quartò, à parocho, proprium suum parochianum inducente ad suæ Ecclesiæ potiùs quàm extraneam sepulturam eligendam; quia Constitutiones illæ editæ sunt in favorem parochorum; ac proinde in eorum odium non retorquendæ, *arg. Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* Palao *Tract. 29. disp. 3. pr. 2. n. 21.* Quintò demum, si inductio, sive Religiosi sive Clerici Secularis, aliquem ad sepulturam in sua Ecclesia vel Monasterio cum voto, juramento &c. eligendam inducere volentis, intentũ non sortita sit effectum; quòd is vovere, jurare vel aliter promittere renuerit. Quorum omnium ratio solennis est; quòd utraque, tam Bonifacii VIII. quàm Clementis V. Constitutiò, tanquam pœnalis & odiosa, sit Juris stricti, & à personis atque actionibus expressis ad non expressas non extendenda *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Palao *p. cit. n. 22.*

ARTICULUS III.

De Sepultura Majorum.

SUMMARIUM.

29. *Nullâ electâ decedens Majorum suorum:*
30. *Scilicet patris & avi,*
31. *Vel ipsius & proavi:*
32. *Uxor mariti,*
33. *Et filius spurius matris suæ sepulturæ sunt inferendi.*
34. *Famuli Mendicantium in istorum cæmiteriis tumulari possunt.*

29. NUllâ sepulturâ electâ defuncti Fideles inferendi sunt sepulturæ Majorum suorum, *can. Ebron 2. Placuit 7. &c. 13. q. 2. & c. 1. hâc Rubr.* quòd ex instinctu Naturali & communi voto quilibet suis potiùs quàm extraneis conjungi velle præsumatur, juxta exemplum VV. Patriarcharum in Ephron cum majoribus suis volentium sepeliri, Genes. *cap. 25. 49. & 50.*

30. Majores autem in proposita materia præ remotioribus censentur progenitores propinquiores: ut pater & avus, *can. Ebron & c. 1. citt.* partim; quòd jus sepulturæ habeat se instar domicilii inter vivos: filius autem patris & avi potiùs, quàm remotiorum progenitorum domicilium sequatur, *l. Assumptio 6. ff. Ad Municipalem*: partim verò; quòd unio sepulturæ procedat ex mutuo affectu dilectionis, quæ intercessit inter vivos, & major esse solet in patrem & avum, quàm in cæteros progenitores. Quare defunctus inferendus potiùs est sepulchro, quod sibi delectum pater & avus, quàm abavus, atavus & tritavus habuit. Si verò pater abavi, proavi &c. sepulchro diversum pro se specialiter elegit, defunctus in istorum potiùs quàm illius sepulchro tumulandus erit, *arg. can. & c. 1. citt.* loquentium de sepulchro Majorum: cujusmodi istorum, non solius patris est. Si progenitorum singuli diversum habuerint, cùm patre sepeliendus est, saltem si iste sepulturam pro familia elegisset, Engel *ad hanc Rubric. n. 6.* secus, ad Parochialem deferendum existimarem cum eodem & Sylvestro *V. Sepultura n. 8.*

Excipienda est imprimis Uxor, quæ si nullâ electâ sive ante sive post maritum decedat, non Majorum, sed Mariti sui: &, si plures habuit, ultimi sepulchro inferenda est, *c. Is qui 3. §. Mulier in 6.* nisi, factò propter adulterium divortiò, ab eo esset separata, eique non reconciliata, Sylvester *V. cit. q. 3. d. f.* Rationem, cur ea cum marito tumulanda sit, quidam reddunt ex *can. Ebron cit.* textu, *Ut quos conjunxit unum connubium, conjungat unum sepulchrum*: cui consonat *can. Unaqueque, 13. q. 2.* Verùm quia, si hæc vera ratio esset, etiam maritum, non electâ sepulturâ decedentem, uxoris suæ præmortuæ, non Majorum sepulchro inferendum, sequeretur, melius alii textu illo congruentiam tantùm reddi: &, si loci Consuetudo aliud non exigat, maritum post uxorem ita defunctum, non ei, quam ipsa suâ aut Majorum suorum electione nacta est, sed Majorum suorum vel Parochiali sepulchro inferendum, docent cum Franco *in §. Mulier cit.* & Sylvestro *l. cit.* ex solidiori ratione; quòd uxor sequatur domicilium, honorem & jura mariti: non vicissim iste illius, *l. Cum te 10. C. de Nuptiis*: ideóque non, sicut uxorem mariti, sic & hunc illius dispo-

sitionem

sitionem sequi conveniat, *arg. l. Si ita 45. ff. de Legat. 2.* etiam quoad sepulturam, *can. Ebron, can. Unaquaque, & §. Mulier citt.*

35. Deinde Spurii; etsi enim filii naturales à paterna sepultura ferè non excludantur, *arg. l. Ex facto 17. §. 4. ff. ad SC. Trebell.* spurii tamen, tanquam filiorum nomine indigni, *Auth. Ex complexu, C. de Incest. Nupt.* non cum patre, sed cum matre sepeliendi sunt, *arg. l. 1. ff. ad Municip.* Sylvester *l. cit. d. 4.*

34. Demum Famuli domestici Ordinum Mendicantium: qui non electâ sepulturâ intra Monasterium vel Collegium mortui in istorum Ecclesiis vel cæmiteriis sepeliri, etiam parochô invitô, possunt, ex Privilegiis Bullatis, FF. Minoribus à Clemente IV. & Societati JESU à Paulo III. indultis, ut ostendit Donatus *cit. Tract. 10. q. 21. n. 2.*

ARTICULUS IV.

De Sepultura Parochiali.

SUMMARIUM.

35. *Propriâ carens defertur ad sepulturam Parochialem,*
36. *Etiamsi extra Parochiam decedat:*
37. *Nisi in loco obitûs habeat quasi domicilium,*
38. *Vel ad parochiam suam commodè nequeat deferri:*
39. *Vel, duas habens, in una tantùm perceperit Sacramenta.*
40. *Habitantem in una & beneficium obtinentem in alia Parochia, priori,*
41. *Eumque (Pactionibus & Consuetudine seclusis)*
42. *Posteriori parochiæ addicentium, verior Opinio,*
43. *Authoritate DD. Rotæque decisione,*
44. *Et Ratione evincitur,*
45. *Et objectorum solutione confirmatur.*
46. *Parochia, cadavere à Religiosis:*
47. *Et horum Ecclesiæ, à Parocho spoliatæ, restituendæ sunt.*
48. *Sepulturæ occasione aliquid illicitè,*
49. *Et licitè accipientium varii casus.*

QUi Majorum sepulturâ carent &, nullâ electâ, decedunt, in propriis Parochiis, in quibus habuerunt domicilium & Sacramenta cæteráque Divina perceperunt, sepeliendi sunt, *c. 1. hâc Rubric. & c. 1. in 6.* Quod de Jure obtinet, si in villis aut aliis locis extra illas sitis, ad quæ recreationis, culturæ, amici invisendi causâ se contulerunt, mortui essent: dummodo ad Parochialem sepulturam portari commodè possint, *c. Is qui 3. in 6.* quia per ejusmodi egressum prius domicilium non amittunt: neque efficiuntur parochiani loci, ad quem ob ejusmodi causam, & paulò post redeundi animô exierunt, *l. Domicilium 20. & l. Eum qui 27. §. 2. ff. ad Municipal. De Jure,* inquam; quia ex Consuetudine, aut etiam parochorum ab Ordinario approbatis conventionibus aliquando aliud obtinet: & in nostra Civitate receptum est, ut, in qua decedit, parochia quisque sepeliatur: etiamsi alterius fuerit parochianus. 35. 36.

Dubium, controversúmque est, ubi de Jure sepeliendus sit, qui extra sui domicilii Parochiam, per notabilem quidem anni partem, sed absque animo perpetuò ibi manendi degens decedit; eum enim in obitûs tanquam habitationis loco, 37.

co, Saà *V. Parochus n. 2.* & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 23. n. 13.* Contrà in loco domicilii, si ad eum portari commodè valeat, sepeliendum, aliis DD. allegatis vult Pontius *Lib. 5. de Matr. cap. 13. n. 12.* Quarum Opinionum cùm Consuetudine obtineat prior, ea in dubio præferenda est, atque defunctus sepeliendus, ubi decessit, si eò se contulit animô per majorem aut notabilem anni partem habitandi; ut Studiosi in Universitatibus, famuli in locis sui famulatûs &c. solent; quia in tali loco contrahunt quasi-domicilium; ut ibi sortiantur forũ externum & conveniri in judicio possint, *l. Hæres absens 19. §. 2. V. At si quo ff. de Judiciis*; ac proinde etiam internum; ut censeri possint parochiani, ibique percipiant Sacramenta & defuncti sepeliantur, juxta *c. fin. de Paroch.* ubi, qui propter bellum è loco domicilii egressi sunt, parochiani vocantur loci, ad quem illô durante se contulerunt: & *can. Questi, 16. q. 1.* ubi decimæ Personales illi Parochiæ solvendæ dicuntur, in qua quis per anni curriculum Missas audiit, manifestô indiciô, talis loci parochianum censeri. Confirmatur ex eo; quòd locus domicilii specialiter exigatur ad Sacramentum Ordinis, *c. Cùm nullus 3. pr. de Temp. Ordinat. in 6.* Unde argumentô à contrario ductô infertur, ad cætera Sacramenta & sepulturam sufficere quasi domicilium, sive habitationem in loco, ad quem quis se contulit animô per notabilem aut majorem anni partem permanendi, *cit.* Sanchez *n. 12.*

38. In eodem, etiam brevioris habitationis loco, sepeliendi sunt peregrini & advenæ, quando sepulturâ non electâ decedunt, & ad Majorum aut sui domicilii Parochialem sepulturam deferri non possunt: & multò magis vagi, verum aut quasi domicilium nullibi habentes, Panormit. *in c. 1. cit. n. 4.* & Sylvester *V. Sepultura, q. 8. d. 2.*

Si defunctus in duabus vel pluribus 39
Parochiis domicilio habuit, ut vg. Clericus
duarum Ecclesiarum beneficiatus, in Ec-
clesia, cujus administrationem vel curam
gessit; vel in ea, in qua residere tenebatur; 41.
vel, si laicus sit, in Parochia, in qua
Sacramenta aliáque Divina percepit, eum
sepeliendum, cum Barbosa *in c. 1. cit. n.*
5. tradit Donatus *cit. Tract. 9. q. 36.*
n. 1.

Aliud dubium & non ita pridem 40
magna controversia fuit de loco sepultu-
ræ Clerici vg. Titii, qui beneficium qui-
dem habuit in Parochiali Ecclesia S. Ana- 42
næ, eique deservivit; quatuor tamen an-
nis habitavit & demum decessit in ædi-
bus conductis & intra limites vicinæ Pa-
rochiæ S. Viti M. sitis. Fuêre enim, qui
defunctum in ista tumulandum, aut ha-
tem præventioni locum esse, existimarent,
permoti decisione Rotæ, parochianum
Ecclesiæ S. Dominici defunctum eidem
adjudicantis: quantumvis in Clericum
ordinatus Ecclesiæ S. Jacobi ex deputa-
tione Episcopi servierit. Rationem red-
debant partim; quòd Titius in S. Viti
Parochia habuerit domicilium habitatio- 43
nis: ii autem, qui sepulturâ non electâ
decedunt, de Jure tumulandi sint in
Parochiis, in quibus domicilium consti-
tuerunt, *c. fin. de Paroch. & c. Is qui 3.*
pr. hâc Rubr. in 6. &, si præter habita-
tionis aliud habuerunt, locus sit præ-
ventioni, *arg. c. Duobus 14. de Rescri-*
ptis in 6. partim verò; quòd, qui sine
sepultura à Majoribus aut semet electa
decedunt, sepeliri debeant in Parochia,
quibus, si alibi sepulturam elegissent,
portio Canonica deberetur, *c. De iis 4.*
& c. Cùm super 8. ubi Panorm. *n. 5.* por-
tio autem illa, si Titius sepulturam ele-
gisset alibi, S. Viti Ecclesiæ debita fuis-
set; cùm

fet; cùm de Jure debeatur Ecclesiæ, ex qua defuncti corpus assumitur, *c. Certificari 9. & c. In nostra 10.* ibi, *De cujus Parochia mortuorum corpora assumuntur:* Corpus autem Titii ex ista Parochia tollendum fuisse, constet.

41. Mihi cum Zypæo *Analys. Jur. Pontif. hâc Rubric. n. 4. §. Porro* hac in re spectanda & observanda Concordata seu pacta, si quæ inita inter Parochias fuerunt, *arg. c. 2. de Pactis & c. fin. eâdem Rubr. in 6.* aut istarum vel diœcesis Consuetudo, *arg. c. Certificari cit. & c. fin. de Consuet.* Iis autem deficientibus potior esse visa est causæ Parochia S. Annæ.

42 Movebat imprimis authoritate DD. indiscriminatim statuentium, Clericos beneficiatos, sine Majorum aut à semet electa sepultura defunctos, sepeliendos in Parochiis, in quibus obtinuerunt beneficium exigens stabilem residentiam & servitium personale; id enim cum Sylvestro *cit. q. 8. d. 6.* generaliter atque indistinctè docent Barbosa *de Offic. Parochi cap. 26. n. 34.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 17. n. 18.* Donatus *Tom. 3. Prax. Regular. tract. 9. q. 26. n. 1.* Valens. *ad hanc Rubr. §. 2. n. 6.* Zypæus *l. cit. n. 4.* & alii, pro se allegantes Petr. de

43. Ubald. *de Port. Canon. cap. 9.* ubi cùm *à n. 28. & 36.* varios clericos, Ecclesiarum servitiis perpetuò adstrictos, in iis sepeliendos statuisset, id negat de sacerdotibus conductitiis & illarum servitiis addictis solùm ad tempus: & Tuschum *Practic. V. Sepelire, conclus. 189.* quô loco, Canonicos cæterósque Ecclesiæ Cathedralis beneficiatos, in ea Sacramenta percipientes, si in Parochia suæ habitationis moriantur, non in hac, sed in Cathedrali Ecclesia tumulandos, disertè docet ex ratione, locum habente in Titio; quòd adstrictus Ecclesiæ uni & habitans in altera, sepeliendus sit in prima.

Deinde eâdem; quæ pro S. Viti Parochia allegata est, decisione Rotæ, Clericum Ecclesiæ *S.* Dominici post acrem disceptationem, & ideo solùm adjudicantis; quòd non fuerit de Ecclesiæ S. Jacobi Corpore: sed ejus servitio ad tempus duntaxat: & non, ut veri beneficiati, perpetuò addictus, argumentô minimè obscurô, in ea tumulandum, si de ejus corpore, eíque instar veri beneficiati adstrictus perpetuò fuisset.

Demum ratione; quia generaliter 44.
fideles, Majorum aut à se electam sepulturam non habentes, tumulari debent in Parochiis, in quibus habent proprium domicilium & Sacramenta cæteráque spiritualia & Divina perceperunt & objerunt ex obligatione, *c. 1. hic & c. 1. in 6.* etiamsi extra earũ fines moriantur, *c. Is qui 3. pr. in 6.* Titius autem sacramenta percepit cæteráque spiritualia & Divina ex obligatione obiit in Parochia S. Annæ, cujus fuit beneficiatus, quod plenè constabat: in eáque & sola habuit proprium & verum domicilium. Et quidem, quod Domicilium in ea habuerit, satis liquet; quia ex inventione & dispositione Juris, sicut miles in loco, ubi stipendia meret, *l. Municeps 23. §. 1.* & in loco mariti uxor, *l. fin. §. 3. ff. ad Municipal.* sic clericus beneficiatus, tanquam spirituali Christi militiæ adscriptus, *can. Reprehensibile, 23. q. 8.* & Ecclesiæ suæ quasi Sponsus, *arg. c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* proprium domicilium habet in loco beneficii, stabilem residentiam exigentis, *c. Dilectus 29. de Rescript. & l. Omnes 33. pr. C. de Episc. & Cleric.* ubi Baldus & *in c. cit.* Panormit. *n. 2.* & Barbosa *n. 3.* etiamsi à loco beneficii aliquamdiu absit; cùm ipsa in Ecclesia residendi eíque deserviendi obligatio faciat, ut domicilium contrahatur, Panormit. *in c. Postulâsti 27. de Rescript. n. 4.* &

alii apud Mascard. *de Probat. concl. 535. n. 5.* & Sanchez *Lib. 7. Consil. cap. 1. dub. 23. n. 3.* Quòd autem domicilium habuerit in ea sola, & non etiam in S. Viti Parochia, ratio est partim; quia ad ejus in aliquo loco constitutionem, præter factum sive habitationis translationem exigitur animus in eo perpetuò & stabiliter permanendi, *l. Domicilium 20. l. Ejus qui 26. ff. ad Municip. & l. Nihil 26. ff. de Capt. & postlim.* qui à Titio nunquam declaratus est expresè; cùm de hoc non constet: & ex sola habitatione præsertim conductitiâ, minori tempore quàm decenniô continuatâ, non præsumitur, *l. Nec ipsi 2. C. de Incolis, ubi* Glossa *V. Larem*, Panormit. *in c. fin. de Paroch. n. 8.* aliisque relatis Mascard. *l. cit. n. 13.* & Sanchez *Lib. 3. de Matr. disp. 23. n. 1.* Imò, cùm Sacramenta cæteráque Divina perceperit & ex officio atque obligatione obierit in sola Ecclesia S. Annæ, domicilium spirituale in ea sola à se constitutum, abundè declaravit: partim verò; quia in hac sola propriè & formaliter habuit residentiam; cum in Ecclesia residere clericus potiùs à servitio, quàm accidentaria & merè materiali habitatione dicatur, Sylvester *V. Residentia, pr.* & Fagnanus *in c. Conquerente 6. de Cleric. non Resid. n. 16.*

Confirmatur; quia, licet Titius in utraque domicilium habuisset, tamen sepeliendus fuisset in Parochia S. Annæ, cùm quia, licet in aliis plura habentibus, si cætera paria sint, attendatur domicilium habitationis: Clericorum tamen plura habentium principale domicilium esse censetur in loco beneficii, Innocent. *in c. Ex ore 17. de Privileg.* Panormit. *in c. Postulâsti cit. n. 4.* & *ibi* Felinus *n. 6.* tum verò; quia in ea sola percipere Sacramenta cæteráque divina obire solitus est, & ex officio atque obligatione debuit.

In contrarium deducta non admodum urgent; quia imprimis in Parochia S. Viti resedit merè per accidens & materialiter, sine ulla Sacramentorum aliorúmque spiritualium perceptione aut administratione: in qua, sicut cætera Parochialia, sic vel maximè jus sepulturæ fundatur, per textus *c. 1. & c. Is qui cit.* & tradita à Barbosa *cit. cap. 26. n. 34.* & Card. de Luca *Theat. V. & l. p. 3. de Paroch. disc. 23. n. 8. & 9.* asserente, id à Rota sæpius decisum. Deinde; quia portio Canonica, quæ sepulturam Parochialem sequitur, de Jure ei Ecclesiæ debetur, in qua defunctus cælesti pabulô refici, audire divina aliáque Sacramenta percipere consuevit, *c. 1. cit. c. De iis 4. hic & c. Cùm quis 2. in 6.* sive, ad quam iste vivens pertinuit, *c. Relatum 2. c. Cùm super 8. c. In nostra 10. hic* & Trident. *Sess. 25. cap. 13. de Reformat.* Præterea; quia non tam locum, ex quo corpus per accidens assumitur, quàm in quo Sacramenta percepit, spectandum, ex *cc. citt.* junctô *c. Is qui 3. pr. in f.* satis liquet. Demum; quia, licet præventioni quoad sepulturam locus sit assu, quô defunctus in duabus Parochiis domicilium habens Sacramenta cæteraque spiritualia percipere & obire consuevit, in utraque, ut ex *c. Cùm quis cit.* junctâ Glossâ *V. Domicilia*, desumunt *citt.* Ubald. *n. 3.* Vallens. *n. 1.* & Pirhing *ad hanc Rubr. n. 1.* id tamen locum non habet, cùm defunctus ista in una & principalis propriè dicti ac formalis domicilii Parochia, & ex officio atque obligatione in ea sola, ut Titius apud S. Annam, percepit & obivit; cùm sepultura, ut dictum, ab hujusmodi perceptione præcipuè pendeat.

Porro si, de Jure in aliqua Parochia sepeliendum, Religiosi vel etiam clerici seculares in suis Ecclesiis sepelire præsumerent,

sumerent, locus esset dispositioni, *c. Ex parte 5. & c. In nostra 10.* quibus locis isti cadavera cum omnibus, quæ occasione ejusmodi sepulturæ perceperunt, Parochiæ, tanquam spoliatæ, restituere jubentur: quantumvis aliàs defunctorum corpora, sepulturæ semel tradita, exhumari & aliò transferri prohibeantur, *l. Nemo 14. C. de Religios. & sumpt. fun.* & à S. Congreg. Episcop. & Regular. 11. *Septemb. 1643.* edita declaratione reprehendi jussi sint Regulares; quòd in sua Ecclesia sepulti cadaver, à Curia seculari recognoscendum, sine consensu Episcopi permiserint exhumari, ut refert Lauret. de Franchis *Controvers. Episc. & Regular. p. 2. q. 66. n. 2.*

47. Simili modo Parochi, cùm defunctorum, in Ecclesiis Regularium, vel Majorum, aut suâ electione tumulandorum, corpora auferre præsumunt, ista exhumata restituere tenentur cum omnibus, quæ illorum occasione perceperunt, *c. Liberum 6.* vel de Jure percipere potuerunt: quod addit Glossa *ibi, V. Recepisse*; ut adeò Parochi etiam portionem Canonicam, aliàs sibi debitam, amittant, Barbosa *in c. cit. n. 3.*

48. Dubium practicum hìc est de Consuetudine, vi cujus aliquid accipitur vel exigitur pro sepultura; cùm, an ea, licet ubique invaluerit, valida sit, ambiguum reddant varii textus: quorum aliquibus damnatur, aliis non obscurè sustinetur. Ii autem à DD. variè in concordiam reducuntur. Et, licet omnes, tanquam corruptelam damnent Consuetudinem, vi cujus sacra humus effodi non permittitur, aut effossæ defunctus non infertur, antequam pro ea certa pecunia solvatur: aut ista exigitur tanquam loci Sacri pretium, vel compensatio actûs fepeliendi, aut alterius rei spiritualis; quia ab omni pietate & honestate aliena atque omnino intolerabilis perversitas ac sordities foret per *can. Questa 12. can. Postquam 13. &c. 13. q. 2. c. Plerique 7. c. fin. de Pactis c. Abolendæ 13. hâc Rubr. c. Suam 29. c. Ad Apostolicam 42. de Simonia.* Barbosa *in Trident. Sess. 25. cap. 13. de Reformat. n. 36.* & Engel *ad hanc Rubr. n. 16.* valida tamen, &, ubi viget, observanda est Consuetudo

Primò, vi cujus occasione sepulturæ à Fidelibus ex devotione & sine exactione oblata accipiuntur, *can. Questa cit. & can. In Ecclesiastico 14. in fine q. 2. cit.* Imò Fideles ad ejusmodi laudabilis Consuetudinis observationem compelli, saltem ab Episcopis posse, disertè habetur *c. Ad Apostolicam cit. §. fin.* 49.

Secundò, vi cujus aliquid exigitur pro terra seu fundo nondum consecrato vel benedicto; ut in cæmiterium convertatur: quod non obscurè supponitur *can. Aurum, 12. q. 2.* & præter Glossam *in c. Abolendæ cit. V. Sepultura* & Panormit. *ibid. n. 4.* tradunt S. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 4.* & Redoanus *de Simonia p. 3. cap. 16. à n. 14.* Ratio clara est; quia terra res merè temporalis pretióque æstimabilis est; ac proinde, sicut aurum vel argentum pro calice, & ipsam etiam terram pro Ecclesia, sic eam pro sepultura vendenti, quid obstare possit, non apparet.

Tertiò, vi cujus aliquid daretur pro loco sepulturæ digniore & honoratiore, absque respectu tamen ad istius sanctitatem & fructum spiritualem: vel pro obligatione non nisi ex certa aliqua familia defunctorum cadavera ad certum aliquem cæmiterii locum vel Sacellum admittendi, ut multis DD. congestis docet Barbosa *cit. cap. 26. à n. 16.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 16. à n. 92.* & Gonzalez *in c. Abolendæ cit. n. 7.* quia hujus-

modi obligatio ei accidentalis & pretiô æstimabilis est.

Quartò, vi cujus aliquid exigitur pro cæmiterii vel loci specialis sepulturæ conservatione & reparatione, Barbosa *cit. cap. 26. n. 16.*

Quintò, vi cujus aliquid accipitur pro sustentatione ministrorum, atque etiam pro stipendiô clericorũ, ad id ex officio non obligatorum: imò etiam ipsius Parochi, congruam sustentationem aliter non habentis: non quidem; ut illud officium: sed ut extraordinarius & illi extrinsecus labor compensetur, Sylvester *V. Sepultura, q. 2.*

Sextò, vi cujus aliquid exigitur in compensationem decimarum Personalium casu, quô Parochiani istas solvere desiissent, earúmque locô Mortuaria solvere incepissent, Engel *cit. n. 16.*

ARTICULUS V.

De Portione Canonica Parochiali.

SUMMARIUM.

50. *Portio hæc Ecclesiæ Parochiali debetur*
51. *De relictis extraneæ intuitu sepulturæ:*
52. *Et pro locorum varietate varia est.*
53. *Multis casibus de Jure cessat,*
54. *Aut sublata est privilegiô vel Consuetudine:*
55. *Quæ hac in re præcipuè spectanda est.*
56. *Aliquando de ea est portio dividenda.*
57. *Ejus quarta pars à Parochiali,*
58. *Et aliquando à sepulturæ Ecclesia debetur.*

50. SIcut Episcopo de iis, quæ Ecclesiis vel Monasteriis, ipsi tanquam diœcesis Ordinario subjectis, ultimâ voluntate relinquuntur, Portio Canonica Episcopalis, juxta dicta *Tit. 28. n. 256.* sic Parocho debetur ejusmodi portio aliqua, quæ *Quarta Parochialis* nuncupari solet: estque pars Piorum legatorum & aliorum ultimâ voluntate relictorum, Oblationum, & quæcunque Ecclesiis & Monasteriis, etiam Exemptis, *Clement. Dudum 2. §. Ac deinde, V. Verùm ne*, obveniunt occasione funeris & sepulturæ parochianorum, extra propriam Parochiam tumulatorum, *c. 1. c. Cùm super 8. c. Cùm quia 2. in 6.* & Trident. *Sess. 25. cap. 13. de Reform.* Quam portionẽ Parochis attribuendi ratio *c. 1. cit.* ex Apostolo redditur; quia *Dignus est operarius mercede sua, 1. Timoth. cap. 5. v. 18.* &, qui fuerunt passionum socii, esse debent & consolationum, 2. Corinth. *cap. 1. v. 7.* cùm enim Parochus sustineat onus celebrandi Divina officia, & parochianis, dum vivunt, Sacramenta aliáque spiritualia ministrandi, *c. Ult Dominicis 2. de Paroch.* & is qui Altari servit, de Altari vivat: &, qui seminat, sive aliis præbet Spiritualia metat, sive ab iis recipiat Carnalia, 1. Corinth. *cap. 9. v. 11.* æquissimum erat; ut eorum, quæ occasione funeris aut Sepulturæ alicujus parochiani extraneæ Ecclesiæ vel Monasterio obveniunt, portio aliqua Parocho præstaretur; ne illis debitis subsidiis defraudetur, *cc. citt.*

Porro, sicut Episcopalis, sic etiam Parochialis portio de Jure quarta. *c. Cùm super 8.* de Consuetudine autem aliquando tertia, & aliquando media pars est, *c. 1. & c. Relatum 2.* vel potiùs, secundùm Glossam *in c. 1. cit. V. Tertiam &* textum *c. Certificari 3.* pro locorum temporúmque varietate aliquando tertia, aliquando dimidia, aliquando quarta pars est.

Plures

Plures etiam sunt casus, quibus, sicut 53. illa, sic & hæc portio non debetur: & primò quidem ex iis, quæ defunctus aliis, quàm suæ sepulturæ, Ecclesiis reliquit, Glossa *in c. 1. cit. V. Judicii.*

Secundò, ex relictis suæ sepulturæ Ecclesiæ, si Ecclesia Parochialis Rectoris, & non ipsius parochiani defuncti, culpâ fuit interdicta, Sylvester *V. Canonica Portio, n. 8. casu 8.*

Tertiò, si defunctus in propria sua Parochia Sacramenta cæteráque Divina percipere non potuit propter diuturnam ipsius vacationem; quia Canonicæ portionis exigendæ jus in iis præcipuè fundatur, *V. Verùm cit.* ac proinde, istis cessantibus, cessat etiam jus illam exigendi, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat.* Idem *ibidem casu 14.*

Quartò, si funus, ad perpetuam sepulturam alio transferendum, in Ecclesia vel Monasterio deponatur ad tempus; quia in tali Ecclesia sepulturam propriè non habet, Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 13.* & Donatus *Tom. 3. Prax. Regul. Tract. 11. q. 2. n. 1.*

Quintò de iis, quæ loco sepulturæ relicta sunt pro ornamentis, fabrica, Anniversario, & ad cultum Divinum perpetuum, sine fraude tamen, Barbosa *de Offic. Parochi cap. 25. n. 47.*

Sextò, de iis, quæ Novitii, Religionem, dum sani essent, ingressi, Monasterio contulerunt, *c. De iis 4.* etiamsi defuncti sint extra Monasterium in paterna vel alia domo, ad quam valetudinis recuperandæ (non ad seculum redeundi) animò se contulerunt, Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 39. art. 4.* cùm; quòd jam gaudeant privilegiis Religionis: tum verò; quòd Religionem ingressi animò profitendi, quasi mutatò domiciliò Parochiani esse desierint, Sylvester *l. cit. casu 5.* Aliud esset, si ad monasterium in infirmitate, aut non mutandi statûs animò se contulissent; à talibus enim in infirmitate decedentibus, Monasterio relictorum portionem Canonicam Parochiæ deberi, *c. cit. pr.* habetur; quòd relicta præsumantur ratione sepulturæ, *arg. l. Julianus 2. ff. de Mortis causa donat,* Azor *cit. cap. 13. q. 3. casu 3.*

Septimò, ex legato, quod testamentò ante electam sepulturam conditò, relictum est; ut Ecclesiæ independenter à sepulturâ ante obitum electâ obveniat, *cit.* Azor *q. 4. casu 10.*

Octavò, quando legatum, Ecclesiæ Parochiali à defuncto relictũ portionem Canonicã ei debitam æquaret. Panormit. *in c. De iis cit. n. 2.* Alii tamen hac in re utuntur distinctione inter duos casus. Unum, quò Parochiæ legatum relictum est expressâ conditione; ut ultra illud quartæ Parochialis nomine nihil exigatur. Alterum, quò id absolutè & nullâ hujusmodi conditione expressâ est relictum. Et priori quidem, si legatum acceptetur, nihil amplius: posteriori verò casu etiam portionem Canonicam exigi posse, ex *c. Officii 14. V. Quodsi, de Testament.* desumunt apud *cit.* Donatum *q. 22.* quòd portionem illam exigendi juri priori casu renuntiatum videatur, *arg. l. Cùm ab uno 53. ff. de Legat. 2.* non etiam posteriori, *arg. l. Quoties 41. §. 1. ff. de O. & A.*

Nonò, portio Canonica non debetur 54. à Religiosis & aliis, per privilegia Apostolica specialiter, non generaliter duntaxat exemptis: cujusmodi privilegiis ab ejus præstatione FF. Minorum S. Francisci, Prædicatorum aliorúmque Mendicantium Ordinum Monasteria exempta, latè ostendit Donatus *Tract. cit. q. 4. & 5.*

Decimò demum non debetur, ubi ejus Parocho præstandæ obligationi Consuetudine legitimè præscriptâ, hoc est, quadraginta annis cum titulo vel immemoriali

moriali tempore est derogatum, Petr. de Ubald. *de Port. Canon. cap. 5. n. 3. & cap. 6. n. 34.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 215. n. 7.* & Barbosa *cit. cap. 25. n. 16.*

55. Atque hanc Consuetudinem, sicut quoad locum sepulturæ, sic etiam quoad præstationem Canonicæ portionis præcipuè spectandam, passim notant *citt.* aliíque DD. qui etiam monent, hodie multorum locorum usu receptum; ut Parocho tantùm de oblatis ipsô die sepulturæ & cum corpore defuncti delatis solvatur: de legatis autem aliísque oblationibus nihil præstetur, Molina *disp. cit. §. Quod ad.* In nostra Civitate Ingolstadiensi defunctis, antequam in Ecclesiis Regularium tumulentur, ad Parochiam delatis exequiæ (& postea, Septimi, Tricesimi & Anniversarii justa) persolvuntur; ideóque à sepulturæ loco nihil præstatur Ecclesiis Parochialibus.

56. Dubium de hac Portione est, cui Parochiæ debeatur ab eo, qui duo æqualia domicilia habuit, & parochias duas. Quô casu, si extra utramque sepeliatur, portionem inter eas dividendam, decisum est *c. Cùm quis 2. pr. V. Cùm ab eo in 6.* Molina *disp. cit. in fine.* Idem faciendum, existimat Archidiaconus *in V. Cùm ab eo cit.* etiamsi defunctus Sacramenta cæteráque Divina in una tantùm percipere solitus fuisset. Alii tamen frequentiori calculô eam tali casu huic solvendam desumunt ex *c. 1.* ubi tertia pars dari jubetur Ecclesiæ, *In qua defunctus cœlesti pabulô refici consuevit:* cui consonant *c. cit.* & *Clement. cit. V. Verùm.* Nec deficit ratio; quia talis, etsi potuerit duas, actu tamen unam duntaxat Parochiam habuisse videtur; cum Parochialis propriè illa Ecclesia dicatur, in qua percipiuntur Sacramenta, Sylvester *V. Canonica Portio, num. 11.* & Rodriquez *cit. q. 39. art. 5.*

Aliud dubium est, an portio Canonica tota spectet ad Ecclesiam Parochialem. De Jure, sicut cæterorum, quæ Ecclesiis inferioribus non exemptis ultimâ voluntate relinquuntur, *c. Officii 14.* & *c. Requisisti 15. de Testament.* sic etiam Mortuariorum sive legatorum, oblationum, aliorúmque funeralium, quæ iidem obveniunt, quartam Episcopo deberi, patet ex *c. Conquerente 16. de Offic. Ordin.* cujus argumentô ipsi etiam à Parochis præstanda est quarta, vel alia ubi recepta pars portionis Canonicæ, quæ ipsis obvenit ratione sepulturæ alibi factæ, Ubald. *Tract. cit. cap. 8. n. 4.* Unde

Infertur primò, casu, quô defunctus sepulturam extra propriam Parochiam eligit in Ecclesia non exempta, sive subjecta Episcopo, de iis, quæ Ecclesiæ sepulturæ obvenerunt, de Jure quartas sive Canonicas portiones duas solvendas: unam Episcopo, juxta *c. Officii & c. Requisisti citt.* alteram Parocho, juxta *c. 1. c. Cùm super & c. citt.*

Secundò, tali casu Episcopum duas ejusmodi portiones consequi: Unam ab Ecclesia sepulturæ, *c. Officii & c. Requisisti citt.* alteram à Parochia, scilicet quartam quartæ sive portionis Parocho competentis, *c. Conquerente cit.* Ubald. *cit. cap. 8. n. 13.* Tertiò, casu, quô sepultura electa est in Ecclesia exempta, unam tantùm, scilicet portionis Canonicæ Parocho præstandæ quartam, Episcopo deberi, juxta *c. Conquerente cit.* Panormit. *in c. Certificari 9. n. 10.* & Ubald. *cit. n. 13.* Casu tamen, quô duplex portio debetur, priùs Parochialem, quasi debitam ab ipso testatore, eáque deducta ex residuo primùm quartam portionis Episcopalis nomine præstandam, cum *cit.* Panormit. docet Covarruvias *in c. fin. de Testament. n. 8.* & Molina *cit. disp. 215. §. Juxta.*

TITU-

TITVLVS XXIX.

De Parochiis & alienis Parochianis.

PArochialium Jurium declarationem ceptam ad præcedentem, ad hanc Rubricam prosequimur, præmissâ, tamen ipsius Parochiæ constitutione.

ARTICULUS I.

De Parochiæ Constitutione.

SUMMARIUM.

1. *Parochia etymon & gemina acceptio.*
2. *Propriè accepta exigit Forum Pœnitentiale.*
3. *Locum certis limitibus clausum & Populum,*
4. *Fere decem familiis constantem:*
5. *Authoritatem Episcopalem,*
6. *Et Rectorem, suo nomine Sacramenta Populo ministrantem.*
7. *Parochia fontem Baptismalem & Cœmiterium Ordinariè:*
8. *Non semper aut necessariò habet:*
9. *Estque beneficium curatum.*

1. PArochia & Parœcia, etsi spectatâ Origine & etymologiâ voces omnino diversæ: & illa quidem à Græco Verbo παροικεῖν, quod *Prabere* sive Subministrare: ista verò ab ejusdem linguæ Verbô παροικεῖν, quod *Accolere* & conjunctim, sive in vicinis domibus cohabitare significat, desumptæ sint, modernô tamen usu, & Jure etiam Ecclesiastico, pro Synonimis habentur: & aliquando quidem, sed rariùs accipiuntur latè pro tota Diœcesi, sive civitate & territorio, in cujus Populum & Clerum jurisdictionem spiritualem Episcopus exercet, *can. 14. & 33. Apostol. can. Si quis 4. &c. dist. 92.* sicut vox *Parochianus* pro Diœcesano, *c. Nullus 3.* aliquando & plerumque strictè, & in sensu nostræ Rubricæ, pro certa & Cathedrali inferiore Ecclesia, quæ populum certis limitibus distinctum habet, & Presbyterum sive Rectorem, à quo illi Sacramenta, Verbum Divinum, aliáque spiritualia ex Officio ministrantur, Panormit. *in Rubric. n. 1.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 1. n. 26.*

Posteriori hoc sensu & propriè Parochia sive Parochialis, ut dici Ecclesia valeat, à Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloss. 6. à n. 34.* & aliis plura requiruntur.

Primò quidem ac præcipuè Potestas 2.
solvendi & ligandi in Pœnitentiali, sive interno Conscientiæ Foro: quæ non nisi in Sacerdotem cadit, *can. In novo 2. dist. 21. & c. Omnis utriusque 12. de Pœnit. & Remiss.* & ab eo obtinetur, qui ex necessitate sive ratione muneris, quod gerit, Sacra-

rit, Sacramenta Fidelibus ministrare: & ab his ea percepturis adiri debet, Glossa *in Clement. Dudum* 2. *V. Impendant, de Sepult. ubi* Panormit. *n.* 28. & Card. de Luca *Theatri V. & J. de Paroch. disc.* 23. *num.* 8.

3. Secundò, Locus certis & Episcopali authoritate designatis limitibus constitutus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, ut desumitur *ex can. Ecclesias*, 14. *q.* 1. & S. Synodi Trident. *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat. ibi, In locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines &c.* quia Parochi populum regere dicuntur *c.* 1. *de Capell. Monach.*

4. Populum autem constituere, aliqui volunt, homines decem, propter textum *can. Unio* 3. ibi, *Ecclesia, quæ usque ad decem habebit mancipia, super se habeat Sacerdotem*, 10. *q.* 3. cùm decem homines, secundùm Glossam *fin. in can. cit.* faciant Plebem: sicut decem oves faciunt gregem, *l. Oves* 3. *pr. ff. de Abigeis.* At mihi semper magis placuit Opinio aliorum: qui ad Parochiam decem, non quælescunque homines, sed Patresfamilias, sive totidem familias exigunt, & *can. cit.* pro *Mancipia*, *Mancipias* vel *Municipia*, legendum, hísque nominibus priscâ linguâ domos sive familias venisse, existimant cum Marsilio *de Eccles. redit. p.* 1. *cap.* 12. *n.* 10. Card. de Luca *cit. disc.* 23. *n.* 13. & Barbosa *cit. cap.* 1. *n.* 20. Quorum Opinio, sicut rationi; cùm Concilium Toletanum, ex quo canon ille desumptus est, de mancipiis sive servis loqui verisimile non sit: sic etiam conformis est usui Germaniæ nostræ: in cujus quarundam Diœcesium oppidis pagísque, ubi Catholici Hæreticis permixti degunt, his illísque, cùm decem suis sacris addictas familias numerant, Parochus concedi solet,

5. Tertiò, Authoritas Episcopi, limites sive fines designantis, & populum Parochianum constituentis, *can. Nullus omnino*, 16. *q.* 7. ideóque in controversia, an Ecclesia sit Parochialis, inquiri inter alia solet, quando & cujus consensu vel authoritate talis sit constituta, Ugolinus *de Offic. Episc. cap.* 53. *pr.* & Azor *p.* 1. *Institit. lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 14.

6. Quartò, ut Ecclesiæ Rector non solùm suò nomine, ut dictum: sed etiam solus, & non cum uno vel pluribus adjunctis, Sacramenta aliáque Divina populo ministret, *can. In apibus*, 7. *q.* 1. *can. Præcipimus*, 21. *q.* 2. & *c. Cùm non ignores* 15. *de Præb. & dignit.* quemadmodum enim una mulier duos sponsos, & unum corpus duo capita, quin monstrum sit: sic etiam una Parochia, & quævis alia Ecclesia sine monstrosa deformitate duos Rectores non admittit, *can. Sicut* 4. *q.* 2. *cit.* & *c. Quoniam* 14. *de Offic. Ordin.*

Neque obstat; quòd curam animarum habere possit Ecclesia Collegiata; quia tali casu cura non spectat ad canonicos singulos, sed ad omnes simul, sive totum Capitulum, personam Rectoris repræsentans: à quo illa per unum vel etiam plures canonicos, vel alios clericos exercetur ferè, sicut aliquando Ecclesiæ Parochialis, alium rectorem non habentis, curam per unum vel plures clericos Episcopus administrat, Gonzalez *l. cit. n.* 68. & 74.

7. Præter ista ad Parochiam aliqui requirunt; ut habeat Fontem Baptismalem & Cæmiterium, sive jus Baptismum & cætera Sacramenta (Ordine excepto) ministrandi & mortuos sepeliendi. Verùm, etsi hæc jura Parochis ordinariò competant, non tamen eam essentialiter constituunt; ideóque, licet signa sint, ex quibus in dubio Ecclesiæ status probatur, ex iis tamen præsentibus aut absentibus Ecclesiam Parochialem esse, vel non esse, necessa-

necessariò non infertur, Gonzalez *l. cit. n.* 57. Ratio de Fonte Baptismali est; quia Ecclesia Baptismalis & Parochialis esse possunt, & aliquando sunt distinctæ, secundùm Glossam *in Clement. 1. V. Matricem, de Sent. excom.* & Fagnanum *in c. Cùm contingat. 29. de Decimis n. 29.* & potestatis Ecclesiasticæ ordinatione, imò & consuetudine introduci potest; ut filii Parochianorum unius Parochiæ in alia baptizentur, Gonzalez *ibid. n. 52.* De Cæmiterio autem; quia hoc & Sepulturæ jus ex privilegio, Juri communi inserto, etiam competit Mendicantibus, *Clement. Dudum 2. §. Verùm & Extravag. 2. inter comm. de Sepulturis*: aliis verò, uti & Ecclesiis atque Capellis secularibus non curatis ex consuetudine, atque etiam ex Episcopi concessione competere potest, & competit non infrequenter, Flaminius *de Resignat. Lib. 2. q. 1. n. 108.* Eadem fere ratio est aliorum Sacramentorum: quorum, præter Pœnitentiam & Eucharistiam, administrationem, etsi regulariter & ferè semper exerceat, aliquando tamen ex accidenti non habere potest Ecclesia Parochialis, ut cum *cit.* Gonzalez *n.* 57. advertit Barbosa *cit. cap. 1. n. 34.*

8. Dubium hôc locô est, an Parochia sit beneficium Curatum. Dicitur autem beneficium Ecclesiasticum Curatum aliquando latè, prout cura includit etiam potestatem sive Jurisdictionem spiritualem Fori externi, quæ visitandô, leges & censuras ferendô, ab his absolvendô, incarcerandô aliáque morum correctionem spectantia faciendô exercetur, juxta *c. Dudum 54. §. Verùm, V. Sed cùm in Jure, de Electione*: quô modô acceptum beneficium curatum à Parochiali differre, & istô latiùs patere, ex dictis est indubitatum: aliquando verò propriè & strictè pro cura sive potestate & jurisdictione spirituali, quæ in Foro Pœnitentiæ interno per Sacramentorum, Pœnitentiæ præsertim atque Eucharistiæ, administrationem ex officio exercetur, juxta dicta *n. 2.* Quô modô acceptum Beneficium Curatum cum Parochiali ferè convenire, pluribus relatis tradit *cit.* Barbosa *n. 47.*

ARTICULUS II.

De Juribus Parochiarum.

SUMMARIUM.

10. Talia sunt I. Collatio Baptismi,
11. Hodie fere solis Parochis competens.
12. II. Sacramentalis Absolutio Parochianorum,
13. Aliis clericis ex commissione Parochorum:
14. Privilegiô Apostolicô Regularibus,
15. Et certis casibus cuivis Sacerdoti competens.
16. III. Dispensatio SS. Eucharistiæ,
17. Indultô Apostolicô etiam Regularibus permissa.
18. IV. Solemnizatio & Benedictio Nuptiarum.
19. V. Extrema Unctionis administratio.
20. VI. Celebratio Missæ diebus Festis in propria Parochia,
21. Minori tamen, quàm olim, rigore hodie audiendæ.
22. VII. Prædicatio Verbi Divini & Catecheses,
23. Privilegiô Regularibus permissa.
24. VIII. Dispensatio Sacrorum cinerum, Cereorum, Palmarum &c.
25. IX. Festorum, Vigiliarum Jejuniorum &c. denuntiationes.
26. X. Jus Sepulturæ & Canonicæ portionis.

10. JUra Ecclesiis Parochialibus earúmque Rectoribus competentia, & fere spectantia ea, quæ Parochiani vel ab illis recipere & petere, aut iis pendere & præstare de Jure ordinariè tenentur, à Panormit. *ad hanc Rubr. n. 2.* Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 12. q. 4.* & Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Paroch. disc. 24. n. 8.* varia recensentur. Præcipua sunt

Primò Fons Baptismalis; quantumvis enim validè, & in necessitate etiam licitè baptizare valeat quivis, etiam laicus ac fœmina, imò & paganus: dummodo formam Ecclesiæ servet: &, quod ista, baptizandò etiam ipse intendat, *can. Ad limina, 30. q. 1. can. Si qui necessitate, 16. can. Romanus 21. dist. 4. de Consc. c. 1. de Summa Trinit.* & Concil. Florent. in Decreto Eugenii post *Sess. ult. §. Primum.* Ordinariè tamen & ex proprio officio Pastorali eum conferendi potestas post Papam per se & primò competit Episcopis ac Parochis, respectu infantium suorum diœcesanorum & parochianorum ità; ut non tantùm Sacerdos simplex, sed Episcopus quoque & Parochus diœcesanorum & parochianorum alienorum infantes, extra casum necessitatis, & sine commissione vel licentia proprii baptizans, graviter peccet, Saà *V. Baptismus n. 6.* & Bonacina *de Sacrament. disp. 2. p. 5. n. 10.* sicut & parentes, si extra talem casum proles suas, sine expressa vel saltem rationabiliter præsumpta licentia proprii, alieno Parocho vel Sacerdoti offerant baptizandas; quia Ecclesiæ Ordinationem & alienum jus violant ipsi, & aliis eadem violantibus cooperantur, Laiman. *Lib. 5. Tract. 2. cap. 7. n. 2* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 18. n. 11.*

11. Neque obstat; quòd Religiosis Societatis JESU à Paulo III. *Constitutione*, quæ incipit *Inter cunctas, 1545.* concessa sit facultas Pœnitentiæ, Eucharistiæ & alia Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi: quæ postrema verba ne superfluant, vi ejus privilegii Apostolici etiam Baptismi & extremæ Unctionis administratio eis concessa videri potest. Rebl id quidem, si loquamur, de terris Infidelium aut etiam hæreticorum, fundatas aut Catholicas Parochias non habentibus, cùm; quia id faciendò nulli afferunt præjudicium: tum verò; quia ad Ecclesias fundandas eò mittuntur, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 4. n. 5.* Non etiam, si sermo sit de terris Fidelium, aut Infidelium quidem, sed Parochias jam fundatas habentibus; quia in his Baptismũ & extremam Unctionem, extra casum necessitatis, sine proprii Parochi vel Episcopi licentia administrari ab ipsis non posse, certum est, cùm id cederet in præjudicium Parochorum: quibus ipsa Parochiæ collatione concessa videtur potestas sui districtùs, sicut Fidelibus cætera Sacramenta, & illorum prolibus Baptismum administrandi, sic etiam ipsius collationè iis, quorum parentes Fideles non sunt, ingressum in Ecclesiam aperiendi, ut tanquam securiùs, imò & probabiliùs docet idem *n. 8.* & Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 9. n. 3.*

Secundò & præcipuè Forum Pœnitentiale: cui post Papam & Episcopum diœcesanum parochiani sive fideles in parochia aliqua verum aut quasi domicilium habentes, ita subjiciuntur; ut postquam ad annos discretionis pervenerint, Parocho tanquam proprio suo Sacerdoti peccata sua, saltem semel in anno confiteri, *c. Omnis utriusque 12. de Pœnit. & Remiss.* & contrà Parochus ipsis Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm semel in anno, aut quando aliàs obligantur, ut Sylvester *V. Confessor n. 14.* & Armilla *V. Absolutio n. 27.* voluerunt; sed quoties ab ipsi ex justa causa petierint, & Parochus expedire

expedire judicârit, administrare teneatur, Azor *p. 1. Instit. lib. 2. cap. 17. q. 10.* & Bonacina *l. cit. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23.* Alienus verò Parochus aut Sacerdos, quantumvis aliàs ad excipiendas pœnitentium Confessiones approbatus sit, talium parochianorum Confessiones, etiam intra propriæ Parochiæ fines audire, eósque absolvere sine proprii ipsorum Parochi consensu licitè, imò & validè de Jure & regulariter non possit; propter defectum jurisdictionis ad Absolutionis valorem requisitæ à Conciliis Florent. in *cit. Decreto §. Quartum* & Trident. *Sess. 14. cap. 7.* ut cum Navarro *in can. Placuit 3. de Pœnit. dist. 6. à n. 47.* & aliis docent *cit.* Azor *p. 2. lib. 3. cap. 12. q. 10.* & Laiman *cit. Lib. 5. Tract. 6. cap. 10. n. 1.*

13. Dixi autem primò, *Sine proprii Parochi consensu*; quia ex istius commissione ipsius parochianorum Confessiones auditi à quolibet ab Ordinario approbato sacerdote posse, clarè insinuatur *c. Omnis ait, V. Si quis autem*, dum asseritur, alieno peccata confiteri volenti licentiam à proprio Sacerdote postulandam. Non opus tamen semper est istius licentiâ sive consensu expressò, sed aliquando sufficit tacitus: quem habet, qui, ut hodie non infrequenter fit, propriò sciente & non contradicente peccata sua alieno Parocho, aut alteri ab Ordinario approbato Sacerdoti confitetur, Azor *cit. q. 10.* Imò etiam, si alteri confitendi licentiam petenti, proprius parochus injustè deneget: & parochianus sine periculo salutis, ut vg. Parochi concubina, aut famæ propter justum metum revelationis &c. proprio Parocho confiteri, & licentiam ab Episcopo petere non valeat, ipsum nihilominus alteri confiteri posse, *arg. can. Placuit cit.* plures non improbabiliter docent cum Navarro *in can. cit. n. 144.* Sylvestro *V. cit. q. 6.* & Henriquez *Lib. 6. cap. 13. n. 4.* Contrarium tamen, aliis DD. relatis, defendit Suarez *Tom. 4. de Pœnit. disp. 27. s. 4. conclus. 2.*

14. Dixi secundò, *Jure communi*; quia speciali jure, vg. ex privilegiò Mendicantes & alii Sacerdotes Regulares Ordinum, cum ipsis in privilegiis communicantium, ab Ordinario approbati, & à suis Superioribus expositi quorumcunque Fidelium Confessiones, non solùm intra, sed etiam extra suas Ecclesias vg. in secularium ægrotantium domibus excipere possunt, Parochorum licentiâ minimè requisitâ; quia jurisdictionem delegatam à summo Pontifice, qui Ordinarius & generalis omnium totius Christiani Orbis fidelium Episcopus & Pastor est, Glossa *fin. in c. fin. de Pœnis in 6.* acceperunt editis variis Constitutionibus, quas allegant Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 60. art. 4.* & Donatus *Prax. Regular. Tom. 3. tract. 4. q. 34.*

15. Dixi tertiò, *Regulariter*; quia à DD. excipi solent tres casus: quibus ex perpetua Ecclesiæ Consuetudine quilibet ritè ordinatus Sacerdos quoscunque fideles absolvendi potestatem, in ipsa Ordinatione acceptam habet: scilicet Primò, si confitens solummodo habeat peccata venialia. Secundò, vel mortalia quidem, sed à quibus jam semel legitimè est absolutus; cùm enim hujusmodi peccatorum Confessio ex nulla obligatione, sed ex mera devotione fiat, conveniens omnino erat, ab iis absolvendi potestatem omnibus concedi. Tertiò, in articulo sive periculo mortis: in quo constitutum, ne restrictæ jurisdictionis & reservationis occasione facilè pereat, à quibuscunque peccatis & censuris absolvi à quocunque Sacerdote in Ecclesia DEI semper potuisse, expressè traditur à Concilio Trident. *cit. cap. 7. citt.* Suarez *disp. 26. s. 4. n. 1. & s. 5. n. 2.* & Laiman *cap. 10. n. 2.*

16. Tertium est Dispensatio Sacramenti Eucharistiæ; hanc enim non tantùm Parochi ex officio suo, ad pascendas oves suas ipsos obligante, subditis parochianis, quoties rationabiliter petunt, ministrare tenentur, Navarrus *in can. Placuit cit. n.152. citt.* Bonacina *disp.4. q. & p.1.n.14.* & Barbosa *cap.20.n.15.* sed fideles, tempore quidem nascentis & primævò spiritu adhuc fervent is Ecclesiæ singulis diebus, *can. Episcopus 58.* junctâ Glossâ *fin. dist.1. de Consec.* postea, crescente Fidelium numerò & Charitate refrigescente, quot annis ter, scilicet in Nativitate Domini, Paschate & Pentecoste, *can. Etsi 15. can. Seculares 18. ibid. dist.2.* hodie verò saltem semel in anno & tempore Paschali à proprio quisque Parocho, vel ex ejus commissione ab alio Sacerdote percipere ex obligatione solet, *c. Omnis cit.* etsi enim ex institutione Christi & vi Ordinationis suæ Sacramentum hoc conficiendi, & ministrandi etiam, potestas Sacerdotibus omnibus competat, hanc tamen licitè non exercent: nisi ad id Ordinariam, ut Papa, Episcopus, Parochus, vel ab istorũ aliquo delegatam habeant jurisdictionem; quia Sacramentorum & præsertim Eucharistiæ dispensatio proprium munus est Pastorum: & propterea non nisi ab ipsis, eorúmve commissione vel licentiâ, saltem tacitâ, usurpari valet, Ugolinus *de Offic. Episc. cap.15. §.7. n.1. & cit.* Suarez *disp.72. s.2.*

Qui verò absque ulla eorum licentia eam fidelibus ministraret, graviter peccaret: &, si Religiosus esset, de Jure ipsò factò incurreret excommunicationem, Papæ absolutioni reservatam, *Clem. 1. de Privileg. ubi* Barbosa *n.3.* exceptò casu extremæ necessitatis sive articuli aut periculi mortis: in quo constitutum infirmum SS. Eucharistiæ Sacramentò refici à quolibet Sacerdote &, tali absente aut irrationabiliter nolente, etiam à Diacono posse, *ex S. Clem. Romani Lib.8. Constit. Apostol. cap.28.* & Concilii Niceni I. *can. 14.* desumunt *cit.* Suarez *conclus.3.* & Henriquez *Lib.8. cap.54.n.2.*

17. Dixi etiam, *De Jure*, intellige, *Communi*; quia *Clement. cit.* rigori derogatum est per privilegia Apostolica, à Nicolao V. Sixto IV. Julio II. Leone X. & Paulo III. concessa: vi quorum Religiosi Mendicantes & alii, qui cum ipsis in privilegiis communicant, Parochorum licentiâ non requisitâ, SS. Eucharistiam omnibus Christi Fidelibus, quibus ejus sumptio prohibita non est, ministrare in Ecclesiis suis possunt, exceptâ Communione Paschali & sumptione sacri Viatici, ut explicat Suarez *Tom.4. de Relig. Tract.10. lib.6. cap.3. n.8.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap.20. n.8. Communione*, inquam; quia istâ, juxta Ecclesiæ præscriptum, *c. Omnis utriusque cit.* in Parochia jam refectis SS. Eucharistiam tempore etiam Paschali & ipsis Cenæ ac Resurrectionis Dominicæ diebus ministrare non prohibentur, ut habetur in *Compend. Privileg. S.J.V. Eucharistia §.2.* & docent *cit.* Suarez *cap.3. n.7.* Ioscan. Tamburin. *Tom.2. de Jure Abbat. disp.5. q. & n.3.* Miranda *Manual. Tract. q.42. art.2. conclus.2.* & alii contra Navarrum *Manual. cap.21. n.51.*

18. Quartum jus Parochiale est Solemnizatio & Benedictio Matrimoniorum, *can. Aliter 3. q.5. c. fin. pr. & §. Sanè de Clandest. desponsi.* & Trident. *Sess.24. cap.1. de Reformat.* ubi ea aliter, quàm coram proprio Parocho vel alio Sacerdote de ejus vel Ordinarii diœcesani licentia, contracta irritantur, *ut Lib.4. Tit.3.* plenius tradetur.

19. Quintum, administratio extremæ Unctionis; nam etiam hoc Sacramentum, licet validè à quovis Sacerdote, ut colligitur ex

gitur ex Concil. Trident. *Sess. 14. de Extrema Unct. cap. 3. & can. 4.* & cum S. Thoma *in 4. dist. 23. q. & art. 2.* tradunt Rodriquez *Tom. 5. Regul. q. 79. art. 1.* & Suarez *Tom. 4. in 3. p. disp. 43. s. 1. n. 4.* licitè tamen id sacerdos non administrat: nisi in infirmum habeat jurisdictionem, ab Ecclesia non impeditam; ac proinde non nisi proprius illius Parochus vel ab isto delegatus sit, Sylvester *V. Unctio Extrema, q. 4.* Laiman *Lib. 5. tract. 8. cap. 7. n. 3.* & Bonacina *l. cit. disp. 7. q. Unica, p. & n. 4.* Imò Sacerdotes Regulares saltem Exempti (probabiliùs etiam non-Exempti, Suarez *de Censur. disp. 22. s. 4. n. 5.*) Sacramentum hoc extra casum necessitatis (quò scilicet Parochus proprius abest, vel per manifestam injuriam non vult, & superior aditri nequit) administrantes, excommunicationem Papæ reservatam ipsò factò incurrunt, *cit. Clement. 1. de Privileg.*

20. Sextum, Auditio Missæ diebus Dominicis ac Festis; sicut enim his illam per se vel alios celebrare Parochi, Trident. *Sess. 23. cap. 14. de Reformat.* sic Parochiani iisdem diebus illi in propria Parochia interesse tenentur, *can. In Dominicis 3, &c. 9. q. 2. & c. Ut Dominicis 2. hâc Rubr.* quibus Parochi alienos parochianos talibus diebus non admittere, & prius quam Missam celebrent, ad eam audiendam Ecclesiam ingressos ejicere jubentur. Imò *Extravag. 2. inter Com. de Treuga* Religiosis Mendicantibus sub excommunicatione prohibetur; ne prædicent, populum ad Missam diebus Festis in propria Parochia audiendam non teneri.

21. Verùm huic antiquorum Canonum rigori cum tempore derogatum est, partim per generalem aut saltem plurium Provinciarum Consuetudinem, præsertim in civitatibus: in quibus fideles diebus Festis Missæ, in qua volunt, Ecclesia, vel Oratorio solent, & licitè possunt interesse, Sylvester *V. Missa 2. q. 5.* & Guttierez *Canon. QQ. lib. 1. cap. 30. n. 21.* partim Constitutione Leonis X. à Barbosa *de Offic. Paroch. cap. 11. n. 15.* relata: quâ declaratur, Fideles in Mendicantium (& aliorum Regularium, cum ipsis in privilegiis communicantium) Ecclesiis absque contemptu proprii Parochi Missam Dominicis Festisque diebus audientes Ecclesiæ præcepto satisfacere. Non obscurè his favet S. Synodus Tridentina: quæ, dum *Sess. 22. in decreto de Observand. in Celebr. Missæ* dicit, populum monendum (non cogendum) ut ad suas Parochias diebus Dominicis &c. accedat, satis insinuat, ad has accedendi præceptum hodie non dari: quòd à Cardinal. Interpp. declaratum, testes sunt Zerola *Prax. Episc. V. Parochia & V. Missa §. 6.* & Hieron. Roderic. *Compend. QQ. Regular. Resol. 25. n. 5.*

Quod si tamen, parochianis Missas majorem partem alibi, & præsertim in Sacellis vel Oratoriis privatis & in Ecclesiis à Sede Apostolica non privilegiatis audientibus, Ecclesiæ Parochiales deserentur, Episcopi esset, populum ad suæ Parochiæ frequentationem commonere, juxta Trid. *l. cit.* & hanc etiam aliis, sed mitioribus modis & sine censurarum aliarúmque pœnarum comminatione, promovere, Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. & q. 6.*

Septimum est verbi Divini Prædicatio: quam in sua quemque Parochia, si commodè potest, audire teneri, & populum ad hoc admonendum, patet ex Trident. *Sess. 24. cap. 4. de Reformat.* Parochos ad eam diebus Dominicis Festisque solennibus per se vel alios idoneos verbi Divini præcones faciendam obligari, diserte habetur ejusdem S. Synodi decretis Reformatoriis *Sess. 5. cap. 2. Sess. 24. cap. 7. & Sess. 25. cap. 2.* ubi Episco- 22.

pi in Parochos eam negligentes, quantumvis aliàs ab eorum jurisdictione exempti sint, si moniti suo muneri defuerint, per censuras Ecclesiasticas aliásve pœnas, suô arbitriô infligendas, procedere jubentur.

23. Quamvis autem verbi Divini prædicandi munus unum ex Parochialibus, ita tamen Parochis cæterisque animarum pastoribus proprium non est; ut non etiam competat Religiosis: qui cum superiorum suorum licentiâ & petitâ Benedictione Episcopi verbum Divinum prædicare possunt in propriis suorum Ordinum Ecclesiis: & aliqui extra illas in omnibus locis & plateis publicis, juxta *Extravag. 1. inter comm. de Privileg.* & *Constitutionem* Pauli III. in favorem Societatis JESU *editam* 1545. Imò, consentiente Parochô, & Episcopô facultatem tribuente in ipsis etiam Ecclesiis Parochialibus, *Extravag. cit. & Clement. Dudum* 2. §. *In Ecclesiis, de Sepult.* Ex specialibus etiam privilegiis ejusdem Societatis Religiosis habere licet Catecheses, quibus pueris aliisque rudibus Christianæ Fidei rudimenta explicantur: ad quas singulis saltem Dominicis festisque diebus per se aut alios habendas Parochi graviter obligantur: &, si hujus sui officii negligentes sint, censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis compelli ab Episcopis possunt, secundùm Trident. *Sess. 24. cap. 4. cit.*

24. Octavum, sunt varii actus officiô Parochiali annexi; ut in iis clerici seculares inferiores, etiam beneficiati se nequeant immiscere: ut sunt Benedictio & dispensatio cereorum in Festo Purificationis B. Mariæ Virg. Cinerum primâ die Quadragesimæ & Palmarum Dominicâ Festum Paschatis antecedente: Benedictio Fontis Baptismalis, celebrationes Missæ in Cœna Domini & Sabbatho sancto: Delationes SS. Sacramenti & Processiones per Parochiam, Barbosa *de Officio Parochi cap.* 12. *à n.* 2. Cujusmodi tamen actus aliquos ex privilegio exercere valent Regulares.

Nonum, Denuntiationes Festorum & Vigiliarum, in quibus ex præcepto Ecclesiæ, statutô diœcesanô vel loci Consuetudine est jejunandum: Publicatio & explicatio Jubilæorum atque Indulgentiarum, jubente Episcopo, inter Missarum solennia facienda, *cit.* Barbosa *cap. 16. à n. 1.* uti & Denuntiationes matrimoniorum, faciendæ modô *Lib. 4. Tit. 3.* declarandô.

Decimô demum, Parochiis competunt Jura Sepulturæ, & ratione illius electæ alibi, præstandæ Canonicæ portionis, declarata ad præcedentem: & ad proximè sequentem Rubricam declarata Jura Decimarum, Primitiarum & Oblationum.

ARTICULUS III.

De earundem Limitibus & Limitanearum Causarum Judicio.

SUMMARIUM.

27. *Limites diœcesium solâ Apostolicâ*
28. *Parochiarum etiam Episcopi auctoritate constituuntur,*
29. *Atque etiam mutantur.*
30. *Per viam solius Præscriptionis,*
31. *(Nisi incerti sint) non mutantur:*
32. *Etiamsi ea hominum memoriam excedat.*
33. *Lites super iisdem limitibus mere Ecclesiasticæ sunt,*
34. *Spectatô Jure,*

35. Et

35. *Et Ratione.*
36. *Vi ullius præscriptionis non competunt judici Seculari:*
37. *Etiamsi huic cognitio Decimalium,*
38. *Et Juris Patronatûs quæstionum competeret:*
39. *Nisi super limitibus illis mota quæstio de mero facto,*
40. *Et reus conventus laicus sit.*

27. Sicut Diœcesium sive Episcopatuum, sic etiam Parochiarum limites seu fines publicâ, eáque Ecclesiasticâ authoritate sunt constituti. Illarum quidem sive Diœcesium quarundam jam ab Apostolis & S. Clemente, *can. Urbes 1. &c. dist. 80. & can Provinciæ* junctâ Glosâ *V. eôdem, dist. 99.* aliarum verò ab aliis S. Petri successoribus, Barbosa *de Offic. Episc. p. & tit. 1. cap. 7. n. 2.* Istarum verò sive Parochiarum primùm à Dionysio Papa, qui Parochias vel ipse divisit, *can. Ecclesias, 13. q. 1. & c. Pastoralis 9. de, Iis quæ à Prælat.* vel saltem jam factam ab Evaristo Prædecessore suo, sed Valeriani persecutione sublatam aut confusam earum divisionem restituit, ut *in c. cit.* notat Gonzalez *n. 1.*

28. Deinde verò ab aliis summis Pontificibus, atque etiam ab Episcopis, novas Parochias erigentibus, dividentibus, unientibusque in propriis suis diœcesibus.

Neque his adversatur; quòd Sedes Episcopales Argentinensem & Constantiensem à Dagoberto institutas, Beatus Rhenanus *Lib. 2. Rer. German.* Bremensem & alias à Carolo M. fundatas, Kranzius *Lib. 2. cap. 14. & 15.* Ecclesias Cathedrales in Metropolitanas mutatas ab Isacio Angelo *in Constitut. ejus Imp. Lib. 1. Jur. Orient. Tit. de Metropolitis*: Diœceses & Basilicas Polonorum à Miesca sive Miezlao I. Rege Christiano distinctas & dotatas, Cromerus *Lib. 2. de Reb. Polon.* ab aliis Regibus ac Principibus alias erectas, alii perhibeant; quia id quidem aliquando ab istis, sed semper interveniente Sedis Apostolicæ authoritate: alios autem tam Episcopatus quam Archiepiscopatus, ab hac sola sine illis conditos aut mutatos, testis est, qui eadem refert Tholosan. *Syntag. Lib. 15. cap. 12. n. 4. & 5.*

Eâdem, quâ constituti sunt, authoritate diœcesium ac Parochiarum limites mutari posse, desumitur ex *can. 1. dist. 10. & c. Sicut unire 8. de Excess. Prælat.* & cum Hostiensi *in c. Cùm contingat 12. de Foro compet. n. 11.* Panormit. *ibid. n. 18.* tradunt Hieronymus à Monte *de Finibus regund. cap. 4. n. 11.* & Barbosa *p. & Tit. 1. cit.* 29.

An mutari etiam valeant præscriptione, dubium & istius ratio est; quòd præscribi valeant jura Episcopalia & Parochialia, vg. visitandi, decimas vel Oblationes percipiendi in prædiis vel Ecclesiis, sitis intra fines alterius Diœcesis vel Parochiæ: & ipsa etiam prædia limitanea aliáque bona, in quibus sunt fines, tam Diœcesium quam Parochiarum, *c. 1. c. Ad aures 6. & c. Auditis 15. de Præscript.* & clarè satis de ipsis etiam finibus id habeatur *c. Quia Indicante 9. Rubr. cit.* Sed, etsi hæc de illis, & finibus etiam dubiis nemo facilè neget, ipsos tamen illarum fines sive limites præscriptioni obnoxios non esse, ex communi sensu tradunt Panormit. *in c. Super eo 4. n. 6.* Balbus *de Præscript. pr. p. 6. p. 1. n. 8.* Hieron. à Monte *l. cit. cap. 107. n. 2. & cit.* Barbosa *n. 10.* Ratio est; quia Præscriptio vim suam omnem debet legibus Civilibus & sacris Canonibus, quibus introducta est vel approbata: ideóque locus ei non est in rebus, respectu quarum ipsi Leges aut sacri Canones resistunt, *l. Ubi lex 24. ff. de Usu-* 30.

de Usucap. Panormit. *in c. Causam 7. de Præscript. n. 3.* ejusmodi autem finium præscriptioni clarè resistunt sacri Canones, *can. Quicunque 4. &c. 16. q. 3. & c. Super eo cit.* & non obscurè etiam leges Civiles, *l. Agros 3.* ibi, *Cujuslibet spatii temporis Præscriptione cessante, C. de Fund. limitroph.* ut textum hunc intelligit *cit.* Balbus *V. Amplia.* Cujus ulterior ratio est partim; ne diœcesium ac parochiarum limites & confines, authoritate publica & ob publicam utilitatem constituti, facilè confundantur, malô & incommodô publicô, quod secum traherent lites & jurgia ex alienorum usurpatione facilè & frequenter excitanda: partim verò; quòd legum & sacrorum Canonum conditores in terminis sive limitibus, præter jus publicum agnoverint quid sacrum, Gonzalez *in c. Ex literis 3. de Probat. n. 6.* Sacræ autem & Religiosæ res præscribi nequeant, §. *Sed aliquando 1. Instit. de Usucap. & l. Alienationem 9. ff. de Usurp. & Usucap.* eámque ob causam, sicut diœcesium ac parochiarum, sic etiam Regnorum, Ducatuum, Comitatuum fines præscriptione mutari posse, Baldus aliíque negent cum Panormit. *in c. cit. in fine*, ubi tamen in his consuetudine contrarium observari notat.

31. Dixi autem, *Certos*, hoc est, quôs legitimâ authoritate constitutos per instrumenta, libros & monumenta antiqua aliásve idoneas probationes indubitatâ fide constat, *c. Super eo cit.* quia; si de finibus ita constitutis non constaret, ei, qui in possessione est, præscriptionem prodesse, desumitur ex *can. Volumus, 16. q. 4. & c. Quia indicante 9. de Præscript.* & *ibi* cum Glossa *V. Quadraginta*, notat Felinus *n. 5.* & Panormit. *in c. Super eo cit. n. 3.* quia eo casu propriè non præscribuntur fines, Barbosa *in c. cit. n. 43* neque possessor esse præsumitur rei alienæ usurpator ac perturbator publicæ quietis, sed rei dominium habere; ne hoc sit in incerto, Vivianus *in c. cit.*

Etiam fines certos tempore saltem 33 immemoriali præscribi posse, volunt Barbus *cit. V. Limita*, cum Franc. Curtio *Consil. 58.* ex ratione; quòd præscriptionis prohibitio non afficiat immemorialem; cùm ista habeat vim privilegii, *c. Super quibusdam 26. pr. V. Præterea, de V. S.* Verùm, etsi hoc concedi possit, quando præscriptio immemorialis allegatur in vim probationis privilegii aliquando obtenti, ut cum eodem Barbo & aliis DD. tradit Barbosa *Usufruct. clausula 88. n. 4.* non tamen procedit de aliis præscriptionibus immemorialibus & qualem in proposita limitum Parochialium materia per generalia verba *c. Super eo cit.* excludi suadet ratio allata, & docent Felinus *in c. Quia cit. in fine* Panormit. *in c. Super eo cit. n. 1.* & Barbosa *ibi n. 3.*

Pro responsione ad rationem dubitandi adhibenda est distinctio, inter fines; hi enim dupliciter considerari possunt: aliquando quidem tanquam pure soli, ut prædium sive fundus ad aliquem, vg. ejus cultorem, spectans: aliquando verò, quatenus sunt termini & limites Provinciam, Diœcesin vel Parochiam finientes & ab aliis distinguentes: quorum priori modô duntaxat acceptos fines præscriptioni obnoxios esse facile conceditur, & probat ratio dubitandi. Ut proinde, sicut Ecclesia vel prædium intra Diœcesin vel Parochiæ fines situm & ex isto provenientes decimæ, sic etiam partis soli limitanei in eóque sitæ Ecclesiæ præsidi &c. proprietas, & visitandi, decimas, primitias, oblationes percipiendi jura, sicut per alias, sic etiam per Præscriptionis viam ab uno in alterum transferri possint

possint, Glossa *in can. Quicunque cit. V. Provinciam*, Zabarell. & Felinus *in c. Quia indicante cit. n. 5.*

33. Aliud dubium & non ita pridem inter Regiam cæterasque Seculares & Ecclesiasticas Curias magnis utriusque partis studiis agitata, & fortassis necdum definita controversia fuit de cognitione quæstionis finium Diœcesanorum & præsertim Parochialium: quàm perinde ut eam, quæ de Regnorum, Ducatuum, Comitatuum limitibus movetur, Curiæ Seculari competere, ex triplici ratione aliqui contendebant.

Et imprimis quidem huic illam adstruebant ex ipso Jure communi; quòd quæstio illa sit merè temporalis; cùm lis tota sit de facto divisionis Diœcesium ac Parochiarum, istarúmque ad plura vel pauciora oppida, pagos, prædia & fundos; ultra vel intra flumina, montes, sylvas, agros &c. verbô ad majus vel minus terræ spatium extensione vel restrictione: quæ lis seu quæstio plùs spiritualitatis non habet, quàm ea, quæ est de divisione, extensione, restrictione Regnorum, Ducatuum, Comitatuum: de quibus motas controversias merè temporales & judicio seculari obnoxias esse, res est Juris omnino explorati.

Deinde ex præscriptione immemoriali, ejusmodi cognitionis usu continuato tanto tempore, cujus initii memoria non extat, utique perfectâ, *arg. l. In summa 2. §. 8. ff. de Aqua pluvia arc.* & æquivalente privilegio Apostolico, *V. Præterea cit. & l. Hoc Jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* quô ejusmodi cognitionem judicialem acquiri posse, *in c. Decernimus 2. de Judic.* cum Glossa *V. Præsumant*, docent Panormit. *n. 5.* Decius *n. 6.* & alii DD. passim.

Demum ex Jure & ratione speciali; quòd Regiæ cæterisque Curiis Secularibus ei subordinatis speciali Jure competat cognitio causarum Decimalium & juris Patronatûs: quibus causas sive quæstiones limitum, præsertim Parochialium, accensendas contendebant; quòd prædictæ quæstiones sint inter se connexæ; quia sunt de rebus connexis, scilicet limitibus Parochialibus, connexionem habentibus imprimis cum jure Patronatûs; cùm patroni sit, præsentare clericum ad Parochiam sive curam animarum intra certos limites exercendâ: deinde cum Decimis, quas percipiendi jus unum ex Parochialibus est, & ad omnia prædia intra Parochiæ limites sita se extendit, *c. fin. hâc Rubr. c. Cùm sint 18. c. Cùm contingat 29. &c. de Decimis*, connexorum autem idem sit judicium, *arg. c. Translato 3. de Constitut. c. Præterea 5. de Offic. deleg. & l. Quid ergo 3. §. 8. ff. de Contr. Tutel. act.* ita; ut, cujus est de illorum uno, etiam de altero cognoscere sit, *arg. c. 1. de Causa poss. & propr. & l. Nulli 10. C. de Judiciis.* Ego tamen, inclytô Collegiô Juridicô concordibus calculis suffragante, cum ea quæstio moveretur, & nunc etiam

Censeo primô, causarum seu quæstionũ de limitib⁹, tam Parochialib⁹ quàm Diœcesanis, motarum cognitionem, spectatô Jure, soli Ecclesiastico judici competere: quod pleríque DD. & Interpp. cum Hostiensi, Zabarella & Ant. de Butrio *in c. Super eo cit.* supponere videntur.

Movebar imprimis variis textibus 34.
Juris; sic enim controversia de extensione jurisdictionis ad fideles, inter Antigonum & Optantiũ Episcopos orta, à Concilio Carthaginensi jam anno 748. definita *can. 12. & c. 1. de Pactis*: & causa limitũ duarum præbendũ confinium, *c. Ex literis 3. de Probat.* inter Cistrensem Epi-

scopum, vel potiùs Decanum, ut *in c. cit.* Gonzalez *n.* 1. ostendit & Archidiaconum exorta, Lucii Papæ III. judiciô terminata est. Idem liquet ex *c.* 1. *c. Super eo 4. hâc Rubr. & c. Quia 2. de Relig. domib.* quibus aliisque sanctionibus Ecclesiasticis favent antiquæ Leges Romanæ, secundùm quas de terminis motis, finibúsque regundis, quòd termini sancti inviolatíque haberentur, Fratres Arvales, qui Sacerdotes erant, cognovisse, existimat Cuiacius *Lib.* 10. *Observat. cap. 34. & Lib.* 11. *cap.* 5. apud *cit.* Gonzalez *n.* 14. Idem confirmat Praxis Curiarum Archi- & Episcopalium, à quibus ejusmodi causas definiri, & per Appellationem ad Sedem Apostolicam non rarò devolui, docent decisiones Rotæ Romanæ apud Barbosam *de Offic. Episc. p. & Tit.* 1. *cap. & n.* 7. *& de Offic. Paroch. cap.* 1. *n.* 18. & Card. de Luca *Theatr. V. & I. de Paroch. disc.* 39. allegatæ.

35. Deinde; quia de Diœcesium & Parochiarum finibus statuere ac disponere Ecclesiasticæ est potestatis, ut colligitur Primò ex eo; quòd Diœceses ipsæ & Parochiæ earúmque limites ac fines constituti sint Ecclesiasticâ authoritate, *can.* 1. *& c. dist. 80. can.* 1. junctâ Glossâ *V. Provinciæ dist. 99. can. Ecclesias, 13. q.* 1. *c. Pastoralis 9. de Iu, quæ à Prælat. & Extravag. Sedes Apostolica inter com. de Offic. deleg.* &, licet aliquando Archi- & Episcopales Sedes à Regibus erectæ perhibeantur à Tholosano, id tamen interveniente authoritate Apostolica factum, idem moneat *Syntag. Lib.* 15. *cap.* 12. *n.* 4. Secundò; quòd, justis causis suadentibus aut exigentibus, eâdem authoritate facienda sit olim factæ divisionis mutatio per Parochiarum unionem, novámque divisionem, dismembrationem &c. per textus *can. Et temporis 50. & c.* 16. *q.* 1. *c. Exposuisti 33. de Præb. & dignit. c. Sicut unire cit. Clement. fin. & c. fin. de Reb. Eccles. alien. in 6. Extravag. cit.* & Trident. *Sess.* 21. *cap. 4. de Reformat.* Tertiò; quòd earum fines non distinguantur secundùm terminos dominii temporalis; sed plerumque una Diœcesis, uti etiam quandoque Parochia, ultra fines unius dominii temporalis in aliud, & aliquando ad plura extendantur, Glossa *in Clement. Ne Romani 2. V. Diœcesis, de Elect.* & *cit.* Hieron. à Monte *cap.* 13. *n.* 3. Quatò; quòd, si Regna aliáque dominia temporalia mutari contingat, non hic ipsô etiam Provinciarum, Diœcesium & Parochiarum fines sint mutandi, *can.* 1. *dist. 80.* ne Dei Ecclesiæ per discordias Principum damna patiantur, contra *can.* 1. *dist. 9. & can. Hæc quippe 10. in fine, 3. q. 6.* Barbosa *cit. cap. 7. n.* 11. Quatò; quòd de ejusmodi finibus motæ controversiæ decidendæ sint secundùm sacros Canones, *can.* 1. *& c. dist. 80. can. Placuit, 7. q.* 1. *can. Ecclesias, 13. q.* 1. *can. Plures, 16. q.* 1. *c. Ex literis, c. Exposuisti & c. Super eo citt.* Quomodo ergo & ex quo capite de Jure secularis Fori sit judicium Diœcesanorum aut Parochialium finium regundorum? præsertim cùm Cathedrales & ipsæ etiam Parochiales aliæque Ecclesiæ *In territorio* duntaxat, non etiam *De territorio* sint cujuscunque secularis potestatis, ut cum Bartolo *in l. Omnes 9. ff. de I. & I.* ex *l.* 2. *in fine C. de Summa Trinit.* desumunt Panorm. *in c. Inter alia 6. de Immunit. n.* 29. Roland. à Valle *Lib.* 2. *Consil.* 24. *n.* 9. Tuschus *Practic. V. Ecclesia, conclus.* 5. *p.* & 10.

Demum ratione; quia causa finium seu limitum Parochialium est de re spirituali & Ecclesiastica, scilicet de extentione vel restrictione primariò quidem & principaliter Pastoralis curæ animarum seu jurisdi-

risdictionis fori Conscientiæ interni & administrationis Sacramentorum aliorúmque spiritualium: secundariò autem & accessoriè juris decimas, primitias, oblationes &c. percipiendi: quorum priora per se & simpliciter spiritualia, posteriora autem spiritualibus sunt annexa. De causis autem rerum spiritualium & spiritualibus annexarum, tanquam spiritualibus & Ecclesiasticis, de Jure solus judex Ecclesiasticus cognoscit, *c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judiciis c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Si judex 12.* ibi, *Quia de re spirituali & Ecclesiastica est, de Sent. excom. in 6.* ubi Interpp. & passim cæteri DD.

36. Censeo secundò, ejusmodi causarum cognitionem à Curia seu judice seculari nullâ quanticunque, etiam hominum memoriam excedentis temporis præscriptione acquiri posse; quòd quasi possessionis jurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ, quam ejusmodi causarum cognitio exposcit, capax de Jure non sit, ut ex *cc. citt. & c. Causam 7. de Præscript.* & communi TT. & utriusque Juris DD. sensu docent Balbus *de Præscript. p. 5. pr. p. 1. q. 10. in fine*, Menoch. *Recup. remed. 15. n. 435.* Petr. Barbosa *in l. Titia 34. ff. Soluto matr. n. 22.* & Felician. Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 8. n. 4.* incapax autem possessionis vel quasi, incapax etiam sit præscriptionis, *c. Ex literis cit. in fine & l. Sine Possessione 25. ff. de Usurp. & Usucap.* eique consona *Reg. 3. in 6.*

37. Censeo tertiò, etiamsi Curiæ seculari Decimalium & juris Patronatûs causarum cognitio Jure speciali competeret, non tamen hôc ipsô ei competere cognitionem quæstionum, super limitibus Parochialibus motarum. Ratio est; quia quæstiones istæ ab illis sunt diversæ, ejúsque naturæ; ut potiùs illæ Ecclesiasticum, quàm hæ Seculare forum debeant sequi; quia in quæstionibus de limitibus Parochialibus controversia primariò & principaliter est de Pastoralis curæ Animarum, sive de spiritualis & ad animarum salutem ordinati & per Sacramentorum aliorúmque Divinorum administrationem exercendi Officii Parochialis ad plures vel pauciores fideles extensione vel restrictione: cujusmodi curam & Officium per se & simpliciter spirituale esse, præter alios rectè advertunt Garcias *de Benef. p. 1. cap. 2. num. 7.* Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 1. & 2.* & Laiman *Lib. 4. tract. 4. cap. 1. num. 2.* & in laicum cadere vi præscriptionis etiam immemorialis, imò & privilegii Apostolici ex Papalis potestatis plenitudine indulti non posse; cùm ad curam & officium Parochiale spectans vg. administratio Sacramenti Pœnitentiæ, & celebratio sacrificii Missæ, ex institutione Divina pendeant ab ordine Sacerdotali, ut à Conciliis Lateranensi *c. 1. de Summa Trinit.* relato, Florentino *in Decreto Eugenii* & Tridentino *Sess. 14. can. 10. & cap. 6. Sess. 22. cap. 1. & 4.* est definitum: secundariò verò & accessoriè in iisdem quæstionibus limitum controversia est de extensione & restrictione jurium decimas, primitias & alios proventus Parochiales percipiendi, hôc ipsô; quòd in beneficio Ecclesiastico principale sit officium, sive ministerium spirituale: cui tanquam fundamento & radici decimas &c. percipiendi jus est annexum; beneficium enim propter officium datur, *c. fin. de Rescript. in 6.* Contrà verò in quæstionibus Decimalibus iis est de solo jure decimales fructus, ex his vel illis prædiis aut fundis provenientes, percipiendi: quod jus, præterquam quòd curæ & officio spirituali solùm annexum illíque accessorium & separabile sit, etiam in laicum ca-

cum cadere vi privilegii Apostolici po-
38. test. In quæstionibus autem Juris Patro-
natûs lis est vel de jure præsentandi vel
de honore sive præcedendi prærogativa:
de onere defendendi Ecclesiam; ne ejus
bona dilapidentur: de pensione reserva-
ta in fundatione & alimentorum præsta-
tione, patrono inopi competentibus, *can. Piæ 26. can Quicunque 30. can. Filiis 31. &c. 16. q. 7. & c. Nobis 25. de Jure patronat.* quæ ex generali & Juri communi inserto privilegio in laicum cadere o-
mnia possunt: & posteriora insuper me-
rè temporalia sunt, ut ostendit *cit.* Sua-
rez *cap. 38. n. 3.* prius verò sive præsen-
tandi jus non ex se, sed solummodo ra-
tione alterius, cui antecedenter anne-
xum est: & ad quod, tanquam medium
& præparatorium ad suum finem, ex sua
institutione ordinatur, aliquid partici-
pat spiritualitatis, ut colligitur ex *c. Quantò 3. de Judiciis & c. De jure 16. de Jure Patronat.* Gonzalez *in c. Quan-
tò cit. n. 8.* Cùm ergo non dignius ad
minùs dignum: sed hoc ad illud, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consec. Eccles.* &
non principale ad accessorium, & finis ad
media: sed hæc ad principale & ad finem
trahantur, *Reg. Accessorium 139. ff. &
42. in 6.* ex eo, quòd de Decimalibus
aut Juris-Patronatus causis cognoscere
ad aliquem jure speciali pertineat, non
rectè infertur, ad ipsum etiam pertine-
re cognitionem quæstionum, motarum de
limitibus Parochiarum: sed spectatô na-
turali rerum ordine potiùs de illis cogni-
tio competet judici, cujus est de limiti-
bus Parochialibus pronuntiare.

Censeo quartò, etsi hæc ita sint,
39. cùm de limitibus Parochialibus intenta-
tur Petitorium, & lis seu quæstio est de
jure, vg. an ii legitimè, hoc est, se-
cundùm sacros Canones constituti, vel
cujus Parochiæ Rectori certi districtûs
vel ædium incolis Sacramenta cæteráque
Divina ministrandi obligatio incumbat,
aut viciſſim ab iis decimas, primitias alia-
que jura & proventus Parochiales perci-
piendi jus competat: aliter tamen res
se habere, cùm super iisdem limitibus in-
tentatur Possessorium, aut aliàs de me-
ro facto contentio est, vg. an, quando,
quâ authoritate Parochiarum divisio fa-
cta: quousque earum limites extendi:
an, quando certi districtûs vel ædium in-
colæ in hac vel illa Parochia perceperint
Sacramenta, obtulerint primitias &c. de
hujusmodi enim quæstionibus cognoscere
semper quidē Ecclesiasticus, aliquando ta-
men etiam secularis judex potest, juxta
distinctionem traditam *Lib. 2. tit. 10. n. 17.*

Et quidem, si litigantium uterque
vel saltem reus conventus clericus aut Ec-
clesia sit, de iis cognitionem soli Eccle-
siastico judici competere, extra contro-
versiam est; cùm actor sequatur forum
rei, *c. Cùm sit generale 8. de Foro com-
per.* clericus autem & Ecclesia conveni-
ri de Jure debeant in foro & coram so-
lo judice Ecclesiastico, tali casu jurisdi-
ctionem fundatam habente in ipsa rei con-
venti persona, *can. Placuit &c. 11. q. 1. c. Si diligenti 12. de Foro compet. &c. Sæculares 2. eâdem Rubric. in 6.* Si ve-
rò litigantium uterque, vel saltem reus
conventus laicus sit, altera distinctione
est opus; vel enim possessorium admit-
tam habet quæstionem Juris; ut justificā-
dus sit titulus, sicut in possessorio adipi-
scendæ fere semper contingit: vel ejus-
modi quæstionem admixtam non habet &
controversia est de mero facto vg. admi-
nistrationis, præstationis decimarum,
primitiarum: vel quô possessio acquisita,
turbata, amissa sit? Si prius, cognitio ad
judicem Ecclesiasticum solum pertinebit,
Si posterius, competet etiam Laico, ut
cit, Tit. 10. & n. 17. est explicatum.

TITU-

TITVLVS XXX.

De Decimis, Primitiis & Oblationibus.

REstant ex Juribus Parochiarum Oblationes præsertim, quæ inter Missarum solennia fiunt: & fructuum Primitiæ Decimæque, Spiritualia ministrantibus illarū Rectorib⁹ debitæ pro congrua sustentatione.

ARTICULUS I.

De Decimarum Natura, Varietate & Origine.

SUMMARIUM.

1. *Decima sunt decima pars justè quæstorum,*
2. *Mobilium tamen, non etiam immobilium, bonorum,*
3. *Ecclesiæ ministris persolvenda.*
4. *Súntque vel Reales vel Personales.*
5. *Ex quibus Mixtæ Realium Jure censentur.*
6. *Reales aliæ Majores sunt, & aliæ Minores.*
7. *Decima, quatenus sustentationem continent, Naturali:*
8. *Quoad decimam partem Reales,*
9. *Et ipsæ etiam Personales Jure Ecclesiastico debentur:*
10. *Licet in Veteri Testamento fuerint Juris Divini,*
11. *Quoad Cæremonialia & Judicialia præcepta Christi morte cessantia.*

DEcimæ, si nominis etymon spectemus, decima cujusque rei pars, *l. Si quis rem 2. §. fin.* junctâ Glossâ *V. Decimam, ff. de Pollicitat.* prout hôc locô accipiuntur, sunt Decima pars bonorum mobilium quot annis justè quæsitorum, Ecclesiæ ministris persolvenda, *can. Quicunque, 16. q. 7. c. Pervenit 5. c. Non est 22. c. Transmissa 23. &c. hâc Rubr. Mobilium*, inquam; quia Decimæ in novo Testamento ad imitationem veteris sunt introductæ; atque idcirco, sicut in isto Dominus Deus non de possessionib⁹ & terris: sed earum fructibus Decimas sibi solvi præcepit, Numer. *cap. 18. v. 27.* sic & in illo non de rebus immobilibus, sive de ipsis prædiis ac fundis, sed de mobilibus, ut sunt istorum fructus, sunt solvendæ, Barbosa *de Offic. Parochi cap. 28. §. 1. num. 26.* 1. 2.

Ex qua descriptione patet, sermonem hîc non esse de Decimis, quæ solvuntur titulô mere prophanô: & exiguntur instar tributi, prædiis aliquando impositi à dominis temporalibus, de quibus Tholosan. *Syntag. Lib. 2. cap. 20. n. 1.* Neque etiam de iis, quas exigente gravi Ecclesiæ

necessitate, summi Pontifices de bonis Ecclesiasticis sibi vel aliis ad tempus solvendas extra ordinem imponunt, juxta *Clement. fin.* junctâ Glossâ *V. Si beneficiorum, & Extravag. I. inter comm.* sed de iis
3. duntaxat, quæ Parochis & similibus, Sacramenta aliáque spiritualia ex officio ministrantibus, de fructibus & lucro annuatim præstantur, aut ab iis originem ducunt. Quô modô acceptas Decimas in Lege Mosaica Exodi *cap. 22. v. 29.* Levit. *cap. 27. v. 30.* Numer. *cap. 18. v. 21.* Deuteron. *cap. 12. v. 11. & cap. 14. v. 22. &c.* & ante istam à Patriarchis Abraham & Jacob, Genes. *cap. 14. v. 20. & cap. 28. v. 22.* & Hebræor. *cap. 7. v. 6.* quin apud alias etiam Gentes, quas aliqua Religionis cura tangebat, Diis de thure & cinamomo apud Arabes & Ægyptios, Plinius *Hist. Nat. Lib. 29. cap. 14.* à Cyro de præda, Herodot. *Lib. 1.* de aliis rebus ab aliis solutas, Diodorus *Lib. 5.* & Tholos. *l. cit. n. 2.* narrant. In Nova autem Lege ad Veteris imitationem præstari, & in dubio, propter commune Jus Ecclesiasticum & generalem Consuetudinem, esse præsumuntur, quæcunque in Christianorum provinciis solvuntur, ut notat *cit.* Laiman *cap. 1. n. 5.*

4. Ita acceptæ Decimæ aliæ Reales sunt, aliæ Personales. Reales sive, ut etiam vocantur, Prædiales dicuntur, quæ penduntur ex fructibus prædiorum & fundorum, vg. agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, sylvarum, arborum &c. Personales verò, quæ solvuntur ex lucro humanâ industriâ, vg. ex negotiatione, venatione, militia, alicujus artis professione justè quæsito, Laiman *cit. cap. 1. n. 3.* & Vallensis *ad hanc Rubr. §. 4. n. 2.*

5. Duabus his speciebus Hostiensis *in Summa n. 3.* & alii addunt Decimas ex utrisque sive Realibus & Personalibus Mixtas: quales vocant, quæ solvuntur ex fructibus pecorum & avium, ad quorum productionem in prædiis cum natura personalis industria & custodia humana concurrit: cujusmodi fructus sunt lac, butyrum, caseus, agni, ova, pulli gallinarum, anserum &c. Non malè tamen alii, hujusmodi decimas Prædialibus accensentes, duas tantùm species agnoscunt partim; quòd in Veteri Lege ex obligatione solverentur solæ Reales, S. Thomas *2. 2. q. 87. art. 2.* in Nova autem functiones Ecclesiasticæ præter eas meminerint solarum Personalium, *c. Pastoralis 28. & c. Ad Apostolicæ 20.* ideóque Glossa *ibi V. Personales*, eas, quæ penduntur ex animalibus, prioribus decimis adnumeret. Neque id immeritò; cùm exhibeantur iisdem, quibus Reales, scilicet Parochiis, intra quarum fines pascuntur animalia & aves, ex quibus agni, pulli, illa ova proveniunt, ut cum Glossa *cit.* advertit Laiman *Tract. cit. cap. 4. n. 5.* parum verò; quòd cum natura industria humana etiam concurrat ad productionem vini, frumenti aliorúmque ejusmodi fructuum, ex quibus solutæ decimæ Realibus connumerantur, Engel *ad hanc Rubr. §. & n. 1.*

Decimarum Prædialium, ut nunc in usu sunt, aliquæ dicuntur Majores, aliæ Minores: quarum illæ ex frumento, vino, oleo & similibus: istæ verò ex fructibus hortorum, fœtibus animalium, aliisque ejusmodi rebus minutis præstantur, Canisius *ad Rubr. cit. cap. 2. n. 4.* De Decimis hactenus declaratis

Dubium & satis celebris controversia est, quô Jure sint introductæ. Glossa enim *in c. 1. V. Decimarum, in fi.* Anchoran. *ibid.* & Innocentius *in c. fin. de Parochiis*, quascunque etiam Personales, alii apud Covarruviam *Lib. 1. Var. cap. 7. n. 2.* solas Reales Divinô, imò Naturali: Personales autem Ecclesiasticô Jure introductas

troductas volunt. De Realibus id desumunt partim ex *c. 1. c. Parochianos 14. & c. Tua nobis 26.* quorum textuum prioribus & *c. Tua 25.* non ab homine, sed à Deo institutæ: posteriori verò in signum universalis dominii à Deo sibi reservatæ dicuntur: partim; quòd, juxta dicta, earum præstatio in Lege Veteri præcepta: imò ante omnem legem Positivam &, cùm Naturæ lex sola obligaret, à Patriarchis jam fuerit recepta. De Personalibus autem ex eo; quòd earum sacræ Literæ nullam, sed primam mentionem faciant Canones Ecclesiastici, *c. Ad Apostolica & c. Pastoralis citt.*

7. Alii demum, quos Covarruvias *cit. n. 2.* Guttierez *QQ. Canon. Lib. 2. cap. 21. n. 18.* Suarez *Tract. 2. de Relig. Lib. 1. cap. 10. n. 3.* & *cit.* Canisius *cap. 3. n. 7.* sequuntur, Decimas in Novo Testamento, quoad alimenta sive congruam sustentationem, quam includunt, Divinò, imò Naturali: quoad quotam sive determinationem decimæ potiùs, quàm octavæ aut vigesimæ partis fructuum Jure solum Ecclesiasticò debitas, docent. Primæ partis rationem reddunt; quòd Naturalis ratio dictet, eos, qui spiritualia ministrant, alendos, & operarium cibò suò dignum, Christus Matth. *cap. 10. v. 10.* & Lucæ *cap. 10. v. 7.* útque, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, à Deo ordinatum, S. Paulus 1. Corinth. *cap. 9. v. 14.* pronuntiârint. Quibus con-
8. sonant, quæ idem Gentium Doctor 1. Timoth. *cap. 5. v. 18.* scripsit. Secundæ partis ratio est; quòd imprimis lex Naturalis, etsi dictet, Ecclesiæ ministris & Pastoribus animarum congrua alimenta præbenda: tamen non exigat certam fructuum aut aliarum rerum quotam: & decima fructuum pars, pro locorum temporúmque, cæli soliq; & inde pendentis fertilitatis sterilitatísque varietate, nunc majorem, aliàs minorem; ac proinde ad congrua alimenta nunc magis, aliàs minùs sufficientem fructuum quantitatem efficiat. Deinde; quòd in Novo Testamento, de decima fructuum parte Ecclesiæ ministris solvenda, nullum præceptum ab ejus legum conditore Christo Domino uspiam sit latum.

Allegari quidem ab aliquibus solet illud Christi Matth. *cap. 23. v. 23. Decimatis mentham, anethum & ciminum:* quibus subjiciens verba, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*, præceptum renovâsse videtur. Sed perperam; quia, cùm Christus non dixerit, *Oportet*, quò præsens & in nova Lege durabile: sed *Oportuit*, quò verbò præteritum præceptum denotatur, ex ejus verbis plus non infertur, quàm Judæis adhærentibus legi Mosaicæ, sicut decimationem menthæ, anethi &c. non omittendam, sic adimplenda fuisse alia & graviora præcepta: quæ quòd insuper haberent, minutis solùm observatis, à Christo graviter & meritò sunt objurgati, Tostatus *in cit. cap. 23. q. 149.* Unde fructuum partem decimam in Novo Testamento Jure solùm Ecclesiasticò, quod hòc Titulò & Decreti *causa 16. q. 1.* habetur, deberi est necesse.

Confirmantur ista; quia Regulares & alii à solvendis decimis aliquando eximuntur privilegiò Apostolicò, *can. Decimas 47. q. 1. cit. c. Ex multiplici 3. c Ex parte 10. c. Nuper 34. &c. hâc Rubr. & c. fin. de Privileg.* & per præscriptionis & consuetudinis vias eas exhibendi obligatio tolli & exigendi jus acquiri potest ab eo, cui hoc de Jure non competit, *c. Cùm sint 18. &c. hâc Rubr. c. Ad aures 6. de Præscript. & c. 1. in 6.* Imò decimæ Per- 9.
sonales fere ubique non-usu sublatæ sunt, teste Panormit. *in c. Cùm homines 7. n. 5.* & Navarro *Manual. cap. 21. n. 31.* quæ fieri non possent, si eas exhibendi obligatio esset

tio esset Juris Naturalis aut Divini, *arg. c. fin. de Consuet.*

10. Neque dictis obstant primò textus allegati; quia iis decimæ Divinô Jure introductæ dicuntur, in quantum necessariæ sunt ad Ecclesiæ ministrorum sustentationem: determinatio verò certæ quotæ in Novo Testamento ad imitationem quidem Veteris & à Deo latæ Legis, sed immediatè à legislatore Ecclesiastico est facta, Canisius *cit. cap. 3. n. 13.* & Gonzalez *in c. In quibusdam* 32. §. *Illæ*, *n.* 4.

11. Neque secundò; quòd decimæ ante Legem Mosaicam à Patriarchis oblatæ perhibeantur Genes. *cap.* 14. *v.* 20. *& cap.* 28. *v.* 22. quia ab his, id in gratiarum actionem liberæ voluntatis potiùs, quàm ullius legis determinatione est factum, Suarez *cit. cap.* 10. *n.* 4. & Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 7, *cap.* 23. *q.* 2.

Neque tertiò; quòd ex præcepto Divino solutæ sint in Lege Veteri; quia illud & generaliter Cæremonialia & Judicialia ejus præcepta omnia, teste Apostolo *ad Hebræos cap.* 7. *v.* 12. & S. Augustino *c. Translato* 3. *de Constitut.* relatô, cessârunt morte Christi: qui, præter Decalogi Moralia præcepta, ferè nullũ Cæremoniale & Judiciale tradidit, nisi quæ ad Fidẽ, Spem & Charitatem, ad Sacramenta & sacrificia spectant, secundùm receptam doctrinam S. Thomæ *1. 2. q.* 108. *art.* 1. *&* 2.

ARTICULUS II.

De Rebus, ex quibus: & Modo, quô Decimæ sunt solvendæ.

SUMMARIUM.

12. *Decimæ præstandæ sunt de omnibus mobilibus:*
13. *Non tamen ultimâ voluntate relictis vel donatis.*
14. *De illicitè quæsitis non recipiantur:*
15. *Nisi ita quæsita justè retineantur,*
16. *Et resipuerit, qui ex iis decimas solvit.*
17. *Decimæ Reales debentur integrè:*
18. *Personales post deductas expensas,*
19. *Reales de Jure statim:*
20. *Personales in fine anni,*
21. *Et debitoris expensis sunt præstandæ:*
22. *Licet Consuetudine aliud obtineat.*

Regulæ instar est, Decimas solvendas generaliter de omnibus fructibus & proventibus, Naturæ beneficiô aut hominis ministeriô annuatim productis, *c. Nuntios* 6. *c. Ex parte* 21. *&c.* 12

In specie autem debentur ex vino de omni grano seu frumento & leguminibus universis: de fructibus arborum & hortorum: de fœno: de pecoribus, lana & similibus, *c. Ex multiplici* 3. *c. Pervenit* 5. *c. Non est* 22. de proventibus molendinorum & piscinarum, *c. Pervenit cit. & c. Ex transmissa* 23. de pascuis, hoc est, pretiô, quô locantur aut venduntur, & de pensionibus domorum, *c. Commissum* 7. *& c. Pastoralis* 28. de negotiatione sive lucro, rerum venditione aliisque licitis contractibus quæsito: de piscatione, aucupio, venatione & ipsa etiam militia seu captis in bello, *c. Non est cit.* de omnibus bonis labore, artificiô aliâve simili professione & industriâ humanâ comparatis, *c. Non est & c. Pastoralis citt.* ut, si ex dictis & similibus fructibus aliqui in anno sæpius producantur & percipiantur, sæpius etiam eorum decimæ sint solvendæ, *c. Ex parte* 21. *& ibi DD.*

Dixi, *Jure communi*; quia ex Consuetudine

suetudine ejusmodi fructuum prædiatium complurium decimæ hodie passim non solvuntur: Personales autem, ut moni, in plerisque locis omnino sunt sublatæ. Quæ satis certa,

Dubium autem hôc locô discutien-
13. dum est primò, an Decimæ de Jure etiam debeantur ex hæreditate, legato, donatione mortis causâ & inter vivos. Id certè cum Panormit. *in c. Pastoralis cit. n. 3.* affirmat Fagundez *Præcept. Eccles. 5. lib. 1. cap. 2. à n. 5.* & suadet non levis momenti ratio; quia decimæ debentur de omni lucro & omnibus bonis, saltem mobilibus justè quæsitis, *c. Non est & c. Pastoralis citt.* cujusmodi etiam sunt, quæ obveniunt hæreditate, legatô, donatione; quia hi sunt tituli lucratiui, iisque etiam mobilia acquiri possunt. Sed verior est Negativa, quam cum Innocentio *in c. Non est cit. n. 2.* defendunt Rebuffus *de Decimis q 8. n. 31.* Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 31. n. 6.* & Moneta *de Decimis cap. 4. n. 37.* ducti exemplô Veteris Testamenti, in quo donatarum, legatô vel hæreditariâ successione quæsitarum rerum mobilium decimas præceptas, solutas, exactas, sacrô textu non perhibetur. Imò eas solvi præcipiens Canon nullus extat etiam in Novo; quia, sicut illô, sic etiam istô solvi jubentur de mobilibus sive fructibus & proventibus, qui ex terra vel hominis ministeriô producuntur: cujusmodi non sunt, quæ obveniunt donatione, hæreditate, legato; quia ista non hominis percipientis, sed alterius vel testamentô expressâ, vel ejus de rebus suis nihil disponentis tacitâ voluntate acquiruntur. Accedit; quòd, si donatorum vel ultimâ voluntate relictorum decimæ præstandæ essent, res plerasque citò ad Ecclesias pervenirent. Unde de iis probabiliùs non debentur extra casum, quô res frugifera simul cum fructibus in alium transfertur; tali enim casu utique istorum aut lucri nondum decimati decima pars erit persolvenda, ut colligitur ex *c. Pastoralis cit.* & tradunt *citt.* Suarez *cap. 31. n. 10.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 28. §. 1. num. 28.*

Dubium secundò est de rebus illicitè 14.
acquisitis. Ex quibus decimas generaliter non deberi, argumentô à contrario ductô, desumi videtur ex *c. Ex transmissa 23.* verbis, *De omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Sed hac in re locus est distinctioni; vel enim illicitè quæsita retinentur justè, vel injustè?

Si injustè, ut res furtivæ, raptæ, pecuniæ usurariæ &c. necessariò restituendæ sunt dominis suis, secundùm *Reg. Peccatum 4. in 6.* à quibus, si res fructiferæ sint, fructuum ex iis provenientium decimæ solvuntur. Si tamen ex illis injustè retentis fructus aut lucrum perciperent injusti possessores vel detentores, illius decimas solvere non minùs quàm domini tenerentur, Glossa *in c. cit. V. Licitè, citt.* Rebuffus *q. 5. n. 18.* & Moneta *cap. 4. n. 39.* quia decimæ debentur ex rerum fructibus; quæ proinde cum istorum decimæ partis solvendæ onere transeunt ad quemcunque possessorem, *c. De terris 16. & c. A nobis 24.* etiam injustum, *c. Ex literis 5. de Pignorib. & c. Quantò 18. de Usuris*; ne melioris conditionis sit prædo & malæ, quàm bonæ fidei & legitimus possessor, contra *Reg. c. Eum qui 18. de Præbend. & dignit. in 6.* & *l. Si à domino 36. §. fin. ff. de Petit. hæredit.*

Si verò justè retinentur, ut lucra histrionum, lenonum, meretricum &c. opus est alterâ distinctione; vel enim isti in professione histrionicæ &c. perseverant, vel non? Si posterius, & à peccato 15.
pœnitentes desistunt, decimas ex iis solutas recipi, etsi nuspiam soleant, & pro-

pter ſcandali periculum ſæpe non valeant, de rigore tamen Juris poſſe, cum Gloſſa *cit.* S. Thoma *cit. q. 87. art. 2.* & aliis docet Covarrùvias *in Reg. Peccatum p. 2. §. 11. n. 1.* quia ejusmodi lucra capientes, licet turpiter egerint lucrandò, turpiter tamen non agunt ea retinendò, imò etiam accipiendò, *l. Idem 4. §. 3. ff. de Condict. ob turp. cauſ.* Si prius, decimæ, licet debeantur, non tamen recipiuntur ab Eccleſia, argumentò à contrario ductò ex *c. Ex transmiſſa cit.* ne receptione approbare videatur ſolventium improbitatem eorúmque peccato communicare, Gloſſa & S. Thomas *l. citt.*

16.

17. Dubium tertiò eſt, an fructuum & lucri juſtè quæſiti decimæ debeantur integrè, hoc eſt, ut ſemen aliæque impenſæ in prædiorum culturam, negotiationem &c. factæ ante earum ſolutionem non deducantur. Ratio dubitandi minimè levis oritur primò ex *c. Non eſt 22.* inter ea, ex quibus decimæ ſolvuntur, referente etiam negotiationem & militiam: & ſubjiciente, de prædictis ſolvendas ante deductas ullas expenſas. Secundò ex eo; quòd non debeantur, niſi de fructibus & lucro: fructus autem & lucrum illud tantùm ſit, quod remanet expenſis jam deductis: ut de fructu *l. Si à domino 36. §. 5. ff. de Haredit. petit. & l. Fructus 7. pr. ff. Soluto matr.* de lucro *l. Mutius 30. ff. Pro Socio* diſertè habetur. Unde infertur, expenſas ex utroque deduci poſſe ante ſolutionem.

Sed illatio hæc ex parte tantùm vera: & propoſita dubitatio cum Innocentio III. *c. Paſtoralis 28.* relatò, reſolvenda eſt auxiliò diſtinctionis; cùm Reales ſine diminutione, hoc eſt, ſemente aliiſque expenſis, uti etiam penſionibus antè non deductis præſtandas, clarè habeatur, *c. Cùm homines 7. c. Non eſt cit. & c. Tua no-*

18. *bis 26.* Perſonales autem poſt deductas expenſas de reſiduo quaſi de lucro ſolvendas, Epiſcopo Helienſi dictus Papa reſcripſerit *c. cit.* Unde, qui in negotiatione merces mille aureis emptas vendidit ducentis millibus, decimas ſolvere tenetur ſolùm de quadringentis, ſi merces aliò transferendò in vecturas, veſtigalia, famulos &c. ſexcentos expendit. Cujus differentiæ ratio eſt partim; quòd Reales ſive prædiales debeantur ex fructibus, non acceptis Civiliter ſive, prout ſunt lucrum domini vel uſufructuarii alicujus prædii aut fundi: quò modò fructus id ſolùm eſt, quod ſupereſt detractis expenſis, *§. 7. pr. citt.* ſed conſideratis Naturaliter & pro omni eo, quod Dei beneficiò provenit ex terra: quò modò ex præcepto Divino decimæ ſolutæ ſunt in Veteri Teſtamento, ad cujus imitationem in Novo præſtantur Reales: non etiam Perſonales; hæ enim lege Eccleſiaſticâ primùm introductæ & præſtandæ tantùm ſunt de lucro, *c. Paſtoralis cit.* cujusmodi communi hominum æſtimatione ſolùm eſt reſiduum ſive, quod remanet, poſtquam expenſæ ſunt deductæ, *l. Mutius cit.* Boſa *cit. cap. 28. §. 1. n. 37.* & Gonzalez *in c. Cùm homines cit. n. 8.* partim verò, quòd in fructibus magis appareat manus Dei, quàm in lucro; cùm illi ex terra vide de liberaliter: iſtud verò ex hominum induſtria & parcè admodum provenit, Gloſſa *in c. Paſtoralis cit. V. Deducendo* & Suarez *cit. Lib. 1. cap. 35. n. 8.* Atque ex his corruunt allata pro deductione expenſarum in Realibus ſeu prædialibus.

Neque hinc ſequitur, ſemen reddi mari, ſcilicet in cumulo fructuum, quibuscum fuit productum: &, cùm ex eo producti fructus decimantur; quia in terram jactum, ut fructum ferat, mortitur: &, quod ex eo producitur, corum fructus novus eſt & nunquam decimandus Gonzalez *cit. n. 8.*

Neque

Neque etiam Personales integrè solvendas rectè infertur *ex c. Non est cit.* quia ad antinomiam Jurium evitandam ejus verba, *Antequam ullas deducatis expensas*, licet sint indefinita, restringenda tamen necessariò sunt ad frumentum, vinum & similes fructus eò enumeratos; cùm pecuniarum negotiatione quæsitarum decimas ex eo, quod expensis detractis remanet, solvendas clarè decisum sit *c. Pastoralis cit.* Glossa *fin. in c. Non est cit.* & Suarez *cit. Lib. 1. cap. 33. n. 4.*

19. Dubium quartò est de tempore, quò decimæ debentur. Et Prædiales quidem fructibus collectis statim præstandas, decisum est *c. Cùm homines cit.* puta de frumento, postquam hoc à solo est separatum: de vino & oleo, postquam expressa, & antequam illud inferatur horreo, ista cellario recondantur: de lana, cùm oves sunt tonsæ: de fœtibus animalium, cùm sine matre vivere possunt &c. Personales verò non statim, postquam lucrum 20. est perceptum, sed in fine anni, Glossa *in can. Revertimini, V. Annus, 16. q. 1.* & Panormit. *in c. Pervenit 5. n. 3.* Alii vero, eas sub finem vitæ primùm deberi, volunt apud Palao *Tract. 10. disp. unica p. 6. n. 6.* de quo tamen, quia in usu esse desierunt, nobis non magnopere est laborandum.

De Jure etiam decimæ probabiliùs debentur, antequam exigantur, ut colligitur ex *c. Cùm homines cit.* quia secundùm istius dispositionem debentur statim, & eò ipsò, quòd fruges sint collectæ: & ex Legis Veteris præcepto, *Decimas & primitias non tardabis offerre*, Exodi *cap. 22. v. 29.* quò postremò verbò spontaneam & sine exactione factam præstationem significari, rectè notat Panormit *in c. Pervenit cit. n. 3.*

Neque obstat; quòd hujus *c. textu* Parochiani ad eas præstandas dicantur monendi; quia monitione opus tantùm est; ut perveniatur ad excommunicationem, *c. cit.* decretam in non solventes, *c. Sacro 48. de Sent. excom.* non etiam; ut debitores constituantur in culpabili mora, ut cum eodem Interprete tradunt Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 8. & 12.* & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 20. n. 43.* Unde, si decimæ culpabili morâ debitoris pereant, aut damnum patiantur, iste tenebitur Parocho vel alteri decimatori, *arg. l. Cùm res 47. §. fin. ff. de Legat. 1.* Nisi is monitus in illarum receptione negligens sit; tali enim casu mora ipsi nociva foret, *l. Qui decem 72. ff. de Solutionibus.*

Sed cujus, inquies, expensis in Parochi 21. vel alterius decimatoris horreum &c. decimæ convehentur? Debitoris seu domini prædii aut fundi id faciendum, desumitur ex textu & Glossa *can. Revertimini cit.* & alicubi, ut decimæ frumenti, à paleis jam separati, ad Ecclesiæ vel Parochi domum deferantur, consuetudine receptum, asserit Panormit, *n. 3. cit.* Quod 22. licet ita se habeat, in vicinia tamen nostra Ingolstadiensi fructus à solo separati in manipulos colligi solent, & ex iis decimus quisque in agro relinqui, à Parocho vel alio decimatore suis sumptibus in horreum vehendus, ut etiam observat Canisius *ad hanc Rubr. cap. 7. n. 3.*

Ibidem & in Bavaria universa usu receptum est; ut, si post decimum manipulum in agro quinque, sex aut plures infra decem supersint, ex proximo ejusdem domini aut villici agro decimatori manipulus quintus vel quartus cedat: etsi vicissim casu, quò unò annò post decimum quemque præstitum quatuor, quinque aut plures infra decem supersunt, proximè sequenti non quintus aut sextus, sed perinde, ut si præcedente anno nullus superfuisset, decimus primùm manipulus

præstetur, ut Juris ejus Provincialis sive des Landrechts *Tit. 28. art. 3.* habetur.

ARTICULUS III.

De Personis ad Decimas solvendas obligatis.

SUMMARIUM.

23. *Ratione Personæ ad solutionem Decimarum Fideles Parochiani,*
24. *Et per se Hæretici tenentur.*
25. *Non Pagani, Judæi & Catechumeni:*
26. *Neque etiam Papa, Episcopi & Parochi.*
27. *Ratione Rei eas præstant possessores prædiorum.*
28. *Aliquando etiam Episcopi & Parochi:*
29. *Pagani quoque & Judæi:*
30. *Non tamen de prædiis, nunquam possessis à Christianis:*
31. *Nisi quatenus continent Ecclesiæ ministrorum sustentationem.*
32. *Decimas aliquando etiam clerici solvunt.*
33. *Personales Consuetudine passim sunt sublatæ.*
34. *Prædiorum possessores aliqui ad decimarum præteritarum:*
35. *Melius alii ad futurarum tantùm solutionem obligant.*
36. *Decimæ non prædiorum, sed fructuum sunt onus,*
37. *A Tributi solvendi onere diversum.*
38. *Non debentur à pauperibus, extremâ:*
39. *Sed communi,*
40. *Et verius etiam gravi necessitate laborantibus.*
41. *Eas aliquando dominus & colonus:*
42. *Aliquando iste solus solvit.*

DEcimæ debentur vel ratione Personæ, alicui Ecclesiæ vel Parocho in spiritualibus subjectæ, vel ratione Rei frugiferæ vel prædii aut fundi, illarum præstandarum onere affecti, ut rectè observat Laiman *Lib. 4. tract. 6. cap. 3. n. 1.*

Ex priori capite sive ratione Personæ ad earum solutionem obligantur omnes fideles Parochiani, ab earum præstatione speciali Jure non exempti, *c. Et transmissa 23. & c. A nobis 24.* quibus textibus ad eas expressè adstringuntur omnes: & posteriori additur, *Nisi quis se exemptum ostendat*, Ratio est; quia fideles Parochiani omnes Ecclesiastica Sacramenta aliáque spiritualia recipiunt à suis Parochis, ad ea ipsis ministranda ex officio obligatis, S. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. & 4.* & Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 16. n. 1. & 13.* Unde

Infertur primò, ad decimas ratione suæ Personæ non solùm Catholicos, sed hæreticos quoque per se obligari; quia hôc ipsô, quòd tanquam baptizati legibus Ecclesiæ subsint: illius gremium redire, ejúsque Sacramenta recipere à Sacerdotibus teneantur, per se ipsis subjiciuntur, & decimarum præstationi ratione suæ personæ obnoxii sunt: licet per accidens propter suæ obligationis ignorantiam, sicut à Catholicorum Sacramentorum receptione, sic etiam ab ea decimarum solvendarum obligatione eximantur, Panormit. *in c. De terris 16. n. 6.* & Suarez *cit. cap. 16. n. 3.*

Infertur secundò, ad eas ratione suæ personæ exhibendas non obligari Primo Judæos & Paganos, tanquam infideles, propter defectum Baptismi, Glossa *fin. in c. cit.* & alii apud Barbosam *in c. cit. n. 4.*

Secundò,

Secundò, etiam Catechumenos; quòd ob ejusdem Sacramenti defectum quoad alia Sacramenta & spiritualia nulli Ecclesiæ vel Parocho subjiciantur, Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. 24. q. 3.* Tertiò Papam; quia in terris non habet, cui in spiritualibus sit subjectus, Abulensis, *in Matth. cap. 23. q. 193.* Quartò, Episcopos & Parochos, tam Regulares quam Seculares; quantumvis enim illi Papæ, hi etiam Episcopis subjecti sint, Sacramenta tamen aliáque spiritualia ab aliquo ad illa ex officio sibi ministranda obligato non recipiunt, *cit.* Suarez *cap. 17. n. 11. & 18.*

27. Ex posteriori capite, sive ratione Rei, hoc est, prædiorum & fundorum decimis obnoxiorum, tenentur quicunque istorum possessores, cujuscunque statûs, Religionis, dignitatis, etiam Regiæ atque Imperatoriæ sint: nisi speciali privilegiô, consuetudine vel præscriptione eximantur, *arg. c. De terris cit.* Ratio est; quia ex quo tempore diœceses in Parochias divisæ sunt, intra istarum fines sitis Christianorum prædiis annexa est obligatio fructuum, ex ipsis provenientium, partem decimam pendendi Ecclesiæ Parochiali. Quæ obligatio, tanquam onus Reale ipsis prædiis inhærens, ad quemcunque possessorem transit, *arg. c. Exliteris 5. de Pignorib. & l. Imperatores 7. ff. de Public. & vectig. citt.* S. Thomas *art. 4.* & Suarez *cap. 17. n. 10.* Unde

28. Præter fideles laicos ad hujusmodi decimas tenentur Primò clerici & ipsi etiam Parochi atque Episcopi: non quidem ratione prædiorum seu fundorum Ecclesiasticorum, ad ipsorum sustentationem specialiter deputatorum & intra Ecclesiæ suæ fines sitorum, vulgò **des Widens**: sed aliorum, quæ intra fines alienæ, imò etiam, quæ intra fines propriæ diœcesis vel Parochiæ possident, tanquam bona patrimonialia aut aliô titulô merè temporali, Suarez *cit. cap. 17. n. 11.* Secundò Religiosi, saltem ratione prædiorum decimandi onere affectorum, antequam ad ipsos pervenirent: nisi privilegiô, consuetudine vel præscriptione sint exempti, *c. Commissum 6. c. Ex parte 10. hâc Rubr. & c. Statuto 2. §. Cæterùm, in 6.* Tertiò ipsi etiam Judæi, Turcæ, Sar- 29.
raceni & Pagani de prædiis ac fundis, qui à Christianis possessoribus ad ipsos pervenerunt: nisi ejusmodi prædia & fundos dimittere malint, *c. De terris cit. & c. Quantò 18. de Usuris.*

Eosdem ad decimas de prædiis quibuscunque, etiam sitis in suis provinciis, & à Christianis nunquam possessis, solvendas obligari, cum Panormit. *in c. De terris cit. n. 5.* existimat Oldradus *Consil. 25.* eâ ductus ratione; quòd eas Dominus Deus sibi reservârit in recognitionem supremi dominii, quod in omnes res habet, *c. Tua nobis 26.* & Judæi in Deo recognoscunt, & recognoscere Pagani tenentur. Nihilominus & meritò id negant 30.
Rebuffus *de Decimis q. 5. n. 11.* Lambertinus *de Jure Patronat. Lib. 3. p. 1. q. 7. art. 3. n. 3.* Azor *cit. Lib. 7. cap. 14. q. 2.* & alii, partim *arg. c. De terris & c. Quantò citt.* ex quibus, dum Judæi ad decimas de terris, priusquam ad ipsos pervenirent, earum præstationi jam obnoxiis solvendas obligantur, argumentô à contrario ductô legitimè infertur, ipsos ad decimas de terris, illis antè non obnoxiis, solvendas non teneri: partim verò; quòd Pagani & Judæi, licet Fidem Christianam amplecti & Baptismum suscipere, supremúmque Dei dominium recognoscere teneantur, nihilominus, postquam Veteris Testamenti Leges Cæremoniales & Judiciales morte Christi sublatæ: &, quamdiu ipsi extra Christi ovile atque Ecclesiam sunt, ejusmodi recognitionem aliis modis testari possint, & non necessa-

riò debeant per solutionem decimarum; cùm, sicut aliis Ecclesiæ, sic etiam Decimalibus ejus Legibus ante Baptismum susceptum non teneantur: imò hæ ad ipsos non dirigantur, juxta illud Apostoli, *Quid mihi de iis, qui foris sunt?* 1. Corinth. *cap.* 5. *v.* 12. & *c. Gaudemus* 8. *de Divortiis.*

31. Sed, licet argumenta hæc de quotæ, sive decimæ partis fructuum, solutione omnino stringant, non tamen evincunt, Judæos ac Paganos non obligari ad decimas, saltem quoad contentam in ipsis sustentationem, Ecclesiæ ministris debitam Jure Naturali & Divino; ad eam enim his præbendam obligari videntur non minùs, quàm ad recipiendam ab ipsis Fidem & Baptismum; cùm hujusmodi spiritualia ab Ecclesiæ ministris, ad ea præbenda obligatis & paratis, recipiendi præcepto temporalia sive ad sustentationem necessaria alimenta ipsis præstandi obligatio sit annexa, ut eruditè observat *cit.* Suarez *cap.* 16. *n.* 11. qui propterea *n.* 12. probabiliter existimat, Ecclesiam, etsi ad vitandum scandalum non soleat, exigere ab Infidelibus posse aliquod tributum, Evangelii ministris & præconibus pro expensis itineris & sustentatione pendendum.

32. An ad ejusmodi decimas teneantur alii Clerici & Religiosi dubium: & de prioribus dubitandi ratio est; quòd clericus clericum non decimet, *c. Novum* 2. ubi hujusmodi decimatio exactionis genus omnino Novum vocatur. Sed relatum Axioma & textum DD. passim accipiunt de bonis, quæ obveniunt clericis quà talibus, sive quatenus ad spiritualia sunt obligati: non autem de bonis, quæ, sicut aliis fidelibus, sic etiam ipsis obveniunt aliunde; de his enim decimas ratione suæ personæ præstare non minùs quàm cæteri fideles de Jure tenentur, *c. Novum cit. V. Illi*; cùm istorum instar Sacramenta cæteráque Divina à Parochis ad ea sibi ministranda ex officio obligatis percipiant, Barbosa *in c. cit. n.* 2. & Vivianus *ibid.* *De Jure*, inquam; quia etiam hujus dispositioni prævaluit consuetudo: vi cujus ad decimas personales, sicut cæteri fideles, sic & multò magis ipsi & Religiosi hodie non tenentur: quantumvis antiquò Jure ad hujusmodi decimas Parochis spiritualia sibi ministrantibus solvendas essent obligati, *citt.* Suarez *cap.* 17. *n.* 25. & Laiman *cap.* 3. *n.* 4.

Dubium secundò & non levis momenti controversia est, an à prædii possessore exigi valeant decimæ præteritæ; ut super decimis fructuum prædii, cujus venditor Titius eas uno vel pluribus annis præteritis non solvit, conveniri Caius ejus emptor & modernus possessor possit. Non venditorem duntaxat, sed emptorem quoque conveniri posse, cum Frid. de Senis *Consil.* 84. & Panormit. *in c. Cùm homines* 7. *n.* 6. volunt Rebuffus *de Decimis q. & n.* 9. Azor *cit. cap.* 24. *q.* 2. §. *Quares*, & Engel *ad hanc lib. bric. n.* 17. Moventur primò textibus *c. In quibusdam* 32. ex cujus dispositione Domini prædia sua non aliis elocare tenentur, quàm à quibus Ecclesiæ decimas sine contradictione percipiant: & *can. Si quis laicus*, 16. *q.* 1. quò prædia aliis concedere permittuntur; ut decimarum proventus priori Ecclesiæ non abstrahantur. Secundò; quòd decimæ sint onus Reale ipsorum prædiorum, *c. De terris cit.* onus autem Reale cum re transeat ad quemcunque possessorem, *c. Ex literis & l. Imperatores citt.* Tertiò; quòd eædem egentium animarum tributa nuncupentur, *can. Decima*, 16. *q.* 1. & *c. Tua nobis cit.* tributa autem etiam præterita non soluta exigi valeant à possessoribus

fessoribus, *l. cit.*

35. Sed verius est, ratione earum conveniri posse solum venditorem, qui prædiorum priùs possessorum fructus percepit, ut cum nonnullis VV. defendunt *cit.* Suarez *cap. 38. à n. 9.* Canisius *ad hanc Rubr. cap. 4. n. 3.* & Zœsius *ibid. n. 62.* Ratio est; quia decimarum præteritarum præstatio ipsi prædio, ac proinde novo ejus possessori sive emptori à Jure nuspiam imposita reperitur: Imò *c. Cùm non sit 33.* clarè imponitur ipsis fructibus; ut eas præstare teneantur ii, ad quos illi indecimati pervenerunt. Idē traditur *c. Pastoralia 28.* ex cujus dispositione fructus indecimati non nisi cum decimarum onere possunt alienari. Cùm ergo æquum non sit; ut decimarum onus simul fructibus & prædio istiúsque possessori incumbat; quia sic possessor, qui fructus non percepit, alterius sive sui autoris odiò prægravaretur, contra *Reg. Non debet 22. in 6.* Cùm, inquam, hoc æquũ non sit, super iis solus venditor, qui fructus præteritos percepit, poterit conveniri condictione ex Canone, quò decimæ sunt introductæ, si fructus apud venditorem adhuc extent, *arg. l. Unica ff. de Condict. ex Lege:* vel, si consumpti sint, condictione Sine causa vel injusta causa, *l. Mala 3. C. eâdem Rubr.*

Contra possessorē allata difficilia non sunt. Primum; quia textus uterque de decimis futuris accipi potest: imò prior debet; cùm de iis, non à dominis prædia locantibus, sed eorum conductoribus sive colonis, fructus tantùm colligentibus, solvendis loquatur, ut rectè notat *cit.* Canisius *n. 8.*

36. Secundum; quia decimas solvendi onus afficit & sequitur ipsos fructus, à solo separatos, *c. Pastoralia, c. Cùm non sit citt. c. Cùm homines 7. c. Dilecti 8. c. Ad nobis 24. & c. Tua nobis 26.* prædia verò tantùm, quatenus istos virtute continent: quò modò ad futuros, non ad præteritos fructus referuntur, Suarez *cap. cit. n. 9. in fine.*

Postremum etiam & præcipuum; 37.
quia decimæ propriè non sunt, & in latiori tantùm sensu propter similitudinem quandam aliquando Tributa vocantur; quòd à clericis eas percipientibus communicentur seu tribuantur egentibus; cùm in multis differant à tributis, per notata à Glossa *in c. Tua cit. V. Tributas*; ut proinde mirum non sit, quòd super non solutis decimis præteritis conveniri ii duntaxat valeant, à quibus fructus sunt percepti: licet ratione tributorum non solutorum conveniri possint fundorum novi possessores; quia tributorum fundos, *l. Imperatores cit.* decimarum autem onus afficit ipsos fructus: fundos autem non nisi, quatenus istos continent virtute, *cc. citt.*

Dubium tertiò est, an ad decima- 38.
rum præstationem etiam teneantur Pauperes. Convenit inter DD. non teneri laborantes inopiâ sive necessitate extremâ; quia ista omnia communia facit, *arg. can. Discipulos 25. dist. 5. de Consec. & l. Si laborante 2. §. 2. in fine, ff. ad L. Rhod. de jactu*, Barbosa *in c. Si quis 3. de Furtis n. 2.* Contrà verò ad eam te- 39.
neri laborantes inopiâ communi & tolerabili: quales censentur, quibus, solutis decimis, tantùm remanent necessaria ad se suósque alendos, S. Thomas *cit. q. 87. art. 4.*

Dissensio autem inter eos est de iis, 40.
qui decimis solutis ad suam suorúmque sustentationem necessaria non habent; hos enim ad decimarum præstationem obligant Panormit. *in c. Cùm homines cit. n. 5. citt.* Rebuffus *q. 5. n. 14.* Canisius *cap. 5. n. 1.* & ipse etiam Doctor Angelicus *cit. art. 4.* quòd decimæ, ut inquiunt,

quiunt, solvantur ut debitum, per expressos textus *can. Decimæ, 16. q. 1. & c. Parochianos 14. hâc Rubr.* & quidem ex Justitia; cùm ad eas exigendas Ecclesiæ competat Actio, Glossa *in can. Decimæ cit. V. Ex definito*: in debito autem, inquit Panormit. *l. cit.* ad debitoris inopiam respectus non habetur, nisi post cessionem, juxta *l. 1. C. Qui bonis ced. poss. & ibi Interpp.* Eos contrà à decimarum præstatione cum Innocent. *in c. Licet 4. de Censib.* eximunt *citt.* Suarez *cap. 6 n. 16.* Laiman *cap. 3. n. 6.* & Palao *Tract. 10. disp. unic. p. 11. n. 2.* partim; quòd credibile non sit, Ecclesiam, à qua decimarum solutio præcepta est, eas præstari velle etiam ab iis, qui non habent necessaria ad sustentationem, præsertim cùm Parochi pauperibus subvenire teneantur saltem ex Charitate: & antiquô Jure decimarum pars aliqua applicanda fuerit in pauperum sustentationem, *can. Quatuor &c. 12. q. 2.* &, licet ista cum aliis confusa sit, tamen illorum inopiam sublevare clerici teneantur, *arg. can. Decimæ & c. Tua citt.* partim verò; quòd debiti solutionem, quamdiu gravis necessitas durat, à debitore differri posse, Sylvestri *V. Restitutio 5. q. 1. & 3.* Laiman *Lib. 3. Tract. 2. cap. 12. n. 1.* & aliorum communis sit doctrina. Imò debitum omnino extingui, quando is, cui solvendum est, eleemosynam facere tenetur, docent *cit.* Palao *n. 2.*

Ex duabus his Opinionibus, sicut priorem Juris rigori magis conformem: sic omnino probabilem censeo posteriorem. In praxi tamen pauperibus suadendum existimo; ut necessitatem suam potiùs proponant Ecclesiarum pastoribus, ad eam cognitam sublevandam obligatis, quàm ipsi se eximant à solutione decimarum.

41. Dubium quartò est, an decimas solvere teneatur prædii Dominus vel Colonus. In quo satis recepta est distinctio; vel enim ex illo provenientes fructus dominus & colonus inter se dividunt ita, ut uterque partem eorum aliquotam vg. dimidiam, tertiam aut quartam percipiat; vel omnes fructus percipit unus, alter verò præstat pensionem pecuniariam, aut etiam fructuariam?

Si prius, uterque de parte, ex conventione sibi debita, eas sine diminutione solvere tenetur, *c. Abbis 24. & c. Tua nobis 26.* nisi antequam fructus dividerentur, ex toto eorum cumulo præliæ fuissent; hoc enim si factum esset, de residuis novem partibus inter ipsos divisis Parochiæ neuter aliquid amplius deberet, Glossa *in c. Tua cit. V. Sic & dominus & ibi* Panormit. *n. 14.*

Si posterius, & omnes fructus percipit dominus: colonus autem pensionem, ille de fructibus decimas integrè, hoc est, ante omnes expensas & pensionem etiam deductam, solvere tenetur, *c. Non est 22. & c. Cùm non sit 33.* ille autem de pensione, tanquam de lucro sive stipendio laboris, decimas Personales, si in Usu essent, præstare teneretur, *arg. c. Pastoralis 28.* Panormit. *cit. n. 14. &* 42
15. Si verò fructus omnes percipit colonus, eò quòd prædium conduxerit pro fructuaria pensione domino præstanda, ad decimas integrè de omnibus fructibus solvendas tenetur colonus; domino autem pensio indecimata manebit, Panormit. *l. cit.* Azor *cap. 24. q. 4.* & Moneta *de Decimis cap. 6. n. 40.*

Neque obstat; quòd dominus decimas Personales debeat ex pretio & pensionibus pascuorum aut ædium locatarum; quia in nostro casu pensio virtualiter jam decimata censetur ex eo; quòd à colono minor pensio exigatur intuitu oneris decimarum, ab ipso integrè solvendarum,

vendarum. Unde iterum decimanda non est; cùm non habeat rationem lucri provenientis ex actione vel industria personæ, sed fructûs seu reditûs annui ipsius fundi, *citt.* Suarez *cap. 35. n. 14.* & Zœsius *ad hanc Rubr. n. 24.*

ARTICULUS IV.

De Exemptione â solutione Decimarum.

SUMMARIUM.

43. *A decimarum solutione immunitas acquiri potest.*
44. *I. Privilegiô Apostolicô:*
45. *Cujus vigore Regularium aliqui de fundis propriis,*
46. *Et propriâ manu sive sumptibus cultis:*
47. *Cæteri de Novalibus decimas non solvunt,*
48. *Et multi ampliori gaudent immunitate:*
49. *Quæ indultâ privilegiorum communicatione non acquiritur:*
50. *Nisi ejus facta sit mentio specialis.*
51. *Privilegium, eximens à solutione decimarum de prædiis suis, acquisita,*
52. *Et acquirenda etiam prædia comprehendit.*
53. *Privilegium ejus immunitatis revocari potest,*
54. *Et aliquando præsumitur.*
55. *Idem amittitur Renuntiatione,*
56. *Etiam tacitâ ex tricenario non-Usu præsumptâ.*
57. *II. Eadem acquiritur Consuetudine, &*
58. *III. Præscriptione quadragenariâ, titulum aliquando,*
59. *Non semper exposcente.*
60. *IV. Amicabili Compositione & Transactione.*

Licet non defuerint, qui à decimarum præstatione eximi neminem posse existimarent; quòd Juris Divini, omni humana potestate superioris, earum sit præceptum: certa tamen in Scholis & utriusque Fori Usu recepta Regula est, ab obligatione illa eximi debitores posse: dummodo Parochis aliisque curatis de congrua sustentatione aliâ ratione provideatur, ut desumitur ex *c. Ex parte 10. c. Licet 11. &c.* & clarissimè ex *c. A nobis 24.* verbis, *Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus.* Acquiri autem hujusmodi exemptio potest 43.

Primò Privilegiô: non quidem Principis Secularis, *c. Tua 25.* aut etiam Episcopi vel alterius Prælati Ecclesiastici; cùm Jus commune Ecclesiæ nequeant relaxare, *can. Institutionis, 25. q. 2. & c. Dilectus 15.* junctâ Glossâ *V. Permissa, de Temp. Ordinat.* sed summi Pontificis, *c. Ex multiplici 3. c. Ex parte cit. &c.* propter supremam ejus in Ecclesias résque & jura Ecclesiastica potestatem, *c. Licet 2. de Præb. & dignit. in 6.* sic enim à solutione decimarum de hortis & nutrimentis animalium suorum ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi, *c. Cùm dicat 2. de Eccles. ædif.* relatô, exempti sunt leprosi, ubi in communi vita degentes Ecclesiam & presbyterum habent. 44.

Ejusmodi exemptionis & Juri communi insertum privilegium à Paschali II. obtinuerunt Ordines Religiosi, *can. Decimas, 16. q. 1.* ubi omnes, tam Monachi quàm Clerici Regulares in commune viventes, eximuntur à solvendis decimis de laboribus & nutrimentis suis sive de 45.

fundis & prædiis, quæ propriis manibus sive suis laboribus & sumptibus excolunt: cujus etiam mentio fit *c. Ex multiplici cit.*

Hoc tamen ita liberaliter indultum privilegium ab Adriano IV. *c. Commissum 4.* ad certa prædia: ab Alexandro III. ad certos tantùm Religiosos, nempe ad Cistercienses, Templarios & Hospitalarios solos, *c. Ex parte 10.* Imò postea, cùm Religiones multùm possessionibus auctæ ditarentur, ab Innocentio III. ad istorum etiam Ordinum prædia, ante Concilium Lateranense acquisita, restrictum est *c. Nuper 34.* ita; ut de postea acquisitis & oneri decimarum antea obnoxiis has solvere etiam ipsi deberent: etiamsi propriis manibus ac sumptibus excolerentur.

46. Quò tamen ipsò privilegiò, ut memorati etiam Religiosi gaudeant, duo requiri, notat Panormit. *in c. Ex parte cit. n. 1.* Primò quidem; ut prædia sint propria; si enim essent conductitia, decimas ex ipsis solvendas perinde, ut si à laicis eorum dominis excolerentur, patet ex *c. Dilecti 8.* Secundò; ut colantur manibus sive sumptibus propriis; quia immunitate à decimis non gaudent, si colonis pro dimidia vel alia simili parte fructuum vel pensione colenda tradantur, *c. Licet 11.* junctâ Glossâ *fin.* Ratio est; quia exemptio à decimis, *c. cit.* indulta est ipsis Religiosis eorúmque Monasteriis: non prædiis; ideóque ab illis ad colonos aut emptores, tam fructuum quàm prædiorum, non transit: quod à Rota pluries decisum, testis est Barbosa *de Offic. Parochi cap. 28. §. 3. n. 40.*

47. Cæteris verò Religiosis *c. Ex parte cit.* relicta est immunitas. Imprimis à præstandis decimis Novalium sive fundorum, de novo & propriis manibus vel sumptibus cultorum, quique nullos vel modicos fructus antea protulerunt ita; ut exemptio à decimis ex ipsis solvendis nihil aut parùm præjudicii Parochiis inferat, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 55.* Deinde, à decimis ex nutrimentis animalium suorum, id est, de animalibus, quæ ipsi nutriunt, non quæ nutrienda aliis tradunt, Panormit. *in c. cit. n. 5.* Et demum à decimis hortorum sive eorum, quos colunt ad proprium usum, & non in fraudem Parochiarum: quod facere censerentur, si agrum decimis obnoxium converterent in hortum; ut eum à dicto onere liberarent, Panormit. *ibidem n. 5.*

Præter hactenus declaratum & [illegible] ris communis Corpore clausum, ejusmodi exemptionis varia privilegia Religiosi Ordines à summis Pontificibus obtinuerunt, scilicet ab Urbano III. Crucigeri 1176. ab Innocentio III. Fratres Ordinis Redemptionis Captivorum 1198. ab Honorio IV. 1216. & à Gregorio XI. 1370. FF. Prædicatores; à Clemente IV. 1265. & postea à Sixto IV. 1474. FF. Conventuales Ordinis S. Francisci: à Martino V. Carthusiani 1420. & Cistercienses: ab Eugenio IV. Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis 1436. Carmelitæ à Sixto IV. 1476. à Julio II. Ordo Minimorum S. Francisci de Paula 1506. & Canonici Regulares S. Salvatoris Ordinis S. Augustini 1512. à Leone X. Monachi Camaldulenses 1513. à Sixto IV. Leone X. & Paulo III. Moniales S. Claræ, quibus indultam decimarum exemptionem Gregorius XIII. confirmâsse, perhibetur à Barbosa *cit. §. 3. n. 56.* à Paulo III. & Julio III. Religio Societatis JESU, cui ab iis concessa privilegia idem Papa Gregorius XIII. cum expressa derogatione *c. Nuper cit.* amplissimè confirmavit *Constitut.* quæ incipit *Pastoralis, edita 1. Jan. 1578.* Circa quæ & cætera ejusmodi à Barbosa *in c. Ex parte cit. n. 5.* & Alcan. Tambur

Tamburino *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 15. q. 18. à n. 8.* relata Ordinum Religiosorum privilegia, licet singulorum tenorem vimque examinare vel referre longum, & à proposita Decretalium explanatione alienum sit, in praxi tamen utile

49. Dubium est primò, an, indultâ generali communicatione omnium privilegiorum cum Exemptis, etiam communicata censeatur exemptio à solutione decimarum. Id enim sentire videtur Lezana *in Summa QQ. Regul. V. Decima, n. 8.* quòd ejusmodi privilegia cedant in favorem causæ Piæ, & sæpe atque sine magna difficultate soleant concedi.

50. Sed meliùs Tamburinus *cit. q. 18. n. 34.* & Lauret. de Franck. *Controvers. inter Epis. & Reg. p. 2. q. 72. n. 6.* ejusmodi communicatione exemptionem à decimis, si in specie non exprimatur, non communicari, docent præter Barbosam, tres Rotæ decisiones in eam rem allegantem, *de Offic. Parochi cap. 28. §. 3. n. 41.* Ratio solida est partim; quòd exemptionis privilegium cedat in præjudicium tertii, scilicet Parochialium Ecclesiarum; ideóque concessum non censeatur, nisi sit expressum; quia Princeps jus suum auferre alteri velle, non censetur, nisi id declaret, *arg. l. Nec avus 4. C. de Emancip. liber. & c. Licet 12. de Offic. Ord.* Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 17. n. 9.* partim verò; quia ejusmodi exemptione derogatur Juri communi, *c. Nuper cit.* continenti Constitutionem Conciliarem: cui non nisi expressa mentione derogari, desumitur ex *c. Nonnulli 28. de Rescript. c. Ex parte 3.* junctâ Glossâ *V. Mentio, de Capell. Monach. & l. Prætor ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ.* Cùm ergo privilegia, tertii præsertim Ecclesiarum præjudicium & Juris Conciliaris derogationem continentia, non ita, ut Lezana ait, facilè, sed rariùs, cum cognitione causæ & magna difficultate soleant concedi, per ea quæ Joan. Andr. *in c. Dudum 31. de Privileg. n. 5.* & Jason. *in l. 1. ff. de Legat. 1. n. 2. & 21.* ab eóque relati DD. alii tradunt, generalis communicatio privilegiorum ad exemptionem à decimis non extendetur: nisi fortè casu, quò in generali communicatione aliquibus præjudicialibus expressis adjicitur clausula, ex qua istam ad cætera extendi colligatur, ut cum *cit.* Franch. *n. 10.* rectè advertit Engel *ad hanc Rubric. §. 3. n. 4.*

Dubium secundò est, an Religiosis concessum privilegium, de non solvendis decimis ex prædiis suis, comprehendat sola prædia tempore concessionis acquisita, vel etiam postea acquirenda. Priora tantùm illò comprehendi, existimat Oldradus *Consil. 268.* cùm; quòd tale privilegium propter præjudicium tertii & Juris communis derogationem sit interpretationis strictæ, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* tum verò; quòd prædia ad Religiosos transeant cum onere suo, *arg. c. Ex literis 5. de Pignorib.* 51.

Sed verius est, & *c. Quia circa 22. de Privileg.* decisum videtur, ejusmodi privilegiò comprehendi etiam prædia acquirenda; cùm privilegium, secundùm Canonicas sanctiones, hoc est, ab habente potestatem & legitimò modò super decimis indefinitè concessum, non solum de illius temporis, sed de futuris quoque intelligatur, *c. cit.* privilegium autem à sumo Pontifice legitimè concessum, indubitatè præsumatur. Idem desumitur ex *c. Nuper cit.* cujus textu, cùm decimarum concessio, antè *c. Ex parte 10.* facta, restringitur, non obscurè indicatur, immunitate à solutione decimarum solvendarum ex propriis prædiis Religiosis antè indefinitè concessâ, comprehendi 52.

etiam prædia acquirenda, Azor *cit. Lib. 7. cap. 26. q. 6. §. Tertiò*, & Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 19. n. 7.*

Neque aliud persuadent adducta ab Oldrado, partim; quia privilegium, licet strictæ interpretationis sit, intelligendum tamen est plenè; ut extendatur ad omnia, quæ ipsius verbis significantur. Cùm ergo indefinitè concessa exemptio, à solutione decimarum ex propriis prædiis Ordinis, æquivaleat concessioni universali, & includat negationem non solvendi decimas, etiam prædia ab eo acquirenda comprehendet: partim verò; quòd res cum onere non transeat, quando onus privilegiò tollitur: sicut, in proposito casu fieri, est dictum.

Neque obstat; quòd ad prædia acquirenda non extendatur præscriptio immunitatis à decimis solvendis; quia ad istam requiritur possessio, quæ respectu prædiorum primùm acquirendorum deficit: non etiam ad privilegium; ideóque hoc ad futura extendetur, etsi ad ea præscriptio nequeat extendi.

53. Dubium tertiò est, an ejusmodi privilegium valeat revocari. Ratio dubitandi est; quòd Privilegium, à Principe semel legitimè concessum, debeat esse perpetuum, *Reg. Decet 16. in 6.* Verùm hæc Regula perpetua non est; cùm, præter alias exceptiones, ei locus non sit, quando privilegium, præsertim gratiosum, mutatò rerum statu tertio damnosum incipit esse, & causa publicæ Utilitatis ejus revocationem suadet, Streinius *in Reg. cit. n. 2.* & Gonzalez *in c. Suggestum 9. n. 4.* ideóque *c. cit.* Alexander III. ejusmodi privilegium obtinenti suadeat; ut super decimis de Jure Ecclesiæ

54. solvendis cum ista componat. Quare Interpp. aliíque DD. communiter agnoscunt, ejusmodi exemptionis privilegium, cùm eò enormiter læditur Ecclesia Parochialis, revocari: & quidem, si ejusmodi læsio manifesta sit, ipsò jure ita; ut, licet ab Ecclesia Parochiali Religiosi ad decimarum solutionem cogi propriâ authoritate non valeant, tamen privilegiati, quibus de ea læsione inhabitatè constat, decimas Ecclesiæ Parochiali solvere, non expectatâ judicii sententiâ, teneantur, secundùm Glossam *in can. Recepta, 25. q. 2.* quia in concessione privilegii includitur tacita conditio, *Nisi enormiter lædatur Ecclesia Parochialis*; ut eò concessa exemptio ad hujusmodi læsionis casum non porrigatur. Panormit. *in c. Suggestum cit. n. 5.* Si verò enormitas læsionis manifesta non sit, recurrendum est ad Papam: cujus, sicut privilegium concedere, sic etiam judicare est, an læsio enormis & tanta sit; ut privilegio amplius non sit locus, vel opus sit moderatione, Panormit. *ibid. n. 4.* & Barbosa *cit. cap. 28. §. 3. n. 44.*

Præterea Privilegium exemptionis à solutione decimarum amittitur conventione seu partium Compositione, *c. Suggestum cit. c. Dilecti 8. in fine & c. Super 34.*

Demum idem amittitur Præscriptione, sive non-usu vel usu contrariò, quo privilegiati decimas solvant, ut colligitur ex *c. Si de terra 6. hâc Rubr. & c. Antecedentibus 15. de Privileg.* ex quibus tamen textibus non levis controversia oritur de tempore non-usûs, requisitò ad ejusmodi privilegii amissionem; cùm, priori triginta, posteriori verò quadraginta annorum non-usu privilegium amissum, decidatur; sunt enim, qui ad privilegium per viam præscriptionis sive non-usûs tollendum priori annos triginta sufficere secundum Jus antiquum, triccennalem præscriptionem contra Ecclesiam admittens, *can. 1. & c. 16. q. 3.* posteriori autem textu, priorem corrigente, quadra-

quadraginta annos exigi velint, secundùm Jus novum *c. De quarta 4. & c. Ad aures 6. de Præscript.* quadragenarii temporis lapsum exigens ad præscriptionem adversus Ecclesiam complendam.

Sed malè; cùm uterque textus eâdem Gregorii IX. Compilatione referatur: in eadem autem Compilatione contrarietas & correctio, si terminis Correctoriis non utatur, non facilè admittenda: sed congruæ potiùs interpretationis conciliatione sit evitanda, per tradita *Dissert. Proœm. n. 105.* Quare meliùs cum aliis Barbosa inter non-Usum & Præscriptionem distinguit: & ad privilegii amissionem per viam tacitæ renuntiationis, quæ non-usu ipsius privilegiati inducitur, triginta annos sufficere, colligit ex *c. Si de terra cit* verbis, *Privilegio tantò tempore detrahere voluisti:* per viam autem præscriptionis contra Ecclesiam quadraginta annos *c. Accedentibus eh.* exposci, docet *in c. cit. n. 4.*

Cui textuum conciliationi opponentibus, etiam *c. Accedentibus cit.* immunitatem à solvendis decimis per viam Renuntiationis non-usu inductæ amissâ, ejus clarè insinuari verbis, *Tanto tempore*, decimas contra indulta solvendô, *eis renuntiâsse tacitè præsumuntur*, rectè Respondet Barbosa *c. Si de terra cit.* à Papa præcisè consideratum non-usum ex parte privilegiatorum, ex eóque tacitam renuntiationem illatam: contrà *c. Accedentibus cit.* etsi tacitæ renuntiationis mentio fiat, præcipuè tamen propositam à parte, & à Papa consideratam quadragenariæ & quietæ ac pacificæ possessionis continuationem eorum, qui decimas perceperunt: quâ contra Ecclesiam verè præscribitur, *c. De quarta & c. Ad aures citt.*

Non displicet etiam *cc. citt.* conciliatio, quam ex Hentic. de Boich *in c. Si de terra cit.* affert Canisius *ad hanc Rubr. cap. 6. n. 13.* duos casus distinguens: & eô quidem, quô adversus privilegiatum decimæ præscribuntur ab eô, cui quoad earum perceptionem Jus commune assistit, vg. à Parocho, triginta annos etiam contra Ecclesiam sufficere, *c. Si de terra cit.* contrà casu, quô contra Ecclesiâ vel Monasterium ab eo, cui Jus commune non assistit, vg. ab alia, quàm Parochiali præscribuntur, quadraginta annos necessarios esse, & *c. Accedentibus cit.* exigi, docens.

Secundò à decimis solvendis immunitas acquiri potest Consuetudine: quâ decimas Personales fere ubique, & Reales Minutas in plerisque locis ex toto vel ex parte sublatas, DD. passim observant. Eâdem in aliqua provincia etiam immunitatem à solvendis decimis Majoribus acquiri posse, communis sensus est DD. dummodo ejusmodi consuetudine Parochis Divinô & Naturali Jure debita sustentatio non subtrahatur; id enim si alicubi fieret, non obstante quacunque Consuetudine, decimarum præstandarum obligationem fidelibus imponi à Papa denuo posse, D. Thoma aliisque DD. relatis, ostendit *cit.* Suarez *cap. 12. n. 11.* & monet Laiman *Lib. 4. tract. 6. cap. 6. in fine.* Quamvis autem, ad Consuetudinē contra Legē introducendam regulariter decennium sufficere, censuerim *Lib. 1. Tit. 4. n. 31.* ad acquirendam tamen per eam immunitatem ab obligatione solvendi decimas; quòd per eam Ecclesiæ Parochialis jus lædatur, non minus tempus, quàm ad præscribendum adversus Ecclesiam requiri, ibidem monui *n. 32.* cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 47.* 57.

Tertiò, Præscriptione: quæ tamen contra Parochum & Ecclesiam Parochialem, quòd huic commune Jus assistat, non perficitur nisi quadraginta annis cum titulo, vel sine isto tempore immemo- 58.

59. riali, *c.1. de Præscript. in 6. Contra Parochum*, inquam; quia contra Monasterium vel Ecclesiam non-Parochialem quadraginta annis sine titulo, *c. De quarta & c. Ad aures citt.* & contra privatum, tam clericum quàm laicum præsentem decem, contra absentem viginti annis præscribuntur, juxta principia Juris vulgata.

Neque obstat; quòd à laico præscribi nequeat jus decimas percipiendi, *c. Causam 7. de Præscript.* quia inter hujusmodi jus & immunitatem à decimis solvendis latum discrimen intercedit; cùm illud, ut infra dicetur, à laico Juridicè possideri nequeat: quô tamen modô possideri ab eo potest immunitas ab onere decimas solvendi; quia hæc aliud non est, quam commoditas temporalis sive libertas à dicto onere, fundo inhærens à natura, hôc ipsô; quòd decimæ quoad quotam non Naturali aut divino, sed humano sive Ecclesiastico Jure debeantur, Covarruvias *Lib. 1. var. cap. 17. n. 10.* & *cit.* Suarez *cap. 12. n. 17.*

60. Quartò à decimis præstandis exemptio acquiri potest amicabili Compositione & Transactione juxta dicta *Lib. 1. Tit. 36. n. 32.* Eadem acquiri potest gratuitâ Cessione, sive remissione Parochi vel alterius decimatoris, ab earum præstatione aliquem liberantis, Canisius *ad hanc Rubr. cap. 17. n. 19.* & Vallens. *ibid. §. 8. n. 5.* Quam tamen remissionem, licet Parochus respectu decimarum sibi præstandarum ad vitæ suæ tempus facere queat liberè; cùm ita sibi duntaxat præjudicet: perpetuò tamen sive, ut eâ etiam successor stare teneatur, id facere non potest sine justa causa & solennitatibus, ad rerum Ecclesiasticarum alienationem Jure requisitis: quarum interventus etiam necessarius est, cùm ad Monasterium vel Ecclesiam etiam Secularem quamcunque spectantes decimæ ab ejus Prælato, non solùm perpetuò, sed ad quòdcunque triennio longius tempus remittuntur, juxta *Extravag. Ambitiosæ de Reb. Eccles. alien.* & dicta *Tit. 18. n. 7.*

ARTICULUS V.

De Iis, à quibus Decimæ percipiuntur.

SUMMARIUM.

61. *Decimæ primò solvebantur tribus Clericorum:*
62. *Postea Ecclesiæ Parochiali,*
63. *Super earum perceptione Juris assistentiâ munita:*
64. *Personales quidem Parochis, ministranti Sacramenta,*
65. *Ad eáque ministranda obligata:*
66. *Reales verò ei, intra cujus fines proveniunt:*
67. *Cui etiam præstantur decimæ Mixtæ.*
68. *An Parochiali vel Baptismali alicui sint debeantur, sensus DD.*
69. *Quatuor casuum distinctione conciliantur.*
70. *Decimas aliquando cum Parochis alii Clerici percipiunt.*
71. *Eadem Episcopo debentur ratione Parochiæ Cathedralis:*
72. *In diœcesi, in parochias non divisa:*
73. *Et cum prædia in diœcesi sita a nullis parochis sunt.*
74. *Ratione parochiarum Unitarum aliquando Monasteriis præstantur.*
75. *Decimarum pars aliqua de Jure debetur Papæ.*
76. *Laici capaces non sunt Juris derivandi Directi principalis:*
77. *Sed Indirecti duntaxat,*
78. *Et Directi minùs principalis.*

Ex prima

61. EX prima Ecclesiæ ordinatione Decimæ debebantur cætui clericorum, Sacramenta cæteráque Divina populo ministrantium, aut ministrantibus assistentium: &, inter hos juxta cujusque necessitatem & merita distribuendæ, Episcopo solvebantur, *can.* 1. *can. Quoniam* 21. *&c.* 16. *q.* 7. Vallens. *ad hanc Rubric.* §. 6, *n.* 1. & Gonzalez *in c. Cùm sint* 18. *n.* 2.

62. Postea, factâ à Dionysio Papa Ecclesiarum divisione, erectísque beneficiorum Titulis, & istorum singulis proprio clerico assignatis, decimarum aliorúmque proventuum Ecclesiasticorum certa portio singulis clericis, vel potiùs ad ipsorum sustentationem Ecclesiis Parochialibus, spiritualia populo ministrantibus, est assignata, *can.* 1. *&c.* 13. *q.* 1. *& c. Pastoralis 9. de Ju, quæ à Prælat.* Laiman *Lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 3.* & Vallens. *cit. n.* 1. & Gonzalez *cit. n.* 2. Unde hodie Ecclesiæ illæ

63. earúmque Rectores seu Parochi super perceptione decimarum Jure communi fundatam habent intentionem; ut, si controversia super iis oriatur, probandi onus in quemlibet, eas ad se pertinere asserentem, rejiciant, ut colligitur *ex c. A nobis 24. c. Cùm contingat 29. &c. hâc Rubr. & c. Ad decimas 2. de Restit. Spoliat. in 6.* Rebuffus *de Decimis q.* 7. *n.* 4. & Barbosa *de Offic. Parochi cap.* 28. §. 2. *n.* 9.

64. Porro, ut, cui Parochiæ decimæ debeantur, constet, notandum est discrimen inter Personales & Reales.

Et illæ quidem, ubi in usu sunt, exhibendæ Parochiæ, à qua Ecclesiastica Sacramenta cæteráque spiritualia ex obligatione ministrantur & percipienda sunt, *c. Ad Apostolicæ 20. hâc Rubr. & c. fin. de Parochiis.* Si quis autem habeat duo domicilia, decimas Personales solvendas Parochiæ, in qua principalius: vel, si duo æquè principalia domicilia habeat in utraque, eas dividendas inter hujusmodi Parochias, cum Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 21. n.* 1. existimat Gonzalez *cit. n.* 2. Idem faciendum est, si domus sit in confinio duarum Parochiarum: &, si in qua Parochia domus sit, dubitetur, attendendum ad situm januæ; ut in illa Parochia quis domicilium habeat, & ad decimas obligetur, quam respicit janua: &, si pluret habeat, quam respicit janua anterior & principalis, Rebuffus *q. 6. à n.* 3. & Moneta *de Decimis cap. 7. à n.* 21.

Dixi, *Ex obligatione*; quia, etiamsi 65. quis, ut in pluribus locis hodie fit, Divina audiret & Sacramenta perciperet extra Parochiam in Ecclesia Monasterii, non tamen idcirco huic deberet decimas Personales; cùm neque ista Divina ministrare, neque ille ea percipere in tali Ecclesia ex obligatione teneatur: imò de Jure, præter alia Sacramenta, etiam annuam Confessionem & Communionem Paschalem obire, Missamque & alia divina audire in propria Parochia debeat, *c. Ut Dominicis 2. de Paroch. & c. Cùm quis 2. de Sepult. in 6.* Rebuffus *q. 6. n.* 2. & Moneta *cit. cap. 7. num.* 20.

Istæ verò, sive decimæ Reales & præ- 66. diales præstandæ sunt Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia, *c. Cùm sint 18. c. Ad Apostolicæ 20. & c. Cùm contingat 29.* quia, sicut Personales personis, quas etiam sequuntur, sic Reales ipsis prædiis inhærent. Neque, ut primò intuitu videri potest, absurdum aut iniquum est; quòd prædii decimas percipiat Parochia, à qua illius domino vel colono spiritualia non ministrantur; quia nihilominus id rationabiliter statutum est, cùm; quòd ita incertitudo Parochiarum & Parochialium limitum confusio evitetur: tum verò; quòd æquale in hoc jus, commodum & incommodum sit omnium Ecclesiarum; cùm, sicut unus ex hac in aliam, sic vicissim

vicissim alius in hanc ex alia Parochia migret; ac proinde, sicut ille alienæ, sic vicissim propriæ ipsius Parochiæ decimas alius solvat, ut rectè advertunt *citt.* Rebuffus *q. 6. num. 20.* & Suarez *cap. 21. à num. 14.*

67. Reales, juxta dicta *n. 5.* sequuntur decimæ Mixtæ, vg. ex fœtibus animalium: ex gallinarum, anserum aliárumque aviũ pullis: ex caseo, lacte &c. nam etiam ipsæ Parochiæ, cujus finibus concluſa sunt prædia, debentur; ut, si pecora diversis anni temporibus pascantur intra fines Parochiarum diversarum, decimæ inter has pro rata temporis, quô in singulis aluntur, inter illas dividendæ sint: nisi alia sit locorum consuetudo, Glossa *in c. Ad Apostolicæ cit. V. Personales, citt.* Rebuffus *n. 15.* & Moneta *cap. 4. n. 16.*

68. Dubium hîc & Controversia est, an Decimæ, tam Personales quàm Reales, Ecclesiæ Parochiali etiam debeantur, quando hæc distincta est à Baptismali.

Priores sive Personales utrique solvendas sive inter eas dividendas, volunt *in c. Cùm contingat 29. Panormit. n. 6.* Ant. de Butr. *n. 8.* & Fagnanus *n. 56.* propter textus *can. De decimis 45. & can. Quæsti 46. &c. 16. q. 1.* quibus decimæ Personales solvi jubentur, *Ubi* eas præstantium *infantes baptizantur & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.* Contrà Rebuffus *cit. q. 6. n. 21.* cum Glossa *fin. in c. fin. de Paroch.* & Joan. Andr. *in c. Ad Apostolicæ cit.* eas soli Parochiali deberi, defendunt ex ratione; quòd debeantur Ecclesiæ, in qua Sacramenta percipiuntur & audiuntur Divina: quæ est Parochialis: non, in qua percepta sunt & audita, *can. Quæsti & c. ad Apostolicæ citt.* atque idcirco, cùm quis domicilium mutat, hujusmodi decimæ præstandæ sint Parochiæ, ad quam, non ex qua transitus est factus. Posteriorem hanc sententiam, non quidem, ut *cit.* Laiman *cap. 4. n. 3.* indubitatam, sed tamen probabiliorem censeo.

Neque aliud persuadent *canon. citt.* pro priori; cùm enim regulariter in eadem Parochia Baptismus cæteráque Sacramenta & Divina percipiantur, eademque Ecclesia Baptismalis simul sit & Parochialis, ut patet ex *can. In sacris 50. q. cit.* in Jure nomine Baptismalis aut ejus, in qua Baptismus percipitur, plerumque non alia Ecclesia intelligitur, quàm Parochialis, ut rectè observat Laiman *cit. n. 3.*

De posterioribus sive Realibus decimis distinguendi sunt quatuor casus. Primus, quô utraque, tam Parochialis quàm Baptismalis, Ecclesia ab antiquo habuit limites distinctos; eô enim quælibet decimas percipit ex prædiis intra suos limites sitis, *citt.* Rebuffus *q. 6. n. 18.* & Valleus. §. 4. *n. 11.* 69

Secundus, quô intra fines Parochialis, vg. ob necessitatem infantum baptizandorum, erecta est nova Ecclesia Baptismalis, quin huic distincti limites sint assignati: quo casu Parochialis decimas, quas percepit antè, etiam percipiet post erectionem Baptismalis, *can. Si quis laicus &c. 16. q. 1.* quia ista non censetur erecta cum inconimodo & præjudicio prius erectæ, *citt.* Rebuffus *n. 17.* & Moneta *cap. 7. n. 28.*

Tertius casus est, quô Ecclesia Baptismalis est Matrix, & Parochialis sonter erecta ipsi annexa, tanquam Filiali: quô casu decimæ pertinent ad priorem, *citt.* Rebuffus *n. 19.* & Joan. Andr. apud Fagnanum *in c. Cùm contingat cit. n. 33.*

Quartus, quô intra fines Ecclesiæ Baptismalis aut etiam Parochialis erecta est nova Parochia, quin tamen ista sit illius Filialis, aut in ejus erectione facta fuit assignatio certorum limitum vel certæ portionis prædialium decimarum; quô casu

casu, licet aliqui existiment, decimas aliquas in Ecclesiam noviter erectam ipso Jure transire, verius tamen hoc negat Fagnanus *l. cit. n. 42.* ponderans verba S. Synodi Tridentinæ *Sess. 21. cap. 4. de Reform.* asserentis, Parochiæ noviter erectæ competentem portionem ex fructibus Matricis, sive ejus, intra cujus fines erecta est, assignandam arbitrio Episcopi: Unde ejusmodi fructus sive decimas percipiendi Jus ad novam Parochiam non ipso Jure, sed primùm per congruæ portionis assignationem transire, infert Fagnanus; hanc illationem confirmans Cardd. Trident. Interpp. declaratione; cujus etiam meminit Barbosa *cit. §. 2. n. 19. in fine*; qui tamen *n. 18.* rectè advertit & *n. 19.* à Rota decisum; asserit casu; quò in novæ Parochiæ erectionem & limitum assignationem Ecclesia Matrix consentiret; intra eos decimandi & alia Parochialia jura ab ista illi remissa censeri ita; ut noviter erecta super decimarum perceptione intentionem fundatam habeat adversus Matricem: quod etiam *cit.* Moneta *n. 30.* adnotavit.

Neque obstat; quòd antiquæ Ecclesiæ propter erectionem novarum decimis privari prohibeantur, *can Ecclesiæ 45. &c. 9. cit.* quia, iste & similes textus hodie exaudiendi sunt de casu, quò Parochia non dividitur: vel, nisi nova, juxtà dispositionē *c. Ad audientiam 3. de Eccles. ædif.* erecta sit ex justâ & rationabili causa & accedente authoritate Episcopali, juxtà Trident. *cap. 4. cit.*

70. Dixi suprà, decimas deberi Parochiæ, & non tantùm Parocho; quia, quando Parochiales reditus in plura ejusdem Ecclesiæ beneficia sunt divisi, decimæ non soli ejus Rectori, sed aliis etiam clericis beneficiatis, ex officii sui obligatione Populo servientibus in spiritualium administratione, earum portiones singulorum beneficiis respondentes sunt solvendæ, *cit.* Suarez *cap. 28. n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.*

Neque his obstant primò *c. Quoniam 13.* verba, *Parte tuâ*, scilicet Episcopali, *retentâ*; quia, licet juxta hunc & *c. Conquerente 16. de Offic. Ord.* textum Episcopo debeatur decimarum aliqua, scilicet quarta pars, *c. De quarta 4. de Præscript. & c. Cùm olim 19. de Censibus*: quam ipsi attribuendi ratio fuit; partim imitatio Legis Veteris, ex Levitarum decimis partem aliquam summis Sacerdotibus assignantis, Numer. *cap. 18. v. 26. & c. 1. hâc Rubr.* partim verò; quòd ante divisionem Parochiarum decimæ ab Episcopis inter Ecclesiæ ministros, retentâ sibi congruâ portione, distributæ sint, *can. Decimas & c. Quoniam cit.* Licet, inquam, hoc ita sit, pars tamen illa post factam Parochiarum divisionem non immediatè à Parochianis; sed ab ipsis Parochis exigebatur, aut de cumulo decimarum his obvenientium deducebatur, ut *in c. Quoniam cit.* notant Panormit. & Gonzalez uterque *n. 2.*

Neque secundò *c. Dudum 31.* ex cu- 71.
jus decisione Episcopus super decimarum perceptione Jure communi fundatam habet intentionem; quia eò sermo est de decimis provenientibus ex prædiis, sitis in Parochia Ecclesiæ Cathedralis: respectu cujus proprius & immediatus Parochus cùm sit ipse Episcopus, super perceptione decimarum ad eam spectantium Jure communi fundatam intentionem ipse non minùs habet, quàm respectu aliarum Parochi inferiores, Panormit. *in c. Cùm contingat 29. n. 7.* & Barbosa *in c. Dudum cit. n. 3.*

Præterea Episcopo debentur Impri- 72.
mis decimæ omnium prædiorum diœcesanorum, in quibus nullæ sunt Parochiæ distinctæ; cùm enim tali casu tota diœce-

sis sit Parochia Episcopi, ad hunc spectabunt omnes decimæ prædiorum diœcesanorum, *arg. can. Decimas, 16. q. 7.* Glossa *in c. fin. V. Prædiorum, de Paroch.* Rebuffus *q. cit. n. 9.* & Barbosa *cit. cap. 28. §. 2 n.*

73. *15.* Deinde decimæ fructuum proventientium ex prædiis, in diœcesi quidem, sed intra nullius Parochiæ fines sitis, ut colligitur *ex c. Quoniam cit. & ibi* notant Panormit. *n. 2.* & Barbosa *n. 2.* Aliud esset, si de prædio inter duas Parochias sito dubium esset, ad quam spectet; tali enim casu decimas inter utriusque Parochos dividendas, & non Episcopo solvendas, cum *cit.* Panormit. *n. 3.* notat Moneta *cap. 7. n. 11.* Et demum Episcopo aliisque Prælatis & clericis inferioribus, uti etiam Ecclesiis non-Parochialibus, etiam extra diœcesin sitis, decimæ aliquando debentur Jure speciali & ex causis latè declarandis *à n. 88.*

74. Sicut Episcopo & aliis clericis Secularibus, ita decimas percipiendi jus aliquando competit Monasteriis eorúmque Prælatis & Religiosis, quando scilicet Monasteriis unitæ sunt Parochiæ sive animarum cura onúsque spiritualia populo ministrandi: vel ipsis conferuntur Parochiæ aliáque beneficia, annexam habentia curam animarum: vel decimas percipiendi jus privilegiô, præscriptione aliisve modis infra declarandis obtinuerunt, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 83.*

75. Ulterius, sicut in Veteri Testamento Aaron, & alii summi Sacerdotes post ipsum, à Levitis, Numer. *cap. 18. v. 21.* sic in Novo à Papa saltem ex gravi, vg. belli cum infidelibus aut aliis Ecclesiæ hostibus gerendi, vel alia simili causa decimas decimarum exigi ab omnibus clericis & ipsis etiam Episcopis posse, cum S. Thoma docet Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 39. n. 28.* cùm, sicut in Veteri Aaron ejúsque successores Israëlitici, sic etiam multóque magis in Novo Testamento ipse in spiritualibus præsideat regiminitotius populi Christiani, *Clement. Pastoralis 2. de Re judic. & Extravag. Ex debito 4. inter comm. de Elect.* sitque suprema administrator omnium beneficiorum, bonorum & jurium Ecclesiasticorum, *arg. can. Oportebat. 2. dist. 78. can. Nunc verò 9. q. 3. c. Licet 2. de Præb. & dignit. in 6. & Clement. 1. Ut lite pend.* &c. Ejusmodi tamen decimarum præstationes in Ecclesia non sunt usitatæ: sed earum loco ex beneficiis majoribus primi aut decimi quinti anni fructus, aut istorum partium aliquam, Annatarum, Quindenniorú, vel alio simili nomine, exigere solet, juxta dicta *Lib. 3. Tit 5. à n. 145.*

Demum, decimandi jus, etiam Directum, in laicos Privilegiô saltem Apostolicô cadere, indistinctè nonnemo vult. Quàm verè, planum reddet assertionis istius terminorum vera significatio, & distinctio inter decimandi jus duplex. Unum Directum, fundatum in titulo spiritualis officii sive potestate & obligatione Sacramenta cæteráque Divina fidelibus ministrandi, Alterum Indirectum & à titulo spiritualis officii abstractum, quò decimalium fructuum partem percipiendi facultas sine respectu ad spirituale ministerium obtinetur. Quorum posterius etiam laicis competere posse, communis est DD. sensus, & usus docet; cùm ita acceptæ decimæ Hispaniæ, Galliæque Regibus ob merita & beneficia in Ecclesiam collata, aut in subsidium ad bella ab iis contra Fidei hostes gesta aliquando à Sanctis Pontificibus sint concessæ: & aliis laicis etiam ab inferioribus Prælatis locari, eorúmque portio aliqua per modum stipendii temporalis pro obsequio Ecclesiæ exhibito ad tempus concedi aliquando soleat, Rebuffus *de Decimis q. 10.* Covaruvias *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 5.* & Suarez *cit. Lib.*

cit. Lib. 1. cap. 25. à n. 6. Prius autem & principale decimandi jus in laicos non cadere, D. Thomæ *cit. q. 89. art. 3.* Panormit. *in c. Quamvis 17. n. 2. cit.* Suarez *cap. 25. n. 2.* & aliorum DD. sententia certa ratióque perspicua est; quia Sacramenta cæteráque Divina ministrandi potestas & obligatio ex institutione Divina pendet à Sacramento Ordinis: quô cùm laici careant, in obligatione & potestate illa fundatum illud decimandi jus ullâ humanâ, etiam Apostolicâ, concessione in eos non cadit, secundùm *can. Decimas 16. q. 1. & 7. c. Ad hæc 15. & c. Quamvis cit.* 78 *Principale*, inquam; quia minùs principale & fundatum in usu jurisdictionis spiritualis in foro Ecclesiæ externo alióve simili ministerio, ab Ordine essentialiter non pendente, si à Papa laicis concederetur, eos non merè laicos, sed aliquô modò personas Ecclesiasticas censeri, advertit *cit.* Suarez *n. 5.*

ARTICULUS VI.

De Modis acquirendi jus Decimas percipiendi.

SUMMARIUM.

79. *Præcipuus est Collatio vel Unio beneficii curati.*
80. *Præterea decimæ acquiruntur I. Privilegiô Apostolicô.*
81. *II. Donatione laicorum, eas etiam injustô,*
82. *Sed Lateranense Concilium antecedente titulô detinentium.*
83. *III. Venditione:*
84. *Non tamen ab Ecclesia laico factâ.*
85. *IV. Permutatione.*
86. *V. Transactione & Compromissô.*
87. *VI. Infeudatione & Emphyteuticatione,*
88. *Laicis ab Episcopo &c. ante:*
89. *Post Concilium Lateranense à solo Papa factâ.*
90. *Sibi in Feudum datas laici transferre in alios possunt:*
91. *Nisi expressè prohibiti sint in concessione.*
92. *VII. Præscriptione:*
93. *Quâ tamen non acquiruntur à laicis,*
94. *Licet ab ipsis perceptæ sint tempore immemoriali,*
95. *Earúmque perceptio licitè continuetur:*
96. *Donec de Vitioso initio constet.*
97. *Decimas laici etiam contra laicos non præscribunt:*
98. *Nisi in hos irrevocabiliter sint translatæ.*
99. *Ad Ecclesiam tamen reversæ in alios laicos nequeunt transferri.*

PRæcipuus, & Juri primæque Decimarum institutioni maximè consentaneus decimas acquirendi modus est Canonica assecutio Ecclesiæ Cathedralis, & præsertim Parochialis: eique similis Ecclesiæ vel beneficii cum alia Ecclesia, Monasterio. dignitate &c. unio, *c. Exposuisti 33. de Præb. & dignit.* 79.

Præter quos modos acquiri Decimas percipiendi jus potest Primò privilegiô sedis Apostolicæ: vi cujus jus illud non solùm Ecclesiis non curatis, Monasteriis aliisque locis & personis Ecclesiasticis, sed laicis quoque competere potest juxta, dicta *n. 77.* 80.

Secundò Donatione laicorum cum consensu Episcopi, *c. Cùm Apostolica 7. de Iis, quæ à Prælat.* non solùm eas justò & validô titulô possidentium; cùm à talibus 81.

bus possessoribus per donationem, in quem voluerint, locum Religiosum, libere, & Episcopi consensu non accedente, valeant transferri, ut cum Soto *Lib. 9. de Justit. q. 4. art. 3.* & aliis notat Barbosa *in c. cit. n. 6.* sed, ut iste advertit, etiam
§2. injustè eas detinentium. Qua in re tamen multùm interest, an decimæ ità detineri cæperint ante, vel post Concilium Lateranense, *c. Prohibemus 19.* relatum; cùm primùm post Concilium hoc injustè detentæ restituendæ sint Ecclesiæ, cum cujus injuria & damno detinentur; & istam suo jure privare Episcopus nuspiam permittatur; quia *c. Cùm Apostolica cit.* Innocentius III. agit de decimis ante Concilium illud laicis in feudum concessis, ad eásque suam dispositionem restringit, Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 26. n. 13. in fine* Decimæ verò, quas contra Urbani II. *can. Decimas, 16. q. 7.* & Feud. *Lib. 1. cap. 6.* relatam & Lateranensi antiquiorem dispositionem Prælati inferiores laicis concesserunt, ab his, licet earum detentoribus injustis, si ad eas Ecclesiis, ad quas spectant, restituendas induci fortè nequeant, per donationem in alium locum Religiosum cum Episcopi consensu transferri (vel potiùs hujusmodi locus eas recipere) permittuntur *c. Cùm Apostolica cit.*

Quod autem istius textûs dispositio decimas injustè possessas concernat, *cit.* Suarez *n. 11.* eruditè desumit Imprimis ex verbo *Detinere*, quod non, ut verbum *Possidere*, ad jus, sed ad factum refertur, *l. Possessio 49. ff. de Adquir. possess.* Rebuffus *de Decimis q. 101. n. 24.* Dein; quòd *c. cit.* allegatus S. Hieronymus expressè loquatur *de Decimis à laicis malè detentis*: & tamen, eas in alium locum Religiosum transferri posse, asserat, eúmque Innocentius sequatur. Et demum ex eo; quòd Papa ille laicum decimarum detentorem moneri jubeat, *Ut eas restituat Ecclesiæ, ad quam spectant*: &, si ad hoc fortè nequeat induci, tum demum alteri loco assignari, vel potiùs assignatas ab illo cum consensu Episcopi acceptari permittat, cujus ratio reddita est *Tit. 10. num.* 86.

Tertiò Venditione; quâ à spirituali §3. titulo præcisum & merè temporale jus, sive decimales fructus percipiendi facultatem, ex justa causa & adhibitis solemnitatibus, ab una Ecclesia in aliam transferri posse, omnes facilè concedunt; quòd ita spectatum temporalem recipiat æstimationem. Nonetiam in laicos; cum Ecclesiarum Prælatis, illas his vendere volentibus, vehementer obstet Concilium Lateranense *c. Prohibemus cit.* Turonense *can. Decimas cit.* uti & Constitutiones Apostolicæ, *c. Adhæc 15. c. Quamvis 17. &c.* ut quis non immeritò miretur, quomodo decimæ venditione, aliòve simili contractu ab Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus in laicos sine scrupulo transferantur, cùm ea ipsorum facilitas neque in sacrorum Canonum ignorantiam; quæ hæc ipsis probrosa: neque in Consuetudinem refundi possit; cùm enim *cit. cit.* consulatur indemnitati Ecclesiarum, illis onerosa & damnosa; ac proinde irrationabilis esset consuetudo, quæ illis ferrissimè prohibitam decimarum in laicos translationem permittit, per text. & DD. *in c. 1. de Consuet.*

Quartò, Permutatione decimarum §4. unius Ecclesiæ cum decimis alterius, *c. de quæstiones 6. de Rer. permut.* ad cujus valorem, præter justâ causam, exiguntur solennitates, proditæ *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. & Tua 8. de lit. quæ à Prælat.* quia permutatio species quædam est Alienationis, *c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien. & Novell. 7. cap. 1. V. Alienationis.* Cæterum insuper; ne Juris decimandi divendum insuper; ne Juris decimandi divendum insuper; ne Juris decimandi divend

tio fiat interveniente aliquo temporali; quia ita facta Simoniaca foret, Gloſſa *in c. cit. V. Temporalia*, Rebuffus *cit. q. 10. n. 17.* & Moneta *de Decimis cap. 5. n. 135.*

86. Quintò, iisdem ſolennitatibus præviis, factâ Transactione ſeu amicabili Compoſitione, *c. Statuimus 2. & c. Veniens 3. de Transact.* ubi hac de re actum *à n. 31.* & Compromiſſo in unum vel plures arbitros, *c. Ad Apoſtolica cit. pr.* junctô *c. 1. &c. de Arbitr.* Laiman *Lib. 4. tract. 6. cap. 6. n. 1.*

87. Sextò Infeudatione: cujus tamen (eique affinis Emphyteuſeos) beneficiô poſt Alexandrũ III. *c. Adhæc, &c. Quamvis cit.* ſub eóque anno Chriſti 1179. celebratum Concilium Lateranenſe, *c. Prohibemus 19.* relatum: imò jam ab Urbani II. & Concilii Turonenſis, *can. Decimas & cap. 6. citt.* relati & annô 1096. celebrati, tempore decimæ laicis in feudum concedi à ſolo Papa poſſunt: ea-

88. rúmque ab inferiore Prælato quocunque laicis factæ conceſſiones ipsô Jure irritæ ſunt: etſi ab iis ante poſterius hoc Concilium ſine Apoſtolico conſenſu factæ pro validis habeantur, *cit. cap. 6.* verbis; *Quod autem antè datum fuerit, firmiter permanere debet.* Ratio Apoſtolicarum & Conciliarium prohibitionum graviſſima: ſed non ea fuit; quòd decimæ jus ſpirituale iſtiusque laici ſint incapaces, ut aliqui malè arguunt; quia hôc modô acceptæ & in ſpiritualis officii titulo fundatæ ante illos ſummos Pontifices & Concilia non perpetuâ duntaxat, ſed temporaneâ quoque conceſſione in laicos transferri nunquam potuerunt:

89. ſed; quòd decimas per infeudationem aut aliam ſimilem viam in laicos transferendi facultas Eccleſiis valde damnoſa eſſet, propter abuſum & prodigalitatem Prælatorum in iis concedendis, Suarez *cit. cap. 26. n. 6.* Palao *Tract. 10. diſp. unica, p. 9. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 141.* Qua ratione decimas, etiam à ſpirituali titulo præciſas, ſicut Infeudatione eique affini contractu Emphyteutico, ſic etiam Donatione, Venditione, Permutatione & quavis alia ratione ab Eccleſiis, Monaſteriis cæteriſque ſacris & Religioſis locis perpetuô in laicos transferri absque ſedis Apoſtolicæ authoritate non poſſe, evincitur, & cum Gloſſa *in c. Quamvis cit. V. Conceſſerit*, Suarez *cap. 25. n. 9.* & Pirrhing *cit. n. 141.* obſervant. Quod vel maximè verum eſt poſt editam à Paulo II. *Extravag. Ambitioſæ, de Reb. Eccleſ. alien.* quâ non decimarum duntaxat, ſed generaliter omnium rerum immobilium hisque æquivalentium & ad Eccleſias pertinentium, in laicos & in alios etiam alienatio quæcunque, non perpetua ſolùm, ut *c. Nulli 5. eâdem Rubr. & c. Veſtra 2. de Locato*, vel ad longũ ſive quodcunque decenniô majus tempus, ut *Clement. 1.* junctâ Gloſsâ *V. Modicam, de Reb. Eccleſ. alien.* ſed etiam ultra triennium extenſa earum locatio prohibita eſt & irritata, ut *Tit. 13. n. 99.* & *Tit. 18. à n. 7.* pleniùs eſt explicatum.

Dubium & controverſia eſt, an laicus decimas Canonicè, hoc eſt, ante Lateranenſe atque etiam Turonenſe Concilia ab Epiſcopo, Abbate &c. vel poſtea à Papa in feudum acceptas in alios etiam laicos valeat transferre. Quod cum Panormit. *in c. Prohibemus cit. n. 4.* negant Rebuffus *cit. q. 10. n. 26.* & Petr. Barboſa *in l. Titia 46. ff. Soluto matrim. n. 54.* quòd earum in hos translatio prohibita diſertè ſit *c. Adhæc & c. Prohibemus citt.* Accedit ratio; quia, ſi earum in alios translatio eſſet permiſſa laico vaſallo, iſte Sedis Apoſtolicæ vel etiam Prælatorum inferiorum, Conciliis illis antiquio- 90.

ri beneficiò in feudum acceptas & justè possessas decimas alteri laico subinfeudare posset, maximò præjudiciò Ecclesiæ; cùm ita subinfeudatæ decimæ difficiliùs ad eam reverterentur; quia, vasallo committente Feloniam, eóque & descendentibus masculis omnibus mortuis decimæ non reverterentur ad Ecclesiam: sed penes subvasallum remanerent: si iste Ecclesiæ ex tali infeudatione debita servitia paratus esset exhibere, Feud. *Lib. 2. Tit. 9. V. Si verò.*

Verùm *cc. citt.* utroque sermo est de Decimis, quas laici contra Concilii Turonensis prohibitionem acceptas, ac proinde injustè, detinent, ut probè advertit Suarez *cit. cap. 26. n. 7.* Unde hic Doctor, eúmque secutus Laiman *cit. cap. 6. n. 6.* cum Glossa *in c. Prohibemus cit. V. Laicos*, Felino *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constit. n. 69.* Sylvestro *V. Decima, q. 10. d. 3.* & aliis ab ejusmodi laico decimas per successionem hæreditariam instar alterius feudi in filios aliósque descendentes, juxta Feudi institutionem, transmitti docent.

Plus, quàm *cc. citt.* textus difficultatis habet contra hujusmodi decimarum in alios translationem allata ratio propter DD. de ejusmodi Subinfeudatione dissensionem, apud Clarum §. *Feudum, q. 32. n. 5.* Quidam enim, §. *Si verò cit.* Fori usu receptum, negant, ejúsque dispositione non obstante, masculorum à vasallo descendentium ultimi morte feudum domino directo aperiri, volunt, secundùm Jus commune: cujus quasi Regula est, resolutò jure dantis resolvi etiam jus accipientis sive ejus, cui est datum, *l. Lex 31. pr. ff. de Pignorib. & l. Peto 69. §. 1. ff. de Legat. 2.* Alii, §. *cit.* locum esse, volunt in feudis solùm Secularibus: non etiam in Ecclesiasticis, præsertim decimarum; quòd istarum in Feudum concessio juris sit strictissimi; ut, si in earum infeudatione expressum non est, subinfeudari sine Prælati consensu nequeant, & à vasallo descendentium ultimi morte ad Ecclesiam revertantur. Alii demum cum Glossa aliísque DD. *citt.* Ecclesiastica etiam decimarum feuda, canonicè obtenta, à vasallo laico, in earum concessione expressè non prohibito, subinfeudari saltem Episcopi consensu accedente posse, concedunt, cùm; quòd secundùm naturam feudi, id permittente, concessæ videantur: tum verò; quòd, cùm decimæ infeudatæ non sint sub Ecclesiæ dominio Utili, sed tantùm Directo, per utilis dominii translationem in alium res ipsius Ecclesiæ alienari non videantur. 92

Quin, decimas, per vasalli sine descendentibus defuncti mortem Ecclesiæ quidem apertas, sed nondum incorporatas, ab ejus Prælato ex justa causa in feudum alteri concedi sine solennitatibus posse, satis probabiliter existimant cum Suarez *n. 9.* & Laiman *n. 6.* propter textum *c. fin. de Feudis*: quò rerum ad Ecclesiam reversarum nova infeudatio Prælatis, etiam juramentò de rebus Ecclesiæ non alienandis & in feudum non concedendis præstitò adstrictis, generaliter abstruitur; quòd eorum juramentò casus iste non comprehendatur. *Ex justa, inquam, causa*; quia, si nova decimarum infeudatio (ut post Lateranense, imò Turonense Concilium, juxta dicta *Tit. 20. n. 33.*) Ecclesiæ damnosa aut minùs quàm olim utilis foret; quòd olim decretæ concessionis causa, rerum statu cum tempore mutato, cessârit, iterata quarumcunque rerum Ecclesiasticarum & omnium maximè decimarum infeudatio à Prælato sine consensu Apostolico permissa non esset. 93

Septimò Præscriptione: quâ tamen ab Ecclesiis aliísque locis & personis Ecclesia-

cleſiaſticis non eôdem ſemper temporis ſpatiô decimæ acquiruntur; cùm ab iſtis perinde, ut aliæ res immobiles, adverſus privatum quemcunque præſentem decem, abſentem viginti cum titulo, ſine iſto triginta annorum ſpatiô præſcribantur, *l. Diutina 4. & l. fin. C. de Longi temp. præſcript.* Quando autem eatum præſcriptio procedit contra Eccleſiam, multùm intereſt, an iſta Parochialis & prædia ſeu fundi, ex quibus decimæ proveniunt, intra ipſius fines ſiti ſint vel non; quamvis enim adverſus aliam quamcunque, Romanâ inferiorem & ſpecialiter non privilegiatam, Eccleſiam quadragenariæ ſine titulo, *Auth. Quas actiones C. de SS. Eccleſ. c. De quarta 4. c. Ad aures 6. & c. Illud 8. pr. de Præſcript.* adverſus Parochialem tamen Eccleſiam, intra cujus fines producuntur, non niſi quadragenariæ titulô munitæ, vel immemorialis temporis præſcriptioni eſt locus, *c. 1. eâdem Rubric. in 6.* Ratio eſt; quia quoad decimarum perceptionem Jus commune Parocho ſive Eccleſiæ Parochiali ſpecialiter aſſiſtit: extraneis autem, tam locis quàm perſonis etiam Eccleſiaſticis, eas adverſus Eccleſiam Parochialem præſcribentibus reſiſtit, *can. Eccleſiæ 13. q. 1. can. Si quis laicus 44. &c. 16. q. 1. c. fin. de Paroch. c. Cùm contingat 29. hîc &c. c. Ad Decimas 2. de Reſtit. ſpoliat. in 6. & c. 1. de Præſcript. in 6.* cujusmodi Juris communis reſiſtentia aut aliunde orta malæ fidei præſumptio cùm præſcribenti adverſatur & deficit titulus, non ſufficit quadragenaria, ſed neceſſaria eſt poſſeſſio tanti temporis, cujus initii memoria non exiſtit, *c. 1. cit.* Panormit. *in c. Si diligenti 17. de Præſcript. n. 20.* Covarr. *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 7.* Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 75. n. 1.* & Laiman *Lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 14.*

Dubium eſt, an decimæ præſcribi etiam valeant à laicis. Quod concordibus calculis DD. negant, & clarè deciſum eſt *c. Cauſam 7. de Præſcript.* cujus tenor eſt, *Cùm laici decimas detinere* ſeu poſſidere (Civiliter & Juridicè, ſecundùm Gloſſam *ibi V. Detinere*) *non poſſint, eas nulla valent præſcribere ratione*, etiam tempore longiſſimô & omnino immemoriali, Panormit. *in c. cit. n. 2. & 3.* Felinus *ibid. n. 2. citt.* Rebuffus *q. 13. à n. 67.* Covarruvias *cit. cap. 17. n. 5.* Balbus *de Præſcript. p. 1. pr. p. 4. q. 7. n. 57.* & Gilcken *ſimilis Tract. p. 3. cap. 8. à n. 16.* Ratio reddi ſolet; quòd decimæ ſint jus ſpirituale aut huic annexum; ac proinde in laicos non cadat earum poſſeſſio: ſine qua nulla, quanticunque temporis, præſcriptio procedit, per *l. Sine poſſeſſione 25. ff. de Uſucap.* eique conſonam *Reg. 3. in 6.* 93.

Sed, licet hac ratione legitimè concludatur, eâ tamen plus non evincitur, quàm laicorum præſcriptioni obnoxium non eſſe decimandi jus Directum, fundatum in ſpirituali titulo, ſeu poteſtate & obligatione Sacramenta cæteráque Divina miniſtrandi: quæ non ſola, nec principalis deciſio eſt *c. Cauſam cit.* cùm veriſimile non ſit, in ejus caſu Nobilem laicum pro jure decimandi, fundato in titulo, in ipſum apertè non cadente, egiſſe: ſed jus duntaxat ab ejusmodi titulo abſtractum ſive decimales fructus percipiendi facultatem merè temporalem, quaſi præſcriptam ſibi adjudicari poſtulâſſe, ut præter alios rectè obſervat *citt.* Suarez *cap. 27. n. 1.* Laiman *cap. 6. n. 8.* Barboſa *in c. Cauſam cit. n. 2.* Zœſius *ad hanc Rubr. n. 51.* & Pirrhing *ibid. n. 42.* qui propterea, *c. cit.* deciſionem etiam de jure decimandi à titulo ſpirituali ſeparato, & fructus ſolos percipiendi facultate procedere, docent cum Beroio *Conſil. 216.*

fil. 21. n. 28. Guttierez *Lib. 1. Practic. q. 16. pr.* & *cit.* Gilcken, omnium DD. hunc sensum esse, asserente *cap. 8. n. 17.* ex ratione; quòd, sicut liberi hominis possessio involvit titulum Conjugii, Professionis Religiosæ vel Servitutis, *arg. l. Qui universos 30. §. 1. ff. de Adquir. possess.* sic etiam decimarum possessio in laico involvat titulum Proprietatis, Glossa *in c. Ex parte 14. V. Commodo, de Restitut. Spoliat.* & Panormit. *in c. In literis 5. eâdem Rubr n. 24.* cujus post Concilium Lateranense *c. Causam & c. Prohibemus citt.* Imò post Turonense *can. Decimas c. Adhæc & c. Quamvis citt.* Laici sine privilegio Apostolico sunt incapaces. Confirmatur; quia præscriptioni, eô ipsô; quòd sit beneficium & inventum Juris Humani, locus non est in rebus, quas Leges aut sacri Canones ei obnoxias esse, nolunt; quia *Ubi lex inhibet Usucapionem, bona fides possidentis nihil prodest*, Regula est *l. Ubi lex 24. ff. de Usucap.* quoad decimarum autem præscriptionem laicis Jus *c. Causam cit.* apertè resistit. Unde

94. Planè corruit, quod pro laicis afferri solet, argumentum; quòd scilicet immemorialis temporis præscriptio privilegio Apostolico æquiparetur, *c. Super 26. de V. S. & l. fin. ff. de Aqua pluvia arc.* ut ea, quæ Principis privilegiô, etiam consuetudine & præscriptione immemoriali acquiri posse, Regulæ instar sit, ac tradatur ab Innocentio *in c. Novit 13. de Judiciis* & Felino *in c. Cùm contingat 13. de Foro compet. n. 4.* eâque probatâ meliorem titulum al legari non posse, asserat Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloss. 33. n. 4.* & alii apud Barbosam *in c. Super cit. n. 7.* Quia, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 4. n. 47.* ab hac Regula excipiendi sunt casus, quibus præscribens sine Principis privilegio capax non est possessionis, vel Præscriptioni & Consuetudini jus resistit: ut de ea, quâ decimandi jus laïco acquiritur, jam est dictum. Unde

Aliud & maximi in praxi momenti dubium nascitur, an ergo damnandi sint laici, decimas percipientes: quantumvis, eas in feudatione factâ ante Turonense, vel post hoc & Lateranense Concilium indultô Apostolicô obtentas, non constet. In quo benigna & à modernis DD. facta recepta est sententia *citt.* Suarez *n. 4.* & Laiman *n. 9.* eos non damnandos, si decimæ ab ipsis eorúmque Majoribus tot perceptæ sint tempore immemoriali; quòd, licet immemoriali tempore & bonâ fide continuata detentio eis non tribuat titulum & jus decimandi; fundet tamen præsumptionem tituli Canonici, hoc est, privilegii Apostolici aliquando obtenti, vel ante Concilia illa ipsis facta infeudationis. Quæ præsumptio, licet non transferat decimarum quasi-dominium seu proprietatem: & proinde casu, quô Instrumentum illegitimæ infectæ concessionis reperiretur, laicus decimas Ecclesiæ restituere teneretur, *c. Causam cit.* ejus tamen beneficiô detentionem justè continuare in utroque Foro censetur, donec reperto instrumentô aliáve, ratione eas illegitimè obtinuisse convincatur; quia, ut *l. fin. cit.* dicitur, *Quibus authoritatem vestras dat, tuendi sunt, licet jus non probetur.* Quod ulteriùs confirmatur; quia, cùm præsumptione generali etiam in foro animæ quilibet esse bonus censeatur, nisi malus esse probetur, *c. fin. de Præsumpt. & l. Meritò 51. ff. pro Socio*, decimatores etiam laici, eorúmque majores Canonicæ concessionis titulô eas decimas potiùs, quàm vi dolóve occupasse & injustè usurpâsse præsumuntur, utrectè arguit laudatus Suarez *n. 5.* & doctum *Lib. 1. tit. 4. à n. 51.*

Dubium

97. Dubium non minùs practicum est certiò, an laici decimas præscribere etiam contra laicos non possint. Non posse, evincere videtur defectus possessionis necessariæ ad omnem præscriptionem. *l. & Reg. Sine possessione citt.* Nihilominus ex communi DD. sententia locus est distinctioni; vel enim decimæ in laicos canonicè & non solùm ad tempus, sed perpetuò & omnino irrevocabiliter aliquando translatæ sunt, vel non? Si posterius hoc, eas etiam contra laicos præscribi non posse, omnino evincit defectus 98. possessionis. Si prius, eas contra hos præscribi posse, cum Felino *in c. Causam cit. n. 4.* verius defendunt Guttierez *Lib. 1. Practic. q. 15. n. 7.* Moneta *de Decimis, cap. 5. n. 118.* Barbosa *in c. Causam cit. n. 5.* Zœsius *ad hanc Rubr. n. 52.* & Engel *ibid. §. 2. n. 20.* Ratio est partim; quòd per hujusmodi concessionem à spiritualis officii titulo omnino avulsæ &, decimarum propriè acceptarum naturâ amissâ, rebus laicorum patrimonialibus accessisse videantur: partim verò; quòd hôc casu earum præscriptio nullum aut vix ullum præjudicium afferat Ecclesiis: ad quas, quia non faciliùs quàm aliæ laicorum res & bona redituræ sunt, parùm refert, an apud hunc vel alium laicum existant. Quæ causa est, cur hôc casu à laicis possideri posse videantur; cùm mutatâ naturâ bonis laicorũ patrimonialibus ac prophanis accenseantur, ut notat Barbosa *in c. Statuto 2. in 6. n. 12.* Unde

Infertur, decimas legitimâ authoritate laicis perpetuò & omnino irrevocabiliter concessas, ab istis donatione, venditione, emphyteutico alióve contractu in alios, etiam laicos, transferri liberè posse; cùm enim ejusmodi concessione naturam suam exuerint, & accesserint patrimonialibus laicorum bonis, de ipsis perinde, ut de aliis bonis propriis disponere valebunt, Guttierez *cit. q. 15. n. 7.* & Barbosa *in c. Prohibemus cit. n. 7.*

Casu tamen, quô ejusmodi decimæ 99. laicorum donatione aut aliâ viâ ad Ecclesiam reversæ, eique incorporatæ sunt, ab istius Prælato in laicos perinde, ut aliæ à titulo spirituali & Ecclesiis in laicos nunquam translatæ, transferri sine Sedis Apostolicæ authoritate ampliùs non possunt; quòd primævam naturam reassumant: & propterea earum in laicos alienationi obstet prohibitio Conciliorum Turonensis ac Lateranensis, *can. Decimas & c. Prohibemus citt. & Extravag. Ambitiosæ, de Reb. Eccles. alien.* Ita Oldradus *Consil. 92. n. 2.* & ferè quotquot, decimas à vasallo mortuo ad Ecclesiam reversas denuo infeudari à Prælatis non posse, docent cum Covarruvia *cit. cap. 17. n. 5.* Menochio *Lib. 6. Præsumpt. 86. n. 3.* & Fachineo *Controvers. Lib. 7. cap. 72.* ad mentem S. Ludovici, qui omnes decimas ad Ecclesiam reversas amortizari, lege Regiâ declaravit 1277. apud Rebuffum *cit. q. 10. n. 54.*

ARTICULUS VII.

De Decimis Novalium.

SUMMARIUM.

100. *Novalis nomen latè & impropriè;*
101. *Propriè & strictè,*
102. *Et strictissimè sumi potest:*
103. *Et ita solet in Privilegiis, Regulares eximentibus à solutione decimarum.*
104. *Latè sumptum Novale non variat jus decimarum.*

105. *Has ex propriè sumpto Novali percipit Parochus:*
106. *Non tamen ab exemptis ab earum solutione ex propriis prædiis.*
107. *Parocho debentur decimæ Novalium, licet veteres ex privilegio laici,*
108. *Imò etiam Monasteria percipiant:*
109. *Nisi his parochiæ sint unitæ.*
110. *Præscriptio decimarum, ex Novalibus provenientes non comprehendit:*
111. *Nonnullis casibus exceptis.*
112. *Qua in re varia, & servanda est locorum Consuetudo.*

100. NOvalis nomen non eandem semper in Jure, & usu etiam, significationem habet, *c. Quid per Novale 21. de V. S.* aliquando enim, sed latè & impropriè, fundum cultum quidem, sed jam alios, quàm antè dederat, fructus proferentem: ut si ex prato ager, ex horto vinea fiat, vel piscina unô alteróve annô conseratur: vel terram proscissam, quæ annô cessavit, *l.*
101. *Sylva 30. §. 2. ff. de V. S.* Aliquando, strictiùs & propriè significat *Agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria*, vel sulcus aut aliud indicium, *quòd aliquando cultus fuerit*, ut dicitur *c. cit.* sive terra aut fundus, qui, cùm priùs esset omnino sterilis, humanâ industriâ redactus est ad culturam, vg. si excisa sylva, arborum stipitibus & radicibus evulsis, dumetis ac sentibus extirpatis vel exustis, vel locus palustris exsiccatus in agri aut vineæ formam sit redactus, *l. & §. fin. ff. de Termino mo-*
102. *to.* Demum aliquando Novale accipitur strictissimè pro fundo ab hominum memoria inculto, & ad culturam redacto, ex quo Ecclesia Parochialis nullos aut valde exiguos fructus decimarum nomine percepit, *c. cit.*

Postremô hôc modô Novale accipitur in privilegiis Apostolicis, quibus decimis ex Novalibus solvendis immunitas concessa est locis Religiosis, secundùm decisionem *c. cit.* cùm, si ex sylva vel loco pascuo, ab hominum memoria non culto, Ecclesia Parochialis notabilis æstimationis proventus decimarum nomine percepisset, ex eo postea in agrum aut vineam redacto decimæ solvendæ à Religioso loco sint, non obstante privilegiô, ipsum à solvendis Novalium decimis eximente; quòd privilegium ita accipiendum sit; ut eô Parochiæ non nimiùm præjudicetur, ut *in c. cit.* notant Hostiens. *in fine* & Panormit. *n. 2.*

Primô autem modô sumpta Novalia pro talibus in materia & jure decimali non habentur; ideóque seclusâ consuetudine & conventione is, qui decimas ex aliquo fundo de fœno & frumento percepit, de vino ex vitibus in eo plantatis alióve genere fructuum, ex eo aliter culto postea collectorum, eas percipere debet, *c. Commissum 4. ubi* Panormit. *n. 1.* Rebuffus *de Decimis q. 6. n. 33* Gutierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 21. n. 5.* & Barbosa *in c. cit. n. 4.* Ratio est partim; quia, licet ita mutetur terræ qualitas & usus seu cultus, quoad substantiam tamen immutata & eadem est, quæ ad decimas ex fructibus, non certi generis, sed quibuscunque ex ea colligendis, solvendas fuit obligata, *c. cit. & c. Cum in tua 30.* partim verò; quia, si qualitate seu usu terræ mutatô de novo generare fructuum, novô ejus cultu productorum, decimæ solvendæ non essent priùs decimatori, in illius domini vel possessoris potestate foret, istum jure in ea quæsito pro suæ voluntatis arbitrio privare, contra *Reg. Id quod nostrum est 11. ff. de R. I.* cùm terræ usum cultúmque pro libito

bitu mutare & ex prato agrum, ex isto vineam vel hortum facere, Ecclesiâ vel aliô, cui fundus ad decimas obligatus est, non requisitô, possit, ut probè observant citt. Panormit. *n.* 2. Rebuffus *n.* 35. & Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 7. *cap.* 24. *q.* 10.

105. Ex secundò modô & propriè acceptis Novalibus provenientes decimæ, Jure communi spectato, præstandæ sunt Parocho vel Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines illa exurgunt, *c. Quoniam* 13. *& c. Cùm contingat* 29. quia sunt Reales sive prædiales; cùm sint onus ipsius terræ seu fundi. Si Novalia exurgerent in loco, intra diœcesin quidem, sed intra nullius Parochiæ fines sito, ex ipsis decimæ solvendæ essent Episcopo, juxta dicta *n.* 73. Unde

106. Dubium oritur primò, an Parocho vel Episcopo Novalium decimæ etiam debeantur à Religiosis, qui ab iis de propriis prædiis & fundis, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, solvendis sunt exempti. Affirmant id *citt.* Rebuffus *q.* 14. *n.* 29. & Guttierez *cap.* 21. *n.* 131. quòd, cùm hujusmodi privilegium tendat in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, accipiendum sit strictè, & ad Novalia non extendendum. Sed hac in re, sicut extensioni nullus locus, sic eâ opus non est; ut Religiosos ejusmodi privilegiô à Novalium decimis exemptos asseramus; cùm enim Novalia etiam propria prædia, sive istorum pars & fundi sint, eô ipsô; quòd propriis manibus seu sumptibus excolantur, ut ea privilegium afficiat, nullâ opus est extensione; quòd verbis ejus propriè acceptis sint comprehensa, ut non obscurè insinuatur *c. Ad audientiam* 12. ex cujus decisione Cistercienses indultum privilegium, ne de laboribus, quos propriis manibus & sumptibus excolunt, aliquis decimas ab ipsis exigat, Novalium & alias decimas omnes comprehendit. Cujus ratio ulterior est; quia in concessione, facta per verba generalia & indefinita, comprehenduntur omnes species & partes, quas eorum propria significatio includit, *arg. l.* 1. §. 3. *ff. de Aleatoribus*, duo Barbosæ, Petrus *in l. Quia tale* 13. *ff. Soluto matrim. n.* 37. Augustinus *in c. cit. n.* 4. Ita Panormit. *in c. cit. num.* 1. Decius *Consil.* 113. *n.* 6. Suarez *Tract.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 4. & 17. & Zœsius *ad hanc Rubr. n.* 58.

Dubium secundò est, an Novalium 107.
decimæ Parocho etiam debeantur, quando decimas, intra ejus Parochiæ fines provenientes, ex privilegio percipit alia Ecclesia vel Monasterium. Qua in re ante omnia præ oculis habendus est privilegii tenor & mens Papæ id concedentis. In dubio de concedentis mente, ipsis etiam Novalium decimæ adstrui videntur ab Innocentio III. cujus ad Monasterii S. Columbæ, privilegiô Apostolicô decimas in certis Parochiis obtinentis, Abbatem rescriptum est, *Cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas percipere sartis potes; quia, ubi majus conceditur, minus concessum videtur.*

Nihilominus cum Rebuffo *q.* 14. *n.* 108.
29. Covarruvia *Lib.* 1. *Var. cap.* 17. *n.* 13. Guttierez *cit. cap.* 21. *n.* 120. & *cit.* Suarez *cap.* 23. *n.* 6. ejusmodi privilegiô, etiam Ecclesiis extraneis & Monasteriis concessô, Novalium decimas comprehendi, communis DD. sententia & meritò negat, propter textum *c. Statuto* 2. *in* 6. cujus *pr.* & §. *Statuimus*, Alexander IV. Privilegium percipiendi decimas Novalium (aliis, quàm Cistercensibus & Carthusianis indultum) pro ea parte, quâ veteres ex indulto Apostolico (decimas

Novalium utique nondum tribuente; cùm, si has quoque tribueret, minimè necessaria, imò frustranea esset imploratio alterius privilegii super decimis Novalium) concessæ eos contingunt, ultra istarum medietatem non extendi, declarat: etiamsi tempore impetrationis istæ sive veteres decimæ ultra medietatem, imò totaliter perciperentur. Rationem reddit; quòd verisimile non sit, Sedem Apostolicam, si de veterum plena vel majori perceptione informata fuisset, eas in Parochialium Ecclesiarum præjudicium totas vel ultra dimidiam partem fuisse concessuram. Unde indubitatè infertur, privilegiò percipiendi decimas intra alienæ Parochiæ fines, extraneis Ecclesiis & Religiosis simpliciter concessò, Novalium decimas, si earum mentio non fiat, concessas non intelligi. Ratio est; quia hujusmodi privilegia, sicut laicis, sic etiam Religiosis & Ecclesiis concessa, tanquam odiosa, restringenda sunt; cùm cedant in præjudicium Ecclesiarum Parochialium, super decimis, ex prædiis ac fundis intra earum fines sitis provenientibus, intentionem fundatam habentium in Jure communi.

109 Neque huic decisioni adversatur *c. Ex parte cit.* relatum Innocentii rescriptum; quia eò declaratum decimas percipiendi privilegium Juri communi consonum potiùs quàm contrarium fuit; cùm fuerit de decimis Parochiarum, S. Columbæ Monasterio per unionem incorporatarum, ut *c. cit.* clarè insinuatur verbis, *Parochiarum tuarum:* &, decimas ex prædiis intra earum fines sitis percipiendi jus, quò ex Episcopi assignatione non Canonica Ecclesiæ extraneæ Canonici fruebantur, Monasterio restitutum fuerit concessione Apostolicâ: cujus interpretationem reddens Innocentius, eâ Novalium quoque decimas recuperatas; ac proinde specialem istarum impetrationem minimè necessariam esse, rescripsit *c. Ex parte cit.* quòd Novalium decimæ Jure communi pertineant ad Ecclesias Parochiales: quæ ratio redditur ab ipso Papa *in c. cit.* plenâ lectione, à cit. Rebuffo *n. 8.* relata & *c. Cùm contingat 29.* unde idem declaratur, ut cum *cit.* Suarez *n. 6. & 7.* notat Barbosa *in c. cit. n. 6.*

Neque hac in re paritas est cum privilegio decimas ex propriis prædiis non solvendi, ad decimas Novalium tendente; quia hoc spectatâ vi verborum magis universale est propter absolutam negationem, quam includit; ut nè Novalium decimas comprehendat potiùs, quàm ad eas extendatur, Suarez *l. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 104.*

Multò minùs quàm vi privilegii Novalium decimas, in aliena Parochia emergentes, percipit Ecclesia vel Monasterium, in quod veteres decimæ translatæ sunt donatione laicorum, *c. Statuto cit.* §. *fin.* etiamsi isti eas possederint justè; cùm enim decimas Novalium non perceperint laici vi infeudationis vel privilegii Apostolici; quòd his in dubio præsentes duntaxat seu veteres decimæ concessæ censeantur, has etiam solas in Ecclesiam vel Monasterium transtulerunt; cùm nemo plus juris transferre valeat in alium, quàm ipsi competebat, *Reg. Nemo 79. in 6.* Vivianus *in §. cit.* Moneta *de Decimis cap. 4. n. 75.* & Barbosa *in c. Statuto cit. n. 16.*

Dubium tertiò est, an Novalium decimas in aliena parochia percipiat, qui in ea decimas præscripsit. In quo Negativa regulariter verissima & *c. Cùm contingat 29.* decisa est, secundùm cujus Summam & sensum apud Interpp. receptum. Ratio clara est; quia, cùm præscriptio non procedat, ne possessione vel quasi præscriptio non

procedat, *Reg. 3. in 6.* & ista strictæ sit interpretationis, plus præscriptum non censetur, quàm possessum fuit: decimæ autem ex Novalibus recens exurgentibus provenientes ab eo, qui veteres præscriplit, nunquam fuere possessæ, Panorm. *in c. cit. n. 9. citt.* Rebuffus *q. 14. n. 9.* Covarruvias *cap. 17. n. 13.* & Suarez *cap. 20. n. 9.*

111. Dixi, *Regulariter*, propter *c. cit.* verba, *Nisi, qui alienas decimas percipere solebant, rationabilem causam ostendant, ex qua appareat, Novalium decimas ad ipsos pertinere*: quibus apertè insinuatur cum veteribus aliquando Novalium decimas acquiri: sicut contingit Primò, si cum illarum, etiam ex uno vel pluribus Novalibus provenientium decimarum possessio inchoetur, & tempore Jure desinito, hoc est, quadraginta annis cum titulo vel immemoriali tempore continuetur, *arg. c. 1. de Præscript. in 6. citt.* Rebuffus *q. 14. n. 17.* & Moneta *n. 85.* Secundò, si cum veteribus etiam plurium Novalium, in ejusdem prædii & fundi diversis partibus successivè exurgentium, decimæ semper percipiantur; cùm enim tali casu, sicut veteres, sic & Novalium cum tempore exurgentium decimas percipiendi jus possideatur, cum illis has quoque percipiendi jus præscribetur, *citt.* Moneta *n. 88.* & Rebuffus *n. 20.* Tertiò, si, qui decimas veteres præscripsit, ex sylva, palustri aliove loco, ab hominum memoria non culto, decimarum nomine utilitatis aliquid vg. ligna, virgulta, glandes, arundines percepit, *arg. c. Cùm in tua 30.* quia hujusmodi terra possessa fuit tanquam obligata ad decimas; ac proinde istas ex ipsa culta percipiendi jus cum tempore præscriptum est, Panormit. *in c. Cùm contingat cit. n. 9.* Rebuffus *l. cit. n. 22.* & Guttierez *Lib. 2. Q. Q. Canon. cap. 21. n. 102.*

Præterea hac in re observanda & custodienda est locorum Consuetudo: vi cujus alicubi terra ab hominum memoriæ sterilis & inculta, humanáque industriâ & cultu in vineam aut agrum conversa primò duntaxat, & in Bavaria nostra tribus solùm annis censetur Novalis; ut fructuum ex ea provenientium decimæ primò vel tribus tantùm annis solvendæ sint Parocho: postea verò aliis, si qui veteres decimas privilegiò, præscriptione alióve titulò obtineant, sint solvendæ, ut refertur **Landrecht** *Tit. 28. cap. 13.* Quæ Consuetudo, sicut legitimè præscripta, sic etiam valde consona est rationi; cùm per eam decimarum confusio, & istius comites innumeræ lites decimales tollantur vel diminuantur. 112.

ARTICULUS VIII.

De Causarum Decimalium Judice, Decimásque fraudantium Pœnis.

SUMMARIUM.

113. *Super decimis negatis adeundus est judex,*
114. *Proposita Actione Confessoria,*
115. *Rei Vindicatione,*
116. *Conditione ex Canone,*
117. *Vel Possessorio Interdicto.*
118. *In Petitorio super decimis cognoscit Judex Ecclesiasticus:*
119. *Nisi decimæ in laicos perpetuò fuerint translatæ.*
120. *Idem judex est in Possessorio, cùm reus clericus,*
121. *Vel causæ possessionis admixta est quæstio Juris.*
122. *Cùm hæc non miscetur & reus laicus est, causa est Mixti Fori.*

123. *Quare hôc casu in Adipiscenda Ecclesiasticus:*
124. *In Retinendâ & Recuperandâ Possessorio,*
125. *Et cum de mero facto quæstio est, etiam Secularis competens est judex;*
126. *Ut inter hunc & Ecclesiasticum locus sit præventioni.*
127. *Peccatum & Pœna fraudationis decimarum.*

113. DEcimas si parochiani vel alii prædiorum domini aut coloni, ex quacunque causa, in tempore vel integrè non solvant vel denegent, eas propria authoritate auferre, ad earúmve solutionem vi aut Sacramentorũ denegatione debitores cogere Parochus aliúsve decimator nõ potest: sed, ne in propria causa jus sibi ipse dicat, contra *l. Exeat 13. ff. Quod met. causâ*, propositâ Actione judicis officium implorare debet, Navarrus *Consil. 1. de Decimis n. 2.* & Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1. cap. 38. n. 2.*

114. Et quidem, si judiciô Petitoriô super ipso decimas percipiendi jure sive proprietate acturus, hanc sibi adjudicari aut adversario super ea silentium imponi, velit, perinde ut pro cæteris rebus incorporalibus Confessoriam vel Negatoriam, ut *arg. §. Æquè 2. Instit. de Actionibus* junctô *c. 1. de Novi Oper. nunt.* cum Glossa *in c. Tua 26. V. Tributa* & Panormit. *in c. Examinata 15. de Judiciis n. 16.* docent Rebuffus *de Decimis q. 9. n. 11.* & Moneta *de Decimis cap. 8. n. 38.*

115. Si pro decima parte fructuum, à reliquorum cumulo jam separata, sibíque assignata & quasi tradita agat, Rei Vindicatione eam sibi adjudicari postulabit,

116. *can. Moderamini 23. in fine, 16. q. 1.* Si decima fructuum pars à reliquis separata & Parocho assignata nondum sit, iste pro ea Actionem Personalem scilicet Condictionem ex Canone habebit, *cit.* Rebuffus *à n. 17.* & Moneta *à n. 35.*

117. Si autem judiciô Possessoriô pro decimarum vg. ex Novali, intra Parochiæ fines nuper exurgente, proventientium possessione, quam nunquam habuit, adipiscenda: vel pro decimarum veterum quam habuit possessione adversus alium, à quo in earum collectione turbatur, quietè ac pacificè retinenda: vel per fructuum decimalium violentam collectionem vel negatam illorum solutionem amissa, recuperanda experiri velit, prodita pro is Interdicta sive remedia Possessoria innotabit. Unde

Dubium oritur, coram quo, Ecclesiastico vel Seculari, judice super decima sit agendum. Et privilegiô quidem Apostolicô super iis ortarum & in judicium deductarum controversiarum & quæstionum quarumcunque cognitionem definitionémque curiæ seu judici Seculari competere posse, citra omne dubium, cum Glossa *in c. Decernimus 2. V. Præsumat, de Judiciis*, Panormit. *in c. cit. n. 4.* & alii concedunt Suarez *cit. cap. 38. n. 17.* & Dobene *de Immunit. & jurisdict. Eccles. cap. 1. dub. 15. §. 2. n. 1.* quòd ejusmodi cognitio Episcopalem, Sacerdotalem vel alium Ordinem essentialiter non præsupponat.

118. Jure autem vel pôtiùs usu communi spectatô, omnino necessaria est distinctio inter dicta Judicia & quæstiones; cum, si Petitoriô de proprietate sive jure decimandi (eadem ratio est Primitiarum & Oblationum) agatur, super eo motæ & tam incidenter quàm principaliter, in judicium deductæ quæstionis cognitio & definitiô ad forum seu judicem Ecclesiasticum pertineat, ut cum Felino *in c. Cum sam 7. de Præscript. n. 15. cit.* Rebuffo *q. 10. &*

10. à n. 35. & aliis docent Suarez *cit. cap. 38. n. 16.* Canisius *de Decimis cap. 18. n. 1.* Gratianus *Discept. Forens. cap. 238. à n. 8.* Gaill. *Lib. 1. observat. 38. n. 1.* Moneta *cit. cap. 8. n. 1.* duo Barbosæ, Petr. in *l. Titia 34. ff. Soluto matr. n. 39.* August. *de Offic. Parochi cap. 28. §. 4. n. 1.* Ratio solida & clara est; quia Fori Ecclesiastici propriæ sunt quæstiones & causæ rerum spiritualium hisque annexarum, tam incidenter quàm principaliter, in judicium deductarum, *c. Decernimus cit. c. Quantò 3. de Judciis, c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Si judex 12.* ibi, *Quia de re spirituali & Ecclesiastica est, de Sent. excomm. in 6.* causæ autem decimarum, cùm judiciò Petitoriò contenditur, sunt rei spiritualis, aut huic annexæ, ac proinde Ecclesiasticæ, ut patet *ex c. Adhæc 15. & c. Tua 26.* quorũ textuum priori *Sanctuarium Dei*: posteriori *Jus Ecclesiasticum* nuncupantur; & ex titulo, ratione cujus in veteri Divinò, *c. 1. c. Parochianos 14. &c.* in nova Lege Ecclesiasticò Jure exiguntur & solvuntur; sicut enim in illa Sacerdotibus & Levitis, ad Altaris & Sacrificiorum ministerium deputatis, sic in ista ad clericorum præsertim curatorum, Sacramenta cæteràque Divina fidelibus ministrantium, sustentationem sunt assignatæ, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 87. ar. 2.* Panorm. *in c. Adhæc cit. n. 25.* Navarro *de Redit. Eccles. q. 1. n. 59.* & Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 36. à n. 5.* docent *cit.* Suarez *cap. 36. à n. 5.* cæterique TT. & Canonistæ. Unde

Infertur, Seculari judici non competere cognitionem quæstionum, an alicui aut cui competat jus Veteres aut Novalium decimas ex his vel illis fundi percipiendi: ex quibus fructibus, quò modò vel tempore sint solvendæ: an privilegiò, consuetudine, præscriptione, infeudatione aliáve ratione eas percipiendi jus aut facultas, vel ab iis solvendis immunitas legitimè sit acquisita; quia hæ omnes eísque similes quæstiones aliæ sunt Proprietatis sive juris, pertinentes ad Petitorium; proinde propriæ Ecclesiastici fori, per textus & DD. *citt.*

Excipiuntur tamen similes quæstiones motæ super decimis, quas privilegiò aliáve concessione Apostolicâ perpetuò, & omnino irrevocabiliter in laicos translatas esse, constat; cùm enim tali concessione à spirituali titulo omnino sint avulsæ, & inter bona laicorum patrimonialia & prophana censeantur, perinde ut super aliis hujusmodi bonis, etiam de quæstionibus super iis motis cognitio ad judicem Secularem pertinebit, Rebuffus, *q. cit. n. 39.* Covarruvias *Practic. cap. 35. n. 2.* Guttierez *Lib. 1. Practic. q. 14. n. 4.* Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. 35. q. 3. §. Cæterùm* Canisius *cit. cap. 18. n. 17.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 162.* & ex Magnificis DD. Collegis meis D. Dominicus Bassus *Semicent. Controvers. 28. n. 2.* ubi tamen subtiliter & rectè notat, non eandem rationem esse decimarum laicis concessarum in feudum; cùm enim ita concessarum spiritualitas non exuatur, & proprietas remaneat penes Ecclesiam, super iis motarum quæstionum cognitio ad forum Ecclesiasticum pertinebit, quod cum *cit.* Azor *q. 3. §. Hoc posito*, etiam advertit Moneta *cit. cap. 8. n. 15.* 119.

Si agatur Possessoriò vel aliàs de mero Facto, vg. an decimæ, ex quibus fructibus, quò locò vel tempore solutæ sint, plurimùm refert, inter quos de hujusmodi facto vel possessione controversia sit; si enim super iis litigantium uterque, vel saltem reus conventus clericus, Ecclesiæ, Monasterium sit, illius discussionem ad judicem Ecclesiasticum solum pertinere, cum TT. & Canonistis, defendunt Guido Papæus *Consil. 149.* Cravetta *Consil. 258. n. 8.* Mo- 120.

n. 8. Menoch. *Recup. remed. 15. n. 232.* Farinacius *Prax. Criminal. q. 8. n. 23.* & alii, relati ab Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 8. n. 64. & 65.* ubi hanc doctrinam veriſſimam, & contrariam omni legum auxiliô deſtitutam vocat. Ratio eſt, quia actor ſequitur forum rei, *c. Si clericus 5. & c. Cùm ſit 8. de Foro compet.* clericus autem, Eccleſiæ & Monaſteria gaudent privilegiô Fori Eccleſiaſtici; ut in quibuscunque cauſis, ſpecialiter non exceptis, coram ſolo judice Eccleſiaſtico valeant conveniri, *c. Si diligenti 12. Rubr. cit. & c. Seculares 2. in 6.* cùm tali caſu judex Eccleſiaſticus jurisdictionem in perſona habeat fundatam.

121. Si verò reus conventus ſit laicus vel communitas ſecularis, ſuper decimarum poſſeſſione vel de facto, eas concernente, motæ quæſtionis cognitionem Seculari judici competere, generalis quidem nonnullorum aſſertio: ſed potioribus & ſanioribus præcipui nominis DD. calculis approbata diſtinctio eſt; vel enim ſuper ejusmodi poſſeſſione & facto orta quæſtio Juris ſeu proprietatis quæſtionem adjunctam habet, ut vg. poſſeſſionis titulus juſtificandus ſit, vel non? Si prius, ejus quoque cognitionem ad judicem Eccleſiaſticum pertinere, cum TT. & Canoniſtis indubitatè docent Beroius *in Rubr. de Judiciis n. 51.* Menochius *l. cit. n. 235.* Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 34. n. 26.* & alii, ab his & Barboſa relati *cit. §. 4. n. 3.* Ratio eſt; quia hujusmodi cauſa poſſeſſoria non temporalis, ſed ſpiritualis eſt, *arg. c. Quanto 3. de Judiciis & c. Quod in dubiis 3. de Conſec. Eccleſ.* cujus cognitio fori Eccleſiaſtici propria eſt, *c. Decernimus, c. Tuam, c. Si judex citt.*

122. Si poſterius, de ea, tanquam Mixti Fori cauſa, etiam Secularem judicem cognoſcere poſſe, valde probabilis opinio eſt DD. magnô numerô congeſtorum à Spe-

rello *Deciſ. 8. n. 55. cit.* Oliva *n. 63.* eâ non obſcurè amplectentibus, & Barboſa *Jur. Eccleſ. Lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 161.* Ratio eſt partim; quòd, an ejusmodi cauſa cognitio Seculari etiam judici de Jure competat, ſaltem dubium ſit: dubii autem Juris optima interpres ſit Conſuetudo, ipſi admodum favens, ut videre eſt apud *cit.* Barboſam *à n. 163.* partim verò, quòd de rei ſpiritualis poſſeſſione eámque concernente facto orta controverſia, cùm ejus quæſtionem admixtam non habet, videatur eſſe temporalis, ac proinde obnoxia cognitioni Seculari. Confirmatur paritate Juramenti; cùm enim pro illius obſervantia & executione, in facto conſiſtente, adiri judex Secularis, & adigi qui juravit, ab iſto compelli valeat: licet de ejus, tanquam actûs ſpiritualis, honeſtate, valore, obligatione cognitio judici Eccleſiaſtico propria ſit, *c. Novit 13. de Judiciis*, etiam de facti quæſtione, ſuper decimis mota, adiri poterit judex Secularis: quantumvis proprietatis & Juris quæſtio ſuper iis orta ad forum Eccleſiaſticum ſpectet, ut arguit Caniſius *cap. 18. n. 13.* Unde

Infertur primò, in Poſſeſſorio Adjudicandæ, vg. cum Parochus pro decimis ex Novalibus ſolvendis earúmque poſſeſſione, quam nunquam habuit, adjudicanda agit, adeundũ judicem Eccleſiaſticum, quia hujusmodi poſſeſſorium Juris quæſtionem admixtam habet, Menoch. *Remed. cit. n. 35.* & Caniſius *cap. 18. n. 13.* Caſu tamen, quô Parochian? Novalis ſuper exurgentis decimas Parocho quidem obberi non negaret, iis tamen ipſum iniquè fraudaret, aut morоſus eſſet in ſolutione, eum coram judice Seculari conveniri, nihil prohiberet.

Infertur ſecundò, Retinendæ & Recuperandæ poſſeſſorio coram judice Secularí conveniri à Parocho poſſe laicum, à quo in

quo in decimarum veterum possessione turbatus est, eâve spoliatus; cùm enim hujusmodi cognitio sit de mero facto temporali collectionis, aut subtractionis fructuum decimalium, vel tardatæ, impeditæ aut negatæ eorum solutionis, quibus actibus turbatio vel spoliatio committitur, non apparet efficax ratio necessitatis adeundi judicem Ecclesiasticum, *citt* Covarruvias *n.* 2. Canisius *n.* 13. & Barbosa *num.* 4.

125. Infertur tertiò, coram eodem Seculari judice conveniri laicum posse super implemento contractûs sive solutione pretii, præstatione pensionis vel mercedis, pro quibus fructus decimales ab eo empti sunt vel conducti; cùm enim fructus decimales aliquid temporale sint, ea causa nihil continet spiritualitatis, Rebuffus *cit. q. 10. n.* 4. *& 38.* & Canisius *n.* 18.

126. Non desunt DD. qui cum Covarruvia *cit. n.* 2. §. *Quintò* & Guttierez *Lib. 3. Practic. q. 26. n. 10.* his duobus casibus judicem Ecclesiasticum omnino excludant, & laicum coram solo judice Seculari conveniri posse, asserant; quòd iis non de re spirituali, sed de pretio duntaxat vel pensione, vel de actu exhibitionis fructuum merè temporali agatur. Sed contra apertum Jus *c. Pervenit 5. c. Nuntios 6. c. Cùm homines 7. &c. hâc Rubric. & Clement. 2. de Judiciis:* quibus textibus Parochiani ad decimalium fructuum solutionem, in facto consistentem, compelli jubentur censuris Ecclesiasticis: quas ferendi potestas in laicum non cadit, *arg. c. Decernimus 2. de Judiciis &c.* & contra apertam rationem; quia, licet ejusmodi quæstiones de mero facto sint, dependentiam tamen & originem habent à Jure decimarum, quod est spirituale & Ecclesiasticæ cognitionis. Quare melius, in ejusmodi, tanquam Mixti fori, causis locus relinquitur præventioni; ut in casibus seu occurrentibus controversiis earum cognitio competat judici, qui contra laicum prior aditur, sive is Secularis sive Ecclesiasticus sit, ut non obscurè insinuat *Recessus Concordat.* inter Serenissimam Domum Electoralem & R.mos ac Celsissimos DD. Ordinarios Bavariæ nostræ *1583. art. 5.* ubi causarum decimalium cognitionem certis casibus *etiam*, dictione implicativâ, Seculari judici competere asseritur: & expressè cautum est in *Concordatis Tirolensibus* cum Episcopo Brixinensi *1605. initio*, & in causis decimarum Possessoriis prævention locum esse, asserentibus secundùm DD. sententiam hodie communem.

Porro ii, qui Parochos decimis injustè defraudant, gravissimô Injustitiæ peccatô tenentur, *c. Quamvis 17.* ubi Divini animadversione judicii digni pronuntiantur; ut non immeritò imprimis in eos, si moniti decimas cum integritate non persolvant, excommunicationis gravissima pœna decreta, *c. Pervenit 5. c. Ex parte 21. hâc Rubr. & Clement. 2. cit.* ab eâque per sententiâ inflictâ absolvendi priùs non sint, quàm plenâ restitutione, si possint, factâ, vel ab eo, cui exhibendæ sunt, remissâ, Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 12. de Ref.* Deinde ii, qui decimas, quas debent, palam & injustè detinent & non restituunt, mortui ad sepulturam Ecclesiasticam non sunt admittendi, *c. Prohibemus 19.* quòd eas in animarum suarum dispendium retinuisse & in peccato mortali notorie decessisse, videantur, Glossa *fin. in c. cit.* Rebuff. *de Decimis q. ult. n. 16.* Moneta *cit. cap. 8. n. 75.* & alii apud Barbosam *in c. cit. n. 6.* ut dictum suprà *Tit. 28. n. 10.* 127.

)(*)(

ARTICULUS IX.

De Primitiis.

SUMMARIUM.

128. *Primitiæ sunt primi fructus agrorum, vinearum &c.*
129. *Vel potiùs eorum pars aliqua.*
130. *Parochis præstanda,*
131. *In Nova lege ex præcepto Ecclesiastico:*
132. *Cui Consuetudine in multis locis est derogatum.*

128. PRimitiæ dicuntur frugum initia sive primi fructus, qui Dei beneficiò ex agris, vineis, hortis, arboribus producuntur, Exodi *cap. 23. v. 19.* & Numer. *cap. 18. v. 11. Primi*, inquam, non bonitate sive optimi: sed tempore sive ante alios matureſcentes & collecti: sicut primogenita animalium fœtus primi vocantur: licet optimi non sint, Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 1, cap. 8. n. 2.*

Differunt à Decimis; quòd istæ ex ipsa nominis vi sint fructuum quot annis provenientium decima pars, & exhibeantur immediatè Ecclesiæ ministris in ipsorum alimenta & stipendium sustentationis, ob spiritualia ministeria, & in recognitionem supremi atque universalis
129. Dominii Dei, *c. Tuanobis 26.* Primitiæ autem sint primi fructus collecti ex terra: qui non omnes, sed eorum aliqua duntaxat, quadrageſimâ non major & non minor sexageſimâ, pars, ut ex S. Hieronymo *in Ezech. cap. 45.* refertur *c. 1.* & de primogenitis animalium, fœtus non omnes, sed ex ducentis unus: vel, si tot non essent, æstimatio secundùm quantitatem ejus numeri, Glossa *in c. 1, cit. V. Primitiis*, immediatè offerebatur Deo in recognitionem beneficii & gratiarum actionem pro frugibus terræ: licet etiam ipsæ cederent in alimenta Sacerdotum & Ecclesiæ ministrorum, Azor *p. 1. lib. 7. cap. 27. q. 6.* & Palao *Tract. 10. disp. 1. p. 16. n. 1.*

Exhibendæ autem Primitiæ fructuum prædialium Jure communi sunt Parocho, intra cujus Ecclesiæ fines sita sunt prædia & fundi, ex quibus fructus producuntur; quia sunt onus Reale ipsorum prædiorum. Ex Consuetudine tamen aliquando clericis aliis, puta Sacramenta ministrantibus, instar decimarum Personalium obvenire solent, Rebuffus *de Decimis q. 1. à n. 16.* Azor *cit. cap. 27. q. 7.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 27. n. 1.*

Dubium est, an eas offerendi obligatio detur. In veteri Testamento ex obligatione & præcepto Divino solutas, liquet ex Sacris textibus initiò allegatis: quibus præceptas Decimas & Primitias, quòd Populus Judaicus non exhiberet, adversus ipsum Deus, Malach. *cap. 3. v. 8.* gravissimè est conquestus. Quòd Ceremoniale Mosaicæ Legis præceptum, licet morte Christi cum illius Sacerdotio expirârit, secundùm Apostol. ad Hebr. *cap. 7. v. 12. & c. Translato 3. de Constit.* Actionibus tamen Ecclesiasticis, in nova Lege resuscitatum fuit *can. Reverentiæ 67. pr. 16. q. 1. can. 1. ibidem q. 7. & c. hâc Rubr.* Sed huic etiam Juri contrariâ
130. Consuetudine cum tempore derogatum, & in multis locis Primitiarum oblationem non solùm quoad quantitatem & qualitatem variatæ, sed non-usu omnino abolitæ sunt: cui causam fortassis dedit quòd Ecclesiæ ministris congruam sustentationem Oblationes & præsertim Decimæ aut his subrogati alii proventus exhiberent.

Neque hæc Consuetudo, tanquam Corruptela, rectè redarguitur ex eo quòd Primi-

Primitiæ exhibeantur ex Gratitudine pro terræ fructibus Deo debitæ Jure Naturali; quò proditæ obligationi contraria Consuetudo tanquam rationi minùs consentanea, ita rejicitur *c. fin. de Consuetud.* quia Jure illo ad grates quidem Deo pro terræ fructibus exhibendas ità obligamur; ut ea obligatio tolli nequeat: seclusâ tamen lege Positivâ non obligamur ad gratias ei referendas determinatè per solutionem Primitiarum. Unde has offerendi obligationem tollens consuetudo Juri Naturali non adversatur; cùm Deo pro illa liberalitate gratos nos exhibere alia ratione valeamus, Engel *ad hanc Rubr. §. 4. n. 3.*

ARTICULUS X.

De Oblationibus.

SUMMARIUM.

133. *Nomine Oblatio varia significatio est.*
134. *Propriè accepta à solis fidelibus,*
135. *Et de bonis justè ac licitè quæsitis recipitur.*
136. *Percipitur à solis Clericis & Religiosis:*
137. *Non etiam à laicis.*
138. *Oblationes in Missarum solemniis ferè ex devotione:*
139. *Certis casibus ex obligatione fiunt.*
140. *Ad Parochum spectant, quæ in Missis,*
141. *Et ex parte, quæ extra eas fiunt.*
142. *Earum quædam cedunt Episcopo:*
143. *Quædam Religiosis,*
144. *Aut aliis, quorum intuitu fiunt.*
145. *Ad certos usus factas ferè Parochis:*
146. *Aliquando alii, etiam laici, administrant.*
147. *Oblationum in alios usus conversio, solâ Ecclesiasticâ,*
148. *(Privilegiô seclusô)*
149. *Eáque Apostolicâ,*
150. *Vel Episcopali authoritate fieri potest.*

OBlationis nomen variè, & Imprimis quidem accipitur latè ac genericè pro omni eo, quod Deo, vel ad ipsius cultum quomodocunque exhibetur, & Primitias Decimásque & ipsum etiam Sacrificium comprehendit. Deinde strictè & magis specificè pro re quacunque temporali, quæ intuitu Religionis à fidelibus immediatè Deo absque immolatione exhibetur; ut in Ecclesiæ usum ejúsque ministrorum sustentationem cedat, sive ea mobilis vel immobilis, sive per actum ultimæ voluntatis, institutionem hæreditariam, legatum, mortis causâ vel inter vivos donationem, in aut extra Ecclesiam præstetur, *c. Causa 13. & c. Cùm inter 29. de V. S.* Demum strictiùs & secundùm frequentiorem usum pro eo, quod fideles per se vel alios in Missa offerunt ad altare vel manus Sacerdotis, Laiman *Lib. 4. Tract. 6. cap. 7. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 172.* Postremô hôc modô acceptæ 133.

Oblationes in Ecclesiis recipiuntur à solis Fidelibus, non excommunicatis, secundùm S. Clementis *Lib. 3. Constitut. Apost. cap. 8.* & Concil. Illiberitani *cap. 28.* & de rebus ipsorum propriis, licitè & justè quæsitis, *c. Quia in omnibus 3. de Usuris & c. causa cit.* juxta illud, *Altissimus non respicit in oblationes iniquorum,* Eccles. *cap. 34. v. 23.* & Divino huic Oraculo consonam sententiam S. Gregorii, qui *Præfat. in Job, Victimæ,* inquit, *impiorum abominabiles Deo sunt.* Unde Sanctionibus Ecclesiasticis ab Oblationibus in Ecclesia faciendis removentur Usurarii manifesti, *c. Quia cit.* Raptores *c. Super 2. de Raptor.* Oppressores Pauperum & fratres dissidentes, *can. Oblationes 2. dist.* 134. 135.

90. Sacrilegi & Violatores immunitatis Ecclesiasticæ per reorum, Asylò sacrò receptorum, extractionem, *can. De viro*, 12. q. 2. & *can. Miror*, 17. q. 4. publicè Pœnitentes propter Baptismi iterationem, *can. Eos* 116. *dist.* 4. *de Consec.* publicæ Meretrices, Glossa *in can. Oblationes cit.* V. *Bona* S. Thomas 2. 2. *q.* 68. *art.* 7. & Suarez *Tract.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 8.

136. Non omnes etiam personæ percipiendarum Oblationum sunt capaces. Et à clericis quidem, præsertim iis, qui Sacramenta cæteráque Divina fidelibus ministrant, eas rectè percipi, nemo est, qui ambigat. A Religiosis quoque Oblationes recipi secundùm omnes possunt, non solùm ex dispensatione Sacerdotum, eas ipsis tanquam pauperibus largientium vel ratione commissæ ipsis curæ animarum & Parochiarum, Monasteriis per unionem incorporatarum: sed etiam ratione ministerii Altaris, Orationum, cæterísque cultûs Divini, si istius intuitu ipsis offerantur, ex recepta doctrina *citt.* S. Thomæ *Art.* 2. & Suarez *cap.* 7. *n.* 4.

137. Alia ratio est laicorũ Secularium; cùm eos juris percipiendi Oblationes, quæ Religionis intuitu in Ecclesiis fiunt, incapaces esse, clarè expressũ sit *can. Quia Sacerdotes* 13. *can. Sanctorum* 14. & *can. fin.* 10. *q.* 1. §. *Pervenit*, post *can.* 1. *Causa* 16. *q.* 7. & *c. Quamvis* 17. *hâc Rubr.* idque non minùs, quàm textus isti sunt, clara ratio evincat; quia jus percipiendi oblationes, factas ad cultum Divinum, Sanctorum Venerationem & spirituale bonum animarum, est spirituale: cujus proprietas & possessio, seclusò privilegiò Apostolicò, in laicos non cadit; ut proinde ab istis per consuetudinis vel præscriptionis viam nequeant acquiri, *can. fin.* 10. *q.* 1. & *arg. c. causam* 7. *de Præscript.* Socinus *Tract. de Oblat. Libell.* 18. *n.* 4. Riccius *Prax. p.* 4. *resol.* 269. *n.* 5. Barbosa *de Offic. Parochi cap.* 24. *n.* 6. & Fagnanus *in Pastoralia* 9. *de Iis, quæ à Prælat. n.* 19. Quorum doctrinæ non adversatur Confuendo, cereos albos laicis offerendi in Festo Purificationis B. V. MARIÆ; quia ea non est Oblatio, de qua agimus, sed tantùm donatio alicujus rei benedictæ, qui fideles juventur & excitentur ad devotionem, ut probè advertit Suarez *cit. cap.* 7. *n.* 5.

Dubium & controversia quædam est, an Oblationes diebus Dominicis ac Festivis ad Altare faciendi obligatio detur. Sunt enim, & à Leandro *de Præcept. Eccles. Tract.* 6. *disp.* 10. *q.* 7. referuntur DD. qui, Oblationes juxta antiquissimum & ad Veteris Legis imitationem introductum Ecclesiæ morem à parochianis, licèt non omnibus & semper singulis, aliquibus tamen, magnáque eorum parte & portionibus ex obligatione faciendas, agnoscant; quòd eæ non obscurè præcepta videantur *can. Præter hoc* 5. *dist.* 3. *can. Statuimus* 16. *q.* 1. & *can. Omnis* 67. *dist.* 1. *de Consec.* cujus luculentus in rem hanc textus est, *Omnis Christianus procurat ad Missarum solennia aliquid Deo Offerre*, juxta mandatum Domini per Moysen, *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, Exodi *cap.* 25. *v.* 15. cui subjicitur, *Inquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debent.*

Alii tamen multò frequentiori calculò, licet fideles ad eas faciendas adhortentur & à Verbi Divini præconibus admoneri velint, præceptum tamen, ad eas sub peccato obligans, cum Panormit. in *Rubric. de Paroch. n.* 15. Sylvestro V. *Decima, n.* 4. & Suarez *Tract.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 16. non agnoscunt, cùm; quod Oblationum natura sit, ut studiò Pietatis & Religionis in Deum liberaliter, voluntariè ac sponte; ac proinde ex nulla obligatione

ligatione exhibeantur, juxta illud, *Ab omni homine, qui ultroneus offeret, accipietis*, Exod. *cap. 25. v. 2.* tum verò; quòd non satis constet, earum usum obligationis introducendæ animô inchoatum, & quasi ex obligatione propagatum; cùm nemo facilè reperiatur, qui talem obligationem agnoscat; de eáque neglectâ in Sacro tribunali se accuset. Unde Oblationes Dominicis Festísque diebus fieri videntur ex mera devotione ferè, sicut sacri cineres ad initium Quadragesimæ & in ingressu Ecclesiæ aqua Lustralis sumi, & ad pulsum campanæ Salutatio Angelica recitari solet: ad quæ fideles, piè quidem admonentur, nullâ tamen Obligatione adstringuntur, ut ex communi docet *cit.* Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 14. n. 6.*

139. Neque aliud evincunt *cann. citt.* quia, iis præceptum contineri, passim negant DD. Oblationes faciendi obligationem, cum *S.* Thoma *cit. art.* 1. non agnoscentes: nisi ea ex conventione, voto, legato, Ecclesiæ ministrorum necessaria vitæ subsidia aliunde non habentium indigentiâ vel legitimè præscriptâ consuetudine sit orta, ut eruditè notat Gonzalez *in c. Causa cit. n. 2.*

Imò non desunt DD. qui eas exhibendi obligationem per viam consuetudinis introduci posse, cum Angelo *V. Oblatio, n. 1.* & Soto *Lib. 7. de Justit. q. 7. art. 1.* inficientur; quòd actus Oblationis obligationem implendi & introducendi animum, ad consuetudinem quamcunque introducendam omnino necessarium; suâ naturâ excludat. Sed verius est contrarium; cùm, eô ipsô, quòd Oblationes ex conventione, promissione, legato deberi possint, eas exhibendi vera obligatio, etiam per viam consuetudinis ac præscriptionis introduci possit: dummodo earum exhibitio, quasi ex ejusmodi titulo aliquo, Jure definito tempore continuetur, ut cum Panormit. Sylvestro aliísque DD. *citt.* advertunt Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 3.* & Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 21. n. 140.*

Dubium secundò est, ad quem pertineant Oblationes, quæ ad Altare in Missarum solenniis fiunt. In quo Regulæ instar à modernis receptum est, eas ad Parochum pertinere, etiamsi non ipse, sed alius celebret. 140.

Imò in dubio regulariter ad ipsum, vel potiùs ad Ecclesiam Parochialem, Jure communi spectant, quæ in Sacellis, Oratoriis eorúmque Altaribus, vel ad Sanctorum imagines, muro, parieti, arbori affixas, intra Parochiæ fines fiunt, ut desumitur ex *c. Pastoralis 9. de Iis, quæ à Prælat.* & cum S. Thoma *2. 2. q. 86. art. 2.* Panormit. *in c. cit. n. 2.* Malvit. *de Oblat. dub. 4. n. 29.* Socino *de Oblat. Libell. 18. n. 49.* docent Franc. Leo *Thesaur Fori Eccles. p. 2. cap. 13. n. 19. & 31.* Barbosa *de Offic. Parochi, cap. 24. n. 22.* & Fagnan. *in c. cit n. 16.* suam hanc doctrinam allegatione plurium magni nominis Interpp. ac DD. authoritate, Rotæ decisionibus & S. Congreg. Cardd. Trid. Interpp. declaratione confirmans. Ratio est; quia, ut *c. cit.* asseritur, ideo à Dionysio Papa Parochiæ distinctæ iísque certi limites præfixi sunt; ut spirituales singularũ provent? & obventiones, videlicet Primitiæ, Decimæ, Oblationes, Mortuaria in usus ejus Ecclesiæ cederent necessarios, & in stipendia Ministrorum. Unde in dubio Parochus quoad Oblationum aliarúmque spiritualium obventionum, quæ intra ejus limites fiunt, perceptionem Jure communi fundatam intentionem habet, ut *in c. cit.* notant Innocent. Hostiens. *n. 3.* Panormit. *n. 2.* Joan. Andr. *n. 1.* 141.

Dixi, eas *Ad Parochum vel ejus Ecclesiam, Regulariter* & *In dubio* pertinere.

Primum; quia Oblationes, saltem quæ extra Missarum solennia in Ecclesiis, Sacellis, ad imagines Sanctorum &c. fiunt, non totæ illius Rectori cedunt: sed ab isto dividendæ sunt; ut partim quidem in proprium usum & sustentationem: partim in Ecclesiæ fabricam, Divini cultûs conservationem promotionémque & eleemosynas convertantur, secundùm S. Thomam *cit. art.* 2. Suarez *cit. Lib. 1. cap. 3. n. 3.* & Rotæ decis. apud *cit.* Fagnanum *n. 31.* observatâ tamen cujusque loci consuetudine: cui in Oblationum materia multùm tribuunt laudati Malvit. *n. 62.* Socinus *n. 17. & 26.* & Barbosa *n. 30. in fine.*

142. Alterum sive, *Regulariter*; quia imprimis, si Capella aut imago alicujus sancti sita esset in loco nullius Parochiæ, in iis factæ oblationes etiam in dubio non ad aliquem Parochum: sed ad Episcopum diœcesanum pertinerent, *arg. Summa* & à Gonzalez relatæ integræ lectionis *c. Quoniam 13. de Decimis*, Innocent. *in c. cit.* & Panormit. *in c. Dilectus 18. de Offic. Ordin. n. 4.* Eidem Episcopo etiam cedunt oblationes, quæ ipso in diœcesis suæ Ecclesia Parochiali sacrificante, ab istis parochianis ad Altare fiunt, ut cum Socino *cit. Lib. 18. n. 10.* notant Franc. Leo *cit. cap. 13. n. 20.* & Fagnanus *l. cit. n. 28.*

143. Deinde; quia Oblationes, quæ in Capellis & ad imagines Ecclesiarum Regularium (& Secularium exemptarum) fiunt, non Parocho, sed Monasterio pro Religiosis ibi servientibus acquiruntur, *c. 1. de Statu Monach. & c. Nimis 16. de Excess. Prælat.* quia Monasteria eorúmque Capellæ &c. licet sint intra Parochiæ limites, de Parochia tamen non sunt, Panormit. *cit. n. 4.* & Fagnanus *l. cit. n. 34.* Et demum; quia Oblationes, quæ ad alicujus Sancti imagines vel in Sacellis intra Parochiæ fines sitis fiunt, ex consuetudine vel potiùs prascriptione aliquando omnes vel earum saltem pars aliqua ab aliis locis vel personis Ecclesiasticis earum capacibus percipiuntur, *c. Cùm inter 29. de V. S.* ut cum Interpp. *ibi* notant Socinus *n. 3.* & Fagnanus *n. 36.*

Postremum sive, *In dubio*, dici; quia, si Oblationes ex fidelium offerentium intentione alterius piæ causæ intuitu fieri constaret, eas huic, non Parocho ejúsque Ecclesiæ cedere, rectè monent *citt.* Barbosa *n. 30.* & Fagnanus *n. 29.* cùm enim quilibet rerum suarum moderator & arbiter sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati* & in traditionibus rerum suarum adjicere valeat conditiones, quas vult: dummodo honestæ sint, *l. In traditionibus 48. ff. de Pactis*, quandocunque apparet, Oblationes in Sacello vi intuitu fabricæ vel augendi cultûs alicujus Sancti fieri, ad hunc, non ad alium finem & usum debent applicari, Clement. *Quia contingit 2. de Relig. domib.* atque ob hanc causam Oblationes, quæ in ipsa etiam Ecclesia Parochiali fiunt in primis Missis Sacerdotum, non ad Parochum, sed ad Neomystas: &, quæ à Congregationum Sodalibus in suis Oratoriis exhibentur, ad ipsam Congregationem spectant. Eôdem modò, si constaret, Oblationes ad imaginem, ædium parieti affixam, fieri intuitu clerici, vel alterius personæ earum capacis, ædes illas inhabitantis; quòd ea indiga, vel oblata in pauperum aliósve pios usus soleat convertere, pia offerentium voluntas omitteno esset adimplenda; quòd Regula sit, rem oblatam acquiri illi, cujus intuitu est oblata; sic enim etiam Oblationes in Missa, quam pro sponso Parochiano suo proprius istius parochus celebrat in Parochia alie-

chia aliena, non istius seu loci, sed sponsæ Parocho cedunt; quòd istius intuitu fieri præsumantur, Barbosa *cit. cap. 24. n. 28.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 179.*

Oblationes autem aliò, quàm Parochiæ, intuitu fieri, ex circumstantiis desumi potest; sic enim, si vg. de ornanda imagine, ad quam eas fideles offerunt; de extruendo ad ejus cultum Sacello agatur, vel illud jam extructum ad conservationem, reparationémque, Missarum cæterarúmque rerum Divinarum celebrationem necessario apparatu & sumptibus ob tenuitatem vel defectum dotis careat, Oblationes ejus potiùs, quàm Parochiæ, intuitu factæ censebuntur, Engel *ad hanc Rubr. §. 4. n. 9.* Unde

145. Dubium oritur de hujusmodi in certos usus destinatarum Oblationum administratione. Quam communi & Parochialitatis Jure præ aliis Parocho competere, cum Panormit. *cit. n. 2.* asserunt *citt.* Barbosa & Fagnan. *Uterque n. 30. Jure*, inquam, *Communi*; quia ex consuetudine tales oblationes aliquando percipi, custodiri & ad eos, quos fidelium illas offerentium intentio spectabat, usus convertí solent ab aliis: & quandoque etiam à laicis: non quidem jure propriò, sed tanquam à meris ministris, à Parocho

146. vel Episcopo ad id deputatis. Quò modò per eos aliquando fructus decimarum, oblationes & proventus Confraternitatum colligi, & in necessarios istorum usus impendi, advertit nec improbat Petr. de Ubald. *de Canonica Episc. cap. 4. n. 16.* & Fagnanus *in c. cit. n. 21.*

147. De Oblationibus, quæ in Ecclesiis aliisque locis miraculosis, magno populi accursu frequentatis, tantâ copiâ fiunt; ut ad eorum fabricam, ornamenta & convenientem cultum Divinum necessariæ non sint, dubitatum aliquando fuit, quâ authoritate in aliud pium, præsertim publicum & Ecclesiæ etiam utilitatem spectans opus, vg. in Hospitalis, Gymnasii vel Seminarii erectionem valeant converti. Qua in re

Regulæ instar est primò, illas, licet in eos, ad quos fidelium offerentium intentione destinatæ sunt, usus converti jubeantur *Clement. Quia contingit 2. de Relig. domib.* &, si certi usus ab offerentibus expressi non sint, in ejusmodi locorum miraculosorum fabricam, ornamenta & cultûs Divini in iis conservationem atque incrementum impendendæ sint, ut ex comuni DD. sensu tradit Franc. Leo *cit. cap. 13. n. 27.* & Card. de Luca *Theatr. V. & I. de Decimis disc. 19. n. 10.* exigente tamen aut suadente justa causa, in alios præsertim publicum & Ecclesiæ bonum spectantes usus legitima authoritate converti posse, clarè desumitur ex *Clement. cit.* & Trident. *Sess. 22. cap. 6. de Reformat.*

Secundò, earum in hujusmodi usus conversionem, Jure communi spectatò, fieri non posse authoritate solius Magistratûs & potestatis Secularis, cujuscunque, per expressos textus *c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut. c. fin. de Reb. Eccles. alien. c. Si adversus 7. de Immunit. &c.* Ratio est; quia generaliter de Ecclesiis earumque rebus & obventionibus statuere vel disponere non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, hôc ipsò; quòd ex sua institutione illa, sive Secularis, ad Politica & temporalem Reipublicæ felicitatem immediatè spectantia: ista verò sive Ecclesiastica potestas ad spiritualia & finem supernaturalem, hoc est, cultum Dei, Sanctorum veneration-em, & animarũ salutem concernentia negotia & opera curanda sit ordinata, *can. 1. §. Cúmque lecta, can. Duo 10. dist. 96. & c. Solita 6. de Majorit. & Obed.* Com-

muni,

148. *muni*, inquam; quia Jure speciali, vg. vi privilegii Apostolici ejusmodi Oblationes, sicut administrandi, sic etiam, justâ causâ exigente, in alios usus convertendi potestatem Principi aut alteri Magistratui Seculari competere posse, nemo inficiatur; cùm ejusmodi potestas Episcopalem, Sacerdotalem vel alium Ordinem non præsupponat.

149. Tertiò, earum in alios usus conversionem fieri saltem posse authoritate Apostolica, *per Clement. cit.* verba, *Salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate* & Trident. *cap. 6. cit.* propter competentem ipsi supremam, generalem & liberam rerum, ad finem supernaturalem destinatarum, & Ecclesiasticarum omnium administrationem dispositionémque, immediatè à Deo acceptam, ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. Navarri *de Redit. Eccles. q.* 1. *Monito* 40. *n.* 8. & Molinæ *Tract.* 5. *de I. & I. disp.* 4. *n.* 2.

An Episcopali etiam authoritate ea conversio fieri valeat, dubium reddunt relata verba *Clement. cit.* quibus, dum ea potestas per modum exceptionis Papæ adstruitur, inferioribus etiam Episcopalis Ordinis Prælatis non obscurè negatur; quia expressio & exceptio unius Regulam in contrarium firmat in non exceptis & expressis *arg. l. Quæsitum* 12. *§.* 43. *V. Denique, ff. de Instruct. & instr. leg.* Cui rationi non parùm roboris addit Jus Imperiale, ultimâ voluntate ad certos prophanos usus relictorum in alios conversionem soli summo Principi reservans, *l. Legatum* 4. *ff. de Administr. rer. civit.*

150. Sed verius est, ejusmodi Oblationum redundantium in alios, præsertim publicum bonum spectantes usus conversionem Episcopali quoque authoritate fieri ex justa causa posse, cùm; quòd, in Episcoporum dispositione esse, asserentem *can. Præter hoc* 5. *V. Deinde dist.* 32. tum verò; quòd earum saltem, cùm ad destinatos usus necessariæ non sunt, in alios pios & publicos usus conversione offerentium voluntas declarari, eorúmque, licet non formalis & expressa, virtualis tamen & interpretativa intentio impleri videatur. Atque ita sentire videntur quotquot, ultimas voluntates defunctorum, justâ causâ exigente aut suadente, commutari ab Episcopo posse, docent cum Sylvestro *V. Legatum* 4. *q.* 12. Vasquez *de Testam. cap.* 8. *§.* 5. *dub.* 7. *n.* 104. Comitolo *Lib.* 7. *Resp. Moral. q.* 9. *n.* 2. & Diana *p.* 2. *Tract.* 17. *resol.* 26.

Neque huic doctrinæ adversatur *Clement. cit.* cùm; quia ei favet Jus recentius S. Synodi Trident. *cap.* 6. *cit.* quò non solùm delegatis ultimarum voluntatum commutationibus præscripta forma: sed eas etiam, justâ causâ postcente, faciendi; ac proinde & Oblationes in alios, quàm destinatæ sunt, usus convertendi Episcopis competens facultas stabilita est, juxta dicta *Tit.* 26. *n.* 235. tum verò; quia ejus prohibitio commodè referri potest ad casum, quò fidelium largitione ad certos usus relicta vel oblata in alios minùs utiles, vel omino prophanos, vel eorum, à quibus administrantur, proprios usus convertuntur, vel de ipsis aliter disponendi justa causa desideratur, ut cum Lud. de Penna *ad. Unic. C. de Expens. lud.* advertit 10. Diana *§. Ad authoritatem.*

TITU-

TITVLVS XXXI.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem.

PErſonarũ Eccleſiaſticarum duo genera ſunt. Unum Clericorum Secularium: alterum Regularium. De priorum Vita, Moribus Rebúsque ad ſuperiores, primas præſertim, hujus Libri Rubricas eſt actum. Poſteriorum Profeſſionem ac Statum concernentia nunc diſcutiemus.

ARTICULUS I.

De Perſonis ingreſsûs Religionis capacibus.

SUMMARIUM.

1. *Hujus capaces ſunt omnes, Jure non prohibiti.*
2. *Prohibiti illô ſunt I. Infans, Furioſus & Amens.*
3. *II. Sine domini licentia Servus, etiam Adſcriptitius & Originarius.*
4. *III. Conjux, conjugiô jam conſummatô, ſine conjugis,*
5. *IV. Et ſine Papæ licentia Epiſcopus.*
6. *V. Oppreſſus gravi are alieno.*
7. *VI. Obnoxius Ratiociniis.*
8. *VII. Criminoſus.*
9. *VIII. Liberi propter parentum,*
10. *Et hi propter illorum neceſſitatem.*
11. *IX. Impubes Veteri,*
12. *Modernô Jure ſedecim annis minor.*
13. *Quâ ætate majorem minorémve aliqui Ordines exigunt.*
14. *X. Qui Novitiatûs annum non explevit.*

REgulares, à *Regula* ſic nuncupati, ſive Religioſi ſunt Fideles, qui editis tribus Religionis ſubſtantialibus, perpetuæ Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ votis, in communi ſtabili & ab Eccleſia approbato vitæ Statu ad Chriſtianam Perfectionem unionémque cum Deo tendunt, ſecundùm D. Thomam 2. 2. *q. 186. art.* 1. 2. *&c.* & Laiman *Lib. 4. Tract. 5. cap. & n.* 1. ut *Tit. 35.* magis declarabitur: ad cujusmodi Statûs Profeſſionem admitti; ac proinde Religioſi fieri generaliter poſſunt Chriſtiani omnes, qui Jure non prohibentur. 1.

Prohibentur autem Primò Infantes, Furioſi, Amentes, *c. Sicut 15. hâc Rubr. & c. fin. V. Si verò, de Succeſſ. ab inteſt.* propter defectum usûs rationis & hunc ſupponentis conſensûs ac deliberationis: ſine quibus, ſicut alia quæcunque, ſic vel maximè Religionis Vota obligatoria eſſe non poſſunt, *c. Significatum* 11. S. Thomas *cit. q. 189. art.* 5. & Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 4. n. 53.* 2.

Secundò, Servus ſine licentia domini: 3.

mini: quò invitô aut insciô ingressus, si intra triennium, à die, quò dominus ad ejusmodi ingressûs notitiam pervenit, computandum, repetatur, cum omnibus, quæ in Monasterium attulit, fide tamen de impunitate acceptâ, restituendus est, *can. fin.* 17. *q.* 2. quia, cùm sui juris non sit, injustè subterfugit domini potestatem. Triennio verò elapsô repeti non permittitur, quamvis Religionem nondum sit professus, *can. cit.* quòd dominus eum, cùm posset, non repetens, juri suo renuntiâsse, vel Ecclesiæ favore adversus eum quodammodo præscriptum, videatur: licet aliàs servus fugitivus etiam longi temporis lapsu usucapi non possit, *l. 1. C. de Servis fugit.* Glossa *in can. cit. V. Intra triennium*, Sanchez *cit. cap.* 4. *à n.* 42. & Barbosa *in can. fin. cit. à n.* 2.

Atque hæc in servis non solùm propriè dictis sive mancipiis, sed in iis quoque locum habent, quos Jura colonos Adscriptitios & Originarios vocant; cùm enim tales glebæ seu fundo colendo adscripti, aut ex origine sua addicti sint, inde avelli sine præjudicio domini, ac proinde istô invitô non possunt, *can. fin. cit. ubi* Turrecremata *n.* 4. Sylvester *V. Religio* 2. *q.* 3. *in fine*, Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 3. & *cit.* Sanchez *n.* 48.

4. Tertiò, Conjux post matrimonium jam consummatum: nisi adsit justa causa perpetui divortii, vel alterius conjugis licentia habeatur, *c. Quidam* 3. *& c. Placet* 12. *de Convers. conjug.* ubi rem hanc plenius exponam.

5. Quartò, Episcopus sine licentia Papæ, *c. Nisi cùm pridem* 10. *de Renunt. & c. Licet* 18. *hâc Rubr.* quòd matrimonii spiritualis vinculô alligatus sit Ecclesiæ suæ: quam propterea, illô Apostolica authoritate non dissolutô, deserere nequit, *c. Inter* 2. *de Translat. Episc.* Imò illam deserendi licentiam, ob rotutu Religiosæ vitæ & majoris Perfectionis propriæ desiderium petenti, Papa concedere non solet, nec de Jure debet: nisi ex sex causis, *c. Nisi cit.* relatis, aliqua accedat, aut facilè haberi possit alius, qui Ecclesiæ æquè bene præfuturus judicetur; quòd totius populi diœcesani bonum commune privatæ ipsius utilitati sit præferendum, ut cum *cit.* Doctore Angelico *q.* 185. *art.* 5. rectè observant Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 7. & Palao *Tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 7. §. 1. *n.* 4.

Quintò, Oppressus gravi ære alie- 6
no, & debitis ex delicto vel contractu oneroso uni vel pluribus certis creditoribus obligatus, cùm spes est, ab eo, si in seculo aliquamdiu perseveret, ex officii vel beneficii fructibus, vel arte aut industria statui suo conveniente acquirendis, creditoribus satisfactum iri, ex *Constitut.* Sixti V. quæ incipit *Cùm de omnibus, Calend. Decemb.* 1588. *editâ*; cum enim talis ad ejusmodi debita solvenda obligetur Jure Naturali & Divino, hoc est, septimô Decalogi præceptô, Consiliis Evangelicis prævalente, illorum executionem per ingressum Religionis, quando sine animæ discrimine potest, aliquamdiu, vg. ad tres quatuórve aut quinque annos, differre debebit; ut interea creditoribus satisfiat: nisi isti in ingressum consentiant: vel, cùm plenæ solutionis spes non est, debitor bonis, juribus & actionibus cedat in favorem creditorum; cùm enim ultra, quàm potest, nemo teneatur, *Reg. Impossibilium* 185. *ff. & Reg. Nemo* 6. *in* 6. & inanis sit actio creditoris, quam debitoris inopia excludit, *c. Olim* 16. *de Restit. Spoliat. & l. Nam is* 16. *ff. de Dolo*, tali cessu, factâ bonorũ cessione, Religionem ingredi debitor non prohibetur, S. Thomas vi-

mas *cit. q. 186. art. 6.* Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 8.* & Donatus *Tom. 2. Prax. Regular. p. 2. Tract. 3. q. 13. n. 4.*

7. Sextò, Ratiociniis sive reddendis rationibus obnoxii ex administratione rerum publicarum, *can. Unico dist. 53.* imò etiam privatarum: non quidem de Jure antiquò: sed *cit. Constitutione* Sixti V. à Religione generaliter excludentis quoscunque ratiociniis ita obnoxios; ut ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam illata, vel timendum sit, ne inferatur. Hujusmodi tamen ratiociniis obligatorum æréque alieno vel debitis gravatorum, Religionis alicujus habitum suscipientium, Professio valida est: licet, tam in ipsos quàm in admittentes graves pœnæ decretæ sint; quia memorata Constitutio Sixtina, quâ ejusmodi ratiociniis aut debitis gravatorum Professio & ipsa etiam susceptio habitûs annullatur, à Clemente VIII. *Constit.* quæ incipit *In suprema §. 3. edita 2. Aprilis 1602.* quoad nullitatem Professionis & susceptionis habitûs redacta est ad terminos Juris communis, eas nusquam irritantis, *citt.* Sanchez *Lib. 4. cap 19. à n. 19.* & Palao §. *4. n. 10.*

8. Septimò, Criminosi, quibus propter enormes excessus gravis coërcitio publica, vg. mortis, mutilationis, perpetui exilii; triremium, fustigationis aut similis pœna alia timetur, eâdem Sixti V. *Constitutione*: quæ, licet *cit. Constitutione* Clementina quoad nullitatem susceptionis habitûs & Professionis revocata sit ad Jus commune, quoad pœnas tamen, in superiores eos admittentes &c. latas, in suo vigore est relicta, Tamburin. *Tom. 13. de Jure Abbat. disp. 6. q. 3. n. 11.*

9. Octavò Filii, quorum parentes non extremâ duntaxat, sed etiam gravi necessitate laborant: &, si ab illis non juventur, non nisi mendicandò, famulatum vel officium statui suo indecorum exercendò sustentari possunt; hanc enim ipsorum necessitatem sublevare &, si in seculo absque salutis suæ discrimine possint, Religionis ingressum omittere vel, donec illis prospectum sit, differre filii tenentur, *can. 1. dist. 30.* Ratio est; quia liberi parentes suos honorare, non solùm per exhibitionem reverentiæ externæ, sed etiam per necessariorũ vitæ subsidiorum subministrationem tenentur ex præcepto Divino, quod prævalet Consilio, sub quo tantùm est ingressus Religionis; ut adeò, qui parentum necessitate, quàm sine suæ salutis discrimine sublevare potest, insuper habitâ, ad eam convolat, redarguendus sit non minùs, quàm Matth. *cap. 15. v. 4.* à Christo Domino Pharisæi: qui Religionis intuitu honorem debitum parentibus subtrahebant; cum facienda non sint mala, ut inde bona eveniant, Roman. *cap. 3. v. 8.* S. Thomas *cit. q. 189. art. 6.* Sylvester *V. Religio 2. q. 7.* Navarrus *Manual. cap. 14. n. 14. citt.* Sanchez *cap. 20. n. 3.* & Suarez *cap. 5. n. 11.*

Simili modò, & multò minùs Pa- 10.
tri, insuper habitâ necessitate, curâ & educatione liberorum, Religionis ingressus est permissus; quia, quoad educationem & alimentorum præstationem, patris obligatio major quàm filii est; cùm iste ad alendum patrem solùm per accidens ratione necessitatis: pater autem ad alimenta & educationem liberorum, tanquam eorum principium, per se & ratione muneris sui teneatur: quod non obscurè insinuat Apostolus, Epist. 2. ad Corinth. *cap. 12.* cujus *v. 14.* ait, *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, S. Thomas *art. 6. cit.* Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 8.* & Laiman *cit. Tract. 5. cap. 4. n. 2. in fine.*

Nonò, Impubes, hoc est, femina
11. duodecim & mas quatuordecim annis minor, *can. Firma, 30. q. 1.* quibus, ac proinde à femina duodecimô, à mare decimô quartô ætatis annis impletis, inchoari Novitiatus, *Clement. fin.* imò de Jure antiquo ipsa Religionis professio potuit emitti, *c. Ad nostram 8. c. Significatum 11. c. Cùm virum 12. hîc & c. 2. in 6.* Postea tamen hanc femina decimôtertiô & mas decimôquintô ætatis annô exacto primùm emittere permittebatur, *Clem. cit.* junctâ Glosâ *V. Ætate.* Hodie verò ex S. Synodi Tridentinæ decreto ad Religiosæ Professionis valorem exigitur; ut, sive mas sive femina sit, qui eam emittit, decimum sextum annum imple-
12. verit, *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* Circa Novitiatûs tamen inchoationem, & ætatem ad eam necessariam à S. Synodo nihil immutatum aut statutum est; ac proinde ea relicta sub antiqui Juris dispositione, *arg. l. Commodissimè 10. ff. de Lib. & posth.* Sylvester *V. Religio 3. q. 2.* Navarrus *Consil. 20. ad hanc Rubr. n. 1.* & Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 4. n. 22.*

Neque, illâ ætate & ante decimum quintum annum impletum Novitiatum inchoari post S. Synodum utiliter non posse, inde legitimè infertur; quòd, ex ejus decreto, probationis annus integer præmittendus Professioni, *cap. 15. cit.* & hæc professioni conjungenda ex S. Synodi PP. mente eô ipsô sit; quòd Regularibus superioribus præceperint; ut Novitiatûs annô finitô novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant: aut, si habiles non invenerint, è Monasterio ejiciant, *cap. 16.* Non, inquam, ex his decretis id legitimè infertur; quia in posteriori DD. passim subaudiendum monent, *Nisi professionem aliquamdiu differri exigat aut suadeat justa & rationabilis causa*, vg. infirmitatis aut deficientis legitimæ ætatis, ut de aliis relatis observant Rodriquez *Tom. 1. Regul. q. 17. art. 10. & 20. cit.* Sanchez *cap. 4. n. 21.* & S. Congregat. Card. S. Concilii Interpp. declaratione firmat Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. p. 2. tract. 9. q. 8. n. 4.*

Excipiebantur tamen imprimis olim, qui Religionem profitebantur in Monasteriis insularum, *c. Quia in insulis 6.* non majorum ac latè patentium; sed solitariarum, & angustæ terræ mari circumfusæ spatio comprehensarum. Panormit. *in c. cit. n. 3.* in talibus enim ob Congregationis & Conversationis, multô quàm alibi durioris, asperitatem ad habitûs susceptionem & professionem admitti jam à Gregorio I. non permittebantur adolescentes, qui plenam pubertatem, sive decimum octavum annum aut majorem ætatem non attigissent, *c. Quia cit.* cujus textûs dispositio extra insulas illas, & Minimorum sive S. Francisci de Paula Ordinem, cujus speciali Jure recepta est, non porrigitur: nec moderno usu in ipsis insularum Monasteriis observatur, Joan. Andr. *in c. cit. n. 1.* Ant. de Butr. *ibid. n. 6.* & aliis testibus, apud *cit.* Sanchez *n. 3.* & Pirhing *ad hanc Rubr. n. 118.*

Excipiuntur deinde Ordines Militares plerique: qui post decimum tertium ætatis, etiam ante Novitiatûs annum expletum, professionem emittere possunt, & aliquando solent; cùm non comprehendantur decreto Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* ut *ibi* notat Barbosa *n. 2.* & Professionem, non secundùm hos, sed secundùm Regulam suam edant, Azor *p. 1. Instit. Lib. 13. cap. 4. q. 2.* & *cit.* Sanchez *Lib. 5. cap. 4. n. 17.*

Demum excipienda est Societas JESU, ad cujus Novitiatû ante decimum quintum & post quinquagesimum annum impletum à Provin-

Provincialibus admitti nemo potest, ex Congreg. VIII. General. *can. 9.* & Provincialis *Regula 16.* Unde eum ingressi, Simplicia, Religionis tamen substantialia Vota ante decimum septimum ætatis annũ impletum validè emittere nequeunt sine dispensatione Generalis; quia eorum valor exigit biennium Novitiatûs: qui ante decimum quintum annum impletum validè inchoari non potest; ut inchoatio propter defectum potestatis in admittente non valeat, Sanchez *cit. cap. 4. n. 26.* & Pirrhing *hâc Rubr. n. 27.*

14. Decimò ad Professionem admitti prohibetur, qui in Religione Novitiatûs sive probationis annum non explevit, *can. Consulendus, 17. q. 2. c. Ad Apostolicam 16. hâc Rubr. & c. 1. pr. in 6.*

ARTICULUS II.

De Novitiatu.

SUMMARIUM.

15. *Annuum Novitiatum exigendi ratio.*
16. *Ante anni lapsum mutuò consensu edita Professio olim:*
17. *Non etiam hodie valida est:*
18. *Nisi edita sit à moribundo:*
19. *Quæ tamen veræ Professionis non omnes effectus habet.*
20. *Societas JESU exigit biennium Probationis:*
21. *Quæ ab actuali admissione aut habitûs susceptione inchoatur.*
22. *In habitu certo, non in omnibus:*
23. *In plerisque tamen Religionibus peragenda est,*
24. *Et exigit annum moraliter:*
25. *Imò à momento ad momentum completum:*
26. *Eúmque continuum & non interruptum.*
27. *Eum Novitii dimissio vel reditus spontaneus ad seculum:*
28. *Non amentia solùm temporanea interrumpit.*
29. *Probatione finitâ exiens, si redeat, denuo probandus est,*
30. *Si notabilis mutatio intercesserit:*
31. *Non etiam, si hæc non intercesserit.*
32. *Vel Professus ad aliud, ejusdem Observantiæ, Monasterium transferatur.*

AD Professionem Religiosam, ultra annum ætatis decimum sextum, etiam Novitiatum sive probationem exigendi, eíque spatium temporis, annuô non minùs, præfigendi justissima, & Monasterii pariter idque per Professionem ingressuri favorem spectans, ratio fuit; ut Novitius disciplinam & rigorem Regularis vitæ experiri & Monasterium, ipsius indole ac moribus probè perspectis, agnoscere valeat, an futurus sit idoneus & perpetuò Fratrum consortio aggregandus. 15.

Quà tamen ratione non obstante, annuæ probationis integritati utriusque partis, scilicet Novitii eúmque ad Professionem admittentium, mutuô consensu potuit renuntiari, *c. Ad Apostolicam 16.* quòd ea principaliter ob istorum, ac proinde privatum favorem præcipuè fuerit introducta, & locus sit Regulæ *c. Si de terra 6. de Privileg.* præterquam in FF. Prædicatorum ac Minorum & aliorum Mendicantium Ordinibus: quibus, ne intra annum ad Professionem aliquem admitterent, severè interdictum est, *c. Non solùm 2. & c. Constitutionem 3. in 6.* 16.

Ea autem renuntiandi licentia, cùm à cæteris Religionibus sensim traheretur in abusum, & cum tempore eô ventum esset; ut 17.

set; ut Religionem intrantes non rarò intra unum eundémque mensem, & aliquando Septimanam, Novitii Professíque: imò & Prælati, itáque ferè priùs Magistri quàm Discipuli, non sine Monasteriorum damno & animarum periculo esse conspicerentur, S. Tridentinæ Synodi PP. *Sess. 25. cap. 15. de Regul.* decreverunt; ut in posterum *In quacunque Religione, tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec, qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullámque inducat obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Quô utique saluberrimô decretô, cùm principaliter non, ut antiqua Jura, privatum ipsius Novitii professitentis & Monasterii ipsum admittentis: sed totius Religiosi Statûs publicum bonum spectet, annuæ probationis integritati renuntiandi facultas est adempta; cùm juri & favori publico privatorum pactionibus & mutuis renuntiationibus non conveniat, neq; valeat derogari, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis*, Navarrus *Consil. 33. de Regul. n. 5.* Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 4. n. 19.* & Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 12. n. 5.*

28. Excipiendæ tamen, præter Ordines Militares, sunt Moniales Ordinis S. Dominici: quæ, si legitimam ætatem habeant, & judiciô medici in articulo mortis constitutæ, atque ex hoc seculo quantocius migraturæ sint, Professionem edere, annô probationis nondum expletô, possunt ex privilegio, à Pio V. ipsis indulto *Constit.* quæ incipit *Summi Sacerdotis, 23. Aug. 1570. publicata:* quod ad Novitios ejusdem & aliarum Religionum propter privilegiorum communicationem extendi, censet Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. 2. Tract. 9. q. 15. n. 2.* Ita tamen professæ Moniales, si præter expectationem convalescant, probationis annum explere, eóque lapsô, Professionem denuo emittendô, priùs editam ratificare debent; quia privilegium illud solummodo indultum est ad spiritualem consolationem Monialium & lucrandas Indulgentias & similes gratias, quas solenniter professæ in articulo mortis consequuntur: non etiam ad alios effectus. Unde, si ita professæ convalescant, suffragii & similia Professarum jura non consequuntur, antequam secundùm Tridentinum denuo profiteantur; &, si intestatæ decedant, ipsis in bonis non Monasterium, sed proximi consanguinei, sive hæredes ab intestato venientes succedunt, ex doctrina Miranda *Tom. 1. Manual. Prælat. q. 22. art. 10. concl. unica*, Barbosæ *in c. Ad Apostolicam cit. n. 14.* & Donati *Tract. cit. q. 17. num. 1.*

Excipienda etiam est Societas JESU, cujus Novitii à Tridentino præscripto anno superaddere debent alterum; acproinde ante expletum Novitiatûs integrum biennium ad vota Religionis Simplicia non admittuntur: &, à superiore Localî sine Præpositi Generalis dispensatione admissi, illa invalidè emittunt, *Examin. Ord. cap. 1. §. 12. & Constit. p. 4. cap. 3. §. 3.* cùm superiores, illô inferiores, biennium restringendi careant potestate: imò alterquem ad dicta vota etiam post biennium admittendi, per eáque Societati incorporandi potestatê habeat solus Generalis, & cui iste eam communicârit, *Constit. p. 3. cap. 1. & p. 9. cap. 3. §. 1.* Quin ipse etiam Præpositus Generalis, etsi ex gravi causa biennium restringendi, & ante id expletum ad vota Simplicia aliquem validè admittendi potestatem habeat, ut ex *cit. cap. 1.*

cap. 1. § 3. adjecta declaratione constat, eâ tamen uti, & biennium contrahere licitè amplius non potest, ex decreto *Congreg. General. 5. can. 9. 10. & 50.* Sanchez *cit. cap. 4. n. 20.* Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 10. lib. 2. cap. 4. n. 9.* & Palao *disp. 1. cit. p. 13. n. 5.*

21. Dubium de Probationis anno est primò, quando incipiat. Diem enim suscepti habitûs vel actualis admissionis & ingressûs Religionis non computandum, aliqui desumunt ex trito, quò dies termini in termino non computandus dicitur, *arg. c. 1.* ibi *Post diem, qui proponitur, de Restit. spoliat. in 6.* Sed argumento huic in præsenti materia locus non est; cùm à Tridentino *cap. 15. cit. In probatione* standum, asseratur, *per annum post susceptum habitum*, non *Post habitûs susceptiem*: quibus verbis annum à susceptione habitûs computandum; ac proinde illius susceptionem aut ingressum sequentes ejusdem diei horas etiam computandas, clarè insinuatur; ut, qui habitum in festo Nativitatis B. V. Mariæ horâ secundâ pomeridianâ susceptit, post annum ejusdem Festi, horâ secundâ exactâ, professionem emittere possit: neque, sequentem diem expectari, sit necesse, *citt.* Sanchez *cap. 3. n. 31.* & Donatus *q. 4. n. 1. & 5.* Unde

22. Dubium secundum oritur, an probatio necessariò peragenda sit in habitu Religionis. In Societate JESU & aliis Religionibus, in quibus peculiaris habitus præscriptus aut usu receptus non est, illum in veste seculari peragi posse, con-

23. stat ex *Examin. cap. 1. §. 13. & Constit. p. 3. cap. 2. & 6.* Idem de Religionibus, certum habitum à sede Apostolica approbatum habentibus, cum Panormit. *in c. Super eo 9. n. 7.* censet Palao *cit. p. 12. §. 3. n. 1.* & desumi videtur ex *can. Unico dist. 53. & can. fin. dist. 55.* quibus relatus Gregorius Papa ait, Novitios in veste laicali probandos. Sed his *cann.* usu contrariò derogatum, vel ipsis *Laicalis* nomine vestem Novitiorum, à professorum habitu distinctam & laicalem dictam, non secularem denotari, cum Glossa *in can. Unic. cit. V. In suo*, rectè advertit *cit.* Sanchez *cap. 4. n. 30.* Verùs proinde, in hujusmodi Religionibus delationem habitûs ad valorem professionis pertinere, hic Doctor censet cum Joan. Andr. *in c. Super eo cit. in fine* Hostiens. *ibid. n. 3.* Sylvestro *V. Religio 5. q. 5.* & aliis, quos secutus est Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. p. 2. tract. 9. q. 14. n. 1.* cùm propter constantem usum & sensum omnium ejusmodi Religionum, Novitiatum à susceptione habitûs inchoantium ejúsque delatione perficientium, secundùm Trident. *cap. 15. cit.* tum verò, quia Novitius experiri per annum debet asperitates Religionis, *c. Ad Apostolicam cit.* quarum una, & in quibusdam Religionibus inter præcipuas habitûs constans delatio est.

Dubium tertiò de eodem Novitiatûs anno est, an integer & completus esse debeat à momento ad momentum. Moraliter solùm completum sufficere, volunt Steph. Gratianus, *Tom. 3. Discept. cap. 413.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 101. n. 22.* quòd in favorabilibus ultima dies inchoata habeatur pro completa, *arg. l. A qua ætate 5. ff. de Testament.* illius autem & decimi sexti ætatis anni dies ultimos inchoatos pro completis haberi, favorabile sit Novitio & Monasterio. Illi; quòd jam aptus sit Religioni: isti verò; quòd Novitii personam sibi jam valeat devincire. 24

Sed meliori ratione, probationis & ætatis annos ad ultimum usque momentum completos exigunt Rodriquez *Tom. 3. Regul. q. 15. art. 4.* Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. n. 1. citt.* Sanchez 25.

cap. 4.

cap. 4. n. 4. Donatus *cit. Tract. 9. q. 5. n. 1.* & ipsemet Barbosa, à prima sua Opinione recedens *cit. n. 22. §. Verùm in hac:* qui id colligunt ex Trident. *cap. 15. cit.* ad valorem requirente, ut *Novitius decimum sextum ætatis annum expleverit, & in probatione steterit non minori tempore, quàm per annum:* quod ante ultimæ horæ & momenti lapsum verum non est. Rationem reddunt; quia, quoties certum tempus in favorem alicujus ad subeundam maturiùs obligationem designatur, integrum esse debet, *arg. l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus,* secundùm quam Minor ultimo vigesimi quinti anni die · imò momentò læsus in integrum restitutionem petere potest. Cùm ergo anni integritas à Concilio præscripta sit; ne novitii temere & non satis consideratè ad subeundas Religionis asperitates, & Monasterium vel Ordo ad regendum & alendum professum facilè obligarentur, annus integer & à momento ad momentum completus esse debebit. Unde

In contrarium deducta ratio planè corruit; cùm, tam Novitio quàm Monasterio, totique Statui Religioso favorabilior sit annus perfectè & ad momentum ultimum completus: contrà testatori & ultimæ ejus voluntati favorabilius sit, decimi quarti ætatis anni diem ultimum inchoatum haberi pro completo, quia *l. A qua ætate cit.* antè testandi facultatem ei adimens, odiosa est, ut rectè observat *cit.* Palao *p. 12. §. & n. 2.* Unde

Infertur, eum, qui Novitiatum auspicatus est vigesimô quartô die Februarii in Festo S. Mathiæ, professionem emittere non posse ante diem vigesimũ quintũ Februarii anni proximè sequentis bissextilis, sicut ejusdem mensis vigesimô quartô die natus, si annum ætatis vigesimum quintum compleat anno bissextili, vigesimô quintô Februarii adhuc gaudet beneficiô restitutionis, juxta *cit. §. 3. cit.* Rodriquez *art. 4.* Sanchez *n. 4.* Barbosa *n. 20.* & Donatus *q. 6. à n. 1.* quia annus probationis esse debet, qui taxatus est à Republica in qua bissextilem complet dies vigesimus quintus; cùm illô annô duo dies quasi pro uno saltem, quando hoc favorabile est, reputentur, *c. Quæsivit 14. de V. S. l. Denique cit. §. 3. & l. Cùm bissextus 91. ff. de V. S.*

Dubium quartò est, an probationis annus debeat esse continuus. Interruptum sufficere, desumitur ex *l. Paulus 38. §. 3. ff. de Liber. caus.* quâ JCT.ⁱ servum eâ conditione relictum; ut, si triennio servierit, manumittatur, illô elapsô manumittendum, respondit: etsi interea aliquando fugerit & post tempus sit reversus. Idem suadet ratio; quia, si valeti professionis obesset probationis interruptio, is, qui durante Novitiatu incideret in amentiam, hac cessante probationem de novo inchoare deberet, *arg. c. Illud 8. de Præscript.* quia tempus amentiæ ad probationem inutile est, ac proinde illam priùs ceptam interrupit: quod tamen DD. passim negant.

Nihilominus ad valorem professionis annum probationis continuum, cum Panormit. *in c. Ad Apostolicam cit. n. 4.* & Sylvestro *V. Religio 5. q. 4.* rectè exigunt *citt.* Sanchez *cap. 15. n. 3.* Miranda *art. 4. concl. unic.* & Barbosa *alleg. 101. n. 23.* Ratio est; quia, quando Jura certum tempus ex die aliquo designato ad talium diem requirunt, in dubio intelligenda sunt de tempore continuo; nisi ex subjecta materia vel præsumpta voluntate aliud intelligatur, per tradita à Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 12. n. 24.* Tridentinum autem *cap. 15. cit.* ad probationem exigit certum tempus, scilicet annum à die habitûs suscepti vel ingressûs; qui proinde continuus esse debet, ut à Cardd.

Interpp.

Interpp. declaratum, asserit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 40.* Confirmatur; quia annus exigitur, ut Novitius Religionis asperitates, & Religio ipsius mores & constantiam melius probet, *c. Ad Apostolicam cit.* cùm ergo continuatio disciplinæ ex vitæ Religiosæ asperitatibus non minima sit & ad probandam constantiam multùm conferat, annus continuus omnino necessarius erit.

Neque obstat §. 3. *cit.* quia de servo Civili Jure aliud constitutum est; partim ex præsumpta voluntate testatoris, nolentis, ut modica fuga ei obsit: partim favore libertatis: qualis favor in anni interruptione non reperitur, *cit.* Pirrhing *num.* 41.

Non magis quàm textus urget ratio; 27. quia probatio interrumpi solùm censetur, quando Novitius vel à Prælato aliove superiore dimissus, vel animô Ordinem dimittendi, præsertim habitu depositô, ipse palam vel clam discessit, *citt.* Suarez *n.* 5. & Sanchez *n.* 32. qui tamen *n.* 55. monet, 28. casu, quô amentia diu vg. ultra mensem duraret, ejus tempus supplendum; quod per eam probatio, licet non interrumpatur, tamen suspensa quasi dormiat ferè, sicut vacantis sedis, aut hostilitatis tempore Præscriptio, *c. De quarta 4. & c. Ex transmissa 10 de Præscript.* Sed hoc, licet in praxi rectè observetur, de rigore tamen Juris non necessarium, censet *cit.* Palao *p.* 12. §. 2. *n.* 9.

29. Dubium quintò est, an, qui probationis annô jam expletô à Religione dimissus est, vel sponte recessit, postea receptus Novitiatum denuo debeat inchoare. Affirmat id *cit.* Suarez *cap.* 15. *n.* 8. cùm; quòd prior habitûs susceptio per dimissionem vel recessum sit extincta: cum verò; quòd aliàs ita dimissus, si post decem annos in seculo exactos reverteretur, statim posset profiteri: quod utique est absurdum. Propter has rationes utendum est aliqua distinctione; vel enim post egressum ex parte Novitii, quoad mores: aut ex parte Religionis, quoad asperitates & observantiam Instituti, notabilis mutatio intervenit, vel non?

Si prius, Novitiatum denuo sub- 30.
eundum, suadent allatæ rationes. Multò magis nova integri & continui anni probatione opus haberet, qui post impletum in una probationis annum aliam etiam minùs strictam Religionem ingrederetur, ut cum *cit.* Navarro *Consil. 47. de Regul. n. 4.* & aliis docet Sanchez *cit. cap. 4. n. 12.* quia neque talis istius Ordinis vivendi modum, neque Ordo ipsius mores probavit: quòd ad probationem requiri, est dictum.

Si posterius, Novitiatum repetendum, cum Glossa *in Reg. Eum qui* 31. *V. Eôdem, in 6.* probabiliùs negat Sylvester *V. Religio 5. q. 3.* quòd talis Novitius asperitates Religionis expertus jam sit per annum; quòd solùm exigunt Jura: quæ probationis cum professione continuationem nullibi exposcunt: neque etiam probationem jam completam per egressum statuunt extingui.

Neque obstat; quòd Tridentinum Probationis cum Professione continuationem non obscurè supponere videatur *Sess. cit. cap. 16.* Novitios finitô tempore Novitiatûs, si habiles sint, ad professionem admitti: vel è monasterio ejici præcipiens; quia imprimis hoc de consilio, non de præcepto faciendum, tradit Navarrus *Consil. 29. de Regul. n.* 1. Deinde; quia id intelligendum est, nisi professionem ad tempus dilationem suadeant justæ causæ, vg. infirmitatis, ætatis aut alterius defectûs: quod à Cardd. Interpp. declaratum, testis est Donatus *cit. Tract. 9. q. 18. n. 4.*

Multò minùs novâ probatione opus 32.

est, quando Religiosus, in uno professus, ad aliud ejusdem Ordinis & Observantiæ, vg. ab uno S. Benedicti vel Canonicorum Regularium S. Augustini, ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium vel Collegium cum superiorum licentia transit. Imò tali in posterioris Monasterii choro, capitulo &c. idem locus competeret, quem in eo obtinent, qui ibi Religionem professi sunt eô annô & die, quô ipse professus est alibi, ut rectè docet *cit.* Miranda *Tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 31. *art.* 23. & Barbosa *in c. Licet* 18. *n.* 27.

ARTICULUS III.

De Obligationibus & Juribus Novitiorum.

SUMMARIUM.

33. *Professioni præmittitur annua probatio Religionis:*
34. *Intra quam Novitius ad seculum ex justa causa,*
35. *Et per se, hâc etiam cessante, licitè redit:*
36. *Licet, eâ cessante, illicitè dimittatur.*
37. *Rediens ad expensas in se factas non tenetur:*
38. *Nisi earum refusionem promisisset.*
39. *Regulas à Novitio servari decet:*
40. *Conscientiæ obligatio non est,*
41. *Nonnullis casibus exceptis.*
42. *Casus reservati pro Religiosis non afficiunt Novitios:*
43. *Etsi reservari etiam pro ipsis possint.*
44. *Novitii sunt personæ Ecclesiasticæ,*
45. *Et gaudent privilegiis Religiosorum.*

AD valorem Professionis *In quacunque Religione, tam virorum quàm mulierum,* Novissimô Jure S. Synodi Tridentinæ requiritur; ut, qui eam emissurus est, *Non minore tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* hoc est, sub obedientia Prælati, ab eóve constituti Magistri disciplina annum exegerit. Quem probationis annum præscribendi ratio justissima fuit; ut antequam per professionem Religioni perpetuò incorporetur, Novitius quidem vivendi modum & asperitates Religionis experiri: ista verò ipsius indolem mores & habilitatem probare possit. Unde 33.

Dubium oritur primò, an Novitius intra probationis annum è Monasterio egredi, & ad seculum redire liberè valeat. Et ex justa quidem & Prælato probata causa egressum ei permissum, res est omnino explorata. Ejusmodi autem causâ cessante, *c. Consulti* 20. prodita est distinctio inter eum, qui cum vitæ absolutè mutandæ & sub habitu Regulari deinceps Deo famulandi proposito: & illum, qui sine tali proposito & experiundi duntaxat causâ; ut, si sibi placuerit, Ordinis disciplinam profiteatur, Religionem sive istius Novitiatum est ingressus: & ex duobus his ei duntaxat, qui eum posteriori: non etiam ei, qui cum priori proposito Religionem ingressus est, liberam ad seculum redeundi facultatem esse, super proposita dubitatione *Frequenter & à multis* consultus Innocentius III. *c. cit.* & *c. Statuimus* 23. Gregorius IX motu propriò rescripsêre. Rescribendi ita ratio ea fuit; quòd ab incepta Perfectionis semita recessus sine justa causa factus manifestæ levitatis & inconstantiæ vitiô laboret. 34.

Verùm, quia ullô etiam deliberatô, sed promissione non firmatô animi propositô 35.

positò voti obligationem non induci, D. Thomæ 2.2.q.88. art. 1. Panormit. *in c. Literaturam 3. de Voto n. 2.* aliorúmque Interpp. ac DD. concors sententia est, *c. Consulti cit.* relatam decisionem Apostolicam, non de nudo, sed cum intentione se obligandi conjuncto seu promissione firmato vitæ absolutè mutandæ proposito, vel de simplici voto ingrediendi ac profitendi Religionem Deo facto exaudiunt Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 11. n. 6.* Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 1 n. 20.* & alii apud Barbosam *in c. Consulti cit. n. 3.* quos proinde secuti Palao *Tract. 16. disp. 1. p. 10. n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 62.* Novitii, nullâ causâ allegatâ & non requisitâ Prælati licentiâ, Religionem deserentis reditum ad seculum per se culpâ vacare, defendunt ac desumunt ex *c. Statuimus cit. & c. Non solum 2. in 6.* quibus locis Novitii ad seculum redire intra annum probationis permittuntur, *Nisi evidenter constet, eos vitam mutare absolutè*, hoc est, cum promissione séque obligandi intentione, *voluisse*: & non præcisè ejus mutandæ propositum simplex habuisse; cùm, qui ultra assumendæ Religionis propositum non processit, si id non impleat, transgressor non judicetur, *c. Literaturam cit.* ob defectum intentionis seu voluntatis se obligandi, Panormit. *in c. cit. n. 1.* & Barbosa *n. 2.* Ratio est; quod, si ultra propositum non processit, non appareat, unde ad perseverantiâ obligatio oriatur: &, cur non sine culpa, sicut Religionem non ingredi, sic ad seculum redire liberè possit; cùm enim ad perseverantiam ullâ legis aut voti obligatione non adstringatur: &, quòd Religionem, non absolutò perseverandi, sed solummodo eam probandi: &, si placuerit, eligendi, vel si displicuerit, deserendi, ac proinde conditionatò animò, retentáque libertate ingressus sit, post aliquanti temporis experimentum regressum eligens, levitatis argui non potest.

Dixi, *Per se*; quantumvis enim à Religione recessus ex objecto suo pravus non sit, culpâ tamen utique non vacat Novitius, si ad illum sequiori aliquâ animi affectione, vg. irâ vel odiô est permotus; aut, insuper habitis inspirationibus divinis, ad secularis vitæ licentiam & peccandi occasiones ac pericula redeundô salutis suæ discrimini se exponendum prævidit.

36. Dubium secundò est, an Novitium è Religione expellere, nullâ rationabili causâ suadente, liberè valeat Prælatus. Ratio dubitandi est; quòd ad retinendum Novitium non magis Religio, quàm ille ad perseverandum obligetur. Sed hac in re paritatem, & Novitii, quem Religioni idoneum judicat, liberam dimissionem Prælato permissam, meritò negant *citt.* Suarez *cap. 11. n. 5. & Lib. 4. cap. 3. n. 7.* Sanchez *Lib. 5. cap. 4. n. 59.* & Palao *p. 10. n. 1.* Ratio est; quia prælatus ex officio & munere suo procurare tenetur bonum Religionis & subditorum: ex quo proinde Novitium, qui Religioni idoneus apparet, retinere tenetur non minùs, quàm expellere, si minùs idoneus judicetur; ne in ædificationem sibi concessâ jurisdictionis potestate in destructionem abutatur; atque insuper agat contra officium Charitatis, debitæ Novitio sibi subdito, quem sine justa & rationabili causa expellendô privat magnô bonô & salutis periculo exponit.

37. Dubium tertiò est de expensis, in Novitii ad seculum reversi sustentationem, factis tempore probationis. Non quidem, si is Religionem ingressus sit animô fictô, hoc est, sine animo perseverandi, vel cum absoluto proposito ad seculum redeundi; talem enim ad illarum refusionem adstringi, certum est saltem,

si obsequia, illas adæquantia & aliàs non percipienda, Monasterio non præstitit. Sed, si fide bonâ, hoc est, Regulâ præscriptum vivendi modum experiendi &, si placuerit, perseverandi animô ingressus fuit. Quem ad expensarum illarum refusionem teneri, cum Barbatia *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 58.* Dominico *in c. Non solùm cit. n. 5.* & Interpp. aliis meritò negant Sylvester *V. Religio 5. q. 8. citt.* Suarez *cap. 11. n. 5.* & Sanchez *Lib. 6. cap. 10. n. 5.* id desumentes ex *c. Statuimus & c. Non solùm citt.* quibus textibus ad seculum redeundi expedita facultas intra probationis annum Novitio stabilitur, & cavetur; ne, quô minùs libertate illâ utatur, aliquatenus impediatur: quod non contingeret, si Religionem deserturi in alimenta sua factos sumptus refundere tenerentur. Ratio est; quia annua probatio spectat bonum non solius Novitii, sed ipsius quoque Religionis: cui, præterquam quòd in Professorum & Novitiorum etiam alimenta necessarii reditus suppetant ex fundatione & aliis fidelium largitionibus, pro illis sibi ministratis servitia sua novitius obtulit & impendit.

38. Excipiendus tamen est casus, quô novitius alimentorum intuitu Monasterio aliquid donâsset, vel sumptuum in probatione in se faciendorum refusionem promisisset; talem enim donationem ratam habet, & à promissa refusione novitium non absolvit S. Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 16. de Regular.* Donationes, quæ monasterio ab ingredientibus fiunt, irritas decernens, *Exceptô victu & vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quô in probatione est.* Quantumvis non recipiendæ solutionis prætextu metúve Novitii liber egressus nequeat impediri; quòd egressûs inhibitione facta expensarum exactio præjudicaret Religioni, & adversaretur decreto Concilii, egrediendi libertatem ullatenus constringi, non permittentis, Suarez & Sanchez *utroque cit. n. 5.*

Dubium quartò est, an Novitius 39
quamdiu in probatione, Religionem experiendi &, si placuerit, profitendi animô, versatur, ad Regulæ & à superioribus præceptorum observantiam obligetur. Id enim non contemnenda ratio suadet; quòd, cùm Novitius communem cum Religiosis suscipiat vitam, Religionis fruatur bonis: ac privilegiis utatur, æquum sit; ut istius onera, & communem cum illis in legibus suscipiat disciplinam, *c. Resolentes 3. in fine, de Statu monach. & Reg. Qui sentit 5. in 6.*

Verùm, etsi hoc dignum & honestati ac decentiæ conveniens sit, ad Regularum tamen & Regularium præceptorum observantiam Novitium in conscientia per se ac directè obligari, cum Sylvestro *V. Religio 5. q. 6.* & Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 21. art. ult.* merito negant *citt.* Suarez *cap. 16. n. 2. 3 4.* & Sanchez *Lib. 6. cap. 10. n. 7.* quòd non 40
appareat, ex quo capite ea conscientiæ obligatio oriatur; cùm neque ex Obedientiæ voto, neque ex assumpto probationis statu oriatur. Non ex ejusmodi voto; cùm necdum emissa sit professio, & votô antecedente Novitius se obligâsset, licet privatâ devotione potuerit, non supponatur. Non ex assumpto dicta probationis; quia, ut multi arguunt, ex statu minor obligatio Novitii est, quam Catechumeni; cùm iste obligetur ad suscipiendum Baptismum: ille ad perseverandum in Religione non teneatur. Ubi de inferunt ad sui Ordinis Regularum observantiam minùs obligari Novitium, quàm Catechumenum ad observantiam legum Ecclesiasticarum: quibus eum, utpote Ecclesiam necdum ingressum, non

adstringi

adstringi, exploratum est, *arg. c. Gaudemus 8. de Divort.*

Sed paritas ista nonnihil vacillat; cùm Ecclesiastica jurisdictio utriusque fori, quorum neutri Catechumenus est subjectus, in Novitium, quamdiu in probatione perseverat, de Jure competat ejus Prælato Regulari: qui propterea eum contra Regularum & legum Ecclesiasticarum, alios fideles adstringentium, præscriptum delinquentem punire potest. Meliùs ergo, Novitium ad Regularum & præceptorum Regularium observantiam ex statu suo in conscientia, non obligari, probatur ex eo; quòd status ille plus non exigat, quàm ut Novitium suum Religio regere & instruere, corrigere & punire delinquentem possit. Unde

Infertur, per se Novitium, qui sacro Ordine non initiatus, nec beneficiatus est, ad horarum Canonicarum recitationem non teneri, earúmque omissione non peccare; quòd non appareat titulus, ex quo ad illas obligetur, *citt.* Sylvester *V. Hora q. 2.* & Suarez *n. 19. Per se*, 41.
inquam, & directè; quia ratione contemptûs, scandali seu mali exempli, quod aliis tam Religiosis quàm Novitiis præbet, perturbationis disciplinæ &c. Regularum & præceptorum Regularium transgressiones etiam in Novitiis frequenter sunt peccaminosæ; ut propterea de illis in sacro tribunali meritò se accusent, DD. *citt.*

42. Dubium quintò est de casuum Reservatione, in Religionibus recepta: quâ, licet Novitios plerumque non affici, cum Miranda *Tom. 3. Manual. Prælat. q. 34. art. 16.* asserat Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. & n. 4. coroll. 4.* à Religionum tamen exemptarum præsertim Mendicantium Prælatis, cùm Novitiis suis Confessarios designant, his limitatam & ad certos casus se non extendentè jurisdictionem, sicut respectu Religiosorum, sic & respectu Novitiorum concedi posse, exi- 43.
stimat; quòd ejusmodi Prælati in Religiosos ac Novitios suos obtineant jurisdictionem quasi-Episcopalem; ut, quæ Episcopi suorum diœcesanorum, ipsi Religiosorum ac Novitiorum suorum respectu possint. Quare dictarum Religionum novitios, peccatorum à Prælato suo Regulari reservatorum conscios, quamdiu persistunt in probatione, ii duntaxat Confessarii, quorum jurisdictio à Prælato ad reservata porrecta est: ad seculum autem reversos proprii Episcopi, & qui ab his aut Papa acceptam potestatem in reservata habent, absolvere possunt.

An & quam peccata reservandi & à reservatis absolvendi potestatem Ordinum non exemptorum Prælati respectu Novitiorum suorum obtineant, ex cujusque Ordinis Statutis, Consuetudinibus & Episcoporum, quibus illorum Monasteria subjecta sunt, commissione desumendum, monet Laiman *cit. n. 4. in fine.*

Dubium sextò est, an Novitii sint 44.
personæ Ecclesiasticæ. Ratio dubitandi est; quòd juxta dicta *n. 40.* per se non obligentur Regulâ & Constitutionibus; neque pars aut membra sint ejus Religionis, quam probant; cùm ei per professionem aut vota Religionis substantialia necdum sint incorporati.

Verùm, esto propter hanc rationem non sint veri Religiosi, *c. Religiosi 21. § fin. de Sent. excom. in 6.* in Ecclesiastico tamen statu constituti & Ecclesiasticæ personæ non minùs sunt, quàm clerici Minores, ut cum Deciano *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 186. & Consil. 35. n. 3.* Jasone *in Auth. Sigua Mulier C. de SS. Eccles. ad finem* docent Guttierez

QQ. *Canon. Lib. 2. cap. 1. n. 107.* Suarez *de Defens. Fidei Lib. 4. cap. 29. n. 5.* Sanchez *cit. cap. 10. n. 11.* & Pignatell. *Tom. 4. Canon. consult. 119. à n. 6.* Ratio est; quòd, sicut clerici minores hujusmodi Ordinum & ipsâ primæ tonsuræ susceptione in via ad statum Sacerdotalem: sic novitii ipsâ habitûs susceptione & probationis inchoatione constituantur in statu præparationis ac viæ ad Religionem, atque etiam sub Regula & Prælati Regularis obedientia Deo famulari incipiant, pársque aliquô modô & membra, licet necdum inseparabilia, sint Religionis; atque idcirco in favorabilibus veniant nomine & censean-
45. tur Jure Religiosorum. Unde etiam *citt.* cæteríque alicujus nominis TT, & ICTi plerique ad Novitios generaliter porrigi, defendunt, privilegia Religiosorum, *arg. §. cit.*

In specie autem Novitii Imprimis gaudent privilegiô Canonis, §. *cit.* & Fori Ecclesiastici, *arg. §. cit.* ut, quamdiu in probatione versantur coram iudice Seculari neque in Civilibus neque in Criminalibus causis valeant conveniri, Sanchez *cap. 10. cit. n. 10.* Farinac *Prax. Criminal. q. 6. n. 46.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 12. n. 37.* Immunitate à tributis & vectigalibus, *cit.* Sanchez *n. 16.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 671. n. 2.* & Laiman *cit. n. 4.* & Indulgentiis concessis Religioni, Compend. Privileg. Soc. JESU *V. Indulgentia, in fine.* Deinde à proprio sui Ordinis Prælato per se aut alios absolvi à reservatis, & cum ipsis dispensari potest in votis, in Festorum ac Jejuniorum observatione, in horarum Canonicarum recitatione, ad quam ratione Ordinis tenentur &c. Palao *Tract. 36. disp. 1. p. 11. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 77. in fine.* Et demum, sicut professi, sic & ipsi Ordines recipere valent ab Episcopo, in cujus diœcesi situm est Monasterium suæ probationis, ut cum Franco *in c. Cùm nullus 3. de Temp. Ordinat. in 6. in fine*, Anchorano *ibid. n. 4.* Cuccho *Lib. 3. Institut tit. 1. n. 54.* & aliis docent laudati Sanchez *n. 21.* & Laiman *n. 5.*

ARTICULUS IV.

De Renuntiatione bonorum, à Novitiis præmittenda Professioni.

SUMMARIUM.

46. *Hæc olim Novitio semper permissa.*
47. *Et irrevocabilis erat, non secus à Professione:*
48. *Nisi ipsius intuitu facta fuisset:*
49. *Quod in dubio ferè præsumebatur.*
50. *Hodie permissa est ultimo bimestri Novitiatûs:*
51. *Et antè facta non subsistit:*
52. *Nisi ea naturâ suâ revocabilis,*
53. *Vel de re modica à Novitio,*
54. *Vel sine ejus præjudicio à consanguineo fiat.*
55. *Subsistit dispositio de bonis, præcedens Novitiatum,*
56. *Etiam facta intuitu Professionis,*
57. *Hâc tamen non secutâ obnoxia restitutioni.*
58. *Facta ante ultimum bimestre Novitiatûs non subsistit,*
59. *Quacunque ætate Novitius,*
60. *Et, si dispositio relata sit in eventum Professionis:*
61. *Nisi ante hanc revocabilis sit.*
62. *Ultimô bimestri facta irrevocabilis est:*
63. *Rerum tamen dominium non transfert ante Professionem.*

64. Ita

64. *Eadem non corruit, licet ista ex causa differatur,*
65. *Et si hæc licitè fiat decimô, dispositio nonô mense facta subsistit.*
66. *Novitii morte ejus dispositio corruit.*
67. *Renuntiatio exigit licentiam Episcopi:*
68. *Non tamen obtentam in scriptis.*
69. *In nonnullis Religionibus hactenus dicta ex Consuetudine:*
70. *In Societate JESU de Jure locum non habent.*

46. NOvitii antiquô Jure de bonis suis, tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem, disponere, sicut antè, sic etiam durante totô probationis tempore liberè potuerunt, *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati.*

Sicut autem hoc certum, sic dubia est firmitas donationis, vel alterius dispositionis aut renuntiationis bonorum, à Novitio in vel etiam ante ingressum Novitiatûs factæ, sive an ea, professione
47. non secutâ, revocetur, vel non. Cujus Resolutio meô quidem judiciô pendet ab ejus donantis vel renuntiantis intentione; cùm, si bonorum donatio &c. omnino independenter à Professione & nullô istius intuitu fiat, instar aliarum inter vivos donationum vel cessionum firma, & extra casus *c. fin. de Donat.* irrevocabilis sit: nisi donans aut renuntians esset
48. minor; ut ad beneficium in integrum restitutionis habeat recursum. Si verò illius secuturæ intuitu fiat, professione non secutâ corruit, & donata obnoxia sunt revocationi restitutioníque; quia donatio & renuntiatio facta est ex causa & sub conditione professionis emittendæ in Religione, quam donans aut renuntians ingressus est, vel ingressurus: ex causa autem & sub conditione facta donatio, illâ non secutâ & istâ non impletâ, non obtinet firmitatem; cùm generale sit, quòd cessante causâ cesset effectus, *c. Cùm cessante 60. de Appell. & c. Magnæ 7. in fine, de Voto:* &, deficiente conditione, actus resolutus censeatur, *l. Pecuniam 36. ff. de Reb. Credit.* Hostiens. & Panormit. *in c. Statuimus 23. hâc Rubr. n. 4.* Jason. *in Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles. n. 60.* Sylvester *V. Religio 5. q. 12.* Rodriquez *Tom. 2. Regular. q. 8. art. 2.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 1. à n. 2.* In dubio Professionis intuitu facta donatio censetur, si ea omnium aut majoris vel notabilis partis bonorum, præsertim si facta sit Religionis habitu jam suscepto, vel proximè ante ingressum illius, vg. uno alteróve mense ante eum, *cit.* Sanchez *n. 12.* & Palao *Tract. 16. disp. 1. p. 15. à n. 5.* 49.

Novissimè, ne Novitii, si post factam bonorum suorũ renuntiationem videant, totam vel majorem partem substantiæ suæ à Monasterio vel alio irrevocabiliter possideri, metu egestatis minùs liberè ad seculum revertantur, illa de bonis suis disponendi libertas multùm restricta est à S. Synodo Trident. *Sess. 25. cap. 16. de Regul.* cujus decretum est, *Nulla quoque renuntiatio aut obligatio etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secutâ professione. Aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, irrita sit & nullius effectûs.* Hactenus S. Synodus. Unde 50.

Convenit inter DD. primò, irrita hodie nullâque esse ante ultimos duos annuæ probationis menses quæcunque pacta, cessiones & obligationes Novitiorum, quibus eorum bona aut jura notabili- 51.

tabiliter minuuntur, aut minùs recipitur quàm datur: cujusmodi sunt notabilis quantitatis & inter vivos irrevocabiliter factæ donationes, renuntiationes officiorum publicorum temporalium, fidejussiones, remissiones & liberationes, vg. quâ tutor vel curator à ratiociniis reddendis deobligatur, Menoch. *de Arbitr. casu 436. n. 7.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 5. n. 20.* & Barbosa *in Trident. cap. 16. cit. à n. 3.* & probabiliùs etiam renuntiatio beneficii Ecclesiastici juxta dicta *Lib. 1. tit. 9. n. 36.* & mutuum, quô rei mutuatæ dominium & usus ad notabile tempus in Monasterium transfertur, *cit.* Suarez *n. 24.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 86.*

52. Convenit inter eosdem secundò, valida etiam hodie esse omnia ipsorum pacta & dispositiones revocabiles, & quibus substantia patrimonii non minuitur: cujusmodi sunt imprimis Testamenta, Codicilli, Mortis causâ donationes; quia liberè possunt revocari, Navarrus *Comment. 2. de Regul. n. 5.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 99. n. 12.* Deinde contractus Emptionis Venditionis, Permutationis, Locationis Conductionis, Societatis, & similes, quibus non minus recipitur quàm datur, & non minor vel non minùs æstimabilis spes lucri est, quàm periculum jacturæ, *citt.* Sanchez
53. *n. 33.* & Barbosa *n. 30.* Præterea eleemosynæ, oblationes, spectatâ Novitii substantiâ, modicæ aut moderatæ, & ipsi Monasterio oblata pro Novitii sustentatione, juxta Trident. *cit. cap. 16. ibi*, exceptô victu & vestitu Novitii, *cit.* Barbosa *à n. 26.* Et demum donationes, ei-
54. dem factæ à Novitii parentibus, consanguineis aliisque similibus: dummodo per eas istorum propria & ad novitium non pertinentia bona donentur, & donata Novitio in Legitimam non imputentur; hoc enim etiam vetuit Trident. *cap. 16.* Suarez *Tom. 3. de Relig. Lib. 5. cap. 9. n. 16.* & Donatus *Tom. 3. Prax. Regul. p. 2. Tract. 7. q. 16. n. 4.* Hæc satis certa & à DD. recepta.

Dubium autem & maxima contro- 55.
versia est primò, an irritæ etiam sint donationes & renuntiationes, à Religioso tirocinii candidato factæ ante Religionis ingressum. Non quidem, si aliò, quàm Religionis intuitu fiant; has enim subsistere, nemo facilè inficiatur; quia eòdem modô fierent, si donans aut renuntians Religionem non ingrederetur; & propterea non obstant ingressi libertati, *citt.* Sanchez *cap. 5. n. 2.* & Pirrhing *n. 80.*

Sed, si fiant intuitu ingressûs; quas irritas esse, cum Navarro *Consil. 51. de Regular.* contendunt Flaminius *de Resignat. Lib. 3. q. 13. n. 9.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 139. n. 13.* Movetur partim; quòd Tridentinum generaliter irritet omnes renuntiationes alteri factas ante professionem: cujusmodi etiam sunt ab ingredi volente factæ ante ingressum; quia in lata acceptione nomine ingressi etiam intelligitur proximè ingressurus, *arg. l. Filiusfamilias 43. ff. de Iud. milit.* quâ proximè accingendus pro accincto habetur: partim; quòd aliàs Sanctorum dispositio, si renuntiationes ante ingressum factas non comprehenderet, facilè eluderetur ac frustraretur intentô effectu; ut propterea necessariò ad illas sit extendenda, *arg. c. Quanquam 2. de Usuris in 6. & c. Si civitas 17. de Sent. excom. in 6.* præsertim cùm ante & post factarum eadem sit ratio, *arg. l. Illud 32. pr. ff. ad L. Aquil.* Ita, & satis probabiliter laudati aliique magni nominis DD.

Veritati tamen magis consentanea 56.
videtur sententia Menochii *cit. Casu 436. n. 3.*

à n. 3. Garciæ *p. 11. de Benef. cap. 9. n. 15.* Sanchez *l. cit. n. 4.* Vasquez *de Testament. cap. 6. §. 2. dub. 12. n. 50.* Barbosæ *alleg. cit. n. 17.* & Donati *cit. tract. 7. q. 20.* qui DD. multis & non paucis Cardd. declarat. Rotæque decisionibus allegatis, ejusmodi renuntiationum ante Novitiatûs ingressum factarum valorem defendunt, ferè unicô, sed solidô nixi fundamentô; quòd Tridentinum expressè de iis duntaxat loquatur, qui habitum jam susceperunt, ut colligitur non tantùm ex Rubrica, quæ subjecti textus optima interpres est, secundùm Everardum *Legal. arg. loco à Rubrica n. 1.* & in Tridentino *de Regularibus* est: sed etiam ex istius *cap. 15.* antecedente, disertè loquente de ingressis: quocum sequens connecti *cap. 16.* verbis, *Nulla quoque*, satis indicatur; quia dictio *Quoque* copulativa est & sequentem dispositionem cum præcedente conjungit, *arg. l. Tutoris 15. ff. de Pactis*, Barbosa *Usufreq. dict. 333. n. 3.* Cùm ergo dispositio Tridentini sit correctoria Juris communis, & actum aliàs valiturum irritet, ab iis, qui habitum susceperunt, sive à Novitiis extendenda non est ad candidatos, sive illum suscipere volentes, etiamsi istorum eadem ratio foret, *arg. Reg. Quæ à Jure 28. in 6. & l. Præcipimus 32. C. de Appell.* Unde corruit ratio oppositæ sententiæ prima.

Non majorem vim habet altera; quia S. Synodi dispositio effectu suo non frustratur; etsi enim ingressuri bona sua donare, vel aliter eis renuntiare possint, id tamen rarò, præsertim in favorem Monasterii antè: post ingressum autem fiebat frequentius & in favorem Monasterii, ut non obscurè insinuat Tridentinum, pro ratione difficilioris ad seculum reditus reddens; quòd possessio bonorum Novitii jam sit translata. Unde renuntiationes post ingressum factas irritandi specialis ratio fuit, Palao *cit. p. 7. n. 4.*

57. Quantumvis autē hæc ita se habeant, is tamen, qui intuitu Religionis ante istius ingressum bonis suis vel majori aut notabili istorum parti renuntiâsset, si mutatô consiliô ad seculum rediret, vel Religionem nunquam ingrederetur, ad beneficium restitutionis in integrum recurrere posset, si minor, *l. 1. &c. ff. de Minoribus*: imò etiam, si major esset ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur*: cui quoties Æquitas restitutionem suggerit, locum esse, Ulpianus monet *l. Sed etsi 26. §. 9. ff. Ex quibus causis major.* Engel *ad hanc Rubr. §. & n. 3.* Quin talis donationem aliámve bonorum cessionem revocare etiam posset; quòd facta sit ex causa & sub conditione Professionis: illa autem non secuta, & hæc impleta non sit.

58. Dubium secundò est de Renuntiatione, ante ultimos duos menses facta à Novitio sedecim annis majore. Quam esse validam, & Concilii dispositionem de ea non procedere, volunt Menoch. *Casu cit. n. 8.* & Thesaur. *Lib. 2. Forens. q. 56. n. 7.* idque desumunt ex particula *Quoque*, dispositionem *cap. 16. cit.* connectente cum præcedente, & professionem ante decimum sextum annum editam annullante. Unde inferunt, idem dicendum de renuntiatione.

59. Sed istius quoque, imò viginti quinque vel triginta annis majorum novitiorū, ante ultimos duos menses factas renuntiationes non subsistere, magnô consensu defendunt cæteri alicujus nominis DD. plerique & à Cardd. Interpp. declaratum, testes omni exceptione majores sunt Barbosa *alleg. cit. n. 19.* & Donatus *Tract. cit. q. 6. n. 9.* Rationem reddunt; quòd Conciliari decretô renuntiationes priùs

 factæ

factæ irritentur generaliter, & inter Novitios non distinguendò, ut locus sit *arg. can. 1. dist. 19. & can. Consuluisti 2. q. 5.* Confirmatur; quia ratio; ne, bonorum suorum dominiò & possessione in Monasterium vel alios jam factâ translatione, minùs liber ad seculum sit regressus, in majoribus non minùs quàm in minoribus procedit.

Neque aliud rectè infertur ex dictione *Quoque*; quia ista non spectat ætatem, sed novitium cujuscunq; Religionis, & generaliter consideratum: de quo, sicut *cap. 15.* præcedente; quòd ante decimum sextum ætatis & integrum probationis annum profiteri: sic *cap; 16.* sequente; quòd sine licentia Ordinarii & ante ultimos duos menses renuntiare séque irrevocabiliter obligare nequeat, decernitur, ut textum consideranti patebit.

60. Dubium tertiò est, an valida sit à novitio ante ultimos duos menses donatio inter vivos, facta sub conditione, *Si fuerit professus.* Ratio dubitandi de valore est; quia hujusmodi donatio est vera renuntiatio & obligatio destituta conditionibus, ad validam donationem à Tridentino requisitis; cùm facta sit ante ultimos duos menses: ex qua ratione eam pro nulla cum Navaro *Consil. 81. de Regul.* habet *cit.* Sanchez *cap. 5. n. 17.* De nullitate autem; quòd talis donatio non obstet libertati egrediendi; cùm dependeat à secutura & Novitio omnino libera professione: ex qua ratione eam, tanquam validam, sustinent *citt.* Lessius *cap. 41. n. 4.* & Molina *disp. 149. n. 14.*

61. Mihi utrique Opinioni aliquid tribuendum: & donatio, si liberè ante professionem revocari valeat, subsistere: si verò antè revocari nequeat, irrita & nulla esse videtur, cùm; quòd non sit conformis decreto Tridentini: tum verò; quòd aliàs bonis suis renuntiare Novitius non magis posset ultimis duobus mensibus, quàm primis; cùm etiam ultimis facta renuntiatio ex S. Synodi dispositione includat conditionem secuturæ professionis, neque aliter fieri queat.

Neque refert; quòd sub dicta conditione etiam irrevocabiliter facta renuntiatio libertatem egressûs non impediat; quia saltem deficit in maturitate requisita à Concilio, & exigente; ut cum licentia Ordinarii, & non nisi ultimò bimestri fiat, ut notat Sanchez *l. cit.* sed hinc

Dubium quartum oritur, an ergo ea donatio aut alia renuntiatio, ultimo bimestri facta, à Novitio in Religione perseverante revocari ampliùs non possit. Verius est non posse, nisi revocandi jus renuntians sibi reservârit; quia credibile non est, ad obligationem ita levem & infirmam, cujusmodi est, quæ ad obligati libitum revocari potest, tam graves circumstantias, sive Episcopalis licentiæ & ultimi bimestris solennitates à Tridentino præscriptas. Unde ex renuntiatione ortam obligationem à novitio, perseverare volente, irrevocabilem ei, censet Sanchez *cap. 5. cit. n. 58.*

Neque obstat; quòd secundùm Tridentinum facta donatio & renuntiatio sit conditionata, à futura professione ejusque valore pendens; quia etiam conditionata positâ conditione non minùs valida & firma est, quàm absoluta; cùm ex utraque jus quæratur ei, in cujus favorem facta est, & solummodo differatur quòd conditionatæ effectus ad eventum conditionis suspendatur, Sylvester *V. Donatio 1. q. 15. n. 19.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 14. n. 16. cit.* Molina *disp. 284. n. 7.* & Palao *Tract. 16. disp. 1. p. 17. n. 12.*

Etsi autem hæc ita sint, non tamen eo idcirco rei donatæ dominium in donatarium

tarium statim transfertur ante professionem validè emissam, ut colligitur ex Tridentino, renuntiationem aliámve obligationem effectum sortiri nolente, nisi secutâ professione: quod non fieret, si rerum donatarum dominium in Monasterium vel alium donatarium statim transferretur, *cit.* Palao *n.* 13. *Validè*, inquam; quia S. Synodi decretum non de ficta & merè apparente professione est exaudiendum. Unde donatio & renuntiatio, in cujuscunque favorem facta, effectum plenè non fortitur priùs, quàm emittatur professio nova, aut quæ priùs facta est, ratificetur, *cit.* Sanchez *n.* 56. & Donatus *Tom.* 3. *Prax. Regul. p.* 2. *Tract.* 7. *q.* 21.

64. Dubium quintò est, an postremis duobus mensibus facta renuntiatio corruat, si professio ex causa aliqua differatur. Ratio dubitandi est; quòd hôc casu plùs quàm duobus mensibus fiat ante professionem. Re tamen accuratiùs ponderatâ, undecimo mense factam renuntiationem, licet professio ex causa aliqua differatur, Jure subsistere, defendunt *citt.* Barbosa *n.* 11. & Donatus *q.* 10. *n.* 1. id à S. Congreg. Cardd. declaratum asserentes. Rationem solidam reddunt; quod talis renuntiatio facta sit intra duos menses proximos tempori, quô professio emitti de Jure debet, & ordinariè solet: Tridentinum autem solummodo intenderit; ne renuntiatio à Novitio fieret ante ultimos menses proximos professioni de Jure emittendæ; cùm, sicut omnis alia lex, sic etiam Tridentini decretum respiciat ea, quæ communiter & ordinariè, non quæ perrarò & per accidens tantùm contingunt; *l. Nam ad* 2. *ff. de LL.*

65. Sed quid, si professio ex dispensatione Apostolica ante elapsum integrum probationis annum, vg. sextô aut octavô mense emittatur? Eô casu *citt.* Sanchez *n.* 83. & Barbosa *n.* 11. Novitio non nisi proximè ante professionem, hoc est, ipsô istius vel præcedente die validè renuntiandi jus adstruunt; quòd dispensatio sit interpretationis strictæ, & propterea ab ætate ad renuntiationem non trahenda. Ego tamen hanc ei duobus mensibus, professionem proximè præcedentib⁹, permissam, existimo cum Palao *disp. cit. p.* 17. *n.* 9. ne bonis suis renuntiandi facultas, antiquô Jure novitio totô probationis tempore concessa & à Tridentino ad duos menses restricta, ejusmodi dispensatione adempta, vel ad unius duorúmve dierum angustias redacta videatur contra intentionem Papæ; qui faciendô gratiam dispensationis in ætate, facultatem antè competentem, & cum ea compatibilẽ, retrahere potiùs quàm omnino adimere aut insolitô modô restringere voluisse, censeri debet, *arg. Regulæ Quod ob gratiam* 61. *in* 6. Unde patet, dispensationem non extendi; cùm renuntiandi facultatem non tribuat, sed ante permissam tantùm retrotrahat; ne omnino auferatur, aut nimiùm restringatur.

Dubium sextô est, an donatio aliáve renuntiatio secundùm Tridentinum facta corruat, si novitius moriatur ante professionem. 66 Negat id Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 11. quòd causa irritandi renuntiationes, quas non subsequeretur professio, fuerit; ne minueretur libertas egrediendi: quæ causa cùm Novitiô ante professionem mortuô cessat, cessabit etiam ejus Concilii decretum, *arg. c. Cùm cessante* 60. *de Appellat.*

Sed verisimiliùs, renuntiationem corruere, affirmant Rodriquez *Tom.* 2. *Regul. q.* 47. *art.* 2. *citt.* Sanchez *cap.* 5. *n.* 49. & Donatus *q.* 24. *n.* 1. asserens, id à Cardd. declaratum. Ratio perspicua

est; quia Tridentinum Novitiorum renuntiationes expressè & generaliter effectum sortiri non vult, nisi secutâ professione. Imò ipse Novitius ex S. Synodi dispositione non aliter donâsse aut renuntiâsse censetur, quàm sub conditione futuræ professionis: quæ cùm Novitiô mortuô non sequatur, corruet donatio illius eventui alligata; ac proinde Novitium, jam facta donatione &c. non obstante, in eventum mortis de bonis suis testari, eáve mortis causâ donare posse, docet Navarrus *in can. Non dicatis* 12. *q.* 2. *n.* 49. Quod si non faciat: neque donationem, in Monasterii vel alterius causæ piæ favorem factam, etiam in casum mortis prævenientis, ratam esse velit, decedere censebitur intestatus, eique in bonis proximi consanguinei succedent, Riccius *in Praxi resol* 138. *in fine.*

Ratio in contrarium facilè diluitur; etsi enim egrediendi libertas non impediatur, impeditur tamen libera facultas de bonis suis disponendi: quam Novitio non professuro, qualis est, qui ante professionem moritur, Concilium noluit auferre.

67. Dubium septimò est de licentia Episcopi, sive ejus Vicarii. Quam ad Novitiorum renuntiationes, etiam in Monasteriis exemptis de Jure necessariam esse, plerique consentiunt propter generalitatem dispositionis Conciliaris, licentiam Episcopalem exigentis, & sine ea invalidas decernentis renuntiationes quascunque, sine ulla distinctione inter Exemptos & non-Exemptos; ut eæ essent maturiores & minùs obnoxiæ fraudibus: quarum suspicio in actu judicis, præsertim Ecclesiastici, authoritate celebrato cessat, *arg. l. fin. ff. Quòd metûs causa.*

68. Etsi verò Episcopi saltem confirmati, aut sede vacante, Capituli vel alterius Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem in territorio, intra quod Novitii renuntiantis Monasterium situm est: vel qui idem cum Episcopo tribunal habet, Vicarii generalis licentia necessaria sit: non tamen exigitur, ut ea obtenta sit in scriptis; cùm in Tridentini decreto nulla fiat mentio scripturæ: & licet esse debeat obtenta, solúmque petita non sufficiat, non tamen necessariò esse debet expressa, sed sufficit tacita, ut cum cit. Rodriquez *q.* 47. *art.* 14. & Sanchez *cit. cap.* 5. *à n.* 76. docent *citt.* Barbosa *ad leg.* 99. *n.* 9. & 10. Palao *n.* 10 & 11. & Donatus *q.* 8. *tota.*

Dixi etiam, *De Jure*; quia dicta Concilii dispositioni, maximè quoad circumstantias, non solùm privilegiô Apostolicô, sed etiam Consuetudine legitimè præscriptâ derogari posse: imò, defectu per desuetudinem in quibusdam Religionibus Episcopi aut Vicarii licentiam non peti, neque ampliùs necessariam censeri, tradunt idem Rodriquez *in Summa p.* 2. *cap.* 7. *n.* 1. & Lezana *Tom.* 1. *Summæ QQ. Regul. cap.* 24. *n.* 34. *in fine* & plures alii, aliis tamen dissentientibus, ut este Donato *Tract. cit. q.* 13. *in fine.*

Dubium octavò est, an hactenus de bonorum renuntiatione tradita locum habeant in Novitiis Societatis JESU. Non habere Tridentini PP. ipsimet declarârunt, suprà relatis decreti verbis subjicientes, *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innovare vel prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU juxta pium & laudabile eorum Institutum, à Sede Apostolica approbatum Domino & ejus Ecclesiæ inservire possit.* Quam exceptionem, non tantùm ad renuntiationem, sed etiam ad annum Novitiatûs & alia omnia, quæ præcedentibus *Sess.* 25. *capp.* de Regularibus decreta sunt, & dictæ Societatis Institu-

to seu

to seu Constitutionibus adversari possunt, extendi, docent Laiman *Lib. 3. tract. 5. cap. 7. n.* 11. &, Regularis Institutionis Magistri præstantissimi, Rodriquez *q. cit. art ultimo* & Donatus *cit. Tract. 7. q.* 10, *n.* 2.

ARTICULUS V.

De Professione Religionis.

SUMMARIUM.

71. *Professionis nomen latè,*
72. *Vel strictè sumi:*
73. *Et emitti potest expressè vel tacitè.*
74. *Expressè voce, scriptô &c.*
75. *Tacitè deferendô habitum vel exercendô actus proprios professi.*
76. *Ut tacita inducatur, habitus authoritate superioris assumi:*
77. *Scienter ac sponte,*
78. *Et profitendi animô deferri debet.*
79. *Professioni tacitæ etiam post Tridentinum:*
80. *Vix tamen in Societate JESU est locus.*
81. *Professio ut valeat, à persona capace,*
82. *Voluntariè ac liberè,*
83. *Nullôque injusto metu,*
84. *Neque alienâ, sed propriâ voluntate emitti debet.*
85. *Detrusio in Monasterium non habet vim professionis.*
86. *Metu Religioni incusso extortam valere, affirmantium.*
87. *Et negantium verior Opinio.*
88. *Professio exigit Prælati acceptationem.*

71. Religiosus quis verè ac propriè fit non susceptione habitûs: sed ipsâ alicujus à sede Apostolica approbatæ Regulæ professione, *c. Porrectum 13.*

Professionis autem nomen latè vel strictè sumi potest. Latè sumptum significat actum, quô homo fidelis in ejusmodi aliquo ordine Religioso, voluntariè editis perpetuæ Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ votis, se Deo ac Religioni tradit, interveniente Prælatô vel ex istius commissione aliô, illam sui traditionem Dei & Religionis nomine acceptante, *c. Ad Apostolicam 16.* quô sensu Professi dici queunt & sunt etiam Societatis JESU Scholastici & Coadjutores nondum Formati: licet emiserint, vota tantùm Simplicia, voventem obligantia Religioni, quin vicissim ista, ad eum perpetuò retinendum & alendum obligetur, Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap.* 1. *à num. 9.*

72. Strictè acceptum denotat contractũ mutuum & reciprocum, quô quis se Deo & Religioni tradit, editis ejusmodi Votis Solennibus: quæ edendô non tantùm ipse se Religioni tradit: sed etiam ista, illam sui traditionem interveniente Prælatô vel aliô ex istius commissione acceptans, ad ipsum retinendum, alendum & tanquam filium juxta suum Institutum tractandum obligatur, secundùm D. Bernardum *de Præcept. & Expens. cap. 7.* quô loco, *Regularis*, inquit, *Professio, quâ se junior sponte submittit Priori, æquè obligat & Priorem: fiuntque duo per unius sponsionem alteri debitores, unus fideli curæ, alter humilis Obedientiæ*, Panormit. *in c. Porrectum cit. n.* 10. Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 9. n. 7. cit.* Suarez *cap. 2. n.* 12. & Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. p. 2. Tract.* 10. *q.* 1. *à n.* 2.

73. Posteriori modô & propriè sumpta Professio, vel Expressa vel Tacita est, *c. Religioso* 21. *§. fin. de Sent. excom. in 6.* quarum illa ferè verbô vel scriptô, vel utroque simul emitti solet; licet etiam

74. nutibus atque aliis ejusmodi signis externis, illam traditionem personæ & istius traditionis acceptationem, mutuámque obligationem significantibus, edi possit: nisi in aliqua Religione specialiter verba aut scriptura vel, ut in Societate JESU *p. 5.* Constit. *cap. 3.* utraque simul exigantur, Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 3. n. 4. cit.* Suarez *cap. 22. à n. 12.* & Palao
75. *Tract. 16. disp. 2. p. & n. 1.* Ista sive Tacita inducitur exercitiô actuum professis propriorum, sive de Jure ipsis solis competentium: ut, si quis Novitiatûs annô exactô assumpsit & per triduum gestavit habitum, professis proprium & à Novitiorum habitu colore, formâ, signô aliquô vel benedictione distinctum, *c. Ad nostram 8. c. Super eo 9. & c. 1. pr. in 6.* Vel, ubi Novitii cum professis solis (non etiam aliis) communem & indistinctum habent, ejusmodi habitum gestavit per integrum annum, *c. Ex parte 22. c. 1. cit. §. Quod si & Clement. Eos qui 2. hâc Rubr.* vel, si Professionis habitum assumens (etiam triduô nondum exactô) exerceat actum proprium Professorum, vg. suffragium in capitulo ferat, vel in sacrificio Missæ, ut alicubi solæ professæ solent, panem offerat, *c. Vidua 4. ubi* Gonzalez *n. 11.* Ratio est; quia hujusmodi gestatio & exercitium actuum factum præsumitur animô & intentione Religionem solenniter profitendi, séque isti perpetuò obligandi; ut, si gestationi vel exercitio illi non præmittatur protestatio, quòd aliô quàm profitendi animô fiat, in contrarium probatio directa non admittatur, ut *in c. Ex parte cit.* cum Glossa *V. Per annum* Joan. Andr. *n. 1.* & Barbosa *n. 2.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 108.*

76. Neque, ut primô intuitu videri potest, cum hac explicatione Professionis Tacitæ pugnant antè dicta de Professione in genere: &, quòd ista, cùm sit Contractus reciprocus mutuámque obligationem inducat, exigat consensum non solius profitentis, sed etiam Religionis: istius autem consensus & acceptatio in explicata Professione tacita desiderentur; quia hoc verum non est; cùm, ut illâ habitûs gestatione & actuum exercitio professio tacita inducatur, accedere oporteat consensum Prælati, eam Dei & Religionis nomine approbantis & acceptantis; ideóque ad ejusmodi Professionem inducendam à DD. requiratur Primò; ut Novitius de ferens habitum, eum assumpserit authoritate & consensu Prælati vel alterius superioris, qui eum ad Religionem admittere potest, vel saltem eo sciente & patiente; quia istius consensum exigit Professio expressa; ac proinde etiam tacita; cum eadem ratio utriusque sit, & tacitum plus non operetur quàm expressum, *arg. l. Cùm quid 3. ff. de Reb. credit.* Panormit. *in c. Vidua cit. n. 5.* Sylvester *V. Religio 3. q. 19. pr.* & Sanchez *cit. Lib. 5. cap. 3. n. 14.* Secundò; ut illum deferat vel ejusmodi actus exerceat scienter sive, ut nôrit habitum & ejusmodi actus esse professis proprios, per eósque tacitam Professionem induci; cùm enim errantis, ac proinde ignorantis, nullus sit consensus, *l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* illius gestatione & horum exercitiô, cum ejus ignorantia factô, profiteri voluisse non intelligeretur, Sylvester *cit. q. 19. V. Secundò,* Navarrus *Comment. 4. de Regul. à n. 73. & cit.* Sanchez *n. 16.* Tertiò; ut id faciat sponte, hoc est, nullâ vi metúve coactus, *c. Vidua cit.* ibi, *Si sponte velum sibi imposuerit & inter velatas oblationem Deo obtulerit*; cum enim vis & metus irritet professionem expressam, *c. 1. de Iis, quæ vi metúsve causâ*, multò magis tacitam irritabit, ut ex omnium sensu rectè arguit *cit.* Sanchez *n. 15.* Quartò; ut habitum deferat vel actus illos exerceat verò ani-

verò animô Professionem emittendi; cùm, si se merè negativè, hoc est, nec profitendi neque non profitendi animum haberet, ex defectu animi seu consensûs professio non induceretur in foro interno, *cit.* Navarrus *n. 75.* Sanchez *n. 17. In Interno*, inquam; quia in externo, qui Religionis habitum debito tempore gestavit, séque immiscuit actibus propriis professorum, verum profitendi animum habuisse censetur præsumptione Juris & de Jure; ut postea contrarium etiam juramentô probare volenti audientia denegetur, *c. Vidua cit. ubi* Panormit. *n. 5.* Fagnanus *n. 30.* & Gonzalez *n. 10.* Unde

79. Dubium oritur, an professioni Tacitæ locus sit post Tridentinum. Usum ejus rarissimum, & potissimum esse in Professionis expresè, sed invalidè, emissæ ratificatione, advertit Sanchez *cit. cap. 3. n. 13.* Quod licet verum, absolutè tamen ei locus etiam extra hunc casum est: dummodo fiat decimô sextô ætatis & integrô probationis annis exactis; quia Tridentinum de tacita Professione specialiter nihil statuit; ac proinde eam reliquit dispositioni Juris antiqui; cùm generale sit, casum in novo omissum, sub antiqui Juris dispositione remanere, *l. Commodissimè 10. ff. de Lib. & posth.* Quare, si quis post legitimam ætatem & integrum probationis annum expletum gestaret habitû proprium professorum & à novitiis distinctum, aut exerceret actum, de Jure vel consuetudine solis professis competentem, tacitam Professionê censeretur emisisse, Rodriquez *tom. 3. Regul. q. 17. art. 1. & 2.* Sanchez *cit. cap. 3. n. 36.* & Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 1. n. 8.* qui tamen & meritò

80. Excipit Societatem JESU: in qua, extra casum ratificationis expressæ nullíter emissæ, locus non est tacitæ Professionî; cùm de editæ in ea professionis substantia sit, ut ex scripto publicè legatur, *p. 5.* Constit. *cap. 3.* Vota etiam simplicia, quomodo extra ratificationis casum tacitè edi possint, non apparet; cùm in Societate per ejusmodi vota incorporatorum nullus proprius habitus nullíque proprii actus, & nullum etiam certum tempus determinatum sit ad illâ, hôc ipsô; quòd ex superioris voluntate valeant differri, secundùm Examin. Gen. *cap. 1. n. 12. & p. 5.* Constit. *cap. 1. in fine:* neque etiam sit præscriptum, an quis ad Scholasticorum, Coadjutorum vel Professorum gradum sit admittendus, ut cum Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 8. à n. 3.* observat *cit.* Palao *n. 10.*

Porro ad Professionis, tam tacitæ quàm expressæ, valorem tria potissimùm à DD. exiguntur. Primò; ut persona eam emittens sit ejus capax, sive nullo Jure à Religioso statu removeatur. Quæ autem ejus incapaces sint *à n. 2.* est explicatum. 81.

Secundò; ut ea sit voluntaria & libera, non solùm ab errore & ignorantia, *c. Sicut 15. hâc Rubr. & l. Si per errorem cit.* sed etiam à vi metúque ad ipsam extorquendam injustè etiam indirectè incusso, *c. 1. de his, quæ vi metúve caus.* cùm, sicut carnale, *c. Cùm locum 14. c. Veniens 15. &c. de Sponsa. & Matr.* sic & spirituale matrimonium, quod Religiosa professione contrahitur, injusta vi metúve extortum ipso Jure irritum sit, *c. 1. cit. & can. Præsens, 30. q. 3.* Ratio est; quia per hoc novus & valde difficilis, ex natura sua perpetuus, atque immutabilis status suscipitur non minùs, quàm per matrimonium carnale; ac proinde non minorem, quàm hoc exigit libertatem, ut jam dictum *Lib. 1. Tit. 40. à n. 35. & 43.* ubi idem dictû de votis Religionis simplicibus, post Novitiatûs biennium emissis in Societate JESU. 82.

Istam tamen Professionis libertatem nonpa-

non parùm dubiam faciunt varii casus, quibus ea voluntate alienâ & aliquando etiam ab invitis ex ipsa Juris dispositione editur; sic enim Primò, liberi adhuc impuberes Religioni offerri possunt à parentibus, juxta decretum Concilii Toletani IV. *Monachum enim aut paterna devotio aut propria professio facit*, textus est *can. Monachum, 20. q. 1.* & *c. Cùm virum 12, hâc Rubr.* Secundò, conjux, qui in consortis sui Religiosam professionem vel sacram Ordinationem liberè consensit, & incontinentis vitæ suspicionem præbet, Religionem ingredi & profiteri cogitur, *c. Uxoratus 8. de Convers. coniug.* Tertiò, voventes Religionem, ad eam promissionem per actualem ingressum implendam, compelli possunt, *c. Consulti 20.* Quartò, clerici, imò etiam laici mares ac fœminæ gravium, præsertim carnalium, excessuum rei olim in Monasteria, etiam invitissimi, ex Juris præscripto detrudebantur, *can. De lapsis, 16. q. 6. c. Pervenit 2. de Adult. c. Inter 10. in fine, de Purg. Canon. & c. Tuæ 6. de Pœnis.*

83. His tamen non obstantibus Regulæ instar receptum est, sicut carnalis, sic & spiritualis conjugii, per Professionem initi, contractum, vi metúque injustè incusso extortum, irritum esse; ut adeò mirum non sit; quòd S. Synodi Tridentinæ PP. ut ejus plenæ libertati consulerent, *Sess. 25. cap. 18. de Regular.* anathemati subjiciant *Omnes & singulas personas, quæ quomodocunque coëgerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus in Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis vel ad emittendam Professionem; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere aut professionem emittere, quôquô modô eidem actui vel præsentiam vel consensum vel authoritatem interposuerint.* Quô decretò in eos, qui fœminas ad ingressum cogunt, lata excommunicatio extendenda non est ad eos, qui ad Religionis ingressum & professionem mares cogunt; quia fœminæ coactionibus magis obnoxiæ & adversus eas minis tutæ ac potentes sunt, quàm mares: licet, qui hos cogunt, graviter peccent eorumque coactione extorta professio invalida sit, Suarez *disp. 23. de Censuris §. 7. n. 2.* Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 4.* & Pirhing *Tract. 29. disp. 3. p. 37. n. 8.*

Casus, quibus plenæ libertatis in profitente necessitas impugnatur, vel speciem majorem, quàm vim habent. Primus; quia, licet verisimiliùs sit, olim impuberes, sicut Baptismo, sic etiam Monasterio offerri à parentibus potuisse; ut eorum oblatione tenerentur stare: atque Monasticâ professione delictâ ad seculum reverti sine infamiæ nota posse, ut *in c. Cùm virum cit.* eruditè notat Gonzalez *n. 6.* ad evitanda tamen incommoda, quæ ex hujusmodi liberorum aliquando satis inconsulta oblatione frequenter orta sunt, cum tempore & post seculum lectum Ecclesiasticâ ordinatione sanctum est, ut à parentibus ita oblati ad seculum redire possent, *c. Cùm simus 14.* & in Monasteriis persistere non cogerentur: nisi illam impuberes, pubertatis annos assecuti, expressè vel tacitè ac sponte ratam habuissent: licet, donec annos illos implerent, in Monasterio perseverare tenerentur; quòd in ætate pupillari quoad vitæ rationem gubernationémque parentum voluntati subjicerentur, Fagnanus *in c. Cum virum cit. n. 34.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 5.*

Secundus; quia, præterquam quòd casus Jure expressus sit, eô uxor in meriti sacram Ordinationem vel professionem liberè consentiendò, ad Religionis ingressum & professionem seipsa obligavit in

vit in eventum, quò incontinentis vitæ præberet suspicionem; ac proinde ad quod se obligavit, sicut casu tertiô, qui Religionem vovit, uti &, qui alteri matrimonium promisit, votum & promissionem suam justè, non injustè, cogitur ad implere.

85. Quartus & ultimus casus etiam Jurè specialiter est expressus: eóque criminosi in Monasteria inviti quidem, sed justè detrudtunur. Accedit; quòd ipsi in Monasteria detrudantur non; ut editâ Religionis professione monachi etiam inviti fiant: sed; ut iis quasi carceri inclusi & à peccandi occasionibus remoti pœnitentiam agant sub Regula monachorum, ut *in c.* 1. notat Gonzalez *n.* 10. & *Lib.* 5. *Tit.* 37. *n.* 28. statuetur. Hôc loco

86. Dubium non leve est, an professionem etiam irritet metus, ad eam Dei & Religionis nomine acceptandam Prælato vel Capitulo incussus, quòd Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 4 *n.* 17. & Palao *Tract.* 16. *disp.* & *p.* 2. §. & *n.* 2. negant, eô præcipuè nixi fundamentô; quòd metus, sicut carnale, sic & spirituale hoc matrimonium sive professionem Religiosa irritet Jure solùm Ecclesiasticô, quô ista irritata solummodo reperitur ob metum incussum Novitio illam emittenti: & de isto dispositum ad Prælatum vel Capitulum nequeat extendi; cùm Jus actum aliquem vg. matrimonium, aut professionem irritans tanquam odiosum à persona & casu expresso ad non expressum extensionem non patiatur, *arg. Reg. Odium.* 15. *in* 6.

87. Sed fundamentum hoc solidum non est; quia Jura, per quæ matrimoniorum vel professionis libertati consulitur, ut sunt, quibus matrimonium aut professio metu extorta irritantur, prodita principaliter sunt favore publici statûs Politici ac Religiosi; quòd, matrimonia & professiones liberè ac sponte iniri, ipsorũ utriusq; plurimùm interfit, ac proinde favorabilia potiùs, quàm odiosa censeri debeant, *arg. c. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* & *l. Sunt personæ* 43. *ff. de Relig.* & *sumpt. fun.* Quare meliori ratione, professionem metu, eam admittenti non minùs quàm emittenti incussô irritari, cum Lessio *Lib.* 2. *de J.* & *J. cap.* 41. *n.* 6. defendit Donatus *Tom.* 2. *Prax. Regul. p.* 2. *Tract.* 11. *q.* 8. *an.* 3. quòd, sicut matrimonium carnale, sic & spirituale initum per professionem, juxta dicta, sit contractus mutuo consensu initus & ultro citróque obligatorius; cùm, sicut professi, sic Religionis sive Prælati istius nomine eam admittentis consensum exigat, *c. Porrectum* 13. & *c. Ad Apostolicam* 16. & ex natura suâ, sicut professum Religioni, sic istam ipsi instar matrimonii carnalis perpetuò obliget; ac proinde, ut inter contrahentes æqualitas servetur, spontaneo & à vi metúve absoluto utriusque consensu debeat iniri. Cui rationi non parùm roboris addit; quòd à matrimonio carnali ad spirituale, & vicissim Jure approbatum sit argumentum, *c. Inter* 2. *de Translat. Episc.* & *c. Cùm inter* 21. *de Elect.* & de correlativorum uno dispositum ad alterum; adeóque à sponso ad sponsam, & de professo dispositum ad Religionem & istius nomine illum admittentem porrigatur, cùm ratio, ut inter hos, eadem est utriusque, ut cum Everardo *Loco à Correlat.* eruditè ostendunt ipsimet Suarez *Lib.* 6. *de LL. cap.* 4. *n.* 7. & Palao *Tract.* 3. *disp.* 5. *p.* 3. §. 4. *num.* 9.

Tertiò, ad professionis valorem exigitur; ut ea ab aliquo ad id potestatem habente, vg. à Prælato sive superiore, vel ex ejus commissione ab alio, Religionis nomine expressè, vel saltem tacitè, hoc est, ipsô factô vel signô aliquô acceptetur, 88.

ut colligitur *ex c. Porrectum cit.* ibi, *Et reipsa ab Abbate*, & *c. Ad Apostolicam 16.* ibi, *Qui professionem emittit, Abbate per se vel alium acceptante.* Ratio clara est; quia professio juxta dicta, est contractus reciprocus, per quem, sicut professus se tradit & perpetuò obligat Religioni, ita vicissim ista se obligat ad eum retinendum & juxta proprium Institutum tractandum; ac proinde in ejus emissione necesse est intervenire aliquem, qui Religionem repræsentet, & hanc ipsi mutuò obligandi habeat potestatem, Glossa *in c. Porrectum cit. V. Monachum, ubi* Hostiens. *n. 13.* Panormit. *n. 10.* Navarrus *Comment. 4. de Regul. n. 74.* & Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 4. n. 62.*

ARTICULUS VI.

De Professionis Ratificatione.

SUMMARIUM.

89. *Professio nullitatis arguenda est intra quinquennium:*
90. *Secus ratificata præsumitur.*
91. *Non tamen in foro animæ ratificatur sine novo consensu.*
92. *Post quinquennium reclamans non auditur:*
93. *Nisi causa nullitatis perpetua sit,*
94. *Vel in integrum restitutio petatur.*
95. *Ratificatio scientiam nullitatis ex parte Professi,*
96. *Et ipsius etiam Religionis exigit.*
97. *Quæ in hac generalis & indeterminata esse solet:*
98. *Et in illo esse potest.*

89. Relatarum conditionum si in actu Professionis aliqua desideretur, & ista à persona incapace vel non liberè emissa, vel à nemine, aut ab aliquo potestatè non habente admissa sit, professio irrita est; ut, compertâ, & coram Prælato vel alio superiore suo Ordinario sive Episcopo, in cujus diœcesi Monasterium est situm, probatâ causâ nullitatis, professus ad seculum redire, vel à Religione dimitti possit: nisi ab eo expressè vel tacitè, hoc est, per dilationem habitûs aut exercitium actûs professorum proprii, aut quinquennalem in Religione perseverantiam sine reclamatione, esset ratificata; post quinquennium enim jam exactum, eam per vim, metúmve vel ante legitimâ ætatem emissam, vel propter simile quid, vg. defectum consensûs vel integri anni probationis, vel personæ eam acceptandi potestatem habentis defectum, invalidè emissam prætendens amplius non auditur, ex decreto S. Synodi Tridentini *Sess. 25 cap. 19. de Regul.* Cujus salubertimi & Religionibus utilissimi decreti ratio non est; quòd à Professione resiliendi eámque impugnandi jus quinquennii præscriptione tollatur: sed; quod toto illo tempore, quo posset, non reclamans professionem pro invalidè editam ratificâsse præsumatur, præsumptione Juris & de jure, directam probationem in contrarium non admittente fere, sicut ex diutina, sive usu & dimidiô annô continuata, cohabitatione conjugum purgatur metus, & matrimonium propterea invalidum ratificatur, *c. Ad id 22. de Sponsal. & matr.* & inter sponsos de futuro intercedens copula affectu conjugali admissa præsumitur, *c. Is qui fidem 30. Rubr. cit.* Navarrus *Comment 4. de Regul. n. 73.* Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. 37. n. 9.* & Donatus *Tom. 2. p. 2. Tract. 12. q. 7. àn. 1.* Unde hi DD.

Inferunt, eum, qui revera professionem suam novô consensu positô nunquam ratificavit, post quinquennium illud & quantumcunque temp⁹ transactis, cessante scandalo & causis coram superiore & Ordinario non deductis, fugam arripere & Religio-

Religionis habitu depositô in seculo Ordines suscipere, imò uxorem ducere posse, quin in foro conscientiæ Apostata sit, aut excommunicationis & similes Apostatarum pœnas incurrat; quia, cùm verè professus non sit, in foro conscientiæ interno Religioni nullô vinculô est adstrictus; ac proinde locum in eo habet Regula, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, quæ est 52. *in 6.* Hinc

92. Dubium oritur, an post quinquennium professionem impugnans etiam non audiatur, si totô illô tempore ejus nullitatem ignoravit: vel, obstante sibi justô impedimentô, eam impugnare & coram superiore deducere non potuit: cujus Resolutionem adhibita gemina distinctio expeditam reddet.

Una inter causas nullitatis; si enim professio invalida fuit propter impedimentum solummodo temporaneum, vg. metûs, defectûs legitimæ ætatis & intra quinquennium sublatum est, ipsius nullitatem impugnare volens, juxta Concilii decretum, audiendus non est, cùm; quòd quinquennium, quô exactô reclamantes non audiendi dicuntur, ab ipsa professionis, non scientiæ vel sublati impedimenti die computandum, asseratur *cap. 19. cit.* tum verò; quòd ei obstet præsumptio ratificationis: quæ cum Juris & de Jure sit, nullitatis probationem non admittit.

Neque his obstat; quòd legitimè impeditis tempus non currat, *c. Quia diversitatem 5. de Conces. Prab. & l. 1. in fine C. de Annali except.* quia hoc verum duntaxat est, quando certum tempus in odium negligentis: non etiam, quando id Jure definitum est in alicujus favorem: sicut quinquennium, de quo agimus, præscriptum est ob favorem & tranquillitatem Religionis; ne ab iis, qui ad seculum & liberiorem conversationem aspirant, diu turbetur, Navarrus *cit. Comment. 4. n. 71.* & Sanchez *cap. cit. n. 19.*

93. si verò invalida fuit propter impedimentum perpetuum, vg. quòd mulier Religionem in virorum Monasterio sit professa: vel, licet perpetuum non sit, tamen ultra quinquennium & adhuc durat, vg. quòd superstes sit professi conjux, quam ingressûs & professionis tempore mortuam credidit, reclamanti etiam coram superiore & Ordinario audientia deneganda non est; quia decretum illud ad eos, qui perpetuô & adhuc durante impedimentô laborant & Religionis incapaces adhuc sunt, se non extendit; cùm expressè loquatur de iis, qui vim metúmve aut debitæ ætatis defectum solummodo temporaneum *Et quid simile*, ac proinde etiam temporaneum, allegant: tum verò; quia publicatum est in favorem Religionis: cui utique grave & damnosum esset, si hujusmodi impedimentô laborantes, denegatâ ipsis audientiâ, deberet retinere, Sanchez *cit. disp. 37. n. 32. & 34.*

Neque tali reclamanti obstat præsumptio Juris & de Jure; quia, licet contra hanc non admittatur probatio directa, quæ ad ipsam præsumptionem enervandam tendit: admittitur tamen indirecta, quâ probatur, qualitates eam præsumptionem constituentes, scilicet capacitatem in profitente, non dari, juxta tradita *Lib. 2. Tit. 23. à n. 35.*

94. Altera distinctio est inter remedia, quibus ignorans aut aliàs justô impedimentô detentus, quinquenniô jam transactô, adversus professionem propter impedimentum temporaneum jam sublatum agit; quantumvis enim Ordinario locus non sit; quia hoc Concilium disertè excludit, actionem adversus professionem solummodo concedendô intra quinquennium, à die professionis numerandum, ut cum Navarro *cit. n. 7.* advertit *cit*, Sanchez *n. 19.* Extraordinario tamen re-

men remedio, sive in integrum restitutionis beneficio adversus eam uti invalidè professus potest, non tantùm si ætate minor, sed etiam si major sit, ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam*, *l. & §. 1. ff. Ex quibus caus. major.* Ratio est; quia adversus præsumptionem Juris & de Jure, post quinquennium reclamanti obstantem, in integrum restitutio peti & causæ, ob quam antè reclamare non licuit, & restitutio petitur, allegatio & probatio admitti potest, ut cum Jasone *in l. Inter 83. §. 1. ff. de V. O. n. 2.* docent Menoch. *Lib. 1. de Præsumpt. q. 70. n. 1. & 2.* & Mascardus *de Probat. Proœm. q. 10. n. 67.* Ita cum *citt.* Navarro & Sanchez *n. 22.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 30. art. 3.* Corradus *Lib. 5. Prax. Apostol. dispens. cap. & n. 14.* & Barbosa *in Trident. cap. 19. cit. n. 8.* ubi hi DD. advertunt, ab iis, qui post quinquennium reclamare volunt, hodie adiri S. Congregationem Cardd. Interpp. vel Regularium negotiis præpositorum: quæ priùs, saltem summariè, cognitis nullitatibus deducendis, & justò impedimentò non reclamandi intra quinquennium, illis restitutionem concedere non rarò solet.

Neque ad extraordinarium hoc restitutionis remedium confugientem moratur; quòd restitutioni locus non sit, quando actus non valet, *l. In causæ 16. §. 3. ff. de Minoribus:* &, cùm læsus non est, qui restitui petit, *l. Scio 4. ff. de In integ. restit.* ut dictum *lib. 1. Tit. 41. n. 2. & 3.* quia istud verum duntaxat est, cùm adversus actum remedium Juris ordinarium proditum, & extraordinariò pinguius est; cùm hoc in illius deficientis subsidium concedatur, ut ibidem est dictum *n. 11.* læsio autem ad restitutionem quidem semper exigitur: sed non desideratur in eo, qui Religionem invalidè est professus; cùm non modica læsio sit, alterum invitum perpetuò obligari ad statum arduissimum, & propterea non nisi summâ libertate amplectendum, ut probè observat *cit.* Sanchez *n. 22. circa finem* & dictum *cit. Tit. 41. n. 49.*

Dubium aliud est de Professionis invalidæ ratificatione. Et melioris quidem notæ DD. plerique agnoscunt, eam ratificari non posse, nisi impedimentò, sive nullitatis causâ sublatâ, ponatur novus consensus professi, Religioni se iterum tradentis, ejúsque traditio acceptetur à Religione. Ut autem professus se Religioni denuo tradat, ab iisdem exponi Religiosi exigitur cognitio nullitatis priùs editæ professionis; quòd professionem ratificandi voluntatem habere nequeat, nisi cognoscat ratificationem sibi esse possibilem: hanc autem sibi possibilem esse, non cognoscat sine cognitione nullitatis, ut de ratificatione matrimonii *Lib. 4. Tit. 16. art. 10.* ostendetur.

An nullitatis scientia etiam desideretur ex parte Religionis sive Prælati, istius & Dei nomine ratificationem acceptantis, dubitandi ratio gravissima est, quia, si Jura spectemus, professio invalida novô & legitimô consensu solius professi convalescit: licet consensus non renovetur ex parte Religionis, imò illa priùs expressè vel tacitè editæ & acceptatæ professionis nullitatem omninò ignoret, ut minimè obscurè colligitur ex *Significatum 11. & c. 1. §. Quod si, in fi.* quibus locis, ante legitimam ætatem professus suam professionem ratam habuisse, præsumitur annuâ delatione habitûs proprii professorum & actuum his competentium exercitiô; quin hujusmodi ratificationis acceptatio & nullitatis scientia exigatur ex parte Religionis. Idipsum clariùs desumitur ex Tridentini *cap. 19. cit.* ejusmodi professionem ab eo, qui intra quæ-

ta quinquennium non reclamavit, ratificatam præsumente absque eo, quòd novus consensus & nullitatis scientia detur ex parte Religionis; cùm istius, sicut citt. antiqui Juris textibus, ita istô Concilii decretô, ne verbô quidem, mentio fiat.

Nihilominus aliqua nullitatis scientia etiam ex parte Religionis desideratur; cùm, sicut nova traditio, sic istius acceptatio necessaria sit ad ratificationem & dari nequeat, quin cognoscatur esse possibilis ejusmodi nova sui traditio & acceptatio: ista autem sine aliqua nullitatis cognitione possibilis nequaquam esse videatur.

97. Ea tamen nullitatis cognitio non necessariò est specialis, & quoad personam determinata, sed sufficit indeterminata & generalis; quia Ecclesia sive summus Pontifex, tanquam supremus & generalis Prælatus omnium Religionum multas professiones invalidè emittendas prævidens, cujuscunque invalidè professi consensum, quoties expressè vel tacitè per habitûs delationem aut actûs professis proprii exercitium, vel quinquennalem perseverantiam renovatur, à se acceptari, itáque defectum consensûs ex parte Religionis antecedenter suppleri citt. antiqui Juris textibus & decretô Tridentini abundè declaravit; ut ita Religionum eásque profitentium paci, tranquillitati ac saluti consuleretur, Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 41. n. 66.* Sanchez *cit. disp. 37. n. 64.* & Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 5. n. 4.*

98. Simili ferè modô, si quis, professionem suam invalidè emitti potuisse cognoscens, & conscientiæ suæ omni meliori, quô potest, modô consulere volens, sub conditione & in casum, quô ea ex defectu aliquo occulto nulla fuisset, novô consensu positô, eam ratam esse de præsenti vellet, eam sine absoluta nullitatis scientia posset ratificare, ut cum iisdem Lessio *n. 63. & 66.* & Sanchez *n. 65.* docet idem Palao *cit. p. 5. n. 3.*

ARTICULUS VII.

De Effectibus validæ Professionis.

SUMMARIUM.

99. *Tales sunt I. Translatio professi in potestatem Religionis.*
100. *II. A potestate patria exemptio:*
101. *Quin amittatur generis Nobilitas.*
102. *III. Relaxatio Irregularitatis, orta ex Natalium defectu.*
103. *IV. Liberatio ab inhabilitatibus ortis ex crimine.*
104. *V. Abolitio notæ ingratitudinis, sufficientis ad exhæredationem.*
105. *VI. Impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, & ratum dissolvens.*
106. *VII. Commutatio Votorum antè editorum,*
107. *Etiam firmatorum juramentô,*
108. *Realium,*
109. *Cum statu Religioso compossibilium,*
110. *Tam perpetuorum quàm temporalium,*
111. *Atque editorum in ipso Noviciatu:*
112. *Quæ etiam suspenduntur per Vota Simplicia post Noviciatu biennium edita in Societate JESU.*
113. *VIII. Plena remissio omnium peccatorum,*
114. *Quoad pœnam temporalem.*
115. *Quem effectum professio regulariter, non semper, operatur.*

99. PRofessionis, in Religione à Sede Apostolica approbata validè emissæ, varii sunt effectus, ex iisque celebriores octo à DD. referuntur.

Et primus quidem ac præcipuus est Personæ illam emittentis in dominium ac potestatem Religionis, cui per professionem incorporata est, translatio; ut non solùm ex solennibus hisque annexis votis suisque traditione ortis obligationibus aliis adstringatur: sed Religionis Prælati gubernationi subjiciatur, ejusque, Regulis & Constitutionibus consentanea præcipientis, jussui obtemperare: & vicissim Religio ipsum retinere, alere, gubernare &, ut parens filium, servum dominus, & Respublica civem suum, tractare teneatur, Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13. n. 2.* & Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 8. n. 1.*

100. Secundus est exemptio filiifamilias professi à patria potestate; cùm enim homo ipsâ professionis emissione transeat in potestatem Religionis, sive prælati vel superioris Regularis, & ab isto in omnibus gubernetur, patriam potestatem respectu ipsius cessare necesse est, saltem quoad ea, quæ professo damnosa, vel præjudiciosa sunt Religioni: licet non cesset quoad ea, quæ illi & huic utilia sunt; *Ne, quod ob gratiam ipsi conceditur, in ejus dispendium retorqueatur*, contra Regulam *61. in 6.* Navarrus *Comment. 3. de Regular. n. 41.* Gomez *Tom. 1. Var. cap. 9. n. 10.* & Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 5. à n. 29.* hanc Professorum prærogativam etiam adstruens ei, qui exactô Novitiatus biennio vota Religionis Simplicia in Societate JESU emisit; quòd hujusmodi votorum eadem, quæ professionis, ratio sit; cùm illa quoque hominem verum Religiosum efficiant, & subjiciant gubernationi superioris Regularis, ex *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente, edita Calend. Junij 1584.*

Quantumvis autem hæcita sint, inter professionem tamen & vota ista id discriminis intercedit; quòd post vota illa dimissus, si sacrô Ordine initiatus non sit, non etiam post professionem ejectus è Religione, reincidat in patriam potestatem. Ratio utriusque est; quòd, cùm per vota illa homo in Religionem in perpetuum non ita absolutè transferatur, ut per professionem: sed ex parte Societatis conditionaliter, *Si Societas eum retinuerit*, etiam à patria potestate non ita absolutè, ut professus, sed conditionaliter liberetur; cùm talis ab ista liberatio, qualis in Religionem transitus aut translatio, esse videatur, *citt.* Sanchez n. 31. & Palao *q. 8. n. 2.*

Dubium hôc locô movetur, an Religionis professione amittatur Nobilitas. Sunt enim Interpp. ac DD. qui id asserunt, ducti *can. Præsens, 20. q. 2. & can. Scripsit, 27. q. 2.* textibus & ratione; quòd homo per professionem moriatur mundo, & omnibus istius pompis renuntiet, *can. Placuit, 16. q. 1. & l. Deo nobis 31. C. de Episc. & Cleric.* Sunt etiam, qui id inficientur, eâ permoti ratione; quòd Nobilitas jus quoddam sanguinis, ac proinde naturale & incommutabile sit, *l. Jus agnationis 34. ff. de Pactis.*

Mihi aliquid tribuendum Opinioni utrique, & proposita dubitatio resolvenda videtur auxiliô distinctionis inter duplicem Nobilitatem. Unam sanguinis, alteram Dignitatis: quarum illam, quòd à majoribus sive ascendentibus in posteros sive descendentes transfusi sanguinis participatione acquiratur, professione amitti, cum Baldo *in c. Cùm in Magistratum 49. de Elect.* Tiraquello *de Nobilitate cap. 26. à n. 3.* & ab hoc relatis aliis meritò ne-

ritò negat, Rotæq; Romanæ decisionibus firmat Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 13. n. 13.* Istâ verò, sive dignitatis, puta ex Ducatu, Comitatu, præfectura alióve munere Militari vel Politico aut administratione honorifica provenientem Nobilitatē professione amitti, haud ægrè cum iisdem DD. idem Sanchez *l. cit.* concedit; quòd de ista duntaxat termo sit *can. Præsens & can. Scripsit citt.* & ejusmodi præfecturæ, comitatuum, ducatuum administrationes à Religioso nequeant retineri. Quare professione inducta mors Civilis solùm afficit dignitatis, non etiam sanguinis Nobilitatem: nisi quoad secularem pompam & splendorem externum, quem cum bonorum temporalium abdicatione propriæque voluntatis abnegatione perpetuò Dei servitio se mancipandò professus voluntariè contemnit.

102. Tertius professionis effectus est relaxatio irregularitatis, ortæ ex defectu natalium; ut illegitimò, etiam utroque jure damnatò, concubitu procreati Religionem professi, & votis Religionis Simplicibus post novitiatûs biennium in Societate JESU editis adstricti, ad sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica (prælaturis duntaxat & dignitatibus exceptis) promoveri valeant sine dispensatione, ut dictum *Lib. 1. Tit. 17. à n. 9.* Cæteras irregularitates, licet Religiosa professio non tollat, ad dispensationem tamen super iis faciliùs concedendam movere solet, *arg. c. in literarum 2. Qui clerici & vovent*, ut aliis DD. *citt.* advertit Laiman *Lib. 4. Tract. 5. cap. 15. n. 4. in fine.*

103. Quartus est purgatio maculæ, sive ex crimine vg. ex facto vel testimonio falsò dicto in judicio ortæ inhabilitatis ad actus temporales, puta ad testificandum in judicio & similes, *Novell. 4.* cujus *pr.* Imperator, *Conversationis* inquit, *Monachalis vita sic est honesta, ut omnem maculam detergat*; cùm, hominem Religionis professione, aut votis Simplicibus exactô Novitiatûs biennio in Societate JESU editis, divino obsequio perpetuò mancipatum, criminibus in seculo commissis similia non commissurum, præsumptio sit, Glossa *in c. Cùm deputati 16. de Judiciis, ubi* Panormit. *n. 5.* Felinus *n. 2. citt.* Sanchez *n. 27.* & Laiman *n. 5. pr.*

104. Quintus professionis, uti & Simplicium votorum, post consueta experimenta editorum in Societate, effectus est abolitio maculæ seu notæ ingratitudinis, de jure causam præbentis filii exhæredationi; ut statu Religiosô assumptô exhæredari & portione legitimâ privari filius nequeat à parente: &, testamentô, ante professionem aut vota illa conditô, facta exhæredatio careat effectu, *can. fin. 19. q. 3.* quô relata & à Gratiano ex emendatioris lectionis Codicibus in Decretum translata Novella Constitutio Imperialis, quòd Religionis favorem spectet, communi DD. judicio & Ecclesiæ usu recepta est, Glossa *in can. cit. V. Ingratitudinis*, Felin. *in c. Cùm deputati cit. n. 4.* Sylvester *V. Religio 6. q. 1. in fine*, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 176. n. 58.* & Sanchez *cit. cap. 5. n. 33.*

105. Sextus est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. & ante contracti ratique, sed per carnale commercium nondum consummati, vinculum dissolvens, *c. Verùm 2. c. Ex publico 7. & c. Ex parte 14. de Convers. conjug.* Consummati etiam, licet vinculum dissolvendi vim non habeat, divortium tamen aliquando inducit; ut conjux, qui consorte suo consentiente, vel in adulterium lapso, Religionem professus est, priscinæ cohabitationis thoriique conjugalis excidat jure & obligatione liberetur, ut ad

ut ad *seq. Rubr. à n. 8.* pluribus tradetur. Minor, quàm solennis professionis, vis est votorum Simplicium, post Novitiatûs biennium editorum in Societate JEsu; quantumvis enim in matrimonium contrahendum ex *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente cit.* eandem quam professio, ullam tamen vim non habent in matrimonium contractum, etiam Ratum duntaxat: sed huic ipsa cedunt, ut *Lib. 4. Tit. 6. à n. 26.* statuetur.

106. Septimus professionis effectus est commutatio omnium votorum, editorum ante iosius emissionem, *c. Scripturæ 4 de Voto*, ubi relatus Alexander III. cùm *Universis Abbatibus Cisterciensis Ordinis per Angliam constitutis* ita rescripsisset, *Scripturæ sacræ testimoniô declaratur, quòd spiritualis homo propositum non mutat, cùm pro salute animæ suæ aliquid utilius meditatur. Inde est, quòd vestris justis postulationibus inclinati vobis indulsimus, quatenus si quis sepulchrum Dominicum aut alia limina Sanctorum visitare proposuerit, ex infirmitate vel alia rationabili causa occurrente, apud vos Religionis habitum assumere atque Deo servire voluerit, eos recipere valeatis*, subiecit Gregorianæ compilationi, mutato orationis numero, postea insertam & *c. cit.* relatam Regulam generalem, *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Ratio Regulæ istius est; quia Religionis professione assumitur status, virtute sua continens & excedens quæcunque alia obsequia temporalia & particularia, quæ exhiberi Deo ab homine possunt; cùm professionem illam emittens se cum rebus ac juribus suis planè omnibus consecret Deo, ejúsque servitio tradat; ut adeò statum illum assumens & obsequiorum temporalium seu particularium, ex quacunque promissione Deo debitorum, perfectam & abundantem solutionem præstare, atque illius instar, qui pro variis debitis creditori se cum rebus ac juribus suis in servum tradit, plenissimam satisfactionem exhibere videatur.

Atque sic firmatæ declaratæque Canonicæ & Apostolicæ Regulæ latè patens vis est; cùm ea porrigatur Primò ad juramenta, quibus Deo aliquid promittitur & vota firmata juramentô, cùm; quia juramentum sequitur naturam & conditiones actûs, cui est adjectum, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando & l. fin. C. De non num. pec.* tum verò; quia juramentum, de meliori bono præstitum Deo, includit votum, istiúsque jure regulatur. *Deo*, inquam; quia juramenta & vota, quibus honoris & cultûs divini intuitu aliquid promittitur Ecclesiæ, Monasterio, Hospitali &c. aut etiam homini privato, postquam ab ejusmodi loci sacri vel Religiosi Prælato aliòve administratore vel à privato promissario acceptata sunt, sicut in aliud opus, sic etiam in statum Religiosum commutari nequeunt: istiúsque professione non extinguuntur: nisi ejusmodi locus vel privatus promissarius voti vel juramenti acceptatione acquisito juri renuntiârit. Ratio est; quòd professionem, quatenus eâ juri alteri quæsito derogatur, Deus non acceptet, Sylvester *V. Votum 4. q. 7. d. 5. cit.* Sanchez *Lib. 5. cap. 5. n. 45.* & Pirrhing *ad Rubr. de Voto n. 26. & 28. except. 2.*

Secundò eadem Regula porrigitur ad vota Realia, ut colligitur ex *c. Scripturæ cit.* temporalis obsequii commutationem in perpetuam Religionis observantiam à voti fracti reatu indistinctè absolventis generalitate. Unde votum peregrinationis in terram Sanctam professione Religiosa non quoad laborem duntaxat profe-

Professionis, sed etiam quoad expensas in terræ sanctæ subsidium faciendas tolli, inferunt *citt.* Sanchez *n. 50.* Pirrhing *exept. cit.* & Palao *disp. 2. p. 8. n. 4.* Nisi ejusmodi votô Princeps in terræ sanctæ subsidium cum valido exercitu se profecturum promisisset; cùm enim hujusmodi opus professione melius esse videatur, illius in hanc commutationem non permissam, cum Felino *in c. Pervenit 2. de Jurejurando n. 2.* & Angelo *V. Votum 4. n. 2.* censet Sanchez *l. cit.*

109. Tertiò eadem Regula procedit in votis non impedientibus assumptionem statûs Religiosi, sed cum isto compossibilibus, ut vg. sunt votum recitationis Rosarii vel alicujus actûs Mortificationis; quia *c. Scripturæ cit.* eóque prodita Regula non fundatur in temporalis vel particularis obsequii incompossibilitate cum statu Religioso, sed in istius excellentia & perfectione: uti & testimonio sacræ scripturæ declarantis; quòd spiritualis homo propositum non mutet, qui pro salute animæ suæ *Aliquid utilius* sive melius Deóque gratius *meditatur*, *cit.* Sanchez *n. 48.* & Gonzalez *in c. cit. n. 1, & 4. in fine.*

110. Quartò, etiam procedit in votis Perpetuis; cùm ista quoque dicti sacræ scripturæ testimonii generalitas & ratio Regulæ comprehendat. Neque obstat; quòd textu non generaliter cujuscunque sed *Temporalis* duntaxat *obsequii in perpetuam Religionis observantiam* commutatio approbetur, partim; quia utroque *Temporalis* & *Perpetui obsequii* nomine venit non solùm ad tempus vel stabiliter duraturum: sed particulare, quô una vel plures res aut actiones particulares promittuntur: & Totale obsequium, quô persona se résque jura & actiones suas omnes offert Deo, ejúsque perpetuo servitio consecrat: partim verò; quia *c. cit.* obsequii *Temporalis* Papa ideo meminit; quòd de Hierosolymitanæ peregrinationis voto, solùm temporali, fuerit consultus, *citt.* Sanchez *n. 59.* & Pirrhing *n. 28. in fine.*

Quintò, in voto aliam etiam stric- 111.
tioris observantiæ Religionem ingrediendi; nam etiam hoc ipsa alterius à Sede Apostolica approbatæ Religionis professione extingui, à Bonifacio VIII. decisum *c. Cùm post votum 5. in 6.* & Ratio est; quia vinculum minùs forte, ut votum Religionis cujuscunque simplex respectu solennis sive Professionis est, dissolvitur superveniente vinculo fortiori, Joan. Monach. Vivian. & Laiman. *in c. cit.* habétque se res cum voto simplici fere, sicut cum sponsalibus de futuro aut venditione rei sine traditione: quarum illa sponsalibus de præsenti initis cum alia solvuntur, *c. Si inter 31. de Sponsal. & matrim. & c. 1. de Sponsa duor.* isti prævalet secunda venditio alteri facta, secutâ traditione, *l. Quoties 15. C. de R. V.* S. Thomas *2. 2. q. 189. art. 8. ad 3. cit.* Sanchez *Lib. 4. cap. 16. n. 18.* Palao *cit. p. 8. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 139.*

Sextò, in votis quibusvis simplicibus, editis in novitiatu: imò & post ipsam professionem editam in Religione, si eam professus ad aliam transeat; emissâ enim in hac novâ professione antè edita vota temporalia & particularia extingui, communis sententia DD. & ratio est; quòd secundæ professionis emissio antè edita vota temporalia & particularia eminenter includat, *cit.* Sanchez *n. 39. & 40.* Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 14. n. 5.* & alii apud Barbosam *in c. Scripturæ cit. n. 2.* cum hujusmodi votis transeunti pro majori conscientiæ tranquillitate suggerentes salubre consilium; ut priorum votorum à superioribus petat irritationem.

Confirmatur declarationibus his sta-

bilitæ Regulæ Canonicæ generalitas ex eo; quod recitatum Alexandri III. rescriptum Gregorianæ compilationi non totum: sed, inscriptione *Abbatibus Cistercien sibus &c.* & verbis *Sepulchrum dominicum &c. Ex infirmitate &c.* & *apud vos*, quibus Regula ad votum speciale & à certis duntaxat personis, ex infirmitatis vel alia causa expressa editum, restringi videbatur, consultò omissis, illius postrema tantùm, & votis ac personis planè omnibus accommodata verba sint inserta; ut Regula de omnibus & à quibuscunque ante professionem editis votis exaudiretur: &, ne istâ non Jus declarari, sed per indulgentiam speciale aliquid de novo concedi videretur, verbum *Indulgemus* fuerit prætermissũ, ut eruditè observat Gonzalez *in c. Scripturæ cit. n. 1.*

112. Dubium est, an eâdem, quâ professio, antè edita vota extinguendi vi polleant vota Religionis substantialia, in Societate JESU emissa post biennium Novitiatûs. Ratio, quæ id suadet, non contemnenda est; quòd vota hæc emittens evadat verus Religiosus: & ex parte sua moriatur mundo, vivátque Deo, cui se suáque omnia consecravit, & in perpetuum obsequium tradidit; atque idcirco quodlibet particulare & temporale obsequium, quod Deo præstare homo potest, eminenter etiam ipsa contineant. Sed rationi huic nonnihil quidem, at non nimium tribuendum: & antè edita alia (præter quam Religionis certæ) vota suspendendi tantùm vis adstruenda est; ut istorum obligatio cesset, quamdiu Religiosus post emissa vota Religionis substantialia manet in Societate: dimissum verò denuo urgeat, juxta Congregat. General. 1. *can.* 42. Ratio est; quia traditio illa ex parte Religionis perpetua non est; cùm ab ipsis istius superioribus ejusmodi vota simplicia solvi, isque adstrictus ex justa causa dimitti possit, *citt.* Sanchez *n.* 54. & Palao *n.* 7.

Octavus maximéque æstimabilis Religiosæ professionis effectus est plenissima condonatio omnium peccatorum ante commissorum adeò; ut illa à S. Hieronymo *Epist. 8. ad Demetriadem*, S. Bernardo *Tract. de Præcepto & dispens. ad finem* & SS. PP. aliis, ipsóque D. Thoma 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. alter Baptismus nuncupetur: & propterea Religionem ingressio præteritorum criminum nullâ satisfactio imponatur, §. *His authoritatibus*, post *can. Juris aliquando* 87. *dist.* 1. *dicit.* & pœnitentia publica remittatur, *can. Admonere*, 33. *q.* 2. Quò autem sensu quove ratione Baptismo comparetur, istâ explóratum non est; cùm peccata quod ipsius culpæ pœnæque æternæ reatum Religiosi statûs assumptione generaliter aboleri, omni fundamento & probabilitate careat; quòd assumptio illa Sacramentum non sit, temporalis autem pœnæ omnis plenam remissionem ejusmodi statûs assumptione induci, sicut quando illius reatus non magnus, ac per professionem aut vota simplicia, edita in Societate JESU, facta sui oblatio fervens & Charitate perfecta est, credere piũm & satis certum: sic dubium & vix credibile sit, quando pœnæ illius reatus ex multiplicatis valdéque enormibus peccatis ortus, professione autem facta sui oblatio tepida &, ut quandoque folet, sequioribus animi affectionibus infecta est.

Ratio prioris est; quòd Religiosa professio perfecta sæculi abrenuntiatio suíque & rerum suarum omnium in perpetuum Dei servitium traditio; atque idcirco temporalibus & particularibus obsequiis planè omnibus excellentius opus sit, *c. Scripturæ cit.* & satisfactionem quibusvis aliis operibus piis majorem & pro o-

pro ômnibus anteactæ vitæ culpis sufficientem continere censeatur, *arg. §. His authoritatibus, & can. Admonere citt.* cum enim, qui suorum bonorum partem duntaxat in pauperum eleemosynas, ut Zachæus Lucæ *cap. 19. v. 8.* convertit, pro peccatis suis satisfaciat, Daniel. *cap. 4. v. 24.* satisfactionem pro iisdem utique plenam exhibebit, plenámque peccatorum suorum remissionem consequetur, qui omnia sua séque ipsum divino obsequio tradit. Ita cum D. Thoma *l. cit.* Sylvester *V. Religio 3. q. 23.* Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 60.* Platus *de Bono Statu Relig. Lib. 1. cap. 13.* Sanchez *cit. cap. 5. n. 2.* & Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13. n. 6.*

115. Ratio posterioris est partim; quòd de temporalis pœnæ plurimis & gravissimis peccatis commeritæ plena, & professis indiscriminatim omnibus proficua remissione neque ex plenariæ & generalis Indulgentiæ concessione Apostolica, neque aliunde liqueat: partim verò; quòd variis Religionibus, sive ad instantiam sive motu propriò, indulta sint privilegia, vi quorum eas professi plenariam omnium peccatorum indulgentiam consequantur: cujusmodi specialibus privilegiis opus non fuisset, si, iis seclusis, plenissima remissio ipsâ professione generaliter induceretur, Palao *cit. p. 8. n. 3.* hactenus traditam de temporalis pœnæ remissione doctrinam cum Saà *V. Religio 17.* & Laiman *cit. cap. 10. n. 2.* ad professionem & vota Religionis simplicia, præviis consuetis experimentis, in Societate JESU edita, ipsámque istorum renovationem extendens.

ARTICULUS VIII.

De Transitu ab una ad aliam Religionem.

SUMMARIUM.

116. *Transitus hic Jure permissus est,*
117. *Si fiat I. ad Religionem perfectiorem seu strictiorem,*
118. *Secundùm observantiam Regulæ præsentem.*
119. *Nonnullis casibus permittitur ad laxiorem.*
120. *II. Rectâ intentione.*
121. *III. Sine gravi præjudicio Monasterii deserendi.*
122. *IV. Petitâ licentiâ proprii Prælati.*
123. *V. Et literis Dimissoriis ab eo receptis.*
124. *Harum conditionem primæ, iritum,*
125. *Reliquarum defectus illicitum transitum reddit.*
126. *Iis servatis Religiosis fere omnibus*
127. *Eorúmque Prælatis,*
128. *Et integris Monasteriis transitus est permissus,*
129. *Quô tamen casu si etiam locus, Apostolica necessaria est:*
130. *Si sola personæ transferuntur, Episcopalis authoritas sufficit.*
131. *Transeunti etiam Prælato subeundus est annuus Novitiatus:*
132. *Quô durante successor eligi nequit,*
133. *Nec inducitur vacatio Prælaturæ;*
134. *Ut hæc à redeunte recuperari:*
135. *Non etiam ante ultimum bimestre resignari valeat.*
136. *Professi transeuntis bona remanent Monasterio priori,*
137. *Vel Consanguineis,*

138. *Qui hæreditatem ante transitum delatam adire poſſunt.*
139. *Poſteriori Monaſterio cedunt, quæ poſt tranſitum,*
140. *Etiam durante Novitiatu Religioſo deferuntur:*
141. *Niſi ſolius pœnitentiæ causâ translatus eſſet.*

116. QUantumvis Apoſtoli monitum ſit; ut unusquisque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat, 1. Corinth. *cap. 7. v.* 20. & per profeſſionem Religioſus certo Monaſterio vel Ordini perpetuò obligetur; ut liberè ad alium tranſire, & ab iſtius Prælato admitti nequeat: & tranſitum leviter ac temere præſumens, ad prius Monaſterium vel Ordinem redire compellendus ſit, *c. Joannes 5. & c. Non eſt 7.* quòd eò non ſolùm priori Monaſterio vel Ordini ipsâ profeſſione quæſitum jus & Prælato debita Obedientia violetur, ſed ei etiam inuratur quædam nota & ſcandali occaſio præbeatur: ſimpliciter tamen & ſanctioris vitæ zelò ab una Religione ad aliam tranſitum prohibitum non eſſe, luculenter patet ex *can. 1. can. Monachum* 20. *q. 4. c. Sanè* 10. *& c. Licet 18. hâc Rubr.* dummodo obſerventur iis inſinuatæ conditiones: quarum

117. Prima eſt; ut tranſitus fiat ad Religionem perfectiorem & ſtrictiorem, *can. & c. Licet citt.* Perfectior autem eò ipsò cenſetur, quòd ſtrictior ſit; ut non obſcurè deſumitur ex *c. cit.* quò Papa vocabulis illis utitur indiſcriminatim & idem denotat. Ratio eſt; quia Religio perfectior perfectiùs obſervat vota ſubſtantialia Religionis, à quorum magis minúsve accurrata obſervantia magis minúsve ſtrictæ obſervantiæ Religio cenſetur; cùm, quò actus, quibus illa obſervantur, perfectiores, eò magis ardui & difficiles ſint, Sanchez *Lib. 6. Mor. cap. 7. n. 21.* & Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 3. cap. 9. n. 11.* Unde Monachis Jure communi vetitus eſt tranſitus ad Canonicos Regulares, *c. Sanè & c. Licet citt.* & Religioſis Mendicantibus ad non Mendicantes, Carthuſienſium duntaxat Ordine excepto, *Extravag. 1. inter comm.* quòd Monachi Canonicis & non-Mendicantibus Mendicantes: omnibus verò aliis ſtrictiorem obſervantum Eccleſiæ judicio ſequantur Carthuſienſes, propter perpetuam abſtinentiam à carnibus, chorum & ſilentium perpetuum perpetuámque clauſuram, Azor *p. 1. Inſt. lib. 12. cap. 14. q. 8.* & *cit.* Sanchez *n. 29.*

Vetitus quidem primis ſeculis etiam Canonicis Regularibus fuit tranſitus ad Monachos, *can. 1. can. Mandamus 19. q. 3. & c. Intelleximus 12. de Ætate & qualit.* quòd, cùm eo tempore monachi ſoli Orationi & contemplationi vacarent; nil Divina autem myſteria tractanda SS. Ordinibus non initiarentur, Canonici Regulares ad ipſos tranſeundo ex clericis laici fieri, & deſcendere viderentur. Potuit tamen, cùm monachi ad clericatum & Divina myſteria obeunda aſſumpti ſtrictioris obſervantiæ Regulæ nihilominus inhærerent, tranſitus ad ipſos canonicis Regularibus: non viciſſim ad hos monachis eſt permiſſus, ut cum S. Thoma 2. 2. *q. 185. art. 8.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 170.*

An autem Religio, ſtrictior & severior ſterior ſit, deſumendum non tantùm eſt ex prima Regulæ inſtitutione, ſed etiam ex Conſtitutionibus ſive Ordinationibus cum tempore adjectis, & vel maximè ex præſenti obſervantia earundem, ut inſinuatur *c. Sanè cit* verbis, *Si locus, in quo nunc permanet, majoris Religionis, hoc* eſt,

est, strictioris observantiæ nunc vigentis, *existat*. Ratio est; quia transitus conceditur ad ducendam vitam strictiorem: quæ in Religione secundùm Regulam quidem stricta, sed cum tempore & præsenti observantiâ relaxatâ, vel omnino dissolutâ, nullâ ratione obtineri censetur, Panormit. *in c. Sanè cit. n. 4.* Azor *cit. cap. 14. q. 8.* Quæ autem Religio secundùm præsentem Regulæ observantiam strictior aut laxior sit, in dubio dijudicare pertinet ad superiorem, *c. licet cit.* non ad eum, cui transire volens immediatè est subjectus; ne iste in propria causa, sive in inter se & subditum, transitum petentem, ortâ controversiâ sit judex, contra *Rubricam & textum l. Unica C. Ne quis in sua causa jud.* Sed ad eum, ad quem subditus transitum petens, si indebitè gravaretur, de Jure appellaret, Sylvester *V. Religio 4. q. 1. cit.* Sanchez *n.* 15. & Barbosa *in c. Licet cit. n. 24.*

119. Etsi verò Jure communi transitus à strictiore ad laxiorem Religionem permissus non sit, concedi tamen ex infirmitatis, debilitatis, necessitatis parentum, cui in strictiori consuli non potest, aliáve justâ causâ à Papa: imò etiam à Generalibus & similibus Prælatis Exemptorum, saltem cum consensu conventûs sui & à non exemptorum Ordinum Prælatis, accedente etiam Episcopi diœcesani consensu, potest, ut ex communi DD. sensu docet *cit.* Sanchez *n. 49. & 65.* De quo quidquid sit, in Societate JESU Præpositus Generalis Religiosis, & ipsis etiam professis ad quemcunque alium Mendicantium & non-Mendicantium Ordinem transeundi licentiam concedere hodie indubitatè potest ex speciali & aliis Religionibus per viam solius communicationis non permisso privilegio, indulto à Gregorio XIII. *Constit.* quæ incipit *Cùm alias, edita 22. Septemb. 1582.* Cùm antè ad alium quàm ad Carthusiensium Ordinem, & ad hunc semel duntaxat sine Præpositi Generalis licentia transire, & transeuntem admittere sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ nemini liceret, ex *Constitutionibus* Pauli III. quæ incipit *Licet debitum, edita*, 15. *Calend. Novemb. 1549.* & Pii V. quæ incipit *Æquum reputamus, edita 16. Calend. Febr. 1565.* de quibus latè Palao *Tract. 16. disp. 4 p. 16. §. 6. toto.*

120. Secunda conditio est recta Intentio, sive; ut transitus non temere & leviter, vg. ex ira, odio, contemptu, aliáve animi inordinatâ passione, perturbatione: sed zelô bono sive majoris Perfectionis consequendæ studiô fiat, *c. Licet 18.* Ne autem facilè quis ex ambitione, primævâ vocatione desertâ, ad aliam Religionem transitum meditetur, *Clement. 1.* salubriter cautum est; ut Religiosi seu professi Mendicantes quicunque, quando etiam Apostolica authoritate ad non-Mendicantes transeunt, ad Prioratus, administrationes, officia quæcunque & curam animarum per se aut alios exercendam non admittantur: neque vocem in Capitulo habere possint. Quæ tamen Constitutio probabiliter non comprehendit eos, qui ex concessione Juris communis sive *Extravag. 1. inter comm.* transeunt ad Carthusianos, *cit.* Sanchez *n. 110.*

121. Tertia; ut transitus non fiat cum gravi detrimento aut notabili infamia Religionis, ex qua transitur, *c. Licet cit.* ibi, *In jacturam vel injuriam sui Ordinis*; quam si illa pateretur, transeuntem revocare posset, saltem ante novam professionem, *arg. c. 1. de In integ. restit.* Ratio est; quia bonum commune Religionis desertæ potiùs præferendum est privatæ utilitati unius Religiosi transeuntis, Hostiens. *in c. Licet cit. n. 5.* Sylvester *V. Religio 4. q. 1. in fine & cit.* Sanchez *n. 11.*

122. Quarta; ut transiturus à Prælato vel alio superiore immediato (nisi in aliqua Religione specialiter Generalis aut Provincialis requirendus esset) propositis transeundi causis, petat licentiam: quam cum humilitate & puritate petitam iste concedere sine difficultate debet, *c. Licet cit. V. Quocirca*, ubi ratio redditur; ne Religiosus, eâ non petitâ, transiens *Bonum obedientiæ videatur contemnere:* Prælatus verò, debitò modò petitam non concedens, *Propositum divinitus inspiratum impedire.* Unde, si eam à Religioso ita petitam & debitò tempore expectatam iste indiscretè, hoc est, ex nulla vel apertè falsa aut injusta causa deneget, illi (de receptione in alio Ordine jam certò) transitus nihilominus est permissus, *c. cit.* ibi *Liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati.* Si negati transitûs causam non apertè injustam, sed verisimilem & dubiam Prælatus alleget, adeundus est superior: non ejus Ordinis vel Monasterii, à quo, vel ad quod transiturus est; quòd periculum sit; ne privatâ affectione ductus in favorem suæ & alterius Religionis præjudicium sententiam ferat; sed, cujus est de controversiis inter Ordinem vel Monasterium utrumque ortis cognoscere & pronuntiare, ut rectè advertunt Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 28.* & Palao *cit p. 16. §. 3. n. 2.*

123. Quinta; ut à Prælato petantur literæ Dimissoriæ; cùm sine his ab alterius Ordinis vel Monasterii Prælato vel superiore admitti nequeat, *can. Statuimus 19. q. 3.* Nisi transiens in continenti probare paratus sit, transitum aut hujusmodi literas sibi indebitè denegatas: vel, si hoc sufficienter probare nequeat, de earum denegatarum causa Monasterii deserti superior interrogetur, & ab isto allegatam injustam esse pateat, *cit.* Sanchez *n 39.* & Pirrhing *hîc n. 161.*

An conditiones istas transitûs & hunc secuturæ professionis honestas aut etiam valor exigat, non levis momenti dubium est. Et quidem, si is contra special. 144
cialia Religionis privilegia, eum irritantia, fiat, uti &, si contra *Extravag. 1. cit.* à Religione Mendicantium ad alium Monasticum quàm Garthusianorum Ordinem sine debita licentia fiat, professionem invalidam fore, liquet.

Jure etiam communi à strictiore ad laxiorem sine legitima dispensatione 12
transeuntis professionem irritâ esse, apertè traditur *c. Sine cit.* ex cujus decisione Canonicus Regularis à quodam Abbate in Monachum receptus, si locus ad quem *majoris Religionis* non existat, quam locus, à quo transiit, ad hunc redire est compellendus, luculentò argumentò nullitatis in illo editæ professionis.

Reliquarum etiam conditionum de- 145
licujus defectu transitum & professionem irritari, desumitur ex *can. Mandamus 19. q. 3. & c. Intelleximus 12. de Ætat & qualit.* ubi Canonici ad Monachos; ac proinde ad strictioris observantiæ Religionem transitus irritus pronuntiatur. Sed, ut *n. 117.* monui & S. Thomas *2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.* adnotavit, Canonici olim ex speciali ratione ad Monachos transire non sunt permissi.

Quare melius ad strictioris observantiæ Religionem transeuntis professionem ob solum licentiæ petitæ vel alterius similis conditionis defectum invalidè non esse, cum Innocentio *in c. Licet cit. in fine*, & Sylvestro *V. Religio 4. q. 1. nu. 4.* & aliis sustinet Suarez *cit. Lib. 3. cap. 10. n. 12.* Ratio est; quia, cum ejusmodi, in modo culpabili, transitu votum in melius commutetur, irritus non est jure Naturali aut Divino, *arg. c. Pervenit 3. de Juramento*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rejurando: neque etiam Ecclesiastico; partim; quòd *citt.* antiqui Juris textibus, postquam ad SS. Ordines & altaris ministerium Monachi assumpti sunt, non amplius sit locus; & secundùm *c. Licet cit.* sine licentia aut fine non puro transiens molestari quidem possit: non tamen hôc ipsô ejus professio irrita sit; partim; quòd ita transiens revocari, antequam professionem edat, aut istâ editâ, pro qualitate culpæ, quam conditiones à SS. Canonibus præscriptas non observandô admisit, aliis pœnis plecti possit.

126. Porro, conditionibus illis observatis, ad perfectiorem seu strictioris observantiæ Religionem transitus Jure communi permissus est omnibus cujuscunque Ordinis Religiosis, etiam Monialibus, cùm Prælati sui Regularis & Episcopi consensu, ut colligitur ex Tridentino, egressum è Monasterio Monialibus quocunque prætextu prohibente: nisi ex causa legitima (utique etiam transitus ad Regulâ vel observantiam strictiorem) & ab Episcopo approbatâ *Sess. 25. cap. 5. de Regul.*

127. Neque subditis duntaxat, sed etiam, ut recentissimô exemplô docemur, Prælatis, sive isti Episcopo vel alicui ejusdem Ordinis superiori, sive immediatè summo Pontifici subjecti sint: dummodo ab exemptis istius licentia petita & expressè non sit negata, Sylvester *V. Religio 4. q. 3.* Sanchez *cap. 7. n. 8.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 5. q. 32.* Si autem Prælatus sit Episcopus, ipsi ab Ecclesia sua Regulari ad strictioris observantiæ Religionem transire volenti non sufficit tacita Papæ, ad petitionem licentiæ non respondentis: sed necessaria omnino est expressa, *c. Licet cit. V. Illa semper*; quia inter ipsum & Ecclesiam contractum spiritualis conjugii vinculum solius sedis Apostolicæ authoritate dissolvi potest, *cit.* Sanchez *n. 8.* & Barbosa *in c. cit. n. 8.*

Quin integris etiam Monasteriis seu 128.
Conventibus transitum ad strictionis observantiæ Religionem Jure permissum, luculenter docent *c. Cùm dilectus 6. De iis, quæ vi metúsve caus.* casus, & *c. Recolentes 3. de Statu monach.* verba, *Caterùm Domus ista, quæ de aliis institutionibus ad vestrum Ordinem se transtulerint &c.* Quô tamen casu transeuntibus sedis A- 129.
postolicæ speciali licentiâ opus esse, cum Tapia *in Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. n. 39.* censet Donatus *cit. Tract. 5. q. 30. à n. 1.* cùm propter *c. fin. de Relig. domibus in 6.* cujus §. *fin.* Gregorius X. *Nullus Ordo*, inquit, *ad alium, vel conventus ad alium se ac loca sua totaliter transferat, sedis ejus super hoc permissione specialiter non obtentâ*: tum verò; quòd Monasterium habeat se, ut Episcopatus: quem unire atque potestati alienæ subjicere ad summum Pontificem pertinere dignoscitur, *c. Sicut unire 8. de Excess. Prælat.*

Sed, sicut hoc de integro Ordine verum est; cùm approbati Ordinis Religiosi totius transitus operetur ejus extinctionem, sedis Apostolicæ authoritatem exigentem non minùs, quàm hanc ejus approbatio requirit, *c. Unici cit. pr.* ita distinctionem admittit, imò exigit transitus Monasterii seu Conventus; vel enim iste ad alium transfertur quoad solas personas, vel etiam quoad locum? Si posterius hoc, ac proinde translatio totalis est, summæ illius sedis authoritatem omnino requirit juxta §. *fin. cit.* Si prius, & locô 130.
pristinæ seu desertæ Religionis relictô, personæ duntaxat ad strictiorem Religionem transeunt, sufficit licentia petita, licet non obtenta à Prælato inferiore, juxta *c. Licet cit.* quô ita transeundi licentia Religiosis indistinctè adstruitur, & omnibus nusquam negatur; cùm §. *fin. cit.* textu disertè agatur de translatione totali, quâ non personarum tantùm, sed ipsius etiam loci

loci status mutatur, Rodriquez *Tom. 3. Regul. q. 52. art. 6. cit.* Sanchez *n. 7.* & Bonacina *de Clausura Religios. q. 2. p. 9. §. 2. n. 5.*

131. Dubium nunc est primò, an transeunti ad aliam Religionem subeundus sit istius Novitiatus. Ratio dubitandi est; quòd idem esse nequeat Veteranus & Tiro, Novitius & Professus. Sed hoc leve est; cùm Novitium quem simul & Professum esse in eadem: non etiam in diversis Religionibus, repugnet. Unde, cùm dignum & rationi conforme sit; ut qui similem cum aliis vitam suscipit, similem quoque sentiat in legibus disciplinam, *c. Recolentes cit. pr. & can. In nova, 16. q. 7.* ad strictiorem observantiam transeunti omnino subeundus erit istius Novitiatus, quô ipse asperitates Religionis, ista ipsius mores experiatur: isque annuus erit ex decreto Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regul.* non minùs generaliter, quàm disertè irritantis professiones eorum, qui minori tempore, quàm per annum steterint in probatione, *citt.* Rodriquez *q. 15. art. 11.* Azor *Lib. 12. cap. 14. q. 15.* Donatus *Tract. 5. q. 29. à num. 1.* & Barbosa *in c. Licet cit. n. 25.*

132. Dubium secundò & nuperrimè mota quæstio est, an alicujus Monasterii Abbate ad strictioris observantiæ Religionem transeunte procedi statim valeat ad electionem successoris in Prælatura. Cujus Resolutio satìs expedita est, de Jure non posse, durante Novitiatu & ante novæ Religionis professionem. Ratio perspicua solidáque est; quia ad successoris electionem procedi nequit, antequam Abbatia vacet, *c. Nulla 2. &c. de Concess. Præb.*

133. ista autem non vacat ante editam professionem in Religione, ad quam transiit; cùm per ingressum in Novitiatum, & isto durante, non desinat esse Abbas Monasterii, à quo transiit: &, si; quòd istius rigorem & austeritatem perferre nequeat, è Novitiatu egrederetur, ad Monasterium & ipsam etiam Abbatiam rerúmque, tam spiritualium quàm temporalium, actualem administrationem, interea dum novitium agit, suspensam, aliáque jura pristina redire posset, Donatus *cit. Tract. 5. q. 52. à n. 1. & 13. & q. 55. n. 1. & 4.* ubi omnes gradus, dignitates & jura à priori Religione dependentia & nominatim Prælaturas atque administrationes ipsâ Professione in posteriori perdi, & durante Novitiatûs anno quiescere ac suspendi resolvit; quia prioris Monasterii & in eo obtentæ Prælaturæ dimissio, etsi simpliciter & absolutè facta videatur, reipsa tamen facta est ex causa & sub tacita conditione professionis, in posteriori Religione emittendæ. Unde, 134
causâ hâc per egressum ex Novitiatu cessante, & conditione per emissionẽ professionis non impletâ, prioris Monasterii & in eo obtentæ Prælaturæ dimissio cessat adeò; ut non dimissa censeatur, ut cum Sylvestro *V. Religio 4. q. 5.* Miranda *Tom. 1. Manual. Prælat. q. 31. art. 18. cit.* Sanchez *cap. 7. n. 104.* & aliis rectè arguit Donatus *cit. q. 52. n. 2.* & ratio ulterior est; quia dimissio juris, quod quis habet, facta ex causa & sub conditione, illâ non secutâ & hac non impletâ, non obtinet firmitatem; cùm generale sit, quòd cessante causa finali, cujusmodi in proposito casu est professio, cesset effectus, *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* & deficiente conditione actus resolutus ab initio censeatur, *l. Pecuniam 36. ff. de Reb. Credit.*

Visa quidem nonnullis est ipsò in strictioris Religionis Novitiatum ingressu Abbatia vacare per tacitam renuntiationem. Sed malè & contra decisionem, *c. Beneficium 4. in 6.* cujus textus est, *Beneficium*, ac proinde Prælatura, *illius*

qui

qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ipsius accedat assensus, ex quo manifestè constat, ipsô ingressu in Novitiatum beneficii & Prælaturæ antè obtentæ renuntiationem non induci: nisi ei expresè renuntiando, in ejus collationem, alteri faciendam, ingressus consentiat.

135. Quin hodie Novitiatum ingressi Prælaturam vel aliud beneficium per resignationem dimittere validè nequeunt ante ultimos duos illius menses: & sic etiam facta renuntiatio aliter non tenet, nisi professio fuerit secuta, ex decreto Tridentini *cap. 16. de Regular.* cujus dispositionem de beneficiorum quoque & dignitatum Ecclesiasticarum renuntiatione procedere, ex communi DD. sensu *citt.* Sanchez *Lib. 7. cap. 6. n. 38.* Miranda *q. 33. art. 5.* Tamburinus *Tom. 3. de Jure Abbatum disp. 6. q. 10. n. 3.* rectè desumunt partim ex generalitate verborum, *Nulla quoque renuntiatio valeat*: partim ex eo, quòd libertati regressûs, propter quam à Novitiis antè factæ renuntiationes irritatæ sunt, non minùs dignitatum & beneficiorum, quàm aliarum rerum & jurium renuntiatio obstet, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 9. n. 36.*

136. Dubium tertiò est, an cum Religioso, ad aliam Religionem transeunte, etiam transferantur bona ipsius intuitu Monasterio quæsita: cujus Resolutionem crebriori DD. calculô approbatam dare, juvat adhibitâ distinctione inter tres casus.

Et primò quidem, si utrumque Monasterium bonorum capax sit, vg. si Religiosus ex Monasterio Ordinis S. Benedicti transeat ad Carthusianos, bona & jura priori Monasterio, tam per ingressum seu professionem, quàm postea usque ad ingressum in Ordinem posteriorem quocunque titulô quæsita quoad proprietatem & ipsum etiam usumfructum ipsi remanent, ut clarè habetur *can. Unico, 18. q. 1.* cujus palmaris textus est, *Quidquid acquisierat & visus fuerat habere, Monasterio relinquat & Abbatis sui, qui fuerat secundum Regulam S. Benedicti, arbitrio.* Consonat. *Novell. 7.* cujus *cap. 5.* Imp. de monacho, *Si verò*, inquit, *relinquens Monasterium, in quo conversationem habuit, ad aliud transeat Monasterium: etiam sic ejus substantia maneat & vindicetur à priori Monasterio.* Non minùs clara est ratio; quia ipso Religionis ingressu, hoc est, editâ in eo professione, omnia ingressi sive professi bona Monasterio acquiruntur, sine futuri transitûs conditione, *can. Quia ingredientibus, 19. q. 3. & Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* ubi ea Deo & Monasterio acquirâ dicuntur omnino absolutè, sive, ut *Novell. cit. cap. 5.* Imp. ait, ut *Non sit dominus eorum ulteriùs ullô modô*; quia, licet in Monasterium transierint accessoriè ad personam, ipsâ tamen professione in eo validè emissâ effecta sunt ipsius Monasterii, & hujus esse perseverant ratione professionis, quâ eorum dominium in ipsum est translatum: & non ratione personæ & perseverantiæ ipsius in Monasterio; cùm in bonis post professionem, qui ea attulit, plus juris non habeat, quàm quicunque alius ejus Monasterii professus. Unde consectaneum est, professum, quacunque etiam Apostolicâ authoritate translatum, de bonis priori Monasterio suæ personæ intuitu acquisitis nihil, neque etiam libros, scripta, instrumenta artis, & alia utensilia sine Prælati sui expressa vel saltem tacita licentia vel speciali indulto Apostolico secum transferre posse, ut cum *citt.* Sanchez *Lib. 7. cap. 32. n. 13.* Miranda *q. 31. art. 24.* Palao *disp. 3. p. 17. §. 1. n. 2.* rectè infert Donatus *cit. Tract. 5. q. 57. n. 11.*

137. Secundò, si ex ordine bonorum incapace, vg. ex Ordine FF. Minorum S. Francisci ad ordinem illorum capacem vg. ad Carthusiam Religiosus transeat, & bona post ejus professionem hæredibus ab intestato venientibus, sive proximis consanguineis, aut aliis jam quæsita sint, ipsis remanent, ut cum *cit.* Sanchez & aliis tradit & Cardd. declarat. firmat Barbosa *Juris Eccles. Lib. 1. cap. 42. n. 93.* quia propter illius transitum jure jam quæsito privari non debent.

138. Quin hôc casu post illius transitum ad Religionem capacem consanguinei adire possunt hæreditatem, sibi ante ejus transitum delatam: quantumvis ea huic deferenda, & ipsius intuitu Monasterio posteriori obventura fuisset, si eô tempore, quô consanguineis delata est, transitus factus jam fuisset; quia eô ipsô; quòd propter professi, dum in Monasterio esset, & istius etiam incapacitatem hæreditatem adeundi jus consanguineis competeret, ipsis etiam competit post transitum; quia hoc jus ipsis quæsitum Religiosus auferre aut mutare non potest.

Simili modo, priori casu Monasterio, bonorum capaci, ante professi sui transitum delata hæreditas adiri ab isto etiam post transitum potest: quantumvis, si illius delatio facta fuisset post transitum, professi sui intuitu deferenda & obventura fuisset Monasterio posteriori. Ratio est; quia eô ipsô; quòd Monasterio propter personam professi sui delata sit hæreditas, istam adeundi jus acquisivit: quod transitu suo professus auferre nequit; quia non pendet ab ejus voluntate: sed à lege, quæ hæreditatem adeundi jus semel acquisitum Religiosi transitu amitti, nusquam expressit: imò id non amitti vel transire expressit, *can. Unico & Novell. 5. cap. 7. citt.* Panormit. *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 77.* Sylvester *V. Religio 4. q. 10.* Covarruvias *in c. 1. de Testament. n. 21.* Lessius *Lib 2. de J. & J. cap. 41. n. 88.* Sanchez *Moral. Lib 7. cap. 32. n. 22.*

Tertiò bona, quæ Religioso defe- 139
runtur post transitum à quacunque Reli- 141.
gione ad aliam bonorum capacem, omnia acquiruntur Monasterio, ad quod est translatus: quod de acquisitis & delatis, post professionem in isto editam, omnes facilè concedunt; quia post hanc ad ipsum alendum Monasterium posterius: ipse verò ad istius bonum procurandum perpetuò obligatur; ac proinde æquissimum est; ut, quod acquirit, posteriori potius quàm priori Monasterio acquiratur. Glossa *fin. in can. unic. cit.* Sanchez *cit. cap. 32.* & Barbosa *in c. Licet cit. n. 30.*

An etiam, quæ illi deferuntur de- 140
rante Novitiatu in Monasterio, ad quod transiit, inter eos dissensio est; id enim cum Navarro *Clement. 4. de Regul. n. 24. §. Undecimò* negat *cit.* Sanchez *n. 9.* quod adhuc sit & usque ad professionem maneat professus Monasterii prioris: bona autem delata Religioso, Jure obveniunt Monasterio, cujus est professus. Sed, si rem penitius inspiciamus, talis, licet spectatâ præcisè professione sit de Religione prioris: quoad alia tamen magis est de ea, ad quam est translatus; sicut à secolari conversatione ad Religionem transeuntes totô Novitiatûs tempore de Religione potiùs, quàm de seculo esse censentur; cùm prioris deposuerit habitum, & jus Regulæ non adstringatur & jam non ab ipsa, sed à posteriori Religione alatur & regatur. Unde Novitiatûs tempore ei delata bona, secutâ professione, huic sive posterioris Religionis monasterio acquirit, cum Zabarella *in Clement. 1. §. Quia verò, hâc Rubr. q. 12. n. 14.* & aliis centet Donatus *cit. tract. 5. q. 39. n. 4.* quòd in eo locum habeat tritum, *Proximè accedentes*

gendus pro accincto habetur, l. Filiusfamilias 43. ff. de Testam. milit. quia proximè futurum & jam factum paria reputantur, l. Vestimentum 24. pr. ff. de Auro & arg. legat.

141. Quartò, si Religiosus ad strictioris observantiæ Monasterium transferatur, non edendæ in eo professionis, sed pœnitentiæ duntaxat agendæ causâ, bonorum priori Monasterio quæsitorum, imò etiam hæreditate, legatò, donatione &c. quærendorum non proprietas, sed usus-fructus duntaxat, vel potiùs istius pars necessaria ad sustentationem, saltem quam diu translatus vivit, obvenire debet Monasterio posteriori. Ratio de proprietate est; quia manet professus prioris Monasterii; in posteriori autem solummodo est recluſus: bona autem Religiosi non recluſionis, sed professionis tantùm ratione Monasterio acquiruntur. De usufructu autem vel ejus parte; ne recluſus onerosus sit Monasterio, ad quod pœnitentiæ causâ est translatus, *cit.* Sanchez *an.* 46. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 184.

ARTICULUS IX.

De Religiosis Fugitivis & Ejectis.

SUMMARIUM.

142. *Ejectus dicitur, qui à Religione culpâ suâ est expulsus:*
143. *Fugitivus, qui ab ea sponte, redeundi animo:*
144. *Apostata, qui sine tali animo & perpetuò,*
145. *Non ad tempus, etiam longius, recessit.*
146. *Fuga Religionis & Justitiæ virtutibus adversatur,*
147. *Et obnoxia est gravibus pœnis:*
148. *Non tamen communi Jure in eum constitutis.*
149. *Fugitivum Prælatus ubicunque existentem capere & reducere potest.*
150. *Professi ejectionem aliqui illicitam:*
151. *Verùs alii licitam,*
152. *Et communi etiam Juri ac rationi non adversari censent:*
153. *Si graviter & scandalosè deliquerit,*
154. *Et incorrigibilis sit.*
155. *Ejectum non resipiscentem revocare non cogitur Prælatus.*
156. *Etsi redire teneatur, si repetatur.*
157. *Eúmque emendatum Religio recipere,*
158. *Et in pristinum statum restituere debeat sine nova professione.*
159. *Ejectus non receptus in sua ad aliam Religionem transire non tenetur:*
160. *Neque ipse transire liberè potest:*
161. *Nisi spem amiserit receptionis in sua.*
162. *In seculo manens non liberatur votô Continentiæ,*
163. *Neque etiam Paupertatis & Obedientiæ.*
164. *Ex istius tamen voto non subjicitur Episcopo.*
165. *Fugitivus rerum comparatarum dominium acquirit monasterio suo:*
166. *Nisi justè transierit ad Religionem aliam,*
167. *Vel bona acquisiverit intuitu Ecclesiæ secularis.*
168. *Religioni etiam suæ acquirit ejectus, sive injustè,*
169. *Sive justè fuerit expulsus.*
170. *Monasterium ejecto & fugitivo præstare alimenta,*

171. *Eorúmque debita solvere non tenetur:*

172. *Nisi de bonis ab ipsis extra Monasterium acquisitis.*

142. EJectus dicitur Religiosus, quando ab Ordine suo non sponte recessit: sed ob culpam ab ejus Prælato expulsus, aut exire est compulsus, Sylvester *V. Apostasia n. 9. in fine*, Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbatum disp. 8. q. 1. n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 187. in fine.*

143. Fugitivus autem, quando ab Ordine vel Monasterio suo sine licentia superiorum, ad tempus vagandi aut extra Obedientiam vivendi animô, cum animo tamen redeundi liberè recessit. *Ad tempus*, inquam; quia, si Religiosus ita perpetuò vagandi vivendíve, sive Religionis jugum omnino excutiendi animô ab ordine recessit, non fugitivus duntaxat sed verus Apostata est; quia hunc à fugitivo non recessus à Religione; cùm ab ista recedat uterque: neque dimissio habitûs; cùm

144. Apostasiam habitûs non inducat dimissio, neque retentio excludat: sed non redeundi sive Religionis jugum omnino excutiendi animus distinguit; sicut enim Religiosum non assumptio habitûs, sed professio sive Religioni perpetuò se devoventis traditio, *c. Porrectum 13. & c. Ex parte 22.* sic à Religione Apostatam non habitûs dimissio, sed illam perpetuò deserendi animô factus recessus inducit, Panormit. *ad hanc Rubr. n. 7.* Sylvester *cit. n. 9.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 41. n. 109.* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 8. n. 2. & 3.*

145. Fugitivis à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 4. de Regular.* accensentur etiam ii, qui à sui conventibus, etiam prætextu itionis ad suos superiores recedunt: nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Quod tamen decretum non comprehendit Religiosos, qui, cùm adversus superioris sui immediati vexationem aut tractationem manifestè injustam se tuendi alió remediô destituuntur, sibi consulunt per fugiô ad superiorem mediatum; cùm enim adversus vim injustam se tueri omni & naturali quoque Jure cuivis concessum sit, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. c. Si vero 3. de Sent. Excom.* id Religiosis quoque indebitè oppressis non est denegandum, Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 1.* Sanchez *cit. cap. 8. n. 17.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 187.* Ex dictis

Infertur primò, professum, etiam duobus tribúsve annis vagandi & postea redeundi animô è monasterio exeuntem, non verum Apostatam, sed fugitivum duntaxat esse; ut, licet in foro externo Apostata reputetur, & Apostatæ instar puniatur, in foro tamen conscientiæ interno verus Apostata non sit, & in hunc Jure constitutis pœnis non teneatur; quòd, licet ex tam diuturna in fuga perseverantia redeundi animum non habuisse, aut si habuit, eum deposuisse præsumatur, *arg. §. Pavonum 15. V. In iis autem, Instit. de Rer. divis. & l. Desertorem 3. §. 2. ff. de Re milit.* revera tamen Religionis jugum omnino excutiendi animum non habuerit, Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 16. n. 4.*

Infertur secundò, temerariam à Religione fugam minùs quidem, quàm Apostasiam, grave tamen peccatum etiam ipsam esse: & non Religionis duntaxat, propter violationem voti Obedientiæ, sed Justitiæ quoque virtuti adversari; cùm per eam etiam lædatur jus superioris, cujus potestati Religionem professus se tradidit, & ad tempus se subtrahit per fugam: Ut adeo Religiosus fugitivus, licet non subjaceat pœnis Jure constitutis in Apostatas, incurrat tamen impositas proprii

proprii Ordinis Constitutionibus, vel receptas moribus, aut superioris, scandali, aliásque fugæ circumstantias ponderantis, arbitriô infligendas: paternâ tamen charitate, si sponte reversus aut etiam retractus resipiscat, mitigandas potiùs, quàm severitate exasperandas, *arg. can. Si quis omnem, 1. q. 7.* ex mente Glossæ *in c. Anobii 5. V. Resipiscant* & decreto S. Congregat. Cardinal. Interpp. relato à Tamburino *cit. disp. 8. q. 4. n. 2.*

147. Dubium nunc est primò, an & quænam pœnæ Religioso fugitivo impositæ sint Jure communi. In eos enim excommunicatio aliæque pœnæ constitutæ à DD. non paucis creduntur *c. Ut periculosa 2. Ne Cleric. vel Monach. in 6. Extravag. 1. inter comm. hâc Rubr.* & à Paulo IV. *Constitut.* quæ incipit *Postquam divina, edita 13. Calend. Augusti 1558.* Sed

148 meliùs his locis censuram aliámve pœnam fugitivis indiscriminatim omnib⁹ impositam, cum Navarro *l. cit. n. 61.* negant Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 3, cap. 1. n. 10.* & Palao *cit. p. 16. n. 8.* quia imprimis *c. Ut periculosa cit.* à Bonifacio VIII. latam excommunicationem Religiosos, non fugitivos, sed solummodo in scholis suæ Religionis habitum dimittentes, vel sine superioris licentia & consilio majoris partis conventûs sui ad studia Literarum accedentes, & Doctores, qui Religiosos dimissô habitu Leges aut Medicinam docere & in scholis suis retinere præsumpserint, spectare, liquet ex ejus tenore & cum Navarro *Manual. cap. 29. à n. 133.* & aliis observat *cit.* Sanchez *n. 75. & 76.* Deinde *Extravag. cit.* relatâ Martini V. Constitutione lata excommunicatio ipsô factô contrahitur à Religiosis, non quibuscunque, sed Ordinum Mendicantium: si absque speciali licentia Sedis Apostolicæ ad non-Mendicantium Ordinem, Carthusiensium duntaxat excepto, transeant, aut etiam sub prætextu hujusmodi licentiæ dimissô vel retentô habitu vagentur, si postquam moniti sunt, intra quindecim dies, à monitionis die computandos, non revertantur, ut liquet ex textu: cui ex parte per specialia variorum Ordinum privilegia est derogatum. Demum Constitutione Pauli IV. adversus Religiosos temere vagantes proditis pœnis, non quosvis, sed Apostatas duntaxat affici, colligitur ex facta in ea verbi *Apostasiæ* continua repetitione: & ex *Constitutionis* Pii IV. quæ incipit *Sedes Apostolica* (& Paulinæ declaratoria est) editæ *3. Non. Septemb. 1560.* procœmio & reliquo suo tenore, Religionibus plenius providente adversus Apostasiam, & ad hanc eliminandam tendente, ut observant *citt.* Sanchez *cap. 8. n. 10.* & Suarez *cap. 2. n. 13.*

Dubium secundò est, an Religiosos 149.
fugitivos, uti & Apostatas, capere & incarcerare Prælati valeant, ubicunque eos deprehendant. Ratio dubitandi est; quòd rei fugitivi extra territorium proprium persecutione & apprehensione violetur territorium & jurisdictio aliena, *arg. l. fin. ff. de Jurisdict.* ut captum ante omnia relaxari pristinæque libertati restitui sit necesse, Gaill. *Lib. 1. de Pace publ. cap. 16. n. 27.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 7. à n. 40.* quòd Magistratus extra provinciam & territorium suum pro privato habeatur, *l. Præses 3. ff. de Offic. Præsid.*

Nihilominus, Religiosum fugitivum & Apostatam à Prælato suo, ubicunque deprehenditur, capi, reduci & incarcerari posse, ex communi aliorum sensu defendunt *citt.* Navarrus *Comment. 3. de Regular. n. 50.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 189. not. 4.* Ratiô est partim;

quia Religiosus ratione voti Obedientiæ personaliter obligatus est Prælato suo Regulari: ii autem, qui ex ejusmodi voto perpetuam Obedientiam alteri debent aut aliàs perpetuò & personaliter obligati sunt, si fugiant, capi & ad Obedientiam reduci possunt propriâ authoritate, ut generalis Regulæ instar tradit Baldus *arg. l. 1. C. Ubi quis de Curial.* & patet exemplò servi, quem fugitivum, ubicunque invenerit, capere ac reducere dominus potest, *l. 1. §. 14. ff. de Adquir. possess.* partim verò; quia quicunque rem aliquam possidet, si ab eo auferatur, potest eam propriâ authoritate recuperare; cùm jus habeat rei insistendi, ex possessionis explicatione tradita à Bartolo *in l. Si quis 17. §. ff. eâdem Rubr. n. 4.* Cujus doctrinæ rationem reddit Avila *p. 2. de Censur. cap. 3. disc. 2. dub. 4.* quia tali captione non violatur territorium alienum; cùm non fiat per modum jurisdictionis, sed per modum dominii seu vindicationis & necessariæ defensionis, Tamburin. *cit. disp. 8. q. 3. n. 2.* hanc Resolutionem variis concessionibus Apostolicis, à diversis Religionibus impetratis, & specialiter à Pio V. Societati JESU indultò privilegiò confirmans, ut etiam refertur in illius *Privileg. Compend. V. Apostatæ, §. 5.*

150. Dubium tertiò est, an Religionem à Sede Apostolica approbatam professus ob culpam ab illa valeat expelli. Negant enim id, & quantumcunque graviter delinquentem aliter puniendum: &, si contumax atque omnino incorrigibilis appareat, in carcere recludendum, ajunt Panormit. *in c. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monach. n. 13.* Hostiens. *in Rubr. de Apostatis n. 4.* Angelus *V. Abbas n. 8.* & alii quidam, nixi Jure & ratione: & ex illo quidem allegantes *can. Impudicas 11. can. Si quis sacro 17. &c. 27. q. 1. & c. fin. hic:* quorum locorum prioribus impudicæ Moniales à cæterarum separari consortio & ad Monasterii ergastulum detrudi, non inde expelli, jubentur: posteriorem Religiosum Prælati fugitivos & ejectos suos ad Monasteria revocare &, si salvâ disciplinâ Regulari ad Fratrum consortium admitti nequeant, in separatis Monasteriorum locis arctâ custodiâ detinere, aut ad ejusdem Ordinis alia Monasteria transferre jubentur, luculentò argumento, illorum ejectionem Jure non permissam. Ratio *c. cit.* redditur; ne professis cum Ordinis sui probro, cæterorum fidelium scandalo & propriæ salutis detrimento vagandi occasio detur. Cui etiam illa ratio accedit; quòd, cùm professus se tradiderit Religioni, contractu quodam reciproco professionem acceptanti, fiat professus Religionem non abjicere, sic & Religio ipsum invitum ejicere non valeat; cùm mutua & æqualis utriusque obligatio sit.

Sed recedendum non est à sententia communi, professum, si ob contumaciam incorrigibilis & Religioni intolerabilis appareat, ab ista dimitti volentem, & invitum quoque expelli permittente cum SS. DD. Angelico *Quodlib. 12 art. ult.* & Seraphico *in Regul. S. Francisci q. 14.* cum Ant. de Butrio *in c. Cùm olim 14. de Privileg. n. 36.* Alex de Nevo *in c. Sicut 12. de Jurejurando n. 2.* Sylvestro *V. Abbas q. 3. n. 6.* Navarro *Comment. 2. cit. n. 33. V. 2.* Lessio n. 104. Sanchez *cap. 9. n. 3.* & ab isto congestis aliis: quorum & communem sententiam planè evincunt Imprimis notissima praxis Religiosorum Ordinum, & ipsæ etiam Regulæ S. Basilii *in Reg. 28.* post prolixam hujus articuli discussionem concludentis, Monachum inobedientem & monitionibus insuper habitis contumacem, *Ut mem-*

Ut membrum vitiatum inutilèque Medicorum instar à Prælatis *præcidendum*: S. Augustini *in Reg.* 20. eundem *de Fratrum consortio projiciendum*, asserentis; *ne contagione pestifera plurimos perdat.* S. Benedicti *Regul. cap. 28.* Abbatem monentis; ut adversus sæpius correptum & non resipiscentem *Utatur ferro abscissionis; ne una ovis morbida totum gregem contaminet*: S. Francisci *Reg. cap. 13.* S. Ignatii *Constitut. p. 2. cap. & §. 1.* idem statuentium & aliorum Ordinum, quoad ejectionem personarum ipsis nocivarum, munitorum Apostolicis indultis.

152. Deinde sanctiones Canonicæ *c. Cùm in Ecclesiis 10. de Majorit. & Obed. c. Cùm ad Monasterium cit. c. fin. de Statu Monach. c. Relatum 7. Ne Clerici vel Monach.* aliisque locis, quibus contumaces & incorrigibiles de consortio fratrum jubentur expelli, & non recipi: nisi pœnitentes resipuerint. Tertiò Exempla Apostoli, Sathanæ tradentis eum, qui incestuosis nuptiis neophytis scandalo fuit, 1. Corinth. *cap. 5. v. 5.* Ecclesiæ, delinquentes ob contumaciam incorrigibiles excludentis à fidelium communione, *can. Omnis 32. can. Canonica 11. q. 3. c. 1. pr. de Sent. excom. in 6. &c.* & Principum ac Magistratuum secularium, facinorosos & publicè pernicioso homines proscriptione, ferro, igni, aliáve severissimæ ultionis animadversione exterminantium & è medio tollentium; ne ipsam Rempublicã adducant in discrimen. Demum ratio partim; quia resecandæ sunt carnes putridæ, ne sanas corrumpant, & scabiosa ovis à caulis repellenda; ne cæteras inficiat, *can. Resecanda, 24. q. 3.* cùm utique Religionis commune bonum præferendum sit privato professi, imbuti pravis moribus & correctionem non admittentis: ut propterea neque sine communi periculo tolerari in communitate, neque sine istius gravi incommodo perpetuo carcere detineri possit; partim verò; quia Religio professum retinere ex contractu tenetur, si, quod per professionem Religioni se tradendo promisit, regi se permittat & vitam suam Regulæ studeat conformare; ita enim ipsum retinendi, alendi & ut professum tractandi obligationem in se suscepit; ut adeò, si, quod promisit, præstare professus contumaciter detrectet, ex parte Religionis ipsum retinendi alendique obligatio cesset, & Jure valeat expelli.

Ex hac evanescit ratio in contrarium deducta: quâ non magis urgent *can. Impudicas & can. Si quis sacro citt.* cùm; quia utroque hoc textu Moniales impudicæ recludendæ dicuntur, quin eas aliquando excludi sive ejici posse negetur: tum verò; quia monialium ejectio ob fragilitatem sexûs animíque levitatem & inconstantiam difficilior est, quàm virorum: ut propterea eas ad agendam pœnitentiam recludi aut ad alia Monasteria transferri potiùs, quàm expelli publicè expediat: imò summo Pontifice istiúsve legato inconsulto earum ejectionem hodie non decernendam, censeant *citt.* Sanchez *n. 6.* & Palao *cit. disp. 4. p. 19. n. 3.*

Minùs expedita adeóque difficilis cum *c. Cùm ad Monasterium cit.* est conciliatio viris accommodatæ & *c. fin. cit.* relatæ Constitutionis Gregorianæ; ut expositione planè divinatoria *c. fin. cit.* generalitatem Navarrus *cit. Comment. 2. n. 36.* ad ejectos indebitè & ex potestatis, causæ vel judiciarii Ordinis non servati defectu injustè: *cit.* Palao *n. 2.* ad Religiosos non absolutè & in perpetuum, sed ad tempus duntaxat expulsos: Miranda *Tom. 2. Manual. Prælat. q. 7. art. 7.* ad eosdem, verbaliter & minùs solenniter, ut olim fiebat, non per sententiã definitivam ejectos restringerent: Panorm. autẽ

in c.

in c. Cùm ad Monasterium cit. n. 13. de reductione in concordiam desperans, *c. cit.* dispositionem *c. fin. cit.* correctam & Prælatorùm, subditos suos Regulares nimis facile & frequenter ejicientium, potestatem correctam aut sublatam, asseret: ut *in c. fin. cit.* notat Gonzalez *n. 9. in fine*, & *cit.* Sanchez *n. 16.* eam usu non observari monens, ut paulò post constabit.

153. Dubium quartò est, ex qua causa ad Religiosi ejectionem valeat procedi. Qua in re certum est, eam, tanquam gravissimam & publicam pœnam, non nisi ex delicto sive excessu gravi, scandaloso & Religioni nocivo, eóque per facti evidentiam, reive confessionem, aut legitimam probationem notorio decerni posse; quòd aliàs non esset commensurata delicto, contra Regulam *can. Non afferamus 21. in fine 24. q. 1. c. Quæsivit 2. de Iis, quæ à majori parte cap. & l. Sancimus 22. C. de Pœnis.*

An autem, Religiosum semel ita deliquisse, sufficiat, dubium est: cui ansam præbent partim indulta Apostolica, variis Religionibus ejectionem permittentia pro delicto gravi & atroci semel tantùm perpetrato, apud Suarez *cit. Tract. 8. cap. 8. n. 9.* partim verò; quòd delictum ita atrox & nocivum esse queat, ut ex eo ortum scandalum publicum tolli & Fratrum saluti atque existimationi Religionis alia ratione, quàm ejectione delinquentis, consuli non possit. At, e-
154. sto hæc ita sint, & speciali aliquo casu ejectio decerni statim possit, regulariter tamen necessaria est incorrigibilitas, exigens præviam monitionem ac punitionem trinam; quòd talis monitio canonica sit, Glossa *in c. Sacro 48. V. Competenti, de Sent. excom & in c. Statuimus 3. V. Monitio, eâdem Rubr. in 6.* & toties relapsi emendatio desperata, *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis & c. Ut famæ 35. de Sent. excom.* Panormit. *in c. Cùm non ab homine cit. n. 30.* Majolus *de Irregular. cap. 36. n. 4.* Sayrus *de Censur. Lib. 5. cap. 21. n. 37.* & Sanchez *cit. cap. 9. n. 14.*

Quin hodie ad ejectionis effectum incorrigibilis Religiosus non requiratur, *Nisi* ultra ea, *quæ ex Juris communis dispositione requiruntur, delinquens unum anni spatiò in jejunio & pœnitentia probetur in carceribus*; & *elapsò anno nihilominus non resipuerit, sed indurati animò in sua pervicacia perseveraverit*, verba sunt decreti S. Congreg. Cardinal. Interpp. Urbani VIII. jussu editi *de Regularibus Apostatis & Ejectis*, relati à Tamburin. *cit. disp. 8. q. 7. n. 4.* & Barbosa *in c. fin. cit. à n. 23.*

Dubium quintò est, an fugitivos & ejectos suos Prælati Regulares ad Monasteriũ revocare teneantur: quod oritur ex memorata Gregorii IX. Constitutione, illos annuatim sollicitè requiri & ad Religionem reduci præcipientis *c. fin. cit.* Verùm, quia istud humani Juris præceptum vel in usum nunquam deductum, vel non-Usu sive Consuetudine contraria abrogatum est, Azor *p. 1. Instit. lib. 12. cap. 17. q. 1.* Sanchez *cap. cit. n. 18.* & Barbosa *in c. cit. n. 3.* hac in re observanda monent Statuta Religionum & Jus Naturale, quod solos injustè ejectos revocandos, & pristino statui restituendos dictat.

Dubium est sextò, an justè ejectum, si postea resipiscat, plenéque emendatus sit, recipere Religio teneatur. Si reputatur, redire ejectum teneri, liquet, si non ex *c. fin. cit.* cujus *V. fin.* fugitivi & ejecti, si redire requisiti renuant, propositis censuris compelli jubentur; quòd *c. cit.* relata Constitutio usu non recepta, vel non-usu derogatum ei sit; saltem ex
10; quòd

eo; quòd ejectio spectet favorem Monasterii, quod illi renuntiare potest, *c. Si de terra 6. de Privileg.* instar conjugis, consortem ob fornicationem dimissum, etiam invitum, si res adhuc integra sit, repetere valentis, per tradita *Lib. 2. tit. 27. art. 5.*

De Religione autem, an ejectos recipere teneatur, dubitandi ratio est; quòd, ex gravi & atroci delicto ejectus, sit infamis: quem, cùm recipere Jure nequeat ex *Constitutione* Sixti V. quæ incipit *Cùm de omnibus, edita 6. Calend. Decemb.* 1587. ad ejus receptionem Religio non poterit compelli fere, sicut in Matrimonio carnali conjux conjugem ob adulterium dimissum, etiam pœnitentem & emendatum ad thori consortium, licet re integra valeat, recipere non tenetur,
157. ut dicetur, *Lib. 4. tit. 19. art. 5.* Sed verius, à Religione legitimè ejectum, si plenè emendatus recipi petat, admittendum, cum Navarro *Consil. 18. de Regular. in fine*, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 140. n. 36.* Lessio *cit. cap. 41. n. 112.* & aliis censet Barbosa *in c. fin. cit. n. 8.* nisi ejus receptio ex specialibus causis Monasterio non expedire judicetur. Quod, si *c. fin. cit.* dispositio quoad hunc articulum deducta in usum, aut ab isto recessum non esset, omnino foret exploratum: illâ etiam seclusâ, inde patet; quòd, cùm Religio eámque professus pari jure censeantur, *c. Ad Apostolicam 16.* sicut iste, si ab illa repetatur, reverti; sic etiam professus, si plenè emendatus petat, recipiendus sit à Religione; ne dispar sit conditio contrahentium quoad obligationem, ex contractu reciproco ortam.

158 Receptus autem non indiget nova professione; cùm, ut paulò post dicetur, à priori non sit absolutus: sed ex ea ortæ obligationes aliquæ ad tempus sint suspensæ, ut cum *cit.* Navarro *Comment. 2. à n. 34.* Lessio *cit. n. 112.* & aliis docet *cit.* Sanchez *n. 27.* quocum *n. 33.* eum pristino loco & gradui restituendum, ait Barbosa *l. cit. n. 5.* Nisi ob præterita delicta his ad tempus aut etiam in perpetuum ad deterrendos alios privandus videatur.

Neque dictis obstat *cit. Constitutio Sixtina*, cùm; quia spectat solam admissionem ad Novitiatum & Professionem: tum verò; quia ex præterito delicto orta infamia vitæ emendatione & hanc secuta in pristinum gradum restitutione videtur aboleri.

Dubium septimò est, de ejecti transitu ad Religionem aliam: ad quem eum, desperatâ ad suam receptione, teneri, cum 159.
cit. Navarro *n. 36.* & Soto *Lib. 7. de Justitia q. 2. art. 1. ad 3.* meritò negant laudati Lessius *n. 111.* Sanchez *n. 34.* & Barbosa *n. 6.* Ratio est; quia professus non vovit, nec tradidit se Religioni in genere, sed certæ ac determinatæ: ut adeò emissæ professionis vi ad certam & determinatam, eam scilicet, quam vovit, cuíque se tradidit, vel ad nullam obligetur: atque idcirco ad transitum ad aliam nequeat compelli.

Neque cum hoc pugnat praxis Societatis JESU, à qua Scholasticis approbatis dimissionem, legitimâ causâ non allegatâ, petentibus ea concedi solet sub conditione ingressûs alterius Religionis, secundùm Congregat. General. *7. Decretum 18. §. 3.* ut conditionem hanc implere, vel ad Societatem redire teneantur. Non, inquam, hæc praxis cum dictis pugnat; quia vi hujusmodi dimissionis Scholastici aliam Religionem ingredi non coguntur: sed istius duntaxat eis offertur optio; ut Societatem deserere possint: sicut professis offerri potest, & quandoque solet, à Superioribus Reli-

gionum aliarum, *cit.* Sanchez *n. 34.* & Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 13. n. 9.*

160. An, ex sua ejectus, Religionem aliam ingredi liberè valeat, dubitandi ratio oritur ex privilegio, à Gregorio XIII. *Constitut.* quæ incipit *Cùm aliàs, edita 22. Septemb. 1582.* indulto Præposito Generali Societatis JESU; ut ex ipsius licentia professus ex ea ejectus transire valeat ad Religionem aliam, & ex inhibita aliis ejus privilegii communicatione. Unde arguitur, cessante hujusmodi privilegio, professis ex sua ejectis & ad alias Religiones aspirantibus necessariam ad id licentiam Papæ. Sed tali casu inter duos casus statuendum est discrimen; vel enim ejecto, si emendetur, reditûs ad propriam Religionem relicta spes, vel hæc ex justa causa omnino est præcisa?

Si prius, & reditus desperatus non est, ad aliam, sive strictiorem sive laxiorem, Religionem sine licentia istiúsve petitione, aliàs necessariâ, transire non potest: sed emendare offerréque se tenetur suæ; quòd huic per professionem sit obligatus, ut cum Armilla *V. Religio, n. 15.* docet *cit.* Sanchez *n. 16.*

161. Si posterius &, præcisâ reditûs spe, perpetuò est ejectus, aliam Religionem ingredi liberè nullâq; licentiâ petitâ potest; quòd, cùm tali casu ab Obedientia Prælato suo exhibenda absolutus, liberè maneat in seculo, non appareat ulla ratio, cur licitus ei non sit ingressus Religionis alterius, exemplô conjugis: cui à conjuge ex fornicationis causa dimisso & resipiscenti, si reconciliari alter nolit, mutationem statûs & Religionis ingressum Jure permissum, cum Hostiensi & Joan. Andr. *in c. Gaudemus 19. de Convers. conjug. n. 3.* tradit Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 10. n. 10.* & dictum est *Lib. 2. tit. 27. art. 5.*

Neque, ejecto ad transitum hôc casu necessariam licentiam Apostolicam, recte desumitur ex allegato privilegio non communicabili, indulto Societati JESU; quia istius vi Præpositus Generalis solus quibuscunque ex Societate ejectis ad aliam, sive laxiorem sive strictiorem, Religionem transeundi licentiam concedere valet, Cùm tamen neque aliarum Religionum Generales soli, sive aliorum consensu non adhibitô, dare eam licentiam; neque professi ejecti indiscriminatim omnes, sed ii tantùm, qui emendatione non secutâ non recipiuntur, ad aliam Religionem transire liberè valeant, Sanchez *cit. cap. 9. n. 36.*

Dubium octavò est, an à Religione perpetuò ejectus obligationibus professione contractis liberetur. Qua in re Regulæ instar est, illum non liberari votis Religionis substantialibus. Ratio est; quia ejectio in votis illis dispensatio ab iisve absolutio non est; cùm ejectus non desinat esse Religiosus: eáque de causa, si repetatur, aut emendatus denuo recipiatur, in pristinum statum restituatur sine nova professione, *cit.* Navarr. *Comment. 2. à n. 33.* Lessius *n. 172.* & Sanchez *n. 27.* Et Castitatis quidem voto illámque servandi obligatione eum, perinde ut ante ejectionem, quoad omnes ejus voti effectus teneri, res est indubitata.

Paupertatis autem & Obedientiæ votis & cæteris obligationibus ex professione ortis quomodo obligetur, non apparet; cùm bona temporalia justè acquisita retinere valeat, iisque liberè uti: Prælati Regularis regimini non subjiciatur, neque etiam ad jejunia, delationem habitûs, aliásque observantias Regulares adstringatur adeò; ut, si initiatus non sit Ordine sacro, eum ad divinum Officium sive Horarum Canonicarum recitationem obligari, cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 5. art.*

§. art. 3. & Bonacina *de Horis Canon. disp. 1. q. 2. n. 6.* neget Barbosa *in c. fin. cit. n. 14.* Nihilominus communiter ad istorum quoque votorum observantiã ejectus obligatur juxta exigentiam statûs, in quo est constitutus ; cùm, licet rerum, post ejectionem donatione, legato, industria &c. acquisitarum, usum & administrationem liberam habeat ex tacita Prælati ejicientis vel summi Pontificis concessione, earum tamen dominium sibi non acquirat, ex mente *citt.* Molinæ *disp. 140. n. 34.* Lessii *n. 113.* & Tamburini *q. 8. n. 7.* & non solùm Romano Pontifici, tanquam supremo & generali omnium Religiosarum familiarum Prælato, sed superiori quoque suo Regulari subjiciatur ; quòd ab isto ad Religionem revocari valeat, eique revocanti obedire teneatur, *citt.* Palao *p. 23. n. 5.* Tamburin. *n. 3. & 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. à n. 196.*

164. Non desunt DD. qui, ejectum tali casu ex Obedientiæ voto Episcopo subjici, asserant cum Navarro *cit. n. 34.* & Zerola *Prax. Episcop. p. 2. V. Regulares, §. 3.* Sed hoc meritò negant *citt.* Molina *n. 35.* Lessius *n. 114.* Sanchez *n. 29.* & Tamburin. *n. 9.* Ratio est ; quia ex voto illo ad id solummodo tenetur, quod promisit : Obedientiam autem Episcopo non promisit. At, licet hoc ita sit, illius tamen potestati, quamdiu in ejus diœcesi existit, subjicitur non minùs quàm aliæ personæ Ecclesiasticæ, ab ejus jurisdictione non exemptæ Jure speciali vg. privilegiò : quò Religioni suæ competente toto expulsionis tempore ejectus non gaudet, *citt.* Tamburin. & Sanchez *n. 9. & 29.*

165. Dubium nonum est de dominio rerum, quas Religiosus fugitivus acquirit. Et quidem, si statum non mutavit, ab ipso dominium Monasterio vel Religioni acquiri, liquet ex *can. Abbates 16. V. Quodsi, 18. q. 2.* & ratio est partim ; quòd fuga neque ipsum excludat à Religione : neque huic subtrahat fugitivum : neque istum gubernandi, corrigendi, coërcendíque potestatem adimat Prælato : partim verò ; quòd Religiosus comparetur servo : cujus fugitivi & ab alio non possessi bona domino acquiruntur, *l. 1. §. 14. ff. de Adquir. poss.* Eadem, quæ fugitivi, ratio, communi Jure spectatô, est Apostatæ ; nam & ab isto comparata bona Monasterio vel Religioni acquiruntur, *arg. V. Quodsi & §. 14. citt.* ut cum Bartol. *in §. cit. n. 2.* Hostiens. *in c. Cùm olim cit. n. 13.* & Interpp. aliis docent Tapia *in Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. V. Sua, cap. 7. n. 1.* & Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 33. à n. 2.*

Si verò Religiosus fugitivus statum 167
mutavit per ingressum Religionis alterius, interest, an hanc ingressus sit legitimè, aut secus ; cùm, si id fecit legitimè, post ingressum in aliam comparata bona huic sive Religioni vel Monasterio posteriori acquirat ; quòd, cùm ista ab ipso editæ professionis die eum teneatur alere, æquum omnino sit ; ut, quæ illius personæ intuitu acquisita sunt, ei cedant. Si autem istam legitimè ingressus non est, omnia priori Monasterio obveniunt ; quòd illegitimo transitu ullum jus Monasterio seu Religioni posteriori non acquiratur ; cùm malæ fidei possessori nec servus nec filius adquirat, *l. 1. cit. §. 6. & l. Per eum 50. pr. ff. de Adquir. poss. citt.* Tapia *cap. 6. n. 20.* Sanchez *n. 10. & 11.* Azor *cap. 16. q. 8.* & Tamburin, *q. 5. n. 2.* excipientes bona, quæ à fugitivo post hujusmodi transitum acquisita sunt intuitu Monasterii sive Religionis posterioris ; *arg. c. Requisisti 15. V. In primo, de Testament.*

167. Quodsi fugitivus transiit ad Ecclesiam secularem, interest, cujus intuitu bona sint acquisita; cùm, sicut acquisita intuitu seu contemplatione hujusmodi Ecclesiæ, istius dominio cedere, liquet ex *c. Cùm in officiis 7. eâdem Rubr.* sic personæ intuitu comparata ad Monasterium pertinere, teste *cit.* Sanchez *n.* 20. communis DD. sententia sit, contradicente &, sine distinctione omnia Ecclesiæ acquiri, sustinente Zabarella *in c. fin. cit. q.* 2. *n.* 2.

168. Dubium decimò est, cui acquiratur dominium bonorum comparatorum ab ejecto. Ratio dubitandi est; quòd id non adquiratur ejecto; cùm non desinat esse Religiosus professus; atque idcirco dominii incapax maneat, *c. Cùm ad Monasterium cit.* neque Episcopo loci suæ commorationis; cùm, isti non aliter quàm clerici seculares subjiciatur: neque Romano Pontifici; cùm id communis Juris Corpore clauso ullo textu proditum, non reperiatur: neque etiam Monasterio vel Religioni suæ professionis; cùm, si ab istius Prælato ejectus sit injustè, saltem cum consensu majoris partis Capituli seu Conventûs, à Monasterio habeatur pro derelicto instar servi derelicti à domino, aut à parente expositi infantis: qui domino aut parenti non lucrantur, *l. Quod servus 36. ff. de Stipul. servor. & c. Unic. de Infant. & languid.* si verò justè, saltem perpetuò, ejectus sit, cum Monasterio & Religione ullam non habeat communionem: júsque professo delata bona adquirendi Monasterio competens solùm fuerit ad tempus, quò ille in Monasterio retineretur, ut cum Innocentio *in c. Cùm olim cit. n.* 3. Hostiensi *ibid. n.* 12. Navarro *cit. Comment.* 2. *n.* 33. & aliis docet Azor *cap.* 16. *cit. q.* 9.

Sed communi Decretalium Jure spectatò verius est, bonorum ab ejecto extra Monasterium acquisitorum dominium pertinere ad Monasterium vel Religionem, sive ad tempus, sive in perpetuum, justè injustéve fuerit ejectus. Ratio de bonis ejecti ad tempus duntaxat est; quia talis manet subditus Religioni, & ad hanc cum omnibus bonis finitò ejectionis tempore tenetur reverti, *citt.* Suarez *Lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 19. & Palao *p.* 19. *n.* 7. De bonis in perpetuum justéque ejectis; quia Monasterium & Religio ex eo; quòd 169. professum tanquam incorrigibilem & ita noxiosum abjecerit, se non abdicavit pore ad bona ab eo acquirenda prætertim; cùm & ejectus se emendare ac redire, & Religio, præterquam quod eum revocandi retineat jus, plene emendatum recipere teneatur, *citt.* Molina *disp.* 140. *n.* 36. Lessius *n.* 112. Suarez *n.* 22. & Palao *n.* 11. De bonis ejecti injustè retio est; quia prælati ipsum indebitè ejicientis delictum in Monasterii & Religionis damnum redundare non debet, per *Reg. Delictum 76. in 6.* Si verò ita ejectus est cum consensu majoris partis Conventus, Monasterium eò ipsò; quòd ejectum alere gubernaréque, recipere & revocare teneatur, etiam acquiret dominium bonorum ab ipso comparatorum; nisi isto in indebitæ expulsionis pœnam per sententiam privetur, DD. antè *citt.*

Neque hac in re paritas est cum domino derelinquente servum & cum parente prolem exponente; quia tali casu servus consequitur libertatem & proles à patria potestate liberatur, & utrique sibi acquirit, *c. Unic. cit.* non etiam Religiosus injustè ejectus; cùm, ut dictum, dominii maneat incapax, redireque teneatur ad Religionem: & ab ista valet, imò si emendatus sit, debeat revocari.

Dixi in hujus & præcedentis dubitationis resolutione *Communi Decretalium Jure spectatò*; quia ex *Motu proprio* Gregorii

Gregorii XIII. qui incipit *Officii nostri, edito* 21. *Jan.* 1577. à Regularibus fugitivis ejectis & Apostatis successione, legato, donatione, industria, alióve quovis modo acquisita bona, si illi extra monasteria sua decedant, ad Cameram Apostolicam devoluuntur; ut neque monasterio, neque alteri pio loco vel causæ valeant adjudicari, *citt.* Suarez *cap.* 3. *n.* 30. Sanchez *n.* 33. & Tamburin. *q.* 5. *n.* 1.

170. Dubium undecimò est, an monasterium professo suo fugitivo, Apostatæ, ejecto præstare teneatur alimenta. Non teneri frequentiori DD. calculô receptum, & ratio de fugitivo & Apostata est; quòd, cùm monasterii servitio & gubernationi malitiosè se subtrahant, cesset ratio illud obligandi ad præstanda alimenta; cùm ista professo debita sint ratione servitii monasterio præstiti, *arg. c. Cùm secundùm 16. pr. de Præb. & dignit.* Quare, sicut filium à consortio suo malitiosè recedentem pater, Pinell. *in l.* 1. *C. de Bonis matern. p.* 1. *n.* 54. & Surdus *de Aliment. Tit.* 7. *q.* 7 *n.* 1. & vir uxorem culpâ suâ divertentem, Glossa *in c. Significásti 4. V. Materiam, de Divort.* & Palacios *in Rubr. de Donat. inter vir & uxor. §.* 64. *à n.* 6. ita & monasterii Prælatus fugitivum & Apostatam Regularem alere non tenetur: neque ad hoc illum teneri expedit; ut, necessariis vitæ subsidiis aliunde deficientibus, pœnitentiæ ac reditûs consilia faciliùs capiat, & sub obedientia & regimine prælati Monasterio deserviat, ad quod obligatione ex professione orta tenetur. Ita cum Glossa & DD. *citt.* allegati Sanchez *Lib.* 6. *cap.* 9. *à n.* 21. Tamburin. *q* 9. *n.* 1. & Barbosa *in c. fin. n.* 4. excipientes alimenta & expensas ab aliquo factas in eorum reductionem; cùm enim fugitivum & Apostatam reducens Monasterii negotium utiliter gerat, pro illorum reductione factas expensas à Monasterio repetere potest. De ejecto verò ratio est; quòd, cùm à cura & gubernatione Prælati in gravis delicti & incorrigibilitatis pœnam sit exclusus, monasterium se alendi obligatione suâ culpâ liberâsse videatur, *citt.* Surdus *q.* 35. *n.* 1. Sanchez *n.* 20. & Barbosa *in c. fin. cit. n.* 4.

Secus est de ejecto injustè; hic enim, cùm ex professione quæsitorum iurium possessione indebitè spoliatus sit, non excidit jure à monasterio percipiendi alimenta; cùm spoliati instar in pristinum statum sit restituendus, *c.* 1. *&c. de Restit. spoliat & ibi* DD.

Dubium duodecimò est, an Monasterium etiam solvere non teneatur debita contracta à prædictis. Ratio dubitandi est; quòd, cùm bonorum ab his, fugæ, Apostasiæ, expulsionis durantis tempore comparatorum dominium acquiratur monasterio, *can. Abbates, V. Quodsi cit.* æquum sit; ut ad debitorum ab illis contractorum solutionem adstringatur; ne ab illis proveniens commodum percipiat sine incommodo ab iisdem proveniente contra *Reg. Qui sentit* 55. *in* 6. 171. At, esto monasterium, si ab illis fugæ, Apostasiæ, expulsionis tempore acquisita bona percipiat, ex his debita, eô tempore ab ipsis contracta, solvere teneatur, *arg. cit.* & in æquitate Naturali fundatæ Regulæ, &; ne locupletari videatur cum jactura & damno alieno, contra *Reg. Locupletari* 48. *in* 6. 172. casu tamen, quô à fugitivo, Apostata vel ejecto suo monasterium nihil percepit, ad debitorum ab illis contractorum solutionem veriùs non tenetur eô ipsô; quòd monasterium illis præstare non teneatur alimenta, Rodriquez *Tom.* 1. *Regular. q.* 33. *art.* 11. *citt.* Tambur. *q.* 5. *n.* 2. & Barbosa *cit. n.* 4. *pr.* non obstante ratione in contrarium deducta; quia monachus in jure jam quæsito monasterio obesse non potest: licet prodesse valeat in acquirendo, Innocentius *in c. Cùm olim cit.*

TITVLVS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

TRansire ad Religionem, in eáque Professionem edere non Cælibes duntaxat, sed certis casibus etiam Conjugati consentiente, aliquando etiam invitô consorte & nuptiali fœdere omnino dissolutô, permittuntur.

ARTICULUS I.

De Religionis Ingressu post matrimonium Ratum.

SUMMARIUM.

1. *Post hoc ingressu ille conjugi permissus est,*
2. *Intra bimestre, à die nuptiarum computandum,*
3. *Et Jure competens volenti ingredi Religionem:*
4. *Non de ista non cogitanti,*
5. *Neque etiam vi cognitæ post lapsum bimestre.*
6. *Imò nec vi cognitæ intra bimestre:*
7. *Cui tamen ingressus verius est permissus.*
8. *Vinculum nuptiale solvitur ipsâ Professione,*
9. *Saltem extra Societatem JESU,*
10. *Imò etiam in ista:*
11. *In qua propterea professio à conjugato emittenda est post Noviciatum.*
12. *Professio matrimonium Ratum secundùm aliquos DD. Navarr.*
13. *Secundùm alios Divinô:*
14. *Verius Ecclesiasticô Jure dirimit:*
15. *Quô solô Voti Solennitas est nonducta.*
16. *Occurritur argumentis pro Naturali & Divino Jure allatis.*

ET imprimis quidem, si eorum matrimonium sit Ratum, hoc est per verba quidem de præsenti Ecclesiæ facie legitimè contractum: sed per carnalem copulam ad prolis generationem ex se aptam nondum consummatum, *can. Desponsata, 27. q. 2.* propter quam causam sponso de præsenti ad deliberandum de ingressu, & proposito exequendum conceditur bimestre, *c. Ex publico 7.* à matrimonii contracti die computandum, Barbosa *in c. cit. n. 5.* intra quod, vel etiam longius aut brevius tempus, si cognitâ causâ extendendum aut restringendum videretur, secundùm Glossam *in c. cit. V. Intra duorum* & Panormit. *ibid. n. 11.* matrimonium consummare non teneatur: &, si Religionem à sede Apostolica approbatam ingressus, in eáque professionem, alterô etiam invitô, emittat, matrimoniale vinculum omnino solvitur, *c. Verum 2. & c. Ex parte 14.* Eò

14. Eô autem transactô, si ad Religionem nondum transiit, vel ad illud, conjugi exigenti debitum reddendô, consummandum, vel ad Religionis propositum exequendum per excommunicationem compelli potest, Glossa *cit. & in c. Ex publico cit.* Ant. de Butrio *n. 13.* Sylvester *V. Votum 5. q. 3.* Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 24. n. 27.*

Neque obstat sententia Christi Domini, Matth. *cap. 19. v. 9.* negantis viro licere Uxorem dimittere, *Nisi ob causam fornicationis:* vel; quòd contractô matrimoniô conjugum utrique quæsitum sit jus in corpus alterius, *c. Quidam 3. in fine*, quô invitus privari, & alter in ejus præjudicium consilium mutare non potest, *l. Nemo 75. ff. & c. Mutare 33. in 6.* Non, inquam, tam illa Servatoris sententia, quàm hæc ratio obstat. Illa; quia intelligenda est de matrimonio jam consummato, *c. Ex publico cit.* Ista, partim; quia jus illud non est quæsitum omnino absolutè, sed sub tacita conditione, *Nisi alter ingrediatur & profiteatur Religionem, c. Ex parte cit.* partim verò; quia ex justa causa privari quis jure suo potest à Principe, etiam per legem vel canonem: ut patet ex Præscriptione, quâ aliquem jure suo privari, ex utroque Jure constat. Unde

3. Dubium oritur primò, an bimestre à Jure indultum etiam competat conjugi Religionis propositum non habenti; ut matrimonium consummare ante illius lapsum non teneatur, quòd cum Glossa *in can. Conjuges, 27. q. 2.* & Sylvestro *V. cit. q. 1. casu 4.* & aliis Sanchez *Lib. 2. de Matr. disp. 24. n. 25.* & Pontius *Lib. 9. cap. 9. n. 7.* affirmant, eâ permoti ratione; quòd favore Religionis ad matrimonii consummationem à Jure indultum sit generaliter: eamque ingrediendi propositum, qui jam non habet, intra bimestre acquirere & mutari in melius possit.

Verùm, quia *c. Ex publico cit.* bimestre mulieri indultum est ex ratione, quod eam non solùm à viro nondùm esse cognitâ: sed insuper ad Religionem transire velle, assereretur, ut ex *c. cit.* lectione integra, à Gonzalez relata, constat, Juri conformior & rationi etiam consentanea est sententia Palai *Tract. 28. disp. 3. p. 2. § 5. n. 7.* cum Angelo *V. Debitum, n. 11.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 27.* & Coninck *disp. 26. dub. 4. n. 46.* bimestre negantis & ad debitum exigenti reddendum obligantis eum, qui Religionis propositum non habet & de ejus ingressu non deliberat; quia conjuges matrimonium contrahendô sibi mutuò corporis sui potestatem ad actus conjugales tradunt; ac proinde ad ejus usum concedendum statim obligantur, *arg. l. Promissor 21. §. 1. ff. de Constit. pecu.* extra casus specialiter exceptos à Jure, in conjugio eum duntaxat casum eximente, quô post matrimonium Ratum conjugum alter Religionis propositum & cogitationem habet, *c. cit.*

Dubium secundò, & satis ambiguæ Resolutionis controversia est, an Religionis ingressus etiam permissus sit sponsæ de præsenti, per vim cognitæ intra bimestre. Ei, quæ, istô ante Religionis ingressum lapsô, vi cognita est, illius ingressum, alterô invitô, non permissum, satis convenit inter DD. quòd, cùm eô lapsô conjugi exigenti debitum reddere teneretur, ab isto, id sibi negatum vi extorquente, injuriam passa non sit, ut cum Sylvestro *V. Divortium q. 5.* advertit *cit.* Sanchez *disp. 22. n. 1.* & Fagnanus *in c. Ex publico cit. n. 35.* 5.

Ei quoque, cui debitum intra bimestre reddere, sine proposito & mentione transitûs ad Religionem renuenti, maritus copulam vi extorquet, Religionis ingressus

ingressus postea permissus non est; quia etiam ipsi; quòd viro debitum exigenti reddere juxta antè dicta teneretur, injuria illata non est, ut cum Covarruvia *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 4. n. 11.* notat *cit.* Fagnanus *n. 33.*

6. Religionem ingredi etiam non posse illam, cui religionis propositum ostendenti, imò ad ejus ingressum jam paratæ vis intra bimestre illata est, cum Hostiensi *in Summa n. 8.* & aliis defendunt Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 8.* Guttierez *de Matrim. cap. 54. n. 16.* & Sanchez *cit. disp. 22. n. 5.* Moventur; quia sponsa ita cognita jam una caro facta est cum sponso; ac proinde, istô invitô, ad Religionem non admittenda, ex decisione *c. Ad Apostolicam 13.* Confirmatur hæc ratio; quia Jura factum potiùs respiciunt, quàm voluntatem, *can. Si quis iratus 15. q. 1* etiam in copula carnali violenta; cùm ex ea oriatur affinitas, *arg. c. Discretionem 6. De eo, qui cognovit,* & ita corruptam ducens bigamus efficiatur, *c. Debitum 5. de Bigamis* & corrupta inter Virgines amplius nequeat consecrari, *can. Si quis cit.*

7. Ita firmata ratio, sicut matrimonii consummationem & ex ista ortam matrimonialis vinculi indissolubilitatem persuadet, sic eam, quæ vi cognita est, marito ita devinctam; ut, ipsô invitô, Religionem ingredi nequeat, non evincit: licet hanc ingredi, invitâ ipsâ, non valeat maritus; quòd ex parte ipsius copula fuerit omnino libera, ut cum *cit.* Sanchez *à n. 6.* & aliis observat Palao *cit. disp. 3. p. 2. §. 1. n. 3.* Ratio ingressum sponsæ permittendi est; quòd gravem injuriam passa sit à sponso: à quo neque ipsa privari suo jure, neque ille pro pœna, violentâ oppressione commerita, commodum & præmium reportare debet; ne ad delinquendum quis invitetur, contra *Reg. can. Legi, 16. q. 11.* quod tamen fieret; quia hâc ipsô; quòd sponsa nondum cognita intra bimestre Religionem ingredi valeat; ac proinde sponso obligata tantùm sit sub conditione, *Si eo tempore non ingrediatur*, iste eâ potiundi spe ad vim inferendam facilè inducereturi, si eam, quomodocunque à se cognitam, Religiosæ professionis incapacem sibique absolutè obligatam reddi posse, sciret.

Neque obstat primò; quòd ita cognita consecrari nequeat inter Virgines; cùm ad hoc corporis integritas necessaria sit, *can. Acutiùs 2. dist. 26.* quia nihilominus edere potest professionem, in qua castè vivendi voluntas potiùs, quam factum sive corporis integritas attendi solet, Joan. Andr. *in Reg. Qua contra 54. in 6. n. 11.* & Fagnanus *l. cit. n. 55.*

Neque secundò; quòd ita sponsa in seculo desertus sine conjugii spe manere debeat usque ad obitum sponsæ, ingressæ Religionem, cùm; quia hoc non magis dorum est, quàm ea violatio sponsæ iniorosa: tum verò; quia eidem pœnæ obnoxius est conjux, lapsus in adulterium vel hæresin: quæ crimina juri matrimoniali non magis, quàm sponsæ, ad contistis Agni nuptias aspirantis, violenta oppressio adversatur, Sanchez *cit. disp. 22. num. 6.*

Dubium tertiò est, quando, sponso rum alterô Religionem ingressô, matrimoniale vinculum dissolvatur. Idsolvit, & factô ad Religionem transitu abeo, qui in seculo relictus est, aliud matrimonium iniri posse, clarè decisum est *c. Ex parte 14.* verbis, *Reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.*

An autem transitus iste intra duos menses faciendus sit, olim magna dissensio fuit. Hodie satis recepta Negativa & communis DD. sensus est, bimestre illud à Jure præfixum ad deliberationem de ingressu

gressu & assumptionem habitûs Novitiorum; ac proinde istô assumptô integrum annum probationis expectandum, donec transitus per Professionem consummetur, & vinculum illud dissolvatur. Imò, si Religionem ingressa sponsa duodennis primùm esset, ejus de præsenti sponsus aliud conjugium inire non posset ante lapsum quadriennii, hôc ipsô, quòd Professio ante decimum sextum ætatis & integrum probationis annum expletum valide emitti hodie non possit, ex Decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 25. cap. 15. de Regular. citt.* Henriquez *Lib. 12. cap. 5. n. 8.* Sanchez *disp. 24. n. 7. & 8.* & Fagnanus *in c. Ex publico cit. n. 25.*

Neque refert; quòd conjugi in seculo manenti grave sit, tamdiu se continere; quia nulla ipsi injuria irrogata est ab ingrediente: qui usus est jure, quod Religionis favore ipsi & sibi etiam competere, uti etiam illos probationis & ætatis annos completos exigi, non ignoravit, ut cum *cit.* Sanchez *n. 5.* observat Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 51.*

9. Dubium quartò est, quando matrimonii Rati vinculum dissolvatur, si sponsus de præsenti ingrediatur Religionem Societatis JESU. Fuêre DD. qui id solvi asserent editis post tirocinii biennium tribus Substantialibus Religionis votis; ac proinde istis, licet simplicia tantùm sint, Matrimonii Rati dissolvendi vim competere, existimarent eâ persuasi ratione; quòd Professio solennis eam vim & efficaciam habeat; quia constituit Statum Religiosum: quem etiam constituunt tria vota substantialia Religionis post Novitiatûs biennium emissa in Societate: quod Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 3. n. 2.* ita certum esse asserit; ut negari hodie sine temeritate & errore non possit, propter *Constitutiones* Gregorii XIII. quæ incipiunt *Quantò fructuosiùs*, 2. Calend. Februarii & *Ascendente*, 8. Calend. 1584. editas: quibus nunquam satis laudatus Papa iste, votorum illorum editione aliquem verè & propriè Religiosum effici & semper effectum, non solùm declaravit: sed insuper id impugnare, & contrarium asserere præsumentium temeritatem excommunicationis ipsô factô incurrendæ & sedis Apostolicæ absolutioni reservatæ aliisque gravissimis pœnis subjecit. Unde hujusmodi simplicia non minùs quàm solennia Religionis vota, sicut personam ad conjugium validè ineundum inhabilem reddendi, per *Constit. citt.* sic etiam illius initi & solummodo Rati dissolvendi vim habebunt. Accedit; quòd Pius V. *Constitutione*, quæ incipit, *Dum indefessæ, 7. Julij 1571. editâ*, omnibus ejusdem Societatis Religiosis specialiter concesserit; ut in eis locum habeant omnes dispositiones in favorem aliorum Religiosorum Mendicantium factæ: cujusmodi dispositionum, cùm maximè notabilis & Religioni favorabilis sit, Matrimonium Ratum dirimendi efficacia, hanc edita in illa vota, simplicia quidem, sed Religionis substantialia, habebunt non minùs, quàm in cæteris Mendicantium Ordinibus emissa Professio solennis: &, si non haberent, Matrimonii Rati vinculum foret impedimentum essentiale Societatem ingrediendi conjuge invitâ: cujusmodi impedimentis tamen non accensetur Constitut. Societatis *p. 1. cap. 2. n. 6.* Imò ibi nomine Matrimonii solùm consummatum venire, patet ex Exam. General. *cap. 2. n. 4.* dum consummatum exprimit, id quod solummodo Ratum est, non obscurè excludente, *arg. l. Si inter 15. ff. de Except. rei judic.*

10. His tamen non obstantibus, efficaciam illam votis simplicibus unanimi consensu & meritò negant *cit.* Suarez *Lib. 4. cap. 2.*

cap. 2. *n.* 3. Sanchez *Lib.* 2. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 6. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 10 & cæteri memoratæ Societatis DD. moderni. Ratio, quâ nituntur, firma est; quòd eam vim Religiosus status non acceperit à Naturali & Divino, ut paulò post ostendetur: Jure autem Ecclesiasticô *c. Verùm, c. Ex publico citt.* secundùm communem, *c. Ex parte cit.* textui conformem, feréque à DD. receptum intellectum, ea vis & efficacia solùm tribuatur Professioni, quæ per vota Religionis solennia, & ex parte tam acceptantis quàm voventis perpetua habetur. Quod validè confirmatur; quia tribus votis simplicibus in Societate editis Matrimonium Ratum solutum non fuit, imò iis obstricti Matrimonium validè inire potuerunt ante *cit. Constitutionem* Gregorianam, quæ incipit *Ascendente:* istâ autem circa Matrimonium ante contractum & Ratum nihil est innovatum: sed ejusmodi votis solummodo indulta est vis dirimendi illud postea contrahendum. Unde planè corruit in contrarium allata ratio prima; quia Professio eam vim non habet præcisè; quòd constituat statum Religiosum: sed; quòd sit Solennis.

11. Neque legitimè infertur, Matrimonium Ratum esse impedimentum essentiale ingressûs Societatis, conjuge invitâ; quia eam ingressus conjux eô ligatus capax est Professionis: cujus aliis Religiosis familiis insueta dilatio, ne deferto conjugi justò difficilior evadat, ejus consortem Religionem ingressum, unô probationis annô exactô, ad professionem admittendum, censent *cit.* Suarez *n.* 13. & Perez *de Matr. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 12.

Non magis urget *Constitutio* Pii V. quia ea Beatus iste Ecclesiæ Antistes non loquitur de conditionibus annexis ipsis votis, sed de Privilegiis, favoribus & prærogativis concessis ipsis personis, & non repugnantibus speciali Instituto Societatis: in qua edita vota simplicia Matrimonium contrahendum non irritârunt, antequam istud dirimendi vim acceperunt, *à cit. Constit.* Gregoriana, ut *citt.* Suarez *n.* 14. & Perez *n.* 13. adnotârunt.

Dubium & controversia quintò est, 12.
quô Jure matrimonium Ratum dirimendi vim habeat Professio Religiosa. Fuère enim, hodiéque sunt graves DD. qui illam huic ex Natura sua competere, assererent; quòd constituat statum Conjugali perfectiorem eíque repugnantem: & sit mors spiritualis, *can. Placuit* 8. *V. Sedeas,* 16. *q.* 1. ac proinde, sicut mors Naturalis carnalis Consummati, *Novell.* 22. *cap.* 20. *pr.* sic ipsa Rati Matrimonii Vinculum suâ Naturâ dissolvat.

Alii, & fere maximi nominis DD. eam 13.
vim refundunt in Jus Divinum; partim quòd sacrorum Canonum conditores vim hanc illi non tam conferant, quàm aliunde competere supponant; sic enim Eusebius Papa *can. Desponsatam,* 27. *q.* 1. cùm dicit, *Puellæ desponsatæ licere Monasterium sibi eligere,* Jus non ipse constituit, sed constitutum declarat: sic Alexander III. eam efficaciam ex *Sacri interpretatione eloquii* deducit *c. Ex publico cit.* & Innocentius III, *c. Ex parte cit.* Matrimonium per verba de præsenti contractum *nullô casu* dissolvi, asserit: nisi *ex revelatione Divina,* quâ sancti quidam ex nuptiis vocati perhibentur, *c. Verùm cit.* partim verò; quòd, sicut Consummatû, sic etiam Ratum conjugium insolubilitatem suam habeat ex Jure Divino, Matth. *cap.* 19. *v.* 6. quô id dissolvendi potestatem à Deo summo Pontifici indultam, cùm ex nullo Sacro textu constet, id solvendi vim, quam Professio habet, à Divina dispensatione profectam, asserere est necesse.

Alii demum, licet rationibus istis 14.
relatarum posteriorem Opinionem valde proba-

probabilem reddi agnoscant, Conjugii tamen dirimendi vim Professioni immediatè à potestate Ecclesiastica concessam, probabiliùs defendunt cum Hostiensi *in c. Ex publico cit. V. Consummatum* Joan. Andr. *ibid. n.* 7. Felino *Consil. 16. n. 19.* Medina *Lib. 5. de Sacr. hom. Continentia à cap. 86.* Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 4. n. 69.* Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 6. à n.* 20. Garcia *p.* 7. *de Benef. cap. 10. n. 76.* Laiman *Lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 6. àn. 3.* Perez *de Matrim. disp. 20. s. 3. n.* 11. & Fagnano *in c. Ex parte cit. n. 8.* Nituntur hi DD. triplici fundamentô.

Primùm est; quòd Professio matrimonium Ratum non dirimat præcisè ratione Continentiæ & reliquorum Religionis votorum; quia aliàs id dirimerent etiam vota simplicia, edita in Societate JESU; cùm sint vera vota Religionis & verum statum Religiosum constituant: sed ratione Solennitatis, ut non obscurè insinuat Tridentinum *Sess. 24. can. 6. & 9.* eam vim tribuens Professioni *Solenni*, quô verbô *non solennem* minimè obscurè excludit: Solennitatem autem non à Naturali aut Divino, sed Ecclesiastico Jure profectam, indubitatè constet ex *c. Unico cit. & cit. Constitutione* Gregoriana, quæ incipit *Ascendente.*

15. Alterum est; quòd hujus efficaciæ matrimonio Rato à Christo indultæ in Sacris paginis nullum extet vestigium, præsertim cum S. Joannem Evangelistam, quem à nuptiis in Cana Galilææ celebratis ad Apostolatum vocatum, aliqui volunt, jam ante à Christo vocatum constet ex Matth. *cap. 4. v.* 21. & Marci *cap. 1. v. 19.* eúmque nuptiis, ut Christi Domini, discipulum, non ut sponsum, inter fuisse, ostendant Eminentissimi Toletus *in Joan. cap. 2. à n. 13.* & Baronius *Tom. 1. Annalium Eccles. àn. 31.*

Postremum; quòd Conjugium illud ex gravi causa dissolvendi potestas plurimùm conferat ad promovendum in Ecclesia Divini cultûs & animarum bonum: quæ autem ad hujusmodi boni promotionem necessaria aut valde conducens est, potestas S. Petro ejúsque successoribus concessa sit verbis, *Tu es Petrus &c. quodcunque solveris super terram &c.* Matth. *cap. 16. v. 19.* & *Pasce oves meas* Joannis *cap. 21. v.* 17.

Neque hanc doctrinam evertunt, aut 16.
oppositas Opiniones persuadent rationes, contra illam pro his deductæ.

Pro prima quidem; quæ imprimis, si ea vis Professioni competeret ratione perfectionis Statûs per eam assumpti, eadem adstruenda etiam esset votis Simplicibus editis in Religione ab Ecclesia approbata, contra paulô ante tradita: & ipsis etiam Ordinibus sacris, præsertim Sacerdotali, contra claram decisionem Joan. XX. *Extravag. Unica, de Voto.* Deinde; quia Professio (uti & editio votorum Simplicium Religionis) Mors non verè, sed metaphoricè dicitur; quòd per eam vita mundana deseratur & spiritualis inchoetur. Et demum; quòd eadem Professio stare valeat cum vinculo matrimonii consummati; idque contingat, quoties istô conjunctorum unus cum consensu alterius, vel propter istius adulterium Religionem profitetur, *c. Constitutus 15. c. Veniens 16. &c.*

Pro secunda verò Opinione allata ratio posterior; quia §. Petro & successoribus eam potestatem à Christo Domino concessam, jam est dictum. Prior; quia imprimis, esto allegari nequeat canon vel decretum, quô Professioni ea vis primò est indulta; hanc tamen ei ab Ecclesia aliquando indultam ex facto & antiqua Traditione habetur, ut cum *cit.* Perez *n.* 17. observat Palao *Tract. 28. disp. 3 p. 2. §. & n. 4.* Deinde; quia *c. Ex publico cit.*

Papa plus non asserit, quàm Divinum eloquium, quòd de uxore absque fornicationis causa non dimittenda, Matth. *cap. 19. v. 9.* habetur, de matrimonio solum Consummato exaudiendum. Demum; quia Sancti, qui ex revelatione Divina à nuptiis vocati dicuntur *c. Verum & c. Ex parte citt.* ab his vocati sunt revelatione sive inspiratione Divinâ, sibi specialiter factâ: non Universali & in Evangelio promulgatâ Lege aliquâ, *cit.* Perez *n.* 20.

ARTICULUS II.

De Ingressu Religionis post matrimonium Consummatum.

SUMMARIUM.

17. *Post hoc ingressu ille conjugi patet tribus casibus.*
18. *I. Conjuge liberè ac sponte consentiente.*
19. *Istô invitô Religionem ingressi professio nulla est:*
20. *Vim tamen habet voti simplicis Continentiæ:*
21. *Non etiam Obedientiæ vel Paupertatis.*
22. *Post mutuum Continentiæ votum ingressu revocari valet:*
23. *Nisi renuntiatum sit omni juri Conjugali.*
24. *Uxor validè matrimonium init post mortem viri, professi Religionem.*
25. *Non etiam post sacram ejus Ordinationem.*
26. *Conjugem Religionem ingressum alter sequi, vel Continentiam vovere debet.*
27. *Licet, hoc eô non præstante, Professio subsistat.*
28. *Mariti Ordinatione sacra non solvitur matrimonium Ratum.*
29. *Uxor Religionem ingredi debet ritô ad Episcopatum:*
30. *Non etiam ad Cardinalatum evectô.*
31. *II. Conjuge fornicante, innocenti:*
32. *Non etiam nocenti, Religionis ingressu permissu est:*
33. *Nisi ei resipiscenti alter revocat reconciliari.*
34. *III. Conjuge lapso in Hæresin:*
35. *Quem tamen resipiscentem innocens recipere tenetur.*
36. *Nisi Ecclesiæ judiciô diverterit.*

DEinde Religionem ingredi Conjugati etiam post matrimonium jam Consummatum possunt tribus casibus,

Primus est, quô uterque, vel ipsorum alter id facit, alterô liberè consentiente: quô tamen casu, si conjux relictus juvenis aut de incontinentia suspectus sit, ad Religionem transire etiam ipse debet: si verô senex sive ætatis valde provectæ & de incontinentia non suspectus sit, in seculo remanere, editô perpetuæ Continentiæ votô, potest, secundùm decisiones *c. Gemisis 4. c. Uxoratus 9. c. ad Apostolicam 13. & c. Significavit 18.*

Si, inquam, *Liberè*: imò & *Sponte* consentiat; quia, si consensus gravi & injusto metu extortus fuisset, invalida professio foret, *can. Notificâsti, 33. q. 5. & c. decedens 17. hâc Rubr.* Ratio est; quia sicut matrimonium non nisi liberô & spontaneô consensu iniri, voluerunt sic eô ad individuam vitæ societatem obligato recessum (seclusô adulteriô aliâve simili divortii causâ) sine consortis spontaneo, hoc est, nullâ vi metúve injustè extorto consensu non permiserunt; quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, *l. 1. pr. ff. de*

pr. ff. de His, qui sui vel alien. juris. Vivianus *in c. Accedens cit.* Quare cum uxoris licentia metu extorta ad Religionē transiens, propter editæ in ista Professionis nullitatem ab illa revocari: imò ad eam & ad seculum redire liberè potest, ut *in c. cit.* cum Panormit. *n. 3.* advertit Sanchez *de Matr. Lib. 7. disp. 35. n. 3. & 5.* Unde

20. Dubium oritur primò, de Professione, à Coniugatorum uno edita, altero contradicente vel ignorante. Cui, sive à marito sive ab uxore, ita editæ sicut Solennis negatur, ita Simplicis voti vis adstruitur *c. Quidam 3. & c. Placet 12.* ut, licet eâ non obstante professus non solùm ad alterius instantiam, sed motu proprio ad seculum & uxorem redire valeat, & istâ mortuâ ad Monasterium redire non teneatur: ipse tamen ab exactione debiti coniugalis, quod alteri exigenti reddere tenetur, abstinere debeat, & coniuge mortuo aliud matrimonium inire licitè non valeat.

Ratio prioris partis est; quòd, cùm jus in corpus suum non ipse sed conjux habeat, id hôc invitô transferre non potuerit in Religionem: Posterioris; quòd conjuge ignorante aut invitô, professionem emittens, quantùm potuit; ac proinde saltem ad Continentiam se obligandi intentionem habuisse à Jure præsumatur, juxta tritum illud, *Si non valet, ut ago, valeat, sicut valere potest*, Panormit. *in c. Quidam cit. n. 3.* ut adeò ad continentiam, ut potest, servandam obligetur: nisi ad hanc non aliter, quàm dependenter à Professione se obligandi intentionem habuisset, ut cum *cit.* Sanchez *disp. 34. n. 3.* notant Gonzalez *in c. cit. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 16. in fine.* Ejusmodi tamen professione insuper habitâ, si conjuge mortuô aliud matrimonium ineat, peccabit quidem, sed matrimonium ratum erit, sicut alterius cum voto Continentiæ simplici id contrahentis, Panormit. *in c. cit. n. 4.* Navarrus *Manual. cap. 12. n. 6. & cit.* Sanchez *n. 5.*

Neque ex *cc. citt.* decisione, & præ- 21.
sertim ex ratione ista rectè infertur, conjugatum ita professum, sicut ad Continentiæ, sic etiam ad Paupertatis & Obedientiæ observantiam, & ad Religionis ingressum post obitum conjugis teneri, cùm etiam ad ista se potuerit obligare; quia imprimis, cùm extra Religiosum statum Paupertas & Obedientia rarissimè promittantur, aut minùs aptè & expeditè observentur, ad Continentiæ tantùm, non etiam ad istarum virtutum observantiam se obligandi intentionem habuisse, meritò potuit præsumi. Deinde; quia conjugatus, cùm jus in suum corpus transtulerit in conjugem, sicut matrimoniô, istô vivente, cum alio contractô, ad hunc post illius obitum ducendum, sic etiam professione, ipsô insciô vel invitô emissâ, ad Religiosam professionem eô mortuô emittendam obligandi intentionem habuisse, non censetur: licet ad Continentiam, ut potest, servandam se obligâsse præsumatur, ut cum Joan. Andr. & Ant. de Butr. *in c. Quidam cit. n. 3.* advertit Sanchez *cit. disp. 34. n. 10.* quod Confirmatur; quia *cc. citt.* proposita conjugati professio, quatenus conjugi non præjudicat, non est invalida Jure Naturali aut Divinô, sed humanô introductô ab Ecclesia: à qua, sicut irritata sive non acceptata est quoad sui traditionem factam Religioni, Pauperatis & Obedientiæ atque etiam Religionis post conjugis obitum amplectendæ vota, sic irritata non est quoad præsumptum ex ea votum Continentiæ simplex: etsi ob alias causas vg. ætatis, integri probationis anni defectum invalidæ pro-

fessiones quoad omnes effectus sint irritatæ, ut colligitur ex Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 4. n. 2.*

22. Dubium secundò est, an ad seculum liberè reverti aut saltem à conjuge revocari valeat conjux, Religionem ingressus post perpetuæ Continentiæ votum, mutuò consensu editum ab utroque. Negativam nonnulli traditam esse existimant *c. Dudum 20.* Verùm, quia vi ejusmodi voti uterque solùm à debiti exactione & redditione abstinere tenetur, ut cum S. Augustino *can. Quod Deo, 33. q. 5.* relatò *in c. Dudum cit.* Innocentio *n. 4.* Ant. de Butr. *n. 18.* Anchorano *n. 12.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 31.* & aliis docent Henriquez *Lib. 11. cap. 15. n. 8.* & *cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 37. n. 10.* quòd, licet mutuò ejusmodi votò uterque ejus exigendi juri cesserit & à servitute, sive debiti, cùm exigitur, reddendi obligatione alterum liberârit: à mutua tamen cohabitatione & cæteris obsequiis conjugalibus vi ejus neuter sit absolutus; & propterea vi solius ejusmodi mutui voti Religionis ingressus alterò invitò neutri permissus; ac proinde locus sit revocationi ejus, qui illam ingrediendò cohabitatione & reliquis obsequiis ac solatiis conjugalibus alterum non consentientem spoliavit.

23. Neque ejus revocationi adversatur *c. Dudum cit.* textus; quia in ejus casu coniugum uterque non tantùm Continentiam vovit, sed insuper cessit omni iure, quod in alterum habuit; itáque non debiti tantùm exactioni, sed cæteris etiam obsequiis coniugalibus omnibus solenniter renuntiavit: cuiusmodi renuntiatione, licet matrimoniale vinculum dissolutum non sit, Religionis tamen ingressus utrique, & ingressi revocatio neutri est permissa; cùm, sicut ad debiti redditionem, sic etiam ad cohabitationem & alia obsequia coniugalia amplius non 26.
sit obligatus, Panormit. *in c. Dudum cit. n. 3. ubi* Vivianus & Pirthing *ad hanc Rubr. n. 32.*

Dubium tertiò est, an Coniugatorum unò cum alterius consensu Religionem professò in eâque mortuò, in seculo relictus aliud matrimonium inire possit. Istius contractum non tantùm propter votum Continentiæ, quod edere de jure debet, illicitum: sed invalidum quoque esse, sentire videntur Joan. Andr. & Anchoranus *in c. Cùm sis 4. in fine*; quòd, cùm maritus & uxor sibi mutuò communicent iura & actiones, *arg. can. Si quis ex uno, 30. q. 4.* coniugis in seculo relicti votum ab eo, quod Religionem ingressus emisit, Solenne evadat; ut matrimonium, virò mortuò cum alia contrahendum, dirimat. 24.

Verùm, quia Continentiæ votum solâ Religionis professione vel sacri Ordinis susceptione solennizari, *c. Illicita de Voto in 6.* clarè decisum: & eiusmodi voti solennitas in alio Juris textu fundata non est, eò matrimonium post professi obitum cum alia contrahendum non dirimi, cum Glossa *in can. Seriatim 14. V. Post mortem dist. 32.* & Zabarella *in c. Cùm sis cit. in fine* meritò defendit *cit.* Sanchez *Lib. 7. disp. 32. n. 8. can. Si quis cit.* non obstante; quia istò fermo est de actionibus, quæ non ex animi, sed corporis actu oriuntur, ut Comparentitas ex levatione baptizati ex Sacro fonte: à qua ad aliam Nuptialis impedimenti introductionem; cùm hæc odiosa sit, non rectè ducitur argumentum. Non magis 25.
obstat; quòd post viri obitum aliud matrimonium validè inire nequeat uxor in sacram Ordinationem illius consentiens; quia hoc ob sacri Ordinis assumpti reverentiam Jure specialiter introductum, statue-

statuetur *Lib. 4. Tit. 6. n. 19.*

26. Dubium quartò est, an, sicut illicita, sic etiam invalida sit Professio à coniugato emissa cum spontanea coniugis sui licentia, si iste in seculo manens votum Continentiæ non edat, aut de incontinentia suspectus non transeat ad Religionem. Ratio dubitandi oritur ex *c. Uxoratus cit.* ubi coniugatus, si uxor non consentiat & simul integræ existat opinionis atque continentiam voveat, recipiendus dicitur *Nullatenus*: quâ dictione actus ipsò Jure nullus denotatur, secundùm Glossâ *in Clement. Unic. V. Nullatenus, de Sequestrat.* receptam à Panormit. *n. 15.* Imola *n. 20.* & Tiraquello *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Reverratur, n. 95.*

27. Sed multò clariùs, quàm iste contra, pro eiusmodi Professionis valore militant textus *can. Agathosa 27. q. 2. & c. Ex parte 9. hâc Rubr.* quorum prioris viri professio valida pronuntiatur disiunctivè, si uxor in eam præstitit consensum, aut ipsa sui mutationem sive Religionis ingressum promisit: posteriori à secunda uxore ad Monasterium revocatus est vir, qui id cum solo prioris uxoris adhuc viventis & in seculo manentis consensu fuerat ingressus, manifestò indiciò, in illo editæ validæ professionis; cùm, si ista fuisset nulla, ab uxore, quam ad seculum reversus duxit, revocari non potuisset. Ratio est; quia, licet Professio, si non simul utrumque concurrat, prohibeatur, ullò tamen Canone non irritatur ea, quæ solò conjugis consensu est emissa; ut adeò locus sit Regulæ, *c. Ad Apostolicam 16. de Regular. Multa prohibentur, quæ tamen si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, Glossa *in c. Uxoratus cit. V. Nullatenus, ubi* Panormit. *n. 5.* & aliis relatis *cit.* Sanchez *disp. 33. n. 5. & 7.* monens verbò *Nullatenus* non semper actum prorsus nullum significari præsertim, si illum validum esse, ex Jure contrario habeatur.

Dubium quintò est, an Conjugatus ad sacros Ordines possit promoveri. Non posse, uxore invitâ, liquet ex *c. Conjugatus 5. & c. Sanè 6.* Neque hoc solùm, si matrimonium per carnalem copulam jam consummatum, sed etiam si ratum duntaxat sit; cum istius vinculum dirimendi vim Ordo sacer non habeat, ex percelebri decisione Joan. XXII. *Extravag. Unica, de Voto.* 28.

Ipsâ verò consentiente &, si senex & non suspecta sit, Continentiam vovente: vel, si juvenis aut de incontinentia suspecta sit, Religionem ingrediente, posse cum S. Thoma *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2.* Panormit. *in c. Conjugatus cit. n. 4.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 52.* & aliis tradit *cit.* Sanchez *disp. 39. n. 6.* & clarè habetur *can. Episcopus 6. dist. 77.* ibi, *Religione* ab uxoribus *promissâ ordinentur*: quò textu nomen Religionis propriè sumi, eóque non Continentiæ Simplex, sed Religiosæ professionis Solenne votum denotari, rectè observat, *arg. c. Cùm sis c. Uxoratus & c. Ad Apostolicam citt.* quibus locis idem exigitur; ut conjugum alter ingrediatur Religionem.

Quin, si vir evehendus esset ad Episcopatum, uxor quantumcunque provectæ ætatis & vetula sacrum velamen & Religiosam vestem assumere deberet ante ejus promotionem, *c. Sanè cit. in fine*; cùm propter Ordinis & dignitatis Pontificalis excellentiam: tum verò, propter perfectionem Statûs, exigentem; ut occasio præcidatur sinistris suspicionibus, quibus ansam dare possent uxoris & mulierum eam stipantium visitationes, Hostiensis *in c. Sanè cit. in fine, ubi* Panormit, & Gonzalez uterque *n. 2.* 29.

Idem

30. Idem cum Mænfredo *de Cardinal. desisione* 213, de conjugati ad dignitatem Cardinalitiam evecti uxore sentit Majolus *de Irregul. Lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 2. quòd Cardinales etiam Presbyteri & Diaconi in Ecclesiis sui Tituli obtineant jurisdictionem quasi-Episcopalem, per *c. His quæ* 11. *de Major. & Obed.* textum & ea, quæ in hunc DD. passim notant. Meritò tamen cum *cit.* Sanchez *disp.* 41. *n.* 4. id negat Barbosa *in c. Sanè cit. n.* 4. quòd id ullo Juris textu non exprimatur, nec evincatur ratione.

31. Secundus casus est lapsus in adulterium Carnale; hôc enim crimine à conjugatorum uno commissô alter sive innocens Religionem ingredi, adulterô etiam invitô, permittitur *can. Agathosa* 27. *q.* 2. *c. Constitutus* 15. *& c. Veniens* 16. *hâc Rubr.* cùm enim adulterio amittatur jus, quod in consortis corpus conjugatus illô pollutus, sive maritus sive uxor, habebat; ut innocens ab ipso divertere omnino possit Matth. *cap.* 19. *v.* 9. nihil impediet istius professionem Religiosam vel etiam sacri Ordinis assumptionem: Nisi fortè bigamus aut ex alio defectu vel delicto esset irregularis, Glossa *in c. Constitutus cit. V. Sacerdotii* & *ibi* Panormit. *n.* 5. de quo casu pluribus *Lib.* 4. *Tit.* 19. *art.* 5. agetur. Hôc locô discutiendum est

32. Dubium, an Religionis ingressus etiam adultero permissus sit, cùm ab eo conjux innocens divertit. Istô Religionem professô, aut sacris Ordinibus initiatô, Religionem etiam illi patere, nemo inficiatur. Casu autem, quô divertens in seculo & laicus manet, opus est distinctione; vel enim innocens ab adultero emendato requisitus & paratus est reconciliari, vel non? Si prius, Religionem ingredi, innocente invito, non potest, etiamsi divortium Ecclesiæ judiciô fuisset approbatum; quia quamdiu status utriusque immutatus non est, innocens nocentem revocandi cum eôque matrimonium redintegrandi jus habet: quô, cùm per divortii sententiam, utpote in ipsius favorem contra adulterum prolatô, privatus non sit, eô privari multo minùs potest ab adultero; ac proindè iste ab ipso revocari; eóque reconciliari volente, adulter Religionem ingredi non potest, Glossa *in c. Ex literis* 5. *V. Inducere, de Divortiis*, Sylvester *V. Divortium q.* 10. Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Solut. matr. p.* 2. *n.* 22. & latè Sanchez *Lib.* 10. *disp.* 10. *à n.* 12. Si posterius, & innocens, licet monitus ac rogatus, adulterum emendatum recipere renuat, iste Religionem ingredi aut sacros Ordines recipere potest; ut postea nequeat revocari: quod tamen ex *c. Gaudemus* 19. malè assumunt Hostiens. & Joan. Andr. *in c. cit. n.* 3. quia eo textu aliud non asseritur, quàm adulteram, si ipsam resipiscentem recipere alter nolit, in Monasterio collocandam; ut agat pœnitentiam & ab incontinentiæ periculo sit remota, ut *in c. cit.* cum Panormit. *n.* 7. rectè advertit Barbosa *n.* 4. Quare *cit.* Sanchez *n.* 16. Religionis ingressum tali casu adultero adstruit; quòd conjux reconciliationem non admittens ipsi tacitè dare præsumatur licentiam mutandi statum per professionem Religionis vel sacri Ordinis assumptionem.

Tertius casus est, quo conjugatorum unus lapsus est in adulterium spirituale, sive Apostasiam à fide aut hæresin, in eáque pertinaciter, hoc est, post unam alteramque monitionem perseverat; ab eo enim innocens divertere, *can. Idololatria* 5. *can. Non solùm* 6. *&c.* 28. *q.* 1. *& c. De illa* 6. *de Divortiis*: &, si velit Religionem ingredi, à Gregorio IX. permittitur; licet vir, ab infidelitate ad

tate ad Ecclesiæ gremium reversus, sit invitus, *c. fin. hâc Rubr.*

35. Ne autem decisio ista pugnet cum Rescripto Urbani III. *c. De illa cit.* eam, quæ, virô in hæresin lapsô, sine Ecclesiæ judicio divertit, illi resipiscenti reddi aut ad eum redire, si renuat, compelli, præcipientis, uxori ob viri hæresin propriâ authoritate divertenti transitum ad Religionem nullatenus permittit receptissima sententia D. Thomæ *in 4. dist. 35. q. unica, art.* 1. quòd is cedat in præjudicium conjugis in hæresin lapsi; quia ista, licet notoria sit, secluso Ecclesiæ judicio, non est causa divortii perpetui, sed solummodo temporalis, quamdiu ille in Hæresi persistit, *c. De illa cit.* Unde isti resipiscenti, cùm causa divortii cesset, reconciliari tenetur & matrimonium redintegrare.

36. Casu autem, quô divortii sententia prolata, imò conjux solummodo hæreticus Ecclesiæ judiciô condemnatus est, innocens ad Religionem, illo etiam resipiscente & invito, liberè transire, juxta decisionem *c. fin. cit.* imò & *c. De illa cit. V. fin.* quin etiam in seculo manens sacros Ordines suscipere, aut sine istis ab eo separatus vivere potest, quin eum recipere teneatur, ut cum Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. & n. 5.* Castro *de Hæret. punit. Lib. 2. cap. 7.* Barbosa *cit. p. 2. n. 20.* & aliis *cit.* Sanchez *disp. 15. n. 19.* & Pontius *Lib. 9. de Matr. cap. 22. n. 3.* defendunt, & evincit ratio; quia conjugem in hæresin lapsum in istius criminis pœnam Ecclesia, sicut aliis bonis & juribus, sic etiam eô, quod in conjugem habebat, ac proinde mutuæ cohabitationis, debiti, aliorúmque jurium coniugalium exigendorum iure privat, *c. fin. cit.* quô innocenti permissus ad Religionem transitus in plena liberatione ab obligationibus coniugalibus fundatur.

TITVLVS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1. *Infidelis nomine hîc venit Judæus & Paganus:*
2. *Qui conversus invalidè ducit fidelem, in cujus viri necem, istâ consentiente, est machinatus,*
3. *Canone direstè fidelem tantùm afficiente.*
4. *Conjugum infidelium uni converso proles infantes assignantur,*
5. *Nullâ ratione habitâ ætatis & patriæ potestatis.*

OCcasione Conversionis & transitûs coniugatorum à seculo ad Religionem *hâc Rubr.* agitur de Conversione coniugum infidelium à perfidia Judæorum & Gentilium erroribus ad Fidem Christianam.

Infidelium autem nomen hôc locô non accipitur latè pro quibuscunque à 1.

Fide Catholica alienis, ut etiam sunt Hæretici; quia hi propriè non converti, sed reverti dicuntur: sed strictè pro iis duntaxat, qui Christianam Fidem nunquam susceperunt & Ecclesiã per Baptismum non sunt ingressi, ut sunt Judæi, Pagani, Sarraceni, Hostiens. *in Summa ad hanc Rubr. n.* 1. de quibus huic Rubricæ subjectis duobus textibus totidem casus deciduntur.

2. Prior est de viro Sarraceno vel alio hujusmodi infideli, occidente maritum mulieris fidelis, intervenientibus istius machinationibus & insidiis: quem post ita perpetratam cædem ad Fidem Christianam conversum ad matrimonium cum ista contrahendum esse inhabilem, *c.* 1. Cælestinus III. rescripsit & insinuatur *c. Tanta 6. Qui filii legitimi:* licet adulterium inter eos ante cædem perpetratam non intercesserit, ut in *c.* 1. *cit.* cum Joan. Andr. *n.* 2. Panormit. *n.* 8. Bellarmino *Lib.* 1. *de Matrim. cap.* 22. & aliis notat Barbosa *n.* 1. Unde

Dubium nascitur, quâ ratione *c. cit.* à Sarraceno ad fidem converso ante Baptismum susceptum perpetrata cædes mariti mulieris fidelis obstare potuerit conjugio, ab ipso cum ista contrahendo. Ratio dubitandi est; quia ex una, dum adhuc infidelis & in mortem machinatus est, nondum fuit subditus Ecclesiæ; ac proinde istius sanctionibus connubialibus & pœnalibus non adstrictus, *c. Gaudemus 8. de Divortiis*: ex altera verò parte, Baptismus peccatum cæde illa commissum ejúsque pœnas sustulit, *c. cit.* eámque ob causam homicidiô ante Baptismum commissô Irregularitas, quæ Ordinis susceptionem & usum impediat, non inducitur. Istius rationis vim ut enervarent, alias atque alias *c.* 1. *cit.* expositiones Interpp. excogitârunt. Mihi præ aliis satisfacit, Henriquez *Lib.* 12. *cap.* 14. §. 2. ubi impedimentô illô directè affici ait, non virum infidelem, sed mulierem duntaxat fidelem; cùm, si istius conspiratio ad cædem non concurrat, impedimentum non contrahi, colligatur ex textu: quô cum occisorum fidelium uxoribus matrimonium non prohibetur, si istarum mariti in bello vel calore iracundiæ aut ex vindicta sine intentione conjugii ineundi sint occisi, ut *in c. cit.* observat Barbosa *n.* 6. Confirmatur; quia si, cùm cædes patrata est, non tantùm vir occidens, sed etiam uxor, cujus insidiis maritus est occisus, fuisset infidelis, impedimentum à nostro contractum fuisset; ac proinde conjugium inire, sicut ante, sic etiam post conversionem potuissent, Henriquez *l. cit.* contrà verò impedimentum contraheretur ab utroque, si, cùm à viro maritus, istius uxore conspirante, & matrimonii contrahendi animô occideretur, uterque fuisset fidelis, ut ex *can. Si quis vivente*, 31. *q.* 1. colligi potest.

Posterior casus est de duobus conjugibus Judæis aut etiam Paganis, habentibus proles communes utrique. Quorum, si unus in Judaismo vel Paganismo perseveret, alter verò ad Fidem Christianam convertatur, favore Fidei Christianæ proles parenti converso, seu patri seu matri, assignanda est, ex decisione *c. fin.* quæ non parum negotii DD. quondam fecit; quòd ea non procedat de prole adulta; cùm hanc, utpote rationis usu jam præditam, relinquendam suæ libertati, & invitam ad Fidem Christianam non cogendam, luculenter pateat ex *can. De Judæis 5. dist.* 45. *& c. Sicut 9. de Judæis.* Neque etiam ita generaliter procedat in infantibus & aliis carentibus usu rationis; cùm prolem trienniô minorem à matre, majorem à patre alendam educandámque ex *l. Nec filium*

filium 9. *C. de Patr. potest.* desumatur & insinuetur *c. fin. cit.* & à Glossa *ibi*, *V. Post triennium* referente versus:

Mater alit puerum trimum, trimóque minorem:
Majorem trimô pascere patris erit.

Sed quidquid sit de sensu istius legis: cuius minùs quidem communem, solidam tamen explanationem cum Brunemanno dabitur *Lib. 5. Tit. 16. n. 4.* in proposito casu prolem rationis usu carentem, quacunque ætate sit, assignandam converso patri matrive, cum S. Thoma *in 4. dist. 39. q. unica art. 4.* Panormit. *in c. fin. cit. n.* 8. & aliis DD. tradunt *cit.* Sanchez *disp. 73. n. 16.* & Barbosa *in c. cit. n. 10.* Ratio est; quia favore Fidei, de cujus bono agitur, ratio ætatis cessat; nam placuit, *Summam esse rationem, quæ facit pro Religione*, ut dicitur *l. Sunt personæ 43. ff. de Religios. & sumpt. fun.*

§. Non major hôc casu Patriæ potestatis, quàm ætatis ratio habenda est. Unde, licet aliàs secundùm leges Civiles liberi sint in potestate & cura patris, §. *fin. Instit. de Patr. potest.* quando tamen de Fidei bono agitur, patriæ potestatis ratio non habetur; ideóque mater conversa filios Baptismo offerendi jus habet, etiam patre Ethnico reluctante, ut cum Glossa *fin. in c. cit.* & Panormit. *n. 8.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 6.*

TITULUS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

Conjugati & generatim quicunque ad Religionem transeuntes, ad vitam in ea perpetuò agendam se obstringunt, editis tribus substantialibus Religionis Votis: quorum occasione Voti natura & varietas, obligatio relaxatióque ad præsentem Rubricam declaratur.

ARTICULUS I.

De Voti Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Voti definitio.*
2. *Votum non simplex animi propositum,*
3. *Sed promissio constituit.*
4. *Quæ esse vera,*
5. *Et continere debet animum se obligandi;*
6. *Voluntariè quoque & deliberatè,*
7. *Atque immediatè Deo fieri,*
8. *Et esse de meliori bono:*
9. *Qualis regulariter non est,*
10. *Esse tamen aliquando potest de matrimonio contrahendô.*
11. *Dividitur Votum in Absolutum & Conditionatum,*
12. *Expressum & Tacitum,*
13. *Personale Reale & ex utroque Mixtum.*

14. *In Simplex & Solenne:*
15. *Solennitas Voti non in ritu seu cæremonia externa:*
16. *Neque in traditione sui,*
17. *Etiam perfecta & utrinque perpetua consistit.*
18. *Vera ejus explicatio,*
19. *Exemplis Votorum Solennium,*
20. *Et Simplicium declaratur ac firmatur.*

1. VOtum non pro desiderio, ut frequenter solet, sed pro vera promissione, ad faciendum vel omittendum aliquid hominem Deo obligante, & propriè acceptum à D. Thoma 2. 2. *q. 88. art.* 1. esse dicitur Promissio de meliori bono liberè facta Deo: juxta quam à cæteris DD. magno consensu receptam definitionem ad Votum propriè acceptum exigitur

2. Primò Promissio, non tantùm simplex animi propositum, Navarrus *Manual. cap.* 12. *n.* 26. Suarez *Tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *lib.* 1. *de Voto cap.* 2. *n.* 3. & Lessius *Lib.* 2 *de I. & I. cap.* 40. *n.* 21. Ratio est; quia ex voto nascitur obligatio præstandi id, quod vovetur, juxta illud, *Vovebunt Domino & solvent*, Isaiæ *cap.* 19. *v.* 21. simplex autem propositum, quantumvis absolutum sit, obligationem non inducit, *c. Literaturam* 3. ubi, qui ultra vitæ mutandæ propositum progressus non est, à Voti obligatione pronuntiatur immunis. Neque hoc immeritò; quia non apparet, unde solò animi propositò conceptum opus exequendi obligatio oriatur; cùm ea non oriatur ex voluntate hominis, id sibi proponentis; quia iste se obligandi non habuit intentionem: actus autem agentium ultra eorum intentionem non operantur, *l. Non omnis* 19. *pr. ff. de Reb. credit.* Neque etiam ex naturâ ipsius propositi; quia hoc, si ex natura sua obligationem induceret, is, qui quotidianam auditionem Missæ, eleemosynæ largitionem, ingressum Religionis &c. sibi proponeret, ad eorum executionem graviter obligaretur; cùm propositi materia sit gravis: & violator præcepti Divini atque Ecclesiastici, cujus observantiam sibi proposuit, duplex peccatum committeret, unum contra ejusmodi præceptum, alterum contra proprium propositum: sicut, qui ad ejus observantiam voto se adstrinxit, per ejus transgressionem duplicem contrahit reatum: quæ sequelæ concordibus DD. calculis reiiciuntur.

Neque huic doctrinæ adversatur decisiones Innocentii III. & Gregorii IX. *c. Consulti* 20. *& c. Statuimus* 23. *de Regularibus*, ad vitam & conversationem Religiosam obligantium eos, qui cum proposito & voluntate absolutè mutandi vitam & Deo in Religione perpetuò deserviendi habitum susceperunt; quia utraque non de simplici, sed se obligandi intentione sive promissione firmato proposito est exaudienda, Sanchez *Lib.* 4. *Moral. cap.* 1. *n.* 29. & Palao *Tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 2. *n.* 3.

3. Secundò ad Votum exigitur, ut promissio sit vera: non ficta, seu vetitis quidem aliisque signis externis expressa, sed sine animo & intentione se obligandi; cùm enim Voti obligatio oriatur ex sola voluntate ipsius ventis, & lex quædam sit, quam vovens sibi ipsemet imponit, isto se obligandi intentionem non habente, & multò magis intentione sua obligationem excludente, non inducetur, *citt.* Navarrus *n.* 27. Lessius *n.* 6. & Suarez *cap.* 3. *n.* 7. & 10. Si promittens verum quidem Deo aliquid promittens, sed sine animo se obligandi animum, sed sine animo exequendi,

exequendi, aut, quod promisit, non exequendi animum haberet, voti obligatione teneretur; cùm ista ex sola se obligandi voluntate oriatur, & sine exequendi voluntate, imò cum voluntate non exequendi consistere possit, ut patet ex Voto Continentiæ solenni, quò etiam adstringuntur, qui sacros Ordines suscipiunt & concubinas dimittendi voluntatem non habent fere, sicut qui rem vendit sine animo eam actu tradendi; quia, sicut contractus iste non in traditione, sed in obligatione ad traditionem, sic votum non in rei promissæ executione, sed ad hanc se obligandi voluntate consistit, *citt.* Lessius *n.* 7. & Suarez *cap.* 4. *n.* 3.

6. Tertiò; ut eadem promissio fiat liberè, hoc est, cum advertentia rationis & deliberato consensu voluntatis, ut est communis sensus DD. non minorem rationis advertentiam & deliberationem exigentium ad Votum, quàm exigitur & sufficit ad mortaliter peccandum, juxta illud Glossæ *in can. Mulier, 32. q. 2. Qui se potest obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo*, Laiman *Lib. 4. tract. 4. cap. 1. n. 3.* Unde votum propriè non est promissio, ex ignorantia vel errore circa rei promissæ substantiam facta: vi absolutâ, aut rationis usum adimente metu extorta: vel, in quam quis ex subitaneo animi motu aut vehementi, & rationis usum præveniente passione prorupit; quia votum est actus humanus, cujusmodi non est promissio facta inadvertenter & indeliberatè, *citt.* Sanchez *Lib. 4. cap. 1. n. 2.* & Palao *p. 4. n. 4.* Si metus etiam injustè incussus (aliáve animi passio) rationis usum, ut fere solet, non tollat, eò impellente concepta vota valebunt: nisi constituant statum Religiosum, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 40. n. 44.*

7. Quartò; ut eadem immediatè fiat Deo: non alicui creaturæ, quantumvis sanctitate præcellenti; quia votum est actus Latriæ sive Religionis, quò principaliter & immediatè Deum tanquam supremam Majestatem colimus. Unde, cùm in aliquibus Religionibus Paupertas, Castitas & Obedientia Deo, B. Mariæ Virgini & aliis Sanctis promittuntur, illorum consiliorum Evangelicorum observantia Deo promitti censetur coram Sanctis illis, tanquam testibus vel advocatis suâ intercessione à Deo impetrantibus, quæ per vota illa desiderantur: &, cùm eidem sanctissimæ Dei Genitrici aut alteri Beato cæliti vota nuncupantur, Deo ad eorum memoriam recolendam & honorandam facta intelliguntur ferè, sicut ad ipsorum memoriam & honorem excitantur Templa, consecrantur Altaria, Sacrificia Deo offeruntur S. Thomas *cit. q. 88. art. 5. citt.* Laiman *cap. 1. n. 6.* & Palao *p. 7. n. 2.*

8. Quintò demum exigitur; ut eadem promissio sit de re, non solum possibili & bona seu honesta: sed de meliori bono, sive magis grato Deo, quàm rei vel operis eô promissi oppositum est, secundùm ejusdem Angelici *art. 2.* & aliorum DD. communem sententiam. Ratio clara est; quia promissio non obligat, nisi à promissario acceptetur: à Deo autem non acceptatur promissio rei impossibilis, malæ, omnino inutilis vel quâ melius, hoc est, perfectius & ipsi gratius opus impeditur. Unde Votum non est promissio vindictæ privatâ authoritate sumendæ, aquam ex fluvio hauriendi & in eum refundendi, nisi talem actum specialis circumstantia cohonestet, non mutuandi, manendi in seculo, matrimonium contrahendi.

Sed, licet hoc de exemplis prioribus indubitatum, & de postremis etiam duobus à DD. passim receptum sit; quòd promissio vitæ secularis & matrimonialis ex-

cludat statum Religiosum & Cælibatum, naturâ suâ vitâ illâ perfectiores, juxta illud, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me*, Matth. *cap. 19. v. 21.* & huic Christi consilio inhærentis Apo- 1. Corinth. *cap. 7. v. 40.* S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. can. 10.* de Nuptiarum
9. tamen promissione ita generale non est; ut non admittat exceptionem casûs, quô matrimonium est de præcepto, vg. cùm puellæ corruptæ & imprægnatæ de eo ineundo data est fides, aut ejus contractu inter Christianos Principes stabiliri pax, conservari propagarive Religio, clades aliáve mala publica sisti aut averti possunt; quia tali casu melius Deóque gratius opus conjugium, quàm Virginitas est; cum utique observatio præcepti potior sit consilii executione, & Religionis vel aliud publicum bonum prævaleat privato, *citt.* Sanchez *cap. 8. n. 51.* Suarez *cap. 9. n. 8.* & Laiman *cap. 2. n. 12.*

10. Simili modô conjugii ineundi votum editum ab homine, ob carnis fragilitem, inconstantiam animi & inveteratam peccandi consuetudinem ad vitia carnalia ita propenso, ut continere se vix possit, pro valido cum Navarro *cit. cap. 12. n. 43.* habent Bellarminus *Lib. 2. de Monachis cap. 14.* Guttierez *de Matrim. cap. 4. n. 8. cit.* Sanchez *cap. 8. n. 53.* & apud hos alii; quia positâ eâ fragilitate & consuetudine homini melius & utilius est, amplecti statum conjugalem: quem cùm ei præ alio suadere prudens consiliarius valeat, non est, cur ejus assumptio promitti non possit Votô; cùm homini se continere non valenti ex Apostoli sententia *Melius sit, nubere quàm uri*, 1. Corinth. *cap. 7. v. 9.*

De voto ducendi puellam pauperem vel miserabilem, vg. meretricem, à DD. fere approbata est distinctio; vel enim, inquiunt, illud editur omnino absolutè vel sub conditione, *Si matrimonium ineatur?* Si posterius hoc, pro valido id omnes habent; cùm vi ejus vovens à meliori bono & perfectiore vita non impediatur, sed solummodo in eventum, quo matrimonium ineundum est, melior & perfectior ejus contractus eligatur, *c. Inter opera 20. de Sponsi. & Matr.* Siprius, id ingressui Religionis, sacri Ordinis assumptioni & Cælibatui non obstare: imò valore destitui, volunt *citt.* Sanchez *n. 54.* & Palao *p. 8. n. 15.* quòd de meliori bono non fit. Quibus licet haud ægrè consentiam, in dubio tamen Votum conditionatum potiùs censerem, quàm absolutum cum *cit.* Suarez *cap. 9. n. 21.* quòd in dubio regulariter actûs interpretatio facienda sit, ut valeat potiùs, quàm pereat, *arg. l. Si miles 3. ff. de Milit. testam.*

Voti partitiones complures, ex iis 11. que præcipuæ sunt, quibus id dividitur primò in Absolutum & Conditionatum: quorum illô res vel opus aliquod, vg. oblatio calicis, peregrinatio, ingressus Religionis Deo promittitur simpliciter & independenter ab ulla conditione sive incerto eventu futuro: istô sive Conditionatô eadem vel alia promittuntur sub conditione ejusmodi eventûs, vg. recuperandæ salutis, victoriæ ab hoste reportandæ, negotii feliciter conficiendi. Inter quæ vota id præcipuè discriminis intercedit; quòd, licet absoluti executio in tempus futurum vg. ingressus Religionis ad decimum sextum ætatis annum protractum vel absolutionem studiorum differatur, obligatio tamen inducatur & perficiatur ipsâ promissione: & non, ut, quæ ex voto conditionato oritur, suspendatur ac pendeat ab impletione conditionis sive incerti eventûs. Unde etiam votum Absolutum proficisci censetur ex affectione in rem promissam: conditionatum autem plerumque ex affectione in eventum fu-

tum futurum, per quem conditio impletur, ut rectè advertit *cit.* Palao *p. 10. n. 1.*

12. Secundò in Expressum & Tacitum: quorum illud editur verbis, scripturâ, nutibus, Deo aliquid promittendi seque obligandi voluntatem declarantibus: istud signis quibusdam statutis à Jure, ex cujus dispositione vel potiùs præsumptione sacri Ordinis susceptione huic ab Ecclesia annexa Continentiæ, & habitûs Professorum proprii gestatione, vel ipsis solis competentium actuum exercitiô Religiosæ professionis solennia vota edita præsumuntur.

13. Tertiò in Reale, Personale, & ex utroque Mixtum: quorum primô res externa vg. pecunia, equus, fundus: alterô hominis actio vel istius omissio, vg. peregrinatio, abstinentia à carnibus: postremô res & actio hominis simul, vg. peregrinatio cum oblatione DEO promittitur.

14. Quartò in Solenne & Simplex: cujus celeberrimæ divisionis explicationes variæ, sed variis impugnationibus obnoxiæ à DD. sunt excogitatæ.

15. Et olim quidem non pauci ad mentem, ut ajebant, S. Thomæ *cit. q. 88. art. 7.* Solenne sic nuncupari voluerunt à Consecratione, Benedictionéque spirituali, aut alio simili ritu ac solennitate externa. Sed, ut hodie plerique advertunt, contra decisionem *c. Unici, in 6.* & rationem manifestam; cùm Solenne sine ulla consecratione benedictionéve & solennitate externa: & cum ista simplex votum emitti possit; sic enim professio tacita sine ulla consecratione &c. editur, & tamen tribus Solennibus Religionis votis non minùs, quàm expressa, constat: & contrà in Societate JESU Coadjutorum Formatorum, tam Spiritualium quàm Temporalium, vota Simplicia sunt: quantumvis publicè cum externa solennitate & in superioris manibus, fere sicut Professio, emittantur. Accedit, quòd votum vg. Continentiæ Solenne, quà tale, voventem ad actus oppositos, vg. ad matrimonium contrahendum inhabilem reddat: nulla autem consecratio benedictióve aut alia ceremonia, etiam voto in Religione à sede Apostolica approbata edito adjuncta, seclusâ Ecclesiæ dispositione, voventem ad ejusmodi actum inhabilem reddat, *c. Unico cit.* Propter hanc rationem

Alii cum Valentia *Tom. 3. disp. 6. q. 6. p. 7.* & Henriquez *Lib. 12. cap. 5. à n. 3.* voti Solennitatem constituunt in traditione sui ipsius, ejusmodi voto adjunctâ, sive in actu, quô vota vg. Religionis substantialia emittens in obsequium Dei perpetuò se Religioni tradit: eámque sui traditionem Religionis nomine Prælatus acceptat; sic enim, inquiunt, cùm unus homo se alteri in servum tradit, eáque traditio ab isto acceptatur, ille in istius potestatem transit; ut ab ea se eximere & alii se donare validè non possit: sic, quando in Religione approbata vota ejus substantialia emittens se tradit Religioni, eáque traditio istius nomine à Prælato acceptatur, postea se alteri tradere, & matrimoniali contractu initô jus in corpus suum in eum transferre validè non potest. Rationem utriusque reddunt; quòd rerum dominia, non nudis pactionibus & promissionibus etiam acceptatis, sed traditionibus transferantur, *l. Traditionibus 20. C. de Pactis:* ideóque sicut, quantumvis res uni vendita & promissa tradi queat alteri, & in hunc illius dominiũ transferri, *l. Quoties 15. C. de R. V.* semel tamen uni tradita res donari alteri ejúsque dominium in hunc transferri non potest, *arg. l. cit.* sic etiam, licet ab eo, qui continentiam vg. votô Deo promisit, istô insuper habitô, matrimonium iniri validè possit, iniri tamen ita nequit ab eo, qui Continentiam

16.

nentiam vovens ad perpetuum Dei obsequium actu se tradidit Religioni, hanc traditionem acceptanti; quia votum sui traditioni adjunctum Solenne euasit. Sed etiam hæc Solennis voti explicatio non satis convenit cum *c. Unici cit.* decisione: & ex alio etiam capite expedita non est; cùm in eadem Societate JESU post Noviciatûs biennium editis tribus votis Religionis substantialibus vera sui traditio istiúsque acceptatio adjungatur, & tamen vota illa solennia non sint; cùm, iis ita editis, Scholastici matrimonium validè inire potuerint ante Gregorii XIII. *Constitutionem*, quæ incipit *Ascendente*, ab eo *editam 8. Calend. Junii 1584.* Unde solennitatem voti aliunde, quàm ex illa sui traditione haberi, est necesse: ut efficaciter arguunt Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 25. n. 14.* & Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 2. à cap. 7.*

17. Hujus argumenti vim declinans Vasquez *disp. 195. cap. 8.* Voti Solennitatem constituit in eo; quòd adjunctam habeat ejusmodi traditionem perfectam & perpetuam ex parte utriusque: vi cujus, sicut vovens Religioni, sic ista ipsi perpetuò & irrevocabiliter obligatur; ut neque ille hanc deserere, neque hæc illum dimittere queat. Sed hæc quoque explicatio difficilis est; præterquam enim, quòd cum *c. Unico cit.* etiam ipsa non consonet, etiam ratione impugnatur partim; quia non omnis traditio personæ ad aliquos usus impedit ejusdem traditionem ad usus alios, præsertim rationis diversæ: ut patet exemplô servi, qui domino traditus in servitutem, eô etiam invitô, alteri tradi in conjugem, sive ad actus conjugales potest: partim; quia votum Solenne voventem ad actum oppositum inhabilem reddit, *c. Unico cit.* quæ inhabilitas non oritur ex ipso voto, vg. Continentiæ; cùm istô obstrictus matrimonium validè ineat, *c. Rursus 6. Qui clerici. & vovent.* neque ex per secta illa & mutua traditione, cum; quæ ista, licet non alterius solius, utriusque tamen partis consensu resolvi potest; ut utriusque erga alterum obligatio cesset, nisi aliunde impediatur: tum verò; quia primis Ecclesiæ seculis tria Religionis vota ejusmodi mutuæ & perfectæ traditionis adjunctione Solennia non evaserunt; cùm, qui illa, hâc accedente, emisit, Religione desertâ matrimonium validè potuerit inire, ut *can. De Viduis 7.* & *can.* Nuptiarum *27. q. 1.* non obscurè tradunt & luculenter ostendit Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 14. & cap. 22. n. 2.* Quare Voti Solennitatem aliunde haberi, est necesse: eáque

Melius provenire dicitur ex speciali Constitutione Ecclesiæ, votum cum cæremoniis seu ritibus externis, cùm ejusmodi mutua traditione, vel sine hac & illis editum, ita acceptantis; ut id, ecclesiastica authoritate seu dispensatione Apostolica, perpetuum & irrevocabile esse, voventémque ad actum oppositum inhabilem esse velit, ut à Bonifacio VIII. differè traditur *c. Unici cit.* Verbis; *Nos attendentes, quòd Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, quibus similia habentur *cit. Constitutione* Gregoriana. Unde Votum Solenne & Simplex non retione ipsius promissionis, quæ per utrumque Deo fit, ex eáque ortæ obligationis, *c. Rursus cit.* sed ratione priori extrinsecus advenientis Ecclesiasticæ Constitutionis seu dispositionis distingui, cum Azor *p. 1. Instit. Lib. 12. cap. 6. q. 1.* Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 1. n. 6.* Suarez *cit. Lib. 2. cap. 10. à n. 5.* & Palao *Tract. 16. disp. 1. p. 1. n. 6.* docent Pirrhing *ad haec Rubr. n. 5.* & Illsung *Theolog. Practic. Tract. 5. disp. 1. n. 95.* & moderni DD. plerique: ad quorum proinde mentem votum Solenne est, quod ex Ecclesiæ Constitutione

tuitione

19. tutione acceptationéque perpetuitatem & firmitatem eam habet; ut ratione sui potestate Ordinaria nequeat relaxari, voventémque ad actum oppositum inhabilem reddat; sic enim Continentiæ annexum susceptioni Ordinis sacri, & professionis Religiosæ Vota Solennia sunt; quia relaxari à solo summo Pontifice possunt, & non nisi rarissimô & gravissimô casu solent, atque insuper voventem inhabilem reddunt ad actum oppositum, vg. ad matrimonium contrahendum, *c. Unico cit.* & argumentô à contrario ductô ex *c. Rursus cit.* aut ad rerum dominium ipsi voventi acquirendum, *c. Cùm ad monasterium 6. de Statu monach.* Contrà Vota duntaxat Simplicia sunt Imprimis quæcunque hominum secularium; quia, licet ipsorum quædam vg. Castitatis & Religionis vota summo Pontifici reservata sint, ad actum tamen oppositũ sive ad matrimonium validè contrahendum voventem inhabilem non reddunt, *c. Consuluit 4. & c. Rursus cit. Qui clerici & vovent.*
20. Deinde Vota Scholasticorum & Coadjutorum Societatis JESU, cùm; quia solvi possunt à Prælato ea acceptante: tum verò quia Scholastici ante Gregorium XIII. matrimonium validè inire potuerunt: & de bonis suis ita disponere sine superiorum suorum licentia hodiéque possunt, ut ex communi docet Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 8. n. 25.* Denique Vota de docendis pueris, Paupertate retinenda, non ambiendis dignitatibus &c. quæ ejusdem Societatis Professi post quatuor Solennium votorum professionem edunt; quia, licet ab Ordinis Prælato relaxari nequeant, insolubilitatem ac firmitatẽ eam non habent ratione sui, sed ratione Votorum professionem constituentium, quibus annexa & accessoria sunt.

(o)

ARTICULUS II.

De Voti Obligatione.

SUMMARIUM.

21. *Votum inducit Obligationem,*
22. *Voventis intentioni commensuratam,*
23. *Et perseverantem executionis terminô lapsô;*
24. *Nisi iste sit obligationis finiendæ.*
25. *Votum indeterminatum quoad tempus obligat statim;*
26. *Ut, cùm primùm commodè potest, debeat impleri.*
27. *Valet indeterminatum quoad quantitatem & qualitatem,*
28. *Et obligat ad quantitatem minorem & qualitatem utilem.*
29. *Indeterminatum quoad individuum quôvis,*
30. *Et, cæteris pereuntibus, unicô superstite præstitô, impletur.*
31. *Executio differtur, cùm ad tempus:*
32. *Cùm perpetuò impossibilis redditur, cessat.*
33. *Votum obligat voventem,*
34. *Et istius obligationem in se recipientem.*
35. *Eô non promittitur factum alienum:*
36. *Sed proprium, præstandum ab ipso vovente,*
37. *Ad alium sibi substituendum non obligato, si id præstare ipse nequeat.*
38. *Ad hæredes non transit votum Personale:*
39. *Sed Reale, non tamen ultra hæreditatis vires.*
40. *In foro Animæ, etiamsi inventarium non sit confectum.*

41. *Mixtum ex parte, non tamen semper ad hæredes transit.*
42. *Vovens Religionem assumere nequit Episcopatum.*
43. *Sed illam ingredi ad hunc electus,*
44. *Et confirmatus ingrediendi licentiam petere debet.*

21. DE hac præclarè Innocentius III. *Licet*, inquit, *Universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeò tamen solutio sive impletio necessaria est post votum; ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire, c. Licet 6. pr.* ferè, sicut Contractus ab initio liberæ voluntatis, postea tamen necessitatis sunt, *l. Sicut 5. C. de O. & A.* usque adeò; ut etiam puer (doli capax) ne voti transgressor videatur, ab ejus obligatione sine redemptione, sive ejus in aliud pium opus commutatione liberatus non sit *c. Venientis 2.* Si enim fides data homini obligat, ut servetur, multò magis obligabit data Deo.

22. Ea autem obligatio commensuratur intentioni ipsius voventis; ut iste neque aliud, vel majus minúsve, neque aliò tempore aut locò modóve, quàm ipse intendit, præstare teneatur juxta illud, *Facies, sicut promisisti Domino Deo tuo*, Deuteron. *cap. 23. v. 23.* Ratio est; quia votum est lex privata, quâ alicujus rei vel operis præstandi obligatio à vovente assumitur propriâ voluntate. Unde ipsius obligationem huic commensurari: &, sicut obligationẽ Legis publicæ, isti⁹ conditoris, sic ipsam voventis, voluntatem non excedere, est necesse. Quæ omnino certa.

23. Dubium autem est primò, an Voti designato tempore non impleti obligatio cesset. Multùm refert, an designatio solam executionem, vel etiam obligationem spectet; cùm, si soli executioni certum tempus præfigatur, voti antè non impleti obligatio maneat perinde, uthomini intra mensem debitorum centum, si eo tempore non solvantur, obligatio non extinguitur, *l. Magnam 12. C. de Contrab. empt.* quia votô illô contrahitur debitum duplex: Unum præstandæ rei, quæ est promissa; alterum ejus præstationem ultra præfixum tempus non differendi, *arg. l. Celsus 23. §. 1. ff. de Recept. arbitr.* Si autem tempus præfigatur ipsi obligationi finiendæ, hæc illô lapsô cessat ex ipsius voventis, eam ultra tempus illud non extendentis, voluntate, cui ea etiam quoad tempus commensuratur. In dubio obligationi finiendæ designatum tempus censetur, quando hoc continet specialem devotionem: & istius intuitu votum principaliter editur, vg. cùm Votô promittitur jejunium in Vigilia alicujus Sancti ob specialem istius cultum, ob memoriam Passionis Dominicæ feriâ sextâ vel Sabbathô ob B. V. Mariæ Venerationem; quia hujusmodi promissionis exemplo obligatio cum tali die extinguitur. Cajetanus 2. 2. *q. 88. art.* 12. Palao *Tract. 15. disp. 1. p. 14. à n. 1.* & alii ab hoc citati.

Dubium secundò est, quando impletum sit Votum, editum sine temporis determinatione. Et Navarrus quidem *Manual. cap. 12. n. 42.* Cajetanus *q. cit. art. 3.* & Reginaldus *Lib. 18. Summæ, cap. 286.* id ex obligatione implendum volunt, quando voventem conscientia remordet. Sed, ut probè advertit Sanchez *Libr. Moral. cap. 14. n. 5.* Regula hæc nimis stricta timoratis, & nimis laxa est negligentibus suæ salutis; cùm illos facilè & frequenter; hos perrarò conscientia soleat remordere.

Quare melius cum Sylvestro *V. Votum 2. q. 2. & 5. cit.* Sanchez *n. 5.* & Suarez *Lib. 4. de Voto cap. 12. à n. 6.* tale Votum implendum docent, quàm primùm potest, juxta illud, *Cùm votum vo-*

vero

verè Domino, non tardaveris reddere Deuteron. *cap. 23. v. 21.* utique ex obligatione; *Quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum,* ibidem *v. 22.* &, *Si quid vovisti Deo, ne tardaveris reddere; displiceret enim ei infidelis & stulta promissio,* Eccles. *cap. 5. v. 3.* Ratio est; quia Voti obligatio oritur ex hominis promissione & acceptatione Dei fere, sicut obligatio conventionis humanæ; ac proinde, sicut absque temporis determinatione homini facta & acceptata promissio obligat; ut, quod promissum est, statim exigi possit, *l. Promissor 21. §. 1. ff. de Constit. pec.* sic etiam obligabit, quæ de meliori bono facta est Deo; cùm *Generaliter in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti debeatur,* Pomponii JCti sententia est *l. 14. ff. de R. J.*

26. Votum autem *Quàm primùm* & *Statim* implere, & in ejus executione non tardare ex æquitate censetur, qui id, quod debet, facit, quàm primùm spectatis rerum circumstantiis commodè potest: etiamsi aliquid temporis intercedat, *arg. l. Ratum 13. & l. Quod dicimus 105. ff. de Solut.* secundùm quas *Quamprimùm* accipi debet *Cum quodam temperamento & statio temporis, quod nec maximum nec minimum est & magis intellectu* sive prudentis & circumstantias temporis ponderantis viri arbitrio, juxta *l. Continuus 137. §. 2. ff. de V. O. Percipi, quàm locutione exprimi potest, citt.* Sanchez *cap. 14. à n. 5.* Suarez *cap. 12. à n. 12.* & Laiman *Lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 5.*

27. Dubium tertiò est de Voto rei, vg. eleemosynæ vel oblationis, indeterminato quoad quantitatem & qualitatem. Ratio dubitandi est; quòd ex una, sic vovens ad nihil, *arg. l. Triticum 94. & l. Qui insulam 95. ff. de V. O.* junctâ Glossâ *in l. Legato 37. V. Pessimus, ff. de Legat. 1.* secundùm quas rei promissæ vel legatæ incertitudine stipulatio & legatum vitiantur: ex altera verò parte, si ad aliquid, ad majorem quantitatem & qualitatem meliorem obligari videatur, *arg. l. Titia 38. §. 2. ff. de Auro & arg. leg.* hæredes ejus, qui sacræ ædi statuam vovit vel legavit, ad auream vel argenteam potiùs, quàm ad æream præstandam meritò obligantis; utique quòd plenissima interpretatio adhibenda sit in beneficiis, *c. Cùm dilecti 6. de Donationibus.*

Nihilominus ejusmodi incertitudine & indeterminatione votum non vitiari, eóque voventem non nisi ad quantitatem minimam & utilem qualitatem præstandâ obligari, cum Panormit. *in c. Ex parte 18. de Censibus à n. 2.* & Butrio *ibid. n. 7. citt.* Sanchez *cap. 13. à n. 4.* Suarez *cap. 7. n. 15.* & aliorum communis doctrina & aperta decisio est *c. Ex parte cit. & l. Nummis 75. ff. de Legat. 3.* cujus palmaris textus est, *Nummis indistinctè legatis hoc receptum est, ut exiguiores legati videantur, si neque ex consuetudine neque ex contextu testamenti possit apparere,* quales legati sint. Ratio est partim; quia Votum, cùm de voventis mente non constat, strictè, itáque interpretari oportet; ut ad plus non obliget, quàm necessarium est ad verificationem eô factæ promissionis, *arg. l. Arrianus 47. ff. de V. O.* quod quantitate & qualitate minimâ & utili qualitate præstitâ obtinetur: partim verò; quia in obscuris & dubiis minimum est sequendum, secundum, *Reg. Semper 9. ff. & Reg. In obscuris 30. in 6.* 28.

Neque ex *l. Triticum & l. Qui insulam citt.* & ex nullitate legati vel promissionis prophanæ argumentum rectè ducitur ad causam Piam; hæc enim ex æquitate Canonica sustinetur & determinanda est arbitrio boni viri, promittentis facultates, & circumstantias alias ponderantis;

rantis; cùm ejus favor non minor sit quàm dotis: cujus ob nimiam generalitatem incertæ determinatio facienda est secundùm facultates promittentis & dignitatem mariti, *l. Cùm post 69. §. 4. ff. de Jure dotium*, Panormit. *in c. Ex parte cit. n. 5.* & Tiraquell. *Causæ Piæ privileg. 55.*

Neque etiam, quantitatem majorem & qualitatem meliorem præstandam, evincunt *citt.* textus utriusque Juris: Canonici; quia, licet ex *c. Cùm dilecti cit.* depromptæ Regulæ locus sit in beneficiis Principum & Nobilium, quando latam interpretationem eorum intentioni conformem esse, constat, votorum tamen obligationes in dubio non extendendæ, sed restringendæ sunt; ne sacrilegæ violationi occasio facilè detur, ut cum *cit.* Panormit. *n. 4.* advertit laudatus Suarez *n. 13.* Civilis autem; quia *l. Titia 38. §. 2. cit.* statuam auream vel argenteam, non æreâ deberi, asseritur; quòd, cùm in æde sacra solæ aureæ vel argenteæ extarent, ex hac circumstantia de voventis mente satis constaret. Unde etiam legatum vel promissio calicis facta Ecclesiæ, in qua nulli stannei vel cuprei extant, in dubio de argenteo accipienda est, *arg. §. cit.* & *can. Ut calix 45. dist. 1. de Consec.* quia hoc casu ex circumstantiis constat de voventis intentione, *citt.* Panormit. *n. 4.* & Sanchez *n. 13.*

29. Dubium quartò est de Voto indeterminato quoad individuum, vg. unius equi vel calicis de duobus vel pluribus. Quô casu, si omnes extent, quem vovens ejúsque hæres maluerit præstandum, neque pretiosiorem deberi, docent Sanchez *cit. cap. 13. n. 19.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 270. n. 6. arg. c. Ex parte cit. & l. Qui ex pluribus 106. ff. de V. O.* quâ de ejusmodi promissione homini facta
30. idem habetur. Non tamen, ut hi DD. volunt, cæteris individuis pereuntibus & unô solô remanente, voti obligatio perit; cùm enim tali voto ex istis unus equus vel calix disiunctivè, hic scilicet vel ille promissus sit, remanet materia voti tota & ad ejus impletionem sufficiens: quæ proinde, & in dubio, cui Ecclesiæ promissa sit, cui vovens voluerit, præstanda erit, ut cum Bonacina *Tom. 2. disp. 4. q. 2. p. n. 34.* rectè docet Palao *Tract. 15. disp. 1. p. 12. n. 26.*

Dubium est quintò, an Voti obligatio cesset, cùm ejus executio redditur impossibilis. Eô casu generaliter, id rei vel operis alterius substitutione redimendum, tradi videtur *c. Quod super 9.* cujus decisione, superveniente executionis impedimentô perpetuô, ac proinde impossibili redditâ executione, votum peregrinationis ad terram Sanctam præstatione expensarum in iter faciendarum est redimendum. Sed hac in re opus est distinctione; vel enim Voti executio impossibilis redditur solummodo ad tempus vel perpetuò?

Si prius, expectandum est, donec impedimentô cessante executio possibilis reddatur, ex aperta decisione *c. cit.* Neque hoc casu dispensationis petendæ necessitas imponitur *c. Non est 5. pr.* quia ejus casu ad Apostolicam sedem recursum fuit vel ad tranquillandam conscientiam, tam ipsius Regis Hungariæ quàm Archiepiscopi Strigonienſis: vel quòd dubium esset, an perturbatus regni status justa esset causa differendi executionem votô promissæ peregrinationis ad terram Sanctam: in dubio autem ad superiorem recurrendum sit, secundùm Glossam *in c. Magnæ 7. V. Noluisti*, ubi ait, quòd nemo debet interpretari suum votum, *c. Venerabilem 34. V. Nec valet, de Elect.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.*

Si posterius, & executio omnino impossibilis est, voti exequendi obligatio
31. cessat,

cessat, hoc ipso; quòd impossibilium nulla obligatio sit, per *Reg. 185. ff. & Reg. 6. in 6.* Nisi res promissa dividua sit, vg. peregrinatio cum oblatione centum aureorum; tali enim casu, seclusâ voventis speciali intentione, impossibili redditâ parte unâ vg. peregrinatione, obligatio remanet ad alterum sive oblationem; ne utile per inutile vitietur, contra *Regulam, Utile 37. in 6. Seclusâ*, inquam, *intentione*; quia, si vovens utramque simul & neutram sine altera, vel partem possibilem solùm accessoriè ad eam, quæ jam impossibilis est, promittere intendisset, etiam possibilem præstandi obligatio omnino extingueretur, secundùm *Regg. 185. & 6. citt.*

Neque adversatur decisio *c. Quod super tit.* quia isto perpetui impedimenti nomine non intelligitur, quod rei promissæ executionem physicè vel etiam moraliter impossibilem, sed quod eam difficillimam reddit: quo casu votum commutatione, sive rei vel operis alterius substitutione redimendum est, ut cum Panormit. *in c. Licet 6. n. 13.* Sylvestro *V. Votum 2. q. 6. & 10.* & aliis advertunt *citt.* Sanchez *cap. 2. n. 25.* & Sua *cap. 11. n. 17.* Non malè etiam alii, votum Peregrinationis Hierosolymitanæ redimendum, ibi asseri, volunt; quod eam voventes, ad subsidium terræ Sanctæ per se vel, si etiam, justo impedimento interveniente, ita non possent, per subministratos sumptus ferendum se obligare intendisse, ab Ecclesia præsumerentur, ut non obscurè insinuatur *c. cit.* textu & notant Panormit. *ibi n, 5.* Navarrus *cit. cap. 12. n. 55.* & Laiman *cit. Tract. 4. cap. 3. in fine.*

33. Dubium sextò est, an voto solus vovens adstringatur. Quod oritur ex *c. Licet 6.* ubi ab Andrea Rege Hungariæ in in terræ Sanctæ subsidium voto promissam expeditionem filius coactus est adimplere: quod etiam comprobat usus; cùm non rarò in acceptorum à Deo beneficiorum recognitionem, ad imminentis mali periculum avertendum à Magistratibus edantur vota, ad quorum executionem populus adstringitur & compellitur. Sed hæc leviora sunt, quàm ut votô ab aliquo editô alios, qui in id non consenserunt, adstringi persuadeant; quia *c. cit.* filius ad peregrinationem Hierosolymitanam ideo solùm compulsus fuit; quòd intellectâ piâ voluntate parentis illam voventis, quod iste voverat, sine ulla dilatione se impleturum ipse promiserit; ac proinde ad obeundam illam peregrinationem suô potiùs quàm paternô votô teneretur; quia ab ipso facta Crucis assumptio voti Deo facti signum fuit, ut ex communi DD. sensu advertit Suarez *cit. Lib. 4. cap. 9. n. 3.* Voto etiam edito à Magistratu vel majori parte communitatis, ut hæc tota obligetur, necessarium est; ut ab aliis eam constituentibus acceptetur, vel approbetur ab Episcopo; ut pium opus, ad quod Magistratus vel communitatis pars major proprio voto adstringitur, ipsi Ecclesiasticâ authoritate latæ vel approbatæ legis vi præstare teneantur, ut advertit idem Doctor & *cit.* Sanchez *cap. 15. n. 19.* 34.

Quamobrem Sylvestri *V. Votum 2. q. 9. cit.* Sanchez *cap. 15. num. 14.* & aliorum communis doctrina est, voto quocunque adstringi solum voventem; quia votum est lex privata, quam vovens sibi ipse imponit & obligatio ab ipso voluntariè suscepta: quem proinde ex ipsa voti natura & voventis intentione solum adstringit, juxta illud Regii vatis, *Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea, Psalm. 65. v. 13.* nisi ab ipso vovente sibi impositam obligationem voluntariè etiam alii assumant:

ſicut accidit *c. Licet cit.* & non ratò in votis Realibus; cùm eorum executio iſque promiſſæ rei exhibitio, vg. oblatio calicis aut eleemoſynæ largitio, de ſuo per alium fieri non rarò ſoleat. Unde

35. Infertur primò, voveri non poſſe factum alienum, vg. ieiunium, peregrinationem, ingreſſum Religionis alterius: de quo tamen edita vota à DD. ferè ſuſtinentur adhibitâ interpretatione, vi cuius ipſis promiſſa cenſeatur diligentia & ſerius conatus; ut, quod ipſius nomine promiſſum eſt, præſtet. Quô modò ſi vota explicentur, iis non tam alienum, quàm proprium factum, ſcilicet diligentia & cura eſt promiſſa, ſecundùm Gloſſam *in §. Si quis alium 3. Inſtitut. de Inutil. Stipul.* quâ adhibitâ ſi alter nolit, ex promiſſione ſua ortæ obligationi vovens ſatisfecit, *cit.* Sanchez *Lib. 3. cap. 5. n. 9.*

36. Infertur ſecundò, votum implendum ab ipſo vovente, neque ſatisfieri, ſi eô promiſſum, vg. ieiunium, peregrinationem vel ingreſſum Religionis exequatur alius; quia eô promiſſum factum proprium eſt. Quod etiam procedit in voto Reali, cùm iſto quoque obſtrictus ſatis non faciat, ſi ad rem promiſſam præſtandam alium inducat: niſi iſte eam præſtet de rebus ipſius voventis vel nomine ipſius aut animô ipſum ab obligatione liberandi: &, quod ita ſuo nomine factum eſt, vovens ratum habeat; cùm enim ratihabitio retrotrahatur & mandato æquiparetur, per *Reg. 10. in 6.* perinde eſſet, acſi pecunia in pauperes diſtribuenda donata voventi ejúsque diſtributio ab hoc mandata fuiſſet, Sanchez *cit. cap. 15. n. 7.* & Laiman *cit. Tract. 4. cap. 3. n. 8.*

37. Infertur tertiò, eum, qui votum ſuum implere ex quacunque cauſa, etiam ſuâ culpâ non poteſt, alium, ut id impleat, rogare non teneri, ſive id Reale ſit, ſive Perſonale; ac proinde, ſicut qui jejunium vel peregrinationẽ vovit, cùm viribus deſtituitur: ſic etiam, qui eleemoſynæ largitionem, oblationem calicis vel Monaſterii fundationem vovit, cùm facultatibus deficientibus non poteſt, ad alium, qui ea præſtet, ſibi ſubſtituendum, niſi ad hoc ipſum ſe obligare intendiſſet, non adſtringi; quia voventis promiſſio ſe non extendit ultra ipſius intentionem, *arg. l. Non omnia 19. ff. de certum petatur*: quæ fuit, actum vel opus promiſſum per ſe vel de ſuo præſtare, *citt.* Navarrus *cap. 12. n. 51.* Suarez *cap. 10. n. 10.* & Laiman *cap. 2. n. 9.*

38. Dubium ſeptimò eſt, an defuncti votô teneatur hæres, cujus reſolutio pendet ex qualitate voti. Et quidem, ſi hoc ſit merè Perſonale, ſicut eſt, quô oratio, jejunium aliíque mortificationis actus vel peregrinatio promittitur, id ad hæredem non tranſire, ſed cum voventis perſona extingui, communis omnium doctrina, iſtiusque ratio perſpicua eſt: quia vota Perſonalia ſunt de actione ipſius voventis, quæ præſtari ab hærede nequit. Hæres tamen etiam ad actionem ei, quam vovens promiſit, ſimilem obligari poteſt vel; quòd teſtator ipſum inſtituat ſub conditione vel obligatione eam præſtandi: vel; quòd hæres ſponte promiſerit vg. peregrinationem aliámve actionem ſimilem ei, quam defunctus vovit, *arg. c. Licet 6.*

39. Si votum ſit Reale, ejus juxta hæreditatis vires implendi obligationem ad hæredem quemcunque tranſire, Regula eſt Juris utriusque, *c. Ex parte 18. de Cenſibus & l. Si quis rem 2. ff. de Pollicit.* quibus textibus hæres ad ſolvenda defunctorum vota & promiſſiones diſertè obligatur ex ratione; quod voti obligationem ad

nem ad hæredem transire constet, quæ redditur *l. cit.* cujus ratio ulterior est; quia hæres adeundò hæreditatem ex quasi contractu defuncto, sicut in rebus, juribus & actionibus, sic etiam in oneribus & obligationib⁹ Realibus ipsi hæreditati annexis succedit *l. Hæreditas 62. ff. de R. I.* ad quæ proinde obligatur ex Justitia, & sub privationis hæreditatis, tanquam ejus indignus, & excommunicationis pœnis compelli potest, *c. Licet cit. & c. Si hæredes 6. de Testament. citt.* Sylvester *q. 11. d. 4.* Sanchez *cap. 15. n. 26. & 29.* & Suarez *cap. 11. n. 6.* Dixi autem, *Juxta vires hæreditatis* sive ex eo tantùm, quod, debitis solutis & necessariis funeris expensis jam deductis, supereſt, *l. Mulier 72. ff. de Jure dotium & l. fin. §. 4. C. de Jure delib.* quia de eo solo testator vovendò aut legandò disponere potest.

40. Quod in foro Conscientiæ interno satis probabiliter procedit, etiamsi inventarium confectum non sit, non obstante *§. 12. l. fin. cit.* hæredes inventarium non conficientes ad defuncti debita solvenda ultra vires hæreditatis obligante; quia hæc ejus dispositio fundatur in præsumptione fraudis, quâ inventarium non conficiens res subtraxisse videtur: quâ proinde fraude cessante legis obligatio in foro Conscientiæ cessat, ut cum Bartolo *in l. 1. C. de SS. Eccles. n. 45.* Felino *in c. 1. de Constitut. n. 44.* Sylvestro *V. Hæreditas 3. q. 3.* & aliis docent Sanchez *cit. cap. 15. n. 37.* & Palao *cit. disp. 1. p. 16. n. 4.* Eôdem modò hæredi salva manere debet legitima; quippe quæ per debitum voluntarium & merè liberale, cujusmodi est, quod ex voto aut legato pio oritur, gravari aut diminui à testatore non potest, Covarruvias *in c. Si hæredes cit. n. 9.* Sanchez *l. cit. n. 38.* & Laiman *cit. Tract. 4. cap. 3. n. 13.*

41. Si demum votum sit Mixtum, voventis defuncti hæres præstare tenetur, quod in eo Reale, & independenter à Personali est promissum: non etiam id, quod in voto Personale vel dependenter aut accessoriè ad hoc est promissum, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6.* Sylvester *V. Votum 2. q. 11. d. 3.* Navarrus *cit. cap. 12. n. 56.* & Sanchez *cap. cit. n. 30.*

42. Dubium octavò est, an Religionis voto satisfiat susceptione Episcopatûs. Quod non obscurè sustinet Panormit. *in c. Per tuas 10. n. 6.* & suadet ratio; quia Episcopatus est status perfectior Religiosô, *c. Licet 18. de Regular.* quia iste via est ad Perfectionem consequendam, quam ille supponit, juxta illud, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, 1. Timoth. *cap. 3. v. 2.* Cùm ergo votum non infringat, qui id in melius commutat, *c. Scriptura 4. hâc Rubr. & c. Pervenit 3. de Jurejurando* Religionis vôto Episcopatûs acceptatione satisfiet: sicut voto certæ Religionis satisfit per ingressum strictioris, *arg. cc. citt.* Quod *c. Per tuas cit.* decisione firmatur; quia eô Papa post votum Religionis ad Episcopatum electo Religionis ingressum solummodo suadet, non præcipit; cùm utatur verbô *Consulimus.* Unde acceptationem Episcopatûs post votum Religionis omni culpâ vacare, cum Rodriquez *Tom. 2. Summæ cap. 6. n. 6.* existimat Henriquez *Lib. 10. cap. 3. ad finem.*

Sed hæc *c. Per tuas cit.* expositio soli verborum cortici inhæret, & non assequitur mentem rescribentis; cùm *c. cit.* post ejusmodi votum ad Episcopatum electo Papa Religionis ingressum suadeat *Si suam sanare desideret conscientiam*; quibus verbis voventem, Episcopatûs acceptatione non obstante, ad ingressum illum conscientiæ obligatione & sub peccato adstrictum, declarat; quia consulenti suasit id, ad quod voti vi tenebatur, ut

in c. cit.

in c. cit. notat Barbosa *n. 3.* Unde ejusmodi voto assumptione Episcopatûs satis non fieri, & voventem istô dimissô ad Religionis ingressum sub peccato adstringi, communis est sententia DD. à qua, etsi non divertam, ingressum tamen illum post assumptionem Episcopatûs non semper liberum & expeditum; ideóque locum esse existimo distinctioni; vel enim ejusmodi voto ligati ad Episcopatum electio ab ipso solùm acceptata est, vel ea insuper à Sede Apostolica est confirmata?

43. Si prius, ut in casu *c. Per tuas cit.* juxta istius decisionem dimissô Episcopatu Religionem ingredi debet: &, quia spiritualis conjugii vinculô alligatus nondum est, liberè potest, non obstante Perfectione statûs Episcopalis; quia, licet iste secundùm se spectatus perfectior sit Religioso: non tamen perfectius est, ipsum assumere & appetere præ Religioso, cùm; quia Episcopalis exigit hominem irreprehensibilem, 1. Timoth. *cap. 3. v. 2.* hoc est, Perfectum & omni virtutum genere ornatum; cum unico illo verbo omne Virtutum genus expressum sit, secundum S. Chrysostomum *in Epistol. ad Timoth. Homil. 10.* se autem ita perfectum esse, præsumere de se nemo debet & potest sine nota elationis: tum verò; quia Episcopalis status non est medium perfectius ad propriæ animæ salutem consequendam; ac proinde voventi non melior quàm status Religiosus. Quare post illius votum ad Episcopatum electus Religionem ingrediendo votum adimplere tenetur; etsi, eô per ingressum impletô, ad Episcopatum eligi, suique electionem cum licentia Prælati valeat acceptare; quia status Religiosus Episcopalem dignitatem non excludit, *Clement. 1. §. fin. de Elect.*

44. Si posterius, & voto insuper habito Episcopus iam confirmatus aut insuper consecratus sit, licet Episcopatûs assumptione peccârit; quòd votum exequendi liberam facultatem sibi ademerit, & illius Religione adhuc teneatur, per assumptionem tamen ingressum id adimplere non potest sine authoritate Sedis Apostolicæ, relaxantis vinculum matrimonii spiritualis, quô Ecclesiæ suæ per Confirmationem est devinctus, *c. Inter 2. de Translat. Episc. & c. Nisi cum pridem 10. de Renunciat. citt.* Sanchez *cap. 17. n. 6.* Suarez *Lib. 3. cap. 4. n. 8.* & aliis relatis *in c. Per tuas cit.* Barbosa *n. 5.* & Gonzalez *n. 3.* Casu tamen, quô Ecclesiæ sive Episcopatui utilior, eique melius, quàm ei, præfuturus judicaretur, vinculis, quô Ecclesiæ suæ alligatus est, dissolutionem à Papa non facilè impetrandam jam monui, cùm de Religionis voto, post Episcopatum jam assumptum edito, agerem *Lib. 1. Tit. 9. n. 73.*

ARTICULUS III.

De Voti Redemptione, seu Commutatione & Relaxatione.

SUMMARIUM.

45. *Voti obligatio cessat I. Lapso temporis &c.*
46. *II. Conditione deficiente,*
47. *Etiam culpâ ipsius voventis.*
48. *III. Cessante causâ finali adæquatâ.*
49. *IV. Irritatione, quâ impuberum vota à patre:*
50. *A tutore, & aliquando à matre;*
51. *Non etiam ab hero & Magistro cassantur.*
52. *Etiam puberum vota, ante pubertatem;*

53. Non

53. *Non etiam post hanc inchoatam, edita irritari valent.*
54. *Suo tamen juri præjudicantia servorum Dominus,*
55. *Religiosorum Prælatus,*
56. *Abbatissa Monialium,*
57. *Maritus Uxoris,*
58. *Et ista etiam Mariti vota irritare valet.*
59. *V. Commutatione, factâ à legitimo superiore.*
60. *Rem promissam in meliorem ipse vovens:*
61. *In æqualem solus superior commutat:*
62. *Nisi votum sit Reservatum,*
63. *Vel commutatione præjudicetur tertio,*
64. *Vel justa causa desideretur.*
65. *VI. Dispensatione Episcopi, obligationem Dei nomine,*
66. *Et ex justa causa remittentis:*
67. *Nisi remissione tertio præjudicetur,*
68. *Aut votum sit ex Reservatis.*
69. *Reservatio odiosa est, & non extendenda;*
70. *Ut non afficiat vota imperfecta,*
71. *Et accidentales circumstantias perfectorum:*
72. *Neque etiam vota, extorta gravi & injusto metu,*
73. *Conditionata & Pœnalia,*
74. *Reservata duobus casibus Episcopi,*
75. *Et aliquando speciali jure alii relaxant.*

45. EX dictis constat, voti obligationem extingui lapsu temporis, ei finiendæ præfixi, & materiæ eô promissæ mutatione tantâ; ut de facto vel de Jure impossibilis, majoris boni impeditiva, vel omnino inutilis incipiat esse; cùm tali casu locum habeat illud, ICT. *Obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest, l. Pluribus* 140. §. 2. *ff. de V. O.* Panormit. *in c.* 1. *n.* 4. & Laiman *Lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 3.

Secundò ejus obligatio cessat deficiente conditione, sub qua actus vel rei præstatio Deo est promissa; sic enim, qui sub muneris publici consequendi aut victoriæ ab hoste reportandæ conditione peregrinationem aut piam fundationem voverunt, conditionibus illis deficientibus ad pia hæc opera non ampliùs adstringuntur. 46. Quod probabiliùs verum est, quando conditionis eventus ab ipsomet vovente, etiam malitiosè, est impeditus, ut cum Majore *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *coroll.* 7. docent Suarez *Lib.* 4. *de Voto cap.* 17. *n.* 20. & Palao *Tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 17. *n.* 11. 47. Ratio est; quia obligatio voti commensuratur & pendet ab intentione ventis: qui, sub conditione aliquid vovens, ad id præstandum obligari non vult, nisi in eventum conditionis; ac proinde casu, quô eventus impeditur, obligari non vult; quia, conditionis eventu impedito, votum absolutum non evadit. Confirmatur; quia tali casu non obligatur ex sua voluntate; quia istâ se tantùm obligat in casum implendæ conditionis: neque ex culpa, commissâ impediendo eventum conditionis; quia ex ea ad pœnitentiam duntaxat, non etiam ad restitutionem tenetur; cùm eâ Deo solùm denegetur debitus honor & cultus, non in bonis ipsi utilibus inferatur damnum, aut auferatur lucrum, quod restitutione compensetur.

Neque cum hac doctrina pugnat; quòd conditionatæ promissionis humanæ obligatio non cesset, quando, ne conditio existeret, obligatus ipse curavit, *l. In executione* 85. §. *fin. ff. de V. O.* & Juris regula sit, *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur,*

impleatur, haberi debet perinde. acsi impleta fuisset, quæ est *66. in 6.* quia Regulæ huic non, sicut in homini, sic etiam in Deo factis promissionibus est locus; cùm illarum obligatio multùm pendeat ex Positivi Juris dispositione: Deo autem factarum ex sola intentione voventis: qui aliquid conditionatè vovens se obligare solummodo intendit in casum implendæ conditionis. Accedit; quòd, humanæ promissioni adjectæ conditionis eventum impediens, promissario auferat lucrum, aut damnum inferat in rebus ipsi utilibus: impediens autem conditionem, adjectam promissioni Deo factæ, honorem tantùm & cultum ipsius impediat: & istius peccatum solùm Religioni, transgressorem ad pœnitentiam: illius autem peccatum Justitiæ virtuti, transgressorem ad damni illati & lucri injustè impediti reparationem obliganti, adversetur, *citt.* Suarez *cap.* 17. *n.* 20. & Laiman *Tract. 4. cap. 6. n. 4.*

48. Tertiò, voti obligatio cessat, cessante causâ finali, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat.* sic enim votum non ingrediendi certam domum propter occasionem peccandi, quæ in ea fuit, istâ ablatâ: & votum peregrinandi pro salute amici, istô mortuô, desinit obligare ex tacita voluntate ipsius voventis: qui in casum deficientis causæ, quâ ad vovendum principaliter est motus, se obligare non intendit, Panormit. *in c. Magnæ 9. n. 14.* Sylvester *V. Votum 2. q. 8. citt.* Sanchez *cap. 2. n. 42.* & Suarez *cap. 18. n. 5.*

Ne autem his obstet *c. Magnæ cit.* textus, quô peregrinationis Hierosolytanæ votum ab Episcopo editum causâ subsidii, pro recuperanda Ecclesiæ suæ libertate, impetrandi à Campaniæ Comite, istô mortuô, ac proinde causâ finali cessante, in alia pia opera ab Innocentio III. fuit commutatum, luculentô argumentô obligationis, etiam causâ finali deficiente, remanentis. Ne, inquam, ille obstet, dictam Peregrinationis causam pro impulsiva tantùm habent Panormit. & Sylvester *l. citt.* Sed contra textum; cùm eam causam finalem fuisse, clarè insinuent *cit. c.* verba, *Cùm intentionem tuam*, morte Comitis, *conspiceres jam frustratam*, & *cùm pro libertate Ecclesiæ præcipuè votum Peregrinationis emiseris.* Quare meliùs Gonzalez *in c. cit. n. 5.* dictam causam finalem quidem, at non unicam sive adæquatam fuisse, ait; quòd votum illud ex parte etiam editum fuerit pro salute animæ propriæ: quæ causa *c. cit.* lectione plenâ ab eo relatâ exprimitur verbis, *Cum pro salute animæ tuæ & libertate Ecclesiæ assequendæ præcipuè votum Peregrinationis emiseris*; &, quia, Comite mortuô, adhuc viguit, voti commutatio omnino habuit locum. Cui expositioni, si *c. cit.* verba, *Quia cessavêre causæ illæ*, adversari dicantur, non malè cum *cit.* Sanchez *n. 43.* eò relati voti commutationem, etsi necessaria non esset, tamen ad majorem cautelam & tranquillitatem atque à scrupulis liberandam conscientiam adhibitam ait, ut etiam notat Barbosa *in c. Magnæ cit. n. 10.*

Quartò voti obligatio cessat Irritatione ejus, cujus potestati vovens subest, aut votô præjudicatur; sic enim filii & filiæ impuberis, quantumvis doli capacis, omnia vota, tam Personalia quàm Realia, irritare valet pater, & in ejus absentis, amentis &c. defectum avus paternus; quia eâ ætate filius propter imbecillitatē judicii ipsius potestati & gubernationi, in assumendis præsertim ejusmodi obligationibus, naturali æquitate suadente, unanimi omnium fere gentium consensu & usu subjectus est, Numer. *cap. 30. v. 6. can. 1. can. Puella 20.*

la 20. *q.* 2. *& can. Mulier* 32. *q.* 2. *citt.* Sanchez *cap.* 35. *n.* 7. Suarez *Lib.* 6. *cap.* 6. *à n.* 1. similem potestatem ad pupilli vota irritanda ex communi DD. sensu adstruentes Tutori, *can. Puella cit.* quòd in persona & actionibus pupilli gubernandis patri subrogetur: uti etiam respectu liberorum impuberum, tutore carentium, & mortuô, absente vel amente patre, avóque deficiente, matri, per *can.* 1. *& can. Puella citt.* textus, vota irritandi potestatem parentibus in plurali; ac proinde hôc saltem casu, matri adstruentes; quòd, illis deficientibus, liberorum impuberum gubernatio & cura ad ipsam pertineat, *citt.* Suarez *cap.* 6. *n.* 22. & Laiman *cap.* 7. *n.* 10.

51. In eorundem & matris etiam defectum impuberis vota ab hero & Magistro, sub cujus gubernatione ille existit, irritari posse, aliqui volunt apud *cit.* Sanchez *cap.* 35. *n.* 83. & Palao *Tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 7. *n.* 8. quòd respectu ejus patris vice fungantur. Quam illorum Opinionem, etsi non damnent, tamen, quòd aliô quàm pietatis fundamentô non nitatur, amplecti DD. *citt.* ausi non sunt; quòd ad votorum irritationem requisita potestas dominativa ejusmodi impuberum hero & Magistro nullô Jure concedatur; ideóque ejusmodi impubes sui juris reputetur, *c. Unico, de Infant. & lang.* ut *ibi* notat Gonzalez *n.* 8.

52. Pater autem, tutor & alii, qui in ea potestate patri succedunt, ab impuberibus edita vota irritare etiam possunt, postquam illi pubertatem sunt adepti: dummodo puberes facti ea non confirmârint, ut *arg. c. fin. de Sent. excom.* cum Navarro *Manual. cap.* 12. *n.* 7. *citt.* Sanchez *cap.* 30. *n.* 14. Suarez *cap.* 6. *n.* 9. & aliis docet Laiman *cit. cap.* 7. *n.* 11. Ratio est; quia ex una, pater in filium puberem factum, etiam emancipatum semper retinet aliquam potestatem, etsi multùm diminutam, ob quam ei reverentia & obedientia debetur: cui similem potestatem in pupillum etiam pubertatem adeptum habet tutor; quia in locum patris succedit: &, cùm ejus filii personam regendam susceperit, adhuc aliquô modô repræsentat: ex altera verò parte, superior, quando ejus in personam potestas non omnino extincta est, sed adhuc manet, vota ab ea antecedentis, & plenioris subjectionis tempore emissa &, istô elapsô, non confirmata rescindendô in irritum revocare potest: quod Regulæ instar traditur à DD. *citt.*

A filio jam pubere edita vota irritari à patre nequeunt, nisi ea præjudicent ipsius administrationi & domesticæ gubernationi, ut colligitur ex *can.* 1. *can. Puella citt. l. Deo nobis* 56. §. 1. *C. de Episc. & Cleric. & Novella* 123. *cap.* 41. Ratio est; quia, cùm filius pubertatem adeptus discretionem & maturitatem judicii ad vovendum sufficientem habeat, ab eo edita vota irritandi potestatem alii concedi non expediebat extra casum, quô, votô ab eo editô, in ipsorum præjudicium aliquid promissum esset, *citt.* Sanchez *cap.* 35. *à n.* 15. & Suarez *Lib.* 6. *cap.* 5. *à n.* 4. Quare, licet pater irritare valeat à filio edita vota oblationis de bonis, quorum dominium & administrationem pater habet, uti etiam longam peregrinationem, jejunia & abstinentiam cum periculo morbi, vel domestici ordinis perturbatione conjunctam &c. irritari tamen ab eo nequeunt vota Castitatis, Religionis, susceptionis Ordinis sacri, observantiæ præceptorum Divinorum, orationis, jejunii, aliarúmque corporis afflictionum moderatarum; cum per ista paterno juri non præjudicetur, *citt.* Sanchez *à n.* 15. & Suarez *à n.* 5. 53.

54. Simili modo dominus servorum suorum vota, quibus ipsi debitum servitium impeditur, *arg. l. Si quis rem 2. §. 1. ff. de Pollicit.* non etiam alia irritare potest, ex D. Thomæ 2. 2. *q. 88. art. 8.* Panormit. *in c. Scripturæ 4. n. 6.* Sylvestri *V. Votum 4. q. 2. d. 5.* Navarri *Manual. cap. 12. n. 64.* aliorúmque Interpp. ac DD. sensu communi. Unde, licet dominus irritare valeat à servo edita vota Realia; quòd (seclusô peculiô) ex quibus illa impleat, propria bona non habeat; cùm ejus operæ, industria & res domini bonis connumerentur, §. *Item vobis 3. Instit. Per quas pers. nob. acquir.* uti & vota Religionis, sacri Ordinis assumendi, obeundæ peregrinationis, aliorúmque operum à domini servitiis abstrahentium: irritare tamen nequit vota, quibus servus Divinorum præceptorum observantiam, Continentiam, Orationes & jejunia moderata & similia opera pia Deo promittit; quia istorum neque obligatione, neque executione domini juribus præjudicatur, *cit.* Sanchez *cap. 36. à n. 2.*

55. Præterea Religiosi Ordinis Prælatus sibi subjecti Regularis vota omnia potest irritare, exceptô votô ingrediendi strictioris observantiæ Religionem, ad quam transitus, superiore etiam invitô, Jure permissus est, *c. Licet 18. de Regular.* & votis constituentibus statum Religiosum: cujusmodi sunt vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ in omnibus, & quædam his accessoria & annexa: ut sunt Redemptionis captivorũ in Mercenariorum, Quadragesimalis abstinentiæ in Minimorum, ingrediendi Societatem sive acceptandi aliquem Gradum, Obedientiæ summo Pontifici exhibendæ & quædam Simplicia vota in Societate JESU, & alia quædam in aliis Religionibus recepta. Ita cum Doctore Angelico *cit. art. 8.* & Navarro *cit. cap. 12. n. 65.* docent *citt.* Sanchez *cap. 33. à n. 4.* & Suarez *cap. 7. à n. 3.* Ratio est; quia, sicut authoritate Legis pupilli voluntas parenti aut tutori, sic Obedientiæ voto, eique accedente Ecclesiæ approbatione Religiosi voluntas subjecta est Prælato; ut sine istius consensu nihil vovere ita firmiter possint, quin ab ipso valeat revocari, ut docet praxis & usus Religionum, & habetur *c. Non dicatis 12. q. 1. & c. Si Religiosus 27. de Elect. in 6.* cujus in rem præsentem luculentus textus est, *Cùm Religiosus velle & nolle non habeat, sed ex ejus, quem Dei vice super caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, pendeat potestate.*

56. Simili fere modô Abbatissæ & Priorissæ irritare possunt vota Monialium ibi subjectarum; non quidem omnia, sed ea saltem, quæ domesticæ ipsarum gubernationi præjudicare & obesse possunt. Ratio est; quia, licet per votum Obedientiæ, sicut Prælatis Religiosi, sic ipsis Moniales subjiciantur, non tamen in has aliam potestatem habent, quàm domesticam, domûs & familiæ regendæ gubernationem concernentem, Azor *p. 1. Instit. lib. 11. cap. 17. q. 3.* & Palao *cit. disp. 2. p. 8. n. 7.*

57. Demum maritus irritare potest vota uxoris; non quidem simpliciter omnia, sed ea tantùm, quæ usui matrimonii, rectæ educationi prolis, domesticæ gubernationi & administrationi familiæ præjudicium afferre possunt, ut cum *citt.* Navarro *n. 64.* Azor *cap. 7. q. 12.* Lessio *Lib. 2. de I. & I. cap. 40. n. 83.* Suarez *Lib. 6. cap. 4. n. 2.* & aliis contra *cit.* Sanchez *cap. 34. n. 3.* eam mariti potestatem ad omnia uxoris vota extendentem, verisimiliùs defendunt Pontius *Lib. 10. de Matr. cap. 17. §. 1. n. 3. citt.* Laiman *cap. 7. n. 12.* & Palao *p. 6. n. 2.*

Ratio,

Ratio, quâ nituntur, unica, sed solida est; quia nullo Jure expressum est, uxorem in actionibus prorsus omnibus, etiam matrimonialem statum non concernentibus, subjici marito; cùm ejus subjectio quoad vota oriatur ex contractu matrimonii, ac proinde istius fini commensuretur: neque se extendat ad vota, quibus vg. Divinorum præceptorum observantia, eleemosyna vel oblatio de propriis bonis, Confessio vel Communio, oratio, mortificatio moderata & similia opera, fini illi non præjudicantia, promittuntur.

58. Ex eadem ratione etiam ab uxore irritari queunt vota mariti, præjudicantia mutuæ cohabitationi & obligationi: sicut vg, sunt longa peregrinatio, immoderatæ abstinentiæ & similia opera, usum matrimonii reddentia multò difficiliorem, *citt.* Sanchez *n.* 20. & Suarez *n.* 8.

Neque ampliorem potestatem marito competere, rectè desumitur ex sacris textibus Numer. *cap.* 30. *v.* 11. & Ephes. *cap.* 5. *v.* 22. quia posteriori hôc efficaciter plus non probatur, quàm uxorem quoad prædictos fines viro subjectam esse, sicut Ecclesia subjecta est Christo. Priori etiam, præterquam quòd eô contentum præceptum unum sit ex Ceremonialibus vel Judicialibus, quæ morte Christi expirârunt, *c. Translatô 3. de Constitut.* expressam uxoris subjectionem illos duntaxat fines spectare, desumitur *ex v.* 14. ubi ea viri in Uxoris vota potestas relatis jejunii & abstinentiæ votis, conjugii fines spectantibus, declaratur, ut rectè advertit Illsung *Theolog. Practic. Tract.* 5. *disp.* 1. *n.* 126.

59. Quintò voti obligatio cessat Redemptione & Commutatione, *c.* 1. *&c.* quarum illâ, belli Sacri pro recuperatione terræ Sanctæ suscepti tempore satis frequente, peregrinationi vel alteri pio operi votô promisso certa pecuniæ quantitas: istâ eidem substituitur aliud opus pium, voti priùs editi virtute præstandum; quia subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur, *cc. Ecclesiam 3. & 4. Ut lite pend.*

Hodiernô tempore Commutatio frequentissimô usu est recepta: &, si vota Reservata, vel in alterius utilitatem præstita, ab eóque acceptata non sint, ex justa causa fieri potest ab Episcopo vel ab alio prælato, in voventem obtinente jurisdictionem quasi Episcopalem, *arg. c.* 1. *cit.* Imò etiam, vi privilegii, delegationis, Bullæ Cruciatæ & Jubilæi aliquando à Confessariis aliisque & generaliter ab omnibus, qui in votis dispensandi potestatem habent, ut cum Soto *de Justitia q.* 4. *art.* 3. *citt.* Lessio *cap.* 40. *n.* 108. Sanchez *cap.* 12. *n.* 9. & aliis tenent *citt.* Laiman *cap.* 8. *n.* 20. & Pontius *Lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 3. cùm enim voti commutatio partialis quædam dispensatio sit; quia per eam voti obligatio non omnino, sed sub onere alterius materiæ subrogandæ tollitur, potestate dispensandi minor, eique subordinata est; ut de eo, qui in votis dispensandi potestatem habet, procedat Regula, *Cui licet plus, licet utique, quod est minus*, quæ est 53. *in* 6.

Eadem vota in rem evidenter meliorem commutari ab ipsomet vovente 60.
posse, teste *cit.* Sanchez *cap.* 49. *n.* 4. communissima DD. sententia & manifesta ratio est; quia eô ipsô, quòd omnibus consideratis substitutum opus promissô melius sit, gratius est & acceptatur à Deo; quia huic propter suæ voluntatis summam rectitudinem semper, quæ meliora, etiam gratiora sunt adeò; ut omni voto inesse intelligatur conditio, *Nisi rem meliorem elegero vel substituero:* quod non obscurè desumitur ex *c. Licet 18. de Regular. & c. Pervenit 3. de Jurejurando*, quô *Promissum non infringi* dicitur ab eo, *qui in melius illud commutat*, Quæ etiam

unica ratio est, cur quæcunque, etiam sedi Apostolicæ, reservata vota in perpetuam Religionis observantiam commutari à vovente propriâ authoritate possint, *c. Scripturæ 4.*

61. In rem quoque promissæ evidenter æqualem ita commutari votum à vovente posse, volunt Rodriquez *Tom. 2. Summæ cap. 110. n. 4.* & Henriquez *Lib. 5. cap. 20. n. 5.* & nonnulli alii apud eundem Sanchez *n. 10.* Ratio, quâ moventur, est; quia hôc ipsô; quòd res omnibus ponderatis æquales sint, æquè sunt gratæ Deo, & huic utrâvis præstitâ satisfit, argumentô deductô ex *pr. Instit. Quibus modis oblig. toll.* secundùm cujus textum, consentiente creditore, aliud pro alio solvi potest. Meliùs tamen id negant *citt.* Lessius *n. 105.* Sanchez *n. 12.* Suarez *cap. 19. n. 3.* & Laiman *cap. 8. n. 19.* partim; quòd, licet opus subrogatum secundùm se & alias circumstantias spectatum æquale sit, promissum tamen melius Deóque gratius videatur, non solùm; quia votô est affectum: sed etiam propter perseverantiam in fidelitate promissionis & accuratione rem, sicut promissa est, Deo exhibendi: partim verò; quòd propter difficultatem & penè impossibilitatem cognoscendi æqualitatem materiæ subrogatæ cum ea, quæ promissa est, periculum esset; ne sæpe minus bonum pro majori vel æquali Deo exhiberetur.

62. Dixi etiam suprà imprimis *Si non sint reservata:* deinde, *Si ab eo cujus utilitatem spectant, acceptata non sint,* & demum, *Ex justa causa.*

Primum propter vota Reservata, quæ, ut paulò post pleniùs tradetur, aliâ quàm sedis Apostolicæ authoritate commutari nequeunt, præterquam in statum Religiosum, *c. Scripturæ cit.*

63. Alterum; quia per acceptationem vg. Prælati, Ecclesiæ vel Monasterii, cui exhibenda res promissa est, istis acquiritur jus petendi rem votô promissam; quod in aliam etiam majoris boni intuitu transferri vel alterius etiam melioris rei subrogatione commutari ipsis invitis non potest, ut *arg. pr. Instit. Quibus mod. oblig. toll.* cum Sylvestro *V. Votum 4. q. 7. d. 4.* tradit Henriquez *Lib. 7. cap. 30. n. 5.*

64. Tertium; quia, licet ad rei votô promissæ commutationem in aliam manifestè meliorem specialis aliqua causa necessaria non sit; quòd ipsa rei vel operis melioris Deóque gratioris subrogatio justa causa sit, ut cum *cit.* Navarro *cap. 12. n. 63.* advertunt laudati Sanchez *cap. 50. n. 15.* & Laiman *cap. 8. n. 21.* causam tamen aliquam vg. quòd votum editum ab impubere, vel rei executio jam minùs expedita, vel subrogata cum majori fructu & consolatione peragenda speretur, iidem DD. meritò exigunt ad commutationem in rem æqualem, & multò magis in minorem: idque non obscurè colligitur ex *c. 1. c. Venientis 2. c. Magnæ 7. & c. Quod super 8.* in quorum textuum casibus omnibus commutationis causa intervenit.

65. Sextò demum obligatio voti tollitur Dispensatione, sive ejus Dei nomine facta relaxatione seu remissione; cùm ex justa causa Episcopi aliique Prælati jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinentes à subditis suis, & ab illis vel à Papa delegati vel privilegiati ab aliis edita vota, iisque erga Deum contractas obligationes remittendi habeant potestatem: nisi vota acceptata ab eo, in cujus utilitatem edita sunt, vel aliàs sedi Apostolicæ sint reservata. Quam potestatem à Christo immediatè S. Petro ejúsque successoribus, summis Pontificibus, Matth. *cap. 16. v. 18.* Verbis, *Tu es Petrus &c. quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* & *Pasce oves meas, Joan. cap. 21. v. 18.* con-

v. 18. concessam, & ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio propagata Consuetudine stabilitam, Episcopis aliisque Prælatis &c. communicandi ratio gravissima fuit; quòd ea ad fidelium ipsis subditorum rectam gubernationem, spirituale eorum bonum & animarum salutem promovendam plurimùm conferat, imò necessaria sit.

Dixi autem primò, *Ex justa causa*: quam ad Dispensationis non honestatem solam, sed ad valorem quoque requiri, D. Thomæ *cit. q. 88. art. 12.* Glossæ *in c. Non est 5. V. Adimplere*, cæterorúmque TT. & Canonistarum unanimis & certa doctrina est, cùm; quia sine justa causa dispensans excedit limites sibi concessæ potestatis, Ecclesiæ Prælatis & ipsi etiam Capiti indultæ ad ædificationem, non ad destructionem aut dissipationem: tum verò; quia Dispensatio fit nomine Dei, qui in debiti & obligationis erga se contractæ remissionem, justâ causâ, etiam bonâ fide existimatâ destitutam, tanquam irrationabilem & rectæ gubernationi præjudicantem non censetur consentire. Justæ autem causæ sunt defectus plenæ libertatis in vovendo, vg. quòd votum in ætate pupillari vel vehementi aliqua passione editum, aut gravi metu injustè incusso extortum fuerit: si id propter voventis fragilitatem, inconstantiam &c. occasio ruinæ spiritualis sit, vel cedat in damnum familiæ, aut magnum istius, vel etiam commune bonum Reipublicæ impediat: si in ejus executione appareat gravis & antè non prævisa difficultas: si dubia sit intentio voventis, vel iste erraverit circa causam impulsivam, vel ista aut etiam causa finalis ex parte cessaverit: ex quibus & similibus prudentis arbitriò justis causis voti obligationem per Dispensationem omnino, aut saltem admixtâ, ut fere solet & expedit, aliquâ commutatione, ab habente potestatem remitti posse, aliis DD. relatis censent *citt.* Sanchez *cap. 45. à n. 26.* & Palao *p. 9. à n. 2.*

66.

Dixi secundò, *A tertio, in cujus commodum edita sunt, non acceptata*; quando enim vota Deo fiunt cum adjuncta promissione facta alicui tertio, vg. personæ pauperi vel communitati, puta hospitali, Ecclesiæ, Monasterio, sine talis promissarii ea acceptantis consensu ordinariâ Prælatorum potestate relaxari non possunt; quòd transeant in pactionem vel conventionem, quâ illi acquiritur jus, quod, eô invitô, etiam à Papa remitti non potest, Sylvester *V. Votum 4. q. 7. d. 4.* & Sanchez *cit. cap. 41. n. 6. & 13.* qui tamen *n. 16.* cum *cit.* Suarez *cap. 15. n. 7.* excipit duos casus. Primus est Necessitatis vel Utilitatis publicæ tantæ, ut ejusmodi persona vel communitas ad cessionem juris sui compelli, eóve invita privari possit. Alter, quô promissio facta est Ecclesiæ, Monasterio vel alteri loco vel causæ piæ; cum huic promissione quæsitum jus ex justa eáque gravi causa remittere Papa valeat, tanquam supremus ejus bonorum administrator aut Prælatus. 67.

Dixi tertiò, *Non reservata*; quia ex Universali & perantiqua Ecclesiæ consuetudine, præter vota statum Religiosum constituentia, sedis Apostolicæ Commutationi & Dispensationi reservatum est votum Peregrinationis in terram Sanctam *c. Quod super 8. & c. Ex multa 9.* sive in ejus terræ subsidium, sive solius devotionis causâ editum sit, *citt.* Laiman *n. 7.* & Palao *p. 10. n. 5.* Uti & vota visitandi limina BB. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Jacobi in Compostella, Castitatis & Religionis, *Extravag. Etsi dominici 5. inter comm. de Pœnit. & remiss.* quâ relata hæc vota reservata supponuntur, eáque sine sedis Apostolicæ speciali licentia relaxantes excommunicantur. 68.

Quoni-

69. Quoniam autem reservatio, quòd Ordinariam potestatem diminuat & restringat, odiosa est, strictè potiùs, quàm latè interpretanda est, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* ut non solùm ad alia, vg. Peregrinationis Lauretanæ, assumendæ Crucis contra Hæreticos aut infideles, in bellum contra hos suscepturn convertendi debita, non peccandi & similia vota non extendatur, sed etiam non complectatur ipsa tri-
70. plicis Peregrinationis, Castitatis & Religionis vota, quando ea perfecta non sunt, vg. quòd materiæ reservatæ tantùm pars aliqua promittatur, neque etiam reservatæ sint circumstantiæ, materiæ reservatæ adjunctæ: quod DD. fere omnes tradunt pro Regula generali: ex qua inferunt.

Primò, reservata non esse vota triplicis peregrinationis ob aliam, quàm devotionis aut subsidii terræ sanctæ ferendi causam emissa; quia ex his tantùm causis edita reservantur.

71. Secundò, vota non-nubendi, abstinendi à certo actu Venereo, vel universim non peccandi contra Castitatem, hanc servandi ad tempus, non petendi debitum; quia non sunt Castitatis perfectæ, sed solum diminutæ: uti etiam votum suscipiendi sacros Ordines, Castitatis votum post aliquod tempus emittendi; quia non sunt de Castitate servanda, sed de ejus observantia solùm promittenda.

Tertiò, vota Paupertatis & Obedientiæ in seculo, & Votum, ingrediendi Religionem non approbatam; quia illis non constituitur, istô non promittitur status verè Religiosus istiùsque ingressus; cùm ejusmodi status non detur extra Religionem approbatam.

Quartò, vota Peregrinationis Romanæ obeundæ pedibus vel mendicandô, & Religionis observantiæ valde strictæ; quia Episcopus & alii vota relaxandi potestatem generalem obtinentes dispensare cum tali vovente possunt; ut peregrinationem illam equô aut curru, aut vitæ propriis pecuniis parandô, liceat obire, ingredi valeat Religionem laxiorem; quia sic non in ipsius Peregrinationis aut Religionis, sed in eis adjunctæ circumstantiæ voto dispensant.

Quintò votum, quô vg. Religionis ingressus intra annum est promissus; ut ejus executionem ad modicum tempus liceat differre.

Sextò vota, quibus disjunctivè Castitatis vel jejunium Sabbathinum, ingressus Religionis vel sacri Ordinis assumptio promittitur; cum enim his obstrictus jejunium vel sacrum Ordinem eligendo voto satisfaciat, hoc præcisè ad materiam reservatam non obligat: sicut obligaret, si eô promitteretur Castitas vel Religionis ingressus, cujus utraque pars est reservata.

Septimò votum non petendi dispensationem voti, vel hanc petendi à solo Papa; quia de materia reservata non est.

Octavò jejunium, eleemosyna aliudve opus pium, in quod vg. Castitatis vel Religionis vota à Papa sunt commutata; quia materia reservata non sunt, *ait Sanchez cap. 40. à n. 42. Laiman cap. 2. n. 3.* & Palao *p. 11. à n. 1.*

Eadem præsertim Castitatis & Religionis vota, quando injustè incussô metu extorta sunt, reservata non esse; ac proinde ab Episcopis aliisque Ordinariam vel delegatam in votis dispensandi potestatem habentibus relaxari posse, cum ea, Navarro *n. 69. &c.* docet Lessius *in cap. 40. n. 106.* cùm propter imperfectionem consensûs: tum verò & vel maximè, quòd dubium sit, an vota tali metu edita valeant, & opus habeant dispensatione: Reservatio autem locum non habeat, tùm in votis aliisque casibus certis.

Quin multorum non postremi nu-
mini

minis DD. à Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 10. n. 8.* & ipsius etiam atque Palai *p. 12. n. 15.* sententia est, Castitatis & Religionis vota reservata non esse, quando non absolutè, sed sub conditione de futuro emittuntur, vg. *si fornicatus fuero, Si lusero, si consecutus fuero officium, recuperavero sanitatem, è naufragio &c. salvus evasero.* Rationem dant; quòd reservatione, tanquam voventi onerosâ & odiosâ, comprehendi solùm debeant vota ex natura sua perfecta: cujusmodi Pœnalia & cætera Conditionalia non sunt; cùm ex natura sua non contineant affectum & consensum perfectum in rem promissam; quia minùs in hanc feruntur, quàm in illam; cùm rem promissam non velint, nisi cum & post eventum futurum; ac proinde iste sit radix & causa assumendi obligationem rei promissæ exequendæ. Confirmatur; quia, an Pœnalia & cætera Conditionata vota, tam post, quàm ante impletam conditionem, reservata sint, dubium est: in dubio autem, an votum reservatum sit, pro non reservato est habendum; cùm in dubio in benigniorem partem sit inclinandum, *c. Estote 2. & l. Semper 56. ff. de R. J.*

Neque obstat; quòd promissio Conditionata, impletâ conditione, transeat in absolutam, *l. Potior* 11. §. 1. *ff. Qui potior. in pign.* ac proinde votum editum sub conditione eosdem effectus sortiatur, & perinde habeatur, acsi ab initio absolutè editum fuisset, *arg. c. Unici, §. Illis, de Desponſ. impub. in 6.* ex cujus dispositione sponsalia conditionata publicæ Honestatis pariunt impedimentum: sicut ea, quæ absolutè edita fuerunt. Non, inquam, hoc obstat; quia, licet impletio conditionis obligationem perficiat, non tamen mutat modum promittendi: neque tollit affectûs & in materiam promissam initiò positi consensûs imperfectionem, quâ verè solâ votum à reservatione eximi est dictum.

Dixi, *De futuro*, subaudi *Contingente*; quia, si vota vg. Religionis vel Continentiæ sub conditione de futuro necessario, vel de præsenti aut præterito emissa essent, ea Reservatis accensenda, rectè docent, *citt.* Sanchez *cap. 40. n. 87.* & Palao *p. 12. n. 17.* Ratio est; quòd, licet cum quadam rei promissæ displicentia edita sint, in ea tamen præstitus, consensus integer sit & perfectus.

In votis etiam Reservatis absolutè editis dispensare Prælati inferiores aliquando possunt. 74. Et imprimis quidem, cùm eorum aliquod emittens ad culpam solùm venialem se obligavit; quia reservatio exigere videtur obligationem materiæ proportionatam, *citt.* Sanchez *n. 47.* & Palao *n. 3.* Deinde in casu extraordinario, quò dispensatio necessaria est ad evitandum grave scandalum, infamiam &c. & ad Papam in tempore nequit recurri; quia credibile non est, tali etiam casu dispensationem ab eo sibi reservari; cùm, eam Prælatis inferioribus permitti, exigat bonum & recta gubernatio fidelium subditorum, *citt.* Sanchez *n. 44.* Suarez *cap. 26. n. 9.* & Palao *n. 4.* Et demum etiam, cùm ea relaxandi potestas delegatione, privilegiò vel legitimè præscriptâ consuetudine est obtenta: vi cujus Episcopi & alii in votis dispensandi generalem facultatem habentes ad exactionem debiti conjugalis cum conjugibus Castitatis votò obstrictis solent dispensare, *citt.* Lessius *n. 125.* Pontius *Lib. 8. cap. 9. à n. 2.* & Palao *n. 9.* 75.

TITVLVS XXXV.

De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium.

STatus seu vivendi rationes, quibus Fidelis alteri perpetuò & irrevocabiliter devincitur à S. Thoma 2. 2. q. 189. art. 1. in Ecclesia assignantur tres, Episcoporum, Religiosorum, Conjugatorum. Religiosorum, *ad hanc Rubricam* declarandum, Statum præcipuè constituunt Vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ: quæ propterea Religionis Substantialia dicuntur.

ARTICULUS I.

De Origine Natura & Varietate Religionum.

SUMMARIUM.

1. *Religiosus Status, in Veteri solùm adumbratus,*
2. *In Nova Lege institutus est à Christo:*
3. *Ejúsque Regulæ ab Ecclesia approbatæ.*
4. *Definitio Statûs Religiosi:*
5. *De cujus essentia sunt Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ vota.*
6. *Sive ea Simplicia sive Solennia sint.*
7. *Dummodo iis, cum sui traditione,*
8. *Et perpetuitate,*
9. *In vitæ Statu ab Ecclesia approbato editis,*
10. *Persona certæ Regulæ ac Prælato subjiciatur:*
11. *Licet ab his aliquando eximatur.*
12. *Religiones quædam Contemplativæ vel Activam tantùm:*
13. *Aliæ ex utraque Mixtam,*
14. *Et singulis illis perfectiorem vitam profitentur.*
15. *Rursum aliæ Monachales vel Clericales:*
16. *Aliæ Mendicantes,*
17. *Et aliæ Militares vel Hospitalariæ dicuntur.*

REligiosi Statûs institutio nequaquam novitia, ut Hæreticorum ejus odiò obœrantorum commentum aliquando fuit: sed jam in Veteri seu scripta Lege à Nazaræis, Elia, Elisæo & aliis nonnullis adumbrata: in Nova autem seu Gratiæ lege Apostolis cœva, & quoad substantiam profecta est ab ipso Servatore nostro Christo Domino, ad tria Consilia Evangelica, quorum vota Statum illum præcipuè constituunt, homines invitante & exhortante, *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes & da pauperibus,* Matth. *cap. 19. v. 21. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum: qui potest capere capiat, ibidem v. 12. Qui vult venire post me, abneget semetipsum*

metipsum, Matth. *cap.16.v.24.* Quorum Consiliorum primô voluntariam Paupertatem: alterô Castitatem: postremô voluntatis suæ abnegationem sive Obedientiam clarè proposuit: &, quæ ipse proposuit, magnâ promptitudine & fervore amplexi sunt Apostoli; cùm ad Consilia illa sequenda exhortanti, omnium nomine respondens Petrus, *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia*, Domos, retia, uxores, ipsas etiam proprias voluntates, *& secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Matth. *cap.19.v.27.* Bellarminus *Lib. 2. de Monachis cap. 4.* & Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 2. & 3.*

3. Cùm tempore tamen, Fidelium secundùm Evangelica illa Consilia viventium fervore remittente, viri, quibus primævus & Apostolicus fervor adhuc inerat, à civitatibus & humanis cætibus discedentes incolere cæperunt solitudines & Monasteria, piorum liberalitate passim erecta: in quibus sub alicujus capitis seu Prælati jurisdictione & Regula, sive certis & ab Episcopis primùm, postea à sede Apostolica approbatis vivendi modis communem vitam agere cæperunt, & ad nostra usque tempora propagârunt, Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 2. n. 1.* Unde

4. Status Religiosus, secundùm Divinam institutionem & huic supervenientem ordinationem Ecclesiasticâ acceptus, à Doctore illo *cap. & n. 1.* ad mentem D. Thomæ 2. 2. *q. 186. art. 1.* esse dicitur Fidelium ad Christianam Perfectionem tendentium, editis tribus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ votis, stabilis & ab Ecclesia approbatus modus vivendi in communi: Juxta quam à cæteris DD. passim receptam definitionem ad Religiosi Statûs essentiam hodie requiruntur

5. Primò prædicta tria Vota: in quibus præcipuè ejus essentiam constituendi ratio fuit; quòd Status Religiosus vi suæ institutionis sit Schola seu disciplina consequendæ Perfectionis Christianæ: hanc autem consequendi medium & ratio expeditior non sit, quàm observantia trium Evangelicorum Consiliorum; cum eorum professione perfectè renuntietur desideriis terrenis & accuratâ observantiâ efficaciter removeantur præcipua impedimenta Divini amoris & Unionis hominis cum Deo, in qua Christiani hominis Perfectio consistit. Quod de Paupertate planum est ex verbis Christi, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia &c.* Matth. *cap. 19. v. 21.* & perspicua ratione; quia ejus professione amputatur omnis sollicitudo circa divitias & bona terrena, quorum desideriis & cupiditate humana mens à Deo divinisque abstrahitur, turbatur animi pax &, si quæ in rebus humanis esse potest, felicitas è medio tollitur. De Castitate disertè docuit Apostolus, cùm ait, *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: qui cum uxore est, sollicitus est, quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, & divisus est,* 1. Corinth. *cap. 7. v. 32.* ut soli Deo vacare libere non possit; cùm ab ejus amore rerúmque cælestium prosecutione non tantùm carnalium delectationum voluptate & frequenti usu, sed uxori etiam ac liberis providendi quotidianâ sollicitudine plurimùm impediatur. De Obedientia; quòd, cùm hominis Perfectio ab ejus voluntate maximè pendeat, ne ista suî amore decepta ad sequiora facilè deflectat, in amore Dei cæterarúmque virtutum & Perfectionis studio alienâ directione conservetur; quia *Obedientia Virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertásque custodit*, ex sententia S. Gregorii M. *Lib. 35. Moral. cap. 10.*

6. Non defuerunt DD. qui ad Religiosum statum tria ejusmodi vota Solennia requiri, existimarent. Sed malè; cùm

Simplicia sufficere, hodie omnino indubitatum sit ex *Constitutione* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente, edita 8. Calend. Jun. 1584.* quâ nunquam satis laudatus hic summus Pontifex in Societate JESU non Professos duntaxat, Solennibus ejusmodi votis obstrictos, sed Coadjutores etiam Formatos, & generaliter omnes, qui in ea post exactum probationis biennium, ejusmodi votis Simplicibus in superioris manibus editis Societati se dedicant & actu tradunt, veros Religiosos esse, luculenter declaravit. Imò primis Ecclesiæ seculis Statum Religiosum non solennibus: sed, ut modò, Simplicibus votis constitisse; &, talia duntaxat ab ipsis SS. Basilii, Benedicti & Augustini Monachis initiò edita fuisse, contendit & multis ostendit Pontius *cit. Lib. 7. de Matrim. cap. 22. n. 2. & 3.* Ratio, cur ea sufficiant, est; quia tria illa vota, sicut Solennia sic etiam Simplicia emittens ad obsequium Dei perpetuò & irrevocabiliter se tradit Religioni: quâ traditione istius & Dei nomine à Prælato, ut solet, acceptatâ, qui ea emisit, ad Christianam Perfectionem tendere non minùs, quàm is, qui Solennia edidit, obligatur, *c. Rursus 6. Qui clerici & vovent.* ut ab obligatione illa & Religione recedere non possit.

Neque, ad statum illum vota Solennia exigi, evincit; quòd *c. Porrectum 13. de Regular. & c. Religiosi 21. §. fin. de Sent. excom. in 6.* & similibus textibus aliis Religiosos fieri, asseratur, Professione: &; quòd Solennia Statum perfectiorem & firmiorem constituant, quàm Simplicia; quia imprimis, licet antiquiori Decretalium Religiosi efficerentur solâ Professione, modernò tamen Jure eos tales votis etiã Simplicibus in Religione approbata editis constitui, indubitatum est ex *cit. Constit.* Gregoriana. Deinde; quia post hanc publicatam *Professionis* & *Professi* nominibus latiùs acceptis etiam ejusmodi votis Simplicia eáque emittentes venire, insinuatum est *Tit. 31. n. 71.* & tradit Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 8. n. 1.* Et demum; quia ex votorum Solennitate proveniens major firmitas Religiosi Status perfectio accidentalis duntaxat, non substantialis est; cùm Religiosus Status sine ea constiterit priscis illis seculis & hodie consistat, Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 1. n. 5.* & Pontius *cit. n. 2.*

Secundò, ad Religiosum Statum ex parte fidelis tria illa vota emittentis exigitur sui traditio, quâ ipse ad perpetuum Dei obsequium se Religioni actu donat ac dedicat; & ex parte Religionis acceptatio, quâ istius nomine à Prælato vel ex istius commissione ab alio facta, ille statum mutat, & à seculo in sortem familiam Dei, à libertate in spiritualem servitutem sive jus & potestatem Religionis perpetuò transit, *c. Porrectum cit.* Suarez *Tom. 3. cit. lib. 2. cap. 4. à n. 5.* & Pontius *cit. Lib. 7. cap. 6. n. 1. & 5.* Quæ ex Obedientiæ voto sulque traditione & istius acceptatione orta Prælatorum in Religiosos potestas non Jurisdictionis & Clavium, sed tantùm Dominativa seu Domestica est: & perinde, ut ipsis in subditos sibi Religiosos, sic Abbatissis, Priorissis &c. competit in Moniales; cùm vi ipsius, sicut Abbates Religiosorum, sic ipsæ Monialium sibi subjectarum personas regere: ea, quæ Instituto seu proprio Statui Religioso & disciplinæ Regulari conformia sunt, præcipere: inobedientes ac delinquentes corrigere, ac punire possint, ut *Lib. 1. Tit. 31. à n. 100.* est explicatum.

Tertiò, ad eum exigitur; ut quis ad tria illa Consilia Evangelica observanda vi votorum non solùm ad tempus, sed perpetuò sive usque ad finem vitæ obligetur, & illam vivendi rationem liberè dimittere nequeat: sicut Episcopus Ecclesiam & conju-

conjugem conjux dimittere vel deserere vi Statûs sui non potest; quia ipsô *Statûs* nomine quædam immutabilitas & perpetuitas denotatur, *citt.* S. Thomas *q. 186. art. 6.* & Sanchez *n. 18.* Quare, licet Papa omnium, & quorundam Religiosorum vota ab istorum superioribus solvi sinat, iisque ligati à Statu suo absolvi queant, nulla tamen vera Religio est aut dari potest, quæ liberè deseri possit ab ipsis Religiosis, ut probè advertit Pellizarius *Manual. Regular. Tract. 5 cap. 1. n. 17.*

9. Quartò; ut status seu vivendi modus à Sede Apostolica, tanquam vera Religio, sit approbatus, *c. fin. de Relig. domib. & c. Unicô, eâdem Rubr. in 6.* quibus textibus Religionum approbatio causis Majoribus, Sedi Apostolicæ reservatis, connumeratur, ut *ad Rubr. seq. n. 24.* statuetur.

10. Quintò; ut, qui Religiosa illa vota edit, vivat sub certa aliqua Regula seu Constitutionibus, & Prælati seu superioris jurisdictione & spirituali potestate ab eo, qui Religionem approbat, acceptâ vel derivatâ. Quæ potestas cùm non solum Dominativa, sed Clavium sit, & in mulieres non cadat, Abbatibus duntaxat & similibus Prælatis respectu Regularium sibi subjectorum, & sæpe etiam respectu Monialium (vel istarum respectu Episcopis) competit; ut illis non solùm præcipere, prohibere &c. sed etiam contumacibus censuras infligere, inflictas resipiscentibus relaxare &c. queant, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 31. à n. 94.*

11. Cui non obstat; quòd Religiosi aliquando promoveantur ad Parochias: imò ad Episcopatus, & ipsos etiam S. R. E. Cardinalatus assumantur; quia tales, licet quoad aliquos Paupertatis & Obedientiæ effectus eximantur, utriúsque tamen, & Continentiæ votis adstricti manent. Ad Parochias etiam promoti suæ Religionis habitum deferre, Regulam in iis, quæ cum munere & functionibus Parochialibus commodè consistunt, observare &, Parochiâ per renuntiationem vel privationem dimissâ, ad Monasterium & Obedientiam redire tenentur. Episcopi etiam & Cardinales, licet tanquam personæ in Magisterio & supra Prælatum suum Regularem constitutæ ab istius Obedientia & jugo Regulæ eximantur, tamen subjiciuntur summo Pontifici, tanquam supremo & generali omnium Religionum Prælato, à quo ad Monasterium & pristinam Obedientiam reduci possunt. Imò casu, quô propter culpam non solùm diœcesi, sed ipsâ etiam dignitate & Privilegiis Episcopalibus & Eminentiâ illâ omnino privantur, redire tenentur, Henriquez *Lib. 10. cap. 32. n. 4.* & Laiman *cit. cap. 1. à n. 9.*

12. Quantumvis autem in hactenus declaratis Religiosi Statûs substantialibus Ordines omnes conveniant, accidentalis tamen non modica eorum differentia & varietas est, istiúsque causa sunt particulares & proprii singulorum fines ac media seu functiones atque exercitia, quibus ad Christianæ Charitatis perfectionem, finem omnibus communem, per votorum observantiam tendunt; hinc enim Religiones aliquæ vitæ Contemplativæ, aliæ Activæ vel ex utraque Mixtæ dicuntur: prout ex proprio suo Instituto principaliter vel soli Orationi lectionique spirituali & rerum Divinarum contemplationi vacant, ut qui SS. Basilii, Benedicti, Bernardi & Brunonis Regulas profitentur: vel, ut Militares & Hospitalarii, in proximum exercendis spiritualibus vel corporalibus Misericordiæ operibus occupantur, instar duarum sororum Mariæ & Marthæ, quarum ista necessariis Christo ministrandis, illa di-

13.

vinis ejus eloquiis excipiendis intenta fuisse, perhibetur Lucæ *cap. 10. à v. 38.* vel demum æque principaliter intentæ sunt utrisque, ut SS. Augustini, Dominici, Franciſci, Societatis JESU, iisque affines aliæ quædam Religiones. Ex quibus Religiosis familiis sicut, quæ Contemplationi vacant, simpliciter meliores & perfectiores sunt solam Activam tenentibus, juxta illud Christi, *Maria*, Contemplativam adumbrans, *optimam partem elegit*, Luc. *cap. cit. v. 42.* ita utrâque hâc seorsim acceptâ perfectiores sunt, quæ ex proprio suo Instituto Orationi rerúmque Divinarum contemplationi simul & Misericordiæ operibus, præsertim per verbi Divini prædicationem & Sacramentorum administrationẽ incumbendô, utramque illã vitam conjungunt, cùm; quia Episcoporum omnium perfectissimæ, imò Apostolorum & ipsius Christi Servatoris nostri vitæ, quæ omnis Perfectionis idea & absolutissimum exemplar est, magis sunt conformes: tum verò; quia vi sui Instituti Deo simul & propter Deum proximo vacant, & ad Christianæ Charitatis perfectionem consequendam optimis mediis & exercitiis sunt instructæ, S. Bernardus *de Grad. Perfectæ vitæ*, S. Thomas 2. 2. *q. 188. art. 2.* & Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 41. n. 20.*

14.

15. Præterea Religiones aliquæ sunt Monachales, aliæ Clericales, aliæ Mendicantes, & aliæ Militares aut Hospitalariæ. Quarum vi proprii Instituti Monachales sive Cœnobiticæ principaliter vitam Contemplativam & solitariam sectantur, *can. Monachus 4. & can. Si cupid 16. q. 1.* Clericales spiritualibus Ministeriis, cultûs Divini & animarum salutis procuratione occupantur, ad eáque ordinatione Ecclesiasticâ deputantur.

16. Mendicantes, vitam Contemplativam cum Activa conjungentes, & bonorum stabilium possessionem vi Instituti sui excludentes, ex eleemosynis & piorum largitionibus victum quærunt: cujusmodi Jure communi antiquo approbati Ordines sunt Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum, *c. Unico*, §. *Sanè, de Relig. domib. in 6.* quibus accessit Societas JESU, Constit. *p. 6. cap. 2. n. 2. 4. & 5.* cujus Religionem, non solum ex Privilegio Apostolico, sed etiam ex vi Instituti sui, vere & proprie Mendicantem esse, speciali *Constitut.* quæ incipit *Dum indefessæ, 7. Julij 1571.* à Pio V. est declaratum. *Ex iis* inquam, *Instituti*; quia speciali indulti vel tolerantiâ Sedis Apostolicæ relatorum Ordinum quidam bonorum immobilium possessionem admittunt: imò ista quibuscunque, etiam Mendicantibus Ordinibus (exceptis duntaxat S. Francisci FF. Minoribus & Cappucinis) S. Synodi Trident. decretô permissa est *Sess. 25. cap. 3. de Regular.* Militares, ut Equites S. Joannis Baptistæ, Melitenses & B. M. Teutonici Christianæ Fidei & Ecclesiæ Catholicæ adversus barbaros aliósque ejus hostes defensionẽ præstant. Hospitalariæ in exercitium hospitalitatis, hoc est, peregrinorum receptionem & infirmorum curam præcipuè sunt intentæ, S. Thomas *cit. q. 188. art. 2. & 3.* Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 1. cap. 3.* & Pelizarius *cit. Tract. 1. cap. 3. à n. 10.* ubi alia Ordinum Instituta refert.

ARTICULUS II.

De Voto Paupertatis.

SUMMARIUM.

18. *Votum hoc dominium vel liberum Usum bonorum fortunæ,*

19. *Non*

19. *Non etiam honoris & famæ bona,*
20. *Vel beneficia Ecclesiastica excludit.*
21. *Paupertatis priscus rigor,*
22. *Cum tempore multùm remisit.*
23. *Eam voventium hodie tria sunt genera.*
24. *Primum omne dominium & liberum Usum rerum temporalium,*
25. *Ipsâ Professione abdicatarum, excludit.*
26. *Alterum earum liberum duntaxat Usum aufert;*
27. *Ut de ipsis illicitè,*
28. *Non tamen invalidè semper disponant.*
29. *Tertium superflua duntaxat respuit.*
30. *Religiosus incapax est peculii cum ejus libero usu:*
31. *Non etiam cum usu dependente à superiore,*
32. *De Jure saltem antiquo & Consuetudine.*
33. *Et ad pecuniæ vg. receptionem opus est licentia Superioris.*
34. *Sufficiens tamen est licentia Tacita,*
35. *Et Præsumpta, cùm expressa nequit haberi.*
36. *Cùm ista haberi potest, illicitus ejus abusus,*
37. *Et usus etiam, cùm quoad eum superior invitus:*
38. *Secus licitus est, licet ei aliquô modô displiceat.*
39. *Licentia solùm Debita uno alteróve casu sufficiens:*
40. *Regulariter insufficiens est ipsa,*
41. *Et multò magis vi dolóve obtenta.*

18. COnsiliorum Evangelicorum primum, & Religiosis omnibus commune votum est Paupertatis; quod emittentes perpetuò se abdicant omni rerum temporalium externarum, quæ *Bona Fortuna* & *Divitiæ* vocari solent, scilicet prædiorum, domorum, fundorum, cæterorúmque immobilium, pecuniarum, aliarúmque rerum mobilium ad victum, amictum, habitationem & reliquam corporis commoditatem servientium dominiô, possessione, omníque jure Reali, vel saltem liberâ, sive à superioris voluntate independente, ejusmodi rerum dispositione & usu.

19. Non, sicut Divitiis, per votum Paupertatis etiam renuntiatur Honori & Famæ; cùm propriè solùm debeantur virtuti: cui cùm renuntiare nemo valeat; locus non est renuntiationi Honoris & Famæ, qui virtutis notitiam comitantur. Accedit; quòd Honor & Fama non sint actus ipsius honorati, sed honorantis: actui autem, qui alteri, non sibi inest, renuntiare nemo possit, secundùm S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *art.* 7. & Suarez *Tom.* 4. *de Relig. Tract.* 9. *lib.* 8. *cap.* 4. *à n.* 3. Quô tamen non obstante, humilitatis studiô voveri potest moderatio affectûs ad honores, vg. excludendô ambitum & acceptationem dignitatum & titulorum honoratorum, sicut in Societate nostra faciunt Professi, ut *cap. cit. n.* 7. idem Doctor advertit.

20. An Paupertatis votô excludatur beneficium Ecclesiasticum, dubitandi ratio est; quòd in isto fructus sive reditus temporales percipiendi jus officio spirituali annexum: jus autem ad reditus temporales votô illô obstrictis competere ferè non possit. Verùm, quia res temporales Monasterio acquirendi jus cum voto Paupertatis non pugnat, salvô istô, Religiosus obtinere poterit beneficium Ecclesiasticum cum annexo jure percipiendi reditus temporales: dummodo hos non sibi, sed Ecclesiæ vel Monasterio acquirat, secundùm Regulam *can. Abbates* 18.

bates 18. q. 2. & c. Cùm ad Monasterium 6. hâc Rubr. etsi, quamdiu beneficium retinet, fructuum illius habeat administrationem eósque in suam sustentationem & pios usus expendere valeat, *Clement. 2. V. Cæteri, de Vita & honest.* donec superiori aliter fuerit visum, Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 10.* & aliis DD. relatis Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 8. 8. n. 17.*

21. Porro Paupertatis observantia priscis illis seculis adeò stricta fuit; ut Monachi, perfectæ omnium rerum abdicationis studiosissimi, non solùm habere vel retinere, sed etiam proprium aut suum aliquid dicere vererentur, secundùm *can. Non dicatis, 12. q. 1.* & S. Bedicti *Regul. 33.* Qui verò Proprietatem aliquam habere deprehenderetur, expellebatur è Monasterio: &, si cum ea decederet, VV. PP. decretô sepulturâ Ecclesiasticâ censebatur indignus, *c. Monachi 2. §. Qui verò, & c. Super quædam 4.* & extra Ecclesiam tumularetur in sterquilinio, nummis. quos retinere præsumpserat, in Proprietarium projectis, *c. Cùm ad Monasterium cit.* & cunctis solenni imprecatione conclamantibus illud, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, Actor. *cap. 8. v. 20.* cujusmodi tristissimi exitûs funesta exempla dabunt S. Hieronymus *Epist. 22. ad Eustoch.* Cæsarius *Homil. 10. in Dom. Sexagesimæ* & Chronicon. *Carthus. Lib. 7. cap. 39.*

22. Hic tamen Paupertatis rigor de Religiosi statûs substantia non est: neque semper & in Religionibus approbatis omnibus est receptus, ut latè ostendit *cit.* Suarez *Tom. 3. lib. 8. cap. 7.* aliquæ enim Paupertatem ita strictam profitentur; ut rerum immobilium & redituum stabilium vel etiam mobilium proprietatem non solùm à personis particularibus, sed ab ipsa quoque Religiosorum communitate excludant: imò quædam, istâ ejusmodi rerum abdicatione non contentæ, rerum etiam ad usum necessariarum pro futuro aliquo tempore congregationem non tolerant, sed res pro præsenti tempore & propè die necessarias mendicandò quærunt, vel piorum liberalitate sponte oblatas admittunt. In aliis autem votô promissa Paupertas ejusmodi res mobiles & immobiles solis Religiosorum communitatibus, non etiam particularibus personis permittit.

Personarum etiam particularium, in Religionibus approbatis Paupertatem sectantium, tria potissimùm genera in Ecclesia viguerunt. 23.

Primum eorum, qui nec licitè nec validè proprium sive alicujus rei temporalis dominium, ejúsque liberum & à superiore independentem usum habent: quales sunt omnes Professi obstricti Solenni votô Paupertatis, ipsos dominii incapaces reddentis; ut non solùm tanquam proprium aliquid habere vel possidere eis non liceat: sed etiam, si contra fidem Deo datam cujuscunque rei proprietatem attentent, ea attentatio nulla sit, omnique careat effectu ex dispositione Ecclesiæ, ab ipsis editum Paupertatis votum sic acceptantis; ut eos ad alicujus rei proprietatem sibi acquirendam omnino inhabiles reddiderit: & ipsâ Professione, tanquam Civili quadam morte, *can. Placuit, 16. q. 1.* si quod ante habuerunt, voluerit expirare & transire, vel ad hæredes vel ad ipsam Religionem: &, quod ipsis in posterum obveniret, non ipsis, sed Monasterio acquiri, *Auth. Ingressi, Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles. can. Non dicatis cit. can Quia ingredientibus, 19. q. 3. c. Cùm ad Monasterium cit. &c.* 24.

Neque obstat; quòd liberos habens, & sine prævia dispositione de substantia sua Religionem professus arbitriô suô eam inter il-

inter illos, portione legitimâ Monasterio reservatâ, dividere queat, *cit. Auth. & can. Si qua mulier cit. q. 3.* non obscurò argumentò dominii adhuc retenti; quia ista substantiæ divisio professo non quasi domino, sed solummodo quasi administratori à Jure ad hunc effectum constituto permissa, & non Testamentum est, sed mera bonorũ distributio est, Actionem, contrà quàm Testamentum solet, non producens, *l. Divisionis 45. ff. de Pactis*, Glossa *in Auth. cit. V. Dividere*, Navarrus *cit. Comment. 2. n. 45.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 9. n. 10.* & Barbosa *in can. cit. n. 15.*

26. Alterum genus est eorum, qui bonorum suorum dominium quidem retinent, interdicti tamen sunt liberò eorum usu: sicut in Societate JESU Scholastici justas ob causas & præcipuè; ut facilius & minori cum offensa, ubi opus fuerit, dimitti possint, bonorum suorum jus & dominium pro superiorum arbitratu ad tempus retinent; ut in pios usus juxta Evangelicum Consilium distribuant: in eorum tamen usu Religiosam Paupertatem servent, nec ullâ re tanquam propriâ & sine superioris facultate uti possint, verba sunt *Constitutionis* Gregorii XIII. quæ incipit *Quantò fructuosiùs, edita Calend. Febr. 1582.* Ubi

27. Dubium est de valore dispositionis à Societatis Scholastico factæ sine consensu superiorum. Quam, si res, de quibus ita disponit, alicujus momenti sint, graviter peccaminosam esse, nemo facile inficias ibit; cùm eâ violetur Paupertas; cujus votô, licet non rerum dominium, earum tamen liber usus & à superioris voluntate independens dispositio est adempta.

Eam etiam valore destitui in suis *Tractatibus de I. & I.* volunt Molina *Tract. 2. disp. 139. n. 11.* Lessius *Lib. 2. cap. 4. n. 28.* & Haunoldus *Tom. 1. Tract. 4. n. 38.* Moventur imprimis *l. Non dubium 5. C. de LL.* pro irrito habente actum, gestum contra legem eum prohibentem. Dein paritate cum rerum Ecclesiasticarum alienatione, à Prælato sine Capituli, & à pupillo sine authoritate Tutoris celebrata, quæ ipsô Jure irrita est, *c. 1. c. Tua nuper 8. &c. de his, quæ à Prælat. & §. Tutor 2. Institut. de Auth. Tut.* Demum; quòd ejusmodi dispositionis nullitas magis conducat ad finem dominii ad tempus Scholasticis relicti: qui est facilior eorum dimissio ex Societate: &, si dominium propter ejusmodi dispositionis nullitatem integrum sit, expeditior est, quàm si per eam tanquam validam sit diminutum.

Sed argumenta hæc, ejusmodi liberam & illicitam Scholastici dispositionem irritam esse, non evincunt. Duo priora; quia *l. cit.* eique similes textus alii de lege seu Jure prohibente non simpliciter, sed actui formam præscribente vel clausulâ aliquâ irritante munito exaudiendi sunt, juxta dicta *Tit. 13. à n. 63.* facultatem autem superioris ad formam dispositionis à Scholastico faciendæ pertinere, aut hanc sine ea irritâ esse, expressum non est ullô Jure: quô tamen clarè prodita est nullitas alienationis à Prælato, & contractûs à pupillo sine Capituli consensu vel tutoris authoritate celebrati. Postremum partim; quia, licet post ejusmodi dispositionem, si valeat, dimissio ex una parte difficilior sit, ex alia tamen magis expedita inde est; quòd Societatis superiores eâ disponendi libertate contempti minùs obnoxii sint querelis & obtrectationibus, quibus dimissiones aliquando ansam præbent: partim verò, quòd Prælatus sive Societatis superior in Scholasticum habeat potestatem Dominativam, vi cujus subditi, sicut vota & a- 28.

lios actus suæ gubernationi præjudicantes, sic etiam ejusmodi dispositionem irritare potest & revocare, ut rectè advertit Palao *Tract. 16. disp. & p. 2. n. 7.* ubi ejusmodi liberam dispositionem prò valida habet, cum Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 9. lib. 10. cap. 6. à n. 12.* & Sanchez *cit. Lib. 7. cap. 18. n. 8.*

29. Tertium genus est eorum, qui votô Paupertatis neque omni dominiô neque liberô omnium rerum temporalium usu se abdicant: sed solummodo excludunt superflua sive non necessaria ad tenuem vel moderatum victum & vestitum juxta illud, *Habentes alimenta & quibus regamur, his contenti sumus*, 1. Timoth. *cap. 6. v. 8.* quales satis probabiliter olim fuisse aliqui existimârunt feminas, in privatis domibus Statum Religiosum assumentes: & S. Paulum aliósque permultos, solitariam vitam ab omnium hominum consortio procul agentes in eremis; hos enim, cùm communitatem non haberent, & proximo superiori specialiter non subjicerentur, omni rerum dominiô & liberô etiam usu non caruisse, nec carere potuisse, verisimiliter aliqui censuerunt apud *cit.* Suárez *Tom. 3. lib. 8. cap. 7. n. 10.* de ipsis, si veri Religiosi fuerunt, saltem quoad liberum usum contrarium sentientem *n. 19.* Ex hactenus dictis

30. Dubium oritur primò, an Religiosus capax sit Peculii. Cujus Resolutio plana erit, si cum Navarro *Comment. 2. de Regul. n. 14.* duplex peculium statuamus. Unum juris perfecti cum facultate de eo liberè & independenter ab alio disponendi: alterum juris imperfecti, tribuentis administrationem, possessionem vel detentionem, & usum dependentem ab alio; ut ad ejus arbitrium restringi, revocari & omnino auferri possit. Quorum, sicut prius cum Religiosæ Paupertatis voto non consistere, perspicuum & decisum est *c. Monachi 2. & c. Cùm ad Monasterium 6.* ubi Innocentius III. de Abbate rescribit, quòd super habenda proprietate nec possit cum aliquo Monacho dispensare: sic posterioris peculii 31. Religiosum incapacem non esse, cum Panormit. *in cc. citt. n. 4. & n. 8.* Navarri *cit. n. 14.* Azor *p. 1. Instit. Lib. 12. cap. 8. q. 1.* & aliorum communis est assertus; quòd id (speciali alicujus Religionis rigore seclusô) Paupertatis voto non adversetur; cùm ejusmodi peculium sive pusilla pecunia concedi frequenter soleat Religiosis, non solùm extra Monasteria cum Superiorum licentia obtinentibus beneficia Ecclesiastica, in studiorum Universitate degentibus, obeuntibus peregrinationem &c. sed in ipsis etiam Monasteriis degentibus aliquando licentia detur, pecunias, vestes, libros & alias res ad humanos usus comparam accipiendi, retinendi & in victum, vestitum, honestas recreationes aliósque certos aut incertos usus expendendi, ut pluribus explicat *cit.* Azor *à q. 3.* & Laman *Lib. 4. Tract. 5. cap. 7. à n. 13.*

At, licet hæc plana & omnino expedita sint spectatô usu moderno & jure etiam antiquô *c. Monachi cit. & c. fin. Qui clerici & vovent.* ubi mulier S. Augustini Religionem professa in domo propria permanere permissa est cum omni substantia, ad congruam sustentationem ipsius administrationi permissa: nonnisi tamen S. Synodi Tridentinæ PP. decrevêre; ne Regulares tam viri quàm mulieres aliqua bona tam mobilia quàm immobilia etiam Conventûs nomine habeant aut habere à superioribus permittantur, *Sess. 25. cap. 2. de Regular.* Quod decretum Navarrus *cit. Comment. 2. n. 15.* eúmque secuti *cit.* Sanchez *cap. 23. n. 11.* & Miranda *Tom. 1. Manual Prælat. 9.*

lat. q. 28. art. 8. & alii cum antiquo Jure conciliare nituntur : eóque peculia duntaxat absque justa causa, & ad usus quoslibet etiam superfluos Religiosis concedendi facultatem superioribus ademptam volunt. Verius tamen eô Novum Jus constitutum & his, quod antiquô Jure salvô poterant, à Tridentino prohibitum ex *cit. cap. 2.* verbis, *Nec deinceps liceat Superioribus &c.* & reliquo ejus tenore colligunt Suarez *cit. Lib. 8. cap. 14. n. 8.* Vasquez *de Redditibus cap. 3. dub. 2. n. 4.* & Palao *cit. disp. 3. p. 7. n. 5.* qui tamen, eum Conciliaris decreti rigorem contrariâ & antiquo Juri magis conformi, passimque receptâ consuetudine temperatum, docent.

33. Dubium secundò est de licentia superioris, Religioso privato necessaria ad alicujus rei temporalis acceptationem, retentionem, usum: an scilicet esse debeat verbô, scriptô, nutu Expressa, vel sufficiat Tacita aut Præsumpta: quas posteriores licentias aliqui, sed perperam, confundunt; cum Tacita, si propriè loquamur, in aliqua expressa tanquam pars in toto, vel aliquid cum expresse concesso connexum eive accessorium contineatur: Præsumpta autem sive Interpretativa nec in se, neque in alio expresse concesso, data sit, sed solummodo danda judicetur, si actu peteretur. Quô præmissô

Convenit inter DD. primò, Religiosum ejusmodi rem aliquam sine ulla superioris licentia accipientem, retinentem, eáve utentem graviter peccare, si rei acceptæ pretium notabile sit: quod apertè traditur *can. Non dicatis, 12. q. 1.* verbis, *Si quis in tantum malum processerit, ut occultè quodlibet munus accipiat : c. Cùm ad Monasterium cit.* ibi, *Non præsumant illud accipere*, subaudi, *Sine licentia Abbatis*, & ex gravissimis pœnis expulsionis à Monasterio, sepulturæ in sterquilinio, *c. cit.* privationis vocis Activæ & Passivæ, à Trident. *Sess. 25. cap. 2. de Regular.* in Religiosos Proprietarios, hoc est, aliquid saltem in notabili quantitate accipientes & retinentes, decretis. Ratio est; quia ejusmodi acceptione violatur votum, cujus violatio in materia notabili graviter est peccaminosa, per textum & DD. *in c. Licet 6. de Voto.*

Convenit inter eos secundò, ad ejus acceptionem &c. sufficere licentiam Tacitam; quia taciti & expressi idem judicium eadémque vis est, *arg. l. Cùm quid mutuum 3. ff. de Reb. credit.* hôc ipsô; quòd virtute in expresso contentum eive annexum vel accessorium sit; sic enim à superiore habens licentiam peregrinandi, in via licitè aliquid accipit & expendit, si ab illo prohibitus non sit: sic qui re aliquâ temporali utitur superiore conscio & , cùm facilè posset, non prohibente, aut vi consuetudinis ab aliis subditis, eôdem sciente & non impediente, receptæ, de ejusmodi re aliqua disponit, Paupertatis, votum non violat, propter tacitam licentiam superioris, silentiô suô in ejusmodi usum & dispositionem consentientis. *can. Consentire 5. dist. 83.* Rectè tamen hìc cum Navarro *cit. Comment. 2. n. 22.* & aliis DD. excipitur casus, quô superior liberæ ejusmodi acceptionis, usûs vel dispositionis non ignarus solummodo taceret & non contradiceret ex verecundia, vel metu querelarum & similium incommodorum; quia ita tacens non tam consentire, quàm ejusmodi liberam acceptionem &c. tanquam minus malum tolerare intelligeretur. 34.

Convenit tertiò, etiam licentiam rationabiliter præsumptam sufficere saltem, quando propter absentiam vel occupationes superioris, vel periculum, moræ; quòd aliquid accipiendi vel ra- 35.

tionabiliter expendendi occasio urgeat, expressa haberi non potest, Suarez *l. cit. n. 3.* & Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 23. n. 6.* Ratio est; quia aliquid faciens, quòd rationabiliter credit superiorem, si conveniretur, id omnino probaturum, id eô invitô & sine licentia facere non censetur, *arg. l. Inter omnes 46. §. 7. ff. de Furtis*, quâ furti reus non habetur, qui accipit, cum domini consensu rationabiliter præsumpto; *Quid enim*, inquit ICT.ª, *dolô facit, qui putat dominum consensurum fuisse, sive id falsò sive verè putet?* Hôc tamen casu, si licentiæ præsumendæ causa tota fuit impossibilitas vel magna difficultas adeundi superiorem résque accepta consumpta non est, ut ea salvô Paupertatis votô etiam postea retineatur, necessarium est; ut ejus acceptio manifestetur superiori; quia tali casu licentia solùm præsumpta est pro tempore; quo ille non potuit adiri, & pro ea duntaxat accipienda, non etiam retinenda, ut rectè observat *cit.* Sanchez *n. 8.*

36. Dissentiunt autem, an Præsumpta licentia etiam sufficiat casu, quô superior, cùm posset, ob respectum aliquem humanum, pudorem vel aliam similem difficultatem non aditur; eam enim non sufficere, suadet ratio, partim; quia licentia, quæ solùm præsumitur, de facto non extat, sed solummodo creditur futura: licentia autem sive consensus solummodo futurus, & multò magis, qui futurus solùm creditur, facultatem dare nequit de præsenti, ut patet in licentia confitendi alieno Sacerdoti: quæ, si concedenda solum credatur & præsumpta tantùm sit, jurisdictionem non tribuit, nec sufficit ad validam absolutionem subditi non sui: partim; quia superiores esse inviti, imò punire solent & debent liberè utentes licentiâ solùm præsumptâ; ne nimia laxitas in Religiosas familias invehatur; cum rari sint casus, quibus licentia, si petereturr, non concederetur à superiore saltem mediato, puta, Provinciali, Generali, Legato Sedis Apostolicæ vel Papa ipsomet: ad quos tamen non, nisi in casus gravioribus &, immediati superioris potestatem excedentibus, recurri consuevit; ac proinde, si præsumpta istorum licentia sufficeret, quamlibet rem etiam notabiliter insciis superioribus pro libitu accipere, retinere & liberè expendere liceret, non levi, disciplinæ jacturâ & maximô incommodô præjudicióque Religiosæ Paupertatis.

Rationes istæ imprimis evincunt, 37. ejusmodi licentiæ, non tantum mediati, sed immediati etiam superioris solùm Præsumptæ liberiorem usum, tanquam valde periculosum perniciosúmque, in Religionibus Paupertatis aliquam observantiam profitentibus nequaquam ferendum. Deinde id etiam mihi persuadent, licentiæ Præsumptæ usum, cùm expressa haberi potest, Religioso subdito illicitum, nisi rationabiliter credat, superiorem invitum non esse, non solùm quoad ipsam rem, quæ accipitur, retinetur &c. sed etiam quoad omissionem petitionis licentiæ; si enim superior, *licet rem* accipiendi eâve utendi licentiam, si petereturr, sine difficultate daturus, eam tamen non nisi actu petatur, concedere velle, rationabiliter existimaretur, licentia præsumpta ad licitam acceptationem non sufficeret; cùm, qui ita consensurus præsumitur, pro casu, quô licentia non petitur, accipiendi facultatem non concedat, imò sit invitus, ut non obscurè insinuant *cite.* Sanchez *cap. 19. n. 15.* & Suarez *cap. & n. 11.*

Nihilominus casu, quô superior 38. rem aliquam temporalem accipiendi licentiam, si petereturr, daturus & quoad ejus in præsumpta licentia fundatam acceptio-

acceptionem, retentionem, usum, licet ipsi modus aliquô modô displiceat, invitus tamen absolutè non esse, rationabiliter præsumitur, illam accipi, retineri, expendi sine vitio Proprietatis & voti Paupertatis violatione posse, cum Navarro *cit. Comment. 2. n. 20.* sustinent *citt.* Sanchez *n. 4.* Suarez *n. 7.* & Palao *p. 23. n. 8. arg. l. Inter omnes & §. 7. cit.* Ratio est; quia votum Paupertatis non violatur acceptione, quæ non fit nomine propriô, sed cum dependentia & subordinatione ad voluntatem superioris: cum quali dependentia jam agit, qui certò sibi persuadet, superiorem, si rogaretur, facilè consensurum: & quoad ipsam rem ipsámque ejus acceptionem, licet istius modus aliquô modô displiceat, absolutè non esse invitum. Confirmatur authoritate D. Thomæ 2. 2. *q. 32. art. 8. ad 1.* docentis, licentiam præsumptam Religioso sufficere ad eleemosynam dandam de rebus Monasterii, cur non ad aliquid accipiendum & Monasterio acquirendum?

Contra hanc licentiam deducta speciem majorem, quàm vim habent, cùm; quia ea licentiæ præsumptio fundatur in aliquo præsenti & facto superioris; quòd scilicet aliquid accipiendi facultatem dare & similes etiam acceptiones ratas habere solitus sit: tum verò; quia alia ratio est absolutionis Sacramentalis, quàm hujusmodi acceptionis; cùm illius valor exigat jurisdictionem & potestatem actualem, quæ ex eo, quòd petita daretur, non habetur; acceptio autem, ut Paupertatis voto non adversetur, solùm exigit; ut subditus non propriô, sed alienô nomine & superiore non invitô, agere censeatur, *arg. l. & §. 7. cit.*

39. Dubium tertiò est; an sufficiat licentia Debita sive, quod idem est, an, cùm superior aliquid accipiendi licentiam petendam, licet concedere deberet, ex passione vel rigore præter aliorum ejusdem Ordinis Prælatorum morem indiscreto, negaturus judicatur, vel etiam petitam actu negat, subditus ex licentia ab eo, si rationabiliter ageret, præsumpta id accipere, retinere, expendere salvâ Paupertate possit. Eam sufficere vult Alphonsus Mendoza *in Quodlibet. q. 8. in fine.* Movetur; quòd superior facultatem irrationabiliter negans suô officiô non fungatur, ejúsque indiscreta voluntas nulla sit: & subditus, sicut ad Obedientiam tantùm rationabilem, sic etiam, ad observantiam Paupertatis rationi consentaneam se obligâsse, censeatur.

Rationi huic, licet magni momenti non sit, aliquid tamen tribuere juvat auxiliô distinctionis; quantumvis enim Paupertatis votum subditus non violet casu, quô indiscretæ negationis præsumptione vel actuali negatione insuper habitâ clam accipit vel dat aliquid, ut extremè indigentis necessitas sublevetur, vel ad quod vi Professionis jus habet, vg. congrua alimenta: id tamen violaret aliis 40.
& ordinariis casibus, cùm; quia contra voluntatem etiam irrationabilem superioris aliquid accipiendô ageret nomine propriô & sine subordinatione ac dependentia à voluntate superioris: quô modô Paupertas violatur, sicut violaretur Obedientia, cùm superiori irrationabiliter imperanti, quod sine peccato facere potest, vel prohibenti, ad quod faciendum jus non habet, non obtemperaret: tum; quòd, si licentia solùm debita sufficeret, cum Paupertate disciplinæ Regularis observantia facilè adduceretur in discrimen; cùm subditi ad laxitatem proni, quæ secundùm Regulæ accurationem à superiore laudabili zelo non indulgentur, indiscretè & irrationabiliter negata, sibi facilè persuadeant & querantur. Confirmatur paritate pauperum, qui in necessitate

gravi, non tamen extrema, constituti, divitibus invitis, aliquid auferre sine peccato nequeunt de rebus, quas isti, cùm ex Christiana Charitate tenerentur, largiri per sordidiem ab omni ratione & humanitate alienam recusant.

41. Sicut solummodo Debita, sic etiam ad pecuniæ aliarúmque rerum acceptionem, retentionem, usum, Religioso non sufficit licentia, vi, fraude aut minis extorta; quia talis, si falsis causis allegatis aut veris dolosè suppressis, ac proinde obvel subreptitiè impetrata est, omnino involuntaria: si autem minis & gravium molestiarum inferendarum metu extorta sit, involuntaria quidem non est, is tamen, qui superioris consensum ita extorsit, omnia in pristinum statum reducere, & licentiâ illâ, quasi metûs causâ rescissâ, non uti tenetur; ne ipse ex injuria superiori illata referat commodum &, qui eam passus est, imò Religio ipsa detrimentum patiatur. Unde in Conscientia tuti nequaquam sunt, qui causas non causas allegandô superiorem fraudulenter circumveniunt; ut ab eo obtineant, quod petunt: vel id Monasterii gravibus querelis & murmurationibus implendi, vel subditos à superiore avertendi metu extorquent, *citt.* Sanchez *n. 18.* & Suarez *n. 14.*

ARTICULUS III.

De Voto Castitatis.

SUMMARIUM.

42. *Votô hôc excluditur omnis actus Venereus:*
43. *Qui in Religioso graviter est peccaminosus.*
44. *Venialis tamen esse potest ob imperfectionem actûs:*
45. *Non ob solam materiæ parvitatem.*
46. *Ad Religiosum non sufficit Castitas conjugalis.*
47. *Unde conjugati Religiosi talet quad Statum:*
48. *Non etiam quoad Perfectum usum sunt.*
49. *In Solenni Continentia voto dispensationem Papæ negantium:*
50. *Et adstruentium vera Opinio,*
51. *Ratione & exemplis stabilitur.*
52. *Eadem ratio est votorum Solennium caterorum.*
53. *Cum Religioso ad conjugium Papa ex justa causa licitè:*
54. *Sine ea saltem validè dispensat.*
55. *Ad licitam dispensationem non sufficit merè privata,*
56. *Sed exigitur publica causa.*

COnsiliorum Evangelicorum & Religionis votorum alterum est Castitas sive Continentia ab omni voluptate carnali actûque Venereo, tam interno quàm externo, etiam aliàs licito seu conjugali adeòque omni ejusmodi actu, quô homo secularis non conjugatus Castitatem violat, Religiosus insuper Sacrilegium committat, ita tamen; ut malitia Sacrilegii gravis & mortalis in iis duntaxat sit, in quibus malitia libidinis in homine Seculari extra conjugium est mortalis: &, in quibus ista in Seculari etiam in Religioso tantùm sit venialis, Sanchez *Lib. 5. moral cap. 5. n. 9.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap 41. n. 78.* Ratio est; quia votum hoc non immutat obligationem Juris Naturalis omnibus communem, efficiendô; ut actus Venereus, qui seclusô votô, in homine Seculari non conjugato solùm venialis est, in Religioso aliôve Continentiæ votô obstricto evadat mortalis: sed solummodo addit novam circumstantiam Sacrilegii morta-

43. mortalem, si actus illius mortalis: &, si iste venialis est, venialem; ut priori casu mortalis, posteriori venialis culpa duplex admittatur, quarum altera Castitati, altera Religioni adversetur, ut cum DD. *citt.* advertit Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. tract. 16. q. 5. n. 2.* Unde

44. Dubium oritur primò, an ergo contra Castitatem dentur culpæ solùm veniales. Dari ex defectu plenæ advertentiæ & deliberationis, omnes facilè agnoscunt. Ex parvitate materiæ venialem dari aliqui absolutè negant. Alii & melius utuntur distinctione; etsi enim negari non possit, dari actus aliquos Castitati contrarios vg. oscula, tactus, aspectus, cùm ex mera levitate vel joco tantùm fiunt; solummodo venialiter peccami-

45. nosos: nihilominus in hominibus solutis non solùm fornicatio, pollutio & similes actus luxuriæ consummati, sed etiam oscula, amplexus, tactus, aspectus & similes actus, imò quæcunque morosa delectatio Venerea & complacentia voluntariè quæsita vel accepta ex coitu vel pollutione vel commotione spirituum genitalium motionéque seminis, etiam seclusò periculò pollutionis vel consensûs, mortaliter peccaminosa est, ut optimè docent Rebellus *de Oblig. Just. Lib. 3. q. 19. s. 3.* Sanchez *cit. cap. 6. n. 12.* Pontius *Lib. 10. de Matrim. cap. 16. §. 2. n. 8.* Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 8. n. 2.* Palao *Tract. 2. disp. 2. p. 10. §. 2. n. 4.* & alii: quorum doctrinæ oppositam Claudius Aquavia S. J. Præpositus Generalis V. 14. Aprilis 1612. sub præcepto Obedientiæ, gravi censurâ aliisque pœnis prohibuit. Ratio prohibitionis est; quia ex una, generaliter graviter prohibitum & mortaliter peccaminosum est omne illud, ex quo, si graviter prohibitum non esset, maximum peccandi illicium & humani generis præjudicium sequeretur; quod cum Amico *disp. 23. s. 7. n. 283.* Regulæ instar tradit Haunoldus *Theolog. Speculat. Lib. 4. tract. 2. n. 412.* ex altera verò parte, propter maximam proclivitatem, quam appetitus sensitivus ad delectationes Venereas habet & difficultatem certæ moderationis ac metæ in iis observandæ, summum periculum esset ingentis corruptionis, & ex ista imminentis maximi præjudicii generis humani, si non omnis etiam minima voluptas Venerea deliberatè quæsita vel admissa graviter prohibita & peccaminosa foret; cùm à minima in majorem & manifestè mortalem prolapsus proniissimus sit.

Dubium secundò & inter DD. in- 46.
utramque partem magnò numerò militantes, celebris controversia est, an ad statum Religiosum sufficiat Castitas Conjugalis. Dubitandi rationem & occasionem de Negativa præbent nonnulli, Ordines Militares, eam tantùm observantes: qui variis Constitutionibus Apostolicis Religiosi, eorúmque personæ Ecclesiasticæ & Religiosæ nuncupantur. Unde etiam in *Bulla de Largitione munerum* à Clemente VIII. *13. Calend. 1594. publicata* Ordines Militares ab illius, utriusque sexûs Religiosis interdictæ, prohibitione excipiuntur: quæ exceptio vana esset, si hujusmodi Ordines non essent Religiosi. De Affirmativa *c. Cùm ad Monasterium 6.* in cujus fine custodia Castitatis omnino indispensabiliter annexa dicitur Regulæ Monachali.

Quæ, licet in speciem contraria sint, meò tamen judiciò in concordiam satis commodè reducuntur, si cum Soto *Lib. 7. de Justitia q. 5. art. 3.* Equitum conjugatorum Ordines à Religionibus Evangelicis & Apostolicis excludamus; quòd Consiliorum Evangelicorum integram & perfectam observantiam non voveant & observent: secundùm quid tamen Religiosos

gioſos eſſe, ſtatuamus; quòd Religionum approbatarum Regulam profiteantur & ſubſtantialia Religionis vota ex parte obſervent. A Soto quoad ſenſum non divertit, licet paulò aliter loquatur, Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 9. lib. 1. cap. 4. n. 26.* ubi ejusmodi Equites Religioſos eſſe ait quoad Statum, non quoad Uſum.

47. *Quoad Statum*; quòd cæterorum Religioſorum inſtar ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudeántque privilegiò Fori & Canonis, aliiſque favoribus & gratiis Religioſorum: & propterea iſtorum nomine à ſummis Pontificibus honorentur. Non

48. etiam *quoad Uſum* & praxim; quòd revera non vivant Religioſè, & deficiant in Conſiliorum Evangelicorum perfecta & integra obſervatione. Quæ utriusque DD. allegati ſententia conformis D. Thomæ *2.2.q.186.art.4.* & approbata eſt à Diana *p. 8. Tract. 1. reſol. 78. §. Legimus quoque*, & Donato *cit. Tract. 10. q. 11. n. 18. & 23.*

49. Dubium & non minùs celebris controverſia tertiò eſt; an Papa in voto Caſtitatis Solenni ſive cum Religioſo profeſſo ad matrimonium diſpenſare poſſit. Id enim cum S. Thoma *cit. q. 188. art. 11.* & D. Bonaventura *in 4. diſt. 38. art. 2. q. 1.* contrarium ſuſtineri poſſe, ſubjiciente *q. 3.* negant Sylveſter *V. Votum 4. q. 5.* Sotus *cit. Lib. 7. q. 4. art. 2.* & alii, præcipuè permoti *c. Cùm ad Monaſterium cit.* in cujus fine Innocentius III. diſertè, *Cuſtodia Caſtitatis*, inquit, *adeò annexa eſt Regulæ Monachali; ut contra eam nec etiam ſummus Pontifex licentiam* (ad matrimonium contrahendum) *indulgere poſſit.* quibus verbis quid in rem præſentem luculentiùs dici queat? Rationem geminam reddunt. Una eſt; quòd, cùm res ſemel Deo dicata ad prophanos uſus revocari, *Reg. Semel. 51. in 6.* ejúsque ſtatus mutari nequeat, ſicut ex Sacerdote non Sacerdotem, non Epiſcopum ex Epiſcopo, & ex baptizato non baptizatum, ſic ex Religioſo Deo conſecrato & Solenni votô ad Continentiam obligato ſecularem & conjugem facere, humanam omnem, ac proinde etiam Papalem excedat poteſtatem. Altera; quòd Papa diſpenſare nequeat in matrimonio carnali conſummato, juxta illud Salvatoris, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* Matth. *cap. 19. v. 6.* Ergo neque in ſpirituali, quod profeſſus iniiſſe cum Religione, & per actuum profeſſis propriorum exercitium conſummâſſe intelligitur; quia vincula ſpiritualia fortiora ſunt carnalibus; *c. Inter corporalia 2. de Translat. Epiſc.*

Nihilominus TT. & Canoniſtarum à Sanchez *Lib. 8. de Matr. diſp. 1. n. 7.* maximô numerô congeſtorum, non paucorum etiam ex D. Thomæ Schola DD. multò frequentiori calculô recepta ſententia eam diſpenſandi poteſtatem adſtruit Papæ. Ratio ſolida & perſpicua eſt; quòd Papa, ex ipſius etiam Doctoris Angelici ſententia, diſpenſare valeat in voto Continentiæ Simplici, eóque connexam caſtè vivendi obligationem Deimine remittere, *arg. c. Meminimus 3. Qui clerici & vovent.* Ergo etiam in Solenni; quia voti Solennitas provenit ex Conſtitutione Eccleſiæ, votum ſic acceptantis; ut id emittentem ad matrimonium inhabilem reddiderit, *c. Univerſi, de Voto in 6.* cujusmodi Conſtitutionem, ſicut condere, ſic etiam relaxare, & actus eâ prohibitos & irritatos reddere validos poteſt, *arg. c. Non debet 8. pr. de Conſang. & Affinit. & c. Alma 24. pr. de Sent. ex. com. in 6.* quia ligandi & ſolvendi poteſtas eſt conjuncta, Matth. *cap. 16. v. 19.*

Confirmatur primò; quia, ut alias monui, ſedi Apoſtolicæ adſtruenda eſt omnis poteſtas, ad rectam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria & expediens; cum ſupalo

modo ei concedi sine absurdo possit, hôc ipsô; quòd à Christo, Ecclesiæ gubernationem ei committente, ad hanc necessariis & conducentibus mediis eum destitutum, credibile non sit: ea autem in votis Solennibus dispensandi potestas Papæ adstrui, sine absurdo possit, & ad fidelium rectam gubernationem plurimùm conferat; cùm eâ magna bona promoveri & mala impediri possint.

Confirmatur secundò exemplis, ejusmodi dispensationum à Romanis Pontificibus indultarum; sic enim à Benedicto IX. cum Casimiro II. Poloniæ Rege, antè Cluniacensium Ordinem professo & Diacono: cum Constantia Rogerii Siciliæ Regis filia & Henrici Imp. uxore, antè Moniali à Cælestino III. cum Ramiro II. Arragonum Rege antè Monacho, imò Abbate & Episcopo ab Innocentio III. ab Alexandro III. cum Nicolao Justiniano, etiam Monacho: à Gregorio XIII. cum Cardinalis Joiosæ Galli fratre, Professo, Sacerdote & Provinciali PP. Cappucinorum ad conjugia ineunda dispensatum, fide digni scriptores perhibent apud Donatum *cit. Tract. 1. q. 13. à n. 18.* & Fagnanum *in c. Cum ad Monasterium cit. n. 66.* Unde

52. Infertur à summo Pontifice etiam in Paupertatis & Obedientiæ Solennibus votis dispensari posse; ut Religioso ab iis absoluto habere proprium, & arbitratu suo atque independenter ab alio vivere, licitum sit. Cui illationi ne *c. cit.* textus adversetur, istô Papæ nomine Episcopum intelligi, ait Mendoza *de Concil. Illiberit. cap. 30.* sicut juxta dicta *Tit. 13. n. 17.* eô nomine venit *can. Non liceat Papæ, 12. q. 2.* Sed hic *c. cit.* intellectus meritò displiceat Barbosæ *in c. cit. n. 13.* cùm; quia nomine Papæ, sicut Symmachi *can. cit.* sic etiam Innocentii III. *c. cit.* rescribentis tempore Episcopos denotari consuevisse, non constat: tum verò; quòd absque hoc intellectu *c. cit.* textus ei, de qua agimus, dispensationi non adversetur; cùm eô Papæ non negetur potestas in votis illis Solennibus dispensandi; ut iis obstrictus ex Monacho seu Religioso Secularis factus habeat proprium & uxorem ducat: sed solummodo; ut verus & Evangelicus Religiosus maneat, & tamen simul proprium & uxorem habeat; quòd tria illa vota sint de essentia Statûs Religiosi, prout à Christo Domino in Evangelio propositus est. Ita cum Panormit. *in c. cit. n. 21.* Turrecremata *in can. Sicut, 27. q. 1. art. 3. n. 7.* Guttierez *Lib. 1. Q. Canon. cap. 17. n. 5.* & Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 8. n. 12.* allegatum sensum exponunt Barbosa *n. 13.* & Fagnanus *n. 67.*

Non major quàm textui vis inest rationibus. Priori; quia etiam res Deo dicatas ad prophanos usus revocari authoritate præsertim Apostolicâ posse, patet exemplô Ecclesiæ & calicis consecrati, quorum illam & istum execrari, & ad prophanos usus reduci ab eo posse, nemo facilè inficiatur. Cur non etiam ex Monacho, dissolutis ejus votis, fieri non-Monachus? cùm in Monachum tonso per tonsuram & professionem character in delebilis, sicut Sacerdoti & Christiano per Ordinationem Sacram & Baptismum, non imprimatur. Posteriori; quia, præterquam quòd professione non verum, sed similitudinarium duntaxat matrimonium spirituale contrahatur, à matrimonio carnali consummato ad ipsam non rectè ducitur argumentum; quia hoc omnino insolubile est, propter perfectam significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, *c. Debitum 5. de Bigamis*: professio autem talem significationem non habet, neque etiam imprimit characterem, neque continet aliud quidpiam, in quo ejus omnimoda insolubilitas fundetur, Sanchez *cit. disp. 8. n. 12.*

53. Ut autem cum Professo ad conjugium Papa legitimè dispenset, necessaria secundùm omnes est justa causa: quâ deficiente, licet ab ipso initum matrimonium subsistat, ejus tamen defectûs conscius conjugale debitum, quod reddere tenetur, licitè non exigit perinde, ut qui cum voto continentiæ Simplici sine dispensatione, vel cum ista sine ulla justa causa, aut allegatâ causâ falsâ, impetrata matrimonium contraxit. Ratio prioris sive valoris matrimonii est; quia votum Solenne, matrimonium contrahendum dirimendi vim habet ex Ecclesiæ Constitutione: quæ cùm à Papæ, tanquam supremi Ecclesiæ legislatoris Ecclesiastici, voluntate tota pendeat, in ea etiam sine ulla causa validè dispensat, ex doctrina Covarruviæ *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 9. n.* 54. *8.* Sanchez *cit. disp. 8. n. 10.* & Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 19. n. 6.* Posterioris autem sive, quòd tali casu debitum exigi ab ejusmodi professo vi dispensationis nequeat, ratio est; quia votum Continentiæ, licet solennitatem & in ista fundatam matrimonii dirimendi vim habeat ex Constitutione Ecclesiæ, istud tamen contrahendum impedit Jure Naturali & Divino: in quo, non exigente aut suadente justâ causâ, etiam Papa invalidè dispensat; ac proinde votô illô obstrictus, licet matrimonium vi dispensationis Papalis absque justa causa obtentæ validè contraxerit, debitum tamen conjugale exigere non potest perinde, acsi cum ipso dispensatum non fuisset, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 88. art. 12.* Glossa *in c. Non est 5. V. Adimplere, de Voto* & aliis docet idem Sanchez *l. cit. disp. 17. n. 3.* Unde

55. Dubium quartò est, an ad hujus dispensationis honestatem sufficiat causa merè privata, vel publica exigatur. Sufficere privatam, sive speciale aliquod commodum professi vg. continentiæ votum Solenne ob nimiam carnis fragilitatem difficillimè & non sine frequenti lapsu observantis, voluit Richardus *in 4. dist. 38. art. 9. q. 1.* Quam ejus Opinionem tanquam falsam rejiciunt Medina *de Sacror. hom. Continentia, cap. 37. ad finem*, Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6.* & Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 8. n. 8.* ad hujusmodi vo- 56
relaxationem publicam & valde urgentem, vg. Regiæ vel principalis stirpis propagandæ, pacis vel Religionis in regno vel provincia conservandæ vel promovendæ, causam exigentes, cùm; quòd dispensationis in hujusmodi voto ad conjugium ineundum, ex causa merè privata concessæ, nullum extet exemplum: tum verò; quòd talis dispensatio fieri nequeat sine Clericalis aut Religiosi Status detrimento: quòd solius privati boni intuitu permitti non sinit ratio naturalis, bonum merè privatum publico subordinans. Rationi huic non leve robur inde accedit, quòd, cùm memorata eique similes dispensandi causæ merè privatæ frequentissimè subsint, si ejusmodi aliqua sufficeret & publica non exigeretur, cum Religionum professis & clericis in Sacris constitutis ad conjugium ineundum dispensationes frequentissimæ forent: earum autem frequentia in Religiosi & Clericalis Statûs labefactationem & opprobrium manifestè vergat: &, quòd eâ ad Religiones privatæ utilitatis prætextu deferendas plurimi invitarentur, publicè sit pernicioſa.

ARTICULUS IV.

De Voto Obedientiæ.

SUMMARIUM.

57. *Istô persona subjicitur gubernationi Prælati:* 58. *Cujus*

58. *Cujus præceptum violans contra Obedientiæ,*
59. *Et Justitiæ virtutes delinquit.*
60. *Obedientiam Religiosus debet Prælatis suis Regularibus,*
61. *Et multò magis Papæ:*
62. *Imò & Episcopo diœcesano.*
63. *Huic tamen eam non debent Exempti,*
64. *Et quoad disciplinam Regularem etiam alii Religiosi:*
65. *Nisi ejus observantiam negligat Prælatus Regularis.*
66. *Abbatissæ in Moniales non Jurisdictionis*
67. *Sed Domestica solùm competit potestas.*
68. *Obedientia non debetur Prælato præcipienti inhonesta,*
69. *Et quæ extra Regulam sunt:*
70. *Nisi amplius aliquid exigat speciale Institutum:*
71. *Ad cujus conservationem necessaria sub Regula sunt.*
72. *Religiosi tenentur ad asperitates Regulæ primævæ,*
73. *Sub Ordinis sui votis comprehensas.*
74. *Iidem tenentur ad observantiam Regulæ Reformatæ:*
75. *Præsertim, si laxior observantia introducta non congruat fini,*
76. *Et Votis substantialibus Religionis.*

57. COnsiliorum Evangelicorum & Statum Religiosum constituentium votorum postremum est Obedientiæ: quam Deo promittens séque Religioni tradens propriæ voluntati renuntiat; ut jam proprium velle ac nolle non habeat *c. Si Religiosus 27. pr. de Elect. in 6.* séque Prælati gubernationi subjiciens obliget ad obtemperandum in omnibus, quæ honesta justâque & Regulæ conformia sunt, ut paulò post statuetur ad mentem S. Thomæ 2. 2. *q. 186. art. 9.* Laiman *Lib. 4. Tract. 5. cap. 9. n. 1.* & Donati *Tom. 4. Prax. Regul. tract. 17. q. 4. n. 1.* Juxta quam explicationem Obedientiæ voto, in quacunque approbata Religione præstito Deo, adjuncta est traditio sui, seu personæ voventis actualis translatio in Religionem cum promissione ejus Prælati præcepta exequendi: quâ ab isto acceptatâ Religioni, cujus nomine acceptatio fit, acquiritur jus & quasi dominium in personam voventem, & hæc ipsi incorporatur perficitúrque contractus & mutua obligatio, quæ Professum inter & Religionem intercedit, ut rem hanc perquàm eleganter & accuratè declarat Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. & n. 5.* Unde

Infertur, ex Professione, uti & Simplicibus Religionis votis, in Societate JESU post Novitiatus biennium emissis, & à Prælato vel alio potestatem habente acceptatis, consurgere obediendi obligationem duplicem. Unam ortam ex voto seu promissione Obedientiæ facta Deo: alteram ex illa sui traditione, & huic adjuncta aut virtute in ea contenta promissione, respiciente Religionem; ac proinde in voti Obedientiæ violatione contineri malitiam seu peccatum duplex. Unum contra Religionem in transgressionis voti seu promissionis factæ Deo: alterum contra Justitiam, imò & fidelitatem, in juris ex ista sui traditione eíque adjuncta promissione Religioni quæsiti læsione consistens, ut advertit idem Suarez *cap. 6. n. 1. & 2.* cujus doctrinam non obscurè Donatus *cit. q. n. 6.* & perspicuè approbat Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 1. n. 3.* Hæc satis certa. 58. 59.

Dubium est primò, cui Religiosus vi Obedientiæ ita promissæ teneatur obedire. Certum est primò, quemlibet o- 60.

bedire teneri Prælato seu superiori suæ Religionis Locali, Provinciali, Generali, observatâ tamen eorum subordinatione; ut Provincialis potiùs quàm Localis, & præ istorum utroque Generalis mandata observentur, juxta *can. Quæ contra 2. dist. 8.* ibi, *Major potestas minori ad obediendum præponitur*, & *can. Qui resistit, 11. q. 3.* Ratio est; quòd, cùm huic Obedientiam illorum uterque, Provinciali Localis superior debeat, præceptis à Generali contrarium neuter, & quod à Provinciali mandatis adversatur, Localis superior præcipere non possit; ac proinde præ utroque Generali, Provinciali præ Locali superiore sit obtemperandum, Sylvester *V. Obedientia, q. 10. & cit.* Sanchez *cap. 11. n. 6.*

61. Certum est secundò, omnes utriusque sexûs Religiosos non minùs quàm propriis Ordinis sui Prælatis, imò præ istis obedire teneri summo Pontifici, ea quæ Regulæ conformia sunt, præcipienti; quia ipsi non tantùm ratione jurisdictionis in omnes Christi fideles competentis, sed ex voto etiam Obedientiæ, tanquam supremo & generali omnium Religionum Prælato & aliorum Capiti subjiciuntur; neque enim Religiones ab ipso aliâ ratione, quàm ut supremus earum Prælatus esset, censentur approbatæ, Navarrus *Manual. cap. 12. n. 76. citt.* Suarez *cap. 11. n. 13.* & Laiman *cap. 8. n. 3.*

62. Dubium autē & controversia primò est de Episcopo. Non quidem quoad Moniales; quia, cùm istæ, quando exemptæ non sunt, Obedientiam Episcopo promittant, ei Regulæ conformia præcipienti non minùs quàm exemptæ proprio suo Prælato Regulari, & potiùs quam Abbatissæ, Priorissæ &c. obedire tenentur, Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 1.*
63. *n. 11.* & Palao *cit. disp. 4. p. 2. n. 5.* Neque etiam quoad easdem & Religiosos etiam exemptos; quia, cùm istorum superior quoad observantiam Regularem non sit, vi voti Obedire ipsi non tenentur, *cit.* Sanchez *n. 13.* & Palao *n. 5.*

Sed quoad non-exemptos; quos ex voto ipsi obedire teneri, cum Petr. Ledesma *Tom. 2. Summæ, Tract. 10. cap. 7. n. 2.* sustinent *citt.* Palao *n. 16.* & Donatus *q. 30. n. 4.* cùm; quòd quæcunque Papa respectu totius orbis Christiani, Episcopus valeat respectu propriæ suæ diœcesis, nisi ejus potestas Apostolicâ reservatione sit restricta; ac proinde vi voti sicut Religiosi quicunque Papæ, non exempti Episcopo ad Regularem disciplinam pertinentia præcipienti obedire teneantur: tum verò; quòd non-exemptorum Prælati in Religiosos sibi subjectos jurisdictionem immediatè non accipiant à Papa, sed ab Episcopo; & propterea illis subditi Religiosi Episcopo potiùs quàm Prælato suo Regulari, tanquam istius immediato & principaliori suo Prælato, teneantur obedire. Verisimilius tamen, Religiosos non-exemptos, qui obedientiam Episcopo tanquam proprio suo Prælato specialiter non vovent, ad ipsi ratione voti obediendū neutiquā adstringi *in c. Quantò 7. de Offic. Ordin.* notant Innocent. *n. 2.* Panormit. *n. 5.* Laiman *n. 4.* & ex aliis defendunt Sylvester *V. Obedientia, q. 8.* Sanchez *cit. cap. 1. n. 12.* & Pirrhing *ad Rubric. cit. n. 58.* pro se allegantes D. Thomam *2. dist. 44. in fine in Expost. lit. ad 3.* Rationem reddunt; quòd Religiosa vota emittentes obedientiam solummodo promittant Abbati ejúsque regimini se submittant; & propterea obligationem ex Obedientiæ voto ortā & quoad observantiam Regularem Abbati potiùs, quàm Episcopo obedire teneantur; ex eo enim & non aliunde provenit, quòd Monachum Episcopus non nisi de Abbatis sui voluntate valeat ordinare.

ordinare, ex Gregorii Papæ rescripto & decreto Concilii Carthaginensis *V. can. 1. & can. fin. dist. 58.* relatis : & non habeat potestatem irritandi vota, sicut eam respectu omnium Regularium habet Papa, ut verius censet Suarez *cit. cap. 11. n. 17.* ubi & *Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6.* negat ab adversa parte allegatam paritatem inter Potestatem Papalem respectu totius Orbis & Episcopalem respectu alicujus diœcesis, cujus vanitas satis ostensa est *Lib. 1. Tit. 31. à n. 81.* Unde firmum non est, quod in contrarium deductum est, prius argumentum.

Non firmius est alterum ; quia, esto Regularium non-exemptorum Prælati jurisdictionem immediatè accipiant ab Episcopis, non tamen istis promittitur Obedientia, sed Prælatis Religionis : à quibus etiam Dei & Religionis, non Episcopi, nomine acceptatur votum Obedientiæ & huic adjuncta sui traditio ac promissio honestis ac Regulæ conformibus ejus præceptis obtemperandi. Unde, licet ejusmodi Religiosi tanquam clerici vel personæ Ecclesiasticæ non-exemptæ Episcopo subjiciantur in iis, quæ pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam, per se tamen non ei, sed Prælatis tantùm Regularibus subjiciuntur quoad observantiam Regularem : & quoad hanc istis potiùs, quàm Episcopis tenentur obedire, *arg. cann. citt.* ut cum *cit.* Doctore Angelico rectè observat Sanchez *cit. n. 12.* 65. & *cit. Tit. 31. n. 68.* est insinuatum. *Per se*, inquam ; quia per accidens, si Prælati in disciplina Regulari conservanda eique adversantibus erratis corrigendis, etiam post monitionem factam, negligentes sint, observantiam illam urgere & transgressores corrigere ac punire, *c. Quanto cit.* & variis casibus etiam contra exemptos procedere Episcopi possunt : non quidè ratione Obedientiæ sibi promissæ, sed ratione jurisdictionis, in omnia loca & personas Ecclesiasticas non-exemptas ipsis competentis ; ut officio & obligationibus undecunque provenientibus faciant satis, ut in *c. cit.* notant Panormit. *n. 3.* & Laiman *n. 4.*

Dubium & controversia est secundò de Abbatissa, Priorissa & similibus feminis, Monialibus præpositis. De quibus dubitandi minimè levis ratio est ; quòd, cùm spiritualem jurisdictionem non habeant, imò, communi Jure spectatô, ejus sint incapaces, sibi subditis Monialibus præcipere nequeant in virtute Obedientiæ. Unde neque istæ vi voti & promissionis Obedientiæ ipsis tenebuntur obedire ; quia præcipere & obedire sunt correlativa ; ut ratione & vi voti obedientiæ quis obtemperare non teneatur, nisi ei, qui ratione & vi voti præcipere potest. 66.

Verùm, licet Monialium præpositæ quæcunque, potestate Clavium, *c. Nova 10. de Pœnit. & remiss.* & in hac fundata spirituali jurisdictione, & in virtute Spiritûs sancti aut sanctæ Obedientiæ vel sub censuris aliquid præcipiendi prohibendive potestate careant : habent tamen in Moniales potestatem Dominativam & Domesticam, ortam ex professione & huic adjuncta sui traditione atque obediendi promissione : cujus ratione & vi etiam ipsæ Monialibus ad Regularem observantiam pertinentia, vg. ut frequentent chorum, imposita munera obeant, clausuram accuratè observent ; ne externis colloquantur, mittant munera, literas dent vel accipiant, præcipere vel prohibere easque ad hujusmodi præcepta implenda etiam graviter valent obligare. Ita cum *cit.* Sanchez *cap. 1. n. 7.* & Suarez *cap. 11. n. 20.* Tamburinus *de Jure Abbatissarum disp. 12. q. 5. n. 3.* & Donatus *cit. Tract. 17. q. 32.* 67.

Dubium tertiò est, quæ Religiosis 68.

præcipi à Prælatis possint. Generaliter quamlibet rem honestam ipsis præcipi ab his posse, suadet non contemnenda ratio; quòd Obedientiam promittendò propriam voluntatem abdicârint, & submiserint Prælato; ut jam velle ac nolle proprium non habeant, *c. Si Religiosus cit. & can. Non dicatis 12. q. 1.* Unde Prælato suo, quamlibet rem honestâ & peccatû non continentem præcipienti, obtemperandi necessitate teneri videntur, præsertim in Religionibus, quarum Regulis præscribitur; ut ei obediant in omnibus iis, in quibus manifestum peccatum non cernitur, ut Societatis JESU Constitut. *p. 3. cap. 1. n. 23. & p. 6. cap. & n. 1.* habetur,

69. Nihilominus D. Thomæ *2. 2. q. 104. art. 5. ad 3.* cæterorúmque primi nominis ac notæ TT. & à S. Bernardo *Lib. de Præcept. & Obed. cap. 7.* tradita doctrina est, Religiosis subditis præcipi à Prælato non posse, quæ extra Regulam sunt; ut adeò obligari ab his nequeant ad ea, quæ neque expressè neque tacitè vel implicitè in Regula continentur. Ratio est; quia Prælati authoritas sive potestas præcipiendi, & obsequendi necessitas, quâ tenentur Religiosi, oritur ex sui traditione cum promissione obediendi; cùm enim ista subjectio omnino voluntaria sit, eorum Religioni se tradentium voluntatem ac promissionem non excedet: ipsi autem se tradendò obedientiam tantùm promiserunt secundùm Regulam Instituti, quod sunt amplexi; ac proinde ea, quæ contra vel extra Regulam sunt, neque præcipi possunt à Prælato, neque Religiosi exequi tenentur; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *arg. l. Non omnia 19. ff. de Reb. credit.*

70. Ne autem cum hac sententia pugnent allegatæ Societatis Constitutiones, memoriâ retinenda est, iam à S. Patriarcha Benedicto prodita, & à S. Thom. *l. cit. & 2. dist. 44. q. 2. art. 3.* relata distinctio Obedientiæ triplicis: quarum primam meritò Indiscretam & Obedientiæ nomine indignam vocat; quòd de rebus illicitis &, ut FF. Minor. Regulæ *cap. 10.* loquuntur, contra animam sit. Altera dicitur Sufficiens & vi votorum à subditis debita Prælato, non tamen perfecta; quæ omnibus Religiosis est communis, & ad ea duntaxat se extendit, quæ in Regula explicitè vel saltem implicitè & virtualiter continentur, & pertinent ad observantiam Regularem. Tertia Perfecta dicitur; quòd nullis terminis coarctetur: sed se extendat ad omnia, in quibus manifestum peccatum non cernitur, neque præcepta duntaxat, sed signa etiam voluntatis superioris observent quam S. P. Ignatius in Constitutionibus *citt. n. 23. & n. 1.* alumnis suis omnibus, & FF. etiam Minoribus commendat ipsorum Regula *cap. 10. cit.* Obedientiam exigens in omnibus, quæ non sunt contra Regulam & animam.

Quod, licet verissimum sit, non tamen, ut Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 44. n. 77.* existimat, in his omnibus Obedientia superiori debita *est vi voti*; quia dictæ Constitutiones & Regula non loquuntur de rigore Obedientiæ, quæ vi voti debita est: sed de Perfectissima, ad quam S. P. N. Societatis Religiosos omnibus viribus voluit conniti; cùm, si ea debita esset ex voto, Religiosi ad imposita sibi quasvis austeritates obligarentur, Corduba *in Regulam S. Francisci cap. 10. cit. q. 2. dict. 1. cit.* Sanchez *cap. 2. n. 16.* Suarez *cap. 8. n. 6. & Tom. 4. tract. 9. lib. 4. cap. 12. à n. 10.* & Palao *cit. disp. 4. p. 4. n. 3.* Unde

Dubium quartò est, quænam Regulâ tacitè sive implicitè comprehensa 71.
censeantur. Mihi præ aliis semper placuit ea-

cuit explicatio S. Thomæ *cit. q. 2. art. 3. citt.* Sanchez *cap. 2. n. 9.* & Suarez *cap. 8. n. 7. & 13.* Regulâ ita comprehendi, asserentium omnia, quæ moraliter necessaria sunt ad conservationem Instituti & ipsius Regulæ expressæ observationem: sicut sunt mutua officia & obsequia fraternæ Charitatis, munera seu functiones & negotia Ordinis, correctiones & pœnæ ob votorum Regularium & multò magis Divinorum aliorúmque præceptorum omnibus Christianis communium transgressionem inflictæ, mortificationes, pœnitentiæ, aliáque pia opera & exercitia, multùm conducentia ad ejusmodi transgressiones in futurum vitandas, aut etiam mala & calamitates publicas avertendas: & in Societate nostra specialiter Missiones ad Indos, Sarracenos & quaslibet mundi partes pro conversione Infidelium, Hæreticorum & Schismaticorum ad Ecclesiæ gremium reductione & unione, aliique labores ac functiones obeundæ pro salute animarum. Imò ista ipsâ ejus Regulâ expressè continentur Constit. *p. 9. cap. 5. n. 9.*

72. Dubium quintò est, an Religiosi obligentur ad asperitates Regulæ primævæ, etiamsi ea cum tempore sit relaxata. Dubitandi ratio est; quia Regulæ observandæ obligatio oritur ex voto, eique adjuncta & per omnia respondente promissione: votô autem Obedientiæ promittitur Obedientia secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam, qualis primæva: non ab ea deviantium hominum malitiâ corrupta est, sicut est relaxata & moderna. Rationi huic nonnihil deferendum, & discrimen faciendum est inter asperitates; vel enim istæ ab ipso Religionis exordio includuntur in ipsis votis, vel non? si posterius hoc, ad earum observantiam Religiosi non tenentur; quòd non-usu seu contraria &, ut supra pono, legitimè præscriptâ consuetudine iis sit derogatum: &, derogari potuisse, indubitatè desumatur ex *c. fin. de Consuetud.* Si prius, & vota, ut nunc e- 73.
mittuntur, quoad tenorem ac sensum mutata non sunt, ad eorum observantiam omnino tenentur; quia ex proprio voto ortæ obligationi, cum Naturalis & Divini Juris sit, non-usu seu consuetudine contrariâ nequit derogari, *c. fin. cit.* Aliter res se haberet, si modernus votorum sensus non idem esset cum primævo, & asperitates non, ut olim, etiam hodie votô comprehenderentur; tali enim casu eas observandi obligatione Religiosos hodie non teneri, præter alios DD. censet Palao *cit. p. 4. n. 9.*

Dubium sextò, & magni momenti controversia est, de Regula Reformata, an ad ejus ad primævum rigorem reductæ observantiam etiam teneantur, qui Religionem professi sunt ante reformationem. Rationes dubitandi de utraque parte non leves sunt: & Affirmativam quidem valde difficilem reddit, quòd Religiosi vi voti solummodo obligentur ad Regulam & observantiam, ad quam in Professione se obligârunt: istâ autem solummodo se obligârint ad observantiam Regulæ, privilegiò vel consuetudine primævo vigori contrariâ mitigatæ & relaxatæ: non secundum primum rigorem accuratæ & reformatæ. Negativa non magis expedita est; quòd Religionum Prælati cum Capitulo generali collapsam disciplinam erigere, & conditis etiam novis Ordinationibus reparare permittantur *c. fin. & Clement. 1. hâc Rubr.* uti etiam à Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Regular.* quod cum effectu vix, & ne sic quidem possent, si Religiosi ab ipsis salubriter ordinata, & relaxatæ vel omnino collapsæ Regulæ reformationem ad pristinam observantiam acceptare non teneren-

tenerentur. Quarum rationum vi in diversa distractorum DD. contrarias Opiniones, si possunt, in concordiam reducere juvat ope distinctionis inter tres modos relaxationis.

Et primò quidem, si Regula privilegiò Apostolicò, vel ab ipso Ordinis Prælato & Capitulo ex justa causa mitigata sit, ejúsque præsens observantia nemini offendiculo; & Religiosis secundùm eam viventibus via ad Perfectionem commoda sit, ejus ad primævum rigorem redactæ reformatione eos, qui ante hanc professi sunt, non teneri, ratio dubitandi prior omnino evincit, & cum *cit.* Suarez *cap. 8. n. 17.* & aliis tradit Palao *cit. p. 4. n. 11.*

75. Secundò contrà, si Regula transgressionum frequentium continuatione & superiorum ejus observantiam non promoventium negligentiâ cum tempore ita relaxata sit; ut secundùm præsentem ejus observantiam viventium pauci vota observare & ad Religiosam Perfectionem pervenire studeant; ideóque aliis scandalo & occasio querelarum sint, ejus reformatione etiam tenentur, qui eam ante hanc sunt professi; cùm propter rationem dubitandi posteriorem: tum verò; quòd hujusmodi Regulæ relaxatio ad Religionis dissolutionem apertè tendat; & propterea irrationabilis & non tam Consuetudo sit, quàm Corruptela: quæ quantocunque, etiam immemoriali tempore observetur, pristinæ Regulæ non potest prævalere, aut ab ejus ad pristinum vigorem reformatæ observatione subditos deobligare, Felinus *in c. Cùm omnes 6. de Constitut. n. 15.* Sylvester *V. Religio 6. q. 6. citt.* Sanchez *cap. 2. n. 75.* & Suarez *cap. 8. n. 20.*

76. Tertiò, si Regulæ primævæ accurationi prævaluit consuetudo: quâ, licet Religionis substantialia convellendi ejúsque dissolvendæ aut scandalorum periculum non inductum, complures tamen asperitates & ad perfectionem assequendam multùm conducentes observantiæ cum tempore sublatæ sunt: eáque Apostolicâ, vel etiam Prælati & Capituli generalis reformatione ad primævum statum reducatur, ut ei reformatæ se conforment, obligari probabilius etiam possunt, qui eam nondum reformatam sunt professi, ut cum Panormit. *in c. Super eo 9. de Regul. n. 5.* & aliis docent *citt.* Sanchez *n. 31.* & Suarez *n. 14.* Ratio est; quia, licet per continuatas etiam peccaminosas transgressiones cum tempore introducta consuendo, quamdiu duravit, Regulæ obligationem relaxandi vim habuerit, *arg. cit. fin. de Consuet.* non tamen Papæ & ipsis etiam Religionis Prælatis & Capitulis abstulit potestatem, ipsâ per reformationem sublatâ, Regulam pristino vigori restituendi, aut ad restituæ observantiam subditos obligandi, *arg. c. fin. Clement.* & Trident. *cap. 1. citt.*

Neque obstat ratio prior; quia sponte suâ Religionem profitens hanc se tradere & Prælato promittere censetur; quòd paratus esse velit ad amplectenda, quæ ad bonum Religionis statum conservandum reparandúmque & ad Perfectionem à Religionis fundatoribus propositam valde conducentia sunt; ideo enim Novitiis Regulæ à fundatoribus præscriptæ tenor prælegi & explicari solet, vel legendus exhiberi. Unde ad reformationem admittendam etiam vi voti tacitè obligari videntur: dummodo per eam votis accidentariæ asperitates valde graves, & rigor à præsenti observantia valde diversus & vitam multò difficiliorem reddens non inducatur; quia, etiam ad talem votò se obligare voluisse, præsumi rationabiliter non possunt.

TITU-

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus; ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIUM.

1. *Ad Religionis & Pietatis Opera destinata loca triplicia sunt.*
2. *Sacra, ad illa per consecrationem vel benedictionem:*
3. *Religiosa, sine ista, publicâ tamen Ecclesiæ,*
4. *Et Pia, privatâ authoritate deputata.*
5. *Episcopi jurisdictioni subjecta sunt loca Sacra,*
6. *Et Monasteria, sita in ejus diœcesi,*
7. *Etiamsi Ecclesiis extranea,*
8. *Vel Exemptis sint unita:*
9. *Nisi tamen in iis Exempti Collegialiter degant.*
10. *In dubio locus spectat ad Episcopum, qui in eo jurisdictionem:*
11. *Imò istius unicum actum solus exercuit.*
12. *Eidem subsunt Ecclesiasticâ authoritate erecta Hospitalia:*
13. *Nisi sub immediata protectione Regum &c.*
14. *Vel Militaris, & ferè aliorum Ordinum sint.*
15. *Hospitalia, privatâ authoritate erecta, Episcopo subjecta non sunt:*
16. *Nonnullis casibus exceptis:*
17. *Et seclusis Decretis S. Synodi Tridentinæ.*
18. *Locus Sacer ad prophanos usus non reducitur authoritate privatâ.*
19. *Deficientibus clericis, Ecclesia Secularis in Regularem:*
20. *Non vicissim hæc in illam convertì ab Episcopo potest,*
21. *Quamdiu per Regulares valet reformari.*
22. *Ad prophanos usus reduci fere privatâ authoritate possunt loca Pia.*
23. *Approbatio Religiosi Ordinis olim Episcopis:*
24. *Hodie Sedi Apostolicæ soli competit,*
25. *Et causis Ecclesiæ majoribus adnumeratur.*

1. A Religiosorũ Statu transimus ad eorum Domos sive Ecclesias, Monasteria cæteráque loca, ad cultum Divinum, Pietatis & Misericordiæ opera exercenda, deputata: quæ cujus jurisdictioni subjiciantur, expeditum erit, si inter ejusmodi Domorum seu locorum tria genera distinguamus.

2. Primum sunt Sacra, sive ædes ad cultum Dei & Beatorum Cælitum venerationem per Missarum solennia cæteráque Divina officia celebranda Episcopali consecratione dedicata; ut sunt Basilicæ & Ecclesiæ sive templa, sacella, iisque ad-

hærentia loca, *can. 1. dist. 25. can. Si quis 9. dist. 30. can. Non oportet 4. dist. 40. can. Omnes, 16. q. 7. & c. fin. de Eccles. ædif.* Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 1. n. 10.* & Fagnanus *in c. Ecclesiæ 9. de Immunit. Eccles. n. 4.*

3. Alterum ejusmodi domorum genus constituunt loca Religiosa: cujusmodi Civili Jure dicuntur, in quæ mortuus est illatus, *l. In tantum 6. §. 4. ff. de Rer. divis. & l. Locum 2. ff. de Relig. & sumpt.* vel, si ejus corporis partes illatæ sunt in diversa, ille solùm, in quo principalis, id est caput, conditum est, *l. Cùm in diversis 44. ff. eâdem Rubr.* Sanctionibus autem Canonicis Religiosorum nomine latè etiam Sacra comprehenduntur: propriè autem & in propositæ Rubricæ sensu accepto imprimis veniunt Monasteria, Collegia, cæteræque domus Regularium: Deinde etiâ Hospitalia aliáque loca, exercendis Pietatis ac Misericordiæ operibus Episcopali vel alia Ecclesiasticâ authoritate erecta vel deputata: ut sunt Xenodochia sive Hospitalia, quibus peregrini recipiuntur: Nosocomia, quibus ægroti curantur & aluntur: Leprosaria sive Leprodochia, quibus leprâ percussi & ab aliorum hominum consortio segregati excipiuntur: Gerontocomia, quibus sustentantur senes valetudinarii: Brepho-Orphano- & Ptochotrophia, quibus expositi aut egentium infantes orphani, pauperes & mendici educantur aut aluntur: Eleemosynaria, in quibus in mendicos aliósque egentes eleemosynæ distribuuntur, Hostienſ. *in Summa hîc n. 3.* Tholos. *Syntag. Lib. 15. cap. 28. à n. 3. & cap. 29. n. 7.* & Gonzalez *in c. Adhæc 4. n. 4.* Et demum Confraternitates, Congregationes & Collegia, ad ejusmodi opera eâdem authoritate instituta, & plerumque Ecclesiis adhærentia, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.*

4. Tertium sunt loca Pia: quò nomine, licet non rarò veniant Religiosa; magis tamē propriè intelliguntur Hospitalia & quæcunque alia loca, quæ ad Pietatis & Misericordiæ opera sine Episcopi vel alterius similis Prælati Ecclesiastici authoritate constructa vel deputata sunt, Barbosa *Juris Eccles. Lib. 2. cap. 11. n. 12. & in c. Adhæc cit. n. 2.* ubi Fagnanus *n. 57.* & Gonzalez *n. 1.* De tribus his locorum generibus sit

Regula I. Ecclesiæ, sacella & cætera loca sacra quæcunque subjecta sunt spirituali jurisdictioni Episcopi, intra cujus diœcesis fines sunt sita, ita, ut, si alicui ejusmodi locum intra illius fines situm esse, constet, vel legitimè probetur, super ejus subjectione intentionem & præsumptionem Jure communi habeat fundatam, *can. Omnes Basilicæ 10. q. 3. & c. Cùm Venerabilis 7. hâc Rubr.* etsi is alicui Ecclesiæ vel Monasterio exempto incorporatus sit, *c. Constitutum 6.* nisi eum vel omnino vel à certis quibusdam juribus Episcopalibus Jure speciali, hoc est privilegiò Papæ, concessione Episcopi in ejus fundatione vel postea, accedente Capituli consensu, vel præscriptione quadragenaria cum titulo, aut illò deficiente, immemoriali exemptum, sive Episcopali jurisdictioni subtractum esse, constet, juxta ea, quæ *Lib. 5. Tit. 33. à n. 68.* statuentur de Exemptione.

Regula II. ejusdem Episcopi jurisdictioni ex locis Religiosis Jure communi etiam subjecta sunt Monasteria & congregationes Regularium in diœcesi sitæ, nisi aliquod exemptum dictò modò probetur, *can. Monasteria, 18. q. 2. & c. Cùm dilectus 8.* Ratio Regulæ utriusque petenda est ex ipsa diœcesium divisione, & cum ista factâ jurisdictionis singulis Episcopis competentis, ad totum

propria

propriæ diœcesis territorium extensione, & ad istius limites restrictione: propter quam Ecclesiæ, Capellæ, Monasteria & similia loca omnia Episcopo, intra cujus fines existunt, subjecta esse præsumuntur: nisi contrarium, sive aliquem ab ejus jurisdictione esse exemptum, constet, aut legitimè probetur, *arg. c. fin. de Offic. Archid.* Panormit. *in c. 1. de Offic. Ordin. n. 13.* Gaill. *Lib. 2. observat. 62. n. 9.* & Cochier *de Jurisdict. Ordin. in Exempt. p. 1. q. 8. n. 2. & 3.* Accedit; quòd, cùm in tota diœcesi sine Episcopi licentia Ecclesia vel Monasterium initiò construi & dedicari sive consecrari non possit, *can. Quicunque, 16. q. 1. can. Quidam, 18. q. 2. & can. Nemo 4. dist. 1. de Consec.* constructæ & dedicatæ sub ejus jurisdictione meritò relinquantur, Gonzalez *in c. Cùm dilectus cit. n. 5.* Unde

7. Dubium duplex oritur. Primum, cui Episcopo subjecta sint Ecclesia vel Monasterium alterius diœcesis Ecclesiæ vel Monasterio unita. Ratio dubitandi est; quòd unione saltem accessoriè, ut ferè solet, factâ Episcopus, in cujus diœcesi sita est Ecclesia vel Monasterium unitum, amittat jus in illa instituendi clericum, & ad hoc electum Prælatum confirmandi: atque insuper omnes res, jura & actiones acquirantur Ecclesiæ vel Monasterio, cui hoc aut illa per ejusmodi unionem sunt incorporata; ac proinde ejus Episcopi jurisdictioni, cui ista, etiam illa subjecta videantur.

Sed rationis istius vis magna non est; cùm enim ejusmodi unio ex natura sua operetur extinctionem & suppressionem Ecclesiæ vel Monasterii uniti: &, qui præest Ecclesiæ vel Monasterio, cui unio facta est, etiam Ecclesiæ vel Monasterii uniti Rector aut Prælatus sit; & propterea illa & hoc nunquam vacent, in iis Episcopus necessariò amittet jura instituendi & confirmandi: &, ipso in ejusmodi unionem consensu, juribus illis cessisse censetur. Deinde, licet tali unione Ecclesiæ & Monasterii res, jura & actiones transferantur, & acquirantur ejusmodi Sacro aut Religioso loco diœcesis alienæ, in hanc tamen non transfertur ipsa Ecclesia vel Monasterium unitum; ac proinde hoc & illa subjecta manent Episcopo diœcesis, in qua existunt juxta *can. Omnes, can. Monasteria, c. Cùm Venerabilis &c. citt.* in his textibus fundatam Regulam utramque, & expressam decisionem *c. Quia Monasterium 2.* Cujus ratio est; quòd per concessionem gratiæ & privilegii; ac proinde etiam per unionem unius Ecclesiæ vel Monasterii factam alteri, Episcopi diœcesani juribus derogatum, si expressum non sit, non censeatur; ut sua cuique Episcopo jurisdictio conservetur, *c. Pervenit, 11. q. 1.* & Ecclesiastici regiminis ordo non confundatur, Glossa *in c. Quia Monasterium cit. V. Cujus est.* & Vivianus *in c. cit.*

Neque obstat; quòd Ecclesia vel 8.
Monasterium, cui unio facta est, sit locus exemptus; quia ejus exemptio se non extendit ad unitas Ecclesias vel Monasteria non exempta; cùm etiam in Civilibus persona aliàs maximè exempta, si possessiones in alicujus Regis vel Principis territorio sitas & istius jurisdictioni subjectas acquirat, in rebus & causis, istas concernentibus, hujusmodi Regi aut Principi subsit, ut probè advertit Laiman *in c. fin. de Confirmat. utili, n. 6.*

Excipiendus tamen est casus, quò 9.
Monasterium alicui Episcopo subjectum unitur Monasterio Ordinis exempti, & in illo huic unito istius Ordinis Religiosi collegialiter sub aliquo superiore immediato degunt; tales enim Episcopi jurisdictioni & visitationi non subjiciuntur,

Laiman *de Prælat. Elect. cap. 16. q. 208.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 13. in fine.*

10. Dubium alterum est, cujus jurisdictioni subjecta, & à quo Episcopo consecranda sit Ecclesia, ædificata in loco, de quo, in cujus diœcesi situs sit, dubitatur. Juris communis *c. 1. hîc* decisio est, talem Ecclesiam subjectam & consecrandam ab eo, à quo in illa unius vel alterius jurisEpiscopalis actum exercitum, vg. Baptismi aut Confirmationis Sacramenta collata esse, constat, vel legitimè probatur. Ratio est; quòd in dubio præsumptio sit pro alicujus juris possessore ita; ut iste ejus proprietatem probandi onus rejiciat in adversarium, *c. Sæpe 18. de Restit. Spoliat. c. Cùm venissent 6. de Institut. & l. Is, qui destinavit 24. ff. de Rei vind.* Panormit. *in c. 1.*

11. *cit. n. 2.* is autem, qui unum vel alterum actum ad jus Episcopale pertinentem exercet; ac proin, qui in loco aliquo Baptismi & Confirmationis Sacramenta contulit, hujusmodi actuum exercitio in totius juris seu jurisdictionis Episcopalis quasi possessione constituatur; cùm possessio unius ad omnes alios trahatur, Joan. And. *in c. cit. n. 4.* Panormit. *ibid. n. 3.* Guttierez *Consil. 4. n. 30.* & Menoch. *Retinend. remed. 3. n. 158.*

Neque huic decisioni & doctrinæ adversatur *c. Cùm olim 18. de Præscript.* quô textu exercens certa jura Episcopalia, ea duntaxat, quæ exercuit, præscripsit, manifestô indiciô, exercitiô illô istorum tantùm, non omnium ejusmodi jurium quasi possessionem acquisitam; quia hoc verum solummodo est, quando quoad alios ejusmodi juris articulos in possessione est alius: &, quando locus, in quo quis exercet unum alterúmve actum juris Episcopalis, de Jure communi subjectus est alii: ut, si Prælatus inferior Episcopo in certo diœcesis huic subjectæ districtu unum alterúmve actum juris Episcopalis exerceat; talis enim possessio ad alios actus non extenditur: non etiam, quando hujusmodi actuum unum alterúmve exercens pro se habet præsumptionem Juris, aut dubii est, in cujus diœcesi situs sit locus, ubi ejusmodi actus exercentur; talibus enim casibus procedit decisio *c. 1. cit.* ut *ibi* notant Innocent. & Panormit. *n. 3.*

12. Regula III. Episcopo diœcesano Jure communi subjecta sunt Hospitalia & cætera loca, Pietatis & Misericordiæ operibus eâdem Pontificali authoritate erecta vel deputata, *c. De Xenodochiis 3.* ut ea visitandi jus, fundationem conservandi, rationúmque exigendarum, & iis oblata vel indebitè alienata recuperandi, & ad hæc alios compellendi circa ad eum pertineat, *Clement. Quia contingit. 2.* eáque ab ejus jurisdictione exempta, asserentibus probandi onus incumbat, Glossa *in Clement. cit. V. De Jure & in c. cit.* Joan. Andr. *n. 1.* & Fagnan. *n. 3.* Imò visitare Episcopus, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, potest ejusmodi Hospitalia, Collegia quæcunque & Confraternitates laicorum, etiam scholas *pias & similia* loca intra diœcesin sita: etiamsi exempta sint, & eorum cura seu administratio ad laicos pertineat, ex decreto S. Synodi Trident, *Sess. 22. cap. 8. de Ref.* Quâ tamen facultate Episcopis concessâ, eadem loca visitandi ius nequaquam ademptum est iudicibus laicis, & dominis temporalibus, qui ea visitandi ius aliis legitimè obtinebant: quod à Cardd. declaratum & à Rota decisum, testes sunt Gallemart & Barbosa *in cit. cap. 8. n. 4.*

13. Excipiuntur tamen ab ipso Tridentino ab hac Regula Imprimis hospitalia, quæ expressè erecta sunt sub immediata protectione Regum aut aliorum sublimium ptæ-

um Principum, Regalia in ditionibus sibi subditis exercentium, *cit. cap.* 8. Barbosa *ibi, n.* 8. cujus exceptionis ratio magna fuit; quòd S. Synodus satis confideret curæ & sollicitudini ejusmodi personarum, suâ naturâ valde propensarum ad conservationem hospitalium, ex propriis suis proventibus aut ærario publico constitutorum, suæque protectioni expressè reservatorum, ut præter alios *idem n.* 7. advertit. Deinde Hospitalia Ordinum Militarium & subjecta Monasteriis aliorum Religiosorum (Religione B. Joannis Dei exceptâ) hæc enim ab Episcopis visitari, eorúmque administrationis etiam rationes exigi ab iis non posse, ex *Clement. cit. V. Præmissa*, & Trident. *Sess. cit. cap.* 9. de administratoribus Secularibus, non de Regularibus loquente, desumunt Barbosa *in cit. cap.* 9. *n.* 18. Fagnanus *in c. Adhæc cit. à n.* 47. id declarat. Cardd. Interpp. & Rotæ decisione firmans, & Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 24. *in fine.* Et demum alia, in quorum fundatione cautum est; ne Episcopo subsint, juxta *Clement. cit. V. Nos autem*, & *Sess. cit. cap.* 9. Fagnanus *l. cit. n.* 44. 14.

15. Regula IV. Hospitalia & cætera loca Pietatis & Misericordiæ operibus exercendis, nullâ Episcopali vel alia simili Ecclesiastica authoritate erecta vel destinata, Episcopi diœcesani jurisdictioni non subjiciuntur, ut ex *c. Adhæc* 4. argumentò à contrario ductò apertè desumi variis DD. & Rotâ etiam allegatâ asserit Fagnanus *l. cit. n.* 51. Ratio est; quia ita erecta aut instituta hospitalia &c. Pia quidem, sed prophana: non Religiosa loca sunt; cum talia non nisi Episcopali vel alia Ecclesiastica authoritate fiant, *arg. à contr. e. cit.* ubi relatus Urbanus Papa locum Religiosum vocat eum, qui ad hospitalitatis usum & pauperum provisionem authoritate Pontificis est destinatus. Cui Regulæ idem Fagnanus *n.* 52. locum esse, ait, in ejusmodi hospitalibus habentibus Oratorium; quòd hoc in domo propria extrui etiam valeat à privato: dummodo in eo Missæ non celebrentur, *can. Unicuique* 32. *dist.* 1. *de Consec.* Panormit. *in c. Adhæc cit. n.* 6.

Neque huic Regulæ adversatur decretum Trident. *cap.* 8. *cit.* Episcoporum visitationi subjicientis omnia loca Pia etiam, quorum cura ad laicos pertinet; quia in eo expressè additur, *In casibus à Jure expressis* & *Juxta Sacrorum Canonum statuta*: quibus verbis decretum restringitur ad terminos Juris communis. Quare ejusmodi loca, sicut ante, sic & post decretum illud Episcopo non subjiciuntur, *Nisi in casibus Jure expressis*, hoc est, si loca illa fuerint Religiosa: quæ tanquam Ecclesiastica Episcopo subjici, est dictum. Uti etiam, cùm ejus fundator est mortuus; ut videat, an ejus voluntas mandetur executioni; cum ad Episcopi sollicitudinem pertineat, ut defunctorum piæ voluntates & dispositiones executioni mandentur & conserventur, *c. Tua nobis* 17. *de Testament. & Novell.* 131. *cap.* 2. &, quæ largitione fidelium ad certos pios usus destinata sunt, ad eos, non alios convertantur, *cit. Clement. V. In quo*, Panormit. *in c. De Xenodochiis cit. n.* 3. Frid. de Senis *Consil.* 11. *n.* 3. & *cit.* Fagnanus *n.* 55. & 56. Doctores alios, S. Congregat. Cardd. declarationem & S. Caroli Borromæi exemplum allegans. 16.

Etsi verò *cit. cap.* 8. decretum ad Jus commune reducendum sit, istius tamen terminos egreditur ejusdem *Sess.* 22. *cap.* 9. quô Episcopis tribuitur facultas saltem exigendi rationes ab administratoribus hospitalium, confraternitatum aliorùmque ejusmodi Piorum locorum quorumcunque, ut aliis DD. relatis tradunt Guttierez *Q. Q. Canon. Lib.* 1. *cap.* 35. *à* 17.

n. 19. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 75. *n.* 57. Quam potestatem Episcopis concedendi ratio fuit; quòd ejusmodi loca, licet propter authoritatis Episcopalis, in eorum institutione intervenientis, defectum non Religiosa: Pia tamen sint, hoc ipsò; quòd Pietatis & Misericordiæ causâ sint instituta, ut advertit *cit.* Fagnanus *cit. n.* 56. & 57.

Excipitur tamen *cit. cap.* 9. casus, quò secus in eorum institutione & ordinatione expressè cautum esset, hoc est, nisi in hospitalis aut alterius ejusmodi loci pii fundatione dispositum esset; ut administrationis ratio loci Ordinario non reddatur; tali enim casu rationibus isti reddendis obnoxii eorum administratores nequaquam essent: nisi eos in administratione negligenter & infideliter versari palam constaret, *arg. c. Tua nobis & Novell.* 131. *cap.* 2. *citt.* Fagnanus *l. cit. n.* 59.

18. Regula V. Ecclesiæ, Monasteria cæteráque Sacra ac Religiosa loca mundanis, hoc est, prophanis usibus deputari, in eósque converti sine Ecclesiastica authoritate non possunt, *c. Adhæc* 4. Ratio est; quia generaliter, quod Deo semel dicatum est, ad humanos usus amplius revocari non debet, *can. Quæ semel, 19. q. 3. & Reg. Semel Deo* 51, *in 6.* Qua in re sacri Canones divertunt à Jure Civili: quò locus Religiosus esse desinit, si capiatur ab hostibus, *l. Cùm loca* 36. vel mortui ei illati reliquiæ extumulatæ aliò transferantur, *l. Cùm in diversis* 44. *ff. de Relig. & sumpt.* cùm enim hoc Jure locum Religiosum facere valeat privatus, *l. Locum* 2. *ff. Rubr. cit. & l. In tantum* 6. § 4. *ff. de Rer. divis.* mirum non est; quòd ejus factò etiam prophanetur; licet id fieri nequeat de Jure Canonico, quò locus non nisi publicâ & Ecclesiasticâ authoritate Religiosus evadit, secundùm Glossam *fin. can. In Ecclesiastico cit.* Fagnanus *in c. Adhæc cit. n.* 4.

Dubium hoc locò est de casu, quò in Monasterio aliquo Regulares omnes moriuntur aut dilabuntur. Quò id in Secularem Ecclesiam converti ab Episcopo posse, suadetur *arg. can. Si Episcopus 12. q. 2. & c. Ad audientiam 5. de Eccles. ædif.* ubi ei stabilitur potestas Secularem Ecclesiam, justâ causâ exigente, convertendi in Regularem. Cur non vicissim hanc in illam?

Sed, quod ex textibus *citt.* deducitur 20. argumentum, levius est, quàm ut intentum persuadendi vim habeat; cùm enim professio & vita Regularium statu & conversatione clericorum Secularium perfectior sit; & ad perfectiorem statum & vitam transitus faciliùs permittatur, quàm ab eo ad minùs perfectum, *c. Licet 4. de Translat. Episc.* ne in via Dei, in qua de virtute in virtutem ascendendum est, descensus fiat, ex eo; quòd Ecclesia Secularis in Regularem converti authoritate Episcopali valeat, non rectè infertur, eâdem converti etiam hanc in illam posse. Imò conversio Monasterii in Ecclesiam secularem, quamdiu Religiosi in illo vivunt, & disciplina collapsa reformari per eos potest, *c. Inter quatuor 5.* Episcopo differre prohibetur; ac proindè Apostolicam exigit authoritatem. Regularibus autem 21. in Monasterio aliquo omnino decedentibus & aliunde deficientibus Secularibus clericis subsitui *c. cit.* permittuntur, & suadet ratio; cùm quoties Ecclesia vel Respublica idoneorum hominum incipiat laborat, muneribus obeundis minùs idoneos admoveri expediat, & utilius sit, illis hos præfici, quàm nullos, *arg. l. Generaliter 3. §. 2. ff. de Decurionibus & l. Cùm filios 2. C. Qui æt. vel possess.*

Quarè, cùm necessitas exiget, Monasterium suum diœcesanum, deficientibus ip-

bus in eo professis, Episcopus Imprimis per alios ejusdem Ordinis & Observantiæ: vel, si tales haberi nequeant, per Observantiæ strictioris Religiosos restaurabit & reformabit. His etiam deficientibus sufficiet Religiosos alterius Ordinis, in quo Regularis disciplinæ observantia viget, *c. Relatum 7. Ne Clerici vel Monachi.* Demum, si Monasterii restauratio reformatióve per alios Regulares fieri nequeat, eorum locô introducendi sunt clerici Seculares, Glossa *in c. Intercit. V. Per Regulares & ibi* Joan. Andr. *n. 8.* Panormit. *n. 1.* & Fagnanus *n. 5.* cujus ordinis observandi ulterior ratio est partim; quòd debitus & antiquus status cujuslibet Ecclesiæ non subvertendus, sed conservandus sit, *c. Sicut 2. de Suppl. neglig.* partim verò; quòd beneficia Regularia Regularibus & ejusdem Ordinis, non Secularibus sint conferenda, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Cùm singula 32. §. Prohibemus. de Præb. & Dignit. in 6.* & decretô S. Synodi Trident *Sess. 14. cap. 10. de Ref.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 8. n. 78. & 96.* & Garcias *de Benef. p. 7. cap. 10. num. 8.*

22. Regula VI. Hospitalia cæteráque loca Pia, Episcopali aut aliâ Ecclesiasticâ non interveniente, sed merè privatâ authoritate instituta, ab eodem, à quo in peregrinorum, pauperum, infirmorũ &c. & similes usus deputata sunt, ad prophanos revocari & converti possunt: dumodo ad eorum fundationem se non obligârit, argumentô à contrario ductô ex *c. Adhæc cit.* Unde illud, ad voluntatem domini hodie potest esse Oratorium, quod cras erit camera, Panormit. *in c. fin. de Censibus* & Clarus §. *fin. q. 30. n. 7. Ab eodem*, inquam; quia eô, qui domum aliquam ad recipiendos vel alendos peregrinos, pauperes &c. per donationem mortis causâ deputavit & donationem, dum viveret, non revocavit, mortuô, domus ad prophanos aut alios usus revocari ab hærede non potest: sed iste ad defuncti voluntatem adimplendam compelli potest, *arg. c. Tua nobis cit. & Novell. 131. cap. 10.* Panormit. *in c. Adhæc cit. n. 4* & Fagnanus *n. 53.* asserens, id à Cardd. Interpp. declaratum.

Supereſt dubium de Religiosorum Ordinum & Monasteriorum institutione. Et novum quidem Ordinem cum nova vivendi forma approbandi potestatem olim penes Episcopos fuisse, cum Bellarmino *Lib. 1. de Monachis cap. 4.* Azor *p. 1. Instit. lib. 11. cap. 23. q. 5.* & Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 41. n. 12.* docent plerique alicujus nominis TT. & multi desumunt ex prohibitione Concilii Lateranensis relata *c. fin. & c. Unici in 6.* verbis, *Ne aliquis de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat* sine sedis Apostolicæ approbatione: quâ, apertè pro futuris temporibus latâ prohibitione, cùm antiquior, quæ à sede Apostolica emanaverit, non referatur: & SS. Patriarcharum Basilii, Augustini & Benedicti amplissimas Religiones sine aliqua, quæ legatur, ejusdem summæ Sedis approbatione, multis seculis floruisse, constet, hujusmodi approbationem ad novæ Regulæ & Religiosi Ordinis institutionem necessariam olim non fuisse, & hanc solius Episcopi authoritate fieri potuisse, inferunt: idque etiam inde suadent; quòd à Religionum prima institutione &, donec à summis Pontificibus aliqui eximerentur, Religiosi, eorúmque omnia Monasteria subjecta fuerint Episcopis, eáque sine istorum consensu erigi non potuerint, *can. Quidam 10. can. De Monachis 12. can. Cellulas. 13. can. Abbates 16. &c. 18. q. 2.* Quod, cùm antiquis his sanctionibus statutum fuerit sine distinctione inter Monasteria Religionum jam existentium 23.

tium & noviter inventarum, Religionum, sicut per erecta nova Monasteria propagationem, sic etiam inventionem solâ Episcopali approbatione fieri potuisse, verisimile est.

24. Verùm, sive Religiones initiò speciali Dei, SS. illos Monachorum Patriarchas, & istorum exemplò alios à mundanis cætibus & seculari conversatione ad solitudines & ascæteria vocantis revelatione, sive Summorum Pontificum aut his inferiorum Episcoporum expressâ vel, quod verisimile est, tacitâ solùm approbatione stabilitæ sint, post memoratam tamen & *cc. citt.* relatam Lateranensis Concilii Constitutionem inventa novaRegula & Religiosus Ordo institui sine sedis Apostolicæ approbatione non valet: & illius ab ista nondum approbatæ professio nulla est, ut *in c. Unic. cit.* notat Glossa *V. Professionem*, & clarè colligitur ex *c. Unico, de Voto in 6.* ubi Bonifacius VIII. pro vera & Religiosa professione eam duntaxat habet, quæ edita est in Religione, à prædicta summa Sede approbata: propter cujus approbationis defectum à Joanne XXII. *Extravag. Unica, hâc Rubr.* Religio Fraticellorum seu Fratrum de paupere vita, tanquam Secta & non vera Religio, damnata & reprobata, nulliúsque momenti esse, decretum est, quidquid sub ejus nomine est actum, Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 9.* Pontius *Lib. 7. de Matr. cap. 11. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 29. & 31.*

Eam autem & expressam approbationem ad novi Ordinis Religiosi valorem exigendi ratio justissima fuit partim, ut in Ecclesia Dei evitaretur confusio, quam Religionum nimia diversitas parit: quæ redditur *cc. citt.* partim vero gravitas causæ; cùm enim per novam Religionem introducatur nova forma vivendi & tendendi ad Evangelicam Perfectionem: & sub majoris Perfectionis & sanctioris vitæ prætextu aliquando, ut quondam Waldensium ac Fraticellorum, Hæreses ortæ & non pauci à salutis semita in avia & præcipitia delati sint; ut perversis hujus seculis Fideles ab erroribus & spiritualis ruinæ periculis magis removerentur, vivendi normas & ad Perfectionem tendendi vias, si quæ in posterum noviter invenirentur, suo examini & approbationi, tanquam unam ex causis Majoribus, sedes Apostolica reservavit, *arg. c. Majores 3. de Baptismo.*

TITVLVS XXXVII.

De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

1. *Capella etymon;*
2. *Et vera significatio,*
3. *Pro celebratione Missæ erigi nequeunt sine consensu Episcopi,*
4. *In Ecclesiis Monasteriorum Missam olim clerici seculares;*

5. Cum

5. *Cum tempore ipsi Monachi celebrârunt.*
6. *Parochiæ Monasteriis triplici modô unitæ reperiuntur.*
7. *Unitas quoad sola Temporalia clerici Seculares:*
8. *Unitas Plenô jure Vicarii etiam temporanei:*
9. *Hodie plerumque perpetui administrant.*
10. *In Plenissimo jure unitis Prælati habent jurisdictionem quasi Episcopalem.*
11. *Parochias administrantibus Religiosis socius:*
12. *Non tamen omnibus necessariò est adjungendus.*
13. *Ecclesiam, sitam intra fines Parochiæ, huic subjectam, asserentium,*
14. *Et negantium vera Opinio:*
15. *Nisi eam sibi subjectam Parochus probârit.*

1. PRæter Monasteria & similes domos ad totius Conventûs sui habitationem comparatas Religiosi aliquando obtinent Capellas: de cujus nominis origine non parùm variant DD. quidam enim cum Archidiacono *in can. Concedimus 29. dist. 1. de Consec.* id deducunt à Verbo *Capio* & Græca voce κάπη, denotante Populum; quòd hunc ad Divina confluentem capiat. Alii à D. Martini *Cappa*, ejus caput & corpus cooperiente, vel à *Caprinis pellibus*, quibus Altaria olim tegebantur, id derivatum volunt cum Præposito *in can. Presbyter 8. dist. 23.* Verisimiliùs Tholosanus Syntag *Lib. 15. cap. 29. n. 1.* nomen illud ortum censet à voce Gallica *Chapelle*, denotante simplex tectum, quô Oratoria campestria, lateribus undique patentibus, ut iis suppositæ Altaria omnibus essent conspicua, quondam regebantur.

Quæcunque autem vocis origo & derivatio sit, in Jure & modernô usu significationem non eandem semper habet; cùm aliquando Altare in æde Sacra extructum: aliquando Sacellum sive ædiculam sacram omnino sejunctam à templo, aut etiam isti adhærentem: imò extructam in ipso, & plerumque unum, aliquando plura Altaria continentem, & non infrequenter cancellis ferreis, aut ligneis clausam, aut etiam in crypta seu loco subterraneo extructam denotet, Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 8. q. 2.* aliquando quamlibet Ecclesiam per se existentem, etiam Parochialem significet: dummodo non sit Collegiata, Barbosa ad hanc *Rubric. n. 2.* 2.

Ad Capellæ quomodocunque acceptæ, ac proinde non solùm ad Ecclesiæ Parochialis, sed Sacelli etiam vel Altaris, in quo SS. Missæ sacrificium offeratur, erectionem opus est consensu Episcopi, *can. Nullus 25. dist. 1. de Consec.* cùm generaliter sine ejus vel simili licentia locus vel res Sacra aut Religiosa constitui non possit, *can. Omnes 10. causâ 16. q. 7. & c. Adhæc 4. de Relig. domib.* &, qui novum Altare in Ecclesia consecrata sine Episcopi permissione erigere præsumit, si Clericus, gradu suô dejici: si laicus sit, anathemati subjici jubeatur *can. Nullus cit.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 5. n. 283. & cap. 16. à n. 36.* 3.

Dubium nunc primò est de Monachorum Capellis ultimô modô acceptis, sive de Ecclesiis Parochialibus ad Monasteria pertinentibus, per quos Missarum solennia & cætera Divina officia in iis sint peragenda. Quod oritur ex *c. 1.* ubi Urbanus III. populum ipsas Monasteriorum Ecclesias frequentantem non per Monachum, sed Capellanum sive Clericum Secularem, de Monachorum consilio ab Episcopo institutum, regendum decernit. 4.

Unde, quibuscunque Regularium Ecclesiis Parochialibus clericos tantùm Seculares de Jure præficiendos, infertur.

Sed illatio hæc generaliter hodie non procedit, aliúsque rerum status est modernô, quàm fuit tempore Concilii Claromontani; istius enim & ab Urbano P. conditi in eo decreti, *c. 1. cit.* relati, ævô Monachi laicis Sacramenta non ministrabant, sed ea à secularibus clericis ipsi etiam percipere consueverunt. Posterioribus & nostro propioribus seculis Monachi magnam partem Sacris initiati in Ecclesiis suorum Monasteriorum, & sæpe etiam in aliis, his per unionem incorporatis, celebrare Missas & Sacramenta non solùm Fratribus, sed cæteris etiam Fidelibus laicis ministrare ceperunt, *can. In Parochis, 16. q. 1.* Unde de dictis Capellis, sive Ecclesiis Parochialibus ad Monasteria pertinentibus, propositæ dubitationis Resolutio pendet à modo, quô illæ per unionem istis sunt incorporatæ; quædam enim his unitæ sunt solummodo quoad temporalia; ut earum reditus percipiat ipsum Monasterium, congruâ tantùm portione Presbytero, seu Vicario in ea constituto, relictâ. Aliæ Plenô jure, hoc est, insuper quoad spiritualia; ut etiam cura animarum in Monasterium translata sit: ita tamen; ut populus in his Episcopo Diœcesano maneat subjectus. Aliæ demum Jure Plenissimô; ut etiam populus ab Episcopi diœcesani jurisdictione exemptus & Monasterii Prælato etiam in spiritualibus subditus sit, Glossa *in c. Cùm & plantare 3. V. Plenô jure, de Privileg.* quorum modorum

Primô, sive quoad temporalia duntaxat, si Capella vel Ecclesia Parochialis Monasterio unita sit, præficiendus ei est clericus sive Sacerdos secularis, ferè ad Monasterii sive istius Prælati & Conventûs, juxta *c. Ea noscitur 6. de Iis, quæ à Prælat.* præsentationem ab Episcopo instituendus, *c. Sanè, 16. q. 2. c. In Lateranensi 31. de Præb. & dignit. & c. Cùm & plantare cit. §. In Ecclesiis:* aliquando etiam sine præsentatione Monasterii; ut hoc vi unionis (vel potiùs dismembrationis, Garcias *p. 12. de Benef. cap. 2. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 5.*) percipiat solos reditus temporales, Laiman *in c. Sicut 2. de Suppl. neglig. n. 7.*

Secundô modô, & jure Plenô si Parochia Monasterio unita sit, proprius ejus Rector est ipse Monasterii Prælatus: à quo in ea Divina peragi & Sacramenta populo ministrari possunt per Vicarium Regularem aut Secularem (nisi hunc expressè exigant literæ Unionis) etiam sine investitura, ac proinde etiam temporalem & amovibilem ad Prælati voluntatem, ut desumitur *ex Clement. Unica V. Quidam præterea & V. Quidam etiam, de Excess. Prælat.* ubi hujus rei ratio insinuatur; quia in hujusmodi Parochia Institutioni propriè locus non est; cùm ejus titulus sit penes Monasterium, cui est unita: & propterea nunquam vacet, Glossa *in Clement. cit. V. Non vacent & in Clement. Unic. V. De Mensa, de Suppl. neglig.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 5. §. 3. n. 11. & 14. cit.* Garcias *p. 11. cap. 2. à n. 3.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 89.* Hæc spectatô Jure antiquô.

Novissimô ex decreto Trident. *Sess. 7. cap. 7. de Ref.* Episcopi in quibuscunque beneficiis curatis, cuicunque Ecclesiæ, Collegio vel Monasterio unita sint, si expedire judicent, Vicarios perpetuos deputare, non obstantibus quibuscunque privilegiis & exemptionibus, possunt: non necessariò debent; cùm hoc *cit. cap. 7.* non præcipiatur: sed, si justa causa exigat, vel suadeat, permittatur: & *Sess. 25. cap. 11. de Regular.* in Ecclesiis ipsorum Monasteriorum Vicarios ad nutum amovibi-

amovibiles constitui posse, clarè supponatur. Quæ S. Synodi decreta Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *Ad exequendum, Cal. Novemb. 1557. editâ* declarans excipit casum, quô Parochiis Monasterio suo unitis Prælatus per Vicarios amovibiles, ex suis Religiosis deputatos, & ab Ordinario approbatos deservire consuevit, *cit.* Barbosa *n. 190.* quia credibile non est, S. Synodum Prælatos ad Regulares suos perpetuò exponendos, & à vitæ Regularis obligatione quodammodo absolvendos compellere voluisse.

10. Tertiô modô, sive jure Plenissimô si Capella sive Ecclesia Parochialis Monasterio unita sit, in ea Divina peragi & Sacramenta populo ministrari debent per clericum Secularem vel Regularem, juxta tenorem fundationis vel receptam consuetudinem: &, quia Monasterii Prælatus in tali Ecclesia exercet jurisdictionem quasi-Episcopalem, quoad clerici institutionem destitutionémque, approbationem, visitationem & correctionem quidquam juris Episcopus diœcesanus in ea non habet, Panormit. *in c. Cùm & plantare cit. n. 5.* Barbosa *in c. Joniam* 21. *de Privileg. n. 2.* Laiman *de Elect. Prælat. q. 208.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 4.*

11. Dubium secundò est, an Religiosus Capellæ sive Ecclesiæ Parochiali præficiendus exponi solus & sine Ordinis socio possit. In cujus Resolutione mirè variant DD. aliqui enim hunc, si possit, illi adjungendum affirmant indistinctè. Alii dubium resolvunt auxiliô distinctionis, plerique inter ipsas Ecclesias: nonnulli inter Regulares his præficiendos. Qui inter Ecclesias, his, si Monasteriis Plenô jure subjectæ sint, præficiendo Religioso, ad nutum amovibili, ejusmodi socium adjungendum: si ita subjectæ non sint, Religiosum in ea perpetuò instituendum sine sui Ordinis socio relinqui posse, volunt cum Anchorano *in c. Quod Dei 5. de Statu Monach.* & Joan. Andr. *in c. fin. hâc Rubr. n. 1.* Qui verò inter Regulares distinguunt, eos, si Monachi, Parochiæ sine sui Ordinis socio præfici non posse; 12. si verò Canonici Regulares sint, eis non necessariò semper, sed si commodè possit, ejusmodi socium adjungendum censent. Quam Glossæ *in c. Quod Dei cit. V. Regimen*, & Panormit. ibi *n. 9.* distinctionem priori meritò præfert Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 6. n. 39. in fine*; cùm hanc inter Regulares differentiam in terminis statuat *c. Quod Dei cit.* textus: idémque apertè pugnet cum ea, quæ inter Ecclesias fit; quia *c. cit.* agitur de collatione plebaniæ perpetuæ, & ad *Parochias quascunque*, verbis jam expressis, *c. Monachi 2. sub eâdem Rubrica*, & suæ significationis generalitate illam inter Parochiales Ecclesias distinctionem excludentibus, ut etiam advertit Pirrhing *ad Rubr. cit. n. 18.*

Neque Monachis ad Parochiales Ecclesias regendas expositis unum duntaxat, ut Canonicis Regularibus *c. Quod Dei cit.* sed plures socios adjungendos, clarè exprimitur *c. Monachi cit.* ibi, *Cum aliquibus Fratribus maneat, c. Ex parte 3.* in pleniori ejus lectione, quam Gonzalez refert, & *c. fin. hîc.* Quorum textuum iisque relati Concilii Lateranensis dispositio innovata est à Pio V. *Constit. cit.* exigente; ut Religiosi Mendicantes & Monachi, quando in Parochialibus Ecclesiis Vicarii constituuntur, cum sociis saltem quatuor habitent, sed hoc postea mutatum & unum sufficere, decretum à Gregorio XIII. & à S. Congreg. declaratum est apud Garciam *cit. p. 11. cap. 2. n. 13.* & Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 3. disp. 9. q. 18. n. 3.*

Dubium tertiò est de subjectione 13.
Capellarum & Ecclesiarum, sitarum intra

fines Ecclesiæ Parochialis; istius enim Rectorem sive Parochum super illarum subjectione intentionem in Jure fundatam habere, & exemptionem probandi onus in adversarium rejicere, cum Glossa *in c. Cùm dilectus* 2. asserit Wagnereck *in ejus c. exegesi*, & non ita pridem Parochiarum Rectores, tanquam rem omnino indubitatam, supposuerunt. Movebantur autem Imprimis textu *c. cit.* quô Ecclesiam Jure communi subjectam esse Parochiæ, in qua sita est, in terminis asseritur, & *arg. c. Constitutus 6. & c. Cùm venerabilis 7. de Relig. domib.* quibus Ecclesiæ, intra alicujus diœcesis fines sitæ, istius Episcopo subjiciuntur. Dein *c. His quæ 11. de Majorit. & Obed.* ubi Ecclesia Cathedrali inferior, pro subjectione Capellarum intra suos fines sitarum agens, sententiam pro se tulit. Demum ratione; quia Fideles, frequentantes capellas & alias Ecclesias inferiores Parochialibus, ad has recurrere debent pro Baptismo, si ipsæ fonte Baptismali careant, & pro cæteris Sacramentis. Unde cum hujusmodi Fidelibus etiam capellas &c. Ecclesiæ Parochiali subjici arguunt. Sed non satìs consequenter, cùm; quia ad Parochiales pro Baptismo & aliis Sacramentis recurrere etiam debent, qui frequentant Ecclesias exemptas: tum verò; quia Sacramenta à Parochia, intra cujus fines capellæ existunt, recipere non tenentur istarum Presbyteri, ut notat Panormit. in *c. Cùm dilectus cit. n.* 11. & nihil impedit, quò minùs, sicut hi, sic etiam eorum capellæ immediatè Episcopo sint subjectæ.

14. Quare meritò super ejusmodi Capellarum & Ecclesiarum subjectione pro Parochis & istorum Ecclesiis Juris communis præsumptionem militare, cum Innocentio *in c. cit. n.* 4. & Panormit. *cit. n.* 11. negant Laiman *in c. Ex parte 12. de Rescript. n.* 1. & Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 7. propter textum *c. fin. de Offic. Archidiac.* quô iste, intra Archidiaconatus sui fines sitæ Ecclesiæ subjectionem prætendens, succubuit; quòd defecerit in probatione subjectionis, luculentô argumentô non assistentis ipsi Juris communis: &, quô adversarii maximè nituntur, *c. Cùm dilectus cit.* quia isto Ecclesiæ Parochialis Syndico, super subjectione Ecclesiæ intra illius fines sitæ agenti, ea adjudicata non fuit: nisi quoad Scrutinium & Baptismum, quoad quæ eam sibi deberi per adversæ partis confessionem potuit probare, ut *ibi* notat Panormit. *n.* 3. & 11. Unde allegatio adversæ partis, in Juris communis assistentia se fundantis, continet falsitatem, ut observat Innocentius, ubi hoc Jus commune extet, à se asserens ignorari præsertim, cùm ex *c. fin. cit.* contrarium clarè desumatur.

Neque pro Parochis faciunt *c. Constitutus & c. Cùm venerabilis citt.* textus; quia iis sermo est de Episcopo sive Ecclesia Cathedrali: cui Ecclesias & similia loca subjici, statuimus *Tit. præced. à n.* 5. Minorem autem potestatem Parocho respectu Sacrorum locorum intra Parochiæ, quàm respectu eorum, quæ intra diœcesis fines sita sunt, Episcopo competere, inde etiam manifestum est; quòd huic Jure communi subjiciantur Monasteria & hospitalia, authoritate Ecclesiasticâ intra diœcesin erecta & instituta, *c. De Xenodochiis 3. & c. Adhæc 4. de Relig. domibus:* quæ Parocho, intra cujus Ecclesiæ fines existunt, subjici, nemo facilè affirmabit.

Cavendum itaque Parochis est; ne, cùm 15. possessionis auxiliô destituuntur, super Ecclesiarum intra limites suos sitarum subjectione litem facilè moveant: nisi illam valeant probare, vg. quòd ex Parochiæ redditibus erecta, vel aliàs ei subjecta fuerit in fundatione, vel in eam jus postea privilegiô, præscriptione vel aliô titulô sibi sit quæsitum, ut *in c. Ex parte cit. de Rescriptis* notant Felinus Panormit. & Laiman *n.* 1.

TITU-

TITVLVS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

Ecclesiæ, Capellæ, Parochialia, cæteráque beneficia, de quibus hôc librô multis actum est, frequenter hodie præsertim ab Episcopis conferuntur per institutionem, præcedente præsentatione Clericorum aut Religiosorum, imò etiam laicorum: qui propterea ejusmodi Ecclesiarum ac beneficiorum Patroni: præsentandi verò, sive clericos ad ea idoneos Episcopis offerendi facultas, appellatione in scholis & utroque foro receptissimâ, vocati solet Jus Patronatûs.

ARTICULUS 1.

De Natura & Varietate Juris Patronatûs.

SUMMARIUM.

1. *Jus Patronatûs aliter sumitur Jure Civili, aliter Canonico:*
2. *Quô sumpti definitio,*
3. *Et definitione accuratior explicatio.*
4. *Jus Patronatûs imprimis aliud Ecclesiasticum,*
5. *Et aliud Laicale est:*
6. *Beneficium à clerico fundatum ex bonis ipsius Ecclesiæ,*
7. *Vel redditibus beneficialibus, Ecclesiastici est juris Patronatûs:*
8. *Nisi de illis clericus liberè potuerit disponere.*
9. *Jus Patronatûs laicale in Ecclesiam, Ecclesiasticum:*
10. *Et hoc in laicum translatum, Laicale evadit:*
11. *Quocunque titulô perpetuò fuerit translatum.*
12. *Laicalis Patronatûs est beneficium, ad quod ab Ecclesia præsentandum nominat laicus,*
13. *Non etiam, ad quod cum laici consilio,*
14. *Vel etiam consensu clericum Ecclesia præsentat.*
15. *Jus Patronatûs aliquando est Mixtum:*
16. *Quod quatenus Ecclesiasticum est, cadit sub Reservationem.*
17. *Rursum Patronatûs jus aliud Hereditarium, aliud Familiare est.*
18. *In dubio præsumitur esse Hereditarium.*
19. *Et demum est, aliud Personale, aliud Reale est.*
20. *Jus Patronatûs non merè temporale vel spirituale:*
21. *Sed spirituali annexum est.*

NOn eandem hoc nomen in utroque Foro & Jure significationem habet; Civili enim Jus Patronatûs vocatur, quod dominis competit respectu libertorum, sive servorum ab ipsis manumissorum, sive donatorum libertate: de quo Patronatu *can. Liberti, 12. q. 2. Rubrica & textus ff.*

de Jure Patronat. Ecclesiasticô verò Jure denotat potestatem à sacris Canonibus introductam, & clericorum in Ecclesiis & beneficiis Ecclesiasticis institutionem respicientem: cujus nunc aggredimur declarationem. Hôc itaque modô sumptum

2. Jus Patronatûs est Jus sive potestas præsentandi clericum instituendum ad Ecclesiam vel beneficium vacans. Ita passim DD. cùm S. Thoma *in 4. dist. 25. q. 3. art. 2.* & Hostiensi *in Summa hîc n. 1.* Nec malè, cùm; quia, sicut beneficiû non vacans non conferri liberè, *c. 1. de Concess. Preb.* sic ad id præsentatio, antequam vacet, fieri nequit, *c. fin. Rubr. cit. & c. Illud 8. hîc*, tum verò; quia in Ecclesia vel beneficio Ecclesiastico clericum instituere nequit ipsemet Patronus: sed eum duntaxat Episcopo vel alteri jus habenti instituendum offerre potest, ut ex *c. Præterea 4. & c. Laici 10.* planum, & *Tit. 7. n. 3.* est dictum.

Neque hæc Angelici Doctoris & Hostiensis definitio rejicienda est ex eo; quòd Patrono in Conventuali non competat præsentatio: in aliis autem Ecclesiis ultra eam competat specialis honor, eique in necessitate debeantur alimenta, & Ecclesiæ tuendæ cura incumbat, juxta illos versus Glossæ *fin. in c. Nobis 25. in addit.*

Patrono debetur honos, onus utilitásque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

quia, sicut hoc, sic & illud verum est; quòd præsentandi ordinarium, principale & præ aliis notum Patronorum jus sit. Unde per id, licet non plenè, magis tamen congruè, quàm per alia patronorum cura explicatur, ut præter alios Zœsius *ad hanc Rubric. n. 2.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 2 n. 1.* adnotârunt.

Nihilominus accuratiùs ab aliis, & præsertim antiquioribus DD. Jus Patronatûs cum Panormit. *in Rubric. n. 3.* & Rocho de Curte *de Jure Patronat. in Princip. n. 4.* dicitur, esse Jus honorificum, onerosum & utile, alicui competens in Ecclesia, quam de Ordinarii consensu fundavit, construxit aut dotavit ipse, vel is, à quo causam accepit: in quo autem honor, onus & utilitas sita sint, infra pluribus dicetur. Sic declaratum

Jus Patronatûs celeberimâ partitione dividitur in Ecclesiasticum, Laicale & Mixtum, apud Gonzalez *in Reg. 8. Gloss. 18. à n. 4.* & Barbosam *Lib. 3. Jur. Eccles. cap. 12. n. 3.*

Ecclesiasticum ita vocatur, non à qualitate personæ clericalis, ut volunt Wamesius *Tom. 2. Consil. 470.* cùm Laicale etiam clericus, Ecclesiam vel beneficium ex proprio patrimonio fundans, habere possit: sed, quod competit Collegio vel personæ ratione Ecclesiæ vel dignitatis, beneficii aut officii Ecclesiastici, quod habet. Cui

Non obstat; quòd non ex ipsius Ecclesiæ aut beneficialibus bonis, sed ex proprio clerici, imò etiam alicujus personæ secularis patrimonio originem trahat: modò postea testamentô, donatione aut aliô quovis modô ad Ecclesiam vel Monasterium translatum aut alicui dignitati vel beneficio Ecclesiastico sit annexum, ut colligitur ex *c. Unico §. Verum in 6.* & in *Tract. suis de Jure Patronat.* tradunt Cæsar Lambertin. *Lib. 1. p. & q. 1. art. 8. n. 1.* & Rochus de Curte *p. Jus, q. 7. n. 14.* Hujusmodi jura Patronatûs etiam sunt, quæ obtinent Episcopus vel Abbas ratione dominii temporalis, ad Ecclesiam vel Monasterium pertinentis, Garcias *de Benef. p. 5. cap. 1. n. 556.* Collegia Nobilium Virginum sub Abbatissa

Abbatissa viventium, quas Canonissas vulgus appellat, ut in Germania nostra sunt duo Ratisbonensia, Essendiense, Lindaviense, Buchoviense &c. Magistri & Equites S. Joannis Baptistæ, Melitenses & B. M. V. Teutonici ratione suorum Magistratuum & Commendarum &c. per ea, quæ tradit Mascardus *de Probat. conclus. 961. n. 2. & 4.* Præfecti fabricæ aut Oeconomi Ecclesiarum, etiam laici, ab Episcopo deputati vel approbati, ratione ejusmodi sui officii aut administrationis, Garcias *cap. cit. n. 598.* & demum probabiliùs etiam, quæ obtinent Rectores hospitalium authoritate Episcopali erectorum: uti & Confraternitates laicorum, & Collegia studiosorum, infirmorum &c. quando illæ certæ alicui Ecclesiæ annexæ, & ista authoritate Episcopi erecta sunt; quia sunt loca Religiosa jurisdictioni Ecclesiasticæ subjecta, & gaudent privilegiis Ecclesiarum, *c. Adhæc 4. de Religios. domibus,* Garcias *cap. cit. n. 604.* qui tamen *n. 608.* rectè observat, ejusmodi Hospitalibus, Confraternitatibus & Collegiis competens jus patronatûs, etsi in rigore Ecclesiasticum sit, ad effectus tamen derogationis ac reservationis, saltem quando major pars laicorum est, & præsentatio per ipsos fit, Secularibus accenseri posse: quod etiam censet Vallensis *de Benef. Lib. 1. Tit. 4. n. 7. in fine.*

5. Laicale sive Seculare est, quod uni vel pluribus laicis eorúmve communitati, vel etiam clericis competit ratione proprii patrimonii: vel, quia ex hoc Ecclesiam vel beneficium fundârunt, construxerunt vel dotârunt, aut ejusmodi fundatoribus successerunt, Glossa *in Clement. Plures, V. Præsentare,* & Covarruvias *Pract. cap. 36. n. 2.* Unde in dubio, an ratione patrimonii vel Ecclesiæ, beneficii &c. competat, attendi solet, an deferatur jure hæreditariæ successionis; cùm enim jura Ecclesiastica hôc modô non deferantur nec dentur, *can. Moyses 8. q. 1. c. 1. de Præb. & dignit. & c. Ad decorem 5. de Institut.* patronatûs jus, quod ejusmodi successione obtinetur, præsumitur esse Laicale, Vallens. *l. cit. & ad hanc Rubr. §. & n. 2.*

6. Dubium hôc locô est primò, an Jurispatronatûs Ecclesiastici vel Laicalis sit Ecclesia vel beneficium, à clerico de redditibus beneficialibus sive Ecclesiæ intuitu acquisitis fundatum vel dotatum. Certum ex dictis est, Ecclesiastici esse fundatum vel dotatum de redditibus ipsius Ecclesiæ, vg. de feudo per vasalli sine hæredibus decedentis obitum ad Ecclesiam reversо: licet illud huic necdum fuerit incorporatum, Felinus *in c. Ex literis 11. de Constitut. n. 3. citt.* Rochus *V. Jus, n. 18.* & Lambertin. *q. 8. art. 7.* cùm enim ejusmodi bona sint in dominio Ecclesiæ, & ad hanc quomodocunque reversum feudum plenô jure spectet, ex hoc aut illis fundatum ac dotatum beneficium Ecclesiæ competentis proindéque Ecclesiastici juris patronatûs erit, *arg. can. fin. 12. q. 4. & c. Presbyter 2. de Pecul. cleric.*

7. Idem de capella vel beneficio, fundato & dotato ex bonis beneficialibus sive Ecclesiæ intuitu clerico quæsitis insinuatum est *n. 4.* quod tamen declarandum & dubitatio resolvenda est auxiliô distinctionis; vel enim de hujusmodi bonis liberè disponendi ac testandi facultatem privilegiô sive indultô Apostolicô vel immemoriali consuetudine clericus habet, vel non?

Si posterius hoc, capella vel beneficium ab eo fundatum ac dotatum jurispatronatûs Ecclesiastici est, pertinentis ad ipsam Eceleiam vel beneficium, quod clericus capellæ vel beneficii fundator obtinet

tinet; ut ad hoc vel illam vacantem præsentationes faciendæ sint à fundatoris in capella vel beneficio successoribus, Panormit. *in c. Ad audientiam 3. de Eccles. ædif. n. 12.* Joan. Monach. *ad hanc Rubric. in 6. n. 1.* Lambertin. *q. cit. art. 7.* & Garcias *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 594.* ejusmodi capellam vel beneficium spectans patronatûs ius à clerico fundatore ad consanguineos aliósque hæredes transmitti posse, negans cum Gonzalez *cit. Gloss. 18. à n. 107.* Ratio est; quia, privilegiô aliôve speciali iure cessante, beneficialia sive Ecclesiæ intuitu quæsita & ex his comparata bona, iuráque, clerico beneficiato decedente, ei, cui is servivit, Ecclesiæ cedunt, *c. 1. c. Presbyter 2. de Pecul. cleric. c. Cùm in officii 7. c. Quia nos 9. & c. Relatum 12. de Testament.*

8. Si prius, & clericus fundator de beneficialibus sive Ecclesiæ intuitu acquisitis bonis inter vivos & ultimâ voluntate liberè disponendi facultatem eiusmodi indultô vel consuetudine obtinet, ultimáque voluntate bona iuráque sua consanguineis aut aliis hæredib⁹ reliquere potest, eiusmodi capellã vel beneficiũ iurispatronatûs Laicalis esse, & ad huiusmodi hæredes, clerico ex testamento succedentes, transire cum Lotterio *Lib. 2. de Benef. q. 10. n. 2.* docet Garcias *l. cit. & n. 595.* licet specialiter aliquid dispositum non sit de iurepatronatûs. Ratio est; quòd eiusmodi indulti & consuetudinis vigore beneficialia sive Ecclesiæ intuitu acquisita bona evadant quasi-patrimonialia: de quibus erectam ac dotatam capellam vel beneficium iurispatronatûs est Laicalis. Confirmat ista Garcias *l. cit.* Praxi Hispaniæ, in quâ clerici patronatûs sive ad Ecclesias & beneficia, de bonis beneficialibus fundata & dotata, prælentandi iura consanguineis aliisque hæredibus aut aliis inter vivos applicare vel ultimâ voluntate relinquere, diœcesium Ordinariis approbantibus & non contradicentibus, non rarò solent; quòd generali illius provinciarum consuetudine clerici de bonis suis beneficialibus inter vivos & supremæ voluntatis elogiô liberè disponant, iisque intestatis proximi consanguinei succedant.

9. Dubium secundò est, an ius patronatûs Ecclesiasticum translatum in laicos evadat Laicale. Dubitandi ratio est; quòd, cùm ejusmodi translatio non faciat, quò minùs capella vel beneficium ex Ecclesiæ bonis fundatum ac dotatum sit, etiam non faciat, quò minùs capellam vel beneficium spectans patronatûs ius retineat naturam Ecclesiastici iuris patronatûs, Verùm, quia capellum vel beneficium ex proprio patrimonio fundatum spectans, atque idcirco originem sui Laicale patronatûs ius ipsa in Ecclesiam vel Monasterium translatione evadit Ecclesiasticum, istiúsque naturam exuâ priſtinâ assumit, Panorm. *in c. De Monachis 12. de Præb. & dignit. n. 14.* & Joan. Monach. *in c. 1. hâc Rubr. in 6.* idem statuendum est de iurepatronatûs Ecclesiastico perpetuò in laicos translato; cùm ad Ecclesiam vel beneficium patronatui subjectum præsentatio, quæ ante Ecclesiæ vel Monasterii ratione competebat, post translationem in laicum huic competat ratione proprii patrimonii, & ipsi jus patronatûs jure hæreditariæ successionis in posterum deferatur. Quare ejusmodi translatione Ecclesiasticum quoque patronatus jus, primordiali naturâ exutâ, in laicale transire, rectè defendunt *cit.* Barbosa *n. 16.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. 24.* rem hanc declarantes & firmantes paritate rerum & bonorum Ecclesiasticorum: quæ, si ex justa causa & formârum solennitate Canonicâ observatâ ab Ecclesia vel Monasterio alienentur ac transferantur

ferantur in laicos, in istorum transeunt dominium, & qualitate Ecclesiasticorum exutâ evadunt Secularia, istorúmque & patrimonialium bonorum jure censentur, Menhaca *Lib. 1. de Succes. creat. §. 20. n. 684.*

11. Hanc tamen resolutionem DD. *citt.* temperant ac restringunt ad jus patronatûs Ecclesiasticum, onerosô duntaxat & permutationis titulô in laicos translatum; ut non porrigatur & afficiat translatum in istos titulô vg. donationis lucrativô. Sed cum restrictione ista apertè pugnat gemina paritas in vim probationis allegata pro Resolutione; cùm etiam hujusmodi titulô in Ecclesiam vel Monasterium translatum jus patronatûs Laicale naturam assumat Ecclesiastici: eodémque vg. donationis titulô ex justa causa & cum solennitate Canonica ab Ecclesia vel Monasterio in laicos perpetuò translatæ res ac bona temporalia, pristinâ qualitate dimissâ, secularia evadant, & istorum jure per omnia censeantur. Cùm ergo de translatione juris patronatûs Ecclesiastici facta titulô lucrativô speciale aliquid Jure statutum non reperiatur, ab isto quoque, titulô lucrativô in laicos perpetuò translato, exutâ pristinâ novam juris patronatûs laicalis naturam assumi, verius est; quòd post translationem, quôcunque titulô legitimè & perpetuò factam, hæreditariæ successionis jure deferatur, & ratione proprii patrimonii laico competat.

12. Dubium tertiò est, an Ecclesiastici vel Laicalis juris patronatûs sit Ecclesia, capella vel aliud beneficium, ad quæ vacantia clericos, ab Ecclesia vel Monasterio Episcopo præsentandos, nominat Princeps vel Magistratus secularis; id enim patronatûs jus esse Ecclesiasticum suadet ratio; quòd, cùm jus patronatus sit jus præsentandi clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans: præsentandi autem jus tali casu Ecclesiæ vel Monasterio competat, id perinde ut his competentia alia, clericos sine prævia nominatione præsentandi jura, Ecclesiasticum esse sit necesse: ex qua ratione id pro tali jure habent Joan. Andr. & Francus *n. 4. in c. Cùm in illis 16. §. Si verò de Præb. & dignit. in 6.*

Verùm, quia tali casu Ecclesia vel Monasterium, non quem illa vel hoc elegit: sed quem elegit Princeps aliúsve Magistratus aut persona laicalis: & clericum à tali nominatum, non liberè, sed necessariò præsentat, & Ministri potiùs vel procuratoris quàm veri præsentatoris munere fungitur, Ecclesiam, capellam vel aliud beneficium, ad quæ ad laicorum nominationem & ab his nominatorum præsentatio fit, Laicalis potiùs quàm Ecclesiastici jurispatronatûs esse, sustinent Gambara *de Offic. Legati Lib. 3. n. 348.* Azor *p. 2. Institut. Lib. 5. cap. 28. q. 2. §. Dubia* & Garcias *cit. cap. 1. n. 616.* quòd vero patrono competere debeat jus clericum idoneum, quem ipse elegit, Episcopo præsentandi, *can. Decernimus 13.* ibi, *Quos fundatores condignos elegerint, 16. q. 7. & c. Quoniam 3.* ibi, *Qui plurimorum* compatronorum *eligitur assensu, hîc:* jus autem clericos idoneos eligendi in proposito casu non competat Ecclesiæ vel Monasterio, sed Principi, Magistratui vel alteri personæ seculari: à qua nominatum clericum idoneum, si Ecclesia vel Monasterium intra legitimum tempus Episcopo præsentare nollet, pro in tempore præsentato habendus esset, juxta tritum Juris axioma, quô pro facto habetur, quod fieri debuit, si per eum, à quo fieri debuit, non stetit, quô minùs factum sit, *arg. l. Filiusfamilias 43. ff. de Testam. milit.*

13. Dubium quartò est, cujus patronatûs juris sit Ecclesia vel beneficium, ad

quod clericum cum laici, Ecclesiasticus, vel cum istius consilio aut consensu præsentandi jus laicus habet. Et quidem, si præsentatio ab Ecclesiastico cum laici vel ab isto cum Ecclesiastici consilio duntaxat facienda sit, qualitatem jurispatronatûs à qualitate præsentantis vel ejus, cujus nomine præsentatio sit, non ejus, cujus consiliũ requirendum est, desumendam, res est satis explorata; quòd ad consilium duntaxat requirendum obligatus, electionẽ & oblationẽ personæ idoneæ liberâ habeat hòc ipsô; quòd consilium requirere duntaxat: non etiam, quod suggeritur, sequi teneatur, *c. Cùm olim 7. de Arbitris & c. 1. de Capell. Monach.* Panormit. *in c. Quanto 5. de lis, quæ à Prælat. n. 3.* & *cit.* Gonzalez *Gloss. 46. n. 61.*

14 Si verò præsentatio facienda sit cum consensu, Garcias *cit. n. 616.* patronatûs jus pro Ecclesiastico habendum, existimat, sive Ecclesiasticus præsentet sive solummodo consentiat in præsentationem. Sed meliùs *citt.* Gambara *n. 409.* & Azor *q. 2. §. Quanto*, etiam hôc casu patronatûs qualitatem à conditione personæ præsentantis sive ejus, cujus jure iste præsentat, desumendam ajunt, sive ea sit Ecclesiastica sive Secularis. Ratio est; quia patronus propriè est, qui clericum pro Ecclesia vel beneficio vacante eligendi & Episcopo offerendi jus habet: personam autem eligendi & Episcopo offerendi ius hoc casu habet Solus præsentans, non consentiens; cùm iste personam, à præsentante liberâ voluntate electam, consensu suo solùm approbandi: non, quam ipse vellet, eligendi vel præsentanti obtrudendi ius habeat.

15. Mixtum ius patronatûs dicendum est, quod uni ratione Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ dignitatis, beneficii &c. alteri vel aliquibus aliis ratione patrimonii proprii competit; ac proinde partim Ecclesiasticum est & partim Laicale est. Gonzalez *cit. Gloss. 18. n. 7.* cuiusmodi ius patronatûs si laicis non ex privilegio vel præscriptione, sed ex fundatione, dotatione, constructione competat, & præsentationes ab his & Ecclesiasticis simul, & non minore numerô votorum seu suffragiorum laicalium fiant, sub Sedis Apostolicæ reservationem non cadere, *Tit. 5. n. 133.* est dictum. Si verò ex conventione Ecclesiasticus & laicus unus vel plures præsentent vicibus alternis, quod fieri posse & non inconveniens esse, loquet ex *Clement. cit. §. Ut facilius*: §. inquam, hoc fiat, in turno Ecclesiastici totum Ecclesiasticum, & in turno laicali merè Laicale censeri, cum Joan. Andr. volunt *cit.* Garcias *n. 614.* & Barbosa *Juris Eccles. Lib. 3. cap. 12. n. 17.* Unde

Inferunt casu, quô in turno Eccle- 14.
siastici beneficium mense Apostolico, scilicet Januario, Martio, Maio, Julio, Septembri aut Novembri vacaret, beneficium reservari Papæ, istiusque provisione consumi turnum Ecclesiastici patroni; ne tali reservatione præiudicium illi co fiat: licet aliàs, quando duorum Patronorum Ecclesiasticorum vg. Episcopi & Capituli alternativè præsentantium turnus uterque reservationi obnoxius est, per provisiones Apostolicas turni non consumantur: idque à Rota sit decisum, teste *cit.* Gonzalez *Gloss. 45. §. 1. n. 51.*

Alterâ partitione Patronatûs ius a- 9
liud dicitur Hæreditarium & aliud Familiare. Hæreditarium vocatur, quod ad hæredes quoscunque etiam extraneos transit. Familiare autem sive, ut etiam nuncupatur, Gentilitium est, quod ad eos duntaxat transit, qui sunt de familia fundatoris aut alicuius personæ ab ea nominatæ, sive ad illius aut illius cognatos vel solos agnatos, Lotterius *Lib. 2. de Benefic. q. 11. n. 13. & 19.* & Barbosa *cit. cap. 12. à n. 20.* Quodsi ex fundatio-

datoris voluntate in illo solùm succedant, qui de familia simul & hæredes sunt, & ad id neque descendentes, qui non simul hæredes sunt, neque extraneus admittatur, Juspatronatûs ex Familiari & Hæreditario Mixtû, vocat Lotterius *q. cit. n. 41.*

18. In dubio, patronatûs ius Hæreditarium, & ad quoscunque etiam extraneos potiùs quàm sanguinis tantùm hæredes transitorium ac Gentilitium esse, præsumitur, ut cum Innocent. *ad hanc Rubric. n. 4.* Panormit. *in c. Cùm seculum 13. n. 5.* & Anchorano *in Clement. Plures. n. 7.* tradunt *cit.* Lotterius *à n. 19.* & Barbosa *à n. 21.* Ratio est; quia in dubio præsumitur id, quod frequentiùs contingit, *arg. c. Ex parte 18. de Censibus*, Baldus *in Rubr. C. de Fide Instrum. n. 8.* & Menoch. *Lib. 6. præsumpt. 14. n. 16.* frequentiùs autem & ordinariè ius patronatûs Hæreditarium potiùs quàm Gentilitium esse solet. Hæc tamen præsumptio cessat aut eliditur & Patronatûs ius Gentilitium esse intelligitur, si in præsentationibus semper familiæ aut descendentiæ, nunquam verò hæreditariæ qualitatis mentio facta sit, vel si centum annorum spatiò clericos ad Ecclesiam vel beneficium nunquam extraneus, sed semper descendentes præsentârunt, ut Rotæ decis. allegatâ observat *cit.* Barbosa *n. 23.* subiiciens, cùm assertæ qualitatis Gentilitiæ fides facienda est, leviores probationes admitti.

19. Tertia & frequenti usu recepta iuris patronatûs partitio est in Personale ac Reale, sive, ut etiam vocant, Principale & Accessorium, Garcias *p. 5. de Benefic. cap. 9. n. 16.* & Barbosa *de Offic. & potest. Epis. alleg. 71. n. 8.* Personale sive Principale dicunt, quod uni vel pluribus Ecclesiæ vel beneficii fundatoribus aut aliis eorúmque hæredibus & successoribus: aut etiam Ecclesiæ, Monasterio, dignitati &c. istáque obtinentibus, competit, independenter à re aliqua temporali vel hujusmodi rerum ac jurium universitate. Reale verò sive accessorium, quod annexum est & accessoriè adhæret rei temporali, sive hujusmodi rerum juriúmque universitati, vg. castro, villæ, prædio, domui: & cum tali re in consequentiam ad quemcunque, tam secularem quàm Ecclesiasticum possessorem jurispatronatûs capacem transit.

20. Dubium hôc locô est, an jus Patronatûs sit temporale vel spirituale. Merè temporale esse suadetur eâ ratione; quòd tam fundatio, constructio, dotatio, per quos actus acquiritur, quàm præcedentiæ in processionibus, pensionem in fundatione reservatam & alimenta in necessitate percipiendi, atque etiam in clericum idoneum inquirendi, eúmque Episcopo offerendi jura, sicut & obligatio defendendi Ecclesiam & ad ejus reparationem concurrendi, in quibus jus Patronatûs consistit, nihil sint spirituale. Contrà id merè spirituale esse, cum Glossa *in c. Præterea 9. de Transact.* asserit Suarez *Tom. 1. de Relig. Lib. 4. de Simonia, cap. 28. n. 7.* quòd ab Ecclesiastica & spirituali potestate institutum sit: & præsentatio, quæ præcipuus ejus est actus, tendat ad aliquid spirituale, scilicet ad beneficium Ecclesiasticum & jurisdictionem administrationémque spiritualem.

21. Inter has, extremè oppositas, mediam viam cum S. Thoma *2. 2. q. 100. art. 2.* tenent Vivianus *Praxis Juris Patronatûs Lib. 1. cap. 2. n. 4.* & Barbosa *in c. Quantò 3. de Judiciis n. 5. & in Selectis n. 6.* asserentes, jus illud neque merè temporale, neque omnino spirituale esse, propter rationes pro utraque Opinione allatas: sed spiritualibus annexum. Desumunt id partim ex *c. Quantò cit. &*

c. De jure 16. verbis, *Quod jus patronatûs est spirituali annexum*; partim ex ratione; quòd, sicut calices, patenæ aliáque ejusmodi paramenta tanquam præparatoria ad Divina Mysteria ordinantur, sic ipsum tanquam præparatorium respiciat & ordinetur ad ipsam institutionem spiritualis officii Ministrorum in Ecclesiis & beneficiis; ac proinde, sicut propter ejusmodi præparationem calices, patenæ &c. *can. Vestimenta 42. can. Vasa 44. &c. de Consecrat. dist. 1.* sic propter eandem etiam Patronatûs jus spiritualibus antecedenter annexum sit censendum, ut Lotterius *de Re Benefic. Lib. 2. cap. 9.* pluribus ostendit.

ARTICULUS II.

De Origine & Causis Juris Patronatûs.

SUMMARIUM.

22. *Jus hoc initiò competebat solis Episcopis & clericis:*
23. *Postea id fideles alii obtinuerunt,*
24. *Ecclesiarum fundatione, constructione, dotatione:*
25. *Imò & readificatione novaque dotis assignatione:*
26. *Non tamen solâ illarum jam dotatarum ditatione:*
27. *Et aliter in non-Collegiatis,*
28. *Quàm in Collegiatis Ecclesiis:*
29. *Ad quas celebratæ electioni patronus solùm assensum præstat.*
30. *Post communem sive Capitularem electionem jam factam,*
31. *Et ante confirmationem.*
32. *Secluso tamen Jure speciali:*
33. *Jus patronatûs primùm acquiritur Ecclesiâ jam constructâ,*
34. *Aut ejus saltem constructione inchoatâ.*
35. *Ejusdem Ecclesiæ esse patroni plures,*
36. *Et plures voces in præsentatione ad eam unus habere potest.*
37. *Ad Ecclesiæ erectionem exigitur consensus Ordinarii,*
38. *Episcopi, vel alterius habentis jurisdictionem quasi-Episcopalem,*
39. *Eam sine dote construi non permittentis.*
40. *Jus patronatus acquiritur sine reservatione:*
41. *Licet sine ista Pensione non acquiratur.*

PRimis Ecclesiæ temporibus non ad quintum seculum in Ecclesiis clericos Episcopi constituebant, *can. Decretum 3. can. Novum 6. &c. 10. q. 1. can. Omnes Basilicæ 16. &c. 16. q. 7.*

Postea ad excitandum, quod in fidelibus refrigescere videbatur, piarum fundationum studium, Episcopis primùm, qui in alienis diœcesibus Ecclesias excitarunt, in eis clericos constituendi jus concessum est in Concilio Arausicano *can. 10. & can. Si quis Episcoporum, 16. q. 2.* & ab his demum porrectum est ad clericos alios, & ipsos etiam laicos: quibus, si Oratoria privata pro se & familia sua in agris, imò ubicunque, Ecclesias fundarent, construerent, dotarent, aut beneficia Ecclesiastica erigerent, clericos Divinorum in iis administros Episcopis præsentandi, aliáque patronatûs jura (sive potiùs gratiæ, ut à relato Concilio *can. 10. & can. Si quis cit.* vocantur) indulta sunt, *can. Pia mentis 26. can. Frigentius 27. can. Filii 31. can. Decernimus 32. &c. 16. q. 7. & c. Nobis 25. hâc Rubr.* ut eruditè explicat Gonzalez *in c. Praterea 4. n. 5.* Unde

Hodie Patronatûs jus oritur ex tribus cau-

bus causis, Fundatione, *c. Proposuit 6. de Filiis Presbyt. can. Decernimus cit. c. Quoniam 3.* junctâ Glossâ *V.* Fundatores *& c. Nobis cit.* Constructione, *c. cit. & can. Monasterium, 16. q. 7.* & Dotatione Ecclesiæ vel beneficii Ecclesiastici, *can. Filiis cit. & c. Ad audientiam 3. de Eccles. adif.* juxta vulgatum illud Glossæ in *can. Piæ cit. V. eôdem.*

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Ecclesiam fundare, voce hâc strictè acceptâ, dicitur, qui dat fundum sive solum, in quo illa est construenda, *can. Decernimus cit. & can. Abbatem 4.* ibi, *Possessionis Dominus, 18. q. 2. Strictè*, inquam; quia in latiori & usitata etiam significatione Ecclesiam fundâsse dicuntur, qui eam construxerunt, ut ex *c. Nos quidem 3. de Testament.* colligit Rochus de Curte *de Jure Patronat. V. Fundavit, q. 1.*

Construere is, cujus nomine & sumptibus Ecclesia ædificatur, aut penitus collapsa vel diruta reædificatur, Glossa *in c. Quoniam cit. V. Fundatores:* non fabri & similes, qui illi construendæ operam locant; cùm enim isti laboris sui mercedem recipiant, æquum est; ut non ipsi, sed qui hanc dant, consequantur jus patronatûs, ut *arg. Reg. Qui facit 72. in 6. & l. Adeò 7. §. 7. ff. de Adquir. rer. dom.* tradit idem Rochus *V. Construxit. quæst. 1.*

Dotare demum is, qui pro Ecclesiæ construendæ aut jam constructæ necessariis usibus ejúsque ministrorum sustentatione sufficientes reditus annuos assignat, *can. Filiis cit.*

25. Casu tamen, quô Ecclesia penitus diruta cum consensu Episcopi reædificatur, aut post primam dotem omnino amissam de novo dotatur ab alio, jus patronatûs non recuperatur ab eo, qui id antè habuit ex sola constructione vel dotatione: sed ex his causis illi soli competit, qui eam cum consensu Episcopi à fundamentis etiam ex iisdem lapidibus reædificavit, vel novâ dote instruxit, Fagnanus in *c. Quoniam cit. n. 5. & 59.* Ratio de primo ædificante ac dotante est; quia per omnimodam destructionem Ecclesiæ & dotis interitum jus patronatûs est amissum, Hostiens. *in c. cit. n. 3.* & Joan. Andr. *n. 12.* obligatio autem & jus semel extincta in perpetuum non revivi-scunt, *l. Qui res 98. §. 8. ff. de Solution.* De reædificante & novam dotem conferente; quia penitus destructam & dote omnino carentem reædificare & novâ dote instruere non minus est, quàm eam construere & dotare ab initio, Fagnanus *l. cit.* Æquum tamen omnino est; ut Episcopus, antequam in reædificationem vel novam dotationem ab alio faciendam consentiat, ea de re admoneat antiquum Ecclesiæ patronum, eúmque idem præstare volentem præ quovis extraneo admittat, ut *arg. c. fin. de Locato* rectè advertit idem Interpres *n. 57.* Ex hactenus dictis

Dubium oritur primò, an patronatûs jus etiam acquiratur Ecclesiæ vel capellæ jam dotatæ ditatione sive assignatô dotis augmentô. 26. Affirmat id Azor *p. 2. Instit. Lib. 6. cap. 19. q. 5.* Negant autem Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Jus patronatûs, §. 2.* & Gonzalez *ad Reg. 8. glos. 28. n. 53.* ad juris illius acquisitionem exposcentes; ut Ecclesia vel capella de novo dotetur; ut, qui patronatûs jus ex dotatione de novo facta prætendit, docere teneatur, primam dotem fuisse redactam de esse ad non esse; quod beneficii vel Ecclesiæ etiam tenui, sufficiente tamen, dote jam instructæ reditus donatione vel legatô factâ bonorum largitione augens, illius non dotator, sed benefactor tantùm sit: & talis etiam reputetur, qui Ecclesiæ vel beneficio non dotato dotem insuffi-

cientem etiam cum Episcopi consensu assignat; quòd dotis insufficientis assignatione Ecclesia verè dotata non intelligatur, ut cum *cit.* Rocho *V. Dotavit, q. 9.* tradunt Garcias *de Benef. p. 1. cap. 9. n. 53.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 2. n. 6.*

Neque in contrarium facit; quòd ad Ecclesiæ vel beneficii dotationem cum aliis concurrens patronatûs jus acquirat: licet id, quod confert, non sufficiat ad dotationem; quia ex quo sufficientem dotem assignat cum aliis, ratione communionis & societatis cùm illis sufficientem dotem simul contribuentibus, cum ipsis admittitur ad Patronatum, Panormit. *in c. Ad audientiam 3. de Eccles. ædific. n. 4. citt.* Rochus *q. 12.* & Palao *n. 6.*

27. Dubium secundò est, an cujuscunque Ecclesiæ fundatione, constructione, dotatione acquiratur jus patronatûs. Sunt enim Ecclesiæ quædam Collegiatæ, aliæ non-Collegiatæ. Collegiatæ sive Conventuales dicuntur, in quibus plures & secundùm communem DD. sententiam ab initio tres saltem clerici, Seculares aut Regulares, commune sigillum habentes, ut fratres constituunt unum Collegium seu congregationem, vel potiùs tanquam caput & membra unum corpus Ecclesiasticum, cujus caput est Prælatus, de Jure communi à Collegio & ferè de Collegio eligendus. Non-Collegiatæ sive non-Conventuales vocantur, quibus unus vel etiam plures, diversis officiis ac ministeriis deputati & uni etiam Rectori subjecti deserviunt; quin efficiant unum Collegium sive corpus, cujus caput sit Prælatus ab ipsis eligendus, Laiman *in c. 1. de Elect. n. 6.* Quò præmissò

Dubitationis propositæ Resolutio certa est, non-Collegiatæ Ecclesiæ fundatione, constructione, dotatione in ea, uti & in beneficis hujusmodi Ecclesiis similibus, patronatûs jus non solùm quoad honorem sive præeminentiam, onus, jusque alimenta & aliquando pensionem percipiendi, sed etiam quoad jus Rectorem aut alios beneficiatos ad eas vacantes præsentandi acquiri: & contrà fundatione, constructione, dotatione alicujus Ecclesiæ Collegiatæ, in ea jus patronatûs ipsis quoque clericis, multòque magis laicis, quoad honorem tantùm similesque effectus infra declarandos: non etiam quoad præsentationem sive nominationem Prælati acquiri, decisum est *c. Nobis 25.* & *ibi* tradunt Hostiens. *n. 2.* Panormit. *n. 3.* Barbosa *n. 3.* Fagnan. *n. 14.* & Pureus *decis. 366. & decis. 379. utrobique n. 6.* quidem; ut, si Ecclesia non-Collegiata cum patroni consensu convertatur in Collegiatâ, ab eo amittatur jus præsentandi, quòd ex illius fundatione, constructione, dotatione antè obtinebat, Hostiens. *loc.* & aliis allegatis Lambertin. *Lib. 2. de Jure patronat. p. 1. q. 5. n. 8.*

Quantumvis autem in tali Ecclesia ad Prælatum præsentandi, eúmve simul cum clericis eligendi jus à fundatore laico sibi suísque successoribus reservari nequeat, *can. 1. dist. 63. c. Sicut 28.* & *c. Sacrosancta 51. de Elect.* reservari tamen ab eo, interveniente Episcopi authoritate, potest jus, electioni prælati sibi intimatæ præstandi assensum, *arg. c. Nobis cit.* pro cujus percelebris textûs declaratione.

Dubium tertiò est, quando à patrono requirendus ac præstandus sit consensus in electionem Prælati Ecclesiæ Collegiatæ. Et eum quidem non ante, sed postfactam electionem requirendum ac præstandum perspicuè habetur ipsò *c. cit.* ubi relatus Clemens III. *In Conventuali*, inquit, *Ecclesia non electioni Prælati facienda, sed jam facta honestius præstatur assensus.* Consonant *c. Cùm terra 14.* & *c. Sacrosancta cit. de Elect.* quorum priori Cælestinus III. ait, *Quò factò*, id est, electione

ctione peracta, *non prohibemus, quin Regii requiratur assensus*: posteriori Gregorius IX. Prioris *Ordinationem*, per Conventûs electionem *factam denuntiari* jubet *patrono; ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum.*

Quando autem electio facta intelligatur, dubitandi ratio est; quòd ea fieri videatur ipsô scrutiniô votorum; cùm in isto electores, verbis vel scriptô sive per schedulam votum suum exprimentes, uti soleant verbo *Eligo*; ac proinde electio facta jam videatur, cùm, publicatô scrutiniô & collatione factâ in aliquem omnium vel majoris partis Capituli suffragia collata esse, apparet; ut actus publicationem & collationem illam subsequens, quô electorum unus personam, in quam ejusmodi vota collata sunt, omnium vel majoris partis nomine eligit, publicatio electionis potiùs quàm ipsa Capituli electio sit.

30. Sed rationi huic apertè adversatur ac prævalet decisio Juris & *c. Quia propter 42. pr. de Elect.* verba, *Ut in collatione habitâ eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consensit*, quibus exprimitur solennis & verbalis Capituli electio, istiúsque actus clarè distinguitur ab actu publicationis: quam post electionem jam factam sequi, planè liquet ex *c. cit. §. fin.* quô præcipitur; *Ut quàm cito electio fuerit celebrata, solenniter publicetur*; ut adeò totius Capituli vel majoris istius partis nomine ab uno facta communis ac verbalis electio ipsum Canonicæ electionis actum constituat & consummet, atque ante eam electio facta non intelligatur. Idem desumitur ex *c. Ecclesia 48. Rubr. cit.* ubi, quod ab electoribus actum est, à Papa cassatum sive cassum & irritum declaratum est ex ratione; *Quòd post publicationem consensuum* seu votorum *& collationis tractatum ad electionem*, communem ac verbalem omnium nomine faciendam, *nullus habitus sit processus*, Glossa *in c. cit. V. Cassavimus, ubi* Panormit. *n. 3.* Imola *n. 3.* & Laiman *num. 4.* Ratio solida est; quia electio communis & verbalis omnium nomine facta est substantiale constitutiuum Canonicæ electionis Prælati, *citt. c. Ecclesia & c. Quia propter*, ibi, *Aliter electio facta non valeat*, ut in hunc textum cum Glossa *V. Sanior* notant Joan. Andr. *n. 28.* Panormit. *n. 16.* Laiman *n. 9.* Fagnanus *n 59.* Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5. n. 24.* Passerin. *de Elect. cap. 19. n. 20.* Donatus *Prax. Regular. Tom. 2. p. 1. tract. 1. q. 17. n. 20. &*, quotquot alii electionis Substantialia recensent. Cùm ergo electio facta & quilibet alius actus gestus non intelligatur, antequam posita sint omnia ejus substantiæ constitutiva, *arg. can. Animadvertendum, 22. q. 2. can. fin. dist. 5. de Pœnit. & l. Cùm hi 8. §. 17. in fine, ff. de Transact.* ante electionem illam communem & verbalem facta electio non intelligitur.

Neque eam antè & cùm in aliquem omnium vel majoris partis Capituli vota conspirâsse apparet, factam jam esse, evincit usus verbi *Eligo*; quia istô non sit ipsa electio: sed solummodo ab electoribus singulis exprimitur desiderium suum ac votum, designatúrque persona, de qua à Capitulo electionem celebrari velint; ut eorum suffragatio substantiale præparatorium tantùm sit ac via, per quam ad veram & propriè dictam electionem, scilicet ab electorum uno totius capituli nomine faciendam, pervenitur, *citt.* Suarez *n. 24.* Passerin. *n. 20.* & Tamburin. *de Jure Abbat. Tom. 1. disp. 5. cap. 6. n. 17.* Unde

Consectaneum est, patroni in electionem consensum de Jure non statim, postquam factâ collatione in aliquem omnium vel majoris ac sanioris partis Capituli 31.

pituli suffragia directa, apparet: sed, Capitulari sive communi & verbali illâ electione peractâ, requirendum ac præstandum. Quod ulteriùs confirmatur; quia Capitularis & communis ista electio facienda est illico post votorum collationem, nullô extraneo actu interpositô, *citt.* Glossa *V. Sanior* Panormit. *n. 16.* & Fagnan. *n. 60.* id desumentes ex dictione *Mox* præmissâ *c. Quia propter cit. & ex c. Cùm post petitam 46. de Elect.* ubi concordibus suffragiis celebrata electio ideo solùm cassata fuit; quòd *Post publicationem consensuum*, seu votorum, *& collationis tractatum aliquamdiu protracta*: & non statim ad communem electionem processum, sed alius actus fuerit interjectus, Glossa *ibi V. Protractam*, Panormit. *n. 2.* Vivianus *pr.* & Laiman *n. 2.* Unde manifestum est, requisitionem & præstationem, consensûs patroni præmitti de Jure non posse communi electioni, sed hanc factam (ante solennem tamen ejus publicationem, confirmationem, & possessionis apprehensionem,) subsequi debere, præsertim si consensus requirendus ac præstandus sit à patrono laico; ne electio per secularis potestatis abusum facta videatur, & ipso Jure nulla evadat, *c. Quiquis 43. de Elect.* ut *ibi* notant Glossa *V. Abusum*, Panormit. *n. 4.* Laiman *n. 2.* Barbosa *n. 2.* & *cit.* Passerin. *cap. 8. n. 5.*

32. Dixi, *De Jure*, subaudi, *Communi*; propter *c. Nobis cit.* verba, *Nisi aliter de sua jurisdictione obtineat; ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ*; cùm enim speciali jure privilegii Apostolici laicus valeat eligere, juxta dicta *Lib. 1. tit. 6. n. 48.* electioni non solùm factæ, sed etiam, ut ante communem & capitularem est, faciendæ assensum præstari ab eo posse, certum est, si id privilegii tenore exprimatur adeò; ut talis electio per secularis potestatis abusum facta non censeatur, Glossa *in c. cit. V. Nisi aliter & ibi* Panormit. *n. 9.* Quantumvis etiam ex communi DD. sensu consuetudini seu potiùs præscriptioni immemoriali hac in re locus non sit: patronus tamen consensûs sui præstationem in Prælati electionem, etiam faciendam, licitè continuat, si ipse ejúsque majores, privilegii aliquando obtenti constante famâ suffulti, illum ita præstare bonâ fide uniformiter & sine interruptione soliti sint tanto tempore, cujus initii memoria non existit, per tradita *Lib. 1. Tit. 4. à n. 53. & Tit. 6. n. 47.*

33. Dubium tertiò est, an, utquis obtineat jus patronatûs, requiratur; ut Ecclesia ab ipso solo sit fundata constructa & dotata. Ratio dubitandi oritur ex Concilio Tridentino *Sess. 14. cap. 12. de Ref.* id ei concedente, qui Ecclesiam *fundavit & construxerit* copulativè: contra verò *Sess. 25. cap. 9. de Ref.* patronatum *Fundatione vel dotatione* acquiri, asserente disjunctivè: quorum decretorum conciliatio ut clarior sit

Censeo imprimis, jus patronatûs neque ab uno neque à pluribus acquiri, nisi fundatio, constructio & dotatio simul concurrant; quia patronus non dicitur quis, nisi respectu Ecclesiæ in esse jam perfectè deductæ: in esse autem perfectè deducta, ut Rectorem habere queat, Ecclesia non censetur, nisi cum fundatione & constructione etiam dotatio concurrat, Panormit. *Consil. 106. n. 2.* & Fagnanus *in c. Quoniam cit. n. 26. & 48.*

34. Etiamsi autem hoc ita sit quoad juris patronatûs exercitium, ut vg. præsentatio est; cùm ista & clerici præsentati institutio utique sequi debeant Ecclesiæ vel capellæ perfectionem, juxta illud Alexandri III. *Tu facias idem opus*, Ecclesiæ constructionem, *ad perfectionem deduci & virum bonum instituere non omittas, c. Ad audientiam cit. in fine*; nihil tamen impedit aut

dit aut vetat; quò minùs patronus quis esse jam incipiat ac dicatur, ex quo in fundo ab ipso collato Ecclesia vel capella cum Ordinarii diœcesani consensu construi jam cæpit; cùm, licet ædificium primùm inchoatum Ecclesia vel capella necdum sit ac dici possit, locus tamen Religiosus jam sit, ex quo cum Ordinarii, crucem in eo defigentis & aream designantis, consensu extrui cæpit, *can. Nemo 9. dist. 1. de Consecrat.* Quin ab eo jam tempore, quò Episcopali authoritate accedente ad Ecclesiam vel capellam fundandam construendámque & sumptus in constructionem dotémque conferendos, patronatûs jure reservatô, firmam obligationem in se suscepit, patronum quem dici posse, cum Lambert. *Lib. 1. de Jure patron. p. 1. q. 4. art. 10. n. 4.* volunt Garcias, *cit. cap. 9. à n. 45.* & Lotter. *de Benef. Lib. 2. q. 14. n. 1.* quòd ipsa fundi & sumptuum promissio suscepta que ejusmodi obligatio pro actu jam perfecto & consummato haberi in fundatore possit, Felinus *in c. Cùm adeò 7. de Rescript. num. 2.*

35. Deinde censeo, prædictis tribus concurrentibus sive Ecclesiæ in esse jam perfectè constitutæ patronum effici etiam eum, à quo illa fundata vel constructa vel dotata tantùm est disjunctivè; ut clericum ad eam præsentandi jus ex singulis ejusmodi titulis tribus diversis competat in solidum, ut cum *cit.* Lambertino *Lib. & p. 1. q. 3. art. & n. 1.* hunc communem omnium sensum esse asserente, tradunt *cit.* Fagnanus *n. 49.* & Vivianus *Lib. 2. de Jure Patronat. cap. & n. 2.* propter textus *can. Filiis, c. Nobis &c. citt.* & præsertim *cit. cap. 9.* Tridentini, tres illos jus patronatûs acquirendi modos tanquam diversos alternativè & disjunctivè referentes. Unde *c. ap. 12. cit.* dictio *Et* disjunctivum, non copulativum sensum habet, *arg. l. Sape 53. pr. ff. de V. S.* Barbosa *in cap. 12. cit. n. 3. & 6.*

Imò non terni duntaxat, sed plures ejusdem Ecclesiæ patroni esse possunt, vg. 36.
si illam duo fundent, duo construant & totidem alii dotent; hôc enim casu ad clerici præsentationem omnes æqualiter concurrunt, Hostiens. *in Summa hîc n. 7.* & Rochus *de Curte V. Dotavit, q. 11. n. 9.* Non ita, si Ecclesiam unus fundet simul & construat, alius verò solummodo dotet; hôc enim casu ille duas, iste verò unam duntaxat vocem habebit in præsentando: imò, si unus fundet & construat, dotem verò conferant alii duo vel tres, ille solus duas, isti verò duo vel tres simul unam tantùm vocem habebunt, ut eruditè ostendit Lambertin. *Lib. & p. 1. q. 3. art. 8. n. 10 & 13.* Pro ratione reddit notabilem Maximam, *in c. Cùm olim 12. de Sent. & re judic.* traditam à Joan. Andr. Panormit. *n. 2.* & Felino *n. 1.* dicere solitis, duas voces competere personæ, in qua concurrunt duæ causæ sive duo jura, quorum quodlibet vocis dandæ jus producit. Cùm ergo in fundante simul & construente duæ ejusmodi causæ, scilicet fundatio & constructio, concurrant; in uno verò aut etiam pluribus dotem solam Ecclesiæ assignantibus ejusmodi causa unica duntaxat, scilicet dotatio detur, ille duorum, isti verò unius tantùm jure censebuntur: & vocem ille solus duplicem, isti verò simul unicam tantùm habebunt.

Neque obstat; quòd, etiamsi ex pluribus Ecclesiam construentibus unus tres ejus angulos, alius verò solummodo unum construat: aut dotis, ille duas, iste verò unam tantùm partem conferant, uterque ad præsentationem ratione dotationis, vel constructionis faciendam unâ voce simul concurrant; quia latum discrimen inter hunc & priorem casum intercedit; priori enim in eodem construen-

ente simul & fundante duo jura sive causæ vocis jus producentes concurrunt: in isto autem unica ejusmodi causa, scilicet constructio vel dotatio sola reperitur. Unde mirum non est; quòd ad præsentationem, ratione solius vg. dotationis faciendam, unam tantùm vocem habeant singuli: licet ex ipsis, qui plus contulit, habeat pinguiorem, eò saltem casu, quò gratificationi locus est, præferendam, Lambertin. *cit. art. 8. n.* 11. *& 13.*

37. Dubium quartò est, an Jus patronatûs acquiratur fundatione, constructione & dotatione Ecclesiæ, factâ privatâ authoritate. Quod cum Ant. de Butrio *in c. Nobis cit. n.* 15. & Lambertino *Lib. & p.* 1. *q.* 2. *art.* 6. passim negant DD. ad id Episcopi aut alterius Ordinarii consensum prævium, aut saltem fundationi, constructioni & dotationi jam factæ supervenientem ejus ratificationem exigentes, & ducti *c. Nobis cit.* verbis, *Cum assensu Diœcesani.* Ratio est partim; quòd constructio Ecclesiæ sine ejus authoritate nequeat attentari, *per can. Nemo 9. de Consec. dist.* 1. *c. Adhæc 4. de Relig. domib.* & Novell. Justiniani 67. *Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi*: & constructa nomen Ecclesiæ non mereatur, sed tanquam prophanum ædificium destrui possit, *can. Placuit 26. dist. cit. & c. Cùm olim* 14. *V. Insuper, de Privileg.* partim verò; quòd Ecclesiæ intersit; ac proinde Ordinarius, cujus jurisdictioni subest, *can. Omnes Basilicæ, 16. q. 7. & c. Constitutus 6. de Relig. domib.* nosse debeat, cujus patroni servituti Ecclesia vel beneficium subjiciatur, Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 70. *n.* 20.

38. Nomine Ordinarii, cujus authoritas seu consensus Ecclesiæ vel beneficii fundatori, ad jus patronatûs ex fundatione, constructione, dotatione stabiliter adquirendum, necessarius est, venit Episcopus & quilibet prælatus, quasi Episcopalem jurisdictionem obtinens in loco construendæ Ecclesiæ vel capellæ aut beneficii erigendi; quia consensus ille actus est jurisdictionis verè aut quasi Episcopalis, qualem aliquando in certo territorio inque istius populum & clerum obtinent Abbates &, sede Episcopali vacante, Capitulum Cathedrale, *citt.* Garcias *n.* 79. & Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 70. *n.* 32. Non etiam Vicarius Episcopi generalis sine mandato speciali; quia patronatus jus servitus quædam est Ecclesiæ vel beneficii, quam his imponendi potestate sine speciali commissione Vicarius Episcopi generalis caret, *citt.* Zerola *p.* 1. *§. Vicarius n.* 13. Garcias *n.* 75. & Barbosa *n.* 33. in hanc rem allegantes Rotæ decisiones. Quodsi Ordinarius requisitus consensum præstare absque justa causa recusaret, ad ipsius superiorem Metropolitanum vel Primatem aut, si Ordinarius exemptus sit, ad Papam, à quo compellatur, recurrendum, cum Panormit. *in c. Nullus* 17. *n.* 2. & aliis monet *cit.* Barbosa *n.* 26. cum, quando unius consensus in gratiam & favorem alterius requiritur, & huic ille sine legitima causa denegatur, adiri superior, ab eóque peti possit; ut causam denegationis examinet &, si justam non esse cognoverit, illum ad consensum præstandum compellat, Menoch. *de Arbitr. casu* 21. *n.* 6. & *cit.* Gonzalez *gloss.* 47. *n.* 37.

Priusquam autem in Ecclesiæ vel capellæ constructionem vel erectionem beneficii consensum Ordinarius præstet, inquirere ex officio debet non solum in locum, in quo illa construenda, vel hoc erigendum est: sed etiam in dotem, an congrua & sufficiens stabilisque sit; ne, si in Ecclesiæ constructionem sine congrua dote consensum temere præstet, ejusque defectum supplere fundator non possit, aut non velit, de suo illam dotare ipse teneatur.

neatur, *c. Tùm ſicut 8. de Conſecrat. Eccles. vel altar. citt.* Lambertin. *Lib. & p. 1. q. 5. art. 10.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 70. n. 29.*

40. Dubium quintò eſt, an, ut Patronatûs jus acquiratur, neceſſaria ſit ejus reſervatio in Eccleſiæ fundatione &c. Affirmat id quidem Paul. de Citadinis *de Jure Patronat. p. 3. §. Secunda, n. 13.* & ſuadet praxis Fundatorum, id ſibi expreſsè reſervantium in Eccleſiarum vel beneficiorum Eccleſiaſticorum fundatione & erectione, non obſcurò indiciò, id ſine expreſſâ reſervatione non acquiri; cùm, quod tacitè ineſt, fruſtra exprimatur, *l. Verba 12. ff. de Condit. inſtit.* Sed hoc leve eſt; cùm, quæ ita inſunt, ſæpe exprimi ſoleant ad majorem cautelam; ſic enim, licet emptori de evictione venditor teneatur ex indubitata diſpoſitione Juris, *l. Non dubitatur 6. C. de Evictionibus*, id tamen inſtrumentis venditionum inſeri paſſim ſolet. Quare aliorum &, teſte Garcia *p. 5. de Beneſ. cap. 9. n. 62.* communiſſima doctrina eſt, à Fidelibus Eccleſias cum conſenſu Ordinarii conſtruentibus aut ad eas fundum vel dotem contribuentibus Patronatum ex diſpoſitione Juris acquiri, etiamſi hunc ſibi expreſſè non reſervent: dummodo etiam illum actu aliquò contrariò non remittant.

41. Aliter res ſe habet, ſi fundator Penſionem aut aliud ſimile onus prætenderet ab Eccleſia, à ſe aut majoribus ſuis fundatâ; his enim Eccleſia & beneficia onerari non poſſe, niſi in limine fundationis cum conſenſu Epiſcopi expreſsè reſerventur, explorati Juris eſt, & *in c. Præterea 23.* notant Panormit. & Barboſa *uterque n. 4.*

ARTICULUS III.

De Perſonis, quibus competit Jus Patronatûs.

SUMMARIUM.

42. *Obtinere hoc jus poteſt Laicus:*
43. *Non etiam Paganus vel Judæus.*
44. *Neque etiam Hæreticus, ſaltem de Jure ſcripto.*
45. *Excommunicatus Patronatum non amittit.*
46. *Valida etiam ſunt ejus præſentationes:*
47. *Etſi debeant aut valeant repelli.*
48. *Patroni Infantis locò tutor,*
49. *Iſtóque authore Impubes:*
50. *Minor tamen ſine curatore præſentat.*
51. *Femina quoque capax eſt juris Patronatûs:*
52. *Quod obtinens uxor ipſa clericum præſentat,*
53. *Etiam ratione Patronatûs, annexâ villæ, caſtro &c.*
54. *Niſi hæc in dotem data ſint marito.*
55. *Patronatum bonâ fide poſſidenti præſentatio,*
56. *Etiam poſt litem ſuper proprietate motam, competit:*
57. *Ut ab eo præſentatus ſit inſtituendus.*
58. *Villæ, cui ille annexus eſt, Conductori ad longum,*
59. *Et ad modicum etiam tempus præſentat:*
60. *Eadémque ratio eſt Sequeſtri.*

JUris patronatûs, ut dictum, capaces ſunt non ſolùm perſonæ & Collegia Eccleſiaſtica, ſed laici quoque: 42.

neq; mares duntaxat, sed & fœminæ, *can. Quoniam, 16. q. 7. c. fin. de Concess. Præbend. & c. Ex literis 7. hâc Rubr.* etiamsi hæ & illi illegitimi, imò etiam spurii sint; quia etiam hi, à Jure excepti non reperiuntur, & possidere possunt castra, villas & alia loca, Patronatum habentia annexum: Ecclesias & Ecclesiastica beneficia fundare &c. quod facientibus sacri Canones patronatûs jus generaliter & indistinctè indulserunt, Rochus *de Jure Patronat. V. Competens, q. 2.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 21. q. 15.*

Neque obstat; quòd laici capaces non sint juris eligendi, *c. Sacrosancta 51. c. Massana 56. &c. de Electione*; quia inter hoc &, patronatûs jus lata disparitas est; quia Imprimis illud, tanquam proxima dispositio ad finem spiritualem, simpliciter spirituale: hoc verò, tanquam dispositio ad eum solum remota, spiritualibus solummodo annexum est, juxta dicta *n. 21.* Deinde; quia vi illius facta electio jus ad Prælaturam electo: contrà verò istius vi à laico factâ præsentatione absolutum & determinatum jus ad Ecclesiam vel beneficium non acquiritur præsentato, *arg. c. Quod autem 5. c. Cùm autem 24. &c.* &, quando patronatûs jus Ecclesiasticum est penes Collegium, post capitularem istius consensum in unius præsentationem, priusquam ista superiori oblata sit, ab ea recedi & præsentari alius potest, Laiman *de Prælat. Elect. q. 4.* Demum; quia laici juris patronatûs capaces redditi sunt speciali gratiâ Ecclesiæ, id ipsis concedentis vel, ut *c. Quoniam 3.* dicitur, in eo ipsos sustinentis; ut ad Ecclesias & beneficia Ecclesiastica fundanda dotandáque essent proniores, ut *in cit. c.* tradunt Panormit. *n. 2.* & Fagnanus *à n. 4.*

Dubium tamen de variis generibus personarum est, an capaces sint juris patronatûs vel, an hoc ipsis potiùs, quàm & liis competat.

Et primò quidem de Paganis & Judæis dubitandi ratio est; quòd fundare, construere & dotare valeant Ecclesias, & acquirere castra & loca alia, annexum habentia jus patronatûs. Sed huic prævalet Jus & istius etiam ratio id, de quo agimus, patronatûs jus ipsis negandum persuadens; cùm, ut insinuatum jam est, id competat gratiâ Ecclesiæ, à qua ejus capaces redditi sunt soli Christiani, *can. Piæ 26.* ibi, *Qui omni Christiano debetur, can. Frigentius 27.* junctâ Glossâ *V. Qui Christianis & can. Quicunque Fidelium 30. &c. 16. q. 7.* Unde, quantumvis Ecclesiam vel capellam à se fundatam constructámque dotare Paganus vel Judæus teneatur, eam tamen (&, quæ fuit ratio patronatûs castro aut villæ, ab eorum aliquo emptæ, annexi) liberam evadere, cum Lambertino *de Jure Patronat. Lib. 3 p. 1. q. 5. art. 8. n. 1. & 2.* docet Fagnanus *in c. Nobis cit. n. 9.* 43

Secundò de Hæreticis: qui, cùm sint Christiani, & infantem baptizandò aut de Sacro fonte levandò contrahant cognationem spiritualem, ut *in Reg. Ex eo 35. in 6.* Joan. Andr. *n. 3.* observat, spiritualibus tantùm annexi patronatûs de Jure capaces esse, videri possunt. Hoc tamen *in c. Nobis cit.* meritò negant idem Joan. Andr. Panormit. *n. 3.* & Fagnanus *n. 10.* & evincit ratio; quòd de Jure Hæreticorum bona omnia, ac proindeipsum quoque patronatûs jus fisco cedant; *c. Cùm secundùm 19. de Hæreticis in 6.* Quæ ratio licet fortassis non militet adversus hæreticos toleratos, ut sunt Confessionistæ Germaniæ nostræ: in qua, sicut propter Pacta publica, sciente Summo Pontifice cum ipsis inita, immunitatibus & civilibus juribus omnibus cum Catholicis pacificè gaudent, sic etiam bonorum confiscationi 44

fiscationi obnoxii non sunt.

Nihilominus, patronatûs jura etiam his non competere, statuendum est propter *can. Quicunque cit.* jus patronatûs concedentem solis Fidelibus: quales non sunt Hæretici; hæresis enim peccatum est Infidelitatis, secundùm S. Thomam 2, 2. q. 10. *art.* 5. Ratio est; quia jus patronatûs est potestas & honor Ecclesiasticus, concessus speciali gratiâ & favore Ecclesiæ: quô cùm indigni vel maximè sint hæretici, tanquam ejus contemptores & impugnatores, credibile non est, juris patronatûs concessionem ad ipsos quoque pertinere, *arg. can. Didicimus*, 24. q. 1. Azor *p.* 2. *Instit. lib.* 2. *cap.* 21. *q.* 8. Unde paritas non est cum cognatione spirituali; quia hæc specialis gratiæ & favoris rationem non habet respectu contrahentis. *De Jure*, inquam; neque enim ignoro, de facto præsentationes ad beneficia Ecclesiastica ab Hæreticis factas in Germania nostra alicubi tolerari, & institui clericos idoneos ab ipsis præsentatos: & vicissim à Catholicis tam Ecclesiasticis quàm laicis patronis præsentationes ad ipsorum Ecclesias admitti.

45. Tertiò de Excommunicato vitando: quem, licet ipsô Patronatu non privari, certum: dubium tamen est de valore ab eo factæ præsentationis: Et quidem, si patronus Ecclesiasticus sit, eam pro irrita plerique habent cum Covarruvia *in c. Alma p.* 1. §. 7. *n.* 9. & Ugolino *de Censuris Tab.* 2. *cap.* 13. §. 2. *n.* 13. cùm; quòd hujusmodi præsentatio vim habeat electionis: quod oblivioni nunquam tradendum, *in c. Cùm autem* 24. *pr.* monet Fagnanus *n.* 19. electio autem ab excommunicato vitando facta irrita sit, *c. Unico, Ne sede vacante in* 6. tum verò; quòd ejusmodi patroni præsentatione superiori oblatâ præsentato quæsitum sit jus ad beneficium: juris autem Ecclesiastici concedendi facultate excommunicatus privetur, ut cum *citt.* DD. tradit Palao *Tract.* 29. *disp.* 2. *p.* 13. *n.* 15.

Ob eandem rationem, patroni etiam laici præsentationem irritam pronuntiant *citt.* Covarruvias & Lambertinus *Lib.* 2. *p.* 1. *q. & art.* 2. etsi enim ista electionis vi non polleat, jus tamen etiam ipsa tribuit præsentato. Hôc tamen non obstante, verisimiliùs excommunicati laici, 46. aut etiam clerici patronatum ratione patrimonii obtinentis, præsentationem pro valida habent Rochus de Curte *V. Competens, q.* 8. Ugolinus *n.* 13. *cit.* & Garcias *Lib.* 5. *de Benef. cap.* 4. *n.* 317. eâ ducti ratione; quòd ejusmodi præsentatio non tribuat jus firmum; cùm eâ factâ locus sit variationi, *c. Quòd autem* 5. *& c. Cùm autem* 24. neque actus sit spiritualis jurisdictionis aut officii Ecclesiastici, sicut ea, quæ fit ab Ecclesiastico, nomine & jure Ecclesiæ præsentante, Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 103.

Quantumvis autem valida sit præ- 47.
sentatio, eam tamen, licet iste toleratus sit, admittere Episcopus non tenetur; quia excommunicato etiam tolerato communicare non tenetur: &, si non toleratus, sed vitandus sit, non potest, *c. Nuper* 29. *&c. de Sent. excom. & c. Alnobia* 2. *de Exceptionibus*, Suarez *de Censuris dip.* 14. *s.* 2. *n.* 30. nisi urgeat necessitas: cujusmodi in proposito casu foret, si non admissâ præsentatione diuturna & Ecclesiæ damnosa vacatio induceretur, Coninck *disp.* 14. *dub.* 11. *concluſ.* 2.

Licet autem juxta hactenus tradita patronus dictâ censurâ ligatus validè: &, si laicus sit, quòd repelli valeat, omnino efficaciter præsentare nequeat ante absolutionem, istâ tamen intra quatuor aut sex menses, ad præsentandum Jure

indultos, impetratâ uterque potest: imò etiam mensibus illis jam lapsis, si non fuerunt in mora petendæ absolutionis, Zœsius *ad hanc Rubr. n. 58.* quia eô casu sunt legitimè impediti: quibus Jure indultum tempus non currit, *c. Quia diversitatem 5. de Conces. Prabenda.*

48. Quartò de Pupillis ac Minoribus viginti quinque annis. Ratio de his dubitandi oritur ex defectu usûs rationis aut maturitatis judicii. Sed hoc non obstat, quò minùs, sicut legati & hæreditatis, sic etiam rebus hæreditariis aut legatis annexi juris patronatûs sint capaces, Archidiacon. *in can. Decernimus cit.* Panormit. *in c. 1. n. 5. & cit.* Azor *cap. 21. q. 14.* Quoad istius tamen juris exercitium locus, imò opus est distinctione; vel enim pupillus adhuc infans sive septenniô minor, vel hâc ætate maior est?

Si minor & adhuc infans (eadem ratio est furiosi & amentis) clerici præsentatio ob allatam rationem non ab ipso, sed ipsius nomine à tutore facienda est, Rochus *V. cit. q. 3. n. 12.* & Garcias *p. 5. cit. cap. 9. n. 193.*

49. Si septenniô maior, intra pubertatis tamen annos constitutus est, præsentationem quidem fieri conveniret interveniente authoritate tutoris, utpote ad regendam eius personam & actiones dati: nihilominus, si à pupillo præsentetur dignus, hunc digniori à tutore præsentato præferendum, cum Joan. Andr. *in c. Ex eo 32. de Electione in 6. n. 5.* tradunt *citt.* Lambertin. *Lib. 2. p. 3. q. 6. art. 1.* & Zœsius *n. 40.* cùm; quòd pupillus sit proprietarius & quasi dominus iuris patronatûs: tum verò; quòd, sicut ad sponsalia validè ineunda, sic etiam ad validam præsentationem tutoris authoritatem exigi, nullô Jure habeatur. Pupillô autem non præsentante, & tutori id facienti non contradicente, ab isto factam præsentationem subsistere verior Opinio *cit.* Garciæ *n. 194.* & ratio est; quia tutor non solùm administrationem bonorum pupilli, sed huius etiam regendi habet potestatem.

Multò magis, quàm huiusmodi pupillus, præsentare potest patronus puber & viginti quinque annis minor: imò eius nomine ab alio non solùm curatore, sed etiam à patrefamilias sine manifesto factam præsentationem pro irrita habent Guttierez *de Tutel. p. 3. cap. 23. n. 14. cit.* Garcias *n. 198.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 4. n. 21.* Ratio est; quia curator non ad regendam personam, sed ad administranda solùm bona temporalia datur: & filiusfamilias in spiritualibus & ab his dependentibus sui iuris est, & à patria potestate independens, *c. fin. de Judiciis, in 6.* Rectè tamen *cit.* Palao *n. 22.* excipit ius patronatûs annexum bonis filii adventitiis; horum enim, sicut usufructus, sic etiam annexi iuris patronatûs exercitium ad patrem spectat.

Quintò de Fœminis; quarum Ecclesiastici patronatûs capacitatem anciputes reddit; quòd huiusmodi patrono ex officio suo immineat cura, sive ruitio Ecclesiæ, *can. Filiis 31. & can. Decernimus 32. q. cit.* in fœminam non cadens; cum aliena defensio virile, *l. Alienam 15. C. de Procurat.* & publicum officium sit, *pr. Instit. de Excusat. tut.* fœminæ autem ab omnibus officiis publicis remotæ *l. Fœminæ 2. ff. de R. I.* & iudiciô consiliôque non minùs quàm viribus tenui adeòque imbecilli sint; ut adversus propria commoda plerumque laborent, *l. Si pater 4. C. de Sponsal. & arrh.*

Sed Politicâ hâc ratione potior est Canonica definitio, Ecclesiarum fundatores Christianos ac fideles, sine ullo sexûs discrimine, honorum Patronatûs

can. Pia,

can. Pie; *can. Frigentius*, *can. Quicunque cit.* & hunc in feminis Regularibus, *c. Ex literis 7.* & in Secularibus quoq; 52. admittat, *c. fin. de Conceſſ. præb.* Quare ex fundationis, conſtructionis & dotationis cauſis patronatûs ius ipſis non minùs, quàm viris adſtruunt Panormit. *in c. fin. cit. n. 3.* Covarruvias *Practic. cap. 38. n. 13.* Garcias *p. 5. cit. cap. 9. n. 142.* & Barboſa *in c. Ex literis cit. n. 12.* quòd clericos ad beneficia præſentare per ſe ipſæ poſſint per *c. cit.* textum & ex *c. fin. cit.* à contrario ductum argumentum: Eccleſiarum autem curam tuitionémque per alios expedire valeant: imò non appareat, cur eam quoque præſtare nequeant per ſeipſas; cùm adminiſtrationis & curæ Eccleſiaſticæ per ſeipſas gerendæ Jure non ſint redditæ iucapaces, *c. Ex literis cit. & c. Dilecta 12. de Majorit. & Obed.*

53. Sextò de Marito reſpectu patronatûs iuris, quod obtinet uxor. Non quidem, ſi ius id merè Perſonale aut bonis paraphernalibus ſit annexum; cùm enim illud inhæreat perſonæ, & huiusmodi bona non tranſeant ad maritum, ad ipſum etiam non tranſibit annexum ius patronatûs, Guttierez *cap. cit. n. 14.* & Garcias *cap. 5. cit. n. 185.* Sed, quando patronatûs ius annexum eſt bonis, vg. villæ aut caſtro ipſi in dotem datis; hoc enim caſu eius exercitium vg. præſentationem maritò competere, cum Felino *in c. Cùm olim 14. de Majorit. n. 2.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 8.* negat Azor *cit. cap. 21. q. 16.* & contrà affirmant Tiraquellus *poſt L. Connub. gloſſ. ult. à n. 5.* Guttierez *p. 3. de Tutel. cap. 29. n. 3.* Garcias *l. cit. n. 177.* & Petr. Barboſa *in l. Divortio 7. §. Si vir 13. ff. Soluto Matrim. n. 57.*

Illorum fundamentum eſt; quòd verum naturale dominium dotis remaneat penes uxorem; *l. In rebus 30* ibi, *Cùm eædem res & ab initio uxoris fuerint & naturaliter in ejus permanſerint poteſtate, & l. Quamvis in bonis mariti dos ſit, mulieris tamen eſt, 75. ff. de Jure dotium.* Neque refert; quòd rei dotalis fructus & emolumenta ſpectent ad maritum ad ſupportanda matrimonii onera *c. Per veſtras 7. de Donat. inter vir & uxor. & c. Salubriter 16. de Uſuris*; quia hoc intelligi nequit de præſentatione, competente ratione patronatûs; cùm iſta, hôc ipſô; quòd pretiô æſtimabilis non ſit; ad ejusmodi onera ſupportanda utilis fructus non ſit.

Iſtorum contrà ratio eſt; quòd rerum dotalium non ſolùm fructus, ſed fictione Juris ipſum etiam dominium, ſaltem Civile penes maritum ſit, quoad omnes effectus Jure non exceptos, *arg. l. Dote 9. C. de R. V.* ut cum Gloſſa *in l. In rebus cit. V. Naturali, C. de Jure dotium* docent Bartolus & Baldus *in l. cit.* illa *n. 3.* iſte *n. 6.*

Inter extremè oppoſitas mediam viam tenet Covarruvias *cit. cap. 38.* controverſiam expediens auxiliô diſtinctionis inter bona marito in dotem data; vel enim, inquit, bona æſtimata ſunt æſtimatione, quæ facit emptionem, vel nullâ, aut eâ tantùm æſtimatione, quæ emptionem non facit, æſtimata marito in dotem dantur? Si prius, jus patronatûs 54. ejúsque exercitium competit marito; quia bonorum ita datorum fit dominus; ideóque ſolutô matrimoniô non ea, ſed æſtimationem tantùm reſtituere tenetur, per ea, quæ tradunt Pinellus *in l. 2. C. de Reſcind. vendit. p. & cap. 1. n. 18.* & Gomez *in l. Tauri 5. n. 44.* Si poſterius: juxta *l. In rebus & l. Quamvis citt.* ad maritum tranſit ſola eorum adminiſtratio & fructus, qui faciunt ad faciliùs ſupportanda onera matrimonii: cujusmodi

jusmodi fructus cùm præsentatio non sit, ista tali casu uxori competet: non soli marito.

Ex hactenus relatis DD. Opinionibus, licet postrema hæc non displiceat, quoad jus tamẽ patronatûs præfero secundam. Ratio est; quia, sicut ejusmodi jus patronatûs, si non excipiatur, ad rem dotalem, *arg. c. Ex literis 7.* ibi *Si villa fuerit non exceptô jure patronatus ad firmam concessa*: sic præsentatio, tanquam fructus rei dotalis, accessoriè se habet ad ejusmodi rei fructus reliquos, ac proinde, sicut re dotali vg. castrô in maritum translatô, etiam transfertur jus patronatûs, sic translatis jn alterum fructibus rei dotalis, etiam exercitium juris patronatûs sive præsentatio, tanquam illis accessoria, transfertur. Neque refert; quod pretiô æstimabilis non sit; quia nihilominus valde optabilis est marito, ad clericum per præsentationem sibi devinciendum.

55. Septimò de juris Patronatûs Possessore: non quidem malæ fidei; cùm ab isto præsentationem fieri non posse, omnino sit exploratum. Sed bonæ: à quo, antequam super juris patronatûs proprietate litis contestatio fiat, præsentationem, & præsentati institutionem fieri posse, *c. Consultationibus 19.* decisum & ratio perspicua est; quia præsentatio est juris patronatûs quidam fructus: fructus autem bonæ fidei possessori debentur, §. *Si quis à non domino 37. Institut. de Rer. divis. & c. Gravis 11. de Restit. spoliat.* & absumpti non restituuntur; nisi possessor ex illis factus sit locupletior, Glossa *in §. cit. V. Fructu*, & Panormit. *in c. Consultationibus cit. in fine*: quod possessori ex præsentatione, utpote pretiô non æstimabili, sine labe Simoniæ non contingit.

56. Post litem verò super proprietate contestatam præsentationem quidem fieri à possessore, sed ab ipso præsentatum ante litem finitam institui non posse, *in c. Ex literis cit.* cum Glossa *fin.* volunt Panormit. *à n. 3.* & Barbosa *n. 11.* id colligentes ex *c. cit.* decisione, vi cujus institui potest præsentatus, antequam lis est mota. Unde, à contrario ductô argumentô, inferunt, lite jam motâ præsentatum institui non posse. Rationem prioris reddunt, quòd bonæ fidei possessor, quamdiu causâ non cadit, commodô suæ possessionis, & præsentatione tanquam ejus fructu privandus non sit, *c. Laudabilem 2. Ut lite pend.* Posteriorisautem; quod etiam bonæ fidei possessor post litis contestationem fructus percipiet cum onere & obligatione eos, si causâ cadat, victori restituendi, *c. Gravis cit. & l. Certum 22. C. de R. V.* quòd cùm factâ jam institutione fieri non possit; quia legitimè factum irritari non debet, licet ad casum devenerit, quô fieri & incipere non potuit, *can. Præcepta 12. dist. 55. & l. Nec enim 2. ff. de Itinere actúque privato*, cùm, inquam, hoc fieri nequeat, pendente lite, præsentati institutio usque ad litem finitam erit differenda.

57. Sed veriùs præsentationi & præsentati etiam institutioni super juris patronatûs proprietate ortam & pendentem litem non obstare, cum Innocentio *in c. cit.* docet Rochus de Curte *V. cit. n. 43.* Honorius *ad hanc Rubr. n. 58.* Vivianus *in c. cit.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 4. n. 26.* partim; quòd favor Ecclesiæ &, si beneficium curatum sit, etiam animarum exigat; ne ritè præsentati institutio differatur, ut pleniùs dictum *Lib. 1. T. 6. n. 56.* partim verò; quòd, re evictâ, restituendi illi tantùm fructus sint, qui restitui possunt salvô usu possessionis, & sunt pretiô æstimabiles: non etiam, qui dominum

dominum non reddunt locupletiorem, Engel *ad hanc Rubr. n. 14.*

Neque in contrarium facit *c. Ex literis cit.* quia miles, cujus eô mentio fit, non fuit in pacifica poſſeſſione juris patronatûs: imò veriſimiliter ſatis, eum iſto per actum præſentationis uti primâ vice cæpiſſe, obſervat Engel *l. cit.*

58. Octavò de villæ aut caſtri patronatûs jus annexum habentis conductore. Cui, ſi villa locata ſit ad tempus longum, annexi juris patronatûs exercitium ſive præſentationem competere, Panorm. *in c. Ex literis 7. n. 5. citt.* Rochus *V. Ipſe vel is, q. 26. n. 54.* Lambertin. *Lib. 1. p. 2. q. 8. art. 12.* aliique DD. communiter, & noviſſimè cenſuit Fagnanus *in c. cit. n. 12.* quòd hujusmodi locatione dominium utile transferatur in conductorem.

Si verò locatio ſit ad tempus modicum, præſentationem ad beneficium, durante locatione vacans, non ab eo, ſed à locatore faciendam, contendunt, eâ perſuaſi ratione; quòd hujusmodi locatione nullum dominium, *l. Non ſolet 39. ff. Locati*, imò neque poſſeſſio naturalis, ſed mera detentio cum jure percipiendi fructus in conductorem transferatur, ut notari ſolet *in l. Si ut certo 5. §. fin. ff. Commodati & l. Malè 2. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.*

59. Sed, licet hæc Opinio à DD. paſſim recepta ſit, meliùs tamen in jure patronatûs Hoſtienſis *in c. cit.* Zabarella *q. 1.* ac Barboſa *n. 4. in fine* hôc etiam caſu favent conductori; imprimis propter *c. cit.* verba *Ad firmam* ſive cenſum annuum, quibus regulariter locationem ad modicum tempus denotari, aliis non diſſentientibus, exiſtimat Fagnanus *n. 12. cit.* Dein; quòd locatio villæ veriſimiliùs fuerit ad tempus modicum; cùm ſine ſolennitatibus hæc ſola Jure fuerit permiſſa. Et demum; quòd per locationem villæ, ad tempus etiam modicum, conductori communicetur jus percipiendi omnes fructus: cujusmodi cùm ſit exercitium juris patronatûs, ſive actus præſentationis, iſte quoque ei communicabitur, ſpiritualitate nihil impediente; quia, ſicut jus patronatûs villæ, ita iſtius fructibus acceſſoria eſt præſentatio; ideóque, ſicut in alterum translatâ villâ, huic annexum jus patronatûs, ſic etiam communicatis in eúmque translatis villæ fructibus, his acceſſoria præſentatio, tanquam juris patronatûs exercitium & fructus, transfertur.

Nonò de ejusmodi villæ ſequeſtro & creditore, cui ea eſt oppignorata. A quorum priori: non etiam à poſteriori, ratione ei annexi juris patronatûs, præſentationes legitimè fieri, planum eſt ex iis, quæ de Jure conferendi, rei ſequeſtratæ aut oppignoratæ annexo, tradita ſunt *Lib. 2. Tit. 17. à n. 17.* 60.

ARTICULUS IV.

De Juribus & Obligatione Patronorum.

SUMMARIUM.

61. *Patronorum jura ſunt I. Honor ei competens in,*
62. *Et extra Eccleſiam ſui Patronatûs.*
63. *Conveniri tamen iſtius nomine in judicio,*
64. *Etiam ſine venia non prohibentur.*
65. *II. Onus, ſive defenſio Eccleſiæ:*
66. *Sine viſitatione tamen & exactione rationum:*
67. *Niſi Patronus ſit Eccleſiaſticus,*
68. *Vel laicus ſpecialì jure munitus.*

69. *III. Perceptio alimentorum in necessitate:*
70. *Et aliquando Pensionis.*
71. *IV. Præsentatio ad Ecclesiam vel beneficium vacans,*
72. *Sine qua Episcopi institutio non valet:*
73. *Nisi huic patronus acquiescat.*

61. JUris Patronatûs effectus, ejúsque ratione Patrono competentia jura tribus verbis complexus est Panormitanus, id Jus honorificum, onerosum & utile esse, asserens *ad hanc Rubric. n. 3.* & explicatiùs tradidit Glossa *in c. Nobis 25. V. Modestè*, duobus versiculis.

Patrono debetur honos, onus utilitásque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Primus itaque Patronatûs effectus, & Patroni jus est Honor: quem is obtinet in Ecclesia, *c. Nobis cit. & can. Piamentis, 16. q. 7.* quia in hac patrono dignior Sedes, & in Processionibus, in suscipienda Pace & thurificatione, in oblatione Palmarum, candelarum aliísque similibus actibus honoratior locus præ aliis laicis debetur, Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 3. cap. 12. n. 215.*

62. Extra Ecclesiam etiam ab istius Rectore vel administratore patronum honorandũ DD. passim: imò, sicut parentes & patronos Civiles à liberis ac libertis, *l. Quique 4. §. 1. & l. fin. ff. de In jus vocando*, sic etiam patronum Ecclesiæ ab istius Rectore vel administratore absque venia in jus non vocandum, vult Paulus de Citadinis *de Jure Patronat. p. 6. q. 2.* eâ ductus ratione; quòd sine venia in jus vocandæ non sint personæ, quibus reverentia præstanda est, *l. Generaliter 13. ff. Rubr. cit.* cùm enim istius legis argumentô dominus feudi à vasallo in jus vocari nequeat, ut cum Jasone *in l. cit. n. 4.* & Wesenbec. *in Paratit. Rubric. cit.* docet Mynsinger *in §. Pœnales 13. Instit. de Actionibus*, cur non idem obtineat in patrono Ecclesiæ? cujus in hanc libertas non minor est, quàm illius in vasallum.

Sed verùs, ad patronum nostrum Ecclesiæ nomine in jus vocandum Rectori veniâ opus non esse, cum Alexand. *in l. cit.* Rocho *de Jure Patron. V. Honorificum, q. 56. n. 88.* docet Zœsius *ad hanc Rubric. n. 27.* Ratio est; quòd sanctionibus Ecclesiasticis, quarum dispositione in patronatûs aliísque juribus spiritualibus & spirituali annexis standum, liquet ex dictis *in Proœmio n. 158.* id nullum sit cautum: leges autem Civiles ad ejusmodi patronum non porrigantur; quia imprimis de solis parentibus ac patronis libertorum loquuntur, *l. Quique cit.* Dein; quia eædem leges eum, cui reverentia debetur, in jus vocari absque venia non permittentes, sunt Pœnales, *l. Pœnales cit.* cùm, qui veniâ in casibus, quibus petenda est, omissâ in jus vocando, pœnæ nomine quinquaginta aureos pendere cogantur, *l. In eum 24.* &, si inopes sint, quod non habent in ære, laborandô in corpore luere cogantur, *l. fin. ff. Rubr. cit.* Unde à liberis & libertis ad Rectorem & administratorem Ecclesiæ, istius patronum in jus vocaturum, perperam trahuntur, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Et demum; quia ex vena, legum Civilium conditores de patronatu Ecclesiastico ejúsque juribus disponendi non habent potestatem, præsertim quando ipsarum dispositio Ecclesiis damnum aut præjudicium afferre potest, *c. Quæ in Ecclesiarum 7. c. Ecclesia 10. de Constitut. & c. fin. de Reb. Eccles. alien.* ex altera verò parte, necessitas veniæ petendæ,

candæ; ut homine Ecclesiæ istius patronus in judicio conveniri valeat, præjudicioſa est Eccleſiis: quæ, licet plurimùm ſemper debeant munificentiæ fundatorum, ſæpe tamen istorum ſucceſſores patronos ſuos adeò adverſos experiuntur; ut, an commoda atque emoluménta, quæ illorum liberalitati, vel damna quæ istorum inclementiæ debent, majora ſint, in dubium vocari, ſi non abſque venia, ſaltem ſine injuria poſſit. Unde planè corruit in contrarium allatum argumentum.

Neque urget paritas cum domino feudi, partim; quia, licet *ll. citt.* diſpoſitio in isto locum haberet: aliud tamen de Eccleſiarum patronis ſtatuendum evincit ratio: partim verò; quia, etiam ad dominum feudi in jus vocandum ſpeciali veniâ opus vaſallo eſſe, cum Gloſſa *Lib.* 2. Feud. *tit.* 22. *V. Salvâ reverentiâ*, Claro *§. Feudum, q.* 25. *n.* 1. & aliis negant celeberrimi Germaniæ noſtræ ICT.: Everard. *Legal. arg. loco* 25. *n.* 15. Roſenthal. *de Feud. cap.* 10. *concluſ.* 23. *n.* 19. & Mynſinger *Cent.* 4. *obſervat.* 92. *n.* 4. hunc de præſenti controverſia ſenſum rationi & moribus etiam Imperii conformem, & Cameræ Imperialis præjudiciis firmatum vocans; ideòque ei contrariam opinionem ſuam retractans.

65. Alter juris patronatûs effectus eſt Onus ſive cura & defenſio Eccleſiæ; ne à potentioribus opprimatur, *can. Conſtitutum, 16. q.* 1. ne dos vel ejus bona malè alienentur, dilapidentur, aut in alios, quàm à fundatore deſtinati ſunt, uſus convertantur, *can. Filiis* 31. *& can. Decernimus, 16. q.* 7. Quæ cauſa eſt, cur patronus Eccleſiæ Advocatus nominitetur, *c. Præterea* 23. *& c. Cùm autem* 66. 24. Non poterit tamen hujusmodi advocatus ſive patronus aliquam jurisdictionem in Eccleſiæ beneficiatum uſurpare, ejus bonorum cuſtodiam aut adminiſtrationem ſibi vendicare, aut viſitare Eccleſiam vel beneficiatum, aut ab isto geſtæ adminiſtrationis, & præſertim curæ animarum exigere rationem, *can. Nullus laicorum* 15. *can. Si quis Principum* 22. *q. cit. c. In quibusdam* 12. *de Pœnis, & Concil.* Trident. *Seſs.* 24. *cap.* 3. *de Reformat.* multóque minùs occupare ejus bona, aut ullâ occaſione vel cauſâ ſe ingerere in perceptione fructuum, proventuum & obventionum: ſed hos omnes libere diſtribuendos Rectori vel beneficiato relinquere ſub excommunicationis & interdicti pœnis jubetur ab ejusdem S. Synodi PP. *Seſs.* 25. *cap.* 4. *d. Reformat.*

Neque obſtat *can. Quicunque* 30. *q. cit. & c. Generali* 13. *de Elect. in 6.* quorum textuum priori jus providendæ Eccleſiæ: poſteriori istius cuſtodia patronis adſtruitur; quia, ut Panormit. *ad hanc Rubr. n.* 4. advertit, ex his eísque conſonis Juris communis textibus pro patronis ſaltem laicis plus non evincitur, quàm inſpectio, ſollicitudo & cura; ne ejusmodi bona à ſe aut majoribus ſuis Eccleſiis collata diſſipentur: quæ ſine ulla jurisdictionis uſurpatione facere poſſunt, beneficiatos in ipſis malè verſantes commonitionis honeſtæ conventione compeſcendo, vel Epiſcopo, aut alii judici vel ſuperiori Eccleſiæ denuntiandò, ſecundùm *can. Filiis cit.* communem intellectum.

Dixi autem, *Saltem laico*; quia major, quàm istius poteſtas eſt patroni Eccleſiaſtici, cui etiam exactio rationum de adminiſtratione in temporalibus, *c. Cùm & plantare* 3. *§. In Eccleſiis, de Privileg.* imò vacantis Eccleſiæ cuſtodia & adminiſtratio adſtruitur, *c. Bona* 51. *de Appellat.* Hoc tamen noviſſimè immutatum eſt à S. Synodo memorata, in Ec- 67.

clesia parochiali vacante idoneum vicarium, qui Ecclesiæ onera, donec ei de Rectore provideatur, sustineat, constituti jubente *cit. Sess. 24. cap. 18. de Ref.* ut cum Riccio & aliis Barbosa *de Episc. alleg. 72. n. 19.* observat.

68. Dixi etiam, *de Jure communi*; quia in Bavaria nostra sive ex Consuetudine, sive potiùs ex privilegio Apostolico à Religionum non Mendicantium Prælatis & inferiorum Ecclesiarum Rectoribus, in earum rebus malè versantibus, aut de hoc suspectis, administrationis rationem exigendi potestatem etiam Serenissimo Electori competere, patet ex Recessu Concordat. 1583. §. **Wann die Prælaten.**

69. Tertius juris Patronatûs effectus est Utilitas redundans in patronum, & consistens imprimis in eo; quòd, sicut Civili egenti alimenta à liberto, *l. Si quis 5. §. 19. ff. de Agnosc. liber.* sic Ecclesiastico patrono, si ad inopiam perveniat, vitæ subsidia præstanda sint ab Ecclesia, *can. Quicunque, 16. q. 7. & c. Nobis cit. in fine:* habitô tamen respectu ad istius facultates & conditionem, sive qualitates personæ ipsius patroni: & quidem abundantiùs, quàm aliis pauperibus, Glossa *in can. cit. V. Ad inopiam*, & Panormit. *in c. Nobis cit. n. 6.* ubi monet patrono inopi ad alimenta petenda competere Actionem ex Canone, hoc est, *can. & c. citt.* Succurrendum autem sic est patrono non solùm ad summam egestatem jam deducto, ut voluit Glossa *V. cit.* sed &, si ad inopiam vergat, *c. Nobis cit.* ut ex propriis bonis vel aliunde non habeat commodam sustentationem, ut *arg. l. Si constante 24. pr. ff. Soluto matrim.* tradunt Lambertin. *Lib. 3. q. & art. 3. n. 2.* & Barbosa *in c. Nobis cit. n. 5.*

Quare, ut alimenta ab Ecclesia petere patronus Jure valeat, requiritur ex parte Ecclesiæ; ut habeat superflua; si enim ultra ministrorum sustentationem & impensas ad cultum Divinum necessarias nihil haberet, alimenta ab ea petere patronus Jure non posset, Lambertin. *q. 3. cit. art. & n. 2.* ex parte verò alimenta petentis; ut probet, imprimis Ecclesiam à se aut majoribus suis fundatam, dotatam vel constructam; deinde, se non habere, necessaria ad congruam, hoc est, non tantùm ad sui, sed & uxoris quoque & liberorum & statui suo convenientis familiæ sustentationem: ac demum, se etiam non habere fratres aliásque personas conjunctas & ad præstanda sibi necessaria alimenta obligatas, ut à Steph. Gratiano *Discept. cap. 372. à n. 12.* & Viviano *Prax. Jur. Patron. Lib. 1. cap. 2. à n. 20.* hactenus dicta Rotæ decis. confirmante, declaratur. 72.

Præterea patrono utile jus patronatûs aliquando est ratione Pensionis, ut ex communi notat Vivianus *cit. cap. n. 23.* quantumvis enim Ecclesiam vel beneficium à majoribus aut à se etiam fundatum post fundationem jam completam onere aliquo gravare, aut id, quô gravatum est, augere, non permittatur, *c. Præterea 23. hâc Rubr. c. Prohibemus 7. & c. Præterea 8. de Censibus*, in ipso tamen fundationis limine, sicut alias honestas conditiones observandas apponere, *arg. l. In traditionibus 48. ff. de Pactis & l. In re mandata 21. C. Mandati*, sic pensionem quoque in illius recognitionem, sibi aut successoribus suis certis temporibus vg. annuatim exhibendâ, cum consensu Episcopi imponere valet, *cc. Præterea citt.* Glossa *in c. Præterea 23. cit. V. Instituas & ibi* Panor. *n. 6.* & Barbosa *n. 4.* Imò etiam Ecclesiæ vacantis fructus sibi reservare, Glossa *in c. Generali cit. V. Fundatione*, Lambertin. *Lib. 1. & p. 1. q. 9. art. 1. n. 54.* & Gi-

gas de

gâs *de Pensionibus, cap. 6. num. 25.*

71. Postremus ac præcipuus juris patronatûs effectus patronique jus est facultas præsentandi clericum ad beneficium vel Ecclesiam vacantem: quæ ad tria hactenus declarata patronatûs jura potest & à DD. solet revocari: ad Honorem à Viviano *cit. Prax. lib. 1. cap. 2. n. 12.* cùm utique non levis prærogativa sit, institutionem Episcopi à suo arbitrio habere dependentem, *can. Decernimus, 16. q. 7.* Ad Onus; quia idoneum clericum investigandi curâ & sollicitudine gravat, Panormit. *in c. Quoniam 3. n. 12.* Ad Utilitatem; quia præsentatio, licet pretiô æstimabilis non sit, patrono tamen ad clericum ejus beneficiô sibi devinciendum servire potest. Unde

72. Dubium nascitur, an ergo Ecclesiam vel beneficium patronatum vacans Episcopus non valeat liberè conferre. Intra tempus ad præsentandum patrono à Jure præfixum regulariter id non posse: &, contradicente vel ignorante patrono, ab Episcopo factam beneficii collationem seu clerici in eo institutionem irritam & perinde, ut re omnino integrâ, patroni præsentationi locum esse, explorati Juris est, *can. Decernimus, 16. q. 7. c. Illud 8. & c. Ex insinuatione 14. &* cum Panormit. *in c. cit. n. 2.* & Felino *in c. Cùm Bertoldus 18. de Sent. & re judic. n. 8.* docent Rochus de Curte *V. Honorificum, n. 2.* Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 56. n. 78.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 22. q. 4.* & Vallens. *Lib. 1. de Benef. tit. 4. n. 23.* quòd ejusmodi Ecclesiam vel beneficium liberè conferendi careat potestate; cùm, qui ea sine prævia patroni præsentatione obtinent, perinde, ut violenti occupatores & injusti detentores ab Alexandro III. ad restitutionem sive eorum dimissionem faciendam moneri: &, si monitio non proficiat, compelli jubeantur *c. Ex insinuatione cit.*

Neque, ejusmodi liberam institutionem, ut actus Jure validi quandoque sunt, solummodo rescissioni obnoxiam esse, evincitur; quòd *c. Illud cit. Irritanda* asseratur, phrasi, actûs infirmitatem duntaxat, non Jure inductam nullitatem denotante; quia, ut aliàs non infrequenter, sic etiam *c. cit.* institutionem irritandam, hoc est, irritam nullámque declarandam asseri, rectè observant *citt.* Panormit. *n. 2.* Azor *q. 4.* & Vallens. *n. 23.*

Dixi tamen, *Reclamante*; quia, si patronus intra tempus illud non reclamaret sive contradiceret, ab Episcopo facta institutio sustineretur & convalesceret, Panormit. *in c. Ex insinuatione cit. n. 3.* & Garcias *cit. cap. 9. n. 232.* cùm enim ejusmodi institutionis nullitas Jure inducta sit in favorem patroni spreti, istô vel expressè, vel saltem non contradicendô, tacitè in eam consentiente, tanquâ valida à principio sustinetur: sicut eô contradicente pro irrita nulláque à principio habetur, Navarrus *Manual. cap. 23. n. 104.* & Lambert. *Lib. 2. p. 3. q. & art. 2. à n. 25.* 73.

ARTICULUS V.

De Præsentatione clerici ad beneficium vacans.

SUMMARIUM.

74. *Natura Præsentationis,*
75. *Procuratorem admittentis ex parte Patroni,*
76. *Et ex parte ipsius etiam clerici præsentati:*
77. *Cujus præsentia ferè exigitur in institutione.*
78. *Procurator instruendus mandatô speciali,*

79. *Et ad plura beneficia dandus est,*
80. *Sine certarum personarum præsentandarum expressione.*
81. *Ad nondum vacans unicum beneficium dari nequit:*
82. *Extra casum, quô patronus est absfuturus.*
83. *Ad præsentandum patrono Laico quatuor duntaxat:*
84. *Ecclesiastico verò sex menses Jure sunt indulti.*
85. *Sex menses utrique competunt in patronatu Mixto.*
86. *Quô tempore lapsô beneficium liberè confertur:*
87. *Nisi patronus vacationem ignorârit, aut aliter fuerit impeditus.*
88. *In dubio vacationem ignorâsse præsumitur:*
89. *Non etiam aliter fuisse impeditus.*
90. *Tempus præsentandi currit à momento ad momentum.*
91. *Præsentatio quôvis etiam feriatô die & noctu:*
92. *Et quôvis etiam locô fieri potest.*
93. *Idem laico currit lite pendente:*
94. *Nisi lis trahatur ab Episcopo vel cum eo,*
95. *Vel mota sit super ipso jure præsentandi:*
96. *Vel præsentatio sortita non sit effectum:*
97. *Vel tempus ab Episcopo,*
98. *Aut à beneficii fundatore prorogatum,*
99. *Vel etiam restrictum sit.*
100. *Beneficium devolutum liberè confert Episcopus:*
101. *Uti &, cui institutio præsentati competit jure speciali.*

74. PRæsentatio est exhibitio personæ idoneæ ad Ecclesiam vel beneficium vacans Episcopo vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta, Rochus *hâc Rubr. pr. q. 3.* & Garcias *p. 4. de Benefic. cap. 1. n. 5. quæ*, ut clerico præsentato jus ad Rem & pro sua in Ecclesia vel beneficio institutione Actionẽ tribuat, ab eo in suæ personæ exhibitionem consentiente intra legitimum tempus acceptata esse debet, Zerola *Pract. Episc. V. Jus ad Rem, n. 2. cit.* Garcias *cap. 3. n. 11.* & Palao *tract. 13. disp. 2. p. 1. n. 7.* Ubi

Dubium est primò, an præsentatio fieri queat per procuratorem; ut neque ipsius patroni, neque clerici ab eo præsentati præsentia desideretur. Etillius quidem sive patroni præsentiam minimè necessariam esse, liquet; quod præsentatio ab eo fieri queat per literas, ut non obscurè desumitur ex *can. 1. can. Orationes 2. dist. 64.* & apertè habetur *c. Innoscitur 6. de Iis, qua à Prælat.* ibi, *Per se vel per literas personas idoneas Episcopo præsentant*; & *Clement. 1. V. Præsentatio, de Excess. prælat.* Glossa *in c. cit. V. Per literas*, Panormit. *ibid. n. 3.* Tuschus *Pract. V. Præsentatio, concl. 592. n. 24.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 16.* Cur non etiam per procuratorem?

Præsentati præsentiam personalem ad valorem præsentationis exigi, DD. communis est sententia, antiquô Decretalium & Concilii Tridentini novissimô Jure suffulta; cùm illo personalis præsentia præsentati apertè exigatur *c. Cùm 3. de Privileg.* cujus §. *Inhibemus* Exemptis præcipitur; *ut in Ecclesiis plenô jure ad ipsos pertinentibus instituendos presbyteros Episcopis repræsentent*: quô postremô verbô corporalis præsentia denotatur, *l. Consentaneum 8. C. Quando modo & quando jud.* Tiraquell. *de Jure Mariti gloss. 6. n. 31.* & Selva *p. 3. de Benefic. q. 6. n. 7.* Istud autem, sive Tridentini decreta verant; ne Episcopi à patronis ad parochias præsentatos admittant, nisi-

tant, nisi à deputatis examinatos & idoneos repertos, *Sess. 24. cap. 18. §. Cùm verò, de Reformat.* idémque de quibusvis beneficiis statuit *Sess. 7. cap. 13. de Reformat.*

76. Sed utrumque hoc communis doctrinæ fundamentum speciosum magis quàm solidum est; Prius depromptum ex *c. Cum & plantare cit.* quòd, licet verbò *Repræsentent* corporalis præsentia denotetur, non tamen necessariò denotetur hujusmodi præsentia ipsius præsentati, sed vel ipsius vel ab ipso deputati procuratoris: eadémque non exigatur ad præsentationem, sed solummodo ad præsentati institutionem, ut rectè observat *cit.* Palao *n. 6. in fine.* Posterius etiam; quia eadem ad istam, non ad illam sive præsentationem exposcitur à Tridentino; cùm, si præsentatio facta sit intra tempus à Jure præscriptum, subsistat: licet istô jam elapsô præsentatus examinetur & tanquam idoneus ab Episcopo instituatur.

78. Quare *cit.* Palao cum Panormit. *in c. Ea noscitur cit. n. 3.* Azor *p. 2. Institut. lib. 6. cap. 21. q. 6.* & aliis pro valida habet præsentationem factam per procuratorem; cùm; quòd examen, ut dictum, à Concilio solùm exigatur pro forma, non ipsius præsentationis, sed hanc secutæ institutionis, & quidem in beneficiis parochialibus, non generatim in omnibus, ut plerique observant: tum verò; quòd, si persona notoriè idonea, ejúsve idoneitas per examen ante præsentationem susceptum certò cognita sit, illam subsequens examen verisimiliter pro ipsius etiam institutionis forma non exigatur; quia in notoriis forma & solennitas Juris remissa censetur, *arg. can. Manifesta, 2. q. 1. c. Ad nostram 21. de Jurejurando, & Clement. Pastoralis 2. de Sent. & re judic. &c.*

79. Dubium secundò est, an ad præsentandum procurator dari valeat ante inductam beneficii vacationem. Certum est primò, non posse sine speciali mandato; cùm præsentatio liberalitas & species quædam sit donationis, speciale mandatum exposcentis, *c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* Panormit. *in c. fin. de Conces. præb. non vac. n. 5.* & Rochus *V. Honorificum, q. 5.* Certum est secundò, cum hujusmodi etiam mandato à patrono etiam præsente & non impedito, ad clericorum præsentationes occurrentibus beneficiorum vacationibus faciendas procuratorem dari generaliter posse saltem, si eum dantis Patronatui plura beneficia sint subjecta; quòd id ullo Jure prohibitum non reperiatur, Joan. Andr. *in c. fin. cit.* Lambert. *hâc Rubr. lib. 1. p. 2. q. 4. art. 3.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 21. q. 6.* Garcias *cit. cap. 1. n. 19.* Laiman *in c. fin. cit. n. 3.* & Barbosa *n. 6.* Certum est tertiò, hujusmodi etiam 80. generali procuratori committi non posse ad certum incertúmve beneficium præsentationem certarum personarum expressarum, *arg. c. Relatum 3. & c. Ex tenore 13. de Conces. præb.* ne talibus personis, certi incertive beneficii proximè vacaturi consequendi spe sibi factâ, ansa præbeatur captandæ vel optandæ mortis alienæ, ut *ad Rubr. cit. n. 11.* est dictum.

Quare dubitatio solummodo procedit de patrono, cujus juri unicum beneficium subest, an ad id, cùm vacârit, clerici idonei præsentationem, certâ personâ non expressâ, committere possit: cui ansam præbet *c. Constitutus 11. de Conces. præb. non vac.* ex cujus decisione irrita est commissio juris conferendi certum ac determinatum beneficium ab Episcopo facta; quòd eâ commissione captandæ vel optandæ mortis alienæ occasio præbeatur; cùm is, qui certo viventis beneficio inhiaret, amicum aliquem subornare posset, ut à collatore (eadem ratio est patroni) id bene-

id beneficium conferendi vel clericum ad id, cùm vacârit, præsentandi facultatem impetret; itáque collationis vel præsentationis ab illo obtinendæ fiduciâ alienæ mortis votum aut in eam machinandi consilium concipere possit, ut *ad Rubr. cit.* dictum est *n. 15.* Rationi huic non nihil nec nimiùm tribuendum: & patrono, cujus juri unicum & necdum vacans beneficium obnoxium est, ad illius vaca-
82. turi præsentationem procuratorem constituendi facultas regulariter quidem deneganda, sed excipiendus est casus, quô ille jam procul absens aut abfuturus est, & verisimiliter timet; ne ipso in remotis agente beneficium vacet; tali enim casu procuratori non solùm generali ad omnia negotia deputato, sed speciali etiam, clericum, cùm beneficium vacârit, præsentandi potestatem committi de consensu Ordinarii posse, cum Panormit. *in c. cit. n. 6. citt.* Rocho *q. 5.* & Lambert. *art. 3.* docet Corradus *Lib. 4. Prax. Benef. cap. 2. n. 23.* Ratio est; quod tali casu, sicut cæteris rebus suis superesse, sic etiam præsentandi jus exercere per seipsum non possit; ut locus sit beneficio, rebus suis superesse per se non valentibus, indulto *l. 1. §. 2. & 3. ff. de Procurat*

83. Dubium tertiò est de tempore, ad præsentandum competente patronis. Qua in re, licet idem patrono utrique, & laico non minus quàm Ecclesiastico competere, primô occursu videri possit, Jure tamen proditum inter illos est discrimen, & laico quatuor duntaxat, *c. Quoniam 3. &*
84. *c. Cùm propter 27.* Ecclesiastico verò sex mensium spatium indultum est *c. Eam te 22. & c. Unico, §. Verùm, in 6.* quam inter illos differentiam Æquitatis ratio exposcebat; cùm enim patronus laicus variare & præsentato uni alterum, & verisimiliùs plures, superaddere valeat, *c. Quod autem 24.* quod Ecclesiastico denegatur, *c. Cùm autem cit.* atque in furore iste sive Ecclesiasticus, scienter præsentans indignum, præsentandi jure pro ea vice privetur, idque pro ea vice devolvatur ad superiorem, *c. Sicut 2. de Suppl. neglig.* ab illo verò sive laico, scienter præsentante indignum, præsentandi jus pro ea vice amitti, ullo Jure expressum non reperiatur; sed intra quadrimestre alium idoneum præsentare permittatur *c. Cùm vos 4. de Offic. Ordin.* ut in *istius c.* text. cum Glossa *V. Minùs idoneæ*, notant Joan. Andr. n. 1. Imola *n. 3.* Barbosa *n. 2.* & Fagnanus *n. 46.* id firmans S. Congreg. Card. Interpr. declaratione; quod si patronus præsentatione indigni præsentandi potestatem pro ea vice amitteret, *c. cit.* Episcopus monendus fuisset; ut Ecclesiæ, ad quam minùs idoneum laicus præsentârat, de idoneo Ecclesiæ statim ipse provideret; non; ut constitueret Oeconomum, qui beneficii fructus collectos custodiat & futuris successoribus reservet, Laimas *in c. cit. n. 1.* Cùm, inquam, hæc ita sint, æquitas poscebat, ut ad præsentandum Ecclesiastico patrono majus temporis spatium concederetur, & quadrimestri, laico competenti, bimestre superaddere-
85. tur; ut ita in uno gravatus in alio relevaretur, *c. 1. de Prabend. & l. Eum qui 3. ff. de Jurejurando*, Vivianus *in c. Unic. §. Verùm, in 6.*

Dubium quartò est, quantum tem- 87
poris ad præsentandum habeat patronus laicus, quando est Ecclesiastici compatronus. Ratio dubitandi est; quia tali casu variatio laico permissa est: licet ea non competat Ecclesiastico. Unde laico quatuor duntaxat mensium spatium concedit Palao *tract. 13. disp. 2. p. 5. n. 2.* quantumvis Ecclesiastico sex menses concedantur.

Sed, sicut communior, sic verior etiam est sententia Glossæ *fin. in §. Verùm cit.*

Lambert.

Lambertini *Lib. 6 p. 2. q. 1. art. 3.* Garciæ *p. 5. cap. 9. cit. n.* 210. Selvæ *p. 3. de Benef. q.* 21. *n. 18.* & Barbosæ *cit. alleg. 72. n. 131.* eô casu etiam laico sex menses indulgentium, propter communionem cum Ecclesiastico. Rationem reddunt; quòd, cùm res communis omnino indivi-dua aut non facilè dividua est, æquitas postulet; ut socius quoad eam privile-giatus (saltem dignior, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles.*) ad se tra-hat non privilegiatum, & hic commo-dum consequatur à communione cum il-lo, *arg. l. Quemadmodum 10. ff. Quem-admod. servit. amitt.*

Neque obstat; quòd laicus ad se Ec-clesiasticum non trahat quoad variatio-nem; quia ab hoc illi sola commoda, non etiam incommoda communicantur, Zœ-sius *ad hanc Rubric. n. 47.* ob specialem favorem juris Patronatûs secularis, cui ab Ecclesia non facilè derogatur, Fagnanus in *c. Quoniam cit. n.* 11.

86. Quod si patronus laicus intra qua-tuor, Ecclesiasticus intra sex menses, ad Ecclesiam vel beneficium vacans præsen-tare, hoc est, Episcopo vel alteri institu-endi jus habenti clericum à se designa-tum offerre (non tantùm designare, aut designato præsentationis literas dare, Franc. *in §. Verùm cit. n.* 1.) neglexerit, pro ea vice præsentandi potestatem amit-tit; ut Ecclesia vel beneficium ab Episcopo vel alio instituendi jus obtinente conferri pro ea vice liberè possit, *c. Quoniam &c.*

87. *citt. Neglexerit*, inquam; quia patrono ignoranti, Reipublicæ vel aliâ causâ ne-cessariâ absenti, incarcerato, tutum acces-sum ad Episcopum non habenti, excom-municationis alióve legitimô Juris aut facti impedimentô detento à Jure indul-tum quatuor aut sex mensium tempus non currit, *c. Quia diversitatem 5. de Concess. prabend.* eámque ob causam di-ctos menses non à vacationis, per obi-tum, renuntiationem, privationem &c. in-ductæ, sed illius notæ, sive à patronis, non quomodocunque, sed certò cognitæ die inchoandos & computandos, cum Beroio *in c. Quoniam cit. n. 54.* Franco §. *cit. n.* 2. monent *citt.* Rochus *V. Honorificum, q. 27.* Garcias *p. 10. cap. 2. n. 34.* & DD. Rotæque decis. allegatis, Barbosa *cit. alleg. 72. n. 13.* Ratio est; quia privatio po-testatis præsentandi & beneficiorum de-volutio Jure introducta est in odium & pœnam negligentiæ, *c. Quia diversitatem cit.* ibi, *Contra negligentes:* is autem, qui vacationis notitiam non habet, alióve le-gitimô impedimentô detinetur, negligens dici non potest, Panormit. *in c. cit. n. 3.* Flamin. *Lib. 11. de Resignat. q. 13. n. 11.* & Guttierez *Lib. 1. Q. Canon. cap. 28.* Unde

Dubium quintum nascitur de impe-88. dimenti probatione: cujus onus patrono indiscriminatim imminere, suadet ratio; quòd generaliter probatio incumbat ei, qui aliquid affirmat, *l. Ei incumbit 2. ff. de Probat.* Sed hâc in re locus est di-stinctioni inter ignorantiam & alia im-pedimenta; cùm enim, ubi scientia non probatur, ignorantiam præsumi, Juris *Re-gula* sit *47. in 6.* vacationem Ecclesiæ vel beneficii inductam patronus ignorâsse præsumendus est, si ejus notitiam ha-buisse non probârit is, qui beneficium ob patroni negligentiam ad se devolutum prætendit, *citt.* Vivianus *cap. 2. n. 9.* Gar-cias *n. 34.* & Barbosa *alleg. 72. n. 136.* Alia verò impedimenta probandi onus fere 89. incumbit ei, qui illorum aliquô se à præ-sentatione fuisse impeditum, asserit, *cit.* Palao *n. 5.* cùm talia fere consistant in facto: factum autem regulariter non præsumatur, sed sit probandum, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Captiv. & postlim.* Tuschus *Practic. V. Factum, conclus. 10. à n. 1.* &

Menoch. *Lib. 6. præsumpt. 14. à n. 1.* Qua in re tamen meritò excipiuntur Reges aliíque Principes supremi; hi enim, quò minùs ad sui patronatûs beneficia clericos præsentent intra quadrimestre, multitudine occupationum bellíque & pacis negotiis impediti præsumuntur, *citt.* Garcias *n. 34. in fine* & Barbosa *n. 37.*

90. Quamvis autem patrono legitimè impedito tempus non currat, cessante tamen legitimò impedimentò, quatuor aut sex mensium tempus continuum est; ut Primò ab ipso vacationis notæ die, imò hora & momento ad momentū currat, & vg. primò Januarii die, horâ, & istius momentò, quò vacatio innotuit, ad Ecclesiam vel beneficium à patrono, si laicus usque ad Maji, & si Ecclesiasticus sit usque ad Julii primam diem horæque octavæ idem momentum fieri possit, etiamsi annus sit bisextilis, *citt.* Garc. *cap. 2. n. 43.* & Palao *p. 5. n. 4.* Secundò; ut eadem fieri queat diebus ex quacunque causa feriatis, ac proinde festivis Nativitatis & Resurrectionis Domini diebus; cùm sit actus extrajudicialis sapiátque spiritualitatem, Vivianus *ad hanc Rubr. Lib. 7. cap. 1. n. 5.* & Palao *cit. n. 4.* Tertiò; ut fieri possit horis tam nocturnis quàm diurnis, eóque, cujus obitu Ecclesiæ vel beneficii vacatio inducta est, necdum sepultò, *citt.* Garcias *cap. 1. n. 38.* & Corradus *Lib. 4. Prax. Benef. cap. 2. n. 80.*

91.

92. Eadem præsentatio, sicut tempore, sic etiam locò quôcunque, etiam extra territorium instituentis, & ubicunque iste reperiatur, fieri potest; cùm actus sit extrajudicialis, qui extra proprium territorium exerceri potest, Vivianus *cit. cap. 1. cit. n. 9.* & Gonzalez *ad Reg. 8. glos. 62. n. 8.* & Corradus *cit. cap. 2. n. 84.* cessante saltem contradictione; cùm, si præsentato vel patrono super præsentatione moveretur lis, institutioni præmittenda cognitio judicialis neque de feriato neque extra territorium instituentis fieri posset, *arg. c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict. citt.* Vivianus *n. 9.* Barbosa *n. 147.* & Corradus *à n. 83.*

Dubium sextò est, an, lite inter patronos pendente, tempus currat; ut ei intra quatuor, si laicus: vel intra sex menses, si Ecclesiasticus sit, non finitò, beneficium liberè conferri ab Episcopo possit. Non quidem, si lis sit super juris patronatûs proprietate, & litigantium alter sit in possessione; tali enim casu ab illo clericum intra quatuor aut sex menses præsentari & præsentatum institui, etiam impendente, posse, cum Innocentio alibique dictum est supra *n. 42.*

Sed, si lis super juris patronatûs quasi possessione: vel, si super proprietate quidem sit, sed neuter sit in possessione; aut etiam, si convenire nequeant in personam præsentandi. Quibus casibus præsentationem patronis etiam post quadrimestre aut semestre competere, luculenter ratio; quòd Jure indultum tempus non currat, nisi negligentibus, *c. Quadrer. sitatem cit. & c. Ne pro defectu 42. de Elect.* cùm nemo sine culpa suò jure privandus sit & puniendus, *Reg. Nemo 21. in 6.* negligens autem dici nequeat is, qui agit, *arg. l. Contra majorem 16.* junctâ Glossâ *C. de Inoff. testam.*

Nihilominus statuendum est, tali casu beneficium perinde, ut ob negligentiam devolutum, ad liberam collationem Episcopi pertinere, propter claras decisiones *c. Quoniam 3. in fine, c. Si vero 12. c. Eam te 22. & c. Cùm propter 27. ibique* Interpp. & DD. Ratio id statuendi magna fuit; ne, frequenter & sæpe temere excitatis ac plerúmque diu protractis litibus, Ecclesiæ magnò periculò animarum & rerum etiam temporalium damnò nimis diu vacarent, causâ, & sæpe etiam

etiam culpâ ipsorum Patronorum, Vivianus *in c. Quoniam cit. in fine*, Covarruvias *Practic. cap. 36. n. 7.* Gonzalez *ad Reg. 8. glos. 51. n. 112.* Garcias *cit. cap. 9. n. 217.* & Barbosa *cit. alleg. 72. n. 162.*

94. Tria tamen hôc locô notanda sunt. Primum est; quòd *c. Quoniam* & aliorum *cc. citt.* dispositio, tanquam à communi Jure exorbitans, ac proinde odiosa, ad alios casus non sit trahenda, Panormit. *in c. cit. n. 7. & ibi* Barbosa *n. 6.* Quare ea non procedit Imprimis casu, quò patroni intra tempus ad præsentandum sibi concessum sua jura deduxerunt, & Episcopum requisiverunt; ut controversiam definiret: sicut & casu, quò lis verteretur inter patronum & Episcopum, istô beneficium liberum, illô verò id patronatum esse contendentibus; utrôque enim hôc casu, & priori quidem cum Mascotto *Var. Resol. Lib. 1. cap. 84.* posteriori verò cum Panormit. *in c. Cùm vos 4. de Off. Ord. n. 7.* tempus patronis non currere & litis eventum expectandum, tradit Vivianus *cap. 3. n. 6. & 16.* quia aliàs Episcopus malitiosâ sententiæ dilatione jus conferendi consequi, aut frivolâ litis protelatione adversarium vincere absque sententia posset, ut advertunt Panormit. *l. cit.* & Palao *cit. p. 5.* 95. *n. 7.* Deinde eadem dispositio non procedit casu, quô lis est inter duos vel plures præsentatos, eorum quôvis se alteri præferendum contendente; tali enim casu de utriusque jure cognoscendum & pro eo, qui potiori gaudet, est pronuntiandum, Vivianus *cap. cit. n. 6.* & Barbosa *alleg. cit. n. 140. §. Quartus.* Demum, si non de præsentandi, sed eligendi, conferendi alióve simili jure controversia sit; cùm, si hoc fiat ob litis motæ ultra præfixum à Jure tempus protractionem, eligendi jus litigantibus perire & devolutionem ad superiorem fieri, *in c. Quoniam cit.* meritò negent Joan. Andr. *n. 7.* Panormit. *n. 6.* & Fagnanus *n. 21.*

96. Alterum est; quòd, si præsentatio in tempore facta non consequatur effectum, vel ex facto Ordinarii, vel quod præsentatus eam non acceptârit, vel acceptatæ renuntiârit, aut ante institutionem mortuus fuerit: vel propter defectum occultum ipsa fuerit nulla &c. patrono ad novam præsentationem competant alii quatuor aut sex menses, ab ejusmodi recusationis, renuntiationis, mortis vel cogniti defectûs tempore numerandi, *arg. c. Si electio 26. de Elect. in 6.* nisi in prædictis fraus aliqua intercessisset, Vivianus *Lib. 7. cit. cap. 4. n. 3.* & Barbosa *in c. cit. n. 2.* id Rotæ decisionibus firmantes.

97. Postremum est; quòd ad præsentandum Jure indultum tempus patronis, super juris patronatûs quasi possessione vel proprietate aut personæ præsentanda litigantibus, prorogari ab Ordinario valeat; quia hic jure ad se devoluto in suum tantùm præjudicium cedere nuspiam prohibetur, imò non obscurè permittitur. *c. Sicut 2. de Supplend. neglig.* Verbis *Liceat* (patronis præsentationem negligentibus) *ordinare Rectores*; nam verbum *Licet* solùm ordinandi facultatem denotat, non necessitatem, ut rectè ponderat Lambert. *Lib. 2. p. 2. q. 1. art. 27. n. 3.* *In suum*, inquam, *præjudicium*, hoc est, intra & non ultra semestre, quod ipse ad devoluti beneficii collationem habet; eô enim lapsè conferendi jus ad superiorem etiam ab ipsô, devolveretur, *c. Nulla 2. de Concess. Præb.* Vivianus *lib. 7. cap. 6. n. 14.* Parisius *Lib. 7. de Resig. q. 29. in fine*, Barbosa *cit. alleg. 7. n. 143.*

98. Dubium septimò est, an ad præsentandum patronis à Jure indultum quatuor aut sex mensium tempus coarctari vel

prorogari valeat ab ipsis fundatoribus. Ratio dubitandi est; quia tempus illud præfixum est sacris canonibus, *c. Quoniam 3. c. Eam te 22. c. Cùm propter 27. & §. Verùm citt.* ea autem, quæ contra leges & sacros canones fiunt, pro infectis habenda sunt, *l. Non dubium 5. C. de LL. can. Imperiali 25. q. 2. & Reg. Quæ contra jus 64. in 6.* cùm enim contra sacros Canones aliquid statuere nequeant Romanâ inferiorum Ecclesiarum prælati, *can. Institutionis 25. q. 2. & c. Quod super 9.* ibi, *Dummodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis, de Majorit. & Obed.* multò minùs id poterit patroni tam Ecclesiastici quàm Secularis persona privata; cùm generaliter superiori inferior potestas nequeat prævalere, *can. Inferior 4. dist. 21. c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed. & Clement. Ne Romani 2. pr. de Elect.*

At, licet hæc ratio primô intuitu videatur convincens, eâ tamen non obstante DD. passim utuntur distinctione; ut, licet fundator (multóque minùs ejus successores) post fundationem jam perfectam præsentationi à Jure indultum tempus contrahere vel prorogare nequeat; quòd legibus in fundationis limine appositis aliæ adjici de Jure non possint, *arg. l. 4. C. de Donationibus*, cujus *pr.* est, *Perfecta donatio conditiones postea non recipit*, Glossa *in can. Sic quidam 2. V. Pertinere*, 10. *q.* 1. in ipso tamen fundationis limine patroni pro præsentatione indultum tempus contrahere vel prorogare: &, vel quatuor aut sex menses utrique, vel laico solummodo unum aut duos aut quinque vel sex: Ecclesiastico verò duos tantùm aut tres aut ipsos octo menses præfigere, accedente Episcopi consensu, possunt, ut cum Viviano *cit. cap. 1. n. 16.* & Marc. Anton. *Lib. 1. Variar. resol. 112. casu 15.* tradit Corradus *cit. cap. 2. n. 62.* ex ratione generali; quòd, cùm patronus ante Ecclesiæ vel beneficii erectionem rerum suarum moderator & arbiter sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, earum traditioni, sive in fundationem Ecclesiæ vel beneficii erectionem ac dotationem collationi apponere valeat conditiones, quas vult, dummodo honestæ & Jure reprobatæ non sint, *l. In traditionibus 48. ff. de Pactis*, Pirrhing *adhanc Rubr. n. 43.*

Neque, ut primò intuenti difficillima appareat, adversatur ratio dubitandi; quia Jus sex aut quatuor mensium tempus patronis sic indulsit; ut tempus illud contrahi vel prorogari, non vetaret: &, ut fideles ad pias fundationes essent propensiores & invitarentur, sicut honestarum & Jure non reprobatarum conditionum aliarum appositionem, sic etiam quatuor aut sex mensium contractionem vel prorogationem permisit, aut quatuor vel sex mensium spatium pro iis solum casibus præscripsit, quibus fundator certum tempus præsentationi non præfixit.

Dubium octavò est, an patronis intra quatuor aut sex menses præsentare negligentibus, beneficii devoluti libera collatio fiat etiam ad eum, cui institutio solùm competit jure speciali, puta exconsuetudine, privilegio vel præscriptione. Ratio dubitandi est; quòd specialia jura non sint extendenda, *arg. l. Quòd certè 14. ff. de LL.*

Verùm, quia culpa vel negligentia unius aliis nocere non debet, *l. Sive hæreditatis 22. ff. de Negot. gest. & l. Res hæreditariam 65. in fine ff. de Evict.* tali casu instituendi jus eidem, cui si præsentatio intra debitum tempus facta fuisset, competere, cum Glossa *in Clement. Unic. V. Dispositionem, de Renunt.* & Panormit. *in c. Cùm in cunctis 7. §. fin. de Elect. n. 6.* docet Vallens. *Lib. 2. de Benef. tit. 20. n. 8.* Quod non obscure desumitur

desumitur ex *c. Unic. §. Ubi verò, Ne sede vacante, in 6.* ubi expressè deciditur casu, quô speciali consuetudine vel statutô beneficii collatio ad aliquem spectat cum consilio Episcopi, & istius consilium ob mortem vel remotam ejus absentiam haberi nequit, illud liberè conferri posse. Cur non pari ratione is, qui speciali jure institutionem præviâ alterius præsentatione obtinet, patronô propter lapsum termini præsentare amplius non valente, beneficium sine ea & liberè valeat conferre? cùm aliàs contra *Reg. Nemo cit.* jure suo sine sua culpa & justa causa privaretur. Huic profectò non obstat ratio dubitandi; cùm enim tali casu non tam jus novum acquiratur, quàm priùs competens sine ullius præjudicio conservetur, specialis juris extensio fieri dici non potest.

ARTICULUS VI.

De Variatione in Præsentatione.

SUMMARIUM.

102. *In præsentatione variatio permissa est Laico:*
103. *Non etiam Ecclesiastico Patrono:*
104. *Qui tamen duos simul præsentare non prohibetur.*
105. *Ecclesiasticus variare etiam nequit in Patronatu Mixto:*
106. *Etsi in eo etiam variatio laico permittatur.*
107. *Variandô laicus secundùm Aliquos duos duntaxat:*
108. *Secundùm alios & veriùs plures præsentare valet,*
109. *Ob specialem Ecclesiæ utilitatem.*
110. *Lite inter duos, à diversis præsentatos, pendente variationi locus non est:*
111. *Nisi eâ collitigans præsentetur.*
112. *Valida est jurata cessio juris variandi:*
113. *Non tamen obstat valori variationis,*
114. *Præsertim, quâ primò præsentato notabiliter dignior additur.*

VAriare patronus dicitur, quando post unius clerici præsentationem Episcopo vel alteri Prælato, instituendi jus habenti, jam oblatam eidem ad idem beneficium alium præsentat. Quod, licet post primò præsentati institutionem nemini liceat, *arg. c. Quod autem 5.* quia per institutionem jam plenum jus acquisitum est præsentato, *c. Si tibi absenti 17. de Præbend. in 6.* Azor *Instit. p. 2. lib. 6. cap. 21. q. 13.* & Barbosa *in c. Quod autem cit. n. 2.* ante institutionem tamen patrono laico permissum est: non quidem privativè sive; ut à priùs præsentato clerico idoneo valeat recedere: sed cumulativè sive; ut priùs præsentato ejusmodi clerico secundum etiam idoneum supperaddere possit, *c. Cùm autem 24.* ibi, *Cùm postulaverit, eô non refutatô, alium æquè idoneum admitti.* Quin, si talis patronus post clerici etiam idonei præsentationem decedat, ab ejus hærede & in patronatûs jure successore alium præsentari & ei, qui à defuncto præsentatus est, supperaddi posse, rectè observat Vivianus *de Jure Patronat. Lib. 12. cap. 5. n. 35.* cùm enim hæres in defuncti jus omne succedat, *l. Hæredem 59. & l. Hæreditas 62. ff. de R. I.* & ad successorem in re singulari omnia huic annexa jura transeant, *arg. l. Pro emptore & l. 2. §. 20. ff. Pro emptore & l. Unic. V. Hoc tantùm, C. de Usucap. transform.* ad 102.

form. ad patroni hæredem, & ad singularem ejus successorem in patronatu omnia patronis laicis competentia, ac proinde etiam variandi jus transibit; quòd hoc ullo Jure exemptum non reperiatur.

103. Dixi; *Laico*; quia patrono Ecclesiastico variatio non conceditur: sed ab eo primò præsentatus, sicut prior tempore, sic etiam jure potior est & instituendus. Unde hujusmodi patroni præsentatio vim habere dicitur electionis; quòd, sicut publicatô scrutiniô in ista, *c. Publicato 58. de Elect.* sic in illa, superiori jam oblatâ, locus non sit variationi, Panormit. *in c. Cùm autem cit. n. 3.* ubi Fagnanus *n. 19.* & Barbosa *de Off. Episc. alleg. 72. n. 154.*

Ratio differentiæ, inter utrumque patronum à Jure proditæ, ex variis, quas DD. reddunt, ea, nisi fallor, vera est; quòd Ecclesiasticus non præsentet jure & nomine proprio, ut laicus: sed jure & nomine Ecclesiæ, cujus actus firmiores oportet esse, *arg. c. Inter 2. de Translat. Episc. & Clement. Unica, de Renuntiat.* &, quia ad præsentandum amplius scilicet sex mensium spatium habet, & cùm clericis assiduè conversatur, idoneum invenire & noscere faciliùs posse præsumatur, quàm laicus, quatuor duntaxat menses habens ad præsentandum, Lambertinus *Lib. 3 p. 2. q. 7. art. 1.* Barbosa *alleg. cit. n. 155.* & Gonzalez *in c. Quod autem cit. n. 4.* Unde

104. Dubium oritur primò, an patronus Ecclesiasticus duos præsentare etiam non possit simul. Non posse, cum Glossa *in Clement. Plures 2. V. Præsentare* asserit Lambertin. *p. 2. cit. q. 3. art. 8.* eâ ductus ratione; quod ejus præsentatio juxta dicta habeat vim electionis: plures autem eligi ab uno etiam simul non possint, per textum & Glossam *c. In electionibus 2. V. Alternativa, de Elect. in 6.*

Verùm, quia hujusmodi patronô præsentatio electioni non æquiparatur quoad omnia: sed quoad effectum, quòd unius præsentatione superiori oblatâ, sicut scrutinii publicatione factâ, locus ampliùs non sit variationi, ut observat Rochus de Curte *V. Honorificum, q. 9. n. 34.* idcirco duos simul aut alternativè præsentari etiam ab Ecclesiastico posse, idem existimat, relatis aliis; quos secuti sunt Garcias *p. 5. de Benef. cap. 9. n. 218.* & Vivianus *Lib. 10. cap. 8 n. 4.* quia simultanea duorum aut plurium præsentatio variationem, soli patrono laico permissam, non constituit, neque inhabilitatem arguit in præsentante.

Dubium secundò est, an patrono laico Ecclesiastico variatio sive successiva duorũ præsentatio permissa non sit in Patronatu Mixto, sive quando laicum habet compatronum. Ratio dubitandi est; quòd, cùm tali casu compatronus laicus propter ejus societatem sex menses habeat ad præsentandum, æquum sit, ut vicissim ipse participet jus variandi; quin privilegiatus non privilegiatum ad se trahit, juxta dicta *n. 61.*

Verùm, quia hæc ratio in privilegiato solùm digniore, ut respectu socii laici Ecclesiasticus est, procedit, ex eo; quòd hic ad se trahat laicum, non recte infertur, etiam ab isto ad se illum trahi. Unde in proposito casu Ecclesiasticus variare non poterit, sive ab ipso diversus, sive idem, qui à laico, ad beneficium sit præsentatus. Imò posteriori hoc casu variare etiam non poterit laicus, cùm; quia in concordem unius præsentationem consentiendò tacitè ad perseverantiam se obligâsse censetur: tum verò; quia ille præsentatus pro se habet duo suffragia; & propterea tanquam potior jure præfertur ei, qui ab uno solo postea præsentatur, *arg. c. Quoniam 3. ibi, Qui plurimo-*

plurimorum probatur assensu, Panormit. *in c. Cùm autem cit. n. 4.* Barbosa *cit. alleg. 72. n. 166.* & Vivianus *Lib. 10. cap. 1. n. 26.* asserens, id etiam procedere casu, quô duo compatroni laïci præsentant eundem.

106. Aliud esset, si laicus & Ecclesiasticus compatroni præsentarent diversos; cùm hôc casu, licet variatio non competat Ecclesiastico, laico tamen permittatur; ut priùs præsentato alium superaddere possit, Lambert. *Lib. & p. 2. q. 7. art. 13. n. 4*, quia à variationis jure huic competente casus iste non excepitus: neque æquum est; ut privilegiô suô privetur propter Ecclesiastici adjunctionem, Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 6. n. 7.* Neque refert; quòd tali casu Ecclesiastici instar reputetur à Glossa *fin. in c. Unic. in 6.* quia talis quoad socii commoda duntaxat: non etiam quoad favoris, à Jure sibi competentis, privationem cen-
107. letur, Zœsius *ad hanc Rubr. n. 47.*

Dubium tertiò & celebris controversia de patrono laico est, an præsentandô variare valeat tantùm semel; ut primo præsentato secundum duntaxat, ut cùm *citt.* Rocho *q. 10.* Lambertino *art. 23.* & Viviano *cap. 4.* volunt Barbosa *in c. Cùm autem cit. n. 2.* Fagnanus *n. 8. & in c. Quod autem cit.* Gonzalez *n. 6.* vel sæpius, illi addendô tertium & quartum, ut cum Glossa *in Clement. cit. V. Plures*, Zabarella *in c. Pastoralis 29.* & Decio *in c. Quantò 3. de Judiciis à n. 32.* Azor *p. 2. Institut. Lib. 6. cap. 21. q. 13.* & Zœsius *l. cit. n. 48.* defendunt.

Priores se fundant *in c. Cùm autem c. Quod autem c. Pastoralis citt. & c. Cùm dilectus 28.* qui textus *de Alio* tantùm & *de Secundo* præsentato loquuntur. Rationem reddunt; quòd facultas simpliciter data primô actu finiatur, *arg. l. Boves 89. §. 1. ff. de V. S.* præsertim in materia odiosa: cujusmodi variandi facultatem esse, clarè desumitur ex *Clement. Unic. de Renuntiat.* verbis, *Cùm illusio & variatio in personis Ecclesiasticis maximè sint vitandæ*, ubi Glossa dictionem *Maximè* (quæ speciem oppositam implicat, Barbosa *Usufrequent. dict. 197. n. 5.*) ponderans, ait, idem in laicis obtinere; quia variare sententiam & mutare consilium levitatem sapit & temeritatem, inquit Baldus *in l. Jus Civile 6. ff. de I. & I.*

Similibus fundamentis nituntur po- 108.
steriores: Et ex Jure quidem allegant *Clement. Plures cit.* eôdem modô & sensu asserentem, plures præsentari, & plures esse patronos: quos esse tres quatuórve & plures posse, Juris est omnino explorati. Neque dicas, textum hunc exaudiendum de plurium præsentatione simultanea, cùm; quia ista, ut jam monui, non constituit variationem, & patrono etiam Ecclesiastico est permissa: tum verò; quia à pluribus compatronis laicis plures simul præsentari ante Clementem V. potuisse, liquet ex *c. Quoniam 3.* ut ab isto ipsis permissa de novo tantùm fuerit præsentatio plurium successiva. Ratione verò; quia plurium præ- 109.
sentatio laicis permissa est propter utilitatem Ecclesiarum, *Ut his facilius provideatur*, *Clement. cit.* junctâ Glossâ *V. Ex eâdem*: utilius autem Ecclesiis est, si à laicis tres quatuórve, quàm si solummodo duo præsententur; cùm enim variandô à priùs præsentatis non recedatur, *c. Quòd autem cit.* sed ex iis electio permittatur Episcopo, ad instituendum digniorem obligato, *c. Quoniam cit.* facilius & melius Ecclesiis de Clericis idoneis poterit provideri. Quare permissio variationis facta laicis, clericorum qualitates & Ecclesiarum atque animarum necessitates minùs, quàm Ecclesiastici, habentibus

bentibus perspectas, extendenda potiùs quàm restringenda videri potest.

Ex duabus his Opinionibus, sicut neutram claro Juri & receptis principiis apertè contrariam, & utramque probabilem, sic posteriorem ratione spectatâ censeo veriorem, præsertim cùm textus contra eam allegati de *Alio* & *Secundo* narrativè duntaxat, & de numero nihil disponendô, loquantur: & præ iis standum sit *Clement. cit.* plurium præsentationem disertè permittente, *arg. c. 1. de Constitut. in 6. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* Neque vim habet ratio; quia de variationè Exclusiva procedit: non de Cumulativa, quæ non laicis patronis magìs, quàm Ecclesiis, utilis est.

Neque hinc rectè infertur, eam patronis etiam Ecclesiasticis fuisse permittendâ; cùm enim isti digniorē præsentandi majorem obligationem, meliorem notitiam peritiámque, & amplius tempus habeant, præsentatô unô, quem aliis digniorem judicâsse præsumuntur, variare & secundum præsentare meritò non permittuntur *Clement.* in contrarium *cit.* in qua dictio *Maximè* non ad vocem Ecclesiasticis antecedentem, sed ad verbum *Vitanda* subsequens referri potest: & relata idem denotat, quod dictio *Maximopere*, & speciem oppositam non implicat, ut considerati patet.

110. Dubium quartò de laico est, an variare etiam possit, lite inter duos à diversis, hoc est, inter unum à se, & alterum ab alio, præsentatos pendente. Non quidem, si collitigantium unus jam sit institutus; cùm hôc casu variationi locum non esse, exploratum & clarè proditum sit *c. fin. Ut lite pend. in 6,*

Ante institutionem autem à laico variari, & collitiganti à se præsentato alium supperaddi posse, cum Joan. Andr. *in c. 1. eâdem Rubr. in 6.* existimat Lambertin. *Lib. 2. p. 1. q. 6. art. 12.* quòd hujusmodi patrono variandi jus *cc. citt.* indistinctè adstruatur, eorúmque dispositioni derogatum non sit *c. 1. & c. fin. Ut lite pend. in 6.* cùm istorum terrium priori Bonifacius VIII. expresè tantùm loquatur de electionibus, non admittentibus variationem, *c. Publicatio cit.* posteriori autem sermo quidem de præsentatione, sed eô tantum casu sit, quô collitigantium alter institutus & in possessione fuit: &, quia antiquum Jus corrigit, trahendus non sit ad casum, quô neuter est institutus.

Sed meliùs cum Rocho *V. Honorificum cit. q. 23. n. 53.* Covarruvias *Practic. cap. 36. n. 7. V. Tertiò*, & Garcia *cap. 9. cit. à n. 217.* rem hanc expediunt adhibitâ distinctione: &, licet duobus collitigantibus à laico variante tertium supperaddi posse, negent ex ratione, propter quam *c. 1. & c. fin. citt.* electio & præsentatio, lite pendente facta, irritatur; ne scilicet, novô adversariô per ejusmodi præsentationem litigantibus supperadditô, lites cum Ecclesiæ dispendio multiplicentur & prorogentur: pro validâ tamen habent præsentationem, quâ patronus laicus variandô à se præsentato superadderet huic collitigantem, ut alio suo compatrono præsentatum; quia tali casu collitigantibus non additur novus adversarius, & cum ipsa ratione *cc. citt.* dispositio cessat; cùm hujusmodi variatione pluribus votis in eundem collatis lis potiùs tollatur aut abbrevietur, quàm augeatur vel protrahatur. Atque ita à Rota pluries decisum, testis est Garcias *cit. n. 120.*

Dubium quintò de eodem est, an variare possit, non obstante juramento quô præsentato clerico se non variaturum promisit. Qua in re Negativam contra Immolam *Lib. 3. consil. 16.* cum Rocho *V. cit.*

V. cit. q. 12. n. 37. propugnant Covarruvias *in c. Quamvis 2. de Pactis in 6. p. & §. 2. n. 7. V. Hu tamen* & Guttierez *de Jurament. p. 3. cap. & n. 13.* ejusmodi juramentô imò & promissione simplici standum, asserentes non tantùm patrono, sed ipsi etiam Ordinario instituenti. Patrono quidem; quòd juramentum à Jure nuspiam reprobatum, neque præjudicium afferat tertio, aut in salutis dispendium vergat; & propterea locus sit Regulæ traditæ *c. Cùm contingat 28 de Jurejurando & c. Quamvis eit.* & simplici promissione de præsentatione alternative facienda stare debeant compatroni, *Clement. Plures cit.* Cur non etiam juratâ promissione de non variando? Ordinario verò; ne, si non primò præsentatum, sed eô præteritô alium, insuper habitô ejusmodi juramentô vel promissione, superadditum instituat, patroni perjurium approbare ejúsque peccato cooperari videatur, *arg. c. Mulier 34. de Jurejurando.* Vivianus, id à Rota decisum, asserens *Lib. 10. cit. cap. 2. n. 6.*

113. Sed, ut hæc vera & in praxi tenenda sint, casu tamen, quô à patrono alius contra juramentum & fidem datam præsentatus ab Ordinario institueretur, institutionem validam fore, cum Imola existimat Covarruvias *cit. n. 7. V. Prædicta*, perinde fere, sicut Titius, post inita & juramentô firmata sponsalia cum Bertha, matrimonium validè contrahit cum Caia, *c. Sicut 22. de Sponsi. & Matr.* etiamsi juramentum & fidem datam observare ipse, ejúsque huic contravenire volentis matrimonium impedire potiùs, quàm ei assistere parochus debuisset, *c. fin. §. Sanè, de Clandest. desponsi.* Zœsius *ad hanc Rubr. n. 49.*

114. Excipiendus tamen videtur casus, quô primò præsentatus non esset idoneus; tum enim (uti &, si secundò præsentare vellet alium, priori evidenter digniorem) propter utilitatem Ecclesiæ patronum à juramento absolvi, & ad idoneum vel ita digniorem præsentandum admitti posse, idem notat *n. 7.*

ARTICULUS VII.

De Personis præsentandis.

SUMMARIUM.

115. *Præsentanda est persona capax institutionis.*
116. *Non tamen patronus à seipsô:*
117. *Licet ab ipso præsentari valeat Filius & Pater.*
118. *Sui patronatûs beneficium consequi patronus liberâ Episcopi collatione,*
119. *Et compatroni præsentationem approbandô, potest.*
120. *In præsentatione ratio habendæ etiam est juris specialis:*
121. *Quô incapacis præsentatio aliquando irritatur ad instantiam,*
122. *Aliquando ipso Jure irrita est.*
123. *Cùm fundatio præfert consanguineũ fundatoris huic proximior:*
124. *Et verisimiliùs etiam ab eo remotior præsentari potest.*
125. *Cùm eadem præfert proximiorem, ea non de ultimi possessoris beneficii:*
126. *Sed ipsius fundatoris proximiore est exaudienda,*
127. *Secundùm graduum non Canonicam,*
128. *Sed Civilem computationem.*
129. *Ad beneficium fundatum pro consanguineis etiam spurius, Apostolicô:*

130. *Imò & Imperiali rescriptô legitimatus, admittitur.*
131. *Qui dignus & dignior Jure sit.*
132. *Præsentans indignum privari pro ea vice potest jure præsentandi;*
133. *Nonnullis casibus exceptis.*
134. *Vi fundationis aliquando dignus præferendus est digniori.*
135. *Regulariter ad beneficia curata dignior ab Ecclesiastico:*
136. *A laico saltem dignus est præsentandus.*
137. *Ad simplicia dignum præsentandô etiam Ecclesiasticus satisfacit,*
138. *In Foro saltem Externo.*
139. *Gratificatio locum habet, cùm ab eodem plures præsentati dignitate æquales;*
140. *Cùm inæquales sunt, instituendus ex iis est dignior,*
141. *Vel præsentatus numerô suffragiorum,*
142. *Etiam respectu aliarum partium majori.*
143. *Inter duos æquè dignos, à diversis præsentatos, locus est gratificationi.*
144. *Secundùm aliquos etiam tertii institutioni:*
145. *Verùs præsentatorum alter instituendus est,*
146. *Duobus casibus exceptis.*

115. PRæsentari ad Ecclesiastica beneficia vacantia à patronis debent personæ capaces institutionis: cujusmodi non sunt laici; clerici conjugati, Censurâ, Irregularitate, vel crimine aliquô, privationis beneficii, depositionis, degradationis pœnam inducente, irretiti, ut *Lib. 1. Tit. 14. à n. 40.* est explicatum.

116. Præterea patronus præsentare nequit seipsum, quantumvis aliàs beneficiô dignus præ aliis esset, *c. Per nostra 26. hâc Rubr. & c. fin. de Institut.* quibus locis inter præsentantem & præsentatum exigitur distinctio personarum. Unde etiam sui præsentationem patronus facere nequit per procuratorem à se constitutum; quia etiam sic præsentari censeretur à se ipso, *arg. Reg. Qui facit, 72. in 6.* Neque etiam ab alio, cui ipse jus patronatûs non perpetuò, sed pro illa dun. taxat vice donâsset; quòd donatio in fraudem ita facta præsumatur, ut à donatario præsentetur ipse Patronus, ut cum Lambertino *Lib. 2. p. 1. q. 8. art. 11.* & Viviano *Lib. 6. cap. 9. n. 22.* tradit Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 93.* quo hac & vera Opinione sua allegans Rochum de Curte *V. Ipse vel 11, q. 20. n. 37.* qui tamen extra casum, quô jus patronatûs alteri, ut procuratori conceditur, contrarium tenentibus non obstare accedit, *l. cit. in fine.* Unde

Dubium oritur primò, an patronus præsentare etiam nequeat filium. Dubitandi ratio est; quòd filius & pater Jure una eadémque persona reputentur, *l. fin. C. de Impub. substitut.* & una caro, *can. Contradicimus 35. q. 3.* eámque ob causam filius quidquid præsertim à patre acquirit, non sibi, sed Isti acquirat, *§. 1. Instit. Per quas personas &c.* Unde pater præsentandô filium in effectu præsentare videretur seipsum, contra *c. Per nostras & c. fin. cit.* decisiones.

Nihilominus à patre etiam filium, & ab hoc illum præsentari ad beneficium posse, cum Glossa *in c. Consuluit 15. V. Authoritate* & Panormit. *ibid. n. 3.* Paulo de Citadinis *de Jure Patronat. p. 6. n. 3.* & *cit.* Lambertino *Lib. 2. p. 1. q. 8. art. 12.* cæteri DD. magnô consensu defendunt, *arg. c. Consuluit cit.* ex cujus dispositione, laicis prohibente, ne filius suis præ-

ſuis propriâ authoritate Eccleſias concedant, à contrario ductô argumentô legitimè infertur, has illis concedi poſſe authoritate Epiſcopi, ab iis præſentatos, ſicut extraneos, ſic etiam filios inſtituentis; quia *c. cit.* inhibita eſt ſola conceſſio ſive libera collatio: nuſpiam autem præſentatio, quæ proinde permiſſa cenſetur, *arg. c. Cùm apud 23. de Sponſ. & Matrim.* præſertim; cùm pater in filium, & iſte in patrem ſuffragium ſive vocem electionis conferre permittatur, *arg. l. Illud §. ff. Quod cujuque univerſ. nom.*

Neque aliud evincit ratio in contrarium allata; quia filius pro una eadémque perſona cum patre habetur ſolummodo in caſibus Jure expreſſis: cujusmodi collatio, electio, præſentatio non ſunt. Neque huic acquirit in ſpiritualibus; cùm in his veritatis potior quàm fictionis ratio ſit, Archidiacon. *in c. Unic. de Voto, in 6.* ſed tantùm in temporalibus, ſcilicet bonis Profectitiis & in Adventitiis quoad uſumfructum, §. *cit. & l. Cùm oportet 6. C. de Bonis, quæ liberis.*

118. Quin ſui etiam patronatûs beneficium conſequi patronus ipſe poteſt Imprimis, ſi Epiſcopus vel alius Prælatus, ad quem inſtitutio ſpectat, ei ad ſe vocato idvacans conferat motu propriô, & patronus conſentiat conferenti, Panormit. *in c. Per noſtras cit. n. 3.* & Vivianus *cap. cit. n. 6.* Dein, ſi, ut ſibi conferatur, oblatis precibus ſupplicet Epiſcopo vel alteri collatori, & iſte deferat ſupplicanti, ut cum iisdem & Lambertin. *q. 8. cit. art. 3.* tradit & variis Rotæ deciſionibus firmat Barboſa *in c. Per noſtras*
119. *cit. n. 5.* Demum etiam, ſi habeat unum vel plures compatronos, & ab his factæ ſui præſentationi conſentiat, Gloſſa *fin. in c. Conſuluit cit. ubi* Panormit. *n. 4.* & Rochus *V. Honorificum, q. 4. n. 20.* quos pluribus relatis ſequitur Barboſa *in c. Conſuluit cit. n. 4. arg. c. Cùm in Jure 33. de Elect.* ubi compromiſſarii permittuntur eligere unum ex ſeipſis, & eorum quilibet aliis ſuffragium in ſe conferentibus conſentire. Ratio eſt; quia ſic facta patroni præſentatio originem non ducit ab ipſo, contra *can. Didicimus 14. q. 1.* ſed ab aliis eam inchoantibus, ut iidem cum Riccio *in Praxi, Reſol. 179.* & Ugolino *de Offic. Epiſc. cap. 51. §. 2. n. 1.* advertunt.

Non ſolùm Communi, ſed ſpeciali quoque vg. fundationis, ſeu primævæ 120.
beneficii inſtitutionis, ſtatuti, conſuetudinis vel privilegii jure ſpectatô, beneficii capaces clericos præſentare patronus debet; ut, ſi ſpeciali hujusmodi jure beneficium à fundatore pro deſcendentibus, ejus conſanguineis aut hæredibus, ex certa familia, loco, vel provincia oriundis, gradu literariô inſignitis, aliáve qualitate præditis fundatum ſit, tales ad illud præſententur, & alterius ad illud facta præſentatio obnoxia ſit reſciſſioni, vel ipsô Jure irrita, *citt.* Rochus *V. Honorificum, q. 18. in fine.* Lambertin. *Lib. 2. p. 3. q. 5. art. 4. n. 8.* & Guttierez *Lib. 2. QQ. Canon. cap. 11. n. 37.* Unde

Dubium ſecundum oritur, an al- 121.
terius præſentatio irrita vel irritanda etiam ſit, quando eorum, qui, ſpeciali jure ſpectatô, præſentandi eſſent, nemo contradicit. Quod, licet indiſcriminatim affirmandum aut negandum videatur, Garcias tamen *p. 7. de Benefic. cap. 15. n. 6. & 10.* & hunc ſecutus Palao *Tract. 13. diſp. 4. p. 9. n. 4.* diſtinctione utuntur: & hujusmodi præſentationem quidem ſubſiſtere ajunt, quando certa qualitas in clerico præſentando expoſcitur ſolô favore perſonarum, ejusmodi qualitate præditarum, vg. fundatoris conſanguineorum, ex certa familia, loco, vel

provincia oriundorum, & istorum, extranei præsentationem non ignorantium, nemo se opponit aut contradicit; quòd favori pro se principaliter introducto renuntiare præsumantur, *arg. Reg. Qui tacet 43. in 6.* & Jure permittantur *c. Side terra 6. Privileg. & l. Si quis 29. C. de Pactis.*

122. Si verò certa qualitas vg. literarius gradus aut certum tempus studiorum, Theologici vel Juridici, exigatur favore ipsius Ecclesiæ vel beneficii, ut scilicet isti de persona magis idonea provideatur, vel illius obligationibus melius satisfiat, personæ eâ qualitate non præditæ præsentatio irrita est, licet aliorum eâ qualitate præditorum nemo contradicat; quòd, sicut Reipublicæ, sic & Ecclesiæ & Ecclesiastici beneficii favor sit publicus, *l. 1. §. 2. V. Publicum, ff. de I. & I. & l. fin. C. de SS. Eccles.* favori autem & Juri publico privatorum nemo valeat renuntiare, *l. Jus publicum 38. ff. de Pactis & c. Si diligenti 12. de Foro compet.*

123. Dubium tertiò est, an, cùm fundator aliquem ex consanguineis vel de progenie sua capacem præsentandum expressit, ipsius in patronatûs jure successor præferre proximiorem debeat, vel, quem vult, etiam remotiorem præsentare possit. Ex obligatione proximiorem præsentandum, cum Lambert. *cit. p. 3. q. 5. art. 4. n. 12.* volunt Garcias *cit. cap. 15. n. 17.* & Guttierez *cit. cap. 11. n 38.* quòd præsentatio tali casu, non libero arbitrio, sed iudicio regulato commissa intelligatur; ut, quem fundator prædilexisse præsumitur, successor præsentare teneatur: ille autem prædilexisse præsumatur proximiorem; cùm, quoties testator gradum non expressit, præferatur proximior, & remotior excludatur, *Novell. 118. cap. 3. pr.* & Feudor. *Lib. 2. tit. 50. ad finem.*

124. Sed, licet hoc in feudorum & intestatorum successionibus ita sit, verisimiliter tamen, in proposito casu remotiorem præsentari à patrono posse, cum Rodriquez *Summæ Tom. 1. cap. 106.* sustinet Palao *cit. p. 9. n. 5.* & defendit Card. de Luca *de Jurepatronat. disc. 45. n. 3.* eâ ducti ratione; partim, quòd fundator ipsa commissione, quâ, occurrente vacationis casu, consanguineorum vel de progenie sua aliquem, sine propinquioris vel remotioris gradûs mentione, præsentandum expressit, electionem sit in patronatu successoris arbitrio permissa intelligatur; cùm præsentationes ita committendo commisisse intelligatur; ut præsentet consanguineum idoneum, qui sibi placuerit, *arg. l. Unum de Familiæ 57. §. 1. & 2. ff. de Legat. 2.* partim; quòd ita liberalior fuerit in successorem patronum, quem non gravavit necessarii, sed liberæ ac liberalis electionis beneficio honoravit: partim etiam; quòd idoneus longè sit Ecclesiæ: cui, si præsentatio non restringatur ad proximiorem, de idoneo ac digniore clerico facilius provideatur. Accedit; quòd sic facultas variandi, ob Ecclesiæ utilitatem laicis indulta, hujusmodi patrono adempta non sit à testatore: neque ab isto, cùm non expressit, adempta dici debeat; ut ejus dispositio Juri communi magis conformetur, secundùm Regulam traditam à Citro §. *Testamentum. q. 76. n. 11.* & Menochio *Lib. 4. præsumpt. 73. n. 3.*

Dubium quartò est, an, cùm fundationis instrumento consanguineus proximior dicitur præsentandus, id de consanguineo proximiore fundatoris vel ultimi possessoris beneficii sit exaudiendum. Ratio dubitandi est; quòd in mediatoribus ac primogenituris attendatur proximitas ultimi possessoris, & ingrediâ unâ lineâ, ad aliam regressus non fiat, antequam ex prima deficiant descendentes, Text.

ees, Tiraquell. *de Primogenit. q. 40.* Sed, quidquid sit de successione in majoratu, primogenitura, feudo & fideicommisso, ad vacans hujusmodi Gentilitii patronatûs beneficium consanguineorum fundatoris, non possessoris seu beneficiati ultimi proximiorem præsentandum, verius est; quod beneficia Ecclesiastica non, ut majoratus ac primogenitura, successione hæreditariâ deferantur, *can. Apostolica 7. can. Si ergo 8. q. 1. & c. 1. de Prebend. & dignit.* sed Ordinarii collatione, conformi voluntati fundatoris: qui, cùm propinquiorem præfert, præferre semper præsumitur sibi propinquiorem. Ita cum Lambert. *cit. p. 3. q. 5. art. 4. à n. 12.* praxi tribunalium, Rotæque decisionibus allegatis. *citt.* Garcias *n. 20.* Palao *n. 6.* & Card. de Luca *n. 6.* Casu, quô cum duorum fundatori æquè propinquorum alter per masculinam, alter per fœmininam lineam ab illo descendit, patroni arbitrio & liberæ electioni præsentationem relictam, asserit *cit.* Garcias *n. 15.* & verisimiliùs negat Palao *n. 7.* ex fundatoris mente per masculinam lineam descendentis præsentationem faciendam, adstruens; quòd istum propter conservationem agnationis prætulisse, præsumatur. 116.

Dubium quintò est, an, cùm consanguineus proximior præsentandus est, præsentatio debita sit proximiori secundùm computationem Canonicam vel Civilem: quòd non levis est momenti, & de consanguineis collateralibus movetur; cùm ex Titii fundatoris collateralibus duo secundùm Canonicam æquali gradu à Titio distare possint, qui secundùm Civilem computationem distant inæquali; sic enim Titii frater & ex alio fratre nepos secundùm computationem Canonicam, in collateralibus gradûs distantiam desumentem ab eo, qui à communi stipite est remotior, æquali scilicet secundò gradu Titio conjuncti sunt; quòd eorum remotior à stipite communi, scilicet Titii patre, secundo gradu distet: secundùm computationem autem Civilem, in collateralibus generationes, quæ inter personas intercedunt, vel personarum, unâ demptâ, numerum attendentem, Titio frater secundô, & ex alio fratre nepos tertiô gradu conjuncti sunt; quòd inter Titium & ejus fratrem intercedant duæ generationes sive, quòd à Titio ad ejus fratrem tres, & ad nepotem ex fratre inclusivè perveniendo quatuor, ac proinde unâ demptâ, respectu fratris duæ, & respectu nepotis ex fratre tres remaneant personæ, juxta Regulam tradendam *Lib. 4. tit. & n. 14.* Quô supposito 117.

In proposito casu eum, qui secundùm computationem Canonicam proximior est, præferendum sustinent Cæval. *Commun. q. 398.* & Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 77. à n. 10.* eâ ducti ratione; quòd beneficia non deferantur jure hæreditariæ successionis: eorum causæ sint Ecclesiasticæ, judicióque Ecclesiastico & secundùm sanctiones Canonicas decidendæ; ac proinde in proposito casu graduum computatio Canonica præferenda sit Civili.

Sed melius hac in re computationi Canonicæ Civilem, & hâc spectatâ proximiorem præferunt ac præsentandum, cum Felino *in c. Ex literis 11. de Constitut. n. 4.* & Benedicto *in c. Raynutius 16. de Testament. V. Et uxorem, n. 85.* defendunt *citt.* Garcias *n. 25.* & Palao *n. 10.* solidâ nixi ratione; quòd computatio Canonica in matrimoniis contrahendis: in successionibus autem & juribus gradu proximiori debitis Legalis graduum computatio in Foro etiam Ecclesiastico & ipsis Romanæ Ecclesiæ terris attendatur, *can. Ad sedem 35. q. 5.* Alex. de Nevo *in c. fin. de Consang. & Affinit. n. 5.* Covar- 128.

ruvias *p. 2. de Sponsal. cap. & §. 6. n. 8.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 50. n. 8.* beneficium autem consanguineo proximiori fundatoris, ex istius voluntate debitum, licet collatione Ordinarii & non merâ successione hæreditariâ acquiratur, ad istius tamen modum &, sicut alia jura proximiori consanguineo assignata, deferatur; ac proinde proximitas eôdem, quô in his modô sit investiganda. Unde pro Canonica computatione deducta ratio evanescit.

129. Dubium sextò est, an ad beneficium, fundatum pro consanguineis vel descendentibus, præsentari valeat illegitimus & spurius, ad obtinenda beneficia dispensatione Apostolicâ habilitatus. Præsentari aliorum consanguineorum instar talem posse, si legitimatus sit rescriptô Papæ, plerique concedunt; quòd talis legitimatio in rebus Ecclesiasticis præstet, quidquid præstare potest legitimatio Principis secularis; cùm per illam illegitimus natalibus quoad Ecclesiastica plenè restituatur; ut, si ex fundatione præsentandus sit consanguineus proximior, ipse ab eôque descendentes remotiori consanguineo legitimo præferantur, Navarrus *ad hanc Rubr. consil. 4.* & *cit.* Garcias *n. 46.*

130. Si legitimatus sit rescriptô Principis secularis, an ad beneficium consanguineo relictum præsentari valeat, dubitandi ratio est; quòd hujusmodi Principis legitimatio ultra successiones, honores, aliósque temporales effectus non porrigatur, *arg. c. Decernimus 2. c. Quantò 3 de Judiciis &c.* Verius tamen etiam talis legitimatio ei proficit, ut ad beneficium pro consanguineis relictum præsentari possit, si ad beneficia sit dispensatus; quia, secularis Principis rescriptô legitimatus ad temporalia, de fundatoris familia & parentela esse intelligitur; ut nihil obstet, quò minùs ad beneficia pro consanguineis erecta præsentetur, postquam beneficii capax redditus est Apostolicâ dispensatione, *citt.* Garcias *n. 47.* & Palao *num. 11.*

Dubium septimò est, an patronus [131] præsentare teneatur digniorem. Dignus autem censetur, in quo non desideratur ulla qualitas in beneficiato, spectatâ tam naturâ ipsius beneficii, quàm fundatoris mente, requisita. Unde dignior est, in quo qualitates illæ excellunt; ut considératis omnibus aptior esse judicetur ad obeundum officium annexum beneficio, cui est præficiendus, Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 7. n. 5.* & Pirrhing *ad Decretal. Lib. 3 tit. 5. n. 98.* Quô præmissô

Certum est primò, quemcunque, [132] tam laicum quàm Ecclesiasticum patronum graviter obligari ad præsentandum dignum, ut liquet ex Trident. *Sess. 24. cap. 18. de Reformat.* Imò patronum Ecclesiasticum, si scienter indignum præsentaverit, jure præsentandi pro ea vice privari, *arg. c. Cùm in cunctis 7. §. fin. de Elect. Ecclesiasticum*, inquam, & *Scientes*. Prius; quia laico propter jus variandi alterius præsentationem non solùm auth. sed etiam postquam ab ipso præsentatus tanquam indignus repulsus est, permissum censet Panormit. *in c. Cùm vos 4. de Offic. Ordin. n. 1.* & 5. quem multis relatis sequitur Barbosa *in cit. alleg. 72. n. 105.* Posterius; quia etiam Ecclesiasticus ille [133] dignum præsentans ignoranter, illô repulsô, alium præsentare intra semestre potest, Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 22. q. in fine.* Imò etiam, si indignus scienter præsentatus intra semestre repellatur, alterius præsentationem ei permissam, censent Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 18.* & non obscurè Palao *disp. cit. p. 6. n. 8.* quòd *c. Cùm in cunctis cit.* textus loquatur de electoribus, & quidem Episcopi; acproinde pœnalis ejus dispositio ad

patronos

patronos etiam Ecclesiasticos, præsertim ad beneficia inferiora præsentantes, trahenda non sit, *arg. Reg. Odia 15. in 6.*

Aliud esset, si præsentatus tanquam indignus primùm repelleretur post quatuor aut sex mensium spatium jam elapsum; tali enim casu, si indignum patronus quicunque præsentavit scienter, vel per eum stetit, quò minùs, personæ aptitudine intra quatuor aut sex menses exploratâ, citius repelleretur, beneficii devolutio ad superiorem fieret perinde, ut, si intra tempus illud nulla præsentatio fiat, *c. Unico in 6.* cùm, indignum & nullum præsentare, idem sint, *c. Inter 2. de Transl. Episc. & c. Tua 12. de Cleric. non resident.* Palao *l. cit. n. 8.*

Casu autem, quô patronus præsentatum bonâ fide habuit pro digno: &, quò minùs, ejus defectu aut vitiô intra quatuor aut sex menses exploratô, priùs repelleretur, per eum non stetit, laico quatuor, & Ecclesiastico sex menses denuo concedendos, supra *n. 96.* monui, *arg. c. Si electio 26. de Elect. in 6.* cujus dispositioni etiam in præsentatione locum esse, in *c. cit.* notat Barbosa *n. 2.*

Certum secundò est, digniorem præ
134. digno ex obligatione à quovis patrono præsentandum, quando id expressè cautum est à fundatore, Palao *l. cit. n. 6.* & contrà, si beneficium ex istius voluntate certæ familiæ aut patriæ clerico conferendum sit, dignum ex ea oriundum extraneo, quantumvis aliis qualitatibus spectatis digniori, præferendum, Garcias *p. 7. de Beneficiis cap. 15. n. 12.* & Pirrhing *l. cit.*

Dubio itaque locus potissimùm est casu, quô specialis qualitas non exigitur in fundatione; eò enim ex obligatione solummodo dignum præsentandum, desumi ex *can. Monasterium 16. q. 7.* ubi patrono permittitur præsentatio clerici, quem voluerit: dummodo *Malæ non existat*, & S. Synodo Tridentina *Sess. 7. cap. 1. de Reformat.* beneficia conferri jubente personis dignis & habilibus: contrà ab eadem S. Synodo *Sess. 24. cap. 18. de Reformat.* exigi videtur præsentatio dignioris. 135. Quæ veteris & novi etiam Juris definitiones in concordiam haud ægrè reducuntur auxiliô distinctionis inter beneficia, & ipsos etiam patronos.

Cùm, si beneficium curatum sit, *cit. cap. 18.* patronus Ecclesiasticus ad digniorem præsentandum obligetur, §. *Si verò jurâ*: & quidem secundùm communem DD. sententiam instar electorum: quos, si digniorem & Ecclesiæ magis utilem aliis non præferant, graviter peccare *cit. Sess. 24. cap. 1. §. Itaque*, disertè habetur. A patrono autem laico ad ejusmodi bene- 136. ficium præsentatus non, nisi dignus sit, institui jubetur §. *Quodsi jus cap. 18. cit.* Idonei etiam tantùm post *can. Monasterium cit.* mentionem faciunt textus *c. Quod autem 5. c. Eam te 22. c. Cùm autem 24. & c. Pastoralis 29.* Unde, eum ad dignum tantùm præsentandum obligari, Lambertinus & alii censent apud Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 21. q. 5.* qui tamen cum multis aliis à Garcia *p. 7. cap. 16. n. 2.* relatis, id in foro solùm externo procedere: in interno autem ad beneficia curata etiam à laicis digniores ex obligatione præsentandos, censet.

Si verò beneficium sit simplex, quem- 137.
cunque patronum, licet digniorem præsentandô tutiùs agat, & Ecclesiæ voto magis respondeat, in utroque tamen Foro, si dignum præsentet, satisfacere, cum Petro Navarra *Lib. 2. de Restit. cap. 2. n. 150.* & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 11. n. 12. & 24* existimat *cit.* Garcias *n. 17.* partim; quòd aliàs fere omnes Prælati essent in statu damnationis; cùm beneficia dignis conferant, dignioribus sæpe prætermissis;

termissis: partim verò; quòd ad beneficia digniorem præsentandi obligatio expressa non sit Jure antiquò: Tridentinum autem *cit. Sess. 7. cap. 13.* solùm exprimat obligationem ea conferendi dignis & ha-
138. bilibus. Alii tamen, hanc S. Synodi dispositionem in Foro solùm externo procedere: in interno autem sive animæ Foro à patronis saltem Ecclesiasticis, ad quæcunque beneficia præsentantibus, digniores dignis præferendos, volunt apud *cit.* Garciam *n. 2.* quod patroni quicunque ex munere suo teneantur rem Ecclesiæ utiliter gerere: quod non faciunt, qui præsentant dignum, præteritò eò, quem notabiliter judicant digniorem.

139. Dubium octavò est de Ordinario adlióve jus instituendi obtinente, an ex pluribus successivè aut simul præsentatis instituere teneatur digniorem. Quà in re distinguendi sunt tres casus.

Primus est, quò duo vel plures præsentantur ab uno patrono: quò casu, si omnium merita & habilitas sint æqualia, locus est gratificationi, ut, quem vult, cæteris præferre & instituere liberè possit, *c. Cùm autem cit.* ubi Glossa *V. Judicio.* Panormit. *n. 1.* Barbosa & alii ab ipso relati *n. 8.* Si verò ex iis unus cæteris notabi-
140. liter dignior judicetur, hunc illis præferendum, cum *cit.* Panormit. *n. 2.* defendunt Rochus *V. Honorificum cit. q. 15.* Covarruvias *in Reg. Peccatum 4. p. 2. §. 7. n. 4.* & Fagnanus *in c. Cùm autem cit. n. 28.* quòd Jura, sicut in electione, *can. fin. dist. 63* sic etiam in institutione præferendum asserant eum, qui majoribus meritis juvatur: licet ad litium occasiones amputandas, sicut post electi confirmationem, sic etiam post institutionem præsentati sustineatur factum, quò dignioribus prælatus est dignus, ut iidem advertunt cum Lambertino *Lib. & p. 2. q. 7. art. 26. n. 4.*

Alter est, quò duo præsentati sunt à pluribus patronis: quò casu, si præsentatorum unus dignus à pluribus, alter verò dignior à paucioribus præsentatus sit, prior posteriori, acproinde dignus digniori est præferendus, Glossa *in c. Quoniam 3. V. Majoribus*, Panormit. *ibid. n. 4.* & Barbosa *alleg. cit. n. 197.* id firmans DD. authoritate Rotæque decisionibus. Si verò major pars indignum, minor verò dignum præsentet, hunc instituendum, tradunt Rochus *V. Honorificum, q. 16. n. 43.* & Vivianus *Lib. 12. Praxis Jur. Patron. cap 8. n. 12.*

Major autem pars hoc locò censetur illa, quæ major est non solùm respectu totius numeri omnium patronorum, ut in electione, sed respectu aliarum partium patronorum; ut, si ex istorum novem, quatuor Titium, tres Cajum & duo Sempronium dignos præferent, Titius tanquam præsentatus à majori parte sit instituendus. Ita *in c. Quoniam cit.* Glossa, Andr. Panormit. *n. 13.* Fagnanus *n. 15.* Barbosa *n. 3.* Gonzalez *n. 2.* & alii plurimi tenent extra casum, quò præsentatus fit à pluribus tanquam à collegio; hoc enim si contingat, eum solùm, qui à majori parte totius collegii, hoc est, septem ex duodecim collegarum suffragiis præsentatur, instituendum, cum Joan. Andr. Panormit. *l. citt.* & Lambertino *lib. 2. p. 3. q. 4. art. 4.* docet idem Barbosa *alleg. cit. n. 198.*

Tertius est, quò duo vel plures præsentati sunt à pari numero plurium patronorum: quò casu eum, qui ex pluribus præsentatis dignior est, cum Lambertino *q. cit. art. 12. ex c. Quoniam cit.* colligit; si verò præsentati omnes æquè digni apparent, eum, quem Episcopus vult, instituendum; ac proinde gratificationi locum esse, cum Palao *disp. cit. p. 9. n. 3.* & aliis existimat *cit.* Barbosa *n. 199. & 200.*

Dubium

144. Dubium nonum movetur, an, cùm duorum, ad idem beneficium à diversis præsentatorum, neuter altero dignior apparet, tertius aliquis institui ab Episcopo possit. Id certè cum Sylvestro *V. Jus patronatûs, q. 8.* affirmant Vasquez *de Benefic. cap. 2. §. 1. n. 16.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 21. q. 19. in fine*, eâ ducti ratione; quòd tali institutione neutri patronorum præsentantiû, & ab his etiâ præsentatorû injuria fiat; cùm neuter patronorum, ut à se præsentatus, & præsentatorum etiam neuter jus habeat, ut ipse instituatur.

145. Verùm, quia à Regula generali, idoneos à patronis præsentatos extraneis quibuscunque præferente, *can. Decernimus, 16. q. 7. c. Illud 8. & c. Ex insinuatione 14. hîc*, duorum æquè idoneorum à diversis præsentatorum casus exceptus ullo Jure non reperitur, hôc casu gratificationi duntaxat sive præsentatorum unius prælationi, non eorum utriusque exclusioni & institutioni extranei sive alicujus tertii locum esse, cum Glossa *in can. Si plures 36. V. Auferri, 16. q. 7.* & Panormit. *in c. Cùm autem 24. n. 8.* meritò sustinet *cit.* Palao *p. 9. n. 4.*

Neque, extranei institutionem tali casu Episcopo permissam, evincit ratio in eam rem deducta; quia, licet tali casu patronorum præsentantium neuter jus habeat; ut à se præsentatus præferatur præsentato à compatrono: & præsentatorum etiam neuter; ut ipse alteri ad idem beneficium ab alio præsentato præferatur: jus tamen patronus uterque habet; ne à se præsentato præferatur extraneus: &, ne iste sibi præferatur, jus etiam habet præsentatorum uterque; ut adeò extranei in beneficio patronato institutio, tam patronis quàm præsentatis, ut in illo præsentatorum alter instituatur, ac proinde disjunctivum & alternativum jus habentibus, maximè sit præjudicio sa, *arg. can. Si fortè cit.* quô cavetur; ne electorum votis in duos pari numero divisis à Metropolitano ordinetur sive in Ecclesia instituatur, qui ab electoribus non fuit expostulatus: cujus ratio redditur; ne Episcopus non optatus sive ab eligentibus non expostulatus contemnatur, aut sit exosus: quæ cùm etiam militet contra extraneum à compatronorum neutro præsentatum, huic præsentatorum alterum, quem superior instituens elegerit, præferri, est necesse, sicut *c. Cùm autem cit.* junctâ Glosis *V. Judiciô*, patronô laicô, variandô duos æquè idoneos præsentante, Episcopi quidem arbitrio & gratificationi relinquitur, quem ex illis instituat, quin beneficium tertio ab illo non præsentato valeat conferre, *arg. c. Venerabilem 34. de Elect.* junctâ Glossâ *V. Favere*, ex cujus dispositione, Imperatorem eligentium votis in duos pari utrinque numero paribúsque meritis electorum divisis, Papa gratificandô duorum, in quos paria vota collata sunt, alteri alterum, non utrique extraneum præfert.

Magis in speciem pro extranei institutione facit; quòd, cùm duo dignitate pares à diversis præsentantur, invalida esse videatur præsentatio utriusque; cùm in discordia patronorum *c. Quoniam 3.* ad præsentationis valorem exigatur, ut *Majoribus adjuvetur meritis & plurimorum eligatur & approbetur assensu.* Sed hoc quoque non urget; quia *c. cit.* sermo est de solo casu, quô in discordia præsentantur plures, votorum numerô & meritis inæquales: & ex iis præfertur, qui *Majoribus adjuvatur meritis & plurimorum approbatur assensu*: casus autem duorum æquè idoneorum à diversis præsentatorum non attingitur; ut istô gratificationi locus sit argumentô *c Venerabilem & c. Cùm autem citt.* junctô *can Si fortè cit.* quem textum respiciens Glossa *in c.*

Quoniam cit. V. Majoribus, extranei sive tertii alicujus, à patronis non præsentati, institutionem non admittit, sed à pluribus præsentatum præfert casu, quô à diversis præsentatorum unus solo votorum numero, non etiam meritis alterum excedit; ne extraneus à patronis non præsentatus facilè contemnatur aut sit exosus. Unde hôc quoque casu præsentatio invalida non est, ut cum Fagnano *in c. Cùm autem cit. n. 23.* existimat Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 100.*

146. Excipiendus tamen est casus, quô compatroni laici, à quibus diversi præsentati sunt, in tertii ab Episcopo eligendi institutionem consentirent: uti &, quô ex duorum alterius institutione timeretur grave scandalum, aliáque incommoda, quæ institutione tertii possent evitari. Lotter. *de Benefic. Lib. 2. q. 6. n. 27.*

ARTICULUS VIII.

De Modis, quibus Jus Patronatûs in alios transfertur.

SUMMARIUM.

147. *Transfertur I. Successione ad omnes Patroni hæredes:*
148. *Nisi unus in re certa sit institutus.*
149. *Uni patrono plures hæredes in capita,*
150. *Istiu verò in stirpes succedunt:*
151. *Quô modô etiam succeditur pluribus compatronis.*
152. *Quæ successiones declarantur exemplis.*
153. *Ad fideicommissarium non transit Personale:*
154. *Sed Reale tantùm jus Patronatûs.*
155. *In divisione hæreditatis uni non adjudicatur Personale.*
156. *II. Donatione & legato transfertur Reale;*
157. *Et Personale in Ecclesiam sine,*
158. *In laicum verò cum Episcopi consensu.*
159. *Sine hoc tamen licitè creditur compatrono.*
160. *III. Permutatione pro alio jure spirituali annexo;*
161. *Non tamen decimis, pro eo laico licitis vel remissis.*
162. *IV. Venditione villæ &c. cui est annexum.*
163. *Personalis venditio apertè simoniaca est.*
164. *V. Infeudatione & Emphyteusi rei, cui est annexum.*
165. *VI. Talis rei Locatione ad longum;*
166. *Non ad breve duntaxat tempus:*
167. *Quâ tamen præsentandi jus ad conductorem transire, verisimile est.*
168. *Alia quàm Locationis ratio est Oppignorationis:*
169. *Nonnullis tamen casibus excepti.*
170. *VII. Privilegiô Apostolicô.*
171. *VIII. Præscriptione adversus laicum Ordinariâ,*
172. *Et quadragenariâ adversus Ecclesiam:*
173. *Adversus quas id laici aliter Veteri,*
174. *Aliter modernô Jure præscribunt.*

Ecclesiæ fundatione, constructione, dotationéve semel legitimè acquisitum Patronatûs jus à primis ejus aut aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum fundatoribus ad alios transferri, quotidiana experientia docet, & diversimodè potest.

Primò enim transfertur successione Hæreditariâ, *can. Considerandum, 16. q. 7. c. 1. c.*

c. 1. t. Quoniam 3. & Clement. Plures, hâc Rubr. quô modô ad fundatorum hæredes quoscunque etiam extraneos, tam fœminas quàm mares, cum hæreditate transit, *c. Cùm seculum 13.* junctâ Glossâ *V. Emptorum, Rubr. cit. & c. fin. de Confess. Prab.* ut extraneis ab istius aditæ die: suis autem hæredibus competat à die, quô se hæreditati immiscuerunt, Paul. de Citadinis *de Jure Patronat. p. 9. n. 9.*

148. Excipiendus tamen est casus, quô vg. unus filius in re aliqua certa: alius verò filius, aut etiam extraneus hæres universalis esset; eô enim jus patronatûs ad hunc solùm, priore exclusô transire, cum Panormit. *in c. 1. cit. n. 2.* tradunt Lambertin. *de Jure Patron. Lib. 1. p. & q. 2. art. 16. n. 6.* & Vivianus *eôdem tractatu, p. 1. lib. 4. cap. 2. n. 9.* Ratio est; quia patronatûs jus transit cum Universitate bonorum, *cc. citt.* quam continet hæreditas, *l. Hæreditas 62. ff. de R. J.* in re autem certa institutus habetur locô legatarii, *l. Quoties 13. C. de Hæred. instit.* ut mirum non sit, eum non consequi jus patronatûs. Nisi tamen ejusmodi res certa contineret universitatem, ut vg. civitas, castrum, villa, cui accessoriè annexum est jus patronatûs; tali enim casu tum ejusmodi certa re jus patronatûs, sicut ad legatarium, sic etiam ad hæredem in ea institutum transiret, *arg. c. Ex literis 7.* Panormit. *l. cit.* & Canisius *in c. 1. n. 5. in fine.*

149. Porro, si hæredes patrono, qui Ecclesiam solus fundavit, construxit & dotavit, sive ex testamento sive ab intestato, succedentes sint plures, jus patronatûs ad ipsorum quemlibet transit in solidum; ut, licet ex portionibus inæqualibus, vg. unus ex unica uncia, alter ex quincunce, tertius ex semisse: vel unus ex uncia, alter ex deunce instituti sint, in præsentatione omnes æquales habeant voces; Glossa *in c. 1. cit. V. Dividi,* & Panormit. *n. 6.* licet ex semisse vel deunce institutus vocem habeat pinguiorem; ut ejus vox in præsentatione præferenda sit casu, quô locus est gratificationi, Glossa & Innocent. *in Clement. cit.*

Quantumvis etiam plures unius ejusmodi fundatoris defuncti hæredes ipsi succedant æqualiter; ut singuli unam tantùm vocem habeant, vel alium præsentare possint alternativè, eorum tamen hæ- 150.
redibus mortuis succeditur non in capita, sed in stirpes; ut, si illorum uni unus, alteri decem vg. liberi succedant, ille solus unam, alteram verò vocem habeant isti decem: vel ille solus & hi omnes simul sumpti alternis vicibus præsentent, *Clement. cit.* ubi Glossa *V. Plures*, Rochus de Curte *de Jure Patr. V. Ipse vel in. 9. 2. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 47.*

Eôdem modô, si tribus, quorum 151.
unus ex fundatione, alter ex constructione, tertius ex dotatione patronatum obtinent, hæredes inæquali numero, vg. Titio unus, Cajo tres, & Sempronio decem succedant, successio fit in stirpes; ut in præsentatione uni vg. qui Titio una: altera 152.
tribus, qui Cajo: tertia vox competat decem hæredibus, qui Sempronio succedunt: vel alternativè primam unus Titii, alteram tres Caji, tertiam præsentationem ad Ecclesiam vacantem faciant decem Sempronii hæredes, *Clement. cit. pr. & arg. §. Sed nostra 4. Instit. de Success. libert.*; quia, sicut unus Titium, sic tres Cajum, & Sempronium decem hæredes repræsentant, Glossa *cit.* Panormit. *in c. 1. cit. n. 5.* Gonzalez *ad Reg. 8. glos. 45. n. 6.* & aliis DD. relatis, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 70.*

In tertiam tamen hanc vocem necessarium non est, ut simul omnes decem consentiant: sed sufficit; quòd eorum pars major consentiat, *arg. c. 1. & l. Quod major, citt.*

or. citt. Non tamen sufficit consensus partis majoris, habitô respectu ad alias partes minores: sed requiritur; ut in eam consentiat pars major respectu totius numeri decem Sempronii hæredum, *citt.* Rochus de Curte *V. Ipse vel, in n. 6.* Lambertin. *Lib. 1. p. 2. q. 1. art. 25. n. 12.* & Vivianus *p. 2. lib. 4. cap. 1. n. 65.* Ratio est; quia, cùm omnium decem hæredum simul sumptorum una tantùm vox sit, hanc omnium vel saltem majoris, sive plus quàm dimidiæ partis, consensus constituet; cùm ejusmodi decem hæredes constituant unum corpus, quod in actum aliquem consentire non censetur, nisi id constituentes omnes, vel eorum pars dimidiâ major consentiat: sicut Capitulum aliáve universitas consentire non censetur, nisi Capitularium omnium vel saltem partis dimidiâ majoris consensus habeatur, *c. & l. citt.*

Neque huic doctrinæ adversatur; quòd, si ex denis, eandem Ecclesiam simul fundantibus, construentibus ac dotantibus, duo Titium, tres Cajum & quinque Sempronium præsentent, instituendus sit Sempronius; licet à parte, non respectu totius denarii, sed aliarum duntaxat partium comparatione majori sit præsentatus, Glossa *in c. Quoniam 3. V. Majoribus*; quia, cùm tali casu præsentatio decem patronis non ut corpori in unius jus succedenti, sed ut singulis competat, etiam à parte non respectu totius numeri sive denarii, sed aliarum tantùm partium comparatione majori præsentatus prævalebit, eritque instituendus: licet is, qui à pluribus, corpus sive universitatem aliquam constituentibus, præsentatur, instituendus non sit, nisi omnium vel saltem majoris partis totius corporis, sive plùs quàm dimidiæ partis compatronorum consensu sit præsentatus, secundùm textus & DD. *citt.*

Dubium hôc locô est, an jus patro- 119.
natûs transeat ad fideicommissarium, uti & ad usufructuarium universalem. In re oppidò difficili, & inter Rochum *V. Ipse vel ipse cit. q. 9. n. 21.* Covarruviam *in c. Raynutius 16. de Testament. §. 9. n. 8.* & Canisium *in c. 1. n. 6.* id negantes ex una: ex altera verò parte Guttierez *p. 3. de Tutel. cap. 29. n. 15.* Molinam *Tract. 2. de J. & J. disp. 188. in fine* & Zæsium *ad hanc Rubric. n. 12.* id affirmantes valde controversâ, distinctionem non incongruam adhibent Garcias *p. 5. de Benef. cap. 9. n. 17.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 4. n. 5.*

Vel enim, inquiunt DD. illi, jus patronatûs est Personale? cujusmodi censetur, quod Titio hæredi ejúsque successoribus relictum & nulli universitati annexum: vel id Reale & vg. villæ aut castro annexum est? Si prius, id ad fideicommissarium, uti etiam ad usufructuarium non transire, cum prioribus concedunt ex ratione; quòd transferri nequeat contra dispositionem instituentis: cujus voluntate iis solùm destinatum & competere videtur, quibus sanguis & successio communicatur, qualis non fideicommissarius, sed directè instituitus sive fiduciarius est, §. 1. & §. *Sciendum 2. Instit. de Fideicommiss.* Si posterius, id cum villa 120.
vel castro ad fideicommissarium transire, volunt cum posterioribus DD. quòd illo casu jus patronatûs castro aut villæ accessorium; ac proinde locus sit *Reg. Accessorium 42. in 6.* & argumentô depromptô ex *l. Etiamsi 8. C. de Jure dotium.*

Neque obstat; quòd ad hos solùm transeant jura spectantia commodum pecuniarium: cujusmodi non est jus patronatûs; partim, quia etiam hoc, licet pretiô æstimabile non sit, utile tamen esse patrono potest, si ad inopiam vergat, *can. Quicunq; 16. q. 7. & c. Nobis 25.* partim verò; quia non principaliter, sed accessorie

cessoriè cum re, ejusmodi commodum asferente, sicut ad istius emptorem, sic etiam ad fideicommissarium transit.

Neque etiam; quòd ad fideicommissarium & usufructuarium non transeant jura sepulchri, *l. Quia perinde* 42. §. 1. *ff. ad SC. Trebell.* & patronatus Civilis competens respectu libertorum, *l. Si Patroni* 55. *pr. ff. ibidem*; quia, ut taceam; quod in proposito nobis jure patronatûs tanquam spirituali aut huic annexo præ oculis habenda sit dispositio, non Civilis, *arg. c. Quæ in Ecclesiarum* 7. *de Constitut.* sed Ecclesiastici Juris: secundùm quod cum universitate huic annexum jus patronatûs, cùm specialiter exceptum non est, transferri, liquet ex *c. Ex literis cit.* Haunoldus *Tom. 3. de l. & I. Tract. 7. n. 157.* Ut, inquam, hoc taceam, jura sepulchri tantùm sequuntur hæredes, quibus ea etiam non auferuntur: etiamsi ipsis tanquam indignis hæreditas auferatur, *l. Si quis 33. ff. de Relig. & sumpt. fun.* patronatus autem Civilis ad hæredes suos sive liberos in potestate patris constitutos transit, §. *Nec tantùm 2. Institut. de Assig. libert.* neque liberis eripitur, etiamsi pater damnetur perduellionis, *l. Jura 4. ff. de Jure Patronat.* Contrà verò jus patronatûs Ecclesiæ etiam ad non hæredes transire potest: &, publicatô castrô propter delictum patroni, accessoriè etiam ipsum publicatur, Zœsius *l. cit.*

155. Dubium secundò est, an in divisione hæreditatis jus patronatûs uni ex cohæredibus valeat adjudicari. Quod suaderi videtur textu *c. Ex insinuatione 14.* juxta quem à plurium compatronorum uno remittj, & alteri cedi potest: idque bonô Ecclesiæ, cui utilius est, patronum præsertim laicum unum, quàm plures habere.

Sed, etsi hoc ita sit, in proposita tamen divisione uni ex pluribus cohæredibus (extra casum, quô universitati, vg. villæ aut castro uni adjudicatis, annexum est) id uni adjudicari posse, cum Panormit. *in c. Querimoniam 9. n. 3.* Rochus de Curte *V. cit. q. 13. n. 26.* & Zœsius *n. 13.* negant, eâ persuasi ratione; quòd non appareat, cui ex ipsis potiùs debeat aut possit adjudicari; vel enim, inquiunt, bona hæreditaria æqualiter, vel inæqualiter dividuntur? Si æqualiter, non est ratio, cur id uni potiùs, quàm alteri assignetur. Si inæqualiter, tunc si assignaretur ei, qui consequitur partem minorem, huic in compensationem & Simoniacè adjudicatum videretur, *arg. c. De Jure 16.* Unde tali casu penes omnes hæredes in solidum remanebit, juxta dispositionem *c. 1.* Ecclesiæ inter hæredes divisionem prohibentem.

Neque in contrariû facit *c. Ex insinuatione cit.* textus; quia istô agitur de cessione merè liberali: non de ea, quæ fit in compensationem & sapit Simoniam: quam ne incurrat debitor, qui solvendo non est, creditori jus patronatûs cedere non potest, ut *ibid.* Panormit. *n. 4.* advertit.

Secundò, transferri jus patronatûs 156.
potest Donatione, aut etiam Legatô cum, & aliquando, sine Episcopi consensu: quô quando opus sit, planum distinctio reddet. Et quidem, si jus illud sit Reale & annexum universitati, istâ alteri donatâ vel legatâ in legatarium aut donatarium etiam ipsum transferri, quantumvis non interveniat Episcopi consensus, *arg. c. Cùm seculum 13.* omnes facilè concedunt. Si verò sit Per- 157.
sonale, multùm interest, an Ecclesiæ vel Monasterio, aut etiam clerico nomine Ecclesiæ, dignitatis vel beneficii, quod obtinet, vel laico, vel etiam clerico ju-

re & nomine propriô id recipienti donetur vel legetur.

Priori enim casu, etiam consensu & authoritate Episcopali non intervenient, factam donationē vel legatum valere, clarè decisum, *c. Illud 8. & c. Unico pr. in 6.* Ratio est; quòd hujusmodi donatione Ecclesiæ etiam patronatæ conditio fiat melior; cùm ei minùs gravaminis ab Ecclesiastico, quàm à laico patrono sit timendum, *can. Laicus, 2. q. 7.* & ille: si Ecclesiam indebitè gravet, facilius quàm iste coërceatur, *can. Indicatum 5. dist. 89.*

Neque obstat, *c. Quod autem 5. V. De cætero, c. Cura 11. & c. Nullus 17.* quibus locis ejusmodi translationes ad Monasteria & Collegia Ecclesiastica sine consensu Episcopi prohibentur fieri, & factæ pro irritis habentur; quia textibus illis non agitur de translatione juris patronatûs, quod habebant laici: sed ipsarum Ecclesiarum quoad proprietatem, quàm laici non habebant: sive, ut Ecclesiæ Monasteriis perpetuò sint unitæ, ut *in c. Cura cit.* cum Panormit. *n. 1.* notant Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 21.* aut etiam quoad jus percipiendi decimas vi talis concessionis vel translationis, ut idem Gonzalez *in c. Illud cit. n. 3.* observat.

158. Posteriori autem casu jus patronatûs sine consensu Episcopi, discutientis, an patroni mutatio Ecclesiæ expediat vel damnosa sit, jus patronatûs transferri non posse, ejúsque translationem Jure non subsistere, argumentô à contrario ductô ex *c. Unico cit.* desumunt Francus *ibi, n. 2. in c. Illud cit.* Panormit. *n. 5.* & Rochus *V. Ipse vel is, q. 17. n. 31.* nisi Episcopus ei consentiat postea: cujusmodi consensu superveniente eam convalescere perinde, ac si ab initio valida fuisset, *arg. c. Quotiens 2. de Pactis & c. Cùm nos 3. de His, quæ fiunt à Prælat.* cum Panormit. *Consil. 89. n. 2.* vult *cit.* Zœsius *n. 16.*

Excipiendus etiam est casus, quô plu- 159.
rium compatronorum unus id remittit alteri: quod fieri liberè & Episcopô non requisitô posse, cum Glossa *in c. Ex insinuatione 14. V. Contulisset*, docent Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 45. §. 1. n. 58.* & Barbosa *in c. cit. n. 4. arg. Clement. Plures*, iisdem permittente liberas conventiones de præsentationibus faciendis alternativè; cur non etiam; ut jus suum totum unus alteri cedat? præsertim cum hujusmodi cessione patronatus in novam personam non transferatur, sed patronorum solumodo numerus diminuitur.

Tertiò transfertur Permutatione; 160.
can. Nemini, 16. q. 7. Et quidem, si jus patronatûs Reale, vg. castro aut villæ annexum sit, istius permutatione accessoriè etiam ipsum à permutantium uno in alterum transferri, patet. Si verò id Personale sit, permutari potest: non quidem pro re temporali, *arg. c. Quæsitum 5. & c. fin. de Rer. permut.* quia sic facta ejus permutatio aperte Simoniaca foret, Vivianus *Lib. 4. Prax. Jur. Patronat. cap. & n. 3.* sed pro alia re vel jure spirituali, aut etiam pro alio jure patronatûs, interveniente tamen consensu Episcopali, *arg. c. Quæsitum cit.* Zœsius *hîc, n. 25.* saltem si permutatione in laicum transferatur, Rochus *V. Ipse vel is, q. 16. n. 28.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 71. n. 31.*

Dubium est, an patronus laicus præ- 161.
sentandi jus ad Ecclesiam parochialem permutare valeat cum immunitate ab obligatione decimas ex fundis suis provenientes solvendi Monasterio, cui parochia illa quoad temporalia est unita. Non posse evincit ratio; quòd talis permutatio sit juris spiritualis annexi pro temporali, ac proinde Simoniæ labe infecta; cum eâ in

eâ in Monasterium transferatur jus præsentandi, quod ex natura & primæva sua institutione ad spiritualis officii Ministrorum in Ecclesia institutionem ordinatur; atque idcirco spirituali est annexum, *c. Quantò 3. de Judiciis & c. De jure 16. hîc*, ut supra *n. 21.* ostendi: & contrà à Monasterio in patronum laicum transferatur immunitas sive liberatio fundorum ab onere, fructuum ex eis ptoventium decimam partem solvendi: quæ immunitas sive liberatio à solutione partis fructuum jus sive commoditas merè temporalis est; cùm instar aliorum jurium merè temporalium sine privilegio Apostolico verè ac juridicè possideri ac præscribi à laico possit, per tradita à Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 10.* Suarez *de Decimis cap. 12. n. 17.* Laiman *Lib. 4. Tract. 5. cap. 6. n. 9.* & Pirrhing *ad Rubr. de Decimis, n. 130.*

Plus, quàm ista, difficultatis haberet permutatio, quâ laicus sibi competens jus patronatûs in Monasterium transferret pro jure percipiendi decimas ex fundis alienis: nòn quidem; quòd eâ spirituali annexum daretur pro temporali; cùm decimandi jus spirituali etiam ipsum sit annexum, *c. Novum 2. de Decimis:* sed; quod decimandi jus ab Ecclesiis & Monasteriis transferri in laicos prohibeatur, *can. Decimas, 16. q. 7. c. Quamvis 17. & c. Prohibemus 19. de Decimis:* & hi, seclusô privilegiô, quasi possessionis Juris decimandi sint incapaces, *c. Causam 7. de Præscript. ubi* Panormit. *n. 2. & 3.* Felinus *n. 2. citt.* Covarruvias *n. 6.* Suarez *cap. 17. n. 1.* Laiman *n. 8.* & Pirrhing *ad Rubr. de Præscript. à n. 42.*

262. Quartò Venditione: quâ in emptorem transfertur cum vendita universitate, scilicet hæreditate, castro &c. cui accessoriè est annexum, *c. Cùm seculum 13.* junctâ Glossâ *V. Emptorum*, & Gonzalez *ibi & in c. Ex literis 7. n. 2.* Dummodo tamen ipsum jus patronatûs vendi non exprimatur, Lambertin. *Lib. 1. p. 2. q. 5. art. 20.* & ratione ipsius annexi pro castro majus pretium non exigatur; hoc enim Simoniacum foret, ut rectè advertit Vallensis *ad hanc Rubr. §. 4. n. 1.* & Zœsius *n. 24.* Multò minùs 163
absque labe Simoniæ venditur aut emitur per se & solitariè, *c. De Jure 16.* & Trident. *Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* quorum textuum priori ejusmodi venditio irritata est ipsô jure, Glossa *in c. cit. V. Irritum*: posteriori verò jus patronatûs vendere attentantes excommunicationis (si personæ singulares) & (si communitates fuerint) interdicti pœnis subiici jubentur: atque insuper venditor ipsô factô amittit jus patronatûs; ut Ecclesia libera evadat, Vivianus *Lib. 4. cap. 5. n. 11.* & Barbosa *in cap. 9. cit. n. 81.*

Quintò Infeudatione & Emphyteu- 164.
ticatione castri, villæ, prædii, cui patronatûs jus accessoriè est annexum; jus enim hoc contractibus illis ad vasallum & emphyteutam transire, apertè supponit Alexander III. *c. Cùm seculum 16.* dum Hospitalariis prohibet; ne, *Si ratione feudorum emptorum aut aliter acquisitorum jus patronatûs in Ecclesiis parochialibus acquirant, jus parochiale*, sive Episcopale, *minuere præsumant:* & liquet ex *c. Ex literis 7.* vel ipsô textu, si istius verba, *Qui miles villam à Monasterio ad firmam tenebat*, de villa militi in emphyteusin concessa accipiamus: vel, si eum de villæ locatione exaudiamus efficaci argumentô, à locatione ad feudum & emphyteusin ductô; cùm his contractibus ipsum rei dominium utile in vasallum & emphyteutam transeat, per tradita hôc *Lib. 3. Tit. 16. n. 30.* locatione autem solus rei usus & fructus in conductorem transferatur, ut *cit. Tit. n. 1.* est dictum.

Sextò,

165. Sextò, Locatione villæ, prædii &c. hunc enim contractum verbis *Ad firmam* denotari, ac proinde cum villa locata annexum ei jus patronatûs ad conductorem transire, Interpp. *in c. Ex literis 7.* ac DD. passim notant.

Dubium tamen & controversia inter eos est, an id ad longum duntaxat, vel etiam ad breve tempus factâ locatione contingat. Et locatione quidem ad longum, scilicet decennale aut majus tempus factâ jus illud toto locationis seu conductionis tempore penes conductorem esse, desumitur ex *l. Ex literis cit.* verbis *Ad firmam*, quibus locationem sub pensione certa ac firma, cum Cuiacio, Gonzalez *in c. Vestra 2. de Locatione, n. 2.* sive locationem ad longum tempus denotari, cum Panormit. *in c. Ex literis cit. n. 5.* & Bartolo *in l. 1. C. de Jure emphyt. n. 8.* Interpp. ac DD. plerique agnoscunt. Rationem reddunt; quòd ad longum tempus factâ locatione rerum possessio in conductorem transferatur, ut colligitur ex *l. 1. §. 6. ff. de Superficieb. & c. cit.* verbis, *Si antequam &c.* cùm enim his clerico, à milite præsentato, Ecclesia adjudicari jubeatur, etiamsi super jurispatronatûs proprietate pro Abbatissa pronuntietur: dummodo constiterit, clericum illum ad præsentationem militis ab Episcopo institutum fuisse, antequam inter Abbatissam & militem de jure patronatûs controversia suborta esset: cùm, inquam, hoc ita jubeatur, apertè insinuatur, penes militem fuisse jurispatronatûs quasi possessionem, ratione cujus ab eo facta præsentatio & hanc secuta institutio tenebat, *c. Consultationibus 19.* ac proinde militem conductorem fuisse ad longum tempus; cùm ad breve tempus factâ conductione possessio non acquiratur, *l. Malè 2. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Panormit. *in c. cit. n. 2.* Locatione autem villæ &c. ad tempus modicum sive decenniô minùs factâ, ei annexum patronatûs jus ad conductorem non transire, cum *cit.* Panormit. *n. 7.* Rocho *V. cit. q. 26. n. 56.* Lambertin. *cit. p. 2. q. 8. art. 2. pr.* & aliis negant Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 20. q. 11.* Garcias *p. 5. cap. 6. n. 10.* & Laiman *in c. cit. n. 1.* quòd hujusmodi locatione rei nec dominium, *l. Non solet 39. ff. Locati*, nec possessio, *l. Generaliter 9.* junctâ Glossâ *V. Amicus, ff. de Adquir. posseß.* sed sola detentio in conductorem transferatur; cùm conductor rem non suô sed alienô nomine possideat, *l. Malè cit.* ius autem patronatûs ei, qui dominus non est, ratione possessionis adstruatur, *c. Consultationibus cit. & c. Querelam 24. de Elect.*

Non desunt tamen DD. qui eiusmodi villæ &c. ad modicum tempus locatæ conductori ratione annexi iurispatronatûs præsentationem ad beneficium conductionis tempore vacans adstruant; quòd ad conductorem transeat omnis commoditas & fructus rei sibi locatæ; ut istâ uti fruíque possit, *l. Ex conducto 15. §. 1. ff. Locati.* Cur non etiam præsentatio ratione villæ annexi & in locatione non exceptii iurispatronatûs? cùm ea commoditas & fructus quidam sit juris patronatûs, *can. Decernimus, 16. q. 7.* Panormit. *in c. Ex literis cit. n. 3.* & *ibi* Beroius *n. 12.* Ita cum Zabarell. *in c. cit. q. 1. in fine* & Campanilla *Diversor. Juris Rubr. 11. cap. 13. n. 358.* sentit Barbosa *in c. cit. n. 4.*

Dubium & quæstionem aliqui movent de jure patronatûs, annexo castro, villæ vel prædio oppignorato creditori, an ad hunc transeat cum illis. Sed immeritò; cùm, illud ad hunc non transire, exploratum sit ex Rescripto Innocentii III. *c. Cùm Bertholdus 18. in fine, de Sent. & re jud.*

re jud. sententiam, quâ clerici ad Ecclesiam vacantem à creditore facta præsentatio rata habebatur, irritantis, & Ecclesiam illam adjudicantis instituto ad præsentationem debitoris, qui villam, cui patronatûs jus erat annexum, creditori pignori obligârat. Ratio perspicua est; quia oppignoratio rei nec dominium nec possessionem, neque etiam eâ fruendi utendive jus, sed nudam detentionem in creditorem transfert; cùm illa huic pro sola debiti securitate tradatur, ab eóque detineatur nomine debitoris: & huic percepti fructus omnes restituendi, *c. 1. de Usuris & l. 1. C. de Pignorat. act.* vel imputandi sint in sortem, *l. Creditor 3. C. Rubr. cit.* Cùm ergo præsentatio, quæ jus patronatûs quidam fructus est, semel facta restitutioni; quòd neque ipsa retractari neque clericus ad eam factam institutus à beneficio removeri valeat: neque in sortem imputationi absque labe Simoniæ obnoxia sit, ea permittenda ad beneficium vacans est debitori, ut cum *citt.* Rocho *V. Ipse vel is, n. 6.* & Lambertino *p. 2. q. 9. art. 2. n. 3.* docent *citt.* Azor *cap. 20. q. 13.* Barbosa *cap. 12. n. 237.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 82.*

169. Salvâ tamen hâc Resolutione, ratione Realis sive rei pignori datæ annexi jurispatronatûs præsentatio creditori adstruenda iis demum casibus videtur, quibus ei fructus pignoris Jure addicuntur: sicut rei feudalis, fundi pro dote & prædii beneficialis injustè possessi à vasallo, socero, vel prædii injusto possessore creditoribus sive domino directo, marito & clerico beneficiato pignori datorum fructus addicuntur, *c. 1. de Feud. c. 1. & c. Salubriter 16. de Usuris*; cùm, sicut jus patronatûs ejusmodi rei feudali, fundo pro dote pignori dato & prædio beneficiali, sic ex his provenientibus fructibus accessoria præsentatio videatur.

Septimò, Privilegiô Sedis Apostolicæ; cùm enim Papa de omnibus beneficiis liberè disponendi plenam habeat potestatem, *c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. Unica, Ut lite pendent.* liberæ collationis Ecclesiam patroni præsentationi obnoxiam reddere, aut jus patronatûs Ecclesiæ vel Monasterio competens transferre in laicum, vg. in principem aut rempublicam de Ecclesia Catholica & re Christiana bene meritam: aut, quod unus vel plures laici obtinebant, alteri vg. Ecclesiæ aut etiam laico concedere valebit, Covarruvias *Practic. cap. 36. n. 1.* & Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 18. n. 1.* etsi juri patronatûs ex fundatione, dotatione vel constructione laico competenti, nisi expressam ejus mentionem faciat, derogare nunquam censeatur: & major causa requiratur, ut ejus, quàm ut patroni Ecclesiastici juri derogetur, Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 10. n. 3.* 170.

Etsi verò hæc ita se habeant, modernô tamen Jure omnes patronatus ex solo privilegio competentes, præter eos, qui Imperatori, Regibus aliisque summis Principibus, aut in favorem studiorum generalium sunt concessi, sublati sunt à S. Synodo Trident. *Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* *Ex solo*, inquam, hoc est, merè gratuito; quia, ex privilegio sive causa onerosa concessos, à laudata S. Synodo non sublatos ex *cap. 19. cit.* ea tantùm privilegia, quæ originem non habent ex fundatione, constructione vel dotatione, tollente, desumit Vivianus *Lib. 4. cap. 10. n. 4.* id firmans Rotæ decisione & Honorius *ad hanc Rubr. n. 7.*

Octavò transferri jus patronatûs potest ac solet Consuetudine vel potiùs Præscriptione, *c. Querelam 24. de Elect. & c. Generali 13. eâdem Rubr. in 6.* quia in re tamen opus est distinctione. Vel 171.

enim præscribitur adversus patronum laicum, sive id ratione proprii patrimonii: vel contra Ecclesiasticum, id ratione dignitatis, beneficii, officii vel administrationis Ecclesiasticæ obtinentem?

Si prius, aliorum bonorum ac jurium instar adversus præsentem cum titulo decenniô, contra absentē vicenniô, sine titulo autem triginta annis præscribitur; ut ab ipso in alium bonæ fidei possessorem saltem Ecclesiasticum transferatur: vel etiam, si præscribens Episcopus aut alius collator, præsertim ordinarius, sit, Ecclesia omnino liberè sit conferenda, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 70. §. Quando* & Lugo *Tom. 1. de I. & I. disp. 7. n. 90.*

172. Si posterius, id ab Ecclesiasticis quadraginta annorum lapsu præscribitur, *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. & c. Illud 8. de Præscript.* Canisius *in c. Quoniam 3. n. 26.* Imò per viam præscriptionis tantô tempore ab iis obtineri jus patronatûs posse in Ecclesia, de qua an libera aliquando fuerit, dubium est; imò in ea etiam, quam liberam fuisse constat, ex iisdem *text.* colligitur & communis sensus est DD.

173. A laico autem jus patronatûs non solùm in Ecclesia, quæ libera fuit: sed in ea etiam, quæ Patronatui semper subjecta fuit, adversus patronum Ecclesiasticum præscribi posse, cum Archidiacono *in can. Hortamur 8. dist. 71.* negat Fachineus *Lib. 8. Controvers. cap. 24. §. Licet enim.* Imò, id ab eo etiam adversus alium laicum præscribi posse, aliqui inficiantur, eâ ducti ratione; quòd tanquam spirituali annexum à laicis quasi possideri nequeat sine privilegio, vel speciali vel Juris communis, ipsis Patronatum ex fundationis, constructionis vel dotationis titulis duntaxat concedentis. *can. Pia mentis, 16. & 16. q. 7. c. Quoniam 3. & c. Nobis 25. hâc Rubr.* sine possessione autem præscriptio non procedat *Reg. Sine 3. in 6.* ac proinde sicut denominandi & eligendi sic & præsentandi sive Patronatûs jus obnoxium non sit laicorum præscriptioni *arg. c. Causam 7. de Præscript.*

At meliùs alii hac etiam in re utuntur distinctione inter tempora: unum antecedens, alterum subsequens S. Synodum Tridentinam: & illô quidem jus patronatûs à laico contra alium laicum prævatum decem aut viginti annis, juxta dicta: contra Ecclesiasticum autem patronum quadraginta annis, *arg. cc. De quarta &c. citt.* contra Ecclesiam autem, quæ aliquando libera fuit, si cum totidem annis concurrat titulus, aut sine illo, temporis immemorialis lapsu præscribi potuisse, concedunt Frideric. de Senis *Consil. 274.* Rolandus à Valle *Lib. 1. Consil. 47. n. 4.* & Barbosa *de Offic. Epis. alleg. 70. n. 19.* cùm propter *c. Cura cit.* verba, *Nisi fuerit legitimâ præscriptione munitus:* tum verò; quòd laici juris patronatûs capaces redditi à Jure sint, licet quoad proprietatem, *can. Determinamus &c. 16. q. 7. c. Quoniam 3. c. Nobis 25.* sic etiam quoad quasi possessionem, *c. Querelam 24. cit.* ibi, *Cùm constiterit quòd populus in quasi possessione præsentandi clericum existebat.* Illô verò, sive tempore S. Synodum Tridentinam subsequente; ac proinde hodie laicis non prodesse præscriptionem: nisi ea sit temporis Immemorialis, & hujusmodi etiam temporis lapsus probetur ex Authenticis scripturis: quibus præsentationes quinquaginta annis ab iis continuatas, & omnes effectum fortitas esse, ostendatur, ut *cit.* S. Synodi *Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* habetur & meritò declarabitur.

ARTIC.

ARTICULUS IX.

De Jurispatronatûs Probatione.

SUMMARIUM.

175. *Præsentatio non admittitur, nisi constet de Jure patronatûs:*
176. *Quod à privatis probandum est Authenticô documentô,*
177. *Vel præsentationibus multiplicatis & continuatis tempore immemoriali,*
178. *Probandô testium depositionibus:*
179. *Vel aliis modis Jure proditis ac receptis;*
180. *Scilicet Præscriptione,*
181. *Per famam, aliis adminiculis suffultam:*
182. *Ex literis super institutionibus ab Ordinario expeditis,*
183. *Libris Visitationum, vève judicata,*
184. *Vel monumentis antiquis;*
185. *Et aliquando ex effectibus juris patronatûs.*
186. *Probandi forma præscripta Magnatibus & Universitatibus,*
187. *Obtinentibus perpetuam jurisdictionem temporalem:*
188. *Qui patronatum probare debent per Authenticum instrumentum,*
189. *Vel præsentationes, quas centum annis continuatas,*
190. *Et ultra 50. annos effectum sortitas,*
191. *Non per testes, sed per scripturam authenticam,*
192. *Semel duntaxat est probandum:*
193. *Si jus patronatûs prætendatur contra Ecclesiam,*
194. *Idque prætendens non habeat compatronum privatum.*

CUm, ut *Tit. 5. n. 23.* dictum est, beneficia Ecclesiastica in dubio Collativa, sive liberæ collationi Episcopi subjecta potiùs, quàm Patronatûs juri obnoxia esse præsumantur, diœcesium Ordinarii in admittendis ad illa præsentationibus non faciles plerumque sunt, nisi liqueat de Jurepatronatûs, ut cum Lotterio *Lib. 2. de Benefic. q. 13. n. 142.* notat Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 72. n.* 20. *ad finem.* 175.

Ut autem de illo planè liqueat S. Synodus Tridentina Juspatronatûs probandi modum seu formam duplicem, unam Privatis, alteram Magistratibus & Universitatibus, in quibus illius juris usurpatio præsumitur, observandam præscripsit *Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* 176.

Et de Privatis quidem decernit; *Ut* ab ipsis allegatus *titulus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico instrumento & aliis jure requisitis ostenditur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliásve secundùm juris dispositionem.* Quibus verbis S. Synodus patronatûs jus probandi tres modos exponit.

Primum complectuntur verba, *Ex authentico documento & aliis jure requisitis*, ubi documenti Authentici nomine venit non solùm instrumentum publicum, sive à persona publica adhibitis solennitatibus, *Lib. 2. Tit. 22. à n. 3.* recensitis: sed Papæ quoque, Episcopi, vel alterius prælati jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentis, scriptura sive in scriptis datus in fundationem, constructionem vel dotationem Ecclesiæ vel beneficii erectionem consensus: imò hujusmodi scripturæ exemplum seu transsumptum legitimè,

gitimè, sive modô, *c. Cùm p. 15. de Fide instr.* insinuatô, & *cit. Tit. 2. à n. 26.* declaratô confectum, Barbosa *cit. alleg. 72. n. 24.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 3. n. 2.*

Eôdem documenti nomine alias quoque probationes legitimas comprehendi, existimat Garcias *p. 5. de Benef. cap. 9. n. 113. §. Ursius* id desumens ex ipsa illius notatione; cùm *Documenti* verbô ex sua significatione usúque communi denotetur admonitio, probatio, exemplum, quibus reddimur doctiores, certiores, prudentiores, Calepin. *V. Documentum* & Glossa *in c. 1. de Except. in 6. V. Documentis*, id est, instrumentis vel testibus: sicut ipsô quoque Instrumenti nomine Jure non sola scriptura, sed & testes intelliguntur, *c. Pervenit 4. de Test. cog. & l. 1. ff. de Fide instrum.* Verùm, quia, si *cap. 9. cit.* Documenti nomine quæcunque legitima probatio comprehenderetur, ei subjecta verba, *Sive multiplicatis præsentationibus, aliásve secundùm juris dispositionem* planè redundarent, nomen illud ad significationem minùs latè patentem restringunt, & de sola probatione per scripturam cum Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 18. n. 32.* & Piasec. *Prax. Episc. p. 2. cap. 5. n. 5.* exaudiunt *citt.* Barbosa *n. 22.* & Palao *n. 3.*

177. Alter jus patronatûs, ex fundatione, constructione vel dotatione competens, probandi modus pro privatis à Concilio approbatus petitur *Ex multiplicatis & sine interruptione continuatis præsentationibus per antiquissimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat.* Ubi

Dubium est de numero præsentationum, necessario; ut tempore illo dicantur multiplicatæ; duas enim sufficere, allegatô Riccio *Resol. 127. in fine* sustinet *cit.* Barbosa *n. 31.* quòd pluralem locutionem duorum numero esse contentam, Juris *Regula sit 40. in 6.* ex *l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus*, desumpta: cujus ne correctio inducta dicatur *cap. 5. cit.* istô quoque multiplicatæ intelliguntur præsentationes, cùm, duas esse legitimè factas, constabit. Verisimiliùs tamen tres exposcit Palao *p. 3. cit. n. 4.* quòd multiplicatum propriè non dicatur, quod semel duntaxat est repetitum, Jason *in l. 1. ff. de Fideicommiss. n. 4.* & Cephal. *Vol. 2. Consil. 225. n. 43.* præsertim cùm *cap. 9. cit.* multiplicitas præsentationum non exigatur quomodocunque, sed per antiquissimum cursum temporis omnino immemorialis, ac prout centum annos excedentis, per tradita *Lib. 2. Tit. 26. n. 106.* quô temporis cursu cùm, præsentationem semel tantùm repeti, contingere non soleat & vix possit, saltem factæ & immemoriali tempore continuatæ præsentationes à Concilio exposcentur.

Immemoriali autem præsentationes [illegible] multiplicatas, probari potest ac solet per testes, qui illas à centum & amplius annis usque ad litis motæ diem continuatas, modô *cit. Tit. 26. à n. 105.* explicato deponant. Per instrumenta quoque seu scripturas id alicui competere evincetur, si duabus tribúsve antiquissimis atque à diversis & non suspectis personis confectis scripturis, beneficii fundationem, etiam sine reservati juris patronatûs mentione, ab ejus majoribus factam; si præsentandi jus istis competere: si ab ejus antecessoribus factarum & immemoriali tempore continuatarum præsentationum & præsentandi juris possessio enuntietur, Mastica *Lib. 2. de Tacit. & ambig. conven. Tit. 6. n. 21. cit.* Garcias *cap. 5. à n. 11.* & Barbosa *cit. alleg. 72. n. 38.*

Tertius patronatûs jus, ex fundatione, constructione vel dotatione competens, probandi

probandi modus continetur illis Synodalis decreti verbis, *aliásve secundùm juris dispositionem:* ex quibus, patronatum omnibus illis modis, quibus cætera jura, probari à privatis posse, desumunt *citt.* Gonzalez *gloss. 18. n. 51. & 58.* Garcias *cap. 5. n. 88.* & Barbosa *alleg. 72. n. 30.* ut adeò probari à privatis valeat

180. Primò præscriptione quadragenaria cum titulo colorato, aut istô deficiente, tanti temporis, cujus initii memoria non exiîlit, *c. 1. de Præscript. in 6. citt.* Gonzalez *gloss. 18. n. 57.* & Palao *n. 4.*

181. Secundò per famam: non quidem solam, sed si cum ea alia adminicula, præsertim longissima quadraginta vel plurium annorum juris præsentandi, etiam unico actu inducta, possessio concurrat; cùm enim fama in antiquis inducat vim tituli colorati, cum ea concurrens quadragenaria bonæ fidei possessio vim habebit præscriptionis quadragenariæ titulô munitæ, ut locus sit *arg. c. 1. cit. in 6.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 310. à n. 8. citt.* Gonzalez *n. 56.* & Barbosa *n. 43.*

182. Tertiò ex pluribus vg. duabus tribúsve literis, ab Ordinario expeditis in institutionibus clericorum in Ecclesia vel beneficio ad præsentationes factis: si illis, præsentandi jus alteri competere, asseratur; cùm enim diœcesium Ordinarii in admittendis præsentationibus non faciles, & sui suorúmque successorum juris conservandi studiosi plerumque sint, institutionum literas illo tenore expediendô, de præsentantis jure, ex legitimo titulo orto, notitiam habuisse præsumuntur, *citt.* Barbosa *n. 47.* & Palao *p. 3. n. 6.*

183. Quartò ex libris Visitationum, si iis, beneficium visitatum patronatui subjectum asseratur; quòd, cùm illud per patronatûs jus liberæ collationi Ordinarii subtrahatur, verisimile non sit, Visitatores, beneficium patronatui subjectum, sine plena de illius qualitâtê notitia fuisse expressuros, *citt.* Lotter. *q. 13. n. 151.* & Palao *num. 4.*

Quintò, ex sententia, quæ, lite super beneficii statu motâ, institutóque super eo processu, pro patrono adversus eum, qui pro Ecclesiæ libertate egit, eámve defendit, in judicio lata fuit, & transiit in rem judicatam, *arg. l. Res judicata 207. ff. de R. J. citt.* Barbosa *n. 49.* & Palao *n. 4.*

Sextò, ex monumentis antiquis, vg. 184.
ex Libris Historicorum, Ecclesiam vel beneficium patronatui subjectum esse, asserentium; ex literis marmori aut æri incisis; ex insignibus sive armis Gentilitiis sculptis vel affixis altari, columnæ, parieti Ecclesiæ vel capellæ, in qua beneficium est erectum; quod, cùm hujusmodi insignia apponi non soleant rei prorsus alienæ, Ecclesiam vel capellam à familia fundatam vel dotatam, præsumptio sit saltem, si de appositionis alia causa non constet, Lambert. *Lib. 3. de Jure patronat. q. 5. art. 4. n. 2. citt.* Garcias *cap. 9.* & Barbosa *à n. 50.*

Septimò ex honoratiore & patronis 185.
concedi solito loco; ex subsidio vel pensione alicui annuatim vel certis temporibus ab Ecclesia vel istius in eâve erecti beneficii possessore præstitô: quæ tamen, cùm aliquando ex aliis causis competant; atque idcirco pro juris patronatûs certa probatione à DD. non habeantur, an & quantam illud probandi vim obtineant, judicis, loci, personarum, rerúmque circumstantias ponderantis, arbitrio æstimandum relinquit Card. de Luca *in Summa, de Jure patronat. n. 50.*

Magis, quàm privatis, strictam exa- 186.
ctámque patronatûs jus probandi formam magnatibus & Universitatibus S. Synodus *cap. 9. cit.* præscribit; *In Iis* enim, inquit, *personis* seu communitatibus vel Universitatibus, *in quibus id jus plerumque,*

ex usurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad rem necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem quàm quinquaginta annorum spatiô, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Ex quo Conciliaris decreti tenore planum est, rationem, cur juris patronatûs probatio exactior à Magnatibus & Universitatibus quàm à privatis exigatur, esse illius juris usurpati præsumptionem, ortam ex potentia ejusmodi personarum aut Universitatum: cui cedere ac deferre facilè solent, qui Ecclesiarum & beneficiorum libertatem defendere debeerent.

187. Personæ autem, in quibus usurpatio illa ex potentia Jure præsumitur, ex S. Congreg. Cardd. S. Concilii Interpp. declaratione sunt Duces, Marchiones, Comites, Barones & alii Domini civitatum, castrorum &c. perpetuam jurisdictionem temporalem obtinentes in locis, in quibus beneficia sunt erecta, licet superiorem in temporalibus recognoscant: imò etiam, quæ in talibus locis sine jurisdictione propter familiarum splendorem & magnam parentelam valde sunt potentes: uti & Universitates seu communitates secularium etiam parvæ, vg. alicujus populi, oppidi, vel pagi, in his jurisdictionem secularem exercentes. *Secularem*, inquam, non Ecclesiasticam; quia illius usurpationis præsumptio in talibus communitatibus, uti & in Abbatibus aliisque personis Ecclesiasticis, tanquam Episcoporum jurisdictioni, visitationi subjectis, cessat: sicut etiam cessat, quando beneficiorum collator æquè aut magis potens est, ut juris patronatûs usurpationi suique juris diminutioni facilè resistere possit, *citt.* Barbosa *à n. 61.* Palao *n. 7.* & Corradus *Lib. 4. Prax. Benefic. cap. 4. à n. 40.*

In memoratis itaque Magnatibus & Universitatibus, si ex fundatione, constructione vel dotatione competens jus patronatûs non authenticâ scripturâ, sed immemoriali tempore allegatô probetur, hæc probatio aliter non admittitur: nisi præsentationes centum & ultrà annis continuatæ: & eas, quæ à quinquaginta annis sive à prima præsentatione intra hoc tempus usque ad litis motæ diem factæ sunt, omnes per præsentatorum institutiones & institutorum in possessionem inductiones effectum sortitas, per authenticas scripturas doceatur ita; ut hujusmodi scripturæ pertineant ad probationis novam formam à Concilio introductam: & ejusmodi scripturæ defectus per reliqua aut aliud æquipollens suppleri non possit, cùm forma ad unguem servanda sit, eique in minimo deficiente, actus corruat, *c. Cùm dilecta 22. de Rescript. & l. Cùm hi 8. §. 17. ff. de Transact. citt.* Gratianus *cap. 168. à n. 21.* Gonzalez *glos. 18. n. 79.* Garcias *cap. 9. n. 113.* & Barbosa *alleg. 72. à n. 55.* Ubi

In dubium & quæstionem DD. vocant, an sola præsentationum continuatio, vel ipsa etiam illarum effectuatio authenticis scripturis sit probanda. Dubitandi ratio est; quòd S. Synodus ita probandas asserat præsentationes continuatas, quæ sint effectum sortitæ: non, quòd sint effectum sortitæ: &, illius quoque probationem per authenticas scripturas à S. Synodo exactam, credibile non sit, propter talis probationis difficultatem; cum sic, quemadmodum præsentationes, ipsæ quoque præsentatorum institutiones & institutorum in possessionem inductiones authenticis scripturis probandæ forent. Sed hoc non, sicut primò inventi, sic etiam accuratiùs ponderanti difficile videtur

videtur; cùm hôc ipsô, quòd authenticis scripturis probetur, præsentationes quinquaginta annis continuatas, etiam ostendatur, eas sortitas esse effectum; quòd præsentationes continuari nequeant, nisi ad vacationem, unius præsentati vg. obitu inductam, præsentatus sit alius: ex quo præsentationes, sicut continuatæ, sic etiam effectum sortitæ jam intelliguntur, *citt.* Garcias *cap. 9. n. 106.* & Palao *cit. p. 3. n. 9.* Quô modô si præsentationum effectuatio probanda asseratur, Opiniones DD. in speciem pugnantes in concordiam reducuntur.

191. Majus dubium est, an præsentationum continuatio nullô casu probari valeat per testes. Et hos quidem, si de illis continuatis directè deponant, non admitti, satis exploratum est; quòd juxta dicta authenticæ scripturæ exigantur pro forma: & aliquid illis æquipollens apertè non admittat S. Synodus, dum personis, in quibus juris patronatûs Usurpatio præsumitur, immemorialis temporis allegationem *non aliter suffragari* voluit, quàm, si præsentationes quinquaginta annis continuatas, probetur authenticis scripturis; ut adeò testibus, de præsentationum continuatione deponentibus, S. Synodus non confidat.

Quare dubium duntaxat est, an S. Synodus etiam non admittat testes, qui non directè de præsentationum continuatione, sed de authenticis scripturis super illis confectis, déque earum, præsentationes continuatas asserentium, amissione ac tenore testificentur. Ad hæc certè probanda testes admitti censet laudatus Palao *n. 11.* eâ ductus ratione; quòd illorum ad hæc probanda admissio non adversetur decreto Conciliari; cùm ita testes ad fidem, non de ipsis præsentationibus continuatis, sed de amissione ac tenore scripturarum faciendam adhibeantur, eorúmquè depositionibus receptis præsentationum continuatio probata intelligatur per authenticas scripturas, non subjectas oculis, sed deponentium testimoniis declaratas. Cui rationi non parum roboris addit; quòd, cùm actus aliquis probandus est per scripturam, & hæc ad formam & substantiam probationis requiritur, locus sit probationi per testes, de illius amissione ac tenore deponentes, *c. Sicut 16. in fine, de Sent. & re judic. & c. Cùm olim 12. de Privileg.* Felin. *in c. Sicut cit. n. 2.* Velasc. *de Jure Emphyt. q. 7. n. 38.* & Mascard, *de Probat. concl. 416. num. 11.*

Sed huic doctrinæ locus non est, quando periculum aut incommodum, ad quod excludendum scriptura exposcitur, æquè timendum est, si testis admittatur ad deponendum de scripturæ amissione ac tenore, quàm si admittatur ad deponendum de actu, super quo scriptura est confecta. Unde ad propositam dubitationem, testes etiam de amissione & tenore admitti, verisimiliùs negat *cit.* Gonzalez *à n. 75.* partim; quia, testibus etiam ad fidem de his faciendam admissis, eluditur intentio decreti Conciliaris; cùm à personis, in quibus ob potentiam usurpatio præsumitur, testes æquè facilè ad deponendum de amissione ac tenore scripturæ, quàm de præsentationum continuatione subornari possint: partim verò; quia verisimile non est, reperiri testes, qui ejusmodi scripturas esse verè authenticas sciant; cùm deponere deberent illas omni vitiô ac defectu in substantialibus carere, quod præter Notarios publicos & Jurium peritos vix ullus scire præsumitur.

Ex his planè evanescit in contrarium deducta ratio cum confirmatione; quia testes, de scripturæ deperditione ac tenore deponentes, locô scripturæ non admittuntur

tuntur propter periculum subornationis, quæ à potentibus personis utroque casu æquè est timenda.

192. Addenda his sunt tria. Primum est, juris patronatus probatione juxta decretum Concilii Tridentini semel factâ, secutáque à patrono præsentati institutione, si, aliis vacationibus occurrentibus, de competente patronatûs jure dubitatio oritur, ad beneficium præsentatum sine nova probatione instituendum; quia patronus in judicio possessorio fundatam habet intentionem; atque idcirco ratione quasi possessionis jurispatronatûs præsentationes facere potest, donec Ecclesiam vel beneficium liberum esse, in judicio Petitorio evincatur, *citt.* Gonzalez *n. 15.* & Palao *n. 12.*

193. Alterum, exactâ illâ & à Tridentino præscriptâ probatione opus non esse, quando patronatûs jus non adversus alium pro illo agentem est probandum; quia S. Synodus non attingit casum, quô pro patronatus jure in beneficio sibi competente duo litigant: sed eum duntaxat, quô quis, beneficium non collativum, sed patronatum esse, contendit, *citt.* Gonzalez *n. 59.* & Barbosa *n. 67.*

194. Tertium, eandem probationem exactam non exposci, quando patronatûs jus cum persona, ob potentiam de usurpatione suspecta, beneficium suo patronatui subjectum, prætendit persona privata aut Ecclesiastica, in quam usurpationis illius præsumptio non cadit, cùm; quia tali casu, remotâ personâ potente, beneficium liberum non evadit: tum verò; quia beneficiô socii minùs potentis exactæ probationis onere persona potens relevatur, *citt.* Gonzalez *n. 69.* & Lotterius *q. 13. n. 138.*

(o)

ARTICULUS X.

De Juris Patronatûs Amissione & Judicio.

SUMMARIUM.

195. *Jus patronatûs amittitur liberâ Cessione,*
196. *Ecclesiæ patronata accessoriè factâ Unione,*
197. *Non-usu seu viâ Præscriptionis,*
198. *Interitu Ecclesiæ vel doûs,*
199. *Extinctione familiæ &c.*
200. *Suppressione Papæ,*
201. *Cæde Rectoris vel alterius Ecclesiæ beneficiati,*
202. *Et nonnullis criminibus aliis,*
203. *Exigentibus sententiam judicialem.*
204. *Causæ Juris patronatûs in judicio Petitorio Ecclesiastico:*
205. *In Possessorio, cùm reus laicus est. Mixti sunt Fori.*
206. *Publicatio castri &c. afficit annexum Jus Patronatûs:*
207. *Quin tamen hoc cedat Fisco Secularis.*

LEgitimè constitutum & acquisitum Patronatûs jus amitti vel omnino extingui ex variis causis potest.

Primò enim id contingit liberâ Cessione sive ejus remissione, à patrono factâ Episcopo vel Ecclesiæ; ut libera evadat, *c. Unico in 6.* sicut enim, cùm eam aut beneficium Ecclesiasticum fundaret, eam tam à patronatûs, quàm ab aliis juribus fundatori competentibus eximere; sic illum & hæc remittendô eam Episcopi collationi liberæ relinquere potest; cum juri ac favori pro se principaliter introductô

ductò renuntiare cuilibet sit permissum, *c. Si de terra 6. de Privileg. & l. Si quis 29. C. de Pactis*, Paul. de Citadinis *p. & q. 7. n. 17.* Vivianus *Lib. 15. cap. 1. n. 11.*

Cedere autem, sive patronatum, saltem quoad præsentandi jus, Ecclesiæ remittere patronus etiam censetur, si eam in Ecclesiam Collegiatam converti patiatur, juxta dicta supra *n. 28.*

196. Secundò, si Ecclesiam, Capellam vel beneficium Ecclesiasticum Monasterio, vel alteri Ecclesiæ accessoriè uniri, patronus permittat aut patiatur sine patronatûs reservatione; cùm tali unione, sicut Ecclesia vel beneficium Ecclesiasticum, sic etiam in iis competens patronatûs jus censeatur extinctum, per ea, quæ Interpp. tradunt *in c. Cùm accessissent 8. de Constit.* & Lambertinus *Lib. 3. q. 7. art. 10.*

197. Tertiò, non-Usu; quando scilicet patronus ad Ecclesiam vel beneficium vacans neminem præsentavit tempore, ad libertatem contra ipsum præscribendam requisitò; & interea clericus in ea sine præsentatione bis saltem fuit institutus; cùm etiam sic Ecclesia per viam præscriptionis libera evadat, Barbosa *Juris Eccles. Lib. 3. cap. 12. n. 257.* Nisi Ecclesiam vel beneficium eô tempore vacans cum juris patronatûs derogatione contulisset Papa, Vivianus *cap. 1. cit. n. 9.* aut alicujus potentioris violentiâ vel aliâ simili causâ legitimæ patroni præsentationes contra ipsius protestationes fuissent impeditæ, Panormit. *in c. Ex transmissa 10. de Præscript. n. 5. & 14.*

198. Quartò, destructione Ecclesiæ totali aut interitu dotis: quibus jus patronatûs ita amittitur; ut non recuperetur; nisi à patrono reædificetur, aut de novo dotetur, juxta dicta *supra n. 25.*

199. Quintò, extinctione familiæ fundatoris, si ab isto in Ecclesia vel beneficio à se fundato jus Patronatûs pro iis tantùm, qui sunt de familia sive agnatis sit reservatum; tali enim casu cum istis jus patronatûs extingui, & Ecclesiam liberam evadere, ex communi DD. sensu docet Rochus de Curte *V. Ipse vel is, q. 33. in fine.* Dixi, *Si pro iis tantùm sit reservatum*; quia, si patronatus absolutè & non adjectâ hujusmodi particulâ, alios excludente, familiæ reservetur, eum ad illorum deficientium hæredes etiam extraneos, ex legis potiùs quàm hominis provisione transire, cum eodem *V. Competens, n. 2.* & aliis DD. Rotáque defendit Fagnanus *in c. 1. n. 19.* contra Baldum *Vol. 2. Consil. 400. n. 1. & 2.* & Geminianum *Consil. 45. n. 10.*

200. Sextò, suppressione vel ablatione Papæ: à quo tamen, sicut propter plenam circa beneficia, & istorum collationem spectantia jura disponendi potestatem potest, si tolli vel supprimi jus patronatûs Laicale nunquam censetur, nisi ei expressè derogetur, juxta dicta & Covarruviam *Practic. cap. 36. n. 2.*

201. Septimò, cæde Rectoris aut alterius clerici Ecclesiæ, per se vel alium perpetratâ, *c. In quibusdam 12. V. Sacri, de Pœnis* quô tamen crimine, etsi patronatum ipsô jure amitti, ex verbis *Prorsus amittant*, rectè desumat Barbosa *ibi n. 3.* quòd dictio *Prorsus* uti & dictiones *Omnino, Penitus* & aliæ similes sententiæ Jure latæ vim habeant, per notata à Tiraquello *in l. Si unquam 8. V. Revertatur, C. de Revocand. donat. n. 82.* sententiam tamen criminis declaratoriam ad actualem juris patronatûs privationem non immeritò exigit Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 10.*

202. Octavò, si patronus contra decretum Trident. *Sess. 22. cap. fin. de Reformat.* se ingerere in perceptione fructuum beneficii, istiúsve bona usurpare, aut, quod in ipso obtinet, patronatûs jus ven-

dictione vel aliô modô in alios transferre præsumat: aut eô modô, ac proinde simoniacè acquirat, juxta *c. Quia clerici 6.* & Trident. *Sess 25. cap. 9. de Ref.* Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 6. n. 31.*

Nonò, crimine Hæresis; cùm enim omnia hæreticorum bona ipsô Jure confiscentur, *c. fin. de Hæret. & c. Cùm secundùm 19. eâdem Rubr. in 6.* etiam amittent jus patronatûs & Ecclesia libera evadet, Vivianus *cit. cap. 2. n. 27.*

203. Decimò, læsæ Majestatis vel alio enormi crimine, confiscationem bonorum, quibus patronatûs jus accessoriè annexum est, sive ipsô Jure sive per sententiam judicis infligendam inducente, secundùm doctrinam Panormit. *in c. Cùm clerici cit. n. 3.* Paul. de Citadinis *p. 9. q. 2.* & DD. aliorũ. Et quidem, si judex Ecclesiasticus sit, ab eo non tantùm bonorum universitati annexum, sive Reale, sed Personale quoque jus patronatûs, sicut super eo litigantium uni adjudicari, sic etiam ob delictum auferri posse, ut Ecclesia omnino libera evadat, res omnino est explorata.

Dubium autem controversúmque est, an per sententiam privationis super eo principaliter aut factâ ipsius speciali mentione, vel saltem privationis sive confiscationis omnium vel alicujus universitatis bonorũ annexum habentiũ jus patronatûs, hoc auferri etiã possit à judice Seculari. Cujus Resolutio tota pendet ex decisione quæstionis, an Secularis competens judex sit in causis juris patronatûs. Id enim aliqui affirmant, & desumunt partim *ex c. Significavit 41. de Test. & attest.* ubi de juris patronatûs causâ cognovit judex Sabinensis, utique Secularis, & ex *can. Filiis, 16. q. 7.* ubi, cùm in ejusmodi causa adeundus asseritur Rex, indubitatè supponitur, hunc respectu ipsius judicem esse non incompetentem: partim verò à paritate ipsius juris patronatûs: cujus cùm laicos esse capaces extensum sit, capaces etiam erunt jurisdictionis, ad causarum super eo in judicium deductarum cognitionem definitionémque sufficientis.

Sed meliùs ejusmodi causarum in Petitorio, sive cùm de jure quæstio est, cognitionem definitionémque judicis Ecclesiastici propriam esse, cum Lambertino *Lib. & p. 2. q. 3. art. 7. n. 4.* docent Petrus & August. Barbosæ, ille *in l. Divortio 7. §. Si vir 13. ff. Soluto matrim. n. 56.* ille verò *in Collect. & Select. ad c. Quanto 3. de Judiciis, utrobique à n. 1.* & plurimis allegatis Gonzalez *in c. cit. à n. 4.* Rationem reddunt; quòd causa juris patronatûs in Petitorio &, cùm de jure quæstio est, sit rei spirituali annexa, juxta *c. Quanto cit. & c. De jure 16.* & suprà adita *n. 21.* causarum autẽ & quæstionum de rebus spiritualibus hísque annexis in judicium deductarum cognitio, discussio definitióque Fori & judicii Ecclesiastici propria sit, ut expressè decidit. *c. Quanto cit.* ubi propositi nobis juris patronatûs causa Ecclesiæ judiciô definienda asseritur; quòd spiritualibus sit conjuncta & annexa, Glossa *in c. cit. V. Connexa*, Panormit. *n. 2.* & Felinus *n. 1.* cæterique Interpp. ac DD. rationem reddentes eam, quòd connexorum idem sit judicium, *arg. c. Translatô 3. de Constitut. & c. Pruvata 5. de Offic. deleg.* ideóque, sicut quæ Religiosis cohærent, Religiosa, *l. 43. ff. de R. V.* sic ea, quæ spiritualibus annexa & conjuncta sunt, spiritualia & Ecclesiastica censeantur, naturâ assumptâ à digniori & potentiori, scilicet spirituali, à qua temporale tanquam minùs dignum adtrahitur, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles.*

Neque est paritas cùm ipso jure patronatûs; quia laici, ad excitandum in ipsis piarum fundationum studium, ab

Ecclesia

Ecclesia speciali privilegiô habilitati ad Patronatus sunt, *can. Si quis Episcoporum, 16. q. 5. & c. Quoniam 3. &c.* non etiam ad motarum super eo quæstionum & in judicium deductarum causarum cognitionem, *c. Quanto cit.*

Neque aliud evincitur ex *c. Significavit cit.* textu; quia judex, de quo ibi sermo est, non fuit Secularis, sed Ecclesiasticus, scilicet Vicarius ad causarum Ecclesiasticarum cognitionem constitutus ab Episcopo Sabinensi; qui, quòd S.R.E. Cardinalis esset, ratione sui Tituli Romæ residebat, ut cum Cujacio notat *cit.* Gonzalez *n. 9.*

Neque ex *can. Filiùs cit.* Imprimis; quia quoad hoc varias eásque valde dubias habet expositiones; eámque ob causam ad causarum decisionem vix potest allegari, secundùm receptam doctrinam Bartoli *in l. In ambiguo 3. ff. de Reb. dub. n. 2.* & Felini *in c. 1. de Constitut. in fine*, præsertim adversus claram Juris dispositionem, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam restringendam. Deinde; quia eô contentum jus, quatenus seculari potestati favere videtur, *c. Quanto cit. c. Qualiter 17. de Judiciis &c.* correctum & abrogatum volunt DD. apud Barbosam *in can. Filiùs cit. n. 6. in fine.* Et demum; quia ex communi Interpp. sensu in causa Ecclesiæ recursus ad regem ibi permittitur, non tanquam ad judicem, sed vel tanquam ad ejus advocatum & patronum; ut extrajudicialiter curet; ne per dilapidationem Ecclesiæ damnum patiantur: vel, quando Privilegiô Apostolicô aut istius aliquando obtenti constante fama & communi existimatione fulcitur, Martha *de Jurisdict. p. 4. casu 143. n. 4.* Barbosa *cit. n. 6.* & Gonzalez *l. cit. n. 10. & in c. Qualiter cit. n. 5.*

205. Hæc de judicio Petitorio sive, cùm quæstio est de jure, vg. an, cui patronatus, & quæ patrono jura competant vel onera incumbant: quando, quoties, aut cui clericus præsentandus: an patronatûs jus legitimè acquisitum, vel translatum sit in alterum, aut amissum &c. Non de Possessorio &, cùm quæstio est de mero facto, vg. an, quoties, quorum clericorum præsentationes, & cui sint factæ: an vel quis in ejus quasi possessione constitutus, aut in hac turbatus sit, eáve spoliatus; his enim & similibus casibus, si litigantium uterque vel saltem reus conventus laicus sit, judicem etiam Secularem de eo cognoscere posse, multorum DD. authoritate & celeberrimarum Europæ Curiarum praxi allegatâ, haud gravatè concedit Barbosa *Juris Eccles. Lib. 1. cap. 39. à n. 161.* & concessi *Lib. 2. Tit. 2. n. 58.* Unde

Infertur primò, à judice Seculari 206
ferri non posse sententiam privationis juris patronatûs, alicui bonorum universitati non annexi sive Personalis, ut cum Lambertino *Lib. 3. q. 8. art. 8. n. 10. &* Sanchez *Moral. Lib. 2. cap. 19. n. 4.* neque etiam, quando unversitati annexum est, si in ea specialis mentio fiat juris patronatûs, ut cum Panormit. *in c. Quanto cit. n. 9.* docet Vivianus *cap. 2. cit. n. 20.*

Inferunt secundò cum Glossa *in Clement. Pastoralis 2. V. Subjectæ, de Re judicata*, Lambertin. *cit. art. 8. n. 13. & 14.* & Vivianus *cit. cap. 2. n. 22.* prolatâ à judice seculari sententiâ publicationis omnium bonorum vel alicujus istorum universitatis vg. villæ, annexum habentis jus patronatûs, hoc publicatum non censeri: etsi tali casu ejusmodi privationis sententiam ferri ab Episcopo posse, cum Immola *in Clement. cit. n. 72.* velit Lambert. *art. cit. n. 15.*

Sed verisimiliùs est, ejusmodi publicationis sententiâ à judice Seculari prolatâ, etiam indirectè & accessoriè juris patro-

natûs annexi privationem induci, ut cum Glossâ *in can. Filiis cit. V. Propinquâ* & Panormit. *cit. num. 9.* defendunt Rochus *cit. V. Ipse vel is q. 29. n. 69.* & Paul. de Citadin. *p. 9. q. 20. n. 28.* quos aliósque multos refert & sequitur Sanchez *cit. cap. 19. n. 10.* quia tali casu super jure patronatûs nullam cognitionem sibi assumit judex secularis: idque condemnato tantùm in consequentiam aufertur &, sicut villâ aut hæreditate venditâ, amittitur à venditore.

Non tamen, sicut per venditionem rei à venditore ad emptorem, sic etiam publicatis bonis à condemnato ad fiscum transfertur; sed omninò extinguitur; ut Ecclesia libera evadat, ut cum Rocho aliisque DD. *citt.* existimat Vivianus *l. cit. n. 27.* nisi condemnatus habuisset compatronos; tali enim casu, ut culpa suos tantùm authores teneat, *c. Quæsivit 2. de his, quæ à majori & l. Sive hereditatis 22. ff. de Negot. gest.* patronatûs jus penes hos solos remanere deberet, Sanchez *l. cit. n. 5.*

TITVLVS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.

Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum Onus, sicut Jus Patronatûs, sic etiam sunt Census seu Pensiones &c. Prælatis de earum proventibus exhibendæ, & ad hanc Rubricam declarandæ.

ARTICULUS I.

De Censibus.

SUMMARIUM.

1. *Census est pensio de Ecclesiæ redditibus,*
2. *I. Papæ in signum subjectionis vel protectionis:*
3. *II. Episcopo ob honorem Cathedræ:*
4. *Sed huic ab Ecclesiis tantùm Secularibus præstanda.*
5. *Quæ præscriptione tolli nequit:*
6. *Minui potest.*
7. *III. Patrono, si reservata sit in limine fundationis,*
8. *Post quam perfectam pensio nec imponi nec augeri,*
9. *Etiam cum juramento potest,*
10. *Eandem augere vel imponere etiam Episcopus,*
11. *Nisi ex justa causa & cum consensu Capituli non potest.*

CEnsûs nomen hîc non accipitur latè & generatim pro omni eo, quod in certa quantitate annuatim præstatur; quô sensu etiam Tributum, *l. Ætatem 3. pr. ff. de Censibus*, & Canonem seu pensionem in directi vel pristini dominii recognitionem, vel pro rei usu ex Emphyteutico, Censuali vel etiam

etiam Locationis contractu præſtandam, Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 7. n. 1.* & Barboſa *ad hanc Rubric. n. 4.* ſed ſtrictiùs & magis ſpecificè pro annuo reditu ſeu penſione ex Eccleſiæ, Monaſterii vel beneficii Eccleſiaſtici proventibus in recognitionem & ſignum ſubjectionis, exemptionis vel fundationis ſolvendâ, ut *c. Recepimus 8. de Privileg. c. Conſtitutus 6. de Relig. domib. c. Querelam 24. de Elect. & c. Præterea 23. de Jure Patronat.* Vallenſ. & Pirrhing *ad hanc Rubr. uterque n. 1.*

2. Et primò quidem aliquando ſummo Pontifici, vel in ſignum ſubjectionis, vel ſaltem protectionis ſedis Apoſtolicæ, *c. Recepimus cit. c. Ex parte 18. de Privileg.* ut, qui ſub iſtius protectionem ſpecialiter recepti ſunt, Ordinariorum quidem ſubjectioni non ſubtrahantur, ejus tamen vi adverſus violentiam & injuſta gravamina magis ſint tuti; quòd iſta propter majorem reverentiam & illius ſummæ Sedis intuitum ipſis non facilè inferantur, & illata propter illius aſſiſtentiam & protectionis imploratæ ſingularem promptitudinem & efficaciam faciliùs & celeriùs removeantur, ut cum Gloſſa *in c. Recepimus cit. V. Protectionis*, Panormit. *n. 5.* & aliis advertunt Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 1. q. 9. n. 3.* & Barboſa *in c. Ex parte cit. n. 2.*

3. Secundò Epiſcopo in ſignum ſubjectionis & honorem Cathedræ, cui præeſt, à qualibet Eccleſia & Capella ſeculari ſuæ diœceſis ſolvendi ſunt duo ſolidi ſive aurei, *c. Conquerente 16. de Offic. Ord.* aut etiam plus minúsve pro varia conſuetudine locorum: qui propterea Cathedraticum, *can. Placuit 10. q. 3.* vel à Synodo, in qua ſolvebantur, Synodaticum, *c. Olim 20.* vocari conſueverunt, ut *in c. Conquerente cit.* notant Innocent. *n. 3.* & Fagnanus *n. 44.*

4. *A Seculari*, inquam: imò & à Capellis ad Monaſteria pertinentibus, ſive his per unionem incorporatis, *c. fin. de Capell. Monach.* Non etiam à Monaſteriis & Eccleſiis Regularibus; cùm enim Cathedraticum ex parte Epiſcopi conſiſtat in recipiendo, pertinebit ad Legem ejus Diœceſanam, à qua Monaſteria & Congregationes Regulares, earúmque Eccleſiæ generaliter ſunt exemptæ, *can. Inter cætera, 10. q. 3. can. Cùm pro utilitate, 16. q. 1. & can. Quam ſit 5. in fine, 18. q. 2.* Hoſtienſ. *in c. Conquerente cit. n. 12.* & Fagnanus *n. 43.* Ubi

5. Dubium eſt, an Cathedraticum conſuetudine vel potiùs præſcriptione valeat tolli. Communis DD. ſententia affirmat; quòd ita tolli valeant alia jura Epiſcopalia, *arg. c. De quarta 4.* & ipſa etiam ſubjectio, *c. Auditis 15. de Præſcript.* Cur non etiam Cathedraticum? Negant autem Hoſtienſ. *in c. Cùm olim 20. n. 4. arg. l. Comperit. 6. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* ſecundùm quam tributum & cenſus, in ſubjectionis ſignum Principi debiti, nullâ præſcriptione tolluntur: eidémque obnoxia non eſt Obedientia à ſubditis Epiſcopo, *c. Cùm non liceat 12. de Præſcript.* & à viſitatis viſitanti debita, *c. Accedentes 11. & c. Cùm ex Officii 16. eâdem Rubr.* quibus cùm non minùs debitum ſit Cathedraticum, ipſum quoque præſcriptioni obnoxium non eſſe, exiſtimat Engel *ad hanc Rubr. n. 7.*

Utrique Opinioni aliquid, nec malè cum Henric. de Boich. *in c. Olim cit. n. 2.* tribuit Fagnanus *ibid. n. 17.* ubi, licet præſcriptione Cathedraticum, manente ſubjectione, omnino tolli poſſe, cum Hoſtienſi neget, id tamen diminui ejúsque exigendi juri ex parte derogari poſſe, communem ſententiam ſecutus meritò concedit, argumentò deſumptò ex deciſione *c.*

6.

ne *c. Olim cit.* quâ præscriptio denariorum Lucensium pro Papiensibus, quorum unus valore tres Lucenses æquabat, Synodatici seu Cathedratici nomine solutorum ab Innocentio III. ex ea ratione rejecta est; quòd pro Papiensibus Lucenses solummodo triginta sex, non ipsis quadraginta annis; ac proinde minori temporis spatiô soluti sint, quàm adversus Ecclesiam procedens præscriptio utriusque Juris privilegiô requirit, *Auth. Quas actiones C. de SS. Eccles. c. de Quarta cit. & c. Ad aures 6. de Præscript.* Unde cum Glossa *in c. Olim cit. V. Triginta sex* & Panormit. *n. 6.* infertur, si pro illis Lucenses ipsis quadraginta annis soluti fuissent, præscriptionem à Papa reiiciendam non fuisse; ac proinde Cathedraticum istâ diminui posse.

Neque adversus priorem Resolutionis partem à cæteris juribus Episcopalibus rectè ducitur argumentum; quia Cathedraticum præstatur in signum subjectionis: naturali autem rationi & *l. Comperit. cit.* textui æquè repugnat, quòd quis maneat subditus & in subjectionis signum nihil præstare teneatur, quàm quòd à subdito Obedientia non debeatur.

7. Tertiò, census sive pensio ab Ecclesia vel beneficio aliquando solvenda est clericis Episcopo inferioribus, *c. Querelam cit.* & patronis, etiam laicis, quando in fundationis vel dotationis limine eum cum Episcopi consensu sibi reservârunt, *c. Præterea 23. de Jure Patronat. In limine*, inquam, *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati & l. In tra-*
8. *ditionibus 48. ff. de Pactis.* Non postea; quia, postquam Ecclesia vel beneficium in esse jam est constitutum, novus census vel pensio ipsis imponi aut vetus augeri non potest, *c. Prohibemus 7.*
9. *& c. Gravis 15.* Imò novi censûs impositio & auctio veteris ab Ecclesiæ Rectoribus & beneficiatis facta, iisque firmandis apposita juramenta ac fidejussiones irrita sunt, Glossa *in c. Gravis cit. V. Juratoria* & Panormit. *n. 15.* cùm enim juramentum vinculum iniquitatis non sit, *c. Quanto 17. de Jurejurando*, de ejusmodi constitutione auctionéque in Ecclesiæ & successoris præjudicium à Rectore vel beneficiato factum, irritum, imò perjurium potiùs quàm juramentum erit.

Neque pro ejusmodi juramenti valore facit; quòd, qui id præstitit, *c. cit.* jubeatur absolvi; quia hoc præcipitur non quasi iis contracta obligatio relaxetur: sed, quòd ista ejusmodi juratâ promissione non contracta declaretur, Glossa *in c. cit. V. Absolvi.*

Non magis, quàm juramentum, firma est eis accedens fideiussio; cùm enim ipsa censûs constitutio auctióque irrita sit, fideiussio quoque iis accessoria irrita erit, *arg. c. Accessorium 42. de R. I. in 6.* Glossa *in c. cit. V. Fidejussoria.* Ubi

Dubium est, an census novus Ec- 11
clesiis & beneficiis Ecclesiasticis imponi & antiquus augeri possit ab Episcopo eique similibus Prælatis. Ratio dubitandi de una parte est; quòd Ecclesiæ & Ecclesiastica beneficia subiecta sint eius iurisdictioni, *can. Omnes Basilicæ, 16. q. 1. c. Constitutus 6. &c. de Relig. domib.* & propterea eius authoritate census vel pensio, sicut in fundationis limine, *can. Eleutherius 18. q. 2.* sic etiam postea constitui & constitutus augeri posse videatur. De alterâ verò; quòd eius constitutio auctióque Ecclesiis & beneficiis gravis, & ab Episcopo in suam & mensæ suæ utilitatem facta, provenire censeatur ex avaritia: à cuius etiam specie clerici, & vel maximè Prælati alieni esse debent, *c. Cùm ab omni 10. de Vita & honest. & c. Avaritia 10.*

11. *ritia* 10. *de Prabend.* Quarum rationum utrique aliquid tribuendum & Episcopo, etiam Capituli consensu accedente, neganda quidem est constitutio auctióque censûs seu pensionis annuæ sibi aut etiam Capitulo obventuræ, adstruenda tamen est, quando ea ex iusta causa imponenda & aliis est obventura, iuxta dicta *Tit. 13. à n. 13.*

ARTICULUS II.

De Exhibitione Monetæ in Censuum aliorùmq; debitorum pecuniariorum Solutione.

SUMMARIUM.

12. *Moneta æstimatur à materia, pondere, valore.*
13. *Est autem ejus valor,*
14. *Istiúsque mutatio alia Intrinseca alia Extrinseca.*
15. *Utrúmque valorem Princeps mutare potest,*
16. *Etiam sine consensu subditorum vel statuum:*
17. *Nisi ille exigatur Jure speciali.*
18. *Mutationis justa causa, non est privata utilitas ipsius Principis:*
19. *Sed communis & urgens necessitas Reipublicæ.*
20. *Debita solvenda sunt in moneta deducta in obligationem:*
21. *Nisi ista haberi facilè non possit,*
22. *Vel publicâ authoritate sit reprobata,*
23. *Aut illius solutioni legitimè præscriptum.*
24. *Ex monetæ mutatione proveniens damnum nocet morosò debitori.*
25. *Valoris extrinseci auctio & diminutio pertinet ad debitorem:*
26. *Ut in debitorum solutione istius tempus attendatur,*
27. *Sive authoritas DD. & Imperii Recessus,*
28. *Sive ratio & consuetudo spectentur:*
29. *Nisi mutatio facta sit privatâ authoritate.*
30. *Valore monetæ intrinsecè mutato, aliqui Contractûs:*
31. *Alii Solutionis tempus spectandum, volunt,*
32. *Séque fundant in tergemina ratione:*
33. *In Praxi veteris Reipublicæ Romanæ,*
34. *Et solutione in contrarium ex textibus Canonicis,*
35. *Et ratione objectorum.*
36. *Authoris ea de re sensus.*
37. *Valore monetæ enormiter mutatò, in solutione tempus Contractûs attenditur:*
38. *Nisi eadem vis & usûs sit monetæ probæ & depravatæ,*
39. *Aut mutatio stabilis, vel consuetudine aliud receptum.*
40. *Nummi legati secundùm valorem, qui conditi testamenti:*
41. *Depositi secundùm eum, qui contractûs tempore fuit, sunt exhibendi:*
42. *Nisi Depositio Mutuum sit admixtum:*
43. *Solutio exhiberi potest in pecuniæ æroſa & minuta:*
44. *Non tamen tota, si debitam notabile sit.*

ANsam difficillimæ huic materiæ ad propositam hanc Rubricam discutiendæ præbent ei subjectæ geminæ definitiones 12.

nitiones *c. Olim 20. & c. Cùm Canonicis 26.* quarum priori Innocentius III. posteriori Gregorius IX. Census eâdem hodie, quâ olim exhibiti sunt, aut æquivalente ei moneta solvere jusserunt, secundùm communem *cc. citt.* intellectum: qui, an verus perpetuúsque sit, ut planiùs constet, quædam præmittere juvabit.

Primum est, monetam sive nummum æstimationem habere à bonitate materiæ seu metalli, istius pondere, formáque & lege publica, quâ cusa signatáque & valor ei impositus est, *l. 1. ff. de Contrab. empt. & l. 1. C. de Vet. numismat. potest*, Laiman. *Lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 5. n. 2.* & Bruneman. *in l. 1. cit. n. 3.*

13. Alterum, monetæ valorem seu æstimationem alium esse Intrinsecum, An Schrod vnd Korn / quem ea ex materiæ seu metalli bonitate, sive ejus præstantia, puritate & qualitatibus naturalibus & pondere communique gentium apprehensione & affectione habet: alium Extrinsecum der Werth / geuge vnd gebe / qui ei confertur à potestate publica Principis vel alterius similis Magistratûs: ex cujus voluntate & ordinatione publicata licet valor monetæ extrinsecus, manente eâdem bonitate ac pondere, varius esse possit, tantò tamen justior erit, quantò propiùs ad bonitatem intrinsecam accedit: &, quantò ab ista recedit longiùs, tantò à Justitia remotior saltem materialiter erit, *cit.* Laiman. *n. 3.*

14. Tertium est, mutationem quoque valoris sive æstimationis monetæ aliam esse Intrinsecam, aliam Extrinsecam. Intrinseca fit alteratione monetæ seu metalli quoad bonitatem vel pondus: ut cùm auro cuprum, argento æs, stannum, plumbum additur vel detrahitur; ut materia deterior aut melior evadat: cùm vel minuitur vel augetur pondus. Extrinseca verò, cùm, metalli bonitate & pondere manente, moneta pluris vel minoris fit publicâ authoritate, vg. ejusdem præstantiæ ac ponderis nummo aureo, qui nunc valet quatuor, quinque aut trium duntaxat florenorum valorem tribuendo; quibus mutationis speciebus addi potest tertia, ex utraque Mixta; quòd eâ simul alteretur qualitas vel pondus metalli & authoritate publica valor extrinsecus augeatur vel minuatur, *cit.* Laiman. *n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 21.*

Dubium nunc primò est, quâ authoritate monetæ valor mutari possit. Solâ Principis sive similis Magistratûs vel à tali communicatam aut immemoriali tempore præscriptam potestatem habentis authoritate, sicut tributa aliasque exactiones imponi, sic & cuilibet monetam istiúsque valorem mutari posse, liquet ex *l. 1. l. Si quis nummos 1. C. de Falsi. monet.* & *Ordinatione Monetaria*, quâ valoris monetæ mutatio quicunque sub confiscationis aliísque gravibus pœnis à Ferdinando I. interdicta est anno 1559.

Imò, quæ ab ipso Principe, superiorem in temporalibus non recognoscente, sine consensu populi facta quondam erat, ab Innocentio III. reprobata est *c. Quantò 18. de Jurejurando.* Ut de generaliter ejusmodi mutationem a Principe arbitratu suo & sine populi consensu fieri non posse, D. Thomæ Opusc. *de Regim. Princip. Lib. 2. cap. 13.* Joan. Andr. *in c. Quanto cit. n. 2.* Panormit. *ibid. n. 1.* & aliorum DD. communis est sententia. Quam, licet ad varia & publica incommoda evitanda ubique obtervari expediret, & necessarium omnino sit in provinciis, in quibus, ut in Hungariæ Regno *c. Quantò cit.* Reipublicam spectantia majoris momenti aut monetaria saltem negotia ejusmodi con-

sensu adhibitô decerni consueverunt vigore Concordatorum seu Pactorum, inter Principem & subditos vel Status, ut vocant, initorum, præsertim juratorum, per ea, quæ in simili materia de novarum exactionum impositione dicentur *n.* 77. cessantibus tamen hujusmodi pactis & juribus specialibus, cùm justa causa exposcit, mutationem valoris monetæ, tam intrinseci quàm extrinseci, à Principe, ejusmodi consensu & consiliô non adhibitô, fieri posse, censent Covarruv. *de Collat. Vet. num. cap. 7. n. 6.* Ant. Faber *Instit. Quibus mod. oblig. toll. pr.* 17. Gibalinus *de Negotiat. Lib. 2. cap. 4. art. 13. n. 3.* & Laiman *cit. cap. 5. n. 7.* docétque praxis modernorum, licet non optimorum & à veterum morum honestate rigoréque Canonum multùm recedentium, temporum praxis: quâ etiam passim invaluit mos privatorum ob commoditatem, quam in cambio aliáve negotiatione &c. afferunt, nummos aureos argenteâ majoris eô, qui publicâ authoritate impositus est, valoris monetâ comparantium & cum ista permutantium. Quem morem Sylvester *V. Usura 4. q. 3.* Navarrus *Manual. cap. 25. n. 91.* Sotus *Lib. 6. de Justit. q. 9. art. unic.* & Covarruv. *cit. cap. 7. à n. 3.* ab injustitia absolvunt; quòd, licet ut argenteorum, sic & aureorum numerorum proprius usus sit, constituere pretium rerum in venditione, *l. 2. cit.* & pro hoc usu æstimationem taxatam lege & à subditis observandam habeant: præter hunc tamen & proprium usum etiam impropriùm habeant in cambiis, in deportatione, in inauratione in annulorũ, inaurium &c. confectione &c. pro cujusmodi usibus, cùm æstimationem lege taxatam non habeant, in permutatione pro iis cum alia moneta legalis & propriũ usum spectans æstimatio aliquantùm poterit excedi.

Dubium secundò est de causa mutandi valorem monetæ. Quam, exploratum est, gravissimam esse oportere; quòd ejus mutatio subditorum aliquibus lucrum, aliis damnum ingens afferre, perturbare commercia & negotiationes, rerum venalium augere pretium & caritatem inducere, fœneratorum sordibus & innumeris fraudibus ansam præbere soleat. Quorum aliorúmque incommodorum gravitas fere omnibus alicujus nominis ac notæ DD. persuasit, ex solius luxûs ac pompæ augendæ, implendi ærarii & magnæ auri argentíque copiæ conflandæ causis ad eam sine gravissimo injustitiæ peccato deveniri non posse; quòd neque Princeps neque alius Reipublicæ Magistratus fortunarum seu bonorum, quæ privati habent, dominus sit: &, his invitis, de illis arbitratu suô in suum commodum disponere nequaquam possit, Panormit *in c. Quanto cit. n. 11.* Gabriel *in 4. Sent. dist. 15. q. 9. art. 3. dub. 1. cit.* Laiman. *n. 9.* & Gibalinus *cit. cap. 4. art. 13. n. 4.* 18.

Quare hi aliíque DD. ad eam mutationem urgentis magnæ necessitatis aut evidentis utilitatis publicæ causam exposcunt: ut vg. est propulsatio calamitatum, Reipublicæ vel Religioni ex urgente, valde difficili, periculoso & aliis mediis insuperabili bello impendentium. Ex cujusmodi tamen etiam causa, licet publicô Edictô monetæ valor tam intrinsecus quàm extrinsecus mutari valeat, iidem tamen consultum censent Imprimis; ut, materiâ intrinsecè sive per sequioris metalli admixtionem non vitiatâ, proborum nummorum extrinsecus & impositítius valor augeatur & ad excludendas improborum hominum fraudes propositis severissimæ animadversionis pœnis vitiata & adulterina moneta penitus interdicatur; quòd ita minus detrimenti 19.

Reipublicæ quàm quavis alia mutatione inferatur, illata damna faciliùs tollantur, résque Numiaria ad priſtinum ac meliorem ſtatum faciliùs reducatur. Deinde monent; ut, quando, juſtâ & graviſſimâ causâ urgente, monetæ valor extrinſecè valde exceſſivè auctus vel nummi ex ærea aliáve deteriori materia percuſſi & expoſiti ſunt, non ſolùm moneta ad priſtinum valorem ac ſtatum reducatur: ſed inſuper ſubditis damnum, quod ex mutatione ſubſecutum eſt, deterioribus receptis & melioribus nummis repoſitis reſarciatur: quòd à Friderico II. Imperatore & nonnullis aliis integrâ fide promiſſum præſtitúmque eſt, apud Franc. Hotoman. *Lib. Illuſtr. q.* 15. & Gibalinum *art. cit. n.* 5.

20. Dubium tertiò hujúsque loci principalis & valde controverſa quæſtio eſt, quâ monetâ cenſus aliáque debita pecuniaria ſolvenda ſint poſt nummorum valorem mutatum & auctum vel diminutum. Cujus reſolutio pendet à cenſûs conſtitutione vel conventione, quâ debitum eſt contractum, & ex communi DD. ſententia etiam à modo, quô monetæ valor eſt immutatus.

Primò enim, ſi in cenſûs conſtitutione vel contractu certa monetæ ſpecies & numerus, ſicut ob periculum mutandi valoris aliquando ſolet, in obligationem ſunt deducta, ea ſpecies & nummerus in ſolutione exhibenda ſunt: ut ſuperveniens mutatio valoris quæcunque creditoris commodo vel incommodo cedat, ut *arg. l. Creditorem, aliàs l. Paulus 99. ff. de Solut.* cum Bartolo *in l. cit. n.* 3. Panormit. *in c. Quanto cit. n.* 15. & Interpp. aliis docent Covarruv. *cap. 7. cit. §. Unic. n.* 5, *concluſ.* 7. Anton. Faber *de Var. Num. deb. Solut. cap.* 3. *n.* 2. Frid. Martini *de Jure Cenſ. cap.* 5. *n.* 116. Molina *Tract.* 2. *de I. & I. diſp.* 312. *n.* 9. *cit.* Laiman. *n.* 13. & 14. Gonzalez *in c. Cùm canonicis cit. n.* 5. Rationis locô eſt Regula 85. *in* 6. *Contractus ex conventione legem accipiunt*: cujus eíque conſonæ *l.* 1. § 6. *ff. Depoſiti* vigore generatim, cùm in obligationem deducta certa ſpecies eſt, præſtanda ea, neque alia pro alia, invitô creditore ſolvi poteſt, *l. Mutuum* 2. §. 1. *ff. de Reb. Credit.* ut, ſive ejusmodi ſpeciei valor & æſtimatio augeatur, ſive diminuatur, ex mutatione proveniens commodum & incommodum, ſaltem ſi debitor in mora non fuit, pertineat ad creditorem.

Neque, hôc caſu in quavis ejusdem æſtimationis & valoris moneta ſolutionem exhiberi poſſe, inde evincitur; quod in nummis non tam ſubſtantiæ quàm poteſtatis ſeu æſtimationis ratio habeatur, *l.* 1. *pr. ff. de Contrab. empt. & l. Qua extrinſecus* 65. *ff. de V. O.* cujus §. 1. Florentinus ICT.° reſpondit, ſtipulationi nihil obeſſe, cùm ſtipulanti denarios argenteos aurei promittuntur ejusdem quantitatis. Unde debiti pecuniarii, mutuô acceptis mille aureis, contracti, ſolutionem in quavis proba & ejusdem valoris moneta fieri poſſe, deſumit Pichineus *Lib.* 2. *Controverſ. cap.* 40. §. *Sed contrarium*, pro ſe conſuetudinem allegans. Sed perperam; quia ea conſuetudo ſolùm obſervatur, quando ob ſolutione in certæ ſpeciei moneta facienda expreſsè non conventum; hôc enim caſu ſolutio in quavis proba moneta fieri poteſt; &, ſi debitum, creditis nummis aureis contractum, argenteis ejusdem valoris nummis ſolvatur, aliud pro alio ſolutum non intelligitur; quòd ejusdem valoris nummi aurei & argentei recipiant functionem, eundémque præſtent uſum & utilitatem, *l.* 1. & *l. Qua extrinſecus cit.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 35.

Excipitur tamen ab hac Reſolutione [illegible] & in

& in aliis ejusdem valoris nummis solutio exhiberi potest Primò, quando in obligationem deducta certa species non facilè potest haberi, *l. Si se 4. §. 3. ff. de Re judic.* & alterius præstatio nihil incommodi vel damni est allatura creditori, *l. Creditorem cit.* Mynsinger *Cent. 4. observat. 1. n. 6.*

22. Excipitur secundò casus, quò in obligationem deducta moneta authoritate publicâ est reprobata: quò tamen casu debitorem, quasi solutio impossibilis reddita sit, liberari perperam existimat Faber *l. cit.* quia in hujusmodi contractibus præsertim reciprocis & onerosis debitor ad duo, scilicet ad solvendam æstimationem pecuniariâ, & ad hujus solutionē in certa specie exhibendā obligatur: quæ obligationes cùm dividuæ sint, earū posteriore impossibili redditâ, remanet prior; ne utilis per inutilem vitietur contra *Reg. 37. in 6.* Quare debitor, specie omnino pereunte vel reprobatâ, solutionem in alia probata ejusdem æstimationis pecunia exhibere tenetur *arg. c. Olim cit. ubi* Glossa *fin.* Panormit. *n. 4.* Gaill. *Lib. 2. observat. 73. n. 7.* Mynsinger *cit. n. 6.* & Laiman. *n. 14.*

Excipitur tertiò casus, quò debitor censûs vel alterius debiti pecuniarii majorem partem solvit in moneta deducta in obligationem, & unus altérve ejus rationis nummus deficit; hujus enim defectum aliâ specie suppleri & hanc admitti, æquitas poscit, Molinæus *de Commerciis q. 91. & cit.* Martini *n. 120.*

23. Excipitur quartò, nisi censui, in certa moneta debito Ecclesiæ, quadraginta, vel debito alicui privato creditori triginta annorum spatio, bonáque fide continuata alterius, sive æqualis sive minoris valoris, monetæ solutione sit præscriptum, *arg. c. Olim cit.* junctis *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. de Præscript. & l. Sicut 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. cit.* Martini *n. 123.* & Fagnanus *in c. Olim cit. n. 21.* ut dictum *n. 6.*

24. Secundò, si initiò quidem de certa specie & numero inter creditorem & debitorem non convenit: sed tamen iste interpellatus solutionem debito tempore & loco, cùm posset, non exhibuit & fuit morosus, monetæ valore culpabilis moræ tempore mutatò, solutionem exhibere debet secundùm valorem, qui ante moram fuit; ut, si nummus aureus ante moram trium, post hanc autem quatuor florenorum valorem habeat, ad solvendum trecentorum florenorum debitum centum & non tantùm septuaginta florenos creditori adnumerare teneatur, & ex mutatione proveniens damnum non ad hunc, sed ad morosum debitorem pertineat, Bartol. *in l. Creditorem cit. n. 8. citt.* Covarruv. *§. Unic. n. 4.* Martini *n. 75.* Wadingus *de Contractibus disp. 8. dub. 4. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 27.* Ratio est; quia *Mora sua cuilibet nociva est*, ut habet *Reg. 25. in 6.* ut ex ea provenientia damna & incommoda ipse, non creditor solutionis dilatione delusus, debeat perferre, *l. In hac actione 3. ff. de Condict. tritic. & l. Ratio 3. §. fin. ff. de Act. empti.*

25. Tertiò, si absque certæ speciei & numeri designatione solummodo certa quantitas pecuniæ vg. centum floreni in obligationem deducti, & postea monetæ valor extrinsecus mutatus fuerit, in solutione quantitas illa sive centum floreni exhibendi sunt, sive superveniente mutatione nummorum valor auctus sit, sive diminutus; ut valoris extrinseci augmentum vel decrementum pertineat ad debitorem: & iste vg. ter mille florenorum debitum, quod mutuò acceptis mille aureis, quorum singuli contractûs tempore tres florenos valebant, contra-

xit, hodie, quô tempore singuli aurei quatuor florenos valent, adnumeratis septingentis quinquaginta aureis ex solvere valeat: & contrà, si hodie ter mille florenorum debitum, mutuô acceptis trecentis quinquaginta aureis nummis, quorum singuli quatuor florenos valent, contractum post aliquot annos exhibitis mille aureis exsolvere teneatur, si eo tempore aurei valor diminutus & ad tres florenos redactus fuerit, ut cum Fabro *ad Rubric. Instit. Quib. mod. oblig. toll. citt.* Molinæo *q. 92.* Covarruv. §. *Unic. n. 3. in fine*, Mynsing *Observat. 1. cit.* Martini *n. 66.* & ICT.is aliis ex TT. docent Sotus *Lib. 6. de Justitia q. 1. art. 2.* Molina *cit. disp. 212. n. 2. & 3.* & Laiman. *cap. 5. cit. n. 15.* qui aliique DD. licet non eôdem omnes modô loquantur, & in debitis pecuniariis, in quibus monetæ certa species certô numerô exhibenda in obligationem deducta non est, aliqui Contractûs, alii Solutionis tempus attendendum, asserant, reipsa tamen in hanc sententiam, ut explicata est, omnes conspirant; cùm, qui Contractûs tempus inspiciendum ajunt, aliud non velint, quàm attendendam quantitatem debiti, vg. mille florenorum, qui ex contractu mutui, quô mille aurei crediti sunt, debentur: ii verò, qui tempus Solutionis inspiciendum dicunt, aliud non velint, quàm spectandum pecuniæ vg. aureorum valorem, qui est tempore solutionis, & secundùm quem ista est exhibenda; ut, si solutio exhibeatur in aureis, istorum major, si singulorum valor imminutus: &, si auctus est, minor numerus debeatur, ut pro *citt.* DD. in concordiam reductione rectè adnotârunt Laiman. *cit. n. 15.* §. *Adverte*, & ex Collegii nostri Juridici Antecessoribus Ferd. Weizenegger *QQ. Monetar. q. 3. n. 10.*

26.

27. Sic declarata Resolutio imprimis a- pertè colligitur ex *Ordinatione Monetaria*, facta à Ferdinando I. 1559. quâ floreni Rhenensis aurei valor, qui ante secundum *Recessum Comitiorum* Augustæ 1551. celebratorum §. Nemblich als sich bißhero octodecim baciorum erat, eâdem bonitate manente, tribus crucigeris auctus & debitoribus facultas data est, illos in hoc valore exponendi & debita solvendi. Unde perspicuum, augmentum valoris prodesse debitori: & hinc consequens est, eidem & decrementum nocere; ne mutationis alius percipiat commoda, alius incommoda perferre cogatur, contra rationem Æquitatis naturalis & in ista fundatam Ecclesiastici juris Regulam, *Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & contrà*, quæ est *55. in 6.* Deinde evincitur ratione; 28. quia valoris sive æstimationis monetæ auctio & diminutio publicâ authoritate eô fine decernitur ac promulgatur; ut secundùm eam mercationes & debitorum pecuniariorum solutiones fiant, *l. 1. ff. de Contrab. empt.* Unde, sicut initiô impositum, sic etiam auctum vel diminutum monetæ valorem, hôc ipsô; quòd publica Ordinatio justa sit, in mercationibus & debitorum solutionibus observari necesse est, per text. *c. 1. de Constitut. ll. Leges 3. & 9. C. de LL.* Demum pro eadem Resolutione facit Consuetudo seu Praxis Imperii Provinciarum ac Civitatum, in quibus, monetæ valore publicâ Ordinatione mutatô, debitores incrementum, quod pricri valori accessit, in solutione, retentis aliquot nummis, deducere solent: & contrà decrementum sive id, quod veteri valori detractum est, additis aliquot nummis, supplere coguntur, teste, itáque in Imperiali Camera judicarum, asserente Mynsingero *Observat. 1. cit.*

Huic tamen Resolutioni locus non est, si

est, si valoris monetæ mutatio non Principis aut alterius legitimi magistratûs authoritate publicâ, sed merè privatâ, sive improbitate fœneratorum, mercatorum, campsorum sit introducta; cùm nummos in solutionibus secundùm valorem hujusmodi hominum, usu auctum creditores nec teneantur recipere, neque secundùm valorem illô diminutum exigere à debitoribus possint, *citt.* Laiman *n. 16.* & Pirrhing *n. 30.* Nisi ejusmodi privatâ authoritate introductus valor nummorum communi populi usu observatus decenniô fuisset; cùm, eô tantô tempore uniformiter & sine interruptione continuatô, jus Consuetudinarium, publicæ Ordinationis vim obtinens, induceretur, ut *arg. c. fin. de Consuetud. & Rubricæ C. Quæ sit longa Consuet.* dictum *Lib. 1. tit. 4. n. 30.*

30. Quartò, si absque certæ speciei & numeri designatione certa quantitas vg. mille florenì in obligationem deducti sint, & postea monetæ valor intrinsecè mutatus, solutionem in antiqua, sive impositi Censûs vel debiti contracti tempore recepta moneta, vel si talis non extet, aut haberi nequeat, secundùm valorem & æstimationem in currente moneta (sive ista intrinsecè deterior sive melior antiquâ sit) exhibendam, cum Bartolo *cit. n. 6.* Panormit. *in c. Quantò cit. n. 12.* Innocentio *in c. Olim cit. pr.* & Interpp. aliis defendunt *citt.* Martini *n. 125.* Covarr. *§. Unic. n. 2.* Fachineus *cap. 10. §. Restat,* Laiman *n. 17.* Fagnanus *in c. Olim cit. n. 4.* Pirrhing *n. 22.* & alii, pro hac sua Resolutione allegantes palmares, ut communiter existimantur, textus *c. Olim & c. Cùm Canonicis citt.* quorum priori clerici ad censum, Synodatici nomine Episcopo in denariis Papiensibus, illius constituti tempore receptis, vel si non extent, secundùm eorum æstimationem, non in Lucensibus, secundùm intrinsecum valorem diminutis, solvendum condemnati: posteriori Ecclesiæ Cathedralis canonicis adjudicata pensionis solutio est in moneta antiqua deterioris valoris, quàm erat nova, pro qua illi agebant: vel si antiqua non extet, in nova secundùm æstimationem antiquæ. Rationem reddunt; quia Justitia Commutativa exigit; ut in omni debito pecuniario præstetur id, quod in obligationem est deductum: in obligationem autem deducta censetur præstatio monetæ ejus bonitatis ac ponderis, cujus erat tempore impositæ vel contractæ obligationis; ut consequens sit, solutionem in ea moneta, quæ obligationis impositæ & contractæ tempore in usu fuit, exhibendam ex sententia JCTi Pomponii, qui *l. Cùm quid 3. ff. de Reb. credit.* ait, *In contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis & eâdem bonitate solvatur, quâ datum est.* Atque huic doctrinæ in omni debito pecuniario, in quo de nummorum certa specie & numero solvendo inter contrahentes non convenit, locum esse, volunt DD. *citt.* dummodo monetæ antiquæ per novæ solutionem, bonâ fide legitimóque tempore continuatam, non sit præscriptum, *arg. c. Olim cit.* junctis *c. Ad aures & l. Sicut citt.* Fagnanus *in c. Olim cit. à n. 14.* & Pirrhing *num. 26.*

31. Sed, licet Resolutio hæc Theologorum, & Canonistarum præsertim, communi calculô approbata sit, non desiderantur tamen magni nominis DD. qui valore monetæ etiam intrinsecè mutatô sive metalli bonitate vel pondere diminutô auctóve, debitoribus patrocinentur & Censuum aliorúmque debitorum pecuniariorum solutiones ab iis in moneta secundùm valorem ejus præsentem ritè fieri, asserere non dubitent; id enim cum

Geminiano *Consil. 137.* Lud. Romano *Consil. 123.* Fabro *in Auth. Hoc nisi C. de Solut.* Hotoman. *Lib. Illustr. q. 15.* ex RR. sustinent Menoch. *Consil. 49. à n. 8. cit.* Molinæus *q. 100. n. 11.* Wadingus *de Contract. disp. 8. dub. 6 n. 4.* Pontius *de Potest. Princip. Monet. q. 3. & 4.* Gonzalez *in c. Cùm Canonicis cit. n. 6.* laudatus Waizenegger *q. 4. à n. 15.* & alii ab his relati; & non levibus ducti momentis rationum: quarum

32. Prima est; quòd, cùm Princeps ordinatione publicâ, quâ ex causa urgentis publicæ necessitatis aut evidentis utilitatis valorem monetæ sive extrinsecè sive intrinsecè mutat, subditis præcipiat; ut monetam secundùm impositum novum valorem in commerciis & solutionibus observent, ea secundùm talem valorem in commerciis & censuum aliorúmque debitorum pecuniariorum solutionibus valeat expendi & recipi debeat; quia legem justam publicè promulgatam subditi observare sine tergiversatione & contradictione tenentur, per textus *c. 1. de Constitut. ll. Leges 3. & 9. C. de LL.* & tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 72.* Ordinationes autem Monetariæ perinde, ut Tributariæ aliæque leges ex publicæ necessitatis aut evidentis utilitatis causa latæ, non obstante damno ac præjudicio, quod privatis quibusdam afferunt, justæ sunt hôc ipsô; quòd Princeps ex ejusmodi causa de rebus ac bonis subditorum disponere & privatorum juri derogare valeat, Panormitan. *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut. n. 11.* Felin. *in c. cit. n. 26.* Gaill. *Lib. 2. observat. 26. n. 3.* & Pirrhing *ad Rubr. de Constitut. n. 19.* Confirmatur hæc ratio; quia damnum & præjudicium, quod hujusmodi ordinatio monetaria subditis aliquando affert, ii, quos tangit, publici boni intuitu, non minùs æquô animô, quàm id, quod ex Tributaria & Usucapionum ac Præscriptionum legibus sentiunt, perferre debent; quòd privatum ipsorum bonum cedat publico; quod universalius præstantiúsque est, *Novell. 39. cap. 1. pr. V. Sanctimus* & hujusmodi Ordinatione non minùs quàm Tributariis & Præscriptionum legibus conservatur ac promovetur.

Secundò; quia nummi non tam ex materia, quàm ex quantitate, hoc est, valore ac potestate, publicâ authoritate impositâ æstimantur, *l. 1. pr. ff. de Contrah. empt.* cùm, si non tam valor & potestas imposititia, quàm materia spectanda esset, massa non signata tantùm valeret, quantùm signata & percussa: quod communiter reprobari ostendit Cagnol. *in l. fundum 2. C. de Pact. inter empt. n. 25.* Cui non officit; quòd nummi certa & perpetua æstimatio esse dicatur *pr. cit. & l. Nummi 3. ff. de In lit. jurando*; quia talis impositia Jure censetur hôc ipsô, quòd lex, quâ imposita est, naturâ sua stabilis ac perpetua sit, durétque, donec, mutatis rerum circumstantiis novâ lege, quod olim rarissimè evenit, aliud statuatur, ut *l. cit.* Hotomannus probè advertit.

Tertia; quia creditor non plus damni patitur, si debitorum mille florenorum solutio ipsi in nummis aureis quoad valorem intrinsecum mutatis, quàm si in mutatis quoad valorem solùm extrinsecum exhibeatur; cùm utràque solutione debitos sibi mille florenos consequatur, eô solum discrimine; quòd priori solutione mille floreni in nummis quidem minùs probis quoad materiam, sed tamen pluribus; posteriori verò in probis quidem, sed paucioribus ipsi adnumerentur; ut quantùm posterior solutio priorem bonitate nummorum, tantùm ista illam numerô excedat. Cùm ergo secundùm contrariæ Opinionis Assertores plerosque

calò,

casu, quò certa species & numerus nummorum in obligatione non est, solutio fieri queat in nummis quoad valorem extrinsecum mutatis, eadem fieri poterit in nummis quoad valorem intrinsecum mutatis secundùm eorum æstimationem præsentem; cùm, sicut in illa solutione defectus numeri nummorum materiæ bonitate, sic in ista defectus bonitatis materiæ nummorum numerò compensetur.

33. Confirmat hanc Opinionem Praxis Reipublicæ Romanæ Veteris, in qua imprimis ex auri libra Romana ab initio conflati sunt quadraginta octo vel quinquaginta solidi: postea sub Impp. Constantino centum, sub Valentin. septuaginta duo ejus modi aurei percussi sunt. Simili modo As, qui initiò libralis sive duodecim Unciarum erat, cum tempore sextantarius sive duarum unciarum, tum uncialis & demum semiuncialis evasit: qui tamen solidi, uti & asses, licet ponderis essent inæqualis, æqualem tamen valorem & vim in solutionibus habebant. Deinde in eadem Republica denariis, qui initio ex puro argento percussi erant, cum tempore pars octava æris, & tandem, necessitate publicâ urgente, sequioris istius metalli tantùm admiscebatur; ut penè ærei evaderent: similíque modo aureis veteribus quoad puritatem materiæ deteriores suffecti eandem, quam illi, vim in solutionibus obtinuerunt. Quæ atque ex aliis Historicorum monumentis deprompta exempla & momenta etiam rationum si considerentur, Opinionem hanc à veritate non aberrare, ait Berlichus *Practic. p. 2. conclus. 35. n. 35. ad finem*, licet ipse, aliorum DD. & Principis præsertim sui authoritatem secutus, contrariam amplectatur, & pro ea ex Jure allegatis textibus *c. Olim & c. Cùm Canonicis citt.* quasi certam interpretationem semper habuerint, subjiciat *l. Minimè 23. ff. de LL.*

Sed hoc immeritò; quòd communiter receptus utriusque *cc.* intellectus cum præfixis utrique Summariis non omnibus probetur, & ritè intellecti textus illi communi Opinioni non suffragentur.

34. Prior sive *c. Olim cit.* quia in ejus casu Episcopo Spoletano à Rupinensibus clericis Synodatici nomine simpliciter debiti &, tam in Nativitatis quàm Resurrectionis Domini festivitatibus, solvendi erant tres denarii Papienses, vel eorum pretium in moneta currente: cujusmodi denariorum singulorum æstimationem cùm denarii Lucenses initiò tres, postea istorum valore intrinsecò mutatò, septem cum dimidio facerent, & clerici, qui initio tres Papienses, postea pro eorum singulis tres & pro tribus novem Lucenses solvissent: & post factam valoris intrinsecam mutationem, cùm hujusmodi novem denarii tres Papienses non amplius æquarent, nihilominus pro singulis Papiensibus non nisi tres; ac proinde pro tribus non nisi novem Papienses solvere vellent & triginta sex annis solvissent, re ad sedem Apostolicam delatâ, Innocentius III. clericos ad trium denariorum Papiensium in Natalis Domini & Paschatis festis solutionem, vel eorum æstimationis in moneta currente exhibitionem Episcopo condemnavit; quòd Papiensium solutioni spatiò triginta sex annorum, quibus Lucenses tres pro singulis Papiensibus soluti erant, non potuerit præscribi, *c. Ad aures 6. & c. Illud 8. de Præscript.* Quæ ex Decretalis *c. Olim cit.* relatæ integrâ lectione à Gonzalez reddita & *n. 4.* declarata, facti species atque Apostolica decisio ei, pro qua allegatur, & communi Opinioni nihil patrocinatur; cùm in denariis Papiensibus, qui soli debiti & adjudicati sunt, ulla mutatio non intervenerit: sed solummodo in Lucensibus, qui debiti non erant, & olim pauciores, postea plu-

ſtea plures tres denarios Papienſes adæquârunt, Menoch. *cit. Conſil. 49. à num. 32.* & Gonzalez *in c. Cùm Canonicis cit. n. 6.*

Poſterior ſive *c. Cùm Canonicis cit.* quia in ejus caſu agebatur de certa penſione Canonicis à presbytero ſolvenda in moneta communi ſive Turonenſi, quæ nihil immutata &, tam intrinſecò quàm extrinſecò valore ſpectatò, minor ac deterior erat Pariſienſi: Canonici autem illam ſolvi volebant in Pariſienſi, quæ mutata & utrôque illô valore ſpectatò ſolutionis tempore major erat. Quâ re ad ſedem Apoſtolicam delatâ, petitionis injuſtitiam agnoſcens Urbanus III. aut ex eo Gregorius IX. penſionem canonicis in moneta Turonenſi nihil mutata, in qua debita & priùs ſoluta fuit, vel ſecundum ejus æſtimationem & valorem extrinſecum in moneta currente ſolvi præcepit; ut quantitatem ſibi debitam ſive in deteriori ſive in pretioſiori moneta Canonici conſequerentur, ut laudatus Gonzalez *in c. cit.* eruditè oſtendit *n. 1. & 7.* Qui & *c. cit.* verus, atque iſti conſonus intellectus Menochii *l. cit. n. 36.* ei, pro qua adduci ſolet, Opinioni ullum patrocinium non præſtat.

35. Pro eadem non facit deducta ratio; quia, cùm de nummorum certa ſpecie & numero non convenit, in obligationem deducta cenſetur ſola quantitas, quæ eſt expreſſa; ut ſolutio in moneta ſecundùm valorem publicâ authoritate impoſitum & ſolutionis tempore receptum exhibeatur, *l. 1. cit. & l. Cùm certum 9. ff. de Auro & arg. leg.* nihil obſtante *l. Cùm quid cit.* quia in ea bonitatis nomine moneta proba ejúsque valor ſive æſtimatio extrinſeca, publicâ authoritate approbata, non ipſa materia venit, ex mente Ripæ in *l. Quod te 5. ff. Si cert. pet. n. 24. & cit.* Menoch. *n. 41.*

Ex duabus Opinionibus hactenus 36
deductis, licet prior multò frequentiori DD. calculô approbata &; quòd initio impoſitæ obligationi ſolutionem datúmque accepto perfectiori modô adæquet, Naturali æquitati magis congruere videatur, poſterior tamen verisimilior & recepta eſt uſu Bavariæ noſtræ & plurium aliarum Germaniæ Provinciarum: in quibus (conventione de certa nummorum ſpecie & numero exhibendis, & debitoris morâ ceſſantibus) centuum aliorúmque debitorum pecuniariorum ſolutio in nummis aureis & argenteis, tam intrinſecè quàm extrinſecè mutatis, ſecundùm æſtimationem & valorem eorum extrinſecum publicâ authoritate impoſitum vel approbatum ac præſentem: non ſecundùm eum, quem contractûs vel obligationis impoſitæ tempore habuerunt, paſſim offertur, admittitur & adjudicatur; ut, ſicut ex materiæ puritate & impoſititi valoris diminutione proveniens lucrum & commodum, & ex iſtius auctione & materiæ deterioris admixtione proveniens damnum & incommodum pertinet ad creditorem, ſic vice verſâ commodum & lucrum, quod ſequioris materiæ admixtio & extrinſeci valoris nummorum auctio, & damnum atque incommodum, quod materiæ puritas & valoris extrinſeci diminutio affert, percipere valeat, aut perferre debitor cogatur.

Quintò, ſi ex cauſa urgentis gravi- 37
ſimæ neceſſitatis publicæ monetæ valor extrinſecus enormiter augeretur; ut v.g. nummus argenteus, qui nunc unius, poſtea ad octo vel decem; & aureus, qui nunc quatuor florenorum valorem habet, poſtea ad triginta vel quadraginta florenos aſcenderet; uti &, ſi moneta per deterioris & adulterinæ materiæ admixtionem ita enormiter depravaretur; ut unus aureus vel argenteus nummus, qui nunc in uſu eſt,

usu est, quoad bonitatem intrinsecam octo vel denis postea cudendis æquivaleret: si, inquam, hoc eveniret, in debitorum solutionibus monetæ valorem non eum, qui solutionis, sed qui contractûs tempore fuit, spectandum, Fabri *de Var. num. deb. solut. cap. 4. n. 2.* Laiman *cap. 5. cit. n. 16. in fine, & n. 25.* Pirrhing *ad hanc Rubr. à n. 31.* & his testibus communissima sententia est DD. aliorum: ex quorum doctrina tali casu creditor cogi non potest; ut in antiqui debiti solutione monetam, quoad extrinsecum valorem ita enormiter auctam, vel quoad intrinsecum ita depravatam, secundùm valorem hujusmodi currentem recipiat: similíque modò debitor, qui ita enormis mutationis tempore debitum, monetâ ita depravatâ vel quoad valorem auctâ mutuò acceptâ contraxit, cogi nequit; ut, enormi eâ utriusque valoris mutatione per reductionem rei monetariæ ad meliorem statum cessante, debitum solvat in moneta proba secundùm valorem, eâ reductione diminutum: saltem si, ut solet, enormis illa valoris mutatio non sit diu duratura, eáque durante rerum venalium pretia multùm aucta essent: quô modô limitatam hanc resolutionem etiam probat *cit.* Weizenegger *q. 5. n. 10. 11. & 17.* Ratio est; quia creditores, si enormi illa mutatione durante antiquorum debitorum solutiones in moneta secundùm excessivum valorem recipere: & debitores, si debitorum aureis vel argenteis nummis secundùm excessivum valorem acceptis contractorum solutionem in aureis & argenteis nummis secundùm valorem, ad quem mutatione cessante reducti sunt, exhibere cogerentur, enormissimè læderentur; cùm creditores pecuniæ creditæ octavam duntaxat vel decimam partem consequerentur, & debitores octuplô vel decuplô plus, quàm acceperunt, reddere cogerentur contra mentem & voluntatem Principis, eâ valoris mutatione subditos ita enormiter lædere, utique non intendentis. Confirmatur; quia, si in debitorum solutione moneta ita enormiter depravata & secundùm valorem excessivum recipienda esset, non apparet, cur, si aureæ & argenteæ monetæ nummi cuprei, ferrei, plumbei, imò & coriacei & similes alii substituerentur, non etiam hi secundùm valorem impositium recipi deberent, ad eósque recipiendos creditores cogi possent; quod tamen iniquum & absurdum esse, nemo non videt.

Dixi tamen, *Si rerum venalium pretia multùm aucta & mutatio non duratura sint.* 38. Prius; quia, si, enormi illâ mutatione durante, rerum venalium, etiam immobilium, pretium nihil aut non multùm auctũ, sed idem ferè, quod ante & post mutationem esset, itáque depravatæ monetæ, vel quoad extrinsecum valorem excessivè auctæ florenus vg. eandem fere vim ac potestatem, eundémque usum communem in commerciis haberet, quem florenus monetæ probæ & quoad valorem non auctæ, etiam in debitorum solutionibus, speciali conventione cessante, valor, quem moneta solutionis tempore habet, attendendus esset, ex mente *cit.* Antecessoris *q. 5. n. 14. & 17. & q. 6. à n. 5.* quòd, cùm tali casu utriusque floreni vis & usus in commerciis idem sit, is, qui unam monetam dedit, alteram secundùm valorem impositium currentem, auctam vel diminutam, recipiendô nullum aut modicum damnum patere-tur, & ab enormi læsione petita ratio cessaret. Posterius; quia, si intuitu specialis 39. necessitatis vel utilitatis alicujus Reipublicæ valoris monetarii etiam enormis mutatio ex publica Ordinatione stabilis & duratura, esset, eâ introductum monetæ valorem etiam in solutionibus observandum,

vandum evincit ratio prima deducta *n. 32.* Idémque juris esset, si enormi mutatione introductus valor provinciæ alicujus Consuetudine esset receptus: sicut receptus & secundùm eum pronuntiatum in Bavaria nostra superiori seculô fuisse, videre est apud *cit.* Weizenegger *q. 6. n. 41.* & in subjecto ejus Tractatui Responso Juridico Collegii nostri Antecessorum 18. Julii 1639. reddito *n. 11.*

40. Dubium quartò est de augmento valoris monetæ vg. centum aureorum legatorum, quod, an secundùm valorem, quem aurei, testamenti conditi vel mortis testatoris tempore, habuerunt, præstandum sit, dubitandi ratio est; quòd, quando de legato præstando agitur, mortis tempus inspiciendum sit; cùm legatum antè perfectum non videatur, quàm testator decesserit, *l. Si fundus 28. ff. Quando dies leg. ced.* & testamentum ipsum robur ac vires non habeat, nisi à morte testatoris, *l. Omnium 19. C. de Testam. & l. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* Verùm, esto mortis demum tempore legati dies cedat, *l. Si fundus cit.* legatum tamen, si testamentô aliud expressum non fuit, præstandum est eâ monetæ bonitate, quæ conditi testamenti, non quæ mortis tempore fuit, *l. Si uxori 33. §. 1. ff. de Legat. 3. & l. Si ita 7. ff. de Auro & arg. leg.* Ratio est; quia testator legare censetur consideratione patrimonii, quod habet eô tempore, quô, conditô testamentô, de illo disponit; ut propterea nummos legare intelligatur secundùm valorem præsentem, sive eum, qui in usu & commercio est, cùm de patrimonio suo disponit & legatum relinquit, Panormit. *in c. Olim cit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 9. & 10.* & Bruneman. *in l. Si ita cit. n. 2.*

41. Dubium quintò est, de augmento valoris pecuniæ vg. centum aureorum depositorum. Et quidem, si isti depositario præcisè ad custodiam traditi sint, illorum augmentum & decrementum ad deponentem pertinere, nemo facilè inficiatur; quòd, cùm augmentum & decrementum valoris pecuniæ quoddam accidens sint, illius domino cedant fere, sicut ad hunc pertinet auctio & diminutio valoris pecuniæ existentis in manibus administratoris vel officialis, *cit.* Laiman *n. 18.* & Palao *Tract. 32. disp. 3. p. 3. n. 4.* Quod si depositio admixtum sit mutuum utique pecuniæ depositario permissus & ex conventione non certa species & numerus nummorum, sed sola quantitas restituenda esset, monetæ valore extrinsecè mutatô, restituturio deponenti faciendæ esset secundùm illius valorem præsentem, juxta dicta *n. 25.* Casu, quô monetæ valor intrinsecus mutaretur, hujusmodi depositum in alia ejusdem, cujus accepta est, bonitatis moneta restituendum, secundùm communem sententiam *n. 30.* vel secundùm huic oppositam & à *n. 31.* deductam Opinionem quantitas depositi in quavis moneta secundùm impositivum & extrinsecè auctum ejus valorem restituenda foret.

42. Dubium sextò est, an, si debitum vg. mille florenorum contractum sit mutuo in nummis aureis vel majoris formæ argenteis acceptô, & de similis materiæ & formæ numis in solutione exhibendis inter creditorem & debitorem non convenerit, solutio in æreis vel minuta moneta fieri, invitô creditore, possit. Non posse, proditum videtur *l. Creditorem 99. alias l. Paulus ff. de Solut.* ubi relati Pauli JCti responsum est, *Creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passuru sit.* damnosa autem creditori utique foret moneta æreis & minuta; quòd multum temporis auferat ejus numeratio, & deportatio permolesta sit.

Nihilo-

Nihilominus, æroſis quoque & minutis nummis, ſi ejusdem, cujus aurei & argentei valoris ſint, tale debitum ſolvi poſſe, rectè defendunt Molinæus *de Comm. q. 99.* Guttierez *Lib. 2. Practic. q. 179. n. 1.* Weſenbec. *in ff. de Reb. cred. n. 12.* & Donell. *in l. Cùm quid 3. ff. eâdem Rubr. n. 10.* Ratio eſt; quia ſolutio pecuniaria regulariter fieri poteſt in quavis moneta ad eam rem publica authoritate approbata, qualis æroſa & minuta non minùs eſt, quàm aurea & argentea formæ majoris. Cujus ulterior ratio eſt; quòd in ſolutione, ſi de certæ ſpeciei moneta non convenit, non tam ad ipſam materiæ maſſam, quàm ad valorem ac pretium nummi reſpectus habeatur, *l. 1. §. 1. l. Cùm certum 9. & l. Titiæ 35. pr. ff. de Auro & arg. leg.* Quod ita quidem eſt. Ne tamen, quod *l. Creditorem cit.* cavetur, æroſæ ac minutæ monetæ copia damnoſa & æquò magis incommoda creditori ſit, ab Imp. Ferdinando I. res hæc ſic attemperata eſt; ut nemo in ſummæ notabilis ſolutionem de minuta moneta ultra viginti quinque florenos accipere cogatur, *Ordinatione Monet. editâ 1559.* 44.

ARTICULUS III.

De Exactionibus Prælatorum ſeu Subſidio Charitativo.

SUMMARIUM.

45. *Prælatis debetur Subſidium Charitativum:*
46. *Ad quod exhibendum compelli venientes poſſunt,*
47. *Cùm exigitur ex manifeſta & rationabili cauſa.*
48. *Cauſæ hujusmodi,*
49. *Et Prælati, quibus debetur variì ſunt.*
50. *Epiſcopo præſtatur ab Eccleſiis & beneficiatis diœceſanis.*
51. *Non ab hujusmodi laicis,*
52. *Et à Monaſteriis, niſi ratione capellarum unitarum:*
53. *Neque etiam ab Eccleſiis Exemptis:*
54. *A beneficiatis pauperibus & penſionariis.*
55. *Id Eccleſiæ, quarum bona ſita extrà diœceſin,*
56. *Et in quantitate uſu recepta Epiſcopo exhibendum eſt.*
57. *Subſidium hoc ab Epiſcopo remitti in ſuum:*
58. *Non in ſucceſſorum præjudicium poteſt.*
59. *Ei non derogatur Præſcriptione:*
60. *Niſi iſta ſit immemorialis.*
61. *Subſidii Charitativi cauſa merè Eccleſiaſtica eſt.*

EXactionum nomine hôc locô veniunt contributiones & collectæ pecuniariæ, quæ in ſubſidium aliquod extraordinarium Prælatis Eccleſiaſticis, ex juſta cauſa id poſtulantibus, à ſubditis præſtantur: quibus, ſicut hos gravare prohibentur, ſic manifeſtâ & rationabili causâ exigente moderatum aliquod auxilium cum Charitate ab iis poſtulare permittuntur, *c. Conquerente 16. de Offic. Ord. & c. Cùm Apoſtolus 6. §. Prohibemus, hâc Rubr.* quod auxilium in Scholis & Foro receptâ nomenclatione Subſidium Charitativum nuncupatur, cùm; quòd à principio ex Charitate peti debeat potiùs, quàm per vim extorqueri, *arg. c. Ex parte 18. V. In ſecundo:* tum verò; quòd, exiſtente juſtâ causâ, omnino deceat, id à ſubditis ex Charitate erga ſuos paſtores libenter conferri, Wagnereck *in c. Cùm Apoſtolus cit. not. 2.* Unde 45.

Dubium oritur, an ergo ad ſubſidium hoc ſubditi nequeant compelli. Non poſſe, ſaltem ab Epiſcopo vel Prælato id 46.

petente, cum Innocentio *in c. Cùm Apostolus cit.* aliqui volunt partim; quòd §. *cit.* ab iis postulandum dicatur cum Charitate, clericis subditis exponendô Matricis Ecclesiæ necessitatem precibúsque & moderatis conventionibus instandô: tum verò; ne Episcopus in sua propria causa sit judex, contra Regulam *l. 1. C. Ne quis in sua causa.* Verùm, licet secundùm institutionem suam ex Charitate debeatur, manifestâ tamen & rationabili causâ exigente, subditos invitos ad ejus solutionem compelli posse, cum Panormit. *in c. Cùm Apostolus cit. n. 15.* & aliis Interpp. docent Bellencinus *de Subsid. Charit. q. 15.* & Remig. de Gonny *Tract. simili q. 8.* quòd sit Charitas præcepta: ad quam Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali exhibendam clerici judicis officiô compelli non minùs possunt, quàm tempore magnæ famis & necessitatis divites ad eleemolynam pauperibus largiendam. Unde DD. passim, *Ubi Charitas*, inquiunt, *non proficit, exhibenda est potestas*; ac proinde Charitati simul & coactioni est locus: & Episcopus propositô edictô suæ diœcesis clericos Subsidium Charitativum intra certum tempus non solventes valet excommunicare: quod à Rota decisum, testis est Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 87. n. 5.*

47. Neque obstat Regula *l. 1. cit.* quia subsidium illud non exigitur, nisi ex causa rationabili & manifesta seu notoria: quâ existente, Episcopus etiam in proprio facto, saltem Ecclesiæ suæ bonum & utilitatem concernente, procedere potest, *c. 1. de Pœnis in 6.* cùm ratione notorii competens fiat judex, qui competens aliàs non est, *c. 1. §. Notoria, in 6. citt.* Bellencin. *n. 2.* & Barbosa *n. 6.*

48. Causæ Charitativum hoc Subsidium exigendi in genere censentur, quas nemo bonus & rerum intelligens valeat improbare: cujusmodi in specie sunt magni sumptus facti in Electione istiúsque Confirmatione, & faciendi in Consecratione, à qua id in Germania nostra Die Ins ful und Weichsteur nuncupatur: solutio magnorum debitorum, pro Ecclesiæ fabrica reparanda, aliáve necessitate aut evidenti utilitate contractorum, saltem illâ ex aliis Ecclesiæ bonis commodè nequeat haberi: magnæ impensæ ab Episcopo factæ pro recuperandis Ecclesiæ bonis ejúsque juribus tuendis & pertractandis negotiis, concernentibus totam diœcesin, aut faciendæ in visitatione Liminum B. Petri, in profectione ad Concilium, Comitia, Curiam Imperatoris, Regis vel Principis, à quo Regalia accepit, vel in ipsius adventantis receptione & similes aliæ, à *cit.* Bellenc. *q. 16.* Menoch. *de Arbitr. casu 178.* Belleto *Disquisit. p. 1. Tr. de Cler. debit. §. 12.* & Barbosa *cit. alleg. 8 n. 26.* relatæ: quæ in dubio non præsumuntur, sed exprimendæ sunt, *arg. §. Prohibemus cit.* quô causa non solùm rationabilis, sed etiam manifesta exigitur, *cit.* Barbosa *n. 28.* Hujusmodi autem causâ existente sive durante vel recurrente Charitativum Subsidium non semel duntaxat, sed sæpius exigi ab Episcopo potest, dummodo ejus exactionibus subditi plus æquô non graventur, ut ex §. *Prohibemus cit. V. Aliquoties*, cum Panorm. *ibi n. 2.* Boërio *decis. 131.* desumunt Bellenc. *q. 23.* & Gonny *q. 32.*

Hujusmodi causâ aliquâ manifestâ & subsistente subsidium Charitativum exigendi jus competit Episcopis & cæteris Ordinis Episcopalis Prælatis confirmatis etiam si non sint consecrati; quia non est Ordinis sed Jurisdictionis: vi cujus id exacturus Capituli sui consilium requirere debet, *c. Quantò 5. de Iis quæ à Prælat.* Ejusdem exactio ex dictarum causarum aliqua etiam permissa est Capitulo Cathedrali

thedrali, Glossa *in c. Cupientes 16. V. Aliunde, de Elect. in 6* Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli: uti etiam, quando sunt perpetui & generales Commendatarii Cathedralium Ecclesiarum; quòd, licet istas non obtineant in titulum, legitimam tamen habeant administrationem & exercere valeant jurisdictionem, quæ competeret Episcopo intitulato, *citt.* Bellenc. *q. 6. & 7.* & Barbosa *n. 14. & 20.* Demum idem exigendi jus etiam habent Præpositi generales Ordinum pro communi Religionis necessitate vel jevidenti utilitate facturi magnos sumptus, quos aliunde quàm ex Ordinis contributione habere commodè non possunt, *citt.* Bellenc. *q. 5. n. 2.* & Barbosa *n. 19.*

50. Postulare autem subsidium hoc Episcopi iisque similes Prælati possunt ab omnibus suæ diœcesis Ecclesiis & clericis beneficiatis, *c. Conquerente cit.* à Canonicis Collegiatarum, *Extravag. Unic. §. Cæterum, hîc* & Cathedralium Ecclesiarum. Imò hos Episcopo tanquam membra capiti suo præ extraneis convenit subvenire, *arg. c. Cùm non liceat 12. pr. de Præscript. citt.* Bellenc. *q.* 24. & Barbosa *n.*

51. 4. Non etiam à laicis ex generali Consuetudine, quæ optima legum interpres est, & §. *Prohibemus cit.* nomine subditorum ad hunc effectum non nisi Ecclesiasticos, quorum duntaxat *c. Conquerente citt.* mentio fit, comprehendi, docet, ut ex DD. *citt.* ille *q. 26.* iste *n. 4.*

52. advertit. Neque etiam à Monasteriis; quia istius subsidii exactio est de Lege Episcopi Diœcesana, à qua Regularium Monasteria omnia sunt exempta, *can. Inter catera 8. V. Ne ergo, 10. q. 3. & can. Luminoso 6.* ibi, *Remotis vexationibus & cunctis gravaminibus, 18. q. 2.* Idem Bellenc. *q. 28.* & Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 1. q. 25. n. 8.*

Neque ad ejus præstationem Monasteria adstringi, evincitur ex *Clem. Unic. de Excess. Prælat.* quâ Episcopi inter alia etiam redarguuntur; quòd exigendô ab ipsis Monasteriis exemptis eorúmque subditis Charitatis subsidium nimiùm excedant. Unde à contrario aliqui inferunt, subsidium Charitatis moderatum ab hujusmodi aliisque Monasteriis exigi posse; nisi privilegiô vel consuetudine legitimè præscriptâ defendantur. Sed malè; quia *Clement. cit.* textus exaudiendus est de Monasteriis, unitas habentibus Ecclesias & capellas seculares, & subsidium illud Episcopo exhibere solitis, antequam per unionem Monasteriis incorporarentur: ratione quarum ista ad id præstandum post unionem teneri, evincit ratio; quia Ecclesiæ & capellæ illæ cum onere suo ad Monasteria transiisse, *arg. c. Ex literis 5. de Pignorib.* & sine Episcopalium jurium præjudicio his fuisse unitæ præsumuntur, *c. Quia Monasterium 2. de Relig. domib. citt.* Cochier *n. 9.* & Barbosa *n. 46.*

Præter laicos & Monasteria id Episcopus postulare nequit Imprimis ab Ecclesiis exemptis, præsertim libertate plenâ gaudentibus, *arg. Clem. 1. V. Exemptione:* 53.
nisi ratione Ecclesiæ non exemptæ, habentis populum & ipsis subjectæ, *arg. Clement. cit. de Excess. Prælat.* juxta jam datam istius explicationẽ. Deinde à clericis carentibus beneficiô Ecclesiasticô: quantumvis amplum patrimoniũ & bona quasi patrimonialia, ex oblationibus, eleemosynis vel ministerio aliquo spirituali provenientia, habeant; quia subsidium Charitativum est onus mixtum, à clericis debitum ratione Ecclesiarum & beneficiorum ex fructibus provenientibus ex istis, *c. Conquerente cit.* Gonny *Tract. cit. q. 25.* & Laiman. *Lib. & Tract. 3. p. 1. cap. 3. n. 11.* Præterea à clericis beneficiatis pauperibus, quales censentur non 54.

solùm, qui propter bellum, inundationem vel aliam similem causam nullos fructus ex beneficio percipiunt: sed etiam, quorum proventus beneficiales omnes necessarii sunt ad honestam sustentationem; quia exactione aliquâ hanc diminuere à clerico non exigit & Prælatum non sinit Charitas, in qua subsidium illud fundatur; cùm congruæ sustentationis diminutione clericus gravaretur, contra §. *Prohibemus cit.* textum, *citt.* Gonny *q. 29. n. 3.* & Barbosa *n. 49.* Demum à Pensionario: non quocunque, sed illo duntaxat, cui pensio, ut ex Curiæ stylo Papa solet, ab omni & hujus etiam subsidii onere libera est constituta, juxta dicta *Tit. 12. n. 31.*

55. Quando Ecclesia in una, prædia autem & fundi earum in alia diœcesi sita sunt, subsidium hoc exhibendum est soli Episcopo, in cujus diœcesi Ecclesia vel beneficium est situm, cùm; quia prædia accessoria sunt Ecclesiis & beneficiis, ut locus sit *Regulæ 42. in 6.* tum verò; quia subsidium hoc non est onus prædiorum & fundorum; cùm non transeat ad quemcunque istorum possessorem: sed Ecclesiarum & beneficiorum; cùm ratione istorum *c. Conquerente cit.* seu ratione fructuum ex iis perceptorum à clericis ea obtinentibus, §. *Prohibemus cit.* exigatur, *citt.* Gonny *q. 25.* Laiman *n. 11.* & Barbosa *n. 51.* Casu, quò Ecclesia & beneficium situm est in confinibus diœcesium diversarum, earum Episcopi inter se convenire & renuentes; ut conveniant, superioris authoritate compelli debent, ut in hujus & aliorum jurium Episcopalium perceptione alternent; ne ipsorum discordia cedat in gravamen Ecclesiæ in confinibus constitutæ, *citt.* Bellenc. *q. 52. à n. 3.* & Barbosa *n. 53.*

56. Quæ autem quantitas, subsidii illius ratione, exigi valeat, DD. Opiniones variæ, ex iisque spectatò Jure verior est, quæ statuit, quantitatem adæquantem summam diei unius procurationis à visitatis præstandæ, quando Prælatus per alium visitat, secundùm *Extravag. Unic. §. Cæterùm.* Quanta autem unius diei procuratio sit, ejusdem Constitutionis *§. à V. Statuimus* declaratur. Verùm, quia hanc quoad procurationes usu receptam, complures negant, hac in re observanda erit provinciarum consuetudo. Illâ autem deficiente, subsidii Charitativi quantitatem ipsius Prælati, qualitatem Ecclesiæ, annuorúmque ejus reditum, expensarum in causam, pro qua exigitur faciendarum & similes circumstantias ponderantis arbitrio, cum Zabarella *in c. Cùm Apostolus cit. q. 7.* & aliis relinquunt Menoch. *de Arbitr. casu 179. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 55.*

Dubium est, an subsidium hoc ab Episcopo valeat remitti. Dubitandi ratio de Affirmativa est; quòd non ipsius tantùm, sed etiam Ecclesiæ, imò principaliter istius commodum spectet: jura autem principaliter Ecclesiæ commodum concernentia liberè remittere Episcopus non possit; cùm eorum remissio species quædam sit alienationis, Episcopo non permissæ, *c. Pastoralis 7. de Donat. &c.* de Negativa autem; quòd omnia jura, quæ in Ecclesiam habet, remitti ab Episcopo posse, pateat ex casu *c. Constitutus 6. de Relig. domibus.* Cur non etiam subsidium Charitativum? verùm, quia *in c. cit.* casu intervenit authoritas Apostolica, à qua remissionem confirmatam textus habet, vanũ est, quod inde ducitur argumentum. Fortius est, quod alii desumunt ex donatione moderata ob causam ex merè liberali, si modica sit, Episcopo permissa, *Tit. 24. n. 37.* Unde Charitativum ab eo alicujus Ecclesiæ Rectori vel beneficiato unâ alteráve vice, non pe-

58. non perpetuò remitti posse, communis est sensus DD. cùm; quòd ejus perpetua remissio notabilis præjudicii donatio, ac proinde, subsistente etiam justâ causâ, sine Juris solennitatibus Episcopo permissa non sit, *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. &c. de lis, quæ à Prælat. &c. Pastoralis cit.* tum verò, quòd ejusmodi remissio cederet in Ecclesiæ præjudicium & gravamen successorum: & subsidii Charitativi præstatio sit juris publici, fundati in æquitate Naturali: cujusmodi Juri privatorum pactionibus nequit derogari, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis, citt.* Bellancin. *q. 47.* Laiman. *n. 14.* & Pirrhing *n. 57.*

59. Dubium secundò est, an adversus subsidium Charitativum procedat præscriptio. Quod magno consensu Interpp. & cæteri DD. negant, *arg. l. Comperit. 6. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quâ adversus tributa & similes functiones publicas vis adimitur præscriptioni. Rationum, quas reddunt, præcipua est; quòd, cùm id præstandum sit ex Charitate, præscriptio ei derogans adversetur Charitati & æquitati naturali, in qua fundato debito derogans præscriptio justam causam & fomentum non habet. Sed ista Ordinariam duntaxat, non etiam immemorialis temporis præscriptionem convellunt; cùm istâ etiam adversus tributa præscribi, apud DD. passim sit receptum: & quæcunque acquiruntur privilegiô, etiam ipsâ acquiri posse, *arg. c. Super quibusdam 26. §. Præterea de V. S.* Regulæ instar tradatur à Panormit. *in c. Cùm contingat 13. de Foro compet. n. 14.* Felino *ibid. n. 2.* & aliis apud Barbosam *in c. Super cit. à n.*

60. 4 Quare etiam subsidio Charitativo prævalebit Præscriptio saltem tanti temporis, cujus initii memoria non existit; ut particularis Ecclesia ab ejus præstatione evadat immunis; cùm ab ea eximi privilegiô Apostolicô indubitatè possit, secundùm omnes.

Neque adversatur; quòd præstandum sit ex Charitate; cùm enim huic non obstet ab ejus præstatione immunitas indulta privilegiô, etiam non adversabitur obtenta præscriptione immemoriali, cùm; quia huic nuspiam resistit Jus, nec possessionis incapacitas ex parte præscribentis: tum verò; quia ista illi æquivalet, & fundat præscriptionem immunitatis, ab habente potestatem & legitimè concessæ, *citt.* Laiman *n. 15.* & Pirrhing *n. 57.*

61. Controversiarum super subsidio Charitativo motarum competentem judicem solum Ecclesiasticum esse, extra controversiam est; quia super eo litigantium uterque & causa ipsa Ecclesiastica est; cùm, juxta dicta, sit super jure Episcopali, à Prælato in Ecclesias earúmque Rectores & beneficiatos exercendo. Quare, cùm inter istas & Prælatum id exigentem de rationabilitate causæ, ex qua, vel de excessu quantitatis, quæ exigitur, vel de exemptione ab ejus præstatione lis oritur, ea decidenda erit judicio arbitrorum utriusque partis consensu electorum, *can. Si clericus 11. q. 1.* vel Metropolitani aut alterius superioris Prælati, *can. Quia cognovimus 6. §. fin. 10. q. 3.* juxta dicta *Lib. 1. Tit. 30. n. 60.*

ARTICULUS IV.

De Exactionibus, quæ imponuntur à Potestate Seculari.

SUMMARIUM.

62. *Varietas Exactionum, quæ à Potestate ista,*

63. *Ordi-*

63. *Ordinariè & extraordinariè imponuntur.*
64. *De Injustitiâ suspecta est Capitatio,*
65. *Et vectigal, impositum frumento &c.*
66. *Quarum tamen Exactionum ab Injustitia & illa,*
67. *Et ista:*
68. *Non etiam omnium cumulatio vindicatur.*
69. *Imponuntur Exactiones à Potestate suprema:*
70. *Ex cujus concessione,*
71. *Et Consuetudine Immemoriali impositas aliquando exigunt,*
72. *Et imponunt etiam Magistratus inferiores.*
73. *Eas imponendi causa justa est necessitas & utilitas publica:*
74. *Non merè privata ipsius imponentis.*
75. *In earum impositione servanda est Justitia Distributiva.*
76. *Non necessariò requirendus subditorum aut Statuum consensus:*
77. *Nisi istè speciali jure sit præscriptus.*
78. *Exactiones per se à solis subditis:*
79. *Per accidens aliquando ab Extraneis fiunt.*
80. *Non etiam ab iis, qui speciali Jure sunt exempti:*
81. *Quorum privilegio derogantes exactiones non sunt extendendæ.*
82. *Conscientiæ obligatio est solvendi justè:*
83. *Non etiam injustè impositas.*
84. *Dubiarum solutio subditis consulenda.*

62 USu multò frequentiores quàm Prælatorum Ecclesiasticorum, graviorésque & multiplices sunt Principum iisque similium Magistratuum Secularium Exactiones: quæ, si personis sine respectu ad patrimonium sive eorum bona imponantur, Capitatio, *l. Unic. C. de Capitat. civium* & aliquando census nuncupantur, juxta Evangelicum illud, *Licet censum dare Cæsari, an non?* Matth. *cap.* 22. *v.* 17. si de substantia totius patrimonii, ejus quantitatis habitâ ratione, Tallíæ, Collectæ, Præstantiæ, Sylvester *V. Gabella* 1. *n.* 4. & Molina *Tract.* 2. *de I. & I. disp.* 661. *n.* 8. si de fundis aliisque immobilibus sivè eorum fructibus, Census & Tributum, *can. Si tributum,* 11. *q.* 1. *& l. Si ager* 27. §. 1. *ff. de V. S.* si de mercibus rebúsque in provinciam invectis, evectísque ex ea, vel per mare, flumina, vias, pontes vectis, Vectigalia *l. Vectigalia* 10. *ff. de Publ. & Vectig. l. Omnium* 6. *C. de Vectigal. & com.* &, si pro securitate seu ducatu, vectura & securo transitu, Guidagia & Pedagia, *c. Super quibusdam* 26. junctâ Glossâ *V. Pedagia de V. S.* si de vino, sale aliisque rebus venditis aut vendendis, ut apud nos Accisæ seu gabellæ cauponariæ & macellariæ, exigantur vel præstentur, Gabellæ nominitantur, Dufresne *Glossar. V. Gabella.* Hæc tamen iisque similia nomina non eâdem semper, sed aliâ aliáque significatione accipiuntur, & non rarò confunduntur.

Sunt autem hujusmodi Exactiones vel Ordinariæ, quæ certam, determinatam stabilémque: vel Extraordinariæ, quæ nec certam & determinatam, nec stabilem, hoc est, certis temporibus recurrentem præstationem habent: sed ex causa aliqua superveniente &, prout illa exposcere videtur, majori minorive quantitate exigi ac præstari solent, Panorm. *in c. Non minùs* 4. *de Immunit. Eccles. n.* 15. & Pirrhing *ad eandem Rubric. n.* 61.

Quæ tam Extra- quàm Ordinariæ Exactiones an omnes justæ sint, in dubium vocant imprimis Justus Lipsius *Lib.* 2. *de*

2. *de Admirand. cap. 3. pr.* manifestæ iniquitatis arguens Capitationem, sive exactionem singulis capitibus impositam, nullâ patrimonii habitâ ratione; quòd eâ pauper numerosam prolem alens complures: dives contrà, si cælebs aut orbus sit, unum duntaxat & ejusdem, cujus complurium illorum singuli sunt, æstimationis nummum pendere cogatur contra rationem Juris & æquitatis, in exactionibus exposcentis observantiam æqualitatis secundùm Geometricam proportionem, majoris quantitatis præstationi divitem, quàm pauperem subiicien-
65. tis. Deinde Cajetanus *V. Vectigal. pr.* & Sotus *Lib. 3. de Justitia q. 6. art. 7.* Injustitiæ damnantes exactionem decimæ partis pretii frumenti & aliarum rerum, quæ non negotiationis & lucri, sed usûs familiæ & ruris colendi causâ venduntur aut emuntur. Moventur textu *l. Universi 5. C. de Vectig. & commiss.* de ejusmodi rebus vectigal exigi, capitis pœnâ constitutâ, inhibentis. Rationem reddunt; quòd iis homines difficillimè valeant carere: eísque impositâ gabellâ aut vectigali pauperiores & indigentiores, præsertim numerosam prolem habentes, omnium maximè, & omnium minimè graventur ditiores: præ quibus illos gravari Æquitatis & Justitiæ ratio non permittit.

66. Sed, licet illa Lipsii ratio, Capitationem præ quovis alio exactionis genere iniquitatis speciem referre, omnino persuadeat, justa tamen & ipsa esse potest non solùm, si facultatum aliqua, ut plerumque consueviſſe, Lipsius *cap. 3. cit.* ostendit: sed etiam, si illarum nulla ratio habeatur: dummodo non regulariter, sed extra ordinem tantùm aliquando proponatur: & nummus uniformis & æqualis ab omnibus pendendus, ut didrachma Evangelicum, sit modici valoris; ut facilè & sine patrimonii diminutione præstari ab omnibus possit; quia ejus exactione nemo gravari: eáque in signum & recognitionem subjectionis potiùs, quàm tanquam tributum, ad publicæ necessitatis propulsationem comparatum, pendi intelligitur.

Minùs, quàm Lipsius, suam Opinionem Cajetanus ac Sotus persuadent; quantumvis enim ab iis deducta ratio & *l. cit.* exactiones, justâ causâ poscente, mercibus publicè inutilibus, nocivis, ad voluptatem, curiositatem & luxum comparatis potiùs, quàm utilibus & ad vitæ sustentationem rurísque culturam necessariis, præsertim frumento imponendas, evincat: de his tamen etiam, justâ ejusmodi causâ poscente, factam exactionem injustam esse, non persuadet contra aliorum DD. torrentem, contra multarum provinciarum Justitiæ laude florentium usum & justam etiam rationem; quia exactione de hujusmodi rebus factâ Respublica non magis gravatur, quàm si justa aliqua summa pecuniaria ab ejus subditis, facultatum habitâ ratione, exigatur: quod cùm, justâ causâ subsistente, fieri posse, ipsi etiam adversari inficias non eant, eâdem causâ exigente, etiam frumento & aliis victualibus poterit imponi. Ita cum Sylvestro *V. Gabella 3. n. 15.* Navarro *Manual. cap. 17. n. 202. in fine*, & aliis Medina *de Restitut. q. 13. pr. cit.* Molina *disp. 669. n. 2.* & Suarez *Lib. 5. de LL. cap. 16. n. 3.* 67.

Neque hos DD. moratur in contrarium deducta ratio; quia hujusmodi exactione per se, omnès æqualiter gravantur: &, quòd aliquando magis gravetur pauper aliquis, per accidens est, sicut per accidens est, quòd numerosiorem familiam, quàm dives alat. Neque etiam *l. cit.* quia DD. *citt.* fere sunt provinciarum extra Imperii Romani fines si-

tarum : ad quarum nec Principes neque etiam subditos sanctiones Imperiales porriguntur, *arg. c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.* In ipsis etiam Imperii provinciis ei derogari potuit contrariâ consuetudine, *c. fin. de Consuet. & l. De quibus 32. in fine ff. de LL.* imò etiam lege posteriori, *l. Sed & posteriores 28. ff. eâdem Rubr.* & statutô Provinciali, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. n. 33.*

68. Quantumvis autem relatarum exactionum nulla sit, quæ non justè valeat imponi, & non alicubi sit introducta, omnium tamen in unam provinciam vel civitatem invectionem nemo non videt à Juris & æqui Regulis & ab omni humanitate fore alienam; cùm omnium in una accumulatione exhausti subditi ad extremam inopiam redigerentur; & provincia vel civitas verteretur in cloacâ, in quam derivatæ, quæ per alias dispersæ sunt, provinciarum aliarum calamitates omnes colligerentur.

Porro, ut initiô relatarum aliqua, & quocunque alio nomine facta nova exactio justa sit, DD. *citt.* tres conditiones, scilicet legitimam Authoritatem, Causam & debitam Formam requirunt.

69. Authoritatem sive legitimam potestatem vectigalia, tributa & exactiones alias imponendi citra omne dubium obtinent quicunque Principes & Magistratus supremi, ut in D. Petri Patrimonio sive terris Ecclesiæ Romanæ est summus Pontifex, & in Regnis ac provinciis sibi subjectis Concilia generalia, Imperator, Reges, Principes & Respublicæ liberæ seu Status, superiorem in temporalibus non recognoscentes: & ex Principibus, statibus & Civitatibus inferioribus, quibus
70. ab illis ea, de qua fermo est, potestas est communicata, *c. Innovamus 10. hîc c. Super cit. l. Vectigalia cit. & l. Non solet 3. C. de Vectigal. nova instit.*

Dubium est, an exactiones decernendi potestas acquiri valeat consuetu- 71
dine vel præscriptione, saltem tanti temporis, cujus initii memoria non exiiti. Antiquitus impositas recipiendi & exigendi potestatem ita acquiri posse, exploratum est ex *c. Super quibusdam cit.* verbis, *Declaramus illa pedagia, guidagia, salinaria interdicta, qua non apparent Imperatorum vel Regum vel Lateranensis Concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, cujus initii non extat memoria, introducta.*

Nova autem tributa & exactiones alias imponendi potestatem consuetudine & præscriptione illa acquiri posse, cum Castro *de Lege Pœnali Lib. 1. cap. 10.* negat laudatus Suarez *cap. 14. n. 14.* eâ ductus ratione; quòd tributa & exactiones alias imponendi authoritas sit de reservatis Principi, in signum supremæ potestatis & excellentiæ ipsius; cùm tradita sit in obligatione Principatis scil. reipublicæ tuendæ & in pace defendendæ *c. Tributum, 23. q. 8.* imposita supremæ potestati: eámque ob causam à tributis solvendis eximi nemo possit viâ præscriptionis, *l. Comperit 6. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* ea autem, quæ Principi in supremæ potestatis & excellentiæ signum reservata sunt, ullâ etiam immemoriali consuetudine vel præscriptione acquiri non possint, *argum. l. cit. ubi* Baldus *& in c. Ad audientiam 12. de Præscript.* Panormit. *n. 19.* Covarruvias *Practic. cap. 4. n. 1.* & Velascus *de Jure Emphyt. q. 8. à n. 29.*

Sed verisimiliùs, istam quoque potestatem, si tanto tempore, cujus initii memoria non existit, per novorum tributorum aut exactionum aliarum impositionem aut veterum auctionem variis temporibus, bonâ fide exercita & continuata

nuata fit, acquiri ab inferioribus posse, *arg. c. Super cit.* cum Panormit. *in c. Super cit. n.* 1. *&* 2. & Interpp. aliis defendunt S. Antonin. 2. *p. Tit. 1. cap. 13. §. 8. in fine*, Covarruvias *in Reg. Possessor p.* 2. *§.* 2. *n. 8. citt.* Medina §. *Ut igitur* & Molina *disp. 666. n.* 1. *in fine*. Ratio est; quia tributa & similes exactiones imponendi jus, licet perrarò, aliquando tamen à summo Principe privilegiò concedi posse, Magister usus docet: ea autem, quæ etiam ex reservatis Principi privilegiò concedi aliquando solent, consuetudine & præscriptione tanti temporis, cujus initii memoria non extat, acquiri possunt, *arg. c. Super cit.* Panormit. *in c. Cùm contingat 13. de Foro compet. n.* 14. *ubi* Felinus *n.* 2. Balbus *de Præscript. 2. p. pr. p. 5. q. & n. 6.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 35. n. 29.* & aliis relatis Barbosa *in c. Super cit. à n. 4.*

Neque cum hac Resolutione pugnat. *l. Comperit. cit.* quia exaudienda est de tributo, quod Principi solùm exhibetur in signum subjectionis, & de aliis ipsi ita competentibus, & inferioribus nunquam solitis concedi: cujusmodi, ut dictum, non sunt omnia tributa & exactiones

73. Causa novarum exactionum justa ex communi DD. sensu est commune bonum sive necessitas aut evidens utilitas Reipublicæ: non privata ipsius Principis imponentis, saltem si ei de sumptibus ad dignitatis ac statûs sui conservationem necessariis per tributa antiqua & ordinarios ad eámque destinatos reditus sit prospectum; cùm, his aliunde deficientibus, ei per novæ exactionis impositionem prospici ipsius Reipublicæ interesset. Ultra eam ergo, quæ spectat personam & statum ipsius Principis, & extraordinarum exactionum justæ causæ sunt reparatio viarum ac pontium: Opera Religionem, Pietatem, juventutis educationem institutionémque spectantia: egenorum ac miserorum sublevatio, munitio urbium, commeatus & apparatus bellicus, conductio & stipendia militum, juxta illud S. Augustini, *Ad hoc tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendia tribuantur, Lib. 2. contra Faustum cap. 72.* S. Thomas *Epistolâ ad Duciss. Brab. Opusc. 2. ad 2. citt.* Sylvester *V. Gabella 3. n. 9.* Sotus *art. 7.* Medina §. *Secundum*, Molina *disp. 667. n.* 1. Suarez *cap. 15. n. 3.* & alii, monentes Imprimis ad ejusmodi exactionem non deveniendum, cùm ad eam, quæ urget, necessitatem propulsandam vel utilitatem promovendam ærario illati reditus & media ordinaria sufficiunt; quòd, his sufficientibus, necessitatis illius causa revera non subsistat. Deinde exactiones, ut justæ sint, causam, ex qua imponuntur non excedere, sive non majores esse oportere, quàm ad ejusmodi finem obtinendum necessariũ judicatur, *c. Quia plerique 8. de Immunit. Eccles.* quia quoad excessum exactio destituitur justâ causâ. Præterea, ejusmodi causâ cessante, cessare etiam debere ejus intuitu impositam exactionem, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat.* Demum, intuitu e- 74.
jusmodi causæ per exactionem publico ærario illata in alios quàm destinatum usum publicum impendi non posse, adeò; ut, si à Principe aliove Magistratu in suas commoditates, *in* superfluas largitiones & alios quàm publicè necessarios vel utiles usus & opera impenderentur, ipse &, qui eorum in alios usus aversionem consiliô suô promoverent, ob nocumentum, quod irrationabiliter inferunt subditis, contra Justitiam graviter delinquerent, ut videre est apud *cit.* Molinam *à n.* 1. Ratio omnium à memoratis TT. ea red-

ditur; quòd Principi & cuivis alteri Magistratui etiam supremo non competat jus Proprietatis in res & bona subditorum; ut domini instar illa his auferre, déque iis suo arbitratu, disponere valeat, ut ostensum est *Lib. 1. tit. 2. n. 49. à n. 49.* sed solummodo jus, quod dicitur Jurisdictionis, & ex natura atque institutione sua principaliternon ipsius Principis sive similis Magistratûs proprium, sed ei subjectæ communitatis & publicum bonum spectat.

75 Forma in Exactionibus servanda exigit imprimis; ut subditi ultra vires & facultates suas præsentes non graventur: deinde; ut in illis servetur æqualitas proportionis geometricæ inter personas habitâ ratione facultatum, & plus à divitibus quàm à pauperibus exigatur, S. Thomas *2. 2. q. 63. art. 4. citt.* Medina §. *Tertiam, Suarez cap. 16. n. 1.* & Molina *disp. 668. n. 1.* addens casu, quô exactio non commune bonum totius Reipublicæ, sed peculiaris istius partis vg. solorum mercatorum spectat, exactionem his præ aliis communitatis membris imponendam. Ratio primæ partis est; quia exactio excedens vires & facultates subditorum præsentes ipsis moraliter impossibilis est, *can. Faciat 15.* junctâ Glossâ *V. Quod potest, 12. q. 2.* rei autem impossibilis obligatio non datur, *Reg. 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* licet talis solùm sit moraliter, *arg. can. Erit autem lex 2. dist. 4. cit.* Suarez *Lib. 1. cap. 9. n. 17.* Secundæ; quia in distributionibus munerum & impositionibus onerum publicorum inter membra communitatis observanda est Justitia Distributiva, exigens observationem Æqualitatis secundum Geometricam proportionem, Aristoteles *5. Ethicorum cap. 3. & 4. cit.* Molina *disp. 12. n. 3.* & Laiman. *Lib. 3. Tract. 1. cap. 4. n. 2.* Tertiæ partis ratio est; quia æquitas naturalis exposcit; ut, qui alicujus rei vel actionis solus percipit commoda & emolumenta, solus sufferat onera & incommoda ei annexa, *arg. Reg. Qui sentit 55. in 6.*

Dubium est, an ad tributi, vectigalis & alterius novæ exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum vel saltem Regni aut provinciæ Statuum; eum enim, aut saltem consilium RR. aliqui exigunt apud *cit.* Suarez *cap. 17. cit. n. 2.* ducti *Reg. Quod Omnes tangit 29. in 6.* & exemplo Regni Hispaniæ, in quo ejusmodi consilium, imò consensus adhibendus est vigore *Recopilat. Lib. 6. Tit. 6. l. 1.* quibus accedit ratio, quòd hunc aut illud adhibendi necessitate optimè prospectum sit subditis; ne exactionibus, à Principe arbitratu suo indictis, justò plus & ultra vires suas fidèle graventur. At meliùs, ejusmodi consensum vel consilium requirendi necessitatem communi Jure impositam, negat *cit.* Suarez *n. 3.* quòd neque in Naturali neque in Positivo Jure sit fundata. Non in Naturali, cùm; quia ab isto Jure nec constitutio Principatûs nec Principum Secularium potestas immediatè deducitur, sed authoritate merè humanâ utraque est instituta: tum verò; quia principis in tributi vel alterius exactionis impositione à justa solùm causa, non etiam à consilio subditorum vel Statuum independentia intrinsecè mala est. Non in Positivo; quia necessitas illa neque Divino, neque Canonico vel Civili Jure prodita, neque aguita etiam est à Doctoribus antiquis.

Quamvis autem hoc ita sit, in Regnis tamen & provinciis, in quibus ejusmodi consensûs vel consilii intervenit pactionibus vel Concordatis, inter Principem ac Status initis, & præsertim justis, introductus est, ut de Hispaniæ dictum,

dictum, nova tributa, vectigalia & exactiones alias, Statuum consensu vel consiliô non requisitô, subditis imponi non posse, omnino exploratum & ratio clara est; quòd ejusmodi pactiones & concordata iisque firmandis apposita juramenta honesta justáque, & ad varia incommoda & exactionum excessus evitandos utilia sint: ad honesta autem justáque & publicè utilia concordata pactáque inviolabiliter custodienda Princeps non minùs quàm subditi adstringantur, *c. 1. de Pactis & c. 1. de Probat. ubi* Decius *pr.* Sylvester *V. Pactum n. 4.* Vasquius *Controvers. illustr. Lib. 1. cap. 3. à n. 1.* Molina *Tract. 2. cit. disp. 257. n. 1.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 17. n. 19.* ex Jure Naturali, ad fidem, quæ data est, servandam, quemlibet obligante; *Quid enim tam congruum* humanæ fidei, *quàm ea, que inter aliquos placuerunt, servare?* eique tam contrarium, quàm eadem violare? *l. 1. ff. de Pactis & ibi* Baldus, Principi à Deo leges non etiam pacta & conventiones subjectas, asserens *in cap. 1. de Natura feudi:* præsertim, si firmata sint juramentô; quòd, Naturali & Divinô Jure dictante ac præcipiente, servandum sit omne juramentum, quod in æternæ salutis dispendium & tertii præjudicium non vergit, secundùm Regulam *c. Quamvis 2. de Pactis in 6. & c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & ad hanc Rubr.* tradita *à n. 59.* Nisi à parte, in cujus favorem præstitum est, remittatur vel à potestate Ecclesiastica relaxetur, aut ad casum aliquem se non extendere declaretur, *cit.* Molina *disp. 149. n. 11.* Suarez *de Juramento Lib. 1. cap. 41. n. 2.* & Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 21. n. 2.* ne propriâ authoritate ei contraveniens perjurus reputetur.

78. Dubium secundò est, quinam ad tributorum, vectigalium & aliarum exactionum, à Principe alióve simili Magistratu impositarum, præstationem teneantur. Cujus communis & certa Resolutio est, ad eam teneri solos subditos non exemptos. Ratio obvia est; quia imponuntur potestate jurisdictionis, ad solos subditos se porrigentis. Unde consequens Imprimis est, ad eas per se non teneri extraneos, utpote imponentis jurisdictioni per se non subjectos. Per accidens tamen aliquando 79.
exactionum quarundam onere etiam ipsi gravantur, quando scilicet merces aliásque res in vel per provinciam aut ex ea vehunt, in ea emunt, vendúntque. Neque id injuriâ, cùm; quia eâ lege in provinciam vel civitatem censentur admitti: & viarum pontiúmque reparatorum, securitatis, protectionísque publicæ & administratæ sibi justitiæ commodis perinde, ut subditi, gaudent: tum verò; quia intuitu exactionum invectas merces vendunt cariùs: & similibus, quibus ipsi subjacent, exactionibus in ipsorum provinciis extranei non minùs quàm ipsi gravantur, ut rectè observat *cit.* Molina *disp. 669. n. 3.* Deinde tributorum, vectigalium &c. à Seculari potestate impositorum lege clericos aliásque personas & loca Ecclesiastica non adstringi; quòd antiquissimô utriusque Juris privilegiô ab earum onere, *Auth. Item nulla C. de Episc. & cleric. c. Quanquam 4. de Censibus in 6. c. Non minùs 2. c. Adversus 5. de Eccles. immunit. c. 1. eâdem Rubr. in 6.* & Trident. *Sess. 25. cap. 20. de Reformat.* & ab ipsa etiam jurisdictione Seculari sint exempti, *c. Ecclesia 10. de Constitut. c. Decernimus 2. de Judiciis c. Seculares 2. de Foro compet. in 6. &c.* quod Ecclesiastici statûs privilegium *Tit. 49. à n. 190.* pluribus discutietur. 80.

Quantumvis autem huic Ecclesiasticæ exemptionis privilegio in nonnullis provinciis quoad aliquas exactionum spe- 81.

cies Indulti Apostolici à seculari potestate obtenti, vel consuetudinis aut præscriptionis immemorialis, ejusmodi Indulti aliquando obtenti communi existimatione suffultæ, prætextu non deferatur, ejusmodi tamen Indultum, consuetudo vel præscriptio à casibus seu exactionum speciebus, in quibus exemptioni illi derogatum est, ad alias præsertim novas exactionum species ullam extensionem non admittunt ex communi & certa sententia TT. & Canonistarum. Ratio manifesta est; quòd ea Ecclesiastici statûs exemptio sit speciale jus, favor & beneficium summi Principis Reipublicæ utriusque: atque insuper concessum per modum legis insertúmque Corpori Juris communis, *Auth. & cc. citt.* Juri autem, favori ac beneficio ejusmodi Principis (hôc ipsô; quòd exigant interpretationem latam, *c. Quia circa 22. de Privileg. c. Olim 16. de V. S. & l. Beneficium 3. ff. de Constitut. Princip.*) derogantia indulta, consuetudo ac præscriptio non nisi strictam interpretationem admittant, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* cùm exorbitent à Jure communi, *Auth. & cc. citt.* ea verò, *qua à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sint trahenda*, ut habet *Reg. 28. in 6.*

82. Dubium est tertiò, an tributorum, vectigalium & exactionum leges obligent in conscientia. Qua in re DD. variè admodum sentiunt & loquuntur. Mihi satis exploratum est, sicut cæteris, sic & Tributariis legibus, à Principe eíve simili Magistratu alio ex justa causa & debitâ formâ servatâ latis, subditos in conscientia obligari, ut cum Sylvestro *V. Gabella 3. n. 29.* Castro *cit. Lib. 1. cap. 11.* & aliis docent Covarruvias *in Reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 5. citt.* Medina *q. 13. §. Verùm aliter*, Molina *disp. 674. n. 3.* & Suarez *cap. 18. n. 11.* Ratio solida est; quia lex justa aliquid absolutè præcipiens & legitimè promulgata conscientiæ obligationem inducit, per tradita *Lib. 1. tit. 2. à n. 75.* Leges autem Tributariæ debitis conditionibus servatis, hoc est, à legitima potestate, ex justa, seu necessitatis aut evidentis utilitatis publicæ causa latæ & subditorum viribus seu facultatibus præsentibus commensuratæ, justa sunt; cùm tributa &c. Principi eíve simili Magistratui pro Principatûs sive Reipublicæ defensione, pro ejusdem necessitatis sublevatione aut evidentis utilitatis procuratione debita sint, juxta illud Servatoris *Reddite Cæsari, qua Cæsaris sunt*, Matth. *cap. 22. v. 17.* & alterum Apostoli, ratione ministerii, quod Princeps, & similis Magistratus exercent, sive administrationis reipublicæ tributa eis adtributa, Roman. *cap. 13. v. 6.* ubi, *Ideo*, inquit, *& tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes*: & mox subjicientis, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, v. 7.*

At, sicut hoc exploratum, sic pariter §. certum est, ad præstationem tributi & exactionis, quam constat esse injustam, conscientiæ obligationem non dari, ut præter alios expressè tradunt *citt.* Molina *n. 4.* & Suarez *n. 12.* quòd lex injusta efficaciter obligandi vi destituta, imò si in imponente potestas vel causa omnino deficiat, ipso Jure nulla sit, Casu autem quô exactio quoad solam quantitatem vel proportionem distributivam injusta sit, indebitus quidem excessus, sed causæ & facultatibus proportionata quantitas debita est.

In dubio de justitia causæ, quantitatis vel proportionis, etsi locus esse videatur, *can. In Memoriam 3.* ibi, *Licet non ferendum jugum imponatur, tamen ferimus, dist. 19.* & *Reg. In pari 65. in 6.* arridet

arridet tamen consilium, quod Conscientiæ arbitris suggerit Sylvester *cit. n. 29.* & approbat *cit.* Molina *n. 9. conclus. 5.* ut scilicet in dubio ante factum pœnitentes inclinent ad solutionem, præsertim quando exigitur, *arg. can. cit.*, post factum autem ad dubii & non soluti tributi vel excessûs restitutionem faciendam non compellant, *arg. Reg. cit.*

ARTICULUS V.

De Procurationibus.

SUMMARIUM.

85. *Harum nomine venit sustentatio, ratione Visitationis,*
86. *A visitatis*
87. *Episcopo & aliis Visitatoribus debita:*
88. *Dum actu obeunt Visitationem.*
89. *Extra hanc exactum restituendum est in duplo.*
90. *Procuratio esse debet moderata,*
91. *Eademque die unica duntaxat,*
92. *Extra civitatem propriam visitanti debetur.*
93. *Ad eam exhibendam tenentur loca & persona visitata.*
94. *Excipiuntur laici,*
95. *Oratoria privata & Hospitalia,*
96. *Ecclesiæ & beneficiati pauperes,*
97. *Et alii privilegiô exempti.*
98. *Remitti visitatis potest à visitante.*
99. *Adversus eam vim non habet præscriptio:*
100. *Nisi quoad modum exhibendi,*
101. *Vel pro Visitatione præterita debita sit,*
102. *Vel præscriptio non præjudicet ipsi visitanti:*
103. *Cui secundùm aliquos non derogat præscriptio immemorialis.*
104. *Verùs hâc ipsi quoque præjudicatur.*

PRocurationis vocabulô tertiâ hâc Rubricæ parte non venit administratio sive gestio negotii alieni, ut *l. Qui mittuntur 35. §. 2. ff. Ex quibus caus. major.* sed sustentatio sive subsidia & expensæ, quæ Episcopo aliisve Prælatis obeuntibus Visitationem exhibentur pro congrua sustentatione, *c. Procurationes 23. ubi* Gonzalez *n. 7.* quæ de visitatorum proventibus ei præstandæ, quantumvis Visitatores amplos & ad munus illud obeundum sufficientes reditus habeant aliunde; quòd, cùm secundùm Apostolum *Nemo cogatur stipendiis suis militare 1.* Corinth. *cap. 9. v. 7.* & qui spiritualia seminant, carnalia sive temporalia metant, Prælatis Ecclesias visitandò spiritualia seminantibus carnalia, sive ad congruam sustentationem necessaria conveniat ministrari; ne, si visitationes propriis sumptibus obeundæ sint, à negotio publicè utilissimo, imò necessario absterreantur: ferè sicut canonicis, ad sustentationem sufficientia & pinguia etiam beneficia obtinentibus, & ratione istorum ad Ecclesiæ servitium & præsentiam in Divinis officiis obligatis, Distributiones præstantur & de Jure debentur, quando Divinis intersunt, Panormit. *in c. Cùm ex officii 16. de Præscript. n. 5.* 85.

Sic acceptæ Procurationis seu sustentationis nomine à visitatis exhibendus Prælato visitanti, eúmque comitantibus famulis est victus, hoc est, cibus potúsque cum habitatione seu diversorio lectísque, & pabulum ac stabulum equis ac jumentis, quibus utitur, Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 42. q. 7.* Non etiam viaticum, vecturæ & mercedes equorum conductorum; nisi visitator esset Prælatus à summo Pontifice delegatus; huic enim ea etiam debentur, quæ necessaria sunt, ut ab uno loco ad alterum transire commodè possit, Glossa *in Clement. 2. V. Si voluerit hâc* 86.

vit hâc Rubr. cit. Azor *q. 8.* &, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 73. n. 57.*

87. Quantumvis autem prædicta Procurationis nomine exhibenda sint non solùm Episcopis cæterísque Episcopalis Ordinis Prælatis, uti & Cardinalibus cæterísque sedis Apostolicæ legatis (quibus provinciam non suam transeuntibus debentur, *c. Ego N. 4. de Jurejurando*) sed etiam Archidiaconis & Vicariis Episcopi Generalibus, Decanis seu Archipresbyteris Ruralibus, & generaliter locorum & personarum Ecclesiasticarum Visitatoribus quibuscunque, *c. Cum Apostolus cit. pr.* ea tamen exigere vel accipere à locis & personis Ecclesiasticis nullâ ratione possunt, nisi earum visitationem personaliter obeant: imò extra eam Procurationis nomine aliquid exigens vel recipiens in pœnam transgressionis duplum, sive ultra id, quod accepit, tantundem de suo restituere intra mensem tenetur, *c. Procurationes 27. in fine, & c. Exigit 2. in 6.* Quæ dupli pœna à S. Synodo Tridentina confirmata & aucta est *cit. cap. 3. V. Quod si quiquam.*

88.

89. Magis rigorosum Jus Ecclesiæ antiquius, & in sordidos hujusmodi exactores quadrupli pœnam *can. Quoniam 6. dist. 18.* constitutam, aliqui existimârunt. Sed perperam; cum *can. cit.* prodita quadrupli pœna, non Episcopum aliúmve Prælatum, Procurationis nomine in aut extra visitationem aliquid exigentem, sed Archiepiscopum de bonis, quæ Episcopus ad Concilium Provinciale accedens secum tulit, aliquid exigentem vel auferentem spectet, ut *in can. cit.* notat Barbosa *n. 4. & in c. Procurationes cit.* Fagnanus *num. 20.*

90. Ne autem Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ actualis visitationis occasione, contra *c. Cùm instantia 17. §. Sanè*, indebitè graventur, Procurationes secundùm earum facultates esse debent frugales & moderatæ, *c. Sopite 14. c. Procurationes cit. c. Nuper 25.* & Trident. *Sess. 24. cap. 3. de Ref.* eámque ob causam salubriter constitutum est Primò à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ut visitationes non solùm sine venatoriis canibus avibúsque & hujusmodi inutilibus pariter ac sumptuosis itinerum impedimentis aliis obeantur; sed reliquus earum apparatus ita moderatus sit; ut comitatus Archiepiscopi quadraginta vel quinquaginta, Episcopi viginti vel triginta, Cardinalis viginti quinque equorum numerum non excedat: Archidiaconi verò, itaque similes Vicarii generales quinque vel septem, Decani sive Archipresbyteri Ruralis duobus equis sint contenti, *c. Cùm Apostolus cit. §. Quocirca.* Deinde; ut vig. Episcopus, si eódem annò pluries Ecclesiam visiter, plures quàm binas non exigat Procurationes, *c. Cùm venerabili 21. &, si* unâ die plures Ecclesiæ visitentur, non singulæ à singulis, sed una duntaxat Procuratio ab omnibus simul exigatur, *c. Felicis 3. in 6.* Demum *c. 1. §. Procurationes*, ab Innocentio IV. & *c. Exigit 2. in 6.* à Gregorio X. intentatis gravissimis minis cautum est; ut eæ in victualium aliorúmque necessariorum subministratione potiùs, quàm in pecunia exhibeantur: vetitúmque; ne à visitatoribus eorúmque familiaribus munus quodcunque etiam gratis oblatum recipiatur. Quæ tamen Constitutio à Bonifacio VIII. *c. Felicis 3. cit.* correcta, & visitatorum optioni relictum est, an Procurationes in pecunia aut victualibus velint exhiberi; quod ipsum postea confirmatum est à Tridentino *cap. 3. cit.*

Quin Episcopo, Ecclesias & clericos Civitatis, in qua sita est ipsius Ecclesia Cathedralis, & hanc etiam visitanti Procurationem nullam hodie deberi, à S. Congreg.

Congreg. sæpiùs esse responsum, testis est Piasecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. art. 8. n. 15.* apud *cit.* Barbosam, idem sentientem de casu, quò Episcopus, Ecclesiæ extra illam sitæ visitatione peractâ, domum suam se recipere commodè potest; quòd secundùm *cit. cap 3.* decretum ipsi visitanti victualia ministranda sint, *Pro temporis tantùm necessitate & non ultra:* quæ necessitas tali casu cessat.

93. Ab aliis autem clericis, Ecclesiis ac Monasteriis, speciali privilegiô non exemptis, omnibus Episcopo visitanti exhibendæ procurationes sunt: etiamsi Ecclesiæ quôcunque titulô pervenissent ad exemptos, *Clement.* 1. quia etiam ab istis, cùm talium Ecclesiarum commoda percipiant, earum onera non recusanda, ratio & æquitas naturalis dictat, *l. Secundùm 10. ff. de R. J.* Quod, licet verissimum, ita generale tamen non est; ut exceptionem omnem excludat.

94. Excipiuntur enim, & ad Procurationes visitanti exhibendas non tenentur Primò Laici, licet etiam ipsi visitentur: non quidem de Jure; cùm illas Episcopo visitanti exhibendas à visitatis, & spiritualia ministrantibus carnalia sive congruam sustentationem ministrandam, generaliter proditum sit. Sed de consuetudine, vi sua laicos, si non eximente, saltem generales Juris textus ad loca & personas Ecclesiasticas restringente, Glossa *in c. 1. V. Laicos in 6.* Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 3. cap. 22. n. 14.*

95. Secundò, Oratoria privata, *c. fin.* quæ excipiendi ratio fuit; quòd non habeant titulũ beneficii, nec beneficia annexa, nec reditus aut proventus Ecclesiasticos, ex quibus Procurationẽ valeant præstare, Glossa *in c. cit. V. Ratione & ibi* Gonzalez *n. 3.*

Tertiò, Hospitalia & similia loca, ad exercenda Pietatis & Misericordiæ opera, etiam Episcopali authoritate erecta: quod à DD. passim receptum est apud Barbosam *cit. cap. 22. n. 15.* Ratio reddi solet; quòd, licet hujusmodi loca Religiosa & Episcopali jurisdictioni subjecta sint, *can, Omnes Basilicæ, 16. q. 7.* eorum tamen proventus omnes ad infirmorum, pauperum, peregrinorum alimenta & ad salaria specialiter deputati censeantur à fundatoribus: quorum piam intentionem à Prælatis Ecclesiasticis augeri potiùs, quàm ex iis aliquid in suos usus converti, Ecclesia voluit, ut apud Fagnanum *in c. Venerabili 24. à n. 34.* plures Cardinales censuerunt. Unde etiam

96. Quartò, eæ non debentur ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis pauperibus; cùm enim tales ultra eos, qui ad cultum Divinum vel propriam sustentationem necessarii sunt, proventus non habeant, eos procurationum Episcopo solvendarum onere gravari, Charitas non sinit, *can. Cavendum, 10. q. 2.* ac proinde eorum visitationem propriis sumptibus obire Episcopus debebit, *Glossa in c. Cùm instantia cit. V. Prægravari, ubi* Panormit. *n. 7.* & Fagnanus *in c. Procurationes cit. n. 20.*

97. Alia etiam loca & personæ Ecclesiasticæ, ad Procurationes Jure communi obligatæ, ab earum præstatione immunes aliquando sunt privilegiô Apostolicô: quô modô ad eas non tenentur non solùm, quæ specialiter & expressè à Procuratione visitatoribus exhibenda, sed etiam quæ generaliter à jurisdictione & omnibus Episcopalibus (sine Procurationum expressa mentione) sunt exemptæ: quæ tamen vi hujusmodi exemptionis generalis à Procurationib⁹ præstandis legatis Apostolicis provinciam suam visitantibus non liberantur, *c. Cùm instantia 17. & Clement.* 1. junctâ Glossâ *V. Exemptione,* Azor *cit. cap. 42. §. Si quæras,* ubi rectè advertit, ab iis etiam Episcopo exhibendis immunem non fore Ecclesiam, quæ non generaliter

raliter ab omnibus, sed à certis tantùm oneribus Episcopalibus, sine Procurationum mentione, esset exempta.

98. Dubium est; an Procurationes ab Episcopo valeant remitti. Ratio dubitandi est; quòd, suadente justâ causâ & Capituli consensu accedente, Ecclesiæ inferiori remittere valeat servitia ab ea sibi debita, *c. Pastoralis 7. de Donat.* Cur non & Procurationes? Verùm; quia generali ejusmodi remissione subditus non eximitur à visitatione, etiam non eximetur à Procuratione, *c. Cum Venerabilis 21.* cùm ista, perinde ut illa, Juris publici sit utilitate & authoritate: cujusmodi jus privatorum pactionibus remitti non potest, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis.* Quô tamen non obstante, Episcopus & Visitatores alii, quando actu visitant, procurationem debitam remittere Ecclesiis & personis visitatis non prohibentur; cùm tali remissione non præjudicent successoribus; ut à visitationibus absterreantur, Panormit. *in c. Cùm ex officii 16. de Præscript. à n. 14.* Conveniri etiam inter Ecclesiam vel Monasterium & Episcopum potest de Procurationis exhibendæ modo; ut scilicet in pecunia vel in ipsis victualibus exhibeatur, Glossa *in Clement. 2. V. Compositiones* & Barbosa *in c. Cùm ex officii cit n. 11.*

99. Dubium secundò est, an Procurationis exhibendæ obligationi à visitatis valeat præscribi. Quod verior sententia negat, & clarè decisum est *c. Accedentes 11. c. Cùm ex officii cit. de Præscript. & c. Cum instantia cit.* Ratio est; quia, cùm, Procurationibus sublatis, Prælati à visitationibus, ad morum correctionem maximô diœcesium & totius Ecclesiæ bonô introductis, absterreantur, sacrorum Canonum conditores, sicut visitationem, sic etiam huic accessorias procurationes præscriptioni obnoxias esse, noluerunt, arg. *Reg. Accessorium 42. in 6.* Panormit. in *c. cit. n. 5.* & Barbosa *n. 2.* ut eæ tolli non solùm totæ, sed etiam quoad partem saltem notabilem non possent; cum, sicut totâ, sic & notabili quoque parte sublatâ, Prælati à visitatione retrahantur, eadémque fere, quæ totius, etiam partis ratio, idémque utriusque judicium sit, *l. Quæ de totâ 76. pr. ff. de R. J.*

Hanc tamen Resolutionem DD. ita temperant; ut præscriptioni locus sit Primò quoad procurationum exhibendarum modum; ut pro victualibus pecunia præstetur, Glossa *V. Compositiones, cit.* Panormit. *in c. Cùm ex officii cit. n. 14.* & Felinus *n. 16.* Secundò quoad Procurationes, debitas & non præstitas tempore præterito, Barbosa *cit. cap. 22. n. 25.* Tertiò, si Procurationes etiam in futurum exhibendæ non adversus visitantem, sed ab una Ecclesia adversus aliam præstabantur; ut, cùm utraque visitatur, ad eas visitanti præstandas tantùm una redditibus abundans teneatur, Alex. de Nevon *c. Accedens cit. n. 17.* Ratio est; quia his casibus omnibus cessat ratio exclusæ præscriptionis adversus Procurationes; cum, iis ita præscriptis, Prælatus à visitatione non retrotrahatur, *cit.* Barbosa *n. 5.* Quæ-100 tò quoad Procurationes debitas non ratione visitationis, sed solùm vi confuetudinis ex pactione vel privilegio; has enim præscriptioni esse obnoxias; argumentô à contrario deducitur ex *c. Cùm ex officii cit.* verbis, *Quæ ratione visitationis debentur, præscribi nequeunt,* Fagnanus in *c. Venerabili 24. n. 21.* Quintò demum ratione visitationis debitæ contra Prælatum, cui debentur, cum ipsa Visitatione præscribi possunt ab alio Prælato; ut in hunc ab illo subditos aliquos visitandi simul & procurationes ab iis visitatis recipiendi jus transferatur, per *c. Cùm ex officii cit.*

tii cit. expressum textum, *Etsi aliu contra eum*, Episcopum, *præscribere possit utramque*, Visitationem simul & Procurationem, Barbosa *in c. cit. n. 3.* & Fagnanus *l. cit. n. 12.* Unde

103. Dubium tertiò & satis difficilis Resolutionis controversia oritur, an ratione Visitationis debitæ Procurationes contra Prælatum à subditis præscribi saltem valeant tempore immemoriali. Etiam tanto tempore illis præscribi ab his non posse, cum Felino *in c. Cùm ex officii cit. pr.* Azor *cit. cap. 42. q. 14.* & aliis volunt Barbosa *in c. cit. n. 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Præscript. n. 24.* suam hanc Opinionem desumentes ex *c. cit.* decisione, quâ Abbatis & aliorum asserentium, quòd non meninerint, se procurationem Archiepiscopis visitantibus solvisse; ac proinde in tempore, cujus initii memoria non existit, se fundantium allegatio penitus nulla reputatur: &, quæ contra ejusmodi procurationem currit, præscriptio generaliter & indistinctè reprobatur.

Neque, huic decisioni innixæ Opinioni suæ derogatum, *citt.* DD. ajunt à Tridentino, *In iis locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, neque quicquam aliud à visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observari præcipiente, Sess. 24. cap. 3. de Ref.* quòd Conciliari hôc decretô adversus Procurationes debitas ratione visitationis vis aliqua tribuatur soli consuetudini: cujus alia ratio est, quàm præscriptionis; cùm ista personam aut locum privatum respiciat: consuetudo autem totam aliquam communitatem, scilicet provinciam vel diœcesin aut oppidum: quæ, non Ecclesiam aliquam particularem, *Loci* nomine *cit. decretô* venire volunt. Unde ejusmodi consuetudo favorabilior est, quàm particularis alicujus loci præscriptio; ideóque vim majorem, quàm ista meretur. Hæc consideratio apud Fagnanum tantùm potuit; ut hac in re sententiam aliquam firmiter amplecti non sit ausus, & ad S. Congregationis Cardd. Concilii illius Interpp. declarationem suadeat recursum, *in c. Venerabili cit. n. 28.*

Hujusmodi declarationem, licet etiam exoptem, à vero tamen non multùm recessurum existimo, qui ejusmodi Procurationibus derogantem præscriptionem immemorialem antiquiori Decretalium Jure non reprobari, cum Panormit. *p. 2. Consil. 26. n. 4.* & Mariano *Tract. de Visit. n. 52.* idque *cit.* S. Synodi *decretô* probari assereret cum Piasecio *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. art. 8. n. 15.* 104.

Ratio de Jure Decretalium est; quia à Procurationibus ratione visitationis debitis immunitas acquiri potest privilegiô Apostolicô, *Clement. 1.* cui immemorialis præscriptio æquiparatur; ut, quæ illô ab eo, qui possessionis capax est, etiam istâ acquiri possint, *arg. c. Super 26. §. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure 2. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* Glossa *in c. 1. V. Titulus, de Præscript. in 6.* & Balbus *de Præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 6. n. 17.* saltem, si ei non resistat Jus commune: hoc autem ejusmodi Procurationibus deroganti præscriptioni immemoriali non resistit *c. Cum ex officii cit.* partim; quia in istius casu ea non fuit allegata aut probata; cùm, qui Procurationes Archiepiscopo negârant, solummodo allegârint, se non meminisse, eas huic ejúsque antecessoribus solutas: quæ immemorialis, imò centenariæ etiam præscriptionis vera allegatio non est; cùm ad hanc plus exigatur supra *lib. 2. Tit. 26. n. 107.* partim verò; quia exclusione præscriptionis vel consuetudinis generali, ea quæ omnem hominum memoriam excedit, excluſa non censetur, *ut lib. 1. Tit. 4. n. 46.* est dictum

Ratio autem de Tridentino est partim; quia *cit.* ejus *cap. 3.* Loci nomine locus *Loci*, ut vocant, hoc est, Ecclesia vel Monasterium particulare intelligi sine incommodo potest: partim verò; quia consuetudo, tam generalis quàm particularis, vi cujus loca & personæ Ecclesiasticæ à Procurationibus Prælato visitanti exhibendis eximuntur, licet passim consuetudo nuncupetur, reipsa tamen vera præscriptio est; cùm per eam jus Prælati tollatur, & ab onere ac præstatione ipsi debita immunitas subditis per quasi possessionem tempore & modò legibus definitò continuatam acquiratur; neque multùm interfit, an immunitas ista adversus Prælatum à privato, vg. à Monasterio vel alio loco certo, sive à tota Universitate vel communitate, vg. à provincia, diœcesi vel civitate acquiratur; quia ista respectu Prælati, cujus jus tollit, instar personæ aut loci privati consideratur, ut aliis DD. allegatis rectè observat Card. de Luca *Tract. de Jurisdict. & Foro compet. discursu 33. n. 28.* & dictum *cit. Tit. 4. num. 5.*

TITVLVS XL.

De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

Ecclesiæ constructæ dotatæque ultima perfectio & præcipuum ornamentum est Consecratio, quâ ea cum Altaribus dedicatur Deo, & Divino cultui peragendo ritu solenni deputatur.

ARTICULUS I.

De Ecclesiæ & Altaris Consecratione.

SUMMARIUM.

1. *Ecclesiæ varia acceptio.*
2. *Et propriè acceptæ differentia à Basilica.*
3. *Missæ celebrandæ sunt in solâ Ecclesiâ consecratâ:*
4. *Nisi urgeat casus necessitatis.*
5. *Extra eam aliquando licitè celebrant Episcopi &c.*
6. *De eorum licentia etiam alii,*
7. *Et ex privilegio quidam Religiosi.*
8. *Consecranda Ecclesia est à proprio,*
9. *Et ex ipsius commissione ab alieno Episcopo:*
10. *Non etiam à simplici Sacerdote:*
11. *Etsi huic rectè committatur Benedictio.*
12. *Differentia istius à Consecratione.*
13. *Peragenda hæc est die Dominica aut festiva & ritu solenni.*
14. *Pro Missæ celebratione etiam Altaria,*
15. *Et, privilegiò secluso, à solo Episcopo consecrantur.*
16. *Consecratio Ecclesiæ stabilis non est:*
17. *Nisi*

17. *Nisi in ea omissa debita forma,*
18. *Vel ejus Consecratio dubia sit,*
19. *Et nec semiplenè probari valeat.*
20. *In dubio non iteratur Consecratio Ecclesiæ Cathedralis:*
21. *Nisi ea aut aliæ Ecclesiæ fuerint exectatæ:*
22. *Quod duobus modis contingit.*
23. *Ecclesiæ, successivè reædificatæ, consecrationem iterandam, asserentium,*
24. *Et negantium, verisimilior Opinio.*
25. *Etiam Altaris consecratio non iteratur:*
26. *Nonnullis casibus exceptis.*

1. ECclesiæ nomine, si etymologiam, Convocatio populi: si receptum usum spectemus, venire solet aliquando Cœtus Fidelium in Christum credentium seu Catholicorum congregatio, *can. Ecclesia 7. dist. 1. de Consec.* aliquando ædes sacra, in qua Fideles ad rem Divinam audiendam & percipienda Sacramenta congregantur, *can. Nemo 8. can. Ecclesiæ 17. &c. dist. cit.*
2. *Rubr.* & *text. C. de SS. Eccles.* quô posteriori & in Rubricæ nostræ sensu acceptam Ecclesiam aliqui à Basilica distinguunt cum Glossa in *c. 1. V. Dedicanda:* &, istô quidem sive Basilicæ nomine propriè acceptô ædem Episcopali Consecratione nondum affectam denotari, volunt, & desumunt ex *c. 1. cit.* verbis, *Ad Basilicam, quæ dedicanda est.*

Hanc tamen Basilicæ significationem & differentiam inter eam & Ecclesiam in Jure fundatam, alii meritò negant; quòd Ecclesiæ appellatio ædi ante consecrationem clarè tribuatur *cann. Ecclesiam 26. & 27. dist. 1. cit. & c. Ecclesiæ 9. de Immunit. Eccles.* & nomine Basilicæ ædes jam consecratæ, *can. 1. dist. 25.* iteratò & *can. Si quis 9. dist. 30.* & promiscuè quæcunque Ecclesiæ vocentur, *can. Omnes Basilicæ 16. q. 7.* Imò tanquam synonyma pro eodem distertè accipiantur, *can. Non oportet 4.* ibi, *In Ecclesiis seu Basilicis, dist. 42. & c. fin. de Eccles. ædif.* Nominis tamen etymon potiùs, quàm Juris usum spectantes alii, Basilicas eas duntaxat Ecclesias vocant, quæ à Regibus & summis Principibus, ut Patriarchales, Metropolitanæ & Cathedrales plerumque solent, fundatæ ac doratæ: vel, in quibus illi Divina officia frequentare consueverunt, Barbosa *Juris Eccles. Lib. 2. cap. 1. n. 10.* & Fagnanus *in c. Ecclesia cit. n. 4.* Sed ista utcunque sint,

Ecclesia ritè constructa & dote et- 3.
iam instructa, priusquam Divina mysteria in ea peragantur, consecranda est, *can. Sicut 10. can. Missarum 12. & can. Nullus 14. dist. 1. cit.* quibus textibus, extra Ecclesiam vel alium locum ab Episcopo consecratum vel saltem benedictum Missa celebrari, distertè prohibetur: à qua tamen prohibitione

Excipitur primò *can. Sicut cit.* ca- 4.
sus Necessitatis, quæ maxima fuit primis Ecclesiæ seculis: quô tempore, sævientibus Christiani nominis hostibus, sanctissimum Missæ sacrificium in ædibus privatis & ipsis carceribus offerri consuevisse, perhibet Baronius *ad Annos Christi 377. in fine & 404. n. 19.* & justa esse hodie censetur in locis, ubi nullæ vel dirutæ sunt Ecclesiæ, vel propter angustias excludunt multitudinem populi maximô numerô confluentis, pro exercitu in bello, vel peregrinatione susceptâ per loca infidelium: quibus casibus in prophano, sed decenti cubiculo sub papilione vel tentorio & aliquando sub dio, in Altari Portatili seu Viatico in terra firma Missarum celebrationem permissam, *can. Concedimus 29. dist. cit.* cum Navarro

Manual. cap. 25. n. 8. docet Azor *p. 1. Instit. Lib. 10. cap. 26. q. 2.* qui tamen, tali casu Episcopi licentiam, si potest, saltem ex decentia requirendam, monet.

5. Excipiuntur secundò Episcopi iisque superiores Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ & S. R. E. Cardinales: qui, si iter faciant, super altari Viatico celebrare ipsi vel alteri celebranti assistere ubicunque; ac proinde etiam extra diœcesin suam possunt ex privilegio, indulto à Bonifacio VIII. *c. fin. de Privileg. in 6.* Fagnanus *in c. Quod nonnullis 25. de Privileg. à n. 6.* idque ex causa non solùm infirmitatis aut alterius necessitatis, sed majoris etiam commoditatis vel devotionis, Suarez & Laiman. *l. cit.*

6. Excipiuntur tertiò etiam alii, qui extra Ecclesiam in domo vel Oratorio privato non consecrato vel benedicto celebrandi licentiam habent, juxta *can. Missarum cit.* ibi, *In locis ab Episcopo consecratis vel, ubi ipse permiserit, can. Hic ergo 13.* ibi, *Nisi in his locis, in quibus Episcopus jusserit, dist. 1. cit. & c. In iis 30. de Privileg.* Quod antiquj Juris privilegium, licet à Trident. *Sess. 22. Decreto de Observ. in celeb. Miss.* revocatum, Navarrus *cit. cap. 25. n. 81.* Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 30. n. 25.* & nonnulli alii velint, verius tamen est, id non revocatum, sed solummodo restrictum; ut hodie Episcopi non ordinariè, & non nisi ex necessitatis vel alia justa causa extra Ecclesiam vel Oratorium consecratum vel benedictum in loco tamen decenti semel aut etiam sæpius celebrandi licentiam dare possint, ut post *citt* Suarez §. *Secundò* & Laiman. *n. 4* id usu confirmantes, advertit Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 23. n. 3.*

7a Excipiuntur quartò Ordines Mendicantes FF. Prædicatorum & Minorum S. Francisci, ubicunque fuerint, in altari Viatico celebrandi privilegio muniti, *c. De iis cit.* quibus tamen aliisque indulta hujusmodi privilegia *cit.* Conciliaris *decreti* verbis, *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus quibuscunque* revocata, cum *citt.* Navarro *n. 81.* Suarez §. *Quarta*, Laiman *n. 5.* & aliis multis censet *cit.* Barbosa *n. 4.* ut iis uti jam non valeant, nisi post Concilium illud à Sede Apostolica confirmata, vel denuò indulta: sicut ea à Gregorio XIII. Societati JESU cum illius S. Synodi derogatione confirmata, ex Henriquez *Lib. 9. cap. 27. §. 3. L. t.* & Fagundez *de Præcept. Eccles. p. 1. lib. 3. cap. 13 n. 17.* patebit *cit.* Barbosa *n. 4.*

Consecranda autem Ecclesia est à §
Episcopo, in cujus diœcesi est sita, *can. Pia mentis 23. &c. 16. q. 7. &c. Tua 2. de Rubr.* Ab alio, licet validè, licitè tamen non nisi propriò Episcopò invitante aut permittente consecratur, *arg. citt. & can. Episcopus 7. q. 1.* sine cujus 9
expressa licentia, si Episcopus extraneus ejusmodi Ecclesiam consecrare præsumat, à celebratione Missarum per annum, *can. cit.* & à Pontificalium exercitio ipsò jure suspenditur, ex decreto Trident. *Sess. 6. cap. 5. de Reformat.* quò tamen S. Synodi decretò revocata non sunt privilegia FF. Minoribus ab Honorio IV. à Joanne XXII. Carmelitis & Societati JESU à Paulo III. concessa: vi quorum, Episcopò diœcesanò consecrationem humiliter postulatam ultra quatuor menses differente, pro ea ad quemcunque Episcopum recurrere possunt, Compend. Privileg. Societ. *V. Benedicere §. 1.* Miranda *Manual. Pralat. Tom. 1. q. 39. art. 1. concluf. 3.* Barbosa *cit. alleg. 27. n. 11.* & Palao *Tract. 22. disp. unic. p. 8. n. 2.*

An ea Ecclesiæ consecratio Sacerdo- 10
ti simplici committi ab Episcopo valeat, dubium

dubium reddit Concilium Agathense, relatum *can. Altaria 32. dist. 1. cit.* quô altaria, ac proinde etiam Ecclesiæ sacerdotali benedictione dicuntur sacrari. Sed hoc leve est; quia textu illo nomine Sacerdotalis non venit benedictio Presbyteri simplicis, sed Episcopi: qui etiam Sacerdos ejúsque actio Sacerdotalis vocatur ab eodem Concilio *can. Episcopi 8.* ibi, *Si sacerdotali moderatione*, 11. *q. 3.* Quare constans & certa DD. sententia est, Ecclesiæ consecrationem simplici Sacerdoti committi ab Episcopo non posse; quòd actus sit Ordinis Episcopalis, *can. Quamvis 4. dist. 68.* qui simplici sacerdoti delegari prohibetur, *c. Aqua 9.* cujus textu contraria consuetudo tanquam abusus & corruptela reprobatur, Azor *p. 2. Institut. Lib. 9. cap. 4. q. 1. citt.* Miranda *concl. 3.* & Barbosa *n. 1.* licet ea, quæ Jurisdictionis sunt, ab Episcopis: & ea, quæ Ordinis Episcopalis Jure solùm Ecclesiasticô sunt, ejusmodi sacerdoti committi valeant à Papa, Jure illo superiore, *c. Proposuit 4. V. Licet, de Conces. Prab.* Panormit. *in c. Aqua cit. n. 2.* & Gonzalez *n. 5.*

11. Dixi, *Consecratio*; quia, Ecclesiæ benedictionem sacerdoti simplici committi ab Episcopo posse, facilè concedo cum Palao *cit. p. 8. n. 1.* Ex privilegio etiam Apostolico, FF. Minoribus concesso, ab ejus Ordinis, & nostræ etiam Societatis Superioribus suas Ecclesias Altaria & Coemiteria ad suum usum benedici posse, patet ex *cit.* Compend. *V. Benedicere* §. 1.

12. Inter Benedictionem autem & Consecrationem ea præcipuè differentia est; quòd ista inhæreat parietibus, sive issorum interiori crustæ, quæ sacrô oleô linitur & appositis Crucibus signatur: illa autem sive Benedictio inhæreat solo sive pavimento, quod aspergitur aquâ Lustrali, ut habetur in Pontificali Romano *Tit. de Benedict. & Consec. Eccles.* Quæ etiam causa est, cur parietibus corruentibus, imò interiùs solummodo decrustatis, Ecclesiæ Consecratio, *can. Ecclesiis 19. dist. 1. cit.* non etiam Benedictio amissa, & locus prophanatus censeatur, *l. Ædes sacra 73. pr. ff. de Contrab. empt.* dummodo Ecclesiæ ædificium destructum non sit superioris authoritate & sine spe reædificationis, *citt.* Suarez *s. 4. §. Sextus* & Laiman. *n. 15.* junctô Sanchez *Lib. 9. de Matr. disp. 15. n. 37.*

13. Peragi Ecclesiarum Consecratio debet ritu solenni, & solet diebus Dominicis ac festivis: licet de Jure quôvis (non tamen Interdicti Ecclesiastici) tempore, & quâvis etiam privatâ seu Feriali die possit, *c. Tua cit.* & Pontific. Rom. *l. cit.* dummodo offeratur sacrificium Missæ, *can. Omnes 2. & can. De fabrica 23. dist. cit.* sive ab ipsomet Episcopo consecrante sive ab alio, dum ipse Consecrationis ritum explet, Gonzalez *in c. Tua cit. n. 2.*

14. Sicut in Ecclesiis, sic etiam in Altaribus, quæ hodie, & jam à S. Sylvestri Papæ tempore lapidea esse debent, *can. Altaria cit.* Divina Mysteria peragenda non sunt, priusquam sint consecrata, *can. Concedimus 29. dist. cit.* sive ea sint immobilia & Fixa, quorum mentio fit *can. Si motum 18. dist. cit. & c. 1. hâc Rubr.* sive mobilia seu Portatilia &, ut *c. fin. de Privileg.* nuncupantur, Viatica sint, *can. Concedimus cit.* Consecranda autem, perinde ut Ecclesiæ, etiam Altaria sunt ab Episcopo, *can. Nullus 24. dist. cit. can. Quamvis 4. dist. 68. c. Cùm sit 5. hâc Rubr.* & Pontif. Roman. *cit. p. 2. Tit. de Altar. Consecrat.* adeo; ut

15. eorum Consecratio; quòd Ordinis Episcopalis actus sit, sacerdoti simplici committi non possit ab alio, quàm à summo Pontifice, *citt.* Suarez §. *Tertiò* & Barbosa

Barbosa *cit. alleg. 27. n. 23.* cujus privilegiô Societatis JESU Religiosi in remotissimis partibus, ubi nullus Episcopus est, degentes, & FF. Minores Altaria consecrandi facultatem habent, ut refertur *cit.* Compend, *V. Ecclesia* §. 1. eáque potestate Abbates Cistercienses omnes gaudere, testis est Palao *disp. unic. cit. p. 9. n. 3.*

16. Porro Ecclesiæ, uti & Altaris Consecrationes iterabiles non esse, Regulæ instar à DD. tradi, & desumi solet ex *can. Ecclesiis cit.* quô relati Concilii Niceni decretum est, *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi*: imò quoad effectum iterationis earum Consecratio parvulorum Baptismo, Sacramento nequaquam iterabili, comparatur. Idem non obscurè colligitur ex *can. De Fabrica cit. & c. Ligneis 6. hîc*, quibus & aliis textibus Ecclesiæ & Altaria, de quorum Consecratione constat, quamdiu non constat, ea esse execrata, repetitâ consecratione Deo dedicari prohibentur, Glossa *in c. cit. V. Parietibus*, Sylvester *V. Consecratio 2. q. 4.* Suarez *l. cit.* & *cit.* Barbosa *n. 12.*

17. Sed, ut aliæ pleræque, sic & hæc Regula suas patitur exceptiones vel potiùs declarationes, & iterationis, Jure non prohibitæ, casus: Primò quidem, si in Consecratione Ecclesiasticis Ordinationibus præscripta forma adhibita non sit, *can. Ecclesias 20. dist. cit.* cùm enim aliquid non fieri, & non ritè fieri paria sint, *arg. l. Nam cum 2. ff. Ne quis eum, qui in jus*, & defectus formæ annullet actum, per text. *c. Cùm dilecta 22. de Rescript.* & tradita à Panormit. *in c. cit. n. 6.* & Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revoc. Donat. V. Revertatur n. 67.* ejusmodi Ecclesia consecrationis iterationi obnoxia erit, Glossa *fin. in can. cit. ubi* Barbosa *n. 1.* & Archidiac. *in can. Ecclesia 1. q. 4.*

Secundò si, Ecclesiam (aut Altare) 18
aliquando fuisse consecratam, ignoretur, vel de eo dubitetur, *can. Solennitates 15. can. Ecclesiæ 19. dist. cit. & can. Placuit 109. dist. 4. de Consec.* cùm enim paria censeantur, non esse & non apparere, *arg. l. Cùm in lege 77. ff. de Contrab. empt.* iterata non intelligitur Consecratio, quam omnino factam esse, notatur, *can. Cùm itaque 119. dist. 4. cit. & can. Solennitates cit.* Accedit; quid Consecratio sit quid facti: facta autem in dubio non præsumantur, sed probanda sint, *arg. c. Cùm in Jure 31. de Offic. deleg.* cujus Summa habet, Delegatum non credi, nisi delegationem probet. Quare in dubio, Ecclesiam esse consecratam, non præsumitur: imò præsumitur, eam non esse consecratam; ut ab Episcopo omnino consecranda sit Ecclesia, cujus Consecratio adhibitâ convenienti diligentiâ, non apparet: neque etiam ex libris antiquis vel instrumentis Ecclesiæ fide dignis, ex literis in marmore, tabulâ æreâ vel columnâ descriptis, ex cruribus formatis in parietibus, ex communi existimatione & fama, ex testium depositionibus vel aliis indiciis probatur, per tradita à Mascard. *de Probat. concl. 417. & concl. 683. à n. 1.* & Barbosa *cit. de leg. 27. à n. 5.* ubi tamen uterque advertit, eam unius fide dignî testimoniô sufficienter probari; quòd non agatur de damno vel præjudicio tertii: quæ cùm absint, unius testimoniô statur, ex doctrina ejusdem Mascard. *Proœm. q. 14. n. 14.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 63. n. 26.* ut dictum supra *Lib. 2. Tit. 20. n. 71.*

Excipi tamen passim solet Ecclesia 19
Cathedralis, quæ, si structura jam perfecta est, in dubio præsumitur consecrata; quòd ex una, hujusmodi Ecclesia, cùm per-

cùm perfectæ sunt, plerumque statim dedicentur; cùm propter specialem earum prærogativam: tum verò propter Episcopi, ab ipsis non procul degentis, commoditatem honorémque; quia est spiritualis ipsius sponsa, quæ sine Consecrationis spirituali ornamento non facilè relinquitur: ex altera verò parte ea, quæ ordinariè & plerumque contingunt, facta in dubio præsumantur, ut latè Everard. *Legal. arg. Locô ab Usitatis n. 6.* Mascard. *cit. concl. 683. n. 2.* & Jordanus *Vol. 1. Lucubr. Lib. 5. Tit. 9. n. 47.*

21. Tertiò iteranda est Ecclesiæ consecratio, si execretur: quòd duobus modis, & imprimis quidem contingit, cùm ea incendiò ita exuritur; ut parietum etiam non corruentium crusta interior majori ex parte tollatur vel abradatur, 22. *can. Ecclesiis cit.* Parietum autem non collapsorum incrustatione interiori integrâ manente, novâ consecratione opus non est: quantumvis tectum & cætera materies lignea incendiò tota absumatur, *c. Ligneis cit.* Cujus rationem reddit Glossa *in c. cit. V. Parietibus*; quia consecratio non inhæret tecto, sed superficiei & crustæ parietum: qui notantur Crucibus & sacro oleo deliniuntur, Jordan. *cit. Tit. 9. n. 68.* ubi locis, in quibus factæ sunt Cruces & inunctiones, salvis consecratione opus non esse, monet ex Ugolino *de Offic. Episc. cap. 28. n. 4. V. Postremò.* Deinde, cùm Ecclesiæ ædificium totum vel saltem parietes majorem partem corruunt ac destruuntur; ut, licet maneat eadem materia, nova tamen extructione indigeat, *can. De fabrica cit.* quia Ecclesia, sive ex eadem sive ex diversa materia de novo extruatur, nec physicè nec moraliter eadem manet, *arg. l. Inter stipulantem 81. §. 5. ff. de V. O. & l. Qui res 98. §. 8. ff. de Solutionibus*, Panormit. *in c. Proposuisti 4. n. 8.* Sylvester *V. Consecratio 2. q. 4. citt.* Azor *cap. 4. q. 5.* Barbosa *n. 13.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 9.*

Neque obstat; quòd Ecclesia comparetur navi, *can. Ante omnia 7. dist. 40. & can. Non turbatur, 24. q. 1.* quæ animô reficiendi disjecta, si ex iisdem tabulis compingatur, eadem censetur, in eáque ususfructus aliæque obligationes perseverant, §. 5. & §. 8. *citt.* quia, licet navi comparetur quoad gubernationem, quoad consecrationem tamen magis assimilatur domui, quæ affixa est solo, & quandocunque, etiam animô reficiendi destructa, de novo extruitur, diversa censetur à priori: cujus etiam obligationes extinguuntur, *l. Quid tamen 10. §. 7. V. Si autem ff. Quib. mod. Usufr. amitt.* Unde, Ecclesiâ semel destructâ, tollitur ei accessoria consecratio, etsi ex eadem materia restauretur, *citt.* Panormit. *n. 8.* Barbosa *n. 16.* & Jordan. *n. 70.* Ubi

Dubium & dissensio inter DD. non modica est, an de novo consecranda sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur ita; ut nunquâ major pars destruatur. Quod Innocentius *in Rubric. n. 1.* Panormit. *cit. n. 8.* eósque secuti nonnulli alii affirmant, & suadetur gemina ratione. Prima est; quòd, sicut, cùm semel destructa reædificatur, sic etiam hôc casu non sit eadem Ecclesia, quæ antea fuit, sed nova. Unde, cùm in spiritualibus rei veritas potiùs quam Juris fictio attendatur, de novo consecranda erit instar alterius Ecclesiæ de novo extructæ. Altera; quòd, sicut omnes partes parietis, sic etiam his inhærens consecratio tota sit sublata; ac proinde Ecclesia execrata. 23.

Sed rationes istæ, nova consecratione opus esse, non evincunt. Prima; quia ita reparata eadem Ecclesia est, non

physicè, sed moraliter & quoad consecrationem: sicut legio, populus, grex moraliter eadem censentur, licet successivè primis decedentibus alii homines vel animalia succedant, *l. Proponebatur 76. ff. de Judiciis, & l. Grege 21. ff. de Legat. 1.* Altera; quia tali casu consecratio non est tota sublata; cùm enim consecratio partis majoris præexistentis extendatur ad partem minorem de novo adjectam perinde fere, ut in prima consecratione à partibus inunctis extenditur ad alias non inunctas, etiam hæc redditur sacra; ac proinde hâc manente tota consecratio nunquam tollitur.

24. Quare meliùs, tali casu nova consecratione opus esse, cum Glossa *in c. Propositi cit. V. Reconciliari*, negant *citt.* Sylvester *q. 5.* Azor *q. 6.* Suarez *p. 3. disp. 81. s. 4. casu 6.* & Laiman. *Lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 16.* Ratio est; quia hôc casu pars, quæ de novo advenit, minor est eâ, quæ præexistit, adeóque præexistenti consecratæ accedens etiam ipsa censetur consecrata: sicut *c. Quòd in dubiis 3.* oleum non consecratum affusum & commixtum consecrato; quia in iis, quæ per accessionem partium fiunt, magis dignum ad se trahit id, quod est minùs dignum, secundùm Glossam *in c. cit. V. Consecratum* & *in c. 1. V. Altare, in fine.* Ita ergo reparatæ Ecclesiæ ad summum adhibenda est reconciliatio per aspersionem aquæ benedictæ, ut ex DD. *citt.* aliqui volunt: quod tamen ipsum, etsi laudabiliter piéque fiat, Jure non reperio expressum.

25. Sicut Ecclesiæ, sic etiam Altaris consecratio iterari, licet regulariter prohibita, permissa tamen, imò necessariò repetenda est; cùm in ea Ecclesiæ forma adhibita non fuit, *arg. can. Ecclesias cit.* vel, an aliquando consecratum fuerit,
26. ignoratur vel dubitatur, *c. Ecclesiæ 17. dist. 1. cit.* & demum, cùm enormiter læsum seu fractum est; ut in residua & integra ejus parte commodè stare nequeat pes calicis cum sacra Hostia & patena, vel ejus sepulchrum sive locus Reliquiarum &, ut vocatur, lapidis Sigillum tollitur, aperitur, frangitur, diminuitur: &, cùm altaris Fixi mensa seu lapis superior removetur à basi seu structura, cui ea est affixa, vel à columnis, quibus lapis iste seu mensa conjuncta seu firmiter est innixa, *can. Si motum 18. dist. 1. de Consec. c. Quod in dubiis 3. & c. Ligneis 6. hic*, ut latè & aliis DD. relatis declarant Barbosa *cit. alleg. 27 à n. 25.* & Jordanus *Lib. 5. Tit. 20. à n. 45.*

ARTICULUS II.

De Ecclesiæ violatæ Reconciliatione.

SUMMARIUM.

27. *Ecclesia polluta reconcilianda ab Episcopo est:*
28. *Non à simplici Sacerdote:*
29. *Nisi ex delegatione vel privilegio Apostolico.*
30. *Solâ Missæ celebratione non reconciliatur.*
31. *Polluitur I. Sepulturâ Infidelis:*
32. *Non etiam infantis Fidelium non baptizati:*
33. *Etsi talis ad sacram sepulturam non sit admittendus.*
34. *II. Sepulturâ Excommunicati vitandi.*
35. *III. Homicidiô, non meré casuali,*
36. *Aut venialiter duntaxat,*
37. *Sed mortaliter peccaminosô cujuscunque,* 38. *Etiam*

38. *Etiam ad mortem damnati, suíque ipsius.*
39. *Et quòcunque modò perpetratò,*
40. *IV. Humani sanguinis effusione notabili,*
41. *Secutâ ex voluntaria & graviter injuriosa percussione.*
42. *V. Humani seminis voluntaria & illicita effusione:*
43. *Si hæc facta intra Ecclesiæ spatium interius,*
44. *Et notoria sit.*
45. *Aliis criminibus etiam gravioribus Ecclesiæ non polluuntur.*
46. *Iisdem modis etiam Cœmiteria:*
47. *Et, si Ecclesiis adjuncta sint, cum his polluuntur:*
48. *Et cum his fere reconciliantur.*
49. *Pollutâ Ecclesiâ, etiam Altaria polluuntur.*
50. *Non tamen cum illa semper execrantur.*

27. SI Ecclesia, manente Consecratione, polluatur seu violetur, Divina mysteria peragi in ea non debent, antequam à proprio, vel de ejus licentia ab alio Episcopo reconciliata fuerit per aquam, *c. Proposuisti 4. & c. Aqua 9.* quâ ab ipso cum sale cinere & vino benedictâ parietes, pavimentum & specialiter loca contaminata asperguntur, adhibitis ceremoniis præscriptis in Pontif. Romano *Tit. de Eccles. Reconciliat.*

28. Dico, *Ab Episcopo*: non à simplici Sacerdote; cùm enim, sicut Consecratio, sic etiam Ecclesiæ pollutæ Reconciliatio actus sit Ordinis Episcopalis, simplici sacerdoti ab Episcopo committi etiam ipsa non potest, ex decisione Gregorii IX. relata *c. Aqua cit.* ubi à summo hoc Ecclesiæ Antistite contraria consuetudo Corruptela nuncupatur, *arg. c. Quantò 3. de Consuet.* Azor *p. 2. Instit. lib. 9 cap. 5. q. 5.* Ugolinus *de Offic. Episc. cap. 29. §. 8. n. 1.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 56.* Papa tamen eam sacerdoti, Ordinem Episcopalem non habenti committere potest: ut est communis sententia DD. cùm enim Ecclesiæ, sicut Consecratio, sic & Reconciliato Ordinis Episcopalis actus sit Jure solùm humano, quò Papa superior est, simplici sacerdoti committi ab ipso potest: & à Leone X. eam concessam Minoribus, & Societatis JESU Superioribus communicari, in Compend. Privileg. Societ. *V. Ecclesia §. 2.* habetur. 29.

Si Ecclesia, cùm pollueretur, fuisset solummodo benedicta & nondum consecrata reconciliari per Sacerdotem simplicem aquæ Lustralis aspersione posset, etiam mandatò seu licentiâ Episcopi non expectatâ, ut ex *c. fin.* verbis, *Aquâ protinus exorcizatâ lavetur*, rectè Glosa *fin.* &, aliis DD. relatis, advertit Barbosa *in c. cit. n. 2. & cit. Alleg. 28. n. 57.*

30. Dubium & magni in praxi momenti controversia est, an Ecclesia polluta solâ Missæ celebratione reconcilietur. Quod oritur ex *can. De fabrica cit.* cujus textu Ecclesia consecrationem amissam recipere dicitur celebratione Missarum: quò præcipuè moti *Saà V. Ecclesia, n. 19.* & Castro *de Lege Pœnali Lib. 2. cap. ult. n. 9.* Ecclesiam pollutam Missæ celebratione in ea peractâ reconciliari arbitrantur. Sed contra communem sensum DD. contrarium fere & meritò supponentium, cùm; quia *can. cit.* non agitur de Ecclesiæ pollutæ reconciliatione, sed de reparatione: &, quando novâ consecratione indigeat, declaratur: tum verò; quia pollutam reconciliandi modus præscriptus est Jure, *c. Proposuisti c. Aqua citt. &c.* quò Missam reconciliationis locò esse, nusquam statuitur: &,

si ejus celebratio istam induceret, simplici Sacerdoti committi reconciliatio ab Episcopo posset, contra claram decisionem *c. Aqua cit.* idque contingeret, quoties ex gravi causa, vg. ut infirmus sacrô Viaticô muniri valeat, pro conficiendo Eucharistiæ Sacramento Parochus in Ecclesia polluta Missam celebraret: quod ipsum, aliâ Ecclesiâ in loco non existente, posse, cum S. Thoma *3. p. q. 83. art. 3. ad 2.* concedunt Ugolinus *cit. cap. 29. §. 7. n. 1. in fine* Jordan. *Lib. 5. Tit. 12. n. 147.* & Engel *ad hanc Rubr. §. 2. n. 16.*

31. Porro pollui Ecclesia in genere dicitur, cùm, materiali ejus formâ integrâ manente, ac proinde consecratione, si istâ affecta fuit, non sublatâ, in ea accidit aliquid, quod à loci sanctitate maximè est alienum, & in fidelium animis generat horrorem; ut in illius detestationem Divina in ea celebrari Ecclesia vetuerit, donec sacris ritibus fuerit reconciliata, Suarez *in 3. p. disp. 81. sect. 4. §. Tertiò,* & Jordan. *cit. Tit. 12. n. 2.* In specie autem

Polluitur primò Sepulturâ Infidelis, maris aut feminæ, pueri vel adulti nondum baptizati, *cann. Ecclesiam 26. & 27. dist. 1. cit.* Rationem reddit Glossa *ibi V. Celebrare*; quòd ab Ecclesiis repellantur Infideles vivi, *can. 1. in fine, dist. 21. & can. 1. V. Ad ostiarium, dist. 25.* ac proinde etiam mortui; cùm, quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare debeamus, *can. 1. in fine, 21. q. 2. & c. A nobis 28. de Sent. excom.*

32. An etiam per sepulturam infantis parentum Fidelium, mortui sine Baptismo, dubium est: in quo Affirmativâ ex *cann. Ecclesiam citt.* desumit Palao *Tract. 11. disp. Unic. p. & n. 1. in fine.* Verùm textuũ *citt.* prior de Paganis loquitur expressè: posteriori autem nomine Infidelium idem intelliguntur. Unde, utróque relatorum Conciliorum Particularium, pœnalia & odiosa decreta ab ipsis ad ejusmodi infantes, sive in utero cum matre sive post nativitatem sine Baptismo mortuos, minimè extendenda, cum Ugolino *cit. cap. 29. §. 5.* censent Jordan. *cit. Tit. 12. n. 121.* & *cit.* Engel *n. 4.* Quorum benigniorem sensum etiam suadet ratio: de infante quidem in utero; quia quamdiu ex isto non editur in lucem, pars corporis matris, *l. 1. §. 1. ff. de Ventre inspic.* & istius, sicut viventis, sic etiam mortuæ jure censetur; ut cum ea ad Ecclesiam admittatur, *arg. c. Ex parte 11. de Sepult.* de nato autem, sed ante Baptismum mortuo; quia fidem Christianam, ut Pagani, detestatus non est in se, neque in parentibus: imò istorum voluntate ad Baptismum jam fuit destinatus.

33. Neque obstat; quod ejusmodi infans Ecclesiam per Baptismum nondum sit ingressus, cùm; quia eam ingressi etiam non sunt Catechumeni: quorum tamen sepulturâ Ecclesias non polluti, communis est sententia DD, tum verò; quia, licet propter Baptismi defectum in loco sacro sepeliri infantes illi nec soleant nec debeant, inde tamen non sequitur eorum sepulturâ illum polluí; quia etiam, qui in peccato mortali notoriè impœnitentes decedunt, sacræ sepulturæ inferendi non sunt, *can. Quicunque 13. q. 1.* & tamen eorum sepulturâ Ecclesia vel cæmiterium non polluitur.

34. Secundò Ecclesia polluitur sepulturâ Fidelis excommunicati, *c. Consuluisti 7.* qui textus, licet meminerit solius cœmiterii, ad Ecclesiam tamen etiam ab Interpp. refertur; cùm Ecclesiæ non minor reverentia inferatur excommunicati tumulatione. Ratio autem de utroque idem statuendi fuit; quòd excommunicatus exclusus sit à communione fidelium ferè, sicut

sicut Paganus: & propterea, sicut hujus, sic etiam ipsius sepultura sacrilega & loco sacro graviter injuriosa reputetur, Panormit. *in c. Consuluisti cit. n. 4.* Sylvester *cit. q. 5. V. Quartus*, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 252.* Suarez *cit. s. 4. §. Quarta* & Barbosa *alleg. cit. n. 52.* Qui tamen aliique DD. id hodie restringendum monent ad excommunicatos vitandos: quales post Concilium Constantiense & editam in eo à Martino V. Constitutionem, quæ incipit *Ad evitanda*, solummodo sunt notorii percussores clericorum, & ex aliis, qui publicè & nominatim sunt denuntiati; cùm enim post Concilium illud his solummodo communicare non liceat vivis, cùm iis duntaxat mortuis communicare non licebit, juxta Regulam *c. Ex parte & c. A nobis citt.*

35. Tertiò Homicidiò: non quòcunque, sed voluntariò & injuriosò, intra ipsam Ecclesiam perpetratò, *can. Si motum 18. dist. 1. cit. & c. Proposuisti 4 hac Rubr.* ubi Interpp. & passim cæteri DD. Unde

Infertur primò, Ecclesiam non pollui occisione hominis, factâ casu omnino fortuitò, vg. à trabe, lapide, incrustatura decidente, vel à tauro alióve animali in in Ecclesiam irruente, Panormit. *in c. cit. n. 2.* & Ugolin. *cit. cap. 29. §. 1. n. 1.* Neque etiam factâ à furioso, infante, dormiente, aut ab alio rationis usum non habente, *arg. Clement. Si furiosus, de Homicid.* imò etiam ab ebrio: nisi isti ebrietas usum rationis non ademisset, aut se agendum in furorem aliis periculosum prævidisset, *arg. Clement. cit.* quia ab eò perpetratum homicidium voluntarium non est, & excessus, quem commisit, solius ebrietatis, non etiam homicidii est crimen, *arg. can. Inebriaverunt, 15. q. 2.*

36. *citt.* Barbosa *n. 5.* & Jordan. *n. 35.* Neque etiam secutâ ex actione illicita, quæ tamen ex se non periculosa & ob aliâ causam, quàm ob homicidii periculũ prohibita fuit, *arg. can. cit.* quia etiam tale homicidium voluntarium & quà tale injuriosum non fuit. Neque etiam factâ ob sui defensionem, si inculpatæ tutelæ moderamen observatum & interemptus est aggressor, partim; quia etiam voluntariæ non censetur; cùm ab occidente per se & directè intenta fuerit defensio sui, non cædes aggressoris: partim verò; quia non est injuriosa; cùm occidens suò jure sit usus, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J.* quod faciens injuriam nemini facit, *c. Cùm Ecclesia 3. de Elect. & l. Proculus 26. ff. de Damno infecto*, Panormit. *cit. n. 2. citt.* Barbosa *n. 16.* & Jordan. *n. 35.* Aliud esset, si seipsum defendens ejusmodi moderamen excederet, & vim atque injuriam sibi illatam ulturus occideret aggressorem jam exarmatum aut fugientem; hujusmodi enim cæde Ecclesiam pollui, ut reconciliatione indigeat, cum Sylvestro *cit. q. 5.* probè advertit *cit.* Jordan. *n. 38.*

Infertur secundò, Ecclesiam pollui 37. Primò, homicidiò in ea commissò sine ulla sanguinis effusione, vg. suffocatione, vel percussione, mortém inferente sine vulnere, *can. Si motum & c. Proposuisti citt.* id statuentibus generaliter & indistinctè, Glossa *in c. Unic. V. Sanguinis in 6.* Panormit. *cit. n. 2.* Ugolin. *cit. §. & n. 1.* & Jordan. *n. 7.* Secundò, occisione rei 38. nocentis, ad mortem condemnati per sententiam; quia, licet hæc justa, ejus tamen executio injuriosa est loco sacro & ipsi Deo, cujus supremæ Majestati Ecclesia est dedicata, *citt.* Barbosa *n. 25.* & Jordan. *n. 10.* qui tamen rectè eam pollui negat prolatione sententiæ mortis, si hæc extra Ecclesiam inferatur; quòd, etsi ejusmodi sententia nulla & loco sacro injuriosa sit, *c. Decet 2. pr. V. Cessent, de Immunit. Eccles. in 6.* prolatione tamen illâ Ecclesiam pollui, nullò Jure sit expressum.

sum. Tertiò, cæde alicujus Pagani, Hæretici, excommunicati vel interdicti: imò etiam alicujus sancti Martyris in odium Fidei occisi, propter *can. & c. Proposuisti citt.* generalitatem; licet enim istius passio & mors sit pretiosa in conspectu Dei, ejúsque sanguine Ecclesia sanctificari videatur, persecutoris tamen actio non solùm passo ipsíque loco sacro est injuriosa, sed truculentiâ & enormitate suâ superat quamcunque etiam immanissimam cædem in ista perpetratam, Sylvester, *V. Consecratio 2. q. 5. casu 1. citt.* Azor *cap. 5. q. 1.* Barbosa *n. 2.* & Jordan. *n. 8.* Quartò Suicidiò, sive morte hominis, qui, cùm rationis usu non destitueretur, ex ira, desperatione, tædio vitæ violentas manus ipse sibi intulit, Joan. Andr. *in c. Unic. cit. n. 3.* Sylvester *cit. casu 1.* & Jordan.

39. *n. 13.* Quintò homicidiò alicujus in Ecclesia existentis, lapidisjactu, eiaculatione sagittæ, sclopi explosione perpetratò ab eo, qui extra eam existebat; cum enim voluntarium sit & injuriosum, de eo *can. & c. citt.* generalis dispositio procedit, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 256. & cit.* Jordan. *n. 16.*

40. Quartò, Vulnere in ea cum humani sanguinis effusione inflictò, *can. Ecclesia 17. dist. 1. cit. c. Proposuisti cit. c. fin. hâc Rubr. & c. Unic. in 6.* quò tamen ut Ecclesiæ pollutio inducatur, Interpp. & DD. passim exigunt; ut ejusmodi vulneratio voluntaria & injuriosa sit, eáque sanguinis non aliquot tantùm guttæ, sed notabilis quantitas effundatur; quia dictio *Effuso*, quâ *citt.* textus utuntur, denotat sanguinis abundantiam & copiosum fluxum, *arg. can. Sæpe 6. dist. 41. & can. Revertimini 67. in fine, 16. q. 1.* Glossa *in c. Cùm illorum 32. V. Effusionem, de Sent. excom.* Panormit. *in c. Proposuisti cit. n. 3.* Sylvester *cit. q. 5. casu 2.* Navarr. *cit. n. 256.* & Barbosa *cit. alleg. 27. n. 34.* Unde

Infertur, Ecclesiam non polluí sanguinis effusione etiam voluntariâ & ma- 41
gnâ illius copiâ secutâ ex percussione jocô, aut seriò quidem facta, sed levi cujus exemplum non infrequens offerunt pueri, in rixa subitò exorta in faciem se mutuò percutientes; ut sanguinis copia satis magna ex naribus effundatur; cum enim sanguis ex naribus facilè & levi etiam percussione eliciatur, in pueris ejusmodi percussio non præsumitur esse graviter peccaminosa; ut proinde Ecclesiæ pollutio, in actu, quò inducitur, mortalem culpam exigens, ex puerili ejusmodi percussione non facile sequatur, Suarez *in 3. p. disp. 81. s. 4. §. Secundò*, Diana *p. 6. Tract. 6. resol. 24. & cit.* Barbosa *n. 36.* rectè monens, si alapâ ab eo, qui quatuordecim annis major est, ex gravi ira & violenter impactâ sanguinis copia notabilis ex naribus effundatur, Ecclesiam eâ pollui, & reconciliandam. Neque id solùm, si ex hujusmodi percussione aut vulneratione in Ecclesia factâ effusus sanguis decideret in ipsius pavimentum: sed etiam, si vasculò aliquò exciperetur: aut, si percussus aut vulneratus eum profunderet extra Ecclesiam, Glossa *in c. Unic. cit. V. Sanguinis, citt.* Sylvester *Casu 2.* Azor *q. 1. §. Secundò* & Ugolin. *cap. 29. §. 2.* quia actio effusionis & inductiva pollutionis tota posita & consummata est in Ecclesia; ac proinde ista tanquam pollutæ indiget reconciliatione: sicut contrà illa opus non haberet Ecclesia, si ex violenta ejusmodi percussione aut vulnere extra Ecclesiam inflictò sanguis aut etiam mors accideret in Ecclesia, in quam vulneratus se recepisset, *citt.* Panormit. *n. 4.* Jordan. *n. 19.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 11.*

Quintò Fornicatione aliáve illicitâ 42
copulâ carnali, & quacunque voluntariâ humani seminis effusione intra Ecclesiam factâ, *can. Ecclesiæ cit. c. Significasti 5. de*

Adult.

Adult. & c. Unici cit. pr. Dico imprimis, *Effusione*, hoc est, seminis emissione sive corporis pollutione completâ, & non solum inchoatâ sive modicâ illius destillatione, *cit.* Jordan. *n.* 109. Deinde, *Voluntariâ*; quia etiam completâ seminis effusione Ecclesia non polluitur, si ea fiat in somno, licet præcedat culpa & delectatio subsequatur: neque etiam, si mari aut fœminæ vigilanti præter intentionem accidat ex infirmitate, *citt.* Ugolin. §. 3. & Jordan. *à n.* 105. Demum, *Illicitâ*, qualis etiam est, quæ sequitur ex actu conjugali extra casum necessitatis, vg. quô conjuges in Ecclesia diu inclusi ad incontinentiæ periculum vitandum debitum sibi muluò redderent; quia extra hunc casum sine gravi injuria & irreverentia loci sacri actus conjugalis non exercetur, *citt.* Sylvester *q.* 5. Azor *q.* 1. §. *Dubia* Barbosa *n.* 45. & Jordan. *n.* 113.

43. Porro, ut hujusmodi homicidiô & sanguinis vel seminis humani effusione Ecclesia polluatur, DD. satis conspirantibus calculis exigunt; ut fiat intra interius corpus Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ, sive intra spatium, quod inter pavimentum & fornicem seu tabulatum, inter Aram summam & hanc fere respicientem portam majorem & parietem intercedit, & cum navi, ut vocamus, una vel pluribus chorum & capellas, proprio muro à reliquo Ecclesiæ corpore non sejunctas, loca Musicis & fidelium divina audientium stationibus, uti etiam sepulturæ destinata comprehendit, Sanchez *Lib. 9. de Matr. disp. 15. n. 25. citt.* Barbosa *n.* 22. & cæteris accuratiùs Jordan. *à n.* 72. Quare Ecclesia non polluitur ejusmodi actu aliquô supra ipsius tectum seu fornicem, in turri seu campanili aut etiam sacristia: in cameris seu cubiculis ad Ecclesiæ rerum custodiam, & cryptis subterraneis ad alios usus, quàm ad Divina mysteria peragenda aut fidelium sepulturam deputatis: in Ecclesiæ aditu extra januam: in adsitis & extra ipsius Ecclesiæ murum pro statione vel deambulatione extructis porticibus vel atriis commissô, ut cum Glossa *V. Sanguinis cit.* Anchorano *in c. Unic. cit. n.* 2. Sylvestro *cit. q.* 5. docent *citt.* Sanchez *à n.* 26. Jordan. *à n.* 78. Ratio est; quia Ecclesiæ nomen, cùm agitur de ejus pollutione, quæ pœnalis & odiosa est, accipi debet strictè, *arg. Reg. Odia* 15. *in* 6.

Neque obstat; quòd hujusmodi loca gaudeant Ecclesiæ immunitate; ut rei iis receptiâ Justitiæ ministris extrahi non possint, *l. Pateant* 3. *C. de Hùs, qui confug. ad Eccles. can. Si quis contumax* 16. ibi, *De atrio vel de porticibus Ecclesiæ & can. Id constituimus* 29. ibi, *Ab Ecclesiæ atriis vel domo*, 16. *q.* 4. quia immunitas illa Ecclesiæ specialis favor & privilegium est; cùm ad augendum ipsius honorem & reverentiam sit introductum; ideóque, cùm de eo agitur, Ecclesiæ nomen non, ut in casibus nobis propositæ & odiosæ pollutionis, sed latè sit accipiendum, ut probè advertunt & *arg. Reg. cit.* docent Thomas *Del bene de Immunit. cap.* 16. *dub.* 9. *s.* 4. *n.* 6. & Alex Sperellus *Decis.* 63. *n.* 10.

Præterea, ut ejusmodi cæde vel effu- 44.
sione sanguinis vel seminis Ecclesia polluta reputetur: &, donec reconcilietur, Divinorum celebratio in ea intermittenda sit, communis DD. sententia exigit; ut ejusmodi actus sit publicus & notorius, vel per evidentiam facti, vel per condemnationem rei crimen confessi, aut de eo convicti in judicio, vel etiam per legitimam criminis in isto probationem, *arg. c. Significâsti cit.* Rationem reddit Palao *Tract.* 11. *disp. unic. p.* 1. *n.* 2. quòd, cùm Ecclesiæ Consecratio & Benedictio publica sit, non nisi publicô & notoriô actu debeat tolli. Quamdiu ergo in Ecclesia

clesia patrata cædes vg. omnino occulta est, & ab uno vel pluribus (non tamen tantô numerô, ut multitudinem constituant) personis ei præsentibus non publicatur, Ecclesia pro polluta non habetur; ut egeat reconciliatione, Navarrus *cit. cap. 27. n. 25. citt.* Suarez *s. 4. §. Secundò*, & Barbosa *n. 37.*

45. Dubium moveri solet, an solâ cæde vel sanguinis aut seminis effusione, vel aliis etiam criminibus in Ecclesia commissis, ejus pollutio inducatur. Hanc etiam aliis æquè aut magìs enormibus induci, cum Hostiensi *in Summa n. 9.* existimat Piasecius *Prax. Episc. p. 1. cap. 5. n. 5.* pro sua hac sententia loco Juris scripti allegans consuetudinem: de qua tamen Romæ aut alibi vigente nihil scit Jordanus; ideóque, licet eam, sicubi viget, non damnet, Jure tamen spectatô, Ecclesiam aliis quantumcunque atrocibus criminibus pollui, negat cum Sanchez *cit. disp. 15. n. 4.* cùm; quòd de his id nuspiam sit expressum: & textuum de cæde & dicta effusione id statuentium, dispositio tanquam odiosa extensionem non admittat, *arg. Reg. Odia cit.* tum verò; quòd humani sanguinis aut seminis effusione contaminati à sacrificiis præ aliis excludantur à sacris paginis & Jure Ecclesiastico: ex cujus dispositione irregularitas specialiter contrahitur homicidiô & mutilatione, *c. Ad audientiam 12. &c. de Homicid.* & à celebratione vel sacra communione magìs ob effusionem seminis, quàm ob alia etiam graviora crimina est abstinendum, *can. 1. dist. 6.*

46. Iisdem modis, quibus Ecclesiæ, etiam Cœmiteria polluuntur: imò ista, sicut cum Ecclesiis & eôdem, quô istæ ritu (seorsim tamen) à proprio Episcopo consecrantur: sic quando Ecclesiis sunt contigua, cum ipsis, imò eâdem actione, pol-
47. luuntur; ut ante reconciliationem defunctorum corpora iis non sint inferenda, *v. Unic. pr. in 6.* licet non vicissim, pollutis istis, etiam Ecclesiæ pollutæ censeantur, *c. cit. V. Non sic*; quia cœmiteria contigua Ecclesiis his accessoria sunt; ac proinde istarum tanquam principalium suorum (non etiam hæ ipsorum) conditionem sequuntur, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6.* Casu tamen, quô cœmiteriũ pol- 46.
lutum est per violationem Ecclesiæ, per istius reconciliationem etiam ipsum reconciliatur, ut cum Ugolin. *cit. cap. 25. §. 8. n. 4.* & aliis tradit Barbosa *Juris Eccles. Lib. 2 cap. 9. n. 11.* Quando verò cœmiterium ab Ecclesia remotum aut sejunctum est, iisdem, quibus ista ritibus, & non nisi à proprio vel, isto commitente aut consentiente, ab alio Episcopo reconciliandum est, *c. Consuluisti 7.* nisi fuisset solummodo benedictum; hoc enim casu solius aquæ Lustralis aquæ aspersione reconciliari à simplici sacerdote potest, *arg. c. fin.* Ugolin. & Barbosa *l. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 32.*

Superest dubium, an Ecclesiæ pol- 48.
lutio etiam afficiat Altaria. Ratio dubitandi oritur à paritate Execrationis: quæ, si Ecclesiæ accidat, ad illa non extenditur. Cur non idem sit de Pollutione? Sed cum ista aliter res se habet; quia pollutio in quocunque interioris Ecclesiæ corporis loco facta indivisibiliter totum ejus corpus in eòque contenta, ac proinde etiam Altaria intra id sita afficit; quia pollutionis Ecclesiæ præcipuus effectus est cessatio à sacrificio Missæ, *arg. c. Is qui 15. de Sent. excom. in 6.* adeò; ut, si post istius celebrationem jam inchoatam Ecclesia polluatur, sacerdos, eâ non perfectâ, ab altari recedere debeat: nisi ipsa consecratio jam inchoata; ac proinde ad Sacrificii integritatem Missa perficienda esset, *citt.* Ugolinus *§. 7. n. 3.* & Barbosa *n. 63.* Unde, cùm sacrificium Missæ in solo

in ſolo altari peragatur, Eccleſiæ pollutionem ad ipſius Altaria porrigi, eſt neceſſe. Alia ratio eſt Execrationis, quæ principaliter afficit ſolos parietes aut altare; ideóque, ſicut Altaris menſa ſeu lapis ſuperior ab inferiori ſeu baſi removeri, confringi, diminui; ac proinde ejus conſecratio tolli poteſt, Eccleſiâ illæsâ: ſic viciſſim iſtius parietum cruſta & cum iſta Eccleſiæ conſecratio, Altari illæsô, tolli; & propterea Eccleſia ſine Altaribus & hæc ſine illa execrari valent. Cujus ulterior ratio eſt; quia Altare non eſt quid acceſſorium ad Eccleſiam: ſed aliquid non ſolùm ab iſta diſtinctum, ſed principale; cùm in eo offeratur incruentum Sacrificium, ad quod Eccleſia cum ſuis ornamentis ordinatur, ut rectè advertunt Sotus *in 4. diſt. 13. art. 3.* & Barboſa *in c. 1. ad hanc Rubr. n. 4.*

TITULUS XLI.

De Celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ & aliis Officiis Divinis.

Eccleſiæ & Altaria per Conſecrationem deputantur ad Celebrationem Miſſæ, ſeu confectionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, cæteráque Officia Divina: quorum ſuccinctæ explicationi anſam præſenti Rubricæ ſubjecti textus præbent.

ARTICULUS I.

De ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

1. *Miſſa eſt incruentum Sacrificium:*
2. *Et in hoc Deo oblata hoſtia, Euchariſtia.*
3. *Materia hujus Sacramenti ſunt Panis triticeus;*
4. *Et vinum de vite:*
5. *Cui modicum aquæ,*
6. *Ex Eccleſiaſtico, non Divino præcepto admiſcetur,*
7. *Ad ſignificandum ſanguinem & aquã, ex Chriſti latere profluentem.*
8. *Forma ſunt verba,* Hoc eſt Corpus meum,
9. *Et,* Hic eſt calix Sanguinis mei.
10. *Miniſter eſt ſolus Sacerdos:*
11. *Non laicus aut alius clericus, etiam Diaconus:*
12. *Etſi ab iſto aliquando Euchariſtiã refici laicus poſſit.*
13. *Euchariſtia ſumenda eſt præparatione maximâ,*
14. *Et à jejunio;*
15. *Ut cibi potúsque ſumptio etiam minima excludatur:*
16. *Tribus caſibus exceptis.*
17. *In mortis articulo conſtitutus eã refici ſæpius poteſt.*
18. *Etiam eadem infirmitate durante.*

19. *Sacrificium Missæ in die tantùm semel,*
20. *Tribus casibus exceptis:*
21. *Tempore antemeridiano,*
22. *In loco consecrato vel saltem benedicto,*
23. *Et super Altari offerendum,*
24. *Ministrii, vasis sacris &c. adhibitis, est.*

1. NOmine Missæ, non à *Missah* Hebræo, sed à Latiali verbo *Mitto*, sive à *Missione* vel *Dimissione* Catechumenorũ ante Consecrationem, imò ipsam Oblationem: vel totius populi Christiani sub Sacrificii finem à Sacerdote vel Diacono, sic dictæ, teste Bellarmino *Lib. 1. de Missa cap. 1*, modernô, imò priscô & sub ipsum nascentis Ecclesiæ primordium jam receptô usu intelligitur Incruentum Sacrificium, quô per Consecrationem conficitur Eucharistia; hac enim ejus vocis significatione S. Clemens, *In aliis*, inquit, *locis sacrificare & Missas celebrare non licet*. Quô sensu eâdem voce usi sunt SS. Ecclesiæ DD. ac PP. Ambrosius *Lib. 3. Epist. 33.* & Augustinus *de Tempore, Serm. 92.* sicut & Novissimè S. Synodus Tridentina *Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. Miss.*

2. Eucharistiæ nomine venit ipsa Incruenta hostia, in sanctissimo illo Sacrificio oblata, sive Christus sub specie panis & vini: quorum substantia vi Consecrationis in ipsius corpus & sanguinem convertitur, & Patri æterno offertur, cùm ab ipsomet Christo tanquam offerente principali, tum verò à Sacerdotibus tanquam ejus ministris, ut declarat Trident. *Sess. cit. cap. 1. & 2.* & ad mentem D. Thomæ *3. p. q. 83. art. 1.* latè explicant Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 4.* & Suarez *3. p. disp. 77. art. 1.* Eucharistiæ autem nomen, quod apud Græcos Gratiarum actionem denotat, sancta & immaculata illa Hostia obtinuit; quòd Deo in gratiarum actionem, vel cum ista offeratur ex ipsa Christi institutione, Matth. *cap. 26. v. 27.* Marc. *cap. 14. v. 27.* & Lucæ *cap. 22. v. 19.* ut cum *cit.* Suarez *disp. 78. sect. 2.* advertit Laiman *Lib. 5. Tract. 3. cap. 1. num. 6.*

Materia, ex qua in SS. sacrificio Eucharistiæ Sacramentum conficitur, est Panis & Vinum, secundùm institutionem Christi in Evangelio *loc. citt.* perpetuam praxin & Traditionem Ecclesiæ, & definitionem Generalium Conciliorum, Lateranensis *c. 1. de Summa Trinit.* Florentini *in Decreto Eugenii §. Tertium*, & Trident. *cap. 1. cit.*

Panis quidem Triticeus, §. *Tertium cit.* sive ex tritici farina, aquâ naturali sive elementari (non lacte, melle, aquâ rosaceâ vel simili liquore) subesta & ignis calore tosta. Tritici autem nomen hîc sumendum est latè pro omni genere frumenti sive grani, quod ad conficiendum panem pro vita hominis communiter solet adhiberi, ut præter triticum specificè acceptum, vulgo Waitzen, quod adhiberi solet ac debet, etiam sint ista sive far, vulgò Dinckel-Korn oder Kern, & siligo, vulgò Rocken oder Korn: non etiam hordeum, avena, milium, orza, castaneæ, glandes; quia ex his confectus communi usu non panis simpliciter, sed cum addito hordeaceus, avenaceus &c. vocari solet, Laiman *Tract. cit. cap. 2. n. 2.* & Palao *Tract. 21. disp. Unic. p. 4. num. 2.*

Vinum autem esse debet de vite, §. *Tertium cit.* ex uvis jam maturis expressum, *can. Cùm omne 7. dist. 2. de Consec.* ut colligitur ex institutione & significatione Sacramenti, exigentiâ; ut materia ejus sit potus: cujus rationem non habent uvæ; cùm in earum acinis vinum non tan-

non tanquam in vaſe, ſed tanquam pars in toto contineatur : neque aptum ſit, ut aquæ miſceatur, *citt.* Suarez *diſp.* 45. *ſ.* 1. Laiman *n.* 5. & Palao *n.* 7. Muſtum licet validè conſecretur, ad ſacrificium tamen, ſicut & vinum congelatum illicitè adhibetur; quòd, licet utrumque ſubſtantialiter vinum, & hoc per ſe potabile ſit, illud tamen adhuc fæculentum, & hoc congelatione valde notabiliter ſit alteratum. Alia ratio eſt agreſtæ, ſive liquoris expreſſi ex uvis immaturis, & aceti; cùm enim illa vini naturam nondum ſit conſecuta: iſtud autem eam jam exuerit, & in aliam ſubſtantiam transmutatum ſit, ad conſecrationem apta materia non erunt, *citt.* Laiman. *n.* 6. & Palao *à n.* 8.

5. Vino conſecrando ex perpetua Traditione Eccleſiæ admiſcendum eſt pauxillum aquæ, §. *Tertium cit.* & Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 7. non quidem ad valorem Sacramenti aut ex Divino, ſed ex Eccleſiaſtico duntaxat præcepto, ut §. *& cap. citt.* aſſeritur: eámque ob cauſam Sacerdos, ſi primùm poſt conſecrationem calici aquam non affuſam fuiſſe, advertat, eam poſtea affundere prohibetur Miſſalis Romani *cap.* 4. *de Defectu Vini*, manifeſtô indiciô, Conſecrationis ſine aqua validè peractæ, S. Thomas *3. p. q.* 83. *art.* 6. Bellarm. *de Euchariſt. cap.* 20. & Suarez *cit. diſp.* 45. *ſ.* 2.

6. Neque, admixtionem aquæ ex Divino præcepto faciendam, & ſine ea Sacramentum hoc non perfici, traditum eſt à Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 24. in Sacramentis corporis & ſanguinis aliud, quàm ipſe Dominus inſtituit, non offerendum, decernente: aut à Julio Papa, calicem Domini aquam ſolam & vinũ ſolum eſſe poſſe, negante *can. Cùm omne* 7. *diſt.* 2. *de Conſec.* quia imprimis *cit. can.* 24. ſolùm panem & vinum cum aqua, & non cum alio aliquo liquore mixtum offerendum eſſe, decernitur. Deinde ex eo, quòd Dominus vinum aquâ mixtum adhibuerit, vinum ſine iſta invalidè conſecrari, non rectè arguitur: ſicut ex eo; quòd adhibuerit panem azymum, hunc ad valorem exigi & fermentatum non ſufficere, perperam infertur; cùm, ſicut non ſolùm azymus, ſed fermentatus quoque verus & uſualis panis, ſic purum quoque & non id tantùm, cui aqua admiſcetur, verus & uſualis ſit vini potus: licet vinum ſine aqua non convenienter & ſalvâ plenitudine myſticæ ſignificationis conſecretur, ut cum *cit.* S. Thoma *q.* 74. *art.* 7. *ad* 1. advertit Laiman *cit. cap.* 2. *n.* 7. Quô etiam ſolô ſenſu vinum ſine aqua Calix Domini, non ſimpliciter, ſed tantùm cum ejus ſignificationis plenitudine eſſe, à Papa negatur *can. Cùm omne cit.* ut *in c. Pernicioſus* 13. *hâc Rubr.* notat Gonzalez *n.* 3. Demum; quia ea aquæ admixtio *Præceptum*, *Inſtitutio* & *Traditio Domini* à PP. aliquando vocatur latè; quòd, etſi de ea non extet Dominicum mandatum, Dominici tamen facti exemplum habeamus: quô ſenſu etiam lotio pedum *Traditio Domini* à S. Ambroſio *Lib. de Spiritu ſancto, in Proœmio* nuncupatur, *citt.* Gonzalez *n.* 3. *in fine*, & Palao *p.* 5. *n.* 5.

7. Ejus autem admixtionis myſtica ſignificatio ſecundùm Innocentium III. *c. Cùm Martha* 6. §. *Quæſiviſti*, eſt ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluens, & ſymbolicè referens plenam ablutionem peccatorum per ſanguinem & merita Chriſti: & ſecundùm Julium Papam adunatio populi cum Chriſto, ſive fidelium credentium in Chriſtum cum eo copulatio, *can. Cùm omne cit.* quorum ille per aquam: iſte ſive Chriſtus ob virtutis & Divinitatis ſuæ excellentiam, per vinum aptè exprimitur, *citt.* S. Thomas *art.* 6. Palao *n.* 1. & Gonzalez *n.* 1.

8. Forma hujus Sacramenti sunt verba, quorum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in ejus Sanguinem convertitur, scilicet, *Hoc est enim corpus meum*, &. *Hic est enim calix sanguinis mei Novi & æterni Testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex quibus essentiam formæ Consecrationis constituunt sola verba, *hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei:* quæ posteriora verba eundem sensum habent, quem verba, *Hic est sanguis meus*, quæ leguntur apud Evangelistas, Matth. *cap. 26. v. 28.* & Marc. *cap. 14. v. 24.* Ratio est; quia, iis verbis solis prolatis, Corporis & Sanguinis Christi præsentia, ac proinde substantiæ panis & vini in illud & hunc conversio facta plenè & sufficienter significatur. Quare non solùm dictio *Enim*, sed etiam verba, *Novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei &c.* & multò magis verba, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, ad essentiam Formæ & hujus Sacramenti necessitatem non pertinent, ut ex communi aliorum sensu docent *citt.* Suarez *disp. 59. & 60. utrobique s.* 1. Coninck *Quæst 78. dub. 2. & 3. utrobique dub. 2.* Laiman *cit. Tract. 4. cap. 3. n. 1. & 3.* & Palao *p. 7. n. 1. & 3.* licet ipsa quoque in Consecratione sine gravi peccato nequeant omitti; quòd ea in Canone Missæ ab Ecclesia semper observata: imò ab ipso Christo Domino, saltem quoad sensum adhibita fuisse, partim ex textu Evangelico: patrim ex Ecclesiæ Traditione habeatur, teste Innocentio III. *c. Cùm Marthæ 6. pr. V. Quæsiviſti cit.* Suarez *s. 3.*

9.

10. Minister Venerabilis hujus Sacramenti, quoad ejus confectionem & SS. Missæ sacrificii celebrationem, ex Divina institutione est solus Sacerdos: quod Fidei dogma, & definitum est à Generalibus Conciliis Niceno I. *can. 14.* Lateranensi, relato *c. 1. de Summa Trinit.* Florent. *s. Tertium cit.* & Tridentino *Sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 1. & can. 2.* Quod dispensationem, etsi nemo alius à Sacerdote ejus Minister ex officio esse queat, secundùm Novissimæ illius S. Synodi decretum *Sess. 23. cap. 8.* Concil. Rhemense, relatum *can. Pervenit 28. dist. 2. de Consec.* & Apostolicum illud, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. Corinth. *cap. 4. v. 1.* Episcopi tamen &, urgente gravi (hic tempore ob Sacerdotum copiam rarin occurrentis) necessitatis casu etiã ex Presbyteri delegatione ejus minister esse, & fidelibus ad sacram Synaxim accedentibus sacras hostias distribuere etiam Diaconus potest, ut colligitur ex S. Clemente *Lib. 8. Constitut. cap. 28. cit.* Concil. Nicæni *can. 14.* Carthag. IV. *can. 38.* & ipso etiam Tridentino *Sess. 21. cap. 1.* expressè declarante, in dispensatione Sacramentorum Ecclesiæ facultatem relictam esse, *Salvâ illorum substantiâ*, statuendi & mutandi pro rerum temporum & locorum varietate & suscipientium utilitate, quod sibi visum fuerit expedire.

Laico, imò etiam clerico cuicunque, in Minoribus & Subdiaconatûs sacro Ordine constituto, sacrũ hoc salutis pignus, extra casum extremæ necessitatis fidelibus ministrandi facultas ab illo Prælato Papâ inferiore committi, ex communi DD. sententia nequit, & disertè prohibetur *can. Pervenit cit.* & allegati Concilii Nicæni I. *can. 38.* cui

Non obstat Consuetudo Ecclesiæ primitivæ, laicis concedentis; ut à Sacerdotibus acceptum SS. Domini Corpus, propriis manibus sumendum domum deferrent, apud Sozomenum *Historiâ Eccles. Lib. 8. cap. 3.* & Nicephorum *ejusdem Historiæ Lib. 13. cap. 7.* cùm; quia illa non & SS.

& SS. hoc Sacramentum extra Miſſæ ſacrificium ſibi miniſtrandi Conſuetudo cum tempore ex gravibus cauſis omnino ſublata eſt: tum verò; quia, ſicut Apoſtolorum, calicem à Chriſto conſecratum inter ſe dividentium actio, ſic etiam illa laicorum delatio, SS. Sacramenti à Sacerdotibus miniſtrati applicatio receptióque fuit, ut obſervant & rem hanc declarant *citt.* Suarez *diſp. 72. ſ. 1.* 12. & Palao *p. 17. n. 7.* De quo quidquid ſit, ex priſco illo Eccleſiæ more caſu, quò infirmus morti proximus SS. Euchariſtiæ Sacramento refici & muniri peteret, & Sacerdos, Diaconus vel alius Clericus non adeſſet, ſcandalíque periculum abeſſet, eam illi miniſtrari à laico poſſe, cum *citt.* DD. ſuſtinent Coninck *diſp. 82. art. 3. n. 23.* & Laiman. *cap. 7. n. 6.* contra Henriquez *Lib. 8. cap. 54.* & Vaſquez *diſp. 219. cap. 1.*

13. Porro Miniſtro ſumma ſollicitudine curandum eſt; ut ad Sacrum hoc miniſterium obeundum & tremendum Miſſæ ſacrificium celebrandum cum omni Religionis cultu ac veneratione animíque puritate maxima accedat: ut S. Tridentina Synodus ſalubriter monet *cit. Seſſ. 22. in Decreto de Obſervand. in Miſſa.* & pluribus explicatum eſt *Tit. 1. à n. 29.*

14. Præterea Sacerdos ſacrificaturus, & Fideles SS. hoc Sacramentum ſumpturi eſſe debent jejuni, ex decretis Conciliorum Carthag. III. *can. 29. can. Sacramenta 48. diſt. 1. de Conſec.* Matiſcon. II. *can. 6.* Bracharenſis I. *can. 16.* Altiſiodor. III. *can. 29.* Mogunt. IV. *can. 33.* & aliorum à *cit.* Suarez *diſp. 68. ſ. 3.* & Gonzalez *in c. Ex parte 50. n. 1.* relatorum. Ratio id ſtatuendi fuit; ut ob honorem & reverentiam tanti Myſterii in hominis Chriſtiani os priùs SS. corpus Domini, quàm alii cibi, intraret: &, quàm procul poſſet, removeretur periculum vomitûs, qui hominum ante ejus ſuſceptionem cibo potúque ſe onerantium intemperantiâ aliquando contingebat, Gonzalez *in c. cit. n. 5.*

Neque laudatorum Conciliorum decreta convellit exemplum Chriſti Domini, pánem & vinum poſt Cœnam conſecrantis, & SS. Corpus ac Sanguinem ſuum diſcipulis ſumendum dantis: quod primis Eccleſiæ ſeculis in quibusdam locis obſervatum, & Feria V. in Cœna Domini fidelium communionem veſpertino tempore celebratam, patet ex *citt.* Concil. Carthag. *can. 29.* Matiſcon. *can. 6.* & Bracharenſi II. *can. 10.* quia à Chriſto id factum eſt ſecundùm Legem veterem: Quam veſpertinâ illâ Cœnâ & Morte ſua conſummans Figuræ veteris novi Sacrificii veritatem ſubſtituit, teſte S. Iſidoro *Lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 18.* relictâ Apoſtolis poteſtate, cum aliis ritibus accidentalibus etiam tempus ejus excellentiæ conveniens ordinandi. Unde Ordinatione & uſu Apoſtolicô introductum eſt; ut Miſſæ ſacrificium & Euchariſtiæ ſumptio manè, aut ſaltem à jejunis perageretur: à qua Ordinatione receſſum non eſt in Eccleſiis, in quibus Miſſæ & Communiones veſpertinæ in uſu erant; quia ita receptæ erant diebus jejuniorum, quibus iſta à fidelibus protrahebantur uſque ad veſperam: quâ & Miſsâ officiísque Divinis jam finitis, aliorum ciborum ſumptione ſolvebantur, *can. Solent 49. pr. diſt. 1. de Conſecrat.* Micrologus *de Eccleſ. Offic. cap. 49.*

Id autem jejunium ex obligatione 15.
eſſe debet Naturale & perfectum; ut ſacerdos Miſſam celebraturus & fideles ſacrâ Euchariſtiâ reficiendi, antequam ad Altare accedant, eô die à media nocte inchoatâ, ab omni etiam minima cibi potúsque, per os accipiendi & per propriam ac vitalem comedendi bibendivè actionem in

nem in stomachum traiiciendi, sumptione abstineant, ut colligitur ex *can. Nihil. 16. V. Nullus 7. q. 1. can. Sacramenta 49. dist. 1. can. Liquido 54. pr. dist. 2. utrobique de Consec. & c. Ex parte 5. hâc Rubr.* & cum D. Thoma *3. p. q. 8. art. 8. ad 4.* passim tradunt cæteri TT. & Canonistæ.

Quantumvis autem Missæ celebrationem & fidelium Communionem cujuscunque rei, cibi potúsque rationem habentis, etiam minimæ & grani juniperi, masticis, sacchari, aut guttæ vini, olei vel alterius liquoris, etiam medicinæ & quacunque alia ex causa facta sumptio & in stomachum trajectio impediat: eis tamen non obstat sanguis aliúsve humor ex naribus aut capite defluens aut in ablutione oris salivæ admixta guttula aquæ, vel particula cibi à pridiana cæna dentibus inhærens: imò etiam salivæ admixtæ guttulæ jusculi degustati & casu in stomachum trajectæ, *citt.* Suarez *disp. 68. s. 4. §. Tertiò*, Laiman *cap. 6. n. 18.* & Palao *p. 15. n. 8.*

16. Non desunt tamen casus & causæ, ex quibus Sacrificatio, & Sacramenti etiam Eucharistiæ sumptio Jure permissa est non jejunis.

Primus est necessitas Sacrificii perficiendi; quòd pro consecratione calicis locô vini abhibita & sumpta jam sit aqua, vel post communionem & ablutionem in patena vel corporali reperiantur particulæ consecratæ: si sacerdos post consecrationem jam peractam cibi potúsque antè sumpti recordetur: vel istius quidem recordetur antè, sed absque gravi scandalo consecrationem & communionem intermittere non possit: si alius sacerdos, post Canonẽ cæptum deficiens, Missam prosequi non valeat, & qui eam perficiat sacerdos jejunus, non adsit. *citt,* Suarez *s. 5.* & Laiman. *cap. 6. n. 21.*

Secundus casus est reverentia venerabilis Sacramenti, sive periculum sacrilegæ tractationis & injuriæ ei ab infidelibus, hæreticis &c. inferendæ: quô id à non jejuno, etiam laico, cum timore & reverentia sumi potest, *citt,* Laiman, *n. 22.* & Palao *p. 15. n. 17.*

Tertius & præcipuus est articulus seu probabile periculum mortis; in eo enim verisimiliter constitutus, si jejunus commodè nequeat, sacrô Viatico reficí post cibum jam sumptum potest, *can. De his verò 26. q. 6. can. Presbyter 92. dist. 2. de Consec.* & Concilii Constantiensis *Sess. 3.* quâ Eucharistiæ sumptio non-jejuno permittitur *In casu infirmitatis aut alterius necessitatis à Jure vel Ecclesiâ concesso vel admisso.* Ratio est; quia Eucharistiæ sumendæ præceptum Divinum, eo tempore probabiliter urgens, prævalet Ecclesiastico de jejunio observando ante communionem, *citt.* S. Thomas *3. p. q. 80. art. 8.* & Suarez *disp. 68. q. 5.* Ubi

Dubium est, an infirmus sacrificâ Eucharistiâ reficí sæpius possit. Et quidem, si mortis periculo, ratione cujus sacrô Viaticô munitus est, jam sublato succedat novum, infirmum eôdem durante, si jejunus nequeat, denuo reficí non jejunum posse, satis convenit inter DD. An autem, eâdẽ infirmitate durante, sacra communio non jejunio sæpius permissa sit, dubitandi ratio minimè levis est; quia generali Ecclesiæ præcepto, ne post cibi vel potûs sumptionem sacrificetur aut Eucharistia ministretur, casus articuli seu periculi mortis ex ea solùm ratione exceptus est; *Ne infirmus necessariô vitæ suæ Viaticô defraudetur, can. De his verò cit.* &; *Ne sine communione moriatur, cit.* &; *Presbytur cit.* Quæ ratio cessat in eo, qui sacrô Viaticô semel est refectus; cùm talis non decedat sine Communione, & necessariô vitæ Viaticô non defraudetur. Qua ratione ductus Vasquez, eôdem ite-

dem infirmitate durante, sacræ Eucharistiæ sumptionem non-jejuno semel duntaxat licitam, censet *dissp.* 211. *cap.* 4. *à*
18. *n.* 37. Verùm alii, eam rationem non esse adæquatam, & sacrum illud morientium solatium præsidiúmque non-jejunis indultum, ajunt, propter maximam ejus necessitatem, ad moribundi in extremo vitæ articulo confortationem & unionem animæ cum Deo, Creatore ac Redemptore suo, conservandam firmandámq; , & faciliùs superandas tentationes ac suggestiones diaboli, tunc maximè insidiantis & quærentis, quem devoret. Unde sacræ Communionis iterationem moribundo non jejuno eo saltem casu, quò post Viaticum acceptum in peccatum mortale incidisset, Armilla *V. Communio n.* 18. & Tabiena *V. Eôdem n.* 54. & extra hunc casum post sex septémve aut octo dies, Diana *p.* 1. *tract.* 14. *resol.* 57. & Bonacina *de Sacram. disp.* 4. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 23. & post triduum duntaxat à Viatici sumptione lapsum permissã, existimat Ludov. à S. Joan. apud Quintanaduenn. *Singul.* 14. *n.* 3. Quin imò frequentiori & quotidianæ etiam sanctissimi Sacramenti sumptioni antè assueto toties, quoties jejunus extra infirmitatem communicare solitus erat; ac proinde quotidie sacrificare solito, si ejus magno desiderio teneretur & sumere jejunus non posset, sanctissimum Angelorum cibum non jejuno quotidie ministrari posse, cum *cit.* Armilla & Saà *V. Eucharistia n.* 5. *&* 34. concedunt Laiman. *cit. cap.* 6. *n.* 20. Hurtadus *de Eucharist. disp.* 9. *diff.* 16. *in fine*, Palao *cit. p.* 15. *n.* 14. Dicastillo *de Euch. disp.* 9. *n.* 334. Gobat *Experient. Tract.* 4. *n.* 317. Rationem reddunt; quòd tam relatus Concilii, quàm alii textus à communi lege, ad Eucharistiæ sumptionem jejunium exposcente, casum infirmitatis, cum probabili mortis periculo conjunctæ, excipiant sine restrictione ad vicem tantùm unam; atque idcirco interpretationem recipiant à communi sensu Ecclesiæ & consuetudine fidelium doctorum ac timoratorum: qui ad extremum vitæ articulum deducti, cùm jejuni non possunt, non-jejuni communicare, Superioribus suis non contradicentibus, sæpius & aliquando quotidie solent. Quæ istorum doctrina non solùm pia, sed tuta quoque: ejúsque praxi nulla irreverentia venerabili Sacramento inferri videtur præsertim, si naturalis jejunii defectus infirmi singulari devotione & reverentiâ suppleatur.

Sacrificare Sacerdotes, licet ob eo- 19.
rum paucitatem olim eôdem die, & præsertim majoribus anni Festivitatibus, pluries potuerint, *can. Relatum* 11. *dist.* 2. *de Consec.* & Leo Papa septem vel novem Missarum solennia celebrâsse, perhibeatur à Strabone *de Reb. Eccles. cap.* 22. cum tempore tamen, numerô presbyterorum invalescente & fervore remittente cautum est; ut singulis diebus semel duntaxat singuli sacrificarent, *can. Sufficit* 52. *dist.* 1. *de Consec. & c. Referente* 12. *hâc Rubr.* præterquam in solennitate Na- 20.
talis Domini: quâ trium Missarum celebratio cuivis Sacerdoti permissa est, *c. Consuluisti* 3. jam à Telesphoro Romanæ Sedis Episcopo IX. *can. Nocte* 47. junctâ Glosâ *V. Eôdem dist. cit.* teste *cit.* Strabone *cap.* 21. ad denotandos totidem Mundi status & triplicem Legem: quarum prima Naturæ, à Mundi creatione ad Moysen: altera scripta ab isto ad Christi mortem usque perduravit: tertia Gratiæ, à Christi Nativitate inchoata & morte ad perfectionem perducta, usque ad mundi consummationem permanebit, Hugo de S. Victore *Lib.* 3. *de Spectal. Miss. observat. cap.* 5. Aliam & aliorum DD. satis frequenti calculô approbatam

batam ejus Missarum ternarii rationem & significationem reddit *cit.* Doctor Angelicus *q. 73. art. 2. ad 2.* ubi eum introductum, ait, ad celebrandam Christi triplicem Nativitatem. Primam Æternam, quâ verbum à Patre generatum: alteram Temporaneam, quâ id Caro factum & ex B. V. Maria natum habitavit in nobis: Tertiam Spiritualem, quâ tanquam Lucifer nascitur in cordibus justorum, qui ab eo viva fide illuminantur.

Præter Domini Natalem SS. Missæ sacrificii iteratio Sacerdoti jejuno secundùm communem TT. doctrinam licita est casu necessitatis, *c. Consuluisti 3.* quô post sacram hostiam (ante ablutionem tamen) sumptam de infirmo sacro Viatico muniendo admonetur: &, quæ isti ministretur, alia consecrata hostia non adest; tali enim casu, si à sumptione ablutionis abstineat, novum sacrificium inchoare & perficere potest. Quod aliquando etiam licet die Festivo; ne Parochiarum, quas Parochus regit, alterius populus, aliô sacerdote deficiente, Missa privetur, Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 2.* Azor *p. 1. Instit. Lib. 10. cap. 24. q. 6. §. Quæres citt.* Suarez *disp. 80. s. 3.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 5. cap. 4. n. 6.* Palao *Tract. 22. disp. unic. p. 7. n. 8.* & Gonzalez *in c. Consuluisti cit. n. 2.*

21. Certa hora Missæ celebrationi à Jure non determinata: usu tamen receptum est; ut extra Natalem Domini regulariter ante auroræ initium non peragatur, & post meridiem non inchoetur, seclusô privilegiô: vi cujus indulti Regularibus isti de Superiorum suorum licentia unâ horâ ante auroram & post meridiem sacrificare possunt, ut habetur in Compendio Privileg. S. J. *V. Missa §. 3.* & advertit Rodriquez *Tom. 1. Regul. q. 43. art. 1.* Idem faciendi licentiam dare ex justa causa, vg. itineris commodè peragendi, & multò magis ipsi tali potestate uti Episcopi possunt, ex communi DD. sensu apud Laiman. *Tract. cit. cap. 5. n. 3.* In Germaniæ etiam nostræ Civitatibus tempore hyemali Missæ tribus quatuorve horis ante solis ortum inchoari passim solent; ut operarii & famuli, priusquam ad opus & laborem se conferant, Missam audire possint, ut cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 85. cit.* Laiman. *cit. cap. 4. n. 3.* observat.

Locus, in quo SS. Missæ sacrificium 22
Deo offertur, Jure communi & ordinario esse debet ab Episcopo consecratus, vel saltem benedictus, secundùm *can. Sicut 10. can. Nullus 14. dist. 1. de Consec.* & Trident. *Sess. 22. in Decreto de Observ. in Missa*, ubi, id extra ejusmodi locum celebrari, diserte prohibetur, exceptis casibus ad Rubricam præcedentem *n. 4.* declaratis.

Ad ejusdem SS. sacrificii celebra- 23
tionem necessarium est; ut fiat super Altare, secundùm Concilium Hipponense *can. 6.* Agathense *cam.* Aliaria 30. & 31. *dist. 1. cit.* relata, Epaunense *can. 26. & 27.* apud Ivonem *p. 3. cap. 30.* adeò; ut, qui sine eo id offerre præsumit, gravissimô sacrilegii reatu teneatur; si enim antiquæ Legis, imò prophanæ náque Gentilium Sacrificia aram exposcebant, hæc multò magis necessaria erit ad veri Divinique sacrificii celebrationem, Bellarminus *Tom. 2. Lib. 1. de Missa cap. 26.* cit. Suarez *disp. 81. s. 3.* & Palao *disp. cit. p. 9. n. 1.*

Præterea adhibendus ad hoc sacrifi- 24
cium est Minister, vasa & vestimenta rítusque sacri, præscripti in Rubrica Missalis, & pluribus explicati *à cit.* Laiman. *Tract. 5. cap. 6. à n. 11.* Palao *disp. unica cit. p. 10. àn. 1.* & præsertim à Jordano Lucubrat. *Lib. 4. tit. 1. àn. 180.* atque aliis.

ARTICU-

ARTICULUS II.

De sacrificandi Obligatione & Sacrificii Applicatione.

SUMMARIUM.

25. *Missa celebratio quotidiana laudabilis:*
26. *Ratione Ordinis sacerdoti cuivis aliquoties,*
27. *Et variis diebus Parochis praecepta est.*
28. *Ecclesiarum Praelatis eius frequentia commendatur.*
29. *Sacrificii fructus vel Generalis, vel Personalis,*
30. *Vel inter utrumque Medius est.*
31. *Pro Medii applicatione stipendium permittitur celebranti,*
32. *Etiam beneficiato, ad Missas ratione beneficii non obligato.*
33. *Ad has obligato illud generaliter negantium Opinio,*
34. *Et istius fundamenta.*
35. *Opinio DD. idem non permittentium Parocho.*
36. *Stipendium licitè recipitur, cùm id permittit Missa fundator &c.*
37. *Non etiam, cùm iste Missas pro se offerri,*
38. *Aut eas celebrari simpliter praecipit.*
39. *Parochi sacrificia offerre aliquoties tenentur pro parochianis:*
40. *Regulariter pro aliis, stipendiô acceptô, possunt.*
41. *Uti &, qui pro loci Cultu, Commoditate audientium &c. sacrificare tenetur.*
42. *Quod asserentium verior Opinio ratione,*
43. *Et contra eam deductorum solutione roboratur.*
44. *Pro una Missa non permittuntur duo stipendia:*
45. *Licet utrumque tenue sit.*
46. *Justô majus recipiens, partem retinere, & partem duntaxat celebranti dare non potest.*

SAcrificii Missæ celebratio quotidiana, etsi laudabilis sanctáque & piô multorum usu approbata sit, sacerdotibus tamen ratione Ordinis assumpti ullâ, tam humanâ quàm Divinâ, lege præcepta non est. 25.

Quin magni nominis DD. cum S. Bonaventura *in 4. dist. 12. p. 2. art. 2.* & Cajetano *p. 3. q. 82. art. 1.* eos ratione Ordinis ullâ sacrificandi obligatione teneri, negârunt; quòd id ullô Jure non sit expressum. At communiùs & veriùs 26. alii cum S. Thoma *3. p. q. 82. art. 10.* Navarro *Manual. cap. 25. n. 88.* Suarez *Tom. 3. in 3. p. disp. 80. s. 1.* & Vasquez *disp. 232. cap. 1.* quemlibet sacerdotem ratione Ordinis & officii Sacerdotalis assumpti ad SS. illud sacrificium aliquando offerendum graviter obligari, docent & colligunt ex verbis *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ *cap. 22. v. 19.* quibus Apostolis eorúmque in Sacerdotio successoribus sacrificii offerendi præceptum impositum, declarat S. Synodus Trident. *Sess. 22. cap. 1. de Sacrif. Missæ*, quæ propterea curam; ut sacerdotes etiam non curati diebus saltem Dominicis ac Festis solennioribus Missas celebrent, Episcopis imposuit *Sess. 23. cap. 14. de Reform.* Jure etiam antiquiori, *c. Dolentes 9.* ab Innocentio III. inter sui temporis abusus refertur: & reprehenduntur sacerdotes, qui in anno vix quater sacrificabant, argumentô satis locupletô, eos ad hoc aliquando obligari:

quod agnovit S. Ambrosius à D. Thoma *art. cit.* relatus, dum in quadam Oratione, *Grave*, inquit, *est, quòd ad mensam tuam mundo corde & manibus non venimus: sed graviùs est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus.* Eandem sacerdotum obligationem Conciliorum, Rhemensis, Rothomagensis & Agathensis decretis firmat Gonzalez *in c. Dolentes cit. n. 2.*

27. Quantumvis etiam ratione Ordinis sacrificandi obligatio non immineret, plurimi tamen Saeerdotes eâ tenerentur ratione beneficii & officii Ecclesiastici, ad Missarum celebrationem adstringentis ex sua institutione: uti etiam ratione parochiarum, aliorúmque beneficiorum curatorum; ista enim obtinentes per se vel alios Missas celebrare ex officio tenentur omnibus diebus, quibus ad earum auditionem populus Parochianus præceptô Ecclesiasticô obligatur, ex sententia Navarri *cit. cap. 25. n. 135.* Soti *in 4. dist. 13. q. & art. 2. citt.* Suarez *disp. 89. s. 1.* Laiman *Lib. 5. tract. 5. cap. 3. n. 2.* & aliorum TT. hanc obligationẽ desumentiũ ex Trident. verbis, *Si autem curã habuerint animarum, tam frequenter celebrent, ut suo muneri satisfaciant, Sess. 23, cap. 14. de Reformat.* Ratio est; quia parochorum & similium curatorum officium est, subditis parochianis ministrare ea, quæ ipsis necessaria & conducentia sunt ad salutem; cùm, ut illis spiritualia ministrent, percipiant corporalia: nimirum decimas, oblationes, aliásve obventiones parochiales. Unde, si populus ita numerosus sit, ut Dominicis, festísque diebus ejusdem Missæ sacrificio simul assistere omnes non possint, parochos ad duas vel plures Missas aliorum Sacerdotum auxiliô habendas obligant *cit.* Laiman. *n. 2. §. Adde,* & Palao *Tract. 22. disp. unic. p. 13. n. 4. & 5.* saltem, si reditus parochiales ad congrua stipendia his assignanda sufficere, Episcopo loci Ordinario videantur.

Episcopis Missæ celebratio (vel auditio) quotidiana, licet tanquam res maximè decens multùm commendetur, *c. fin. de Privileg. in 6.* nullâ tamen lege: sed id potissimùm tam ipsis cæterisque Ordinis Episcopalis, quàm Collegiatarum & Conventualium Ecclesiarum Prælatis præceptum est; ut in Ecclesiis suis quotidie saltem unam Missam celebrari curent, *c. Cum creatura* 11. ubi etiam monentur, ob Anniversaria defunctorum festi ac feriæ occurrentis Missam non omittendam.

Dubium nunc primò est, an pro celebratione Missæ sive applicatione fructûs sacrificii exigi & accipi valeat pecunia aliáve res temporalis. Cujus Resolutio ut magis expedita & perspicua sit, & de cujus fructûs applicatione procedat, planiùs constet, præmittere juvat à Scoto *Quodlib. art. 2. & 3.* traditam & à Soto *Lib. 7. de Justitia q. 2. art. 2. cit.* Suarez *disp. 79. s. 9. §. Secundò,* Azor *p. 1. Instit. lib. 10. cap. 20. q. 9. in fine,* & Bonacina *disp. 4. de Sacrament. q. ult. p. 4. n. 2.* & aliis TT. receptam fructûs Missæ partitionem in Generalem, Specialem & Medium. Generalem vocant, quem Ecclesia applicari & participari vult ab omnibus Christi fidelibus, vivis ac defunctis, præsertim Missæ sacrificio assistentibus, & ad id cooperantibus: quem proinde sacerdos aliter applicare non potest. Specialem sive personalem, quem ex sacrificii celebratione percipit ipse sacerdos, & aliis applicare non debet, nec in communi multorum sententia potest. Medium dicunt, qui sacerdoti committitur; ut applicetur ei, pro quo sacrificium, sive ex obligatione sive libera voluntate, offert.

Et de

Et de poſtremo hoc fructu ſive ejus applicatione, an ratione ejus temporale accipi valeat, dubitandi ratio eſt; quòd ſacrificium ejúsque fructus & ipſa iſtius applicatio ſit aliquid ſpirituale: quod pecuniâ, alióve temporali exhibitô compenſari nequit ſine labe Simoniæ, ſecundùm iſtius definitionem traditam à D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. & Gloſſa *in Summam*, 1. *q.* 1. *V. Quidam.* Verùm
31. pecuniâ aliúdve temporale exhiberi ſacrificanti & ab iſto recipi poteſt duplici modô: & vel tanquam fructûs ſacrificii & applicationis æſtimatio & in ejus compenſationem: vel ſolummodo tanquam debitæ ſuſtentationis ſtipendium: quorum, licet priori modô facta exhibitio exactióque Simoniaca ſit, hujusmodi tamen criminis aliáve labe infecta non eſt facta poſteriori; quia ſtipendium ſuſtentationis ſacrificanti & ſacrificii fructum ſpiritualem applicanti debitum eſt Jure Naturali ac Divino, juxta illud Apoſtoli, *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus*, 1. Corinth. *cap.* 9. *v.* 11. Panormit. *in c. Suam 29. de Simonia n.* 4. Sylveſter *V. Simonia q.* 9. Sotus *Lib.* 9. *de Juſtitia q.* 6. *art.* 1. Suarez *de Simonia cap.* 21. *à n.* 5. & Palao *Tract.* 17. *diſp.* 3. *p.* 11. *n.* 2.

32. Dubium ſecundò eſt, an à clerico, ad Miſſarum celebrationem ex beneficio obligato, ratione applicati fructûs ſtipendium accipi & exigi poſſit. Recipere hoc poſſe ſacerdotes, obtinentes beneficium, cui ſacrificandi obligatio annexa non eſt, D. Thomæ *Quodlib.* 6. *art.* 10. Navarri *Manual. cap.* 23. *n.* 102. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 86. *ſ.* 3. *concluſ.* 2. & aliorum communis ſenſus & ratio eſt; quòd juxta dicta, ſacrificii fructum applicandô, ſpirituale miniſtranti ejus ratione debitum ſit ſtipendium ſuſtentationis: & iſtius receptionem non impediat beneficium; cùm enim ex iſto ſacrificandi & ſacrificii fructum applicandi ulla obligatio non immineat, ſtipendii ratione applicationis fructûs ſacrificii, ad beneficium relationem non habentis, percipiendi jus afficere non poteſt.

Sacerdotibus autem, ad Miſſarum ce- 33.
lebrationem ratione capellaniæ aut alterius beneficii obligatis, ſtipendii receptionem fere non permittunt, eósque ad ſacrificiorum fructum fundatoribus applicandum obligant Aldanus *de Valore & Applicat. Sacrif. Tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. Fauſtus *Lib.* 2. *de Sacrif. Miſſ. q.* 155. Barboſa *de Officio Parochi cap.* 11. *n.* 10. *in fine*, Gavantus *ad Rubr. Miſſal. p.* 3. *Tract.* 12. *n.* 5. Diana *p.* 1. *Tract.* 4. *reſol.* 8. qui tamen ab hac ſua Opinione receſſit, Pignatell. *Tom.* 3. *Conſult.* 61. *n.* 9. & 15. & nonnulli alii, quorum tamen aliqui ſatis ambiguè loquuntur.

Moventur primò variis declaratio- 34.
nibus S. Congregat. Cardd. Concilii Trident. Interpp. ab his enim declaratum eſt imprimis, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii ſeu capellæ, legati aut ſalarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eâdem Miſſâ utrique obligationi ſatisfacere*, ut in Decreto, *de Celebrat. Miſſar.* juſſu Urbani VIII. edito & à Jordano Lucubrat. *Lib.* 4. *Tit.* 1. *n.* 515. relato, habetur. Deinde Canonicos allegantes, quòd in fundatione non habeant onus celebrandi & applicandi ſacrificium, non poſſe diebus, quibus per turnum juxta tabellam Eccleſiæ Miſſam celebrant, applicare ſacrificium pro ſibi largientibus eleemoſynas, *in una Alexandrina* 26. *April.* 1653. Et demum, Canonicos Anniverſariorum celebrationi non ſatisfacere celebratione Miſſæ Conventualis *in una Caſtellana* 9. *Julii* 1644.

ubi additur, pro Missa, quam celebrant in aurora, si onus celebrandi ratione beneficii aut salarii non habeant, manualem eleemosynam ab ipsis accipi pro eâque sacrificium applicari posse.

Secundò; quòd receptio stipendii pro applicatione fructûs sacrificii facta ab eo, qui ad celebrandum ratione beneficii, capellæ &c. obligatus est, & sustentationis stipendium ex istis habet, infecta sit labe Simoniæ; cùm enim id non debeatur, non recipi valet tanquam stipendium sustentationis; quòd, cùm ista jam habeatur ex beneficio, accipiatur in compensationem fructûs & applicationis sacrificii: quam esse Simoniacam, jam est dictum.

Tertiò; quòd obligatio, Missam applicandi beneficii fundatoribus, sit Juris Naturalis & Justitiæ; ut quoties eam liberam esse non constat, pro capellaniæ vel beneficii fundatoribus sit facienda: & hi, in dubio sibi prospexisse & animas suas non neglexisse, præsumantur; cùm; quòd capellaniæ aliáque beneficia communiter institui soleant cum onere sacrificia offerendi pro fundatoribus: in dubio autem id, quod communiter solet, factum præsumatur, *arg. c. 1. de Cleric. non resid. & l. Ideo 27. ff. de LL.* Menoch. *Lib. 1. præsumpt. 18.* & Everardus *Legal. arg. loco 102. uterque à n. 1.* tum verò; quòd fundatores, meliori modò sibi prospicere voluisse, censeantur; & si, cui sacrificiorum fructum applicare voluerint, præsentes interrogarentur, procul dubio; ut sibi applicetur, essent responsuri.

35. Quin parochos quoque & cæteros curatos iis diebus, quibus ad Missarum celebrationem ex officio tenentur, ad earum fructum populo parochiano applicandum obligant Sotus *cit. q. 2. art. 2. & Lib. 9. cit. q. 3. art. 1. §. Nihilominus*, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 23. in fine* & alii, id de sumentes ex S. Synodi Trident, *Sess. 23. cit. cap. 1. pr. de Reformat.* verbis, *Cùm præceptò divinò mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificia offerre &c.*

Pro utraque parte deducta, sacrificiorum fructum applicandi, & recipiendi stipendii libertatem, sicut aliquibus, sic non indiscriminatim omnibus, quibus illorum celebratio ex officio beneficiis annexo imminet, adimendam, evincunt. Quare statuendum inter eos est discrimen.

Et primò quidem stabilienda libertas illa est iis, quibus ea & intentio libera expressè permissa est à fundatore, ut tanquam rem omnino exploratam supponunt Card. de Lugo *disp. 31. de Sacrament. n. 19. & 21.* Donatus *Tom. 3. Prax. Regul. Tract. 7. q. 49. n. 5.* Gavantus *cit. Tract. 12. n. 5.* id à S. Congreg. Cardd, Interpp. declaratum, asserens *13. Julii 1630*, idque neminè facilè dissentiente; quòd id ullo Jure vetitum non sit, & absque Simoniæ, Injustitiæ aliúve labe fieri possit.

Secundò, capellanias hisque similia 37
beneficia sacerdotalia obtinentes, Missarum, in fundatione præscriptarum, fructum juxta piam fundatorum intentionem saltem, quando hæc expressa est, applicare tenentur; ut pro iis novum stipendium accipere nullatenus possint; ut ex deductis *n. 35.* indubitatum est, & nemò facilè inficiatur.

Tertiò, ii etiam, qui capellaniæ 38
aut alterius beneficii simplicis ratione, aut etiam ratione legati vel salarii ad Missarum celebrationem sine expressa mentione intentionis vel applicationis, nullò tamen etiam fine speciali expressò vel notabili onere annexò, adstringuntur, sacrifi-

Sacrificiorum fructum fundatoribus defunctis, aut aliis ſalaria præbentibus applicare tenentur; ac proinde ratione applicationis aliud ſtipendium recipere nequeunt, ut argumenta *n. 34.* deducta evincunt; eſto enim, idem ſacrificium pluribus applicatum ſingulis æquè proſit, ac ſi ſingulis applicaretur, ſtipendium tamen ratione ejus non conceditur, niſi in ſuſtentationem debitam Sacerdoti, qui fructum applicare debet. Unde eam pro uno ſacrificio ab uno recipiens, injuſtè eam pro eodem ab alio expoſcit, Navarrus *cit. cap. 25. n. 92.* Bellarminus *Lib. 2. de Miſſa, cap. 4.* Suarez *cit. diſp. 86. ſ. 6.* & Laiman *Lib. 5. Tract. 5. cap. 1. n. 12.*

39. Quartò, licet parochus quandoque, in anno ſacrificium pro ovibus ſuis offerre teneatur, ex decreto, *cap. 1. pr. Seſſ. cit.* hinc tamen legitimè non infertur, ipſum omnibus diebus, quibus ſacrificare ex *cap. 14. cit.* decreto tenetur, ſacrificiorum fructum pro parochianis offerre teneri; cùm id non aſſeratur à Concilio, neque ex inſtitutione in parochiali alióve beneficio curato deſumatur; quia ratione officii huic annexi ſolummodo tenetur oves paſcere verbô & exemplô, Sacramentorum adminiſtratione & diſpenſatione, divinorum celebratione & Sacrificiorum pro ipſis oblatione: ad quod ſpecialis & principalis applicatio fructûs Sacrificii, quoties hoc offertur, neceſſaria non eſt: ſed ſufficit, ſi huic quandoq; & præſertim ſæpius factæ accedat generalis & ſecundaria, quâ id omnibus fidelibus præſertim aſſiſtentibus applicatur, ut aliis DD. allegatis docent Palao *Tract. 22. diſp. unic. p. 13. n. 7.* & Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 18.* Unde

40. Infertur, à parocho & curatis aliis eô ipsô; quòd ejusmodi Miſſarum fructum ovibus ſuis ſpecialiter applicare non teneantur, pro ipſarum celebratione ſtipendium accipi poſſe: ſaltem ſi, ad eas illis & aliis etiam diebus determinatis offerendas, earúmque fructum ſpecialiter ovibus ſuis applicandum, ex fundatione, ſtatuto, conſuetudine non obligentur, ut cum Vasquez *diſp. 234. cap. 1. & 4.* advertit Palao *p. cit. n. 8.*

Quintò veriſimiliùs Sacrificiorum fructum, quibus volunt applicare, etiam ſtipendiô acceptô, valent Sacerdotes, à conſtituente aut etiam à fundatore ad Miſſas certô locô & tempore celebrandas, pro Eccleſiæ vel Altaris cultu duntaxat, vel ſolâ commoditate vel ſolatiô fidelium in loco præſentium; ut Miſſæ copiam habeant, aut aliis oneribus ſpecificè expreſſis, nullâ autem intentionis vel applicationis mentione factâ, obligati; talibus certè applicationis & ſtipendii recipiendi liberam facultatem adſtruunt Peyrinus *Tom. 3. de Privileg. cap. 1. n. 20.* Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 43. art. 8.* Suarez *cit. diſp. 86. ſ. 3. concluſ. 2.* Vasquez *diſp. 234. n. 25.* Alphonſ. à Leone *de Jubileo p. 3. q. 20. n. 27.* Turrianus *p. 2. Select. diſp. 3. dub. 2.* Lugo *cit. diſp. 31. n. 19.* & 20. Pellizarius *Tract. 5. Manual. Regul. cap. 9. à n. 98.* Diana *p. 2. tract. 14. reſol. 26. & p. 5. tract. 13. reſol. 51.* & alii magni nominis DD. Pro quorum & communiori ſententia facit; quòd obligatio fructum Miſſæ applicandi ab obligatione eam celebrandi diverſa & ſeparabilis ſit: ab eáque ſeparata reperiatur in multis, ad ſacrificandum obligatis ſine obligatione Sacrificiorum fructum certis perſonis vel cauſis applicandi; ſic enim Sacerdotes Regulares multi vi Regulæ vel Conſuetudinis ſacrificare tenentur, & ſacrificiorum fructum, quibus volunt, applicare liberè poſſunt: ſic juxta dicta, beneficiatus aliúsve Sacerdos à fundatore vel alio adſtringi ad ſacrificandum cum ſacrificii applicandi ſive intentionis libertate po-

41.

42.

tate potest: quæ libertas in hujus Resolutionis casu relicta censeri potest, partim; quòd solò loci cultu aut fidelium commoditate solatióve, & similibus oneribus aliis specificè expressis, intentionis autē sive applicationis ullâ mentione non factâ, ad sacrificandum obligatus Missarum fructum applicare & ratione applicationis stipendium recipere valeat sine labe Simoniæ & Injustitiæ: sine Simoniæ quidem; quia stipendium non accipit tanquam pretium sive æstimationem spiritualis fructûs: sed tanquam stipendium sustentationis, debitæ ab iis, quibus spiritualia ministrantur, ut supra dictum *n. 32.* Sine Injustitia verò; quia fructum illum applicandò aliis non agit contra obligationem à fundatoribus impositam; cùm locò & tempore designatis celebrandò impleat totum officium, beneficio suo annexum & correspondens: partim verò; quia, sicut leges ac statuta, sic etiam fundationum & similia instrumenta ex communi DD. sensu ad plus non obligant, quàm ipsis est expressum, cùm; quia obligationes juxta formam modúmque, à Jure vel homine eas imponente, expressum, regulantur ac modificantur: & ab expressis ad non expressa non porriguntur, *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* ut, quod lege, statutò vel instrumentò expressum non est, ejus conditor aut fundator voluisse, non intelligatur, secundùm Regulam, *Si voluisset, expressisset*, desumptam ex *l. Quidquid 99. pr. ff. de V. O.* & traditam à Suarez *Tract. 8. de Relig. lib. 2. cap 17. n. 7.* tum verò; quia generaliter in omni actu obligationem inducente ea interpretatio præferenda est; quâ efficitur, ut quis ad minus potiùs quàm ad plus obligetur, *arg. l. Odia 15. & Reg. In obscuris 30. in 6.*

Confirmantur ista; quia ex una, applicatio fructûs sacrificii res valde notabilis & speciali notâ mentionéque digna, & ab obligatione sacrificandi separabilis & sæpe separata est, &, cùm exigitur, à fundatoribus exprimi solet: ex altera verò parte ea, quæ speciali notâ digna, & ab expressis separabilia sæpéque separata sunt; &, cùm exiguntur, exprimi solent, casu, quò non exprimuntur, pro neglectis seu specialiter non intentis habentur, *l. Item apud 15. §. 26. ff. de injuriis*, Pinormit. *in c. At si clerici 4. de Judiciis n. 24.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 166. n. 16.* juxta tritum illud, *Quod quis facit exprimere potuisset, si voluisset, id si non expressit, nec voluisse censendus est*; quia testator & fundator, quod non est locorus, non præsumitur voluisse, Riminald. *Jun. Consil. 371. n. 36.* & Tuschus *Practic. V. Fideicommissum, conclus. 261. n. 7.*

Neque hactenus stabilitam & beneficiatis favorabilem Opinionem convellunt, eique contrariam verisimilitudinem reddunt allegatæ S. Congreg. declarationes; quia istas præ oculis habuerunt & ponderârunt ex proximè laudatis Doctoribus plerique, præsertim Diana & Card. de Lugo: & tamen, iis nihil moti, canonicos, beneficiatos & parochos eiusdem, qui vi suorum beneficiorum ac præbendarum sacrificia, ad quæ tenentur, pro aliquo applicanda specialem obligationem non habent, stipendia pro iis accipere posse, in ipsa urbe, in S. Congregationis & Ecclesiæ facie publicè, & sub censura Apostolica editis Voluminibus tradiderunt, & Diana, teste Lugone *cit. n. 21.* pristinam suam Opinionem, quâ stipendia ab iis recipi non posse *p. 2. tract. 12. resol. 80.* docuerat, mutare non dubitavit. Neque id immeritò; quòd imprimis declarationes illæ non spectent casum, quò ejusmodi beneficiato vel Sacerdoti certò locò & tempore, ob Ecclesiæ vel Altaris cultum, pro fidelium commoditate & oblatio

latio ſacrificandi, præſertim expreſſis certis oneribus aliis, obligatio imponitur ſine ulla mentione intentionis ſive applicationis fructûs. Deinde; quia vi *citt.* declarationum aliquarum pro Conventuali & per turnum celebranda Miſſa ſtipendium ideo non permittitur; quòd, cùm Miſſa illa ſit Capitularis, *c. Cùm creatura* 11. non pro libitu celebrantis, ſed juxta intentionem Capituli ſit offerenda, ut cum Riminaldo *Lib. 29. n. 168.* & aliis obſervat Bonacina *cit. q. ult. p. 7. §. 2. n. 7.*

Neque ſtipendii receptio ſimoniaca eſt; cùm, ut dictum, non pretii fructûs, ſed ſolius ſtipendii ſuſtentationis habeant rationem.

Neque refert; quòd congruæ ſuſtentationis ſtipendium habeant ex beneficio; quia iſtam etiam habent clerici divites, uti & pingue beneficium ſine obligatione ſacrificandi, vel cum iſta obligatione, ſed intentionis libertate ſibi expreſsè relictâ, obtinentes: qui tamen omnes ſine ſimonia aliáve iniquitate ſtipendium recipere ratione applicationis fructûs poſſunt.

Neque, ut tertiò locô opponitur, ad Miſſarum fructum pro fundatoribus applicandum Jus Naturale & Juſtitia ſemper, ſed fere iis tantùm caſibus obligat, quibus eum ſibi applicari fundator expreſsè voluit, aut voluiſſe veriſimiliter præſumitur; quòd Miſſæ fundatæ alius ſpecialis & notabilis finis non ſit expreſſus.

At, licet de Parochis aliiſque beneficiatis dicta veriſimillima ſint, iis tamen caſibus, quibus pro ſolo loci cultu aut alio fine ſpeciali Miſſas celebrandi obligatio clarè expreſſa non eſt, præ oculis habendum eſt *n. 34.* relatũ decretum, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii ſeu capellaniæ, legati ſeu ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eâdem Miſſâ utrique obligationi ſatisfacere.*

44. • Dubium tertiò eſt, an Sacerdos præſertim pauper pro una miſſa ejúsque fructûs applicatione accipere valeat ſtipendia plura, quæ ſimul ſumpta congruæ ſuſtentationis ſtipendium non excedunt. Quod, ſi ſcandalum abſit, cum Soto *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1.* Cano *Lib. 12. Loc. Theolog. cap. 13.* & Henriquez *Lib. 9. cap. 22. n. 4.* magni nominis TT. concedunt & ſuadent non contemnendâ ratione; cùm, qui ſervit Altari, vivere debeat de Altari, *c. Cùm ſecundùm 16. de Præb. & dignit.* & ab eo accipere ſuſtentationem: quam cùm non accipiat, qui pro ſacrificio ſtipendii ad ſuſtentationem ſufficientis tantùm partem ab uno accipit, ejus partem alteram accipere ab alio, & Sacrificium ei quoque applicare valebit; quia ejusmodi applicatione neminem defraudat: & ſacrificii fructus pluribus applicatus ſingulis non minùs prodeſt, quàm ſi ipſis ſolis applicaretur.

Hæc tamen ratio, licet admodum ſpecioſa ſit, tamen apud *citt.* Navarrum *n. 92.* Bellarmin. *Lib 2. cap. 4.* Suarez *diſp. 86. ſ. 2.* & alios DD. à Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 24. n. 5.* magnô numerô congeſtos, eâ vi non erat; ut plura ejusmodi ſtipendia recipientibus non adverſarentur, cùm; quòd ſtipendiô etiam tenui & ad unius diei ſuſtentationem non ſufficiente ſacerdotibus abundè compenſetur jactura temporis, quod ſacrificii celebratio abſumit; ac proinde reliquum omne impendi ab ipſis valeat aliis officiis & functionibus, ex iiſque plenæ ſuſtentationis defectus ſuppleri: tum verò; quòd plurium etiam tenuium ſtipendiorum receptione ſordium & avaritiæ ſuſpicioni anſa & ſcandalum fidelibus præbeatur. Quare S. Congreg. Cardd. Interpp. Urbani VIII. 45.

bani VIII. authoritate accedente, salubriter decrevit, *Ut, cum pro pluribus Missis celebrandis accepta sunt plura stipendia &c. quantumcunque incongrua & tenuia sint, ab una vel pluribus personis collata vel conferenda in futurum, tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt*, ut refert *cit.* Barbosa *n. 6.*

46. Dubium quartò est, an, qui pro Missa abundantius stipendium accepit, ejus celebrationem alteri, justô stipendiô ipsi exhibitô, concedere & residuum sibi reservare valeat. Qua in re opus est distinctione. Et parochum quidem aliúmve clericum, ratione capellaniæ vel beneficii ad plura sacra legenda adstrictum, obligationi suæ satisfacere ità posse, à melioris notæ DD. usúque receptum & ratio est; quòd ita satisfiat intentioni fundatorum, certas Missas in fundatione præscribentium; cùm parochus & beneficiatus alius in beneficio instituatur cum stabili onere certa sacra per se vel per alium legendi: quod hâc ratione præstat. Ab aliis autem Sacerdotibus (multóque magis à Sacristis) stipendium abundantius recipientibus pro sacro legendo, quando hoc alteri concedunt, illud huic sine diminutione reddendum, cum Navarro *cit. cap. 25. n. 9.* & aliis tradunt *citt.* Laiman *cap. 1. n. 14.* & Barbosa *n. 11.* id desumentes partim ex præsumpta mente fidelium, sacrificanti amplius stipendium assignantium, ut ipse ad majorem cooperationem & accurationem suæ liberalitatis intuitu excitetur: partim ex decreto memoratæ S. Congreg. ad sordida lucra & nundinationes ab Ecclesia removendas, ejusmodi Missarum commendationes cum partis retentione prohibentis, apud *cit.* Barbosam *n. 11. in fine.*

ARTICULUS III.

De Officio Divino.

SUMMARIUM.

47. *Hujus nomine veniunt septem horæ Canonicæ,*
48. *Recitandæ publicè à personis Choro deputatis:*
49. *Privatim à Clericis constitutis in sacris,*
50. *Vel beneficia Ecclesiastica,*
51. *Præstimonia,*
52. *Vel capellanias, Episcopi auctoritate erectas, obtinentibus:*
53. *A vicariis perpetuis,*
54. *Et beneficia in perpetuam,*
55. *Non temporalem solùm commendam obtinentibus,*
56. *Vel Coadjutoribus etiam cum jure successionis.*
57. *Pensionarii ad Officium B. M. V. tenentur:*
58. *Nisi obtineant pensiones merè laicales.*
59. *Beneficia tenuia obtinentes ab horarum recitatione absolvuntur*
60. *Et ad hanc adstringentium vera Opinio.*
61. *Aliquando, non semper ad eam tenentur beneficiorum titulum sine possessione,*
62. *Vel hanc sine fructuum perceptione obtinentes.*
63. *Unâ horarum recitatione pluribus beneficiis satisfit.*
64. *Ad horas tenentur utriusque sexûs Religiosi,*
65. *Ad chorum deputati:*
66. *Etiam, quando à choro*

47. *Et negotiorum causâ à Monasterio absunt.*
48. *Recitandæ Horæ sunt studiosè ac devotè.*

47. OFficii Divini nomine hâc Rubricâ veniunt septem Horæ Canonicæ, quæ definitis horis in Choro publicè, vel privatim à clericis & Religiosis ex Ecclesiæ pervetusta, non solùm Pelagii Papæ, *can. 1. dist. 91.* relati, sed Apostolica institutione usíque quotidie recitantur; cùm earum jam meminerint SS. Patres antiquissimi & ipsæ etiam constitutiones Apostolicæ S. Clementis *Lib. 8. cap. 30.*

48. Publicè ex sanctionum Ecclesiasticarum præscripto à personis choro deputatis recitari debent in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, tam Regularibus quàm Secularibus, imò etiam Parochialibus, *can. fin. dist. 92. c. 1. c. Dolentes 9. & Clement. 1. hic*: à cujus tamen Juris rigore sensim, & cum tempore adeò recessum est; ut hodie in pluribus non solùm Parochialibus & Collegiatis, sed Regularibus quoque Ecclesiis diebus solùm Dominicis & aliis solennitatibus cantentur vel recitentur: & non desint Regulares: Parochiales etiam multæ reperiantur, in quibus ob paucitatem ministrorum vel redituum ac stipendiorum tenuitatem publica earum recitatio omnino est sublata. Unde, hac in re locorum Consuetudinem præcipuè spectandam & observandam, monent, Suarez *Lib. 4. de Horis Canonicis cap. 10. n. 2.* & Palao *Tract. 7. disp. 2. p. & §. 1. n. 5.*

49. Privatim ad Horarum recitationem quotidianam adstringuntur clerici in Sacris, sive majori aliquo Ordine constituti. Beneficiati & Religiosi, ad chorum ex professione deputati.

Et clericos quidem Majores ad earum pensum quotidie persolvendum adstringi, à DD. desumi solet ex *c. 1. & c. Dolentes citt.* & ambigui Juris optima Interprete Ecclesiæ Consuetudine generali: claréque supponitur Concilii Basileensis *Sess. 21.* celebratâ, antequam Concilium hoc in Schisma prolaberetur, ut probè advertit Vasquez *de Benef. cap. 4. §. & dub. 1.* Quâ obligatione, sicut ejusmodi clerici censurâ aliquâ irretiti, irregulares, depositi & degradati non liberantur, sic non tenentur clerici, primâ solùm Tonsurâ & minoribus etiam Ordinibus initiati, *can. fin. cit.* non obstante; quia istius textu agitur de hujusmodi clerico, ad Ecclesiæ servitium in choro per institutionem in beneficio, aliáve ratione specialiter deputato, Vasquez §. *cit. dub. 2.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 37. n. 46.* rectè advertens, tales clericos etiam ad Officium B. V. M. Psalmos Pœnitentiales vel Graduales, Litanias majores, Psalmum Miserere aliásve similes preces quotidie recitandas non obligari: nisi hujusmodi Precationum aliquarum pensum persolvendi obligatio particularis alicujus diœcesis consuetudine esset introducta.

50. Eâdem Officii Divini quotidie recitandi obligatione beneficiatos, sive clericos etiam minoribus Ordinibus & primâ solùm Tonsurâ initiatos, dignitatem vel aliud beneficium Ecclesiasticum obtinentes teneri, desumi solet ex *can. fin. c. 1. citt. & c. fin. de Rescriptis in 6.* dum eô, Beneficium propter Officium dari, asseritur. Quibus non satis clarè prodita obligatio confirmata vel declarata est à Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. 9. de Ref. Curiæ §. Statuimus*, & *Motu proprio* Pii V. qui incipit *Ex primo, editô 12. Cal. Octob. 1572.* quâ Constitutione utrâque ii, qui saltem post sex menses à beneficio obtento Divinum Officium, justô impedimentô cessante, non recitârint, benefi-

ciorum suorum fructus, Officii illius recitationi (non etiam curæ vel alteri muneri spirituali, secundùm *cit.* Lessii *n. 177.* & aliorum benignam Opinionem) respondentes non faciunt suos pro rata omissionis Officii & temporis: sed eos tanquam injustè perceptos in Ecclesiæ fabricam vel pauperes erogare tenentur.

51. Iisdem Constitutionibus ad horas Canonicas etiam obligantur clerici, Præstimonia & Præstimoniales portiones ab Ecclesiasticis redditibus detractas obtinentes. Circa quos Laiman. *Lib. 4. Tract. 2. cap. 5. n. 6.* & mihi etiam placet distinctio Rebuffi *de Pacific. possess. n. 105.* ad illas clericos ratione præstimoniorum solummodo obligantis, quando ista in titulum perpetuum conferuntur, & annexum habent aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri non potest; quia talia, licet speciale nomen habeant, reipsa vera beneficia Ecclesiastica sunt. Non etiam ratione præstimoniorum, quæ non conceduntur in Titulum, neque ob ejusmodi obsequium: sed aliam ob causam vg. ad studiorum prosecutionem vel tanquam stipendium sustentationis, donec beneficium obtineatur.

52. Eadem ferè ratio est imprimis Capellaniarum, si eæ Episcopali authoritate, etiam ex laicorum patrimonio sint erectæ, & ab eo conferantur; quantumvis ad ipsius nutum auferri & alteri conferri queant; quia omnes qualitates ad beneficium requisitas habent: easque obtinentes habere censentur beneficia Ecclesiastica, saltem Manualia, si ad nutum revocabiles sint: cujusmodi beneficium obtinentem Horariâ obligatione teneri, ex aliorum DD. communi sensu tradunt Azor *p. 1. Instit. lib. 10. cap. 3. q. 2.* & Laiman *cit. Tract. 2. cap. 5. n. 7.* quia Manuale idem juris & oneris habet, quod cetera beneficia, exceptâ perpetuitate, sive quòd semel collatum, sine justa causa, nequeat auferri.

Deinde Vicariarum; cùm etiam hæ obtinentes, si perpetui sint, vera beneficia Ecclesiastica obtinentibus accenseantur, *c. Postulasti 27. de Rescriptis*, & ad pensi Horarii quotidianam persolutionem adstringantur: si verò temporanei tantùm sint, ab ea censeantur immunes; cùm beneficii custodiam duntaxat & administrationem ad tempus, non titulum habeant, *citt.* Garcias *n. 106.* & Suarez *cap. 22. n. 15.* rectè excipiens & ad Horas obligat Vicarios chori & alios, beneficiorum vg. Monasteriis unitorum administrationem plenam etiam in temporalibus, licet ad nutum revocabilem, obtinentes.

Demum Commendarum perpetuarum; cùm enim tales commendæ spectent utilitatem personarum eas obtinentium, & hæ beneficiorum commendatorum, licet careant titulis, integram tamen habeant administrationem & fructus integrè percipiant, illis annexâ obligatione ad Preces horarias tenebuntur ratione ejusmodi commendationis. Alia ratio est commendæ solùm temporalis; cùm enim illa spectet utilitatem Ecclesiæ, per eamque istius rerum custodia & administratio solùm concedatur ad tempus, vg. donec persona idonea instituatur, & beneficii fructuum rationibus reddendis obnoxia sit Glossa *in c. Nemo 15. de Elect. in 6.* ad Horarum Canonicarum recitationem non obligabit, *citt.* Azor *q. 6.* Laiman *n. 7.* & Palao *p. 1. §. 2. n. 4.*

Sicut in Commendam solùm temporalem beneficium obtinens, sic etiam ad pensum Horarium non obligatur Coadjutor, etiam cum futura successione & fructuum portione aliquâ assignatâ, assumptus vel constitutus, ut cum Navarro *Manual. cap. 20. n. 18.* docent *citt.* Azor *cap. 4. q. 1.* Garcias *p. 3. de Benef. cap. 1. n. 109.*

n.109. Suarez *Lib. 4. cap. 22. n. 19.* & Palao §. 2. *n. 7.* Ratio est partim; quia non ipsum beneficium, sed jus tantùm habet coadjuto defuncto succedendi: etsi secutâ istius morte & quasi impletâ conditione beneficium consequatur sine nova collatione: partim verò; quia ratione unius beneficii non duo, sed unus duntaxat, scilicet ejus proprietarius ad Horas Canonicas tenetur. Accedit; quod beneficii fructibus detracta portio Coadjutori assignetur tanquam stipendium laboris, quem pro Coadjuto subit.

57. Dubium est de Pensionario: quem ab horarum quidem Canonicarum recitatione DD. passim absolvunt; quòd pensio beneficium propriè non sit: ad Officium tamen B. V. M. adstringi, volunt *Constit.* Pii V. *cit.* saltem, si ad Horas canonicas non teneatur aliunde; has enim ex obligatione undecunque orta vel etiam libera voluntate persolventem ad B. V. M. Officium adstringi, meritò negant; quòd ad hoc recitandum obligare Papa solùm intenderit eos, qui ad nullas alias preces sunt adstricti, aut horarum Canonicarum majus Officium non persolvunt. Sed, etsi hæc vera sint de Pensionariis obtinentibus pensionem Ecclesiasticam, primam
58. Tonsuram vel Ordines minores exigentem, locum tamen non habent in iis, qui obtinent pensionem solùm laicalem, sive non exigentem primam Tonsuram vel titulô solùm temporali constitutam alicui, vg. de Ecclesia bene merito, ædituo, janitori pulsanti organa vel campanas, magistro Scholæ & similibus; hos enim ratione ejus ad Officium B. V. M. non teneri, ex communi aliorum DD. sensu tradunt *citt.* Azor *cap. 4. q. 3.* Garcias *cap. 1. n. 119.* Suarez *cap. 22. n. 6.* & Palao §. 2. *n. 6.*

59. Dubium secundò & magna dissensio est inter DD. de clerico, obtinente beneficium tenue, sive cujus fructus ad moderatam sustentationem sunt insufficientes, Quem aliqui cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 5. art. 3.* ab Horarum recitatione omnino absolvunt. Alii cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 169.* ad eam Dominicis tantùm festisque diebus adstringunt. Rationem reddunt illi; quòd beneficium tenue pro non beneficio, & exigui fructus pro nullis habeantur, juxta tritum, quô *Parum pro nihilo reputatur.* Isti verò; quòd, cùm beneficium, ex quo nulli fructus percipiuntur, ad Horarum recitationem omnino non obliget, id, ex quo sustentatio moderata non tota, sed ejus duntaxat aliqua vg. tertia pars percipitur, ad Officii Divini partem tantùm, vel ad id aliquoties tantùm per annum valeat obligare, præsertim ex Justitia: quæ inter stipendium & obsequium, ratione cujus illud exhibetur, exigit quandam æqualitatem.

Sed frequentiori DD. calculô approbata & veritati magis consona est sententia Sylvestri *V. Hora, q. 2.* Navarri *de Oratione, cap. 7. n. 27.* Covarruviæ *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 8. citt.* Garciæ *cap. 1. n. 30.* Suarez *cap. 21. n. 3. & 9.* Laiman *cap. 5. n. 5.* & aliorum, relatorum à Barbosa *in c. Dolentes 9. n. 4.* ejusmodi clericum ad Horarum quotidianam recitationem obligantium; quòd id non obscurè decretum sit à Concilio Carthaginensi, relato *can. Clericus 2. dist. 91.* ubi clericus, ab Ecclesia sustentationem non habens, victum & vestitum artificiô vel agriculturâ sibi parare jubetur absque Officii sui, sive pensi Horarii detrimento. Ratio, quâ moventur, est; quia etiâ tenue revera beneficium est; *c. Si proponente 42. de Rescriptis & c. Si motu 23. de Præbend. in 6.* cùm sit jus perpetuum percipiendi temporales reditus ratione officii spiritualis: Horarii autem pensi quotidie persolvendi 60.

obligatio à Concilio Lateranensi & Pio V. beneficiatis generaliter, sine ulla exceptione vel restrictione ad beneficium pingue, imposita est. Unde, sicut qui unum valde pingue aut plura ad sustentationem sufficientia obtinet, ad Horas semel duntaxat, ut infrà statuetur: sic qui tenue beneficium obtinet, ad illas integre & quotidie recitandas obligatur, quod *citt. Constit.* à Pio V. verbis, *Et qualiacunque alia beneficia*, non obscurè insinuatur. Accedit; quòd Ecclesia, sicut in Ordine sacro constitutis, licet nullos percipiant, sic beneficiatis percipientibus modicos fructus Horarii pensi quotidie persolvendi onus imponere potuerit; cùm onus hoc istis non minùs quàm illis honore, exemptione & cæteris privilegiis Ecclesiasticis abunde compensetur. Deinde; quòd onus illud, sicut clericis in Sacris constitutis, sic etiam beneficiatis generaliter & indistinctè imponi fuerit expediens; ne ad sequiora & excutienda onera proni homines, ad congruam sustentationem justò plus exigentes, vanâ persuasione tenuitatis fructuum ad illam insufficientium ad Divinum Officium facilè omittendum inducantur. Unde corruit ratio contrariæ Opinionis utriusque; cùm quoad obligationem ad Horas ex vero beneficio imminentem Parùm pro Nihilo non reputetur.

Quantumvis autem hæc de Jure ita sint, minimè tamen damnanda videtur Consuetudo, vi cujus alicubi tenuia beneficia sine obligatione ad Horas clericis minoribus conferrentur, saltem si isti ratione illorum ad aliud spirituale servitium obligarentur. Si verò ad nullum hujusmodi servitium adstringerentur, non vera beneficia, de quibus sermo nobis est, sed Pensiones tantùm forent; cùm verum beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.*

Dubium tertiò est de eo, qui beneficii titulum habet sine ejus possessione; de quo DD. variè sentientium & loquentium Opiniones in concordiam, si possint, reducere juvat auxiliò distinctionis. Et eum quidem, per quem stat, quò minùs sibi collati beneficii possessionem nanciscatur, ratione illius ad Horas teneri, melioris notæ DD. plerique facilè concedunt, cum; quòd, beneficium annexò Officio private, æquitas & ratio naturalis nemini permittat: tum verò; quòd possessionem habere, & quò minùs eam quis habeat, per ipsum stare, paria sint, *c. Licet 28. de Prab. in 6.* Si per eum non stet, multùm interesse videtur, an de beneficii collati possessione ex eóque provenientibus fructibus percipiendis moraliter certa vel dubia spes sit; cùm, si hæc dubia vel exigua sit, ad Horas obligationem non dari, *citt.* Garciæ *n. 101.* Azor *cap. 4. q. 7.* Suarez *cap. 19. à n. 9.* & aliorum communis sensus & ratio clara sit; quòd, pro fructibus & stipendio omnino incerto officium seu servitium certum exigere, à Juris & æquitatis Regulis sit alienum. Si verò cum possessione fructus, à tituli per collationem accepti tempore provenientes, percipiendi spes moraliter certa sit, ad Horas beneficiatum cum Navarro *cit. cap. 7. à n. 28.* meliùs obligant *citt.* Garcias *n. 102.* & Lessius *n. 167.* quòd, cùm talis vere sit beneficiatus, & officio respondentes fructus percepturus, ad illud obeundum jure adstringatur. 61.

Dubium quartò est de Canonicis in quibus beneficiorum quidem possessionem jam missis, sed non percipientibus ejus fructus, de quibus pro casuum varietate varia Resolutio est. Et primò, si, quòd eorum fundi ab hostibus occupati sint, nullos unquam vel primis aliquot annis certis incertísque eos percepturi non sint; quòd in Ecclesiæ fabricam vel aliam piam causam applica-

applicentur, ab Officii Divini recitatione cum Navarro *cit. cap. 25. n. 103.* eos rectè excusat Laiman. *cit. cap. 5. n. 4.* quòd beneficia nondum plenè obtineant; cùm ea non habeant quoad jus reditus percipiendi. Secundò, si primi vel secundi anni fructus ex Consuetudine Ecclesiæ ad eorum defunctorum honestam sepulturam vel debita expungenda creditoribus aut hæredibus reserventur, eos ad Horas obligari, probabiliùs censent *citt.* Garcias *n. 66.* Azor *q. 4.* & Lessius *n. 170.* quòd, cùm tales fructus in eorum utilitatem impendendi reserventur, ab ipsis percipi videantur. Tertiò, ad eandem recitationem Canonici à *citt.* Azor, Lessio & Suarez *cap. 20. n. 7.* primis annis obligantur, quando istis provenientium fructuum ipsis subtractorum dimidia pars, imò etiam si omnes ex Consuetudine canonicis antiquioribus ad vitæ & dignitatis convenientem sustentationem augendam accrescant; quòd eos postea perinde, ut si ipsis reservarentur, recipiant, hôc ipsô; quòd postea percepturi sint uberiores. Quod licet Juri consentaneum sit, damnare tamen non ausim consuetudinem, saltem immemorialem, vi cujus primis annis nullos fructus percipientes ab Officii Divini recitatione excusarentur; quòd, licet consuetudo, novis Canonicis fructus omnes ex tali & priori etiam causa subtrahens, à Joan. XXII. *Extravag. Suscepti, de Elect.* & Pio V. *Constitut.* quæ incipit *Durum, Cal. Junii 1570. editâ* reprobetur: istæ tamen Constitutiones in Germaniæ & Hispaniæ Ecclesiis non omnibus sint receptæ; &, consuetudinis reprobatione generali, excluſa non censeatur immemorialis, juxta dicta ad *Lib. 1. Tit. 4. n. 46.* Quartò, multò magis ad pensum Horarium quotidie persolvendum tenentur, qui fructus, cum possent, non percipiunt suâ culpâ; quòd vg. excommunicati, suspensi, aut à loco beneficii sine justa causa absint, vel præsentes ei nunquam deserviant; quia Ecclesiam servitiô & officiô, ratione beneficii ab ea accepti debitô, defraudare non valent. Contrà Canonicus, nullâ suâ culpâ, sed alienâ vi, fraude alióve modô injustô à fructuum consecutione aliquot annis sine ulla spe eos postea recipiendi omnino impeditus, ad Horas verius non tenetur; quòd pro eo tempore beneficium quoad nudum titulum & nomen, non etiam quoad effectum habeat, *citt.* Navarrus *cap. 7. n. 28.* Garcias *n. 45.* & Lessius *n. 168.*

63. Dubium quintò aliqui movent de clerico, beneficia plura simul obtinente. Qui perinde, ut tribus sacris Ordinibus initiatus, atque insuper beneficiatus aut Religionem professus, unicâ recitatione omnibus satisfacit, sive Ecclesiæ beneficiatos obligantis intentio & Praxis, sive ratio spectetur; cùm, si Officia Horaria pro beneficiorum numerô recitanda forent, illa persolvendi obligatio non paucis clericis plura beneficia obtinentibus moraliter impossibilis foret, ut rectè observant *citt.* Suarez *cap. 18. à n. 1.* & Palao §. *2. n. 27.* Unde, sicut plures Ordines sacros, sic etiam plura beneficia obtinens unum duntaxat peccatum mortale committit horarum Canonicarum omissione; quòd, licet pluribus titulis, ad unam tamen duntaxat recitationem obligetur.

64. Eâdem; quâ clerici in Sacris & beneficiati ad integrum Officium Divinum quotidie publicè in choro, vel privatim persolvendum obligatione tenentur Professi utriusque sexûs, ex Religionis suæ Instituto ad chorum deputati non quidem Jure Naturali vel Divinô: neque etiam Canone aliquô Ecclesiasticô: neque ex Regula duntaxat, sed generali

65. Consuetudine. *Ad Chorũ*, inquam, *deputati*; ad excludendos Imprimis Novitios, qui in sacris constituti vel beneficiati non sunt, & Fratres laicos sive Conversos, ad id non adstrictos: nisi à laicorum ad Fratrum choro deputatorum statum authoritate superiorum transeant; sicut vicissim, ex istorum sive choro deputatorum numero ad Conversorum statum translatus, ab ejus persolvendi obligatione liberatur. Deinde Religiosos Equites, ex Professione sua non Choro, sed Militiæ deputatos. Et demum Religiosos ex suo Instituto choro non addictos & sacro Ordine non initiatos: ut in Societate JESU præter Coadjutores Temporales sunt Scholastici, qui ante sacram Ordinationem ad pensum Horarium non adstringuntur, *citt.* Suarez *cap. 17. n. 6.* Palao *p. 1. §. 3. n. 1.* & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. Tract. 18. à q. 10.*

66. Dubium de Religiosis sacrô Ordine non initiatis & Monialibus est, an à choro absentes ad Horas privatim recitandas graviter obligentur; id enim cum Cajetano *in Summa V. Hora, casu 14.* Bordonus *p. 1. resol. 30. n. 3.* & quidam alii negant; quòd ad eam recitationem non obligentur communi Ecclesiæ Jure, sed sui quisque Instituti Regulâ & huic conformi consuetudine: Regula autem eique accessoria Consuetudo ipsos obligare non videatur sub mortali peccato? cùm id nimis durum & animabus periculosum foret. Sed ratio hæc levis est momenti; cùm enim vi ejusmodi Consuetudinis ad Horas graviter obligentur in Sacris constituti clerici Seculares, non apparet ratio, cur ita obligari nequeant Regulares, ex professione addicti choro; quia ad orandum, laudandum & colendum Deum vi statûs sui non minùs tenentur, quàm clerici Seculares; ejúsque obligationis gravitas Regularibus, tanquam mundo mortuis & soli servitio Divino perpetuò mancipatis, non magis gravis & periculosa est, quàm degentibus in seculo, & ab istius curis non omnino expeditis. Quare meliùs alii cum Sylvestro *V. Hora, q. 2. citt.* Navarro *cap. 7. n. 5.* & Suarez *cap. 17. n. 19.* utrumque sexùs Regulares, ad chorum deputatos, ad Horarii pensi in choro vel privatim persolutionem graviter obligari docent, pro se allegantes communem sensum Fidelium, ejus omissionem graviter apprehendentium, & ipsorum Regularium de ea tanquam gravi piaculo se accusantium in sacro tribunali. Ratio eli; quia Consuetudo habet vim Legis, *can. Consuetudo 5. dist. 1.* & istius instar, in materia gravi & ad commune bonum multùm conducente, graviter obligare censetur, præsertim si ejus violatione populus Christianus & timoratæ conscientiæ homines scandalizentur, eámque Prælati plectant, juxta tradita *Lib. 1. Tit. 4. à n. 24.*

Atque istâ ad Horas obligatione Regulares tenentur etiam, quando studiorum, negotiorum aut aliâ simili ex causâ cum sui Prælati licentia extra Monasteria degunt; quòd Regulæ & Religionis obligationibus, quatenus eas servare possunt, maneant adstricti. Idem *citt.* Navarrus *n. 20.* Azor *q. 5. & 6.* Suarez *n. 9.* & alii docent de fugitivis atque ejectis; ne ex sua malitia commodum reportent: & melior conditio sit ipsorum quàm aliorum, qui cum Prælati licentia & ex honesta causa extra Monasteria degunt. Contrarium tamen de ejectis & ad triremes condemnatis, sacrum Ordinem non habentibus, cum Soto *cit. q. 5. art. 3.* sustinet Bonacina *de Horis, disp. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* quòd, licet Religiosi esse non desinant, ad statum tamen chorum non

67.

ro non deputatorum translati videantur.

68. Recitandæ autem Horæ ab omnibus ad eas obligatis ſunt Studioſè ac devotè, *c. Dolentes 9.* Studioſa autem recitatio erit, ſi verſus & ſenſus integrè, hoc eſt, ſine omiſſione, truncatione, conciſione & interruptione proferantur. Devota, ſi fiat cum debita intentione & attentione, ſive cum advertentia ad verba eorúmque ſenſum, huic accommodato affectu & ſaltem virtuali intentione laudandi & colendi Deum, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.* 87. *art.* 13. declarant *citr.* Navarrus *de Orat. cap.* 14. *n.* 4. Azor *q.* 8. Laiman. *cap.* 5. *à n.* 8. Bonacina *diſp. cit. q.* 3. *p.* 2. §. 1. & 2. Qui cæteríque Morales TT. aliorum, Divini Officii recitationẽ ſpectantium, latam & accuratam explicationem dabunt.

ARTICULUS IV.

De Miſſarum & Officiorum Divinorum Reductione.

SUMMARIUM.

69. *Pro his aſſignati reditus ſæpe deficiunt vel minuuntur.*
70. *Si deficiant, Miſſas celebrandi obligatio ceſſat:*
71. *Si minuantur, ad minorem numerum Miſſæ veteri,*
72. *Et noviſſimô Jure etiam Anniverſaria reduci poſſunt:*
73. *Niſi reditus in alios Eccleſiæ uſus converſi,*
74. *Vel Miſſæ &c. in ipſo fundationis limine,*
75. *Vel, ſecundùm aliquos, poſt Tridentinum impoſitæ ſint.*
76. *Reductio fieri diverſimodè poteſt,*
77. *Non ab ipſis Monaſteriorum &c. Prælatis,*
78. *Saltem extra Capitulum vel Congregationem generalem:*
79. *Sed authoritate Apoſtolicâ,*
80. *Vel Epiſcopali in Synodo diœceſanâ,*
81. *Vel extra hanc, ubi Synodi non habentur,*
82. *Saltem ante S. Congreg. Cardd. Interpp. decretum:*
83. *Quod tamen non ubique receptum uſu;*
84. *Quô decreto illi derogari poteſt.*

69. IN Eccleſiis, tam Secularibus quàm Regularibus, aliquando inſtitutæ & in tabulis adnotatæ reperiuntur Miſſæ & Officia divina, annuatim, ſingulis menſibus, vel hebdomadis celebranda pro fundatoribꝰ & benefactoribus defunctis: à quorum tamen multis, an & quid pro illorum celebratione relictum ſit, & aliquid percipiatur, planè ignoratur. Ab aliis relicta temporum & belli præſertim injuriis omnino vel ex parte interciderunt. A nonnullis relicta hodie adeo tenuia ſunt; ut nulla Eccleſia ſit, quæ eorum intuitu Anniverſaria aliásque Miſſas & Officia divina præſcripta celebrandi onus valeat aut velit ſubire. Unde

70. Dubium ingens & quæſtio hodie non infrequens eſt, an & quænam ejusmodi Miſſæ & Officia divina ad minorem numerum valeant reduci. Et quidem, ſi pro quorundam celebratione relicta, nullâ ipſius Eccleſiæ vel Monaſterii, ſive Prælati & Capituli ſeu conventûs culpâ, ex toto periiſſe, aut ea ablata aut aliò averſa eſſe; ac proinde illorum intuitu nihil percipi, certò conſtaret, eorum celebrandorum onere Eccleſiam vel Monaſterium liberatum, ut Miſſæ, Anniverſaria &c. omitti poſſint, cum Riccio *Prax. p.* 3. *reſol.* 364. docent Bordonus *Conſil. p.* 1. *reſol.* 25.

resol. 25. Pellizarius *Tom. 2. Manual. Regul. Tract. 6. cap. 3. n. 46.* & Donatus *Tom. 3. Prax. Regul. tract. 7. q. 60. n. 1.* quòd beneficium detur propter officium, *c. fin. de Rescript. in 6.* atque idcirco, cessante beneficiô, æquum sit; ut & officium cesset, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat. & c. Propter sterilitatem 3 pr. de Locato.*

An, quando de relictorum totali interitu non constat: sed ea cum tempore solummodo diminuta, tenuia & ad Anniversariorum ac Missarum justam celebrationem insufficientia sunt, ista quoque minui & ad minorem numerum reduci valeant, dubitandi ratio est; quòd defunctorum ultimæ voluntates, quamdiu possunt, ad amussim debeant observari, præsertim illæ, quarum observantiam hæres aut legatarius in se recepit, *can. Ultima, 13. q. 2. c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactis.*

71. Sed, sicut hoc verissimum est, si res in eodem statu permaneat, sic locum non habet casu, quô rerum statu & circumstantiis mutatis, pro earum impletione relicta, cum tempore diminuta, valde tenuia, & insufficientia sunt; tali enim casu Anniversaria & Missas diminui, sive ad minorem numerum reduci posse, indubitatè supponitur *Clement. 2. de Relig. domib.* & à S. Synodo Trident. *Sess. 22. cap. 6. de Reformat.* ubi præscribuntur observanda in commutationibus ultimarum voluntatum, quarum ejusmodi reductio species quædam est: & præser-

72. tim *Sess. 25. cap. 4. de Reformat.* quô S. Concilii decretô Imprimis ultimâ voluntate aut etiam inter vivos donatione pro Missarum celebratione relicta, cùm ad fidelium ea relinquentium intentionem implendam non sufficiunt, commutandi & Missas ad minorem numerum reducendi facultatem à S. Synodo concessam, DD. qui *cap. 4. cit.* explicationem allquam dederunt, omnes observant. Deinde, licet *cap. cit.* expressa mentio *Missarum* duntaxat fiat, harum tamen nomine etiam Anniversaria sive Sacrificia aliáque Officia divina, pro benefactorum defunctorum animabus annuatim persolvenda intelligi, à S. Congreg. Cardd. Interpp. *16. Novemb. 1583.* declaratum est apud Garciam *p. 7. de Benef. cap. 1. n. 131.* Quarantam *in Summa Bullar. V. Missa,* & Jordanum *Lucubrat. vol. 1. lib. 4. tit. 1. n. 577.* ut adeô, justâ causâ subsistente, non solùm Missarum, sed ipsorum etiam Anniversariorum ad minorem numerum reductio vigore *cap. 4. cit.* fieri possit, ut cum Moneta *de Commutat. ult. volunt. cap. 5. n. 367.* id ab Episcopis, à scientia & conscientia singulari commendatis, passim observari, asserente, advertunt Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 4.* & Gobat *Experim. Theolog. Tract. 3. n. 589.*

Ratio autem, sicut Missarum, sic & Anniversariorum reductionem talicasu permittendi, justissima fuit partim; quòd, sicut beneficium propter officium datur, sic proventus illi à defunctis benefactoribus relicti sint ad Anniversaria & Missas. Unde, sicut beneficiô cessante officium, & proventibus illis omnino deficientibus, Anniversaria & Missas juncta dicta, omnino intermitti, sic proventibus illis cum tempore diminutis & ad eam tenuitatem redactis; ut ad Anniversariorum & Missarum justâm celebrationem insufficientia sint, ista quoque diminui & ad minorem numerum reduci permittit æquitas & ratio naturalis; quia idem juris est de parte quoad partem, quod de toto quoad totum, *l. Qui de tota 76. pr. ff. de R. V.* cùm pars ejusdem naturæ & qualitatis sit, cujus est ipsum totum, *l. Si grege 22. ff. de Legat. 1.*

gat. 1. partim verò; quòd mens testatorum aliorúmque benefactorum defunctorum, à quibus proventus illi relicti sunt, non alia fuisse videatur, quàm; ut Anniversaria & Missæ juxta ipsorum præscriptum celebrentur, quamdiu rerum status & circumstantiæ non mutantur, & ad ea relicti proventus percipiuntur, & sunt sufficientes; ne Ecclesia eíq; servientes clerici ac Religiosi indebitè graventur.

Quantumvis autem, cùm proventus valde tenues & insufficientes evaserunt, Missarum & Officiorum divinorum reductionem ac diminutionem *cap. 4. cit.* permissam, nemo facilè in dubium vocet, *citt.* tamen, aliíque DD. passim monent, non indiscriminatim omniũ Anniversariorum ac Missarum reductionem eô à S. Synodo permissam; ideóque ab iis

73. Excipiuntur primò, & ad minorem numerum reductionem non admittunt Anniversaria, Missæ, aliáq; onera & obligationes, pro quibus subeundis Ecclesiæ relicta sunt bona immobilia, annuos fructus vel census producentia, vel pro hujusmodi bonis cœmendis certa & sufficiens summa pecuniæ data: si ista à Prælato cum Capituli seu conventûs sui consensu in Ecclesiæ vel Monasterii usus alios conversa, vel illa distracta sunt, & pretium in Ecclesiæ vel Monasterii utilitatem impensum; quia, illa pro Ecclesiæ vel Monasterii necessitate vel utilitate alienandô & pecuniam expendendô, pro Anniversario perpetuò celebrando necessaria substituendi onus subiisse, Ecclesia ipsa censetur.

74. Excipiuntur secundò Anniversaria, Missæ, aliáque onera & obligationes, Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, Altaribus ab eorum fundatoribus impositæ in ipso limine fundationis, partim; quia horum commutatio & reductio à Tridentino *cap. 4. cit.* permissa non est; cùm istô sermo non sit de Missis impositis in Ecclesiæ &c. fundatione: sed solumodo de relictis à testatore vel alio benefactore extra fundationem: partim verò; quia qualitatibus & oneribus in fundatione adjectis & injunctis quacunque dispositione superveniente derogari, Concilium illud disertè vetuit *cit. Sess. 25. cap. 5. pr. de Reformat.* quod à S. Congreg. declaratum, perhibent laudati Garcias *n. 131.* Moneta *n. 376.* & Jordanus *n. 580.*

Excipiuntur tertiò à multis Anni- 75.
versaria, Missæ, aliáque onera, ultimâ voluntate aut quâvis aliâ dispositione Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, Altaribus imposita post Concilium Tridentinum; horum enim reductionem *cit. cap. 4.* non permissam, à S. Congreg. *7. Febr. 1573.* declaratum, perhibent Miranda *Tom. 1. Manual. Prælat. q. 4. art. 24.* Barbosa *alleg. cit. n. 5.* Diana *p. 8. Tract. 4. resol. 2.* & alii. De hac tamen declaratione non satìs constare; ideóque, tertiam hanc exceptionem neque certam neque S. Synodi decreto *cap. 4. cit.* conformem esse, disertè pronuntiat Garcias *cit. cap. 1. n. 132.* Gobat autem eam in Germania saltem nostra usu non receptam, ait *Tract. cit. n. 591.*

Dubium secundò est, quomodo ea 76.
Anniversariorum, Missarum & Officiorum divinorum reductio fieri queat. Cujus varia, & primò quidem ex jam dictis certa Resolutio est, sine authoritatis Apostolicæ interventu nihil immutandum: sed, sicut antè, sic in posterum sine ulla diminutione ac reductione celebranda Anniversaria & Missas, pro quibus relicta hodie etiam sufficientia sunt. Deinde ea, pro quibus relicta vg. quantitas pecuniæ sufficiens versa est in utilitatem Ecclesiæ vel Monasterii, & hoc vel illa pro illarum celebratione necessaria ministrandi onus in se suscepit. De-

mum ea etiam, quæ Ecclesiis &c. imposita fuerunt in ipso limine fundationis.

Secundò aliorum Anniversariorum & Missarum, pro quibus relicta valde tenuia & hodie insufficientia sunt, duo triáve conjungi, aut etiam uni adjungi possunt, ita tamen; ut in Anniversario vel Missa, cui alia accessoriè adjuncta sunt, eorum benefactorum, quorum Anniversaria & Missæ aliis adjunctæ sunt, omnium commemoratio fiat, juxta præscriptum S. Synodi *cap. 4. cit.* ut *ibi* Barbosa & alii DD. passim monent.

Tertiò ejusmodi Anniversariorum aliqua reduci possunt in totidem Missas, vel in unum alterúmve Anniversarium singulis mensibus, vel in unam alterámve Missam generalem singulis hebdomadis, vg. feriâ secundâ pro benefactoribus, pro quibus Anniversaria & Missæ pristinæ fiebant, celebrandam, ut cum Ugolino *de Offic. Episc. cap. 61. n. 1.* docent Moneta *cap. 5. cit. n. 367.* & Barbosa *in cap. 4. cit. n. 4.*

Quartò Anniversaria aliáque Officia divina potiùs in Missas, quàm hæ in Anniversaria aut alia pia opera sunt commutanda, ut salubriter monent *cit.* Moneta *n. 369.* & Fagnanus *in c. Ex parte 12. de Constitut. n. 34.* asserens, hoc S. Congregat: declaratione approbatum. Ratio est; quia defunctorum animabus in Purgatorio detentis plus prosunt sacrificia Missæ, quàm alia divina Officia & opera pia; cùm suffragia, quæ proveniunt ex virtute Missæ sacrificii & operis operati, multùm præponderent eis, quæ proveniunt ex virtute meriti & operis operantis, secundùm S. Thomam *in 4. dist. 45. q. 2. quæstiunc. 2.* & unanimem doctrinam TT. id desumentium ex *can. Utrum 71. dist. 2. de Consec.* & Trident. *Sess. 25. decreto de Purgatorio*, ubi istô detentas animas *potissimùm sacrificiis juvari*, ait.

Dubium tertiò est, an ea reductio fieri queat ab ipsis Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis. Secularibus Episcopô inferioribus, vg. Ecclesiarum Collegiatarum Præpositis aut Decanis, eam potestatem communi Jure non competere, res est satis explorata; quòd hanc ipsis non contulerit Jus Decretalium antiquum: eorúmque S. Synodus Tridentina non meminerit *cap. 4. cit.* quô tamen ea indulta videtur Prælatis Regularibus; cùm eô concessa sit Abbatibus, quibus æquiparantur & parem potestatem in Monasteriis & Ecclesiis suis Jure obtinent aliarum Congregationum Regularium Prælati. Sed videtur duntaxat. Revera non competit; quia proposita Missas & Anniversaria reducendi potestas à S. Synodo non concessa est quibusvis, sed iis duntaxat Abbatibus & Præpositis, qui in certum & ab Episcopali distinctum territorium & in hoc sitas Ecclesias & populum exercent jurisdictionem quasi Episcopalem; quia tales quoad ea, quæ jurisdictionis sunt, Episcopis æquiparantur. Cæteris verò Abbatibus & Ordinum Generalibus concessa tantùm est in Capitulo seu Congregatione generali, ut liquet ex *cap. 4. cit.* quô posterioribus his Abbatibus & Generalibus nova & anteriori Jure non competens facultas indulta & ad Capitulum generale restricta est; ut proinde extra hoc nequeat exerceri, *citt.* Garcias *n. 128.* Moneta *cap. 5. n. 366.* Miranda *art. 24.* & Barbosa *n. 15.* Ratio est partim; quia Anniversariorum & Missarum reductio species quædam est commutationis ultimæ voluntatis, quæ à Prælatis Regularibus, jurisdictionem quasi Episcopalem non obtinentibus, fieri Jure communi non potest, ut *arg. Clement. 2. cit.* tradunt Rodriquez *Tom. 2. Regular. q. 125. art. 4.* § 10.

& 10. Sorbus *Compend. Privileg. Minor. V. Commutare*, & Moneta *cap. cit. n. 566.* partim verò ; quia Abbates & Præpoſiti cum Capituli ſeu conventûs ſui conſenſu Monaſteriorum & Eccleſiarum ſuarũ Anniverſaria, Miſſas & Officia divina ad minorem numerum reducendô authoritatem præſtarent in negotio proprio, ſive ſe ſuámque Eccleſiam & utilitatem concernente : quod Jura ſpecialiter reprobant, *l. 1. l. Pupillus 5. ff. de Auth. tut. c. fin. de Inſtitut. & Clement. 2. de Reb. Eccleſ. non alien. ubi* Gloſſa *V. Menſæ*, Panormit. *n. 14.* & Vivianus *in Clem. cit.*

79. Dubium quartò eſt, quâ ergo authoritate reductio in hujusmodi Eccleſiis extra Capitula ſeu Congregationes ſit facienda. Apoſtolicâ Anniverſariorum & Miſſarum quarumcunque, etiam in fundationis limine impoſitarum, reductionem fieri poſſe, nemo eſt, qui ambigat ; propter plenariam & generalem poteſtatem de rebus ac bonis, ſalutem animarum ſpiritualem ſpectantibus, juſtâ cauſâ ſubſiſtente, diſponendi, Papæ tanquam Chriſti Domini in terris Vicario competentem, *can. Cuncta 9. q. 3. c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 2. Ut lite pend.*

80. Ab Epiſcopis etiam in Synodo diœceſana reductionem fieri poſſe, diſertè habetur *cap. 4. cit.* An etiam extra Synodum, dubium reddit Concilium Tridentinum ; quòd, dum Miſſas reducendi poteſtatem ipſis in Synodo concedit, extra hanc eam ipſis negare cenſetur ; quòd oppoſitorum unius aſſumptio alterius excluſio ſit, *arg. c. Nonne 5. de Præſumpt. & l. Si inter 15. ff. de Except. rei judic.* junctâ Gloſsâ *in Clement. 2. V. Directè, de Teſt. & atteſt.* Et in iis ſaltem provinciis, in quarum diœceſibus ejusmodi Synodi annuatim celebrantur, extra has reductionem fieri ab Epiſcopis poſſe ; cum Garcia *cit. cap. 1. n. 134.* & aliis negant Fagundez *de Præcept. Eccleſ. Lib. 3. cap. 7. à n. 12.* & Bonacina *de Sacram. diſp. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 9.*

81. At meliùs, Miſſas & Anniverſaria etiam extra Synodum reducendi poteſtatem Epiſcopis competere, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 138.* defendunt *citt.* Miranda *art. 24.* Barboſa *alleg. 29. n. 15.* & Palao *Tract. 13. diſp. 1. p. 6. n. 24.* & alii. Ratio eſt ; quia Epiſcopis ea poteſtas non, ut Abbatibus & Ordinum Generalibus, à Tridentino primùm indulta eſt, ſed antiquiori Jure jam competebat, *c. Ex parte 12. de Conſtitut. & Clement. 2. de Relig. domib.* quibus textibus fundata ea Epiſcoporum poteſtas à S. Synodo nec ſublata nec reſtricta : ſed ſolummodo ad majorem Juris obſervantiam additum eſt ; ut fiat in Synodo diœceſana : non ; quòd hoc ad reductionis valorem neceſſarium : ſed ; quòd utilius ac ſecurius ſit. Quæ ratio & doctrina, licet non procederet in provinciis, in quibus S. Synodi decreta, quoad annuam Synodi celebrationem *Seſſ. 24. cap. 2. de Reformat.* præceptam, uſu obſervantur, locum tamen omnino habet in Germania & provinciis aliis, in quibus ejusmodi Synodi nunquam aut rariſſimè habentur. Unde in his eam, de qua ſermo eſt, reductionem ab Epiſcopis extra Synodum fieri poſſe, declarat recepta praxis ſeu Conſuetudo apud Gobat *cit. Tract. 3. n. 501.*

82. Epiſcopis ita firmatam poteſtatem ambiguam reddit decretum S. Congreg. Cardd. Interpp. quô iſta, authoritate ab Urbano VIII. ſpecialiter acceptâ, ſtatuit ac diſtrictè vetuit, *Ne Epiſcopi* non tantùm extra, ſed *in diœceſana etiam Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum aut poſt idem*

Concilium imposita aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Sedem Apostolicam recurratur, quæ, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decrevit.

83. Verùm decretum hoc ex toto non ubique observari, sed Consuetudine ei alicubi derogatum, cum Garcia *cit. p. 7. cap. 1. n. 132.* advertit Palao *disp. unic. cit. p. 15. n. 4.* eique contrariam Germaniæ nostræ praxin esse, observat Gobat *cit. n. 591.* ubi inter facultates, quas Vicariis suis generalibus Episcopus Constantiensis concedit ex *Constitut. Synodal. p. 1. tit. 9. n. 21.* eam refert, *In Anniversariis vel beneficiorum fundationibus Missarum vel etiam prebendarum numerum augendi vel minuendi.*

Hujusmodi autem contrariâ praxi seu Consuetudine quadraginta, *arg. c. De quarta 4. & c. Ad aures 6. de Præscript.* imò decem duntaxat annis sine interruptione continuatâ, sicut Legibus Ecclesiasticis aliis, sic etiam *cap. 4. cit.* decreto istiúsque declarationibus derogari posse, *arg. can. Consuetudinis 4. dist. 11. c. fin. de Consuetud. & l. Diuturna 32. ff. de LL.* cum Mascardo *de Probat. conclus. 424. à n. 24.* & aliis defendunt Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 8. n. 7.* & Card. de Lugo *disp. 7. de I. & I. s. 6. n. 94.*

TITULUS XLII.

De Baptismo & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1. *Notatio & definitio Baptismi.*
2. *Materia ejus Remota est aqua naturalis, apta ad abluendum.*
3. *Proxima ipsa per aquam ablutio:*
4. *Quâ trinâ vel unicâ duntaxat,*
5. *Et quâvis parte corporis factâ Baptismus validè confertur:*
6. *Dummodo facta sit tactu successivo.*
7. *In aquam projecto infanti Baptismus validè confertur.*
8. *In eam licitè non proiicitur.*
9. *Ejus collationem per aquam in uterum immissam simpliciter damnantium,*
10. *Eámque aliquando approbantium,*
11. *Et sub conditione repetendam, asserentium verior Opinio.*
12. *Forma consistit in verbis, aliter in Latina,*
13. *Aliter, eódem tamen sensu, in Græca Ecclesia prolatis.*
14. *Eâ exprimenda sunt persona & actio baptizantis,*
15. *Persona baptizati,*
16. *Et invocatio Dei Unius ac Trini.*
17. *Hujus expressionem de Baptismi substantia esse negantium,*
18. *Veráque id asserentium,*
19. *Et verba in quavis lingua omnibus aquè nota exigentium, Opinio.*
20. *Baptis-*

20. *Baptismi capax est omnis & solus homo viator, nondum baptizatus,*
21. *Etiam infans, furiosus, amens:*
22. *Nisi hi, cùm uterentur ratione, eum non postulassent.*
23. *Non valet invito:*
24. *Metu coacto, & invitis parentibus collatus valet.*
25. *Parentum infidelium alterô tantùm licitè:*
26. *Utrôque invitô eorum liberis illicitè confertur:*
27. *Nonnullis casibus exceptis.*
28. *Baptismus regulariter ab Episcopis, Parochis &c.*
29. *Et in Ecclesiis, non in privatis ædibus, est conferendus.*
30. *Ritè collatus tres effectus habet.*

SAnctissimo Sacrificio seu Eucharistiæ Consecrationi, omnium maximè venerabili, subjicitur Baptismus, ad æternã salutem consequendam omnium maximè necessarium Sacramentum.

1. Nomine autem Baptismi, sic dicti à Græcanico verbo βαπτίζειν, abluentis vel imergentis actionẽ denotante, hic intelligitur Sacramentum Regenerationis per aquam in verbo vitæ; ita enim definitur Catechismi Romani *p. 2. cap. 2.* juxta Evangelicum illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, Joan. *cap. 3. v. 5.* eique consonum illud Apostoli, *Mundans* Ecclesiam *lavacrô aquæ in verbo vitæ*. Ephes. *cap. 5. v. 26.* Quâ definitione hujus Sacramenti Materia per *Aquam*, Forma per *Verbum* denotatur: ut luculenter insinuat S. Augustinus, cujus dogmatica sententia est, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, can. Detrahe 1. q. 1. & c. Non ut opponeres 5. hâc Rubr.*

2. Non malè tamen DD. inter ejus Materiam duplicem Remotam & Proximam distinguunt: & Remotam quidem asserunt esse aquam naturalem, sive elementarem aptam ad abluendum, sive ea fluvialis, fontana, pluvialis aut marina, calida aut frigida, pura vel turbida sit: esto apta non sit ad bibendum, S. Thomas *3. p. q. 66. art. 4.* non tamen constricta in glaciem aut nivem, nisi resolvatur; quia talis, licet elementaris quoad substantiam, apta tamen non est ad lavandum vel abluendum, Suarez *in 3. p. disp. 20. s. 2. n. 5.* & Laiman *Lib. 5. tract. 2. cap. 3. n. 1.* Contrà saliva, sudor, lacrimæ, urina, rosacea & similes aquæ destillatæ, aut ex fructibus, herbis vel radicibus expressæ: resolutæ ex sale: cerevisia & jusculà bene decocta, Remota Baptismi Materia non sunt, *arg. c. Non ut cit.* quia, licet ad ablutionem non ineptæ, aquæ tamen naturales sive elementares secundùm communem existimationem & usum non sunt, *citt.* S. Thomas *art. 4.* Suarez *sect. 1.* & Laiman *n. 1.* quibus tamen in extrema necessitate utentem non damnandum censet Coninck *p. 3. q. 66. art. 4.* quòd hujusmodi necessitas dubiæ materiæ usum, aliàs illicitum, cohonestet.

Hanc autem sive Proximam Baptismi Materiam statuunt ipsam ablutionem per aquam, juxta illud, *Mundans lavacrô aquæ, v. 26. cit.* quòd ea per formam, sive hanc constituentium verborum significationem denotetur ac determinetur; quia verba, *Ego te baptizo*, proximè non ipsam aquam, sed quæ per istam fit, ablutionem, immersionem, aspersionem vel effusionem in corpus significant ac determinant, ex S. Thomæ *q. cit. art. 1.* aliorumque TT. sententia apud Palao *Tract. 19. disp. unic. p. 4. n. 11.* Ubi 3.

Dubium & controversia fuit de numero immersionum, ablutionum &c. Trina enim priscô Ecclesiæ usu, SS. PP. complurium sensu & Traditione Apo- 4.

stolicâ: imò ipsius Servatoris præceptô disertè exigi videtur *can. Si quis Presbyter 79. can. Eôdem 81. can. Multi 82. &c. dist. 4. de Consec. & c. 1. hâc Rubr.* cùm, ut triduana Christi Domini sepultura expressiùs, & SS. Trinitatis mysterium non verbô, sed ipsô etiam trinæ immersionis factô significaretur: tum verò & præcipuè; ut Eunomitarum iisque affinium Hæreticorum, unicam immersionem in nomine Christi, reliquis SS. Triados Personis exclusis, faciendâ asserentium, error contrariô Ecclesiæ usu damnatus convelleretur. Cum tempore tamen abolitô illô Eunomitarum, sed novô Arrianorum, trinâ immersione ad Divinarum, sicut Personarum, sic etiam Naturarum Triadem demonstrandam abutentium, errore in Hispania invalescente, à Gregorio M. *can. De trina 78.* & à Concilio Toletano IV. *can. Propter 83. dist. cit.* relatis sancitum est; ut in illius regni provinciis Baptismus immersione unicâ administraretur. Unde TT. & Canonistarum doctrina constans est, ad Sacramenti istius valorem nihil interesse, an trinâ vel unicâ immersione, ablutione vel aspersione administretur: licet; ut ejus administratio licita sit, cujusque Provinciæ vel Ecclesiæ Consuetudo sit observanda, ut insinuatur *can. De trina cit.* & cum Panormit. *in c. 1. cit. n. 4.* advertit Laiman *cit. cap. 3. n. 4.*

Neque, sicut trinæ immersioni favet, sic ejus necessitatem persuadet; quòd ejus usum ex præcepto Domini vel saltem Traditione Apostolica provenire, asseratur *can. Si quis cit.* & aliis pro ea allegatis; quia Divinum præceptum non extat de ea, sed tantùm de expressa SS. Trinitatis invocatione: ad quam proinde *can. Multi cit.* relata Pelagii Papæ sententia & Domini præceptum sunt referenda, nihil obstante *can. Si quis cit.*, quia Apostolicô hôc canone solummodo damnatur error eorum, qui Baptismum conferebant mersione unicâ cum expressa, non SS. Trinitatis, sed Mortis Christi invocatione: quæ sola, non etiam unicæ immersionis usus Divino præcepto adversatur. Traditio autem Apostolica de trina immersione quidem fuit: at non ex Divinis, sive quas ex Christi ore Apostoli excepérunt: sed Ecclesiasticis duntaxat, sive ex iis, quas ipsi tanquam Ecclesiarum Rectores & Pastores constituerunt, vel usu introductas reliquerunt. Quæ, cùm merè Ecclesiasticum & humanum Jus sint, perinde ut alii Ecclesiæ canones & Consuetudines mutationem admittunt, *arg. c. Alma 24. pr. de Sent. excom. in 6.* Gonzalez *in c. 1. cit. n. 2.*

Dubium secundò est de parte corporis, aquâ abluenda, aspergenda &c. Et caput quidem tanquam partis illius principalis, uti & scapularum, humerorum, pectoris, brachiorum ablutione Baptismum validè conferri, satis certa est communis sententia DD. Anceps autem, an manûs, pedis, aut alterius similis partis, vel capillorum & pellis secundinæ solius ablutione validè administretur; cùm id neque ex sacris Literis neque ex Ecclesiæ Traditione satis constet. Unde Baptismum, sicut cùm aliter potest, hujusmodi duntaxat partis alicujus ablutione illicitè, sic necessitatis casu urgente, licitè conferri, sublatô tamen periculô sub conditione repetendum, monent *citt.* Laiman *cap. 3. n. 3.* & Palao *p. 4. à n. 6.* cùm, quoties valor dubius est, ita repetendus sit, *c. De quibus 2.*

Ut autem Baptismus etiam in capite & scapulis &c. validè administretur, satis non est; ut ea quâvis etiam minimâ aquæ particulâ solummodo attingantur: sed exigitur; ut ea aquæ quantitate saltem modicâ immediatè & contactu successivô tangantur; cùm sine hoc baptizatus seu lotus

lotus propriè non dicatur, Suarez *cit. ſ. 2. à §. Deinde*, & Palao *cit. n. 6.*

Sicut minimæ particulæ aquæ ſolô tactu, ſic etiam immerſione in aquam ſine emerſione; ac proinde in flumen projecto infanti & ejus aquis ſuffocato baptismum validè conferri poſſe, negant Scotus *in 4. diſt. 5. q. 3.* Sylveſter *V. Baptismus 4. n. 8.* & quidam alii, eâ ducti ratione; quòd ablutio ad eum, qui baptizatur vivificandum: hujusmodi autem immerſio potiùs ad eum occidendum ordinetur: & ſolam Chriſti Mortem, non inſtar veri Baptismi, etiam Reſurrectionem repræſentet, *can. de Trina cit.* Con-
7. trà multò frequentiori calculô alii cum Panormit. *in c. Non ut 5. n. 4.* Suarez *cit. diſp. 20. ſ. 3. §. Una* & Vasquez *3. p. diſp. 145. cap. 5.* infanti aquæ immerſo, etſi ex ea non emergat, baptismum validè conferri, docent; quòd, cùm tali caſu infans aquâ tangatur motu ſucceſſivô, ablutio, quæ Proxima hujus Sacramenti Materia eſt, non deſideretur & perficiatur, antequam infans vel ex aquis educatur vel in iis moriatur; ac proinde adhibitâ SS. Trinitatis invocatione validè baptizetur & conſequatur vitam animæ ſpiritualem, ad quam Baptismus ordinatur: &, quia peccato mortuus Chriſto vivere incipit, vetere Adam ſepultô, inducat novum; itáque Chriſti non Sepulturam duntaxat, ſed Reſurrectionem quoque repræſentet, ut præter alios doctè obſervat Palao *cit. p.*
8. *4. n. 10. & 11.* Quæ poſterior Opinio, licet authoritate & ratione potior ſit, ejus tamen uſus licitus non eſt; cùm caſus, quô is medium ad ſalutem neceſſarium ſit, vix appareat: &, ſi eveniret, ejus uſu innocens, quod nullô caſu licet, directè occideretur.

9. Dubium tertiò eſt de Baptismo infantis, nondum editi in lucem. Non quidem, ſi pars aliqua corporis extra uterum maternum extendatur; in hac enim eum baptizandum, convenit inter DD. ſed, ſi ille intra uterum totus contineatur; hôc enim caſu adminiſtratio Baptiſmi, aquâ per fiſtulam aut aliud inſtrumentum in uterum infusâ, magnis DD. relatis à Comitolo *Lib. 1. Reſponſ. q. 13. n. 2.* & huic etiam diſplicuiſſe, perhibetur à Pignatello *Tom. 1. Conſult. 153. n. 5.* & non obſcurè rejicitur *can. Qui in maternis 113. diſt. cit.* quòd, ut textus habet, *Qui natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, ſecundùm Chriſtum non poſſit regenerari*; cùm regenerationem ut generatio præcedat, neceſſarium: & Regulæ inſtar ſit, eum, qui natus nondum eſt, non poſſe renaſci. Accedit; quòd non appareat, quâ ratione perfici ablutio ſive aqua immediatè & ſucceſſivè pertingere valeat ad fœtum, in utero tot involucris & ſecudinis circumſeptum.

Nihilominus vicinô & deſperatô par- 10.
tu, etiam hanc Baptiſmi adminiſtrationem probant magni nominis TT. apud Dianam *Tom. 2. tract. 15. reſol. 43.* & Pignatell. *l. cit. n. 6. & 7.* Ratio, quâ moventur, eſt; quòd infans in utero ſit ſubjectum hujus Sacramenti capax; cùm ſit homo non baptizatus: &, quia vicinus eſt editioni ex utero, hunc aperire & erumpere nitatur; ut ab obſtetrice infusâ aquâ immediatè & ſucceſſivè contingi & ablui poſſit; ac proinde, ſi debita forma & miniſtri intentio accedat, ad baptiſmi valorem nihil deſideretur.

Neque verum eſt; quòd uterô maternô clauſus, natus non ſit ſecundùm Adam, & propterea nequeat renaſci; cùm enim nativitas, à qua per Baptismum renaſcimur, ſit illa, quâ in Adam naſcentes contrahimus peccatum Originale, ſecundùm Orthodoxos omnes & Trident. *Seſſ. 5. Decretô de Peccato Orig.* in Adam autem naſcamur & peccatum illud generatione in

tione in utero contrahamus, antequam ex illo in lucem edamur, per Baptismum regenerari infantes, licet Ordinariè non soleant, antequam geniti sint ex utero, absolutè tamen etiam poterunt, qui in utero geniti sunt; quia tales in SS. Literis etiam nati dicuntur, juxta illud, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Matth. *cap.* 1. *v.* 20. & *l. Qui in utero* 7. *ff. de Statu hom.* quâ is, qui in utero est, pro nato habetur, quoties de ejus commodo agitur, ut eruditè discurrit Pignatell. *à n.* 15. & 24. Unde commodam explicationem admittit *can. Qui in maternis cit.* qui inde etiam non urget; quòd in Decretum non ex alicujus Concilii decreto vel rescripto Apostolico, sed ex Isidori *Sent. Lib.* 1. Canonicam authoritatem non habente, fuerit translatus: eóque, infantem simul cum matre aquâ abluta baptizari non posse, asseratur.

Non magis urget Missale Roman. *In utero matris clausum baptizari* vetans; quia exaudiendum est de fœtu editioni non vicino: non de eo, qui huic jam propinquus egredi nititur; cùm enim iste uteri ostium soleat aperire, ut aqua infusa ad eum pertingere, ejùsque corpus manibus tangi valeat; ut ab obstetrice ex-
11. pertissima se accepisse, Comitolus fatetetur, non apparet, cur non valeat & in necessitate non debeat baptizari: licet casu, quô post talem baptismum salvus editus, baptismus sub conditione repetendus sit, *arg. c. De quibus cit.*

12. Forma Baptismi Ecclesiæ Latinæ usu recepta est, *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen*: quæ desumpta est ex Matth. *cap.* 28. *v.* 19. & refertur *c.* 1. *hâc Rubr.* à Concil. Florent *in Decreto Eugenii* §. *Primum* & à Trident. *Sess.* 7. *cap.* 4. Ratio ejus ita institutæ à S. Thoma *cit. q.* 66. *art.* 5. Laiman, *Tract. cit. cap.* 4. *n.* 1. & aliis redditur; quòd, cùm per Baptismum efficiamur Christiani & Ecclesiam Catholicam ingrediamur, eum ita suscipiendô, Deum Trinum & Unum, Catholicæ Fidei mysterium præcipuum, in ejus ingressu profiteamur.

Eôdem sensu, sed non iisdem verbis 13.
initialibus in Ecclesia Græca, Sacramentum hoc administrans, *Baptizetur*, inquit, *servus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: quâ etiam veram Baptismi formam esse, fatentur omnes; quòd eâ ipsius etiam baptizati persona & actio baptizandi sufficienter significentur, hôc ipsô; quòd verba illa cum abluendi sive immergendi actione, à proferente posita, conjungantur; ac proinde ad Baptismi Formam requisita omnia concurrant.

Forma enim hujus Sacramenti, ut 14.
valida sit, ex communi DD. sensu quatuor; & primò quidem exprimere debet personam baptizantis, saltem implicitè: ut in dicta Græcorum & Latinorum etiam accideret, si minister verba, *Te baptizo &c.* proferret, pronomine *Ego* omissô; quia hoc verbi illius significatio includit: & satìs probabiliter etiam, si dicat, *baptizet te Christus* vel *baptizeris à Christo &c.* quia istâ etiam, baptizantis sive abluentis actione accedente, ministri persona sufficienter exprimitur; cùm hôc ipsô; quòd potestate à Christo delegatâ baptizet, significet; quòd Christus per ipsum tanquam ministrum baptizandi actionem exerceat, Sotus *in* 4. *dist.* 3. *q. unic. art.* 5. *citt.* Suarez *disp.* 21. *s.* 2. *concl.* 2. Laiman *cap.* 4. *n.* 1. §. *Quapropter* & alii contra Vasquez *cit. disp.* 142. *cap.* 2. *n.* 19.

Secundò Baptizantis actio, §. *Primum cit.* & *c.* 1. *hîc*: cujus textus est, *Si quis puerum in aqua merserit*, hoc est, immergendô dixerit, *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen*: & *non dixerit, Ego te baptizo in nomine &c. non est puer ba-*

puer baptizatus. Rationem, vel potiùs congruentiam reddit Laiman *cit. n. 1.* quòd baptizantis actus sit ipsa ablutio: quæ cùm sit Materia proxima, per Formam determinari & significari debet.

15. Tertiò persona baptizanda: ut à Christo non obscurè insinuatur verbis, *Baptizantes eos &c.* Matth. *cap. 28. v. 19.* & à Florent. clarè traditur *§. Primum cit.* Cujus ratio est; ut appareat discretio personarum inter baptizantem & baptizatum; cùm nemo baptizari valeat à seipso, *citt.* S. Thomas *q. 66. art. 5.* Suarez *concl. 3.* Laiman. *n. 2.* & alii, propterea pro nulla habentes Formam, *Ego baptizò in nomine Patris &c.* pronomine *Te* omisso.

16. Quartò & præcipuè Unitas & Trinitas Divinitatis, Matth. *v. 19. cit. c. 1. cit.* & *c. 1. de Summa Trinit.* ut Baptismus, sine sanctissimæ Trinitatis clarâ & expressâ invocatione collatus, omninò invalidus sit, *can. Si revera 28. & can. In Synodo 81. dist. 4. cit.* cujus expressionem requirendi ratio fuit; ut, cùm Baptismus Sacramentum Fidei & janua sit, per quam ingredimur Ecclesiam Christi, in ipso in hanc introitu Christianæ Fidei mysterium præcipuum doceamur & confiteamur.

17. Ejus tamen ita expressæ invocationis necessitatem admodùm ancipitem reddit *can. A quodam Judæo 22. dist. cit.* ubi relatò Nicolai I. ad Bulgaros responsò sustinetur Baptismus collatus, *In nomine sanctæ Trinitatis* unitate Dei non expressâ: vel tantùm *In nomine Christi*, more Apostolorum, qui *In nomine JESU* baptizâsse Act. *cap. 2. 10. 11. & 19.* perhibentur, & Servatoris ac Magistri sui mandatum prævaricati utique non sunt. Quò eorum factò ductus S. Bernardus, Baptismum, puero in mortis periculo, *In nomine sanctæ & veræ Crucis* collatũ, pro vero habet *Epistol. 340.* Unde verus multò magis erit collatus explicitè *In nomine Dei* vel *Patris* aut *Spiritus sancti* & præsertim *In nomine SS.* Trinitatis.

Maxima hæc authoritas non paucos DD. & Ecclesiæ PP. aliquos in eam sententiam abduxit; ut, SS. Trinitatis expressam invocationem ad Baptismi substantiam pertinere negarent. Apud alios id saltem potuit; ut, licet ex Christi institutione SS. Trinitas expresè invocanda sit, ex dispensatione tamen Divina ab Apostolis Baptismum sine ea in solo JESU nomine validè collatum, cùm SS. DD. Angelico *cit. q. 66. art. 6.* & Seraphico *in 4. dist. 3. q. 2. art. 2.* assererent.

18. At multò veriore & crebriore calculò alii expressam Personarum Divinarum invocationem Baptismo essentialem, cum SS. DD. *citt.* & Bellarmino *Lib. 1. de Baptismo cap. 3.* & ab Apostolis etiam adhibitam, docent cum *cit.* Suarez *disp. 21. s. 3. §. Superest* & Laiman *cap. 4. n. 3. §. Atque hæc.* Priorem partem desumunt ex verbis *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti*, Matth. *cit. v. 19.* quibus hujus Sacramenti Formam à Christo traditam, colligitur ex *can. Si revera & can. In Synodo citt.* Posteriorem ex Actorum *cap. 19. v. 2.* ubi S. Paulus ad suam interrogationem, an Spiritum sanctum accepissent per impositionem manuum alicujus Apostoli, reponentibus, *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus*, miratus ait, *In quo ergo baptizati estis?* Baptismò tantum Joannis? an Christi? insinuans; quòd, si istò baptizati fuissent, necessariò Spiritum sanctum, ex ejus institutione cum Patre & Filio exprimendum, jam audivissent. Unde cùm Apostoli *In nomine Domini JESU* baptizâsse asseruntur, sensus est, Baptismum ab ipsis collatum secundùm Domini JESU institutionem Matth. *cap. 19. v. 19. cit.* ac proinde cum Divinarum personarum expressa invoca-

tione, ut verba illa S. Cyprianus *Epistol. 73.* Beda *Var. q. 14.* & alii exponunt apud Raynaudum *Heteroclyt. Spiritualium S. 1. p. 1. §. Ex eadem.*

19. Magis urget & Interpp. torquet *can. A quodam cit.* Ex variis, quos excogitârunt, verisimiliores sunt expositiones duæ. Una Soti *in 4. dist. 3. q. unic. art. 6.* & Suarez *disp. 21. s. 3. §. Ad decretum*, qui eô à Nicolao Papa non agi, nec probari volunt, Baptismũ collatum, omissâ expressâ invocatione Patris & Filii & Spiritus sancti esse validũ: sed eum duntaxat, quô secunda Trinitatis persona non *Filii* sed *Christi* tantũ nomine est expressa: quô modô etiam intelligit S. Ambrosium *can. cit.* allegatum cum aliis locis, quibus Baptismi Formam esse ait, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, *Lib. de SS. Sacramentis.* Altera Cani *de Locis Theolog. Lib. 6. cap. 8. ad 7.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 8 cap. 5. q. 3.* ubi ajunt, *can. cit.* Nicolai intentionem solùm fuisse respondere interrogantibus, an valeat Baptismus à Judæo vel Pagano collatus: eúmque, si ab his secundùm Christi institutionem conferatur, non repetendum; ac proinde directè tantùm respondisse, eum validum esse. Quoad alterum verò nihil definivisse: sed in re controversa Pelagii & Zachariæ, SS. PP. *can. Si re vera & can. In Synodo citt.* trium Personarum expressam invocationem exigi sine definitione docentium, Opinioni contrarium, ut privatum Doctorem, tenuisse. Quam expositionem cæteris meliorem existimat Suarez *l. cit.*

Non minor controversia dubiúmque est de Baptismo collato verbis, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti & procedentis ab utroque.* Quem validum esse, satis probabiliter aliqui affirmant. Alii multò communiùs & veriùs negant cum §S. DD. Angelico *cit. q. 66. art. 5.* & Seraphico *in 4. dist. 3. art. 2. q. 3.* cùm quòd eam Formam sufficere, neque ex Institutione Christi, neque ex usu Ecclesiæ aut fidelium sensu habeatur: tum verò quòd, cùm Baptismus sit Sacramentum Fidei, *c. Quantò 7. de Divortiis*, conveniens omnino fuerit, ut eô initiatus SS. Trinitatis præcipuum Fidei Christianæ mysterium non explicitè duntaxat, sed ipsis etiam communibus & in quacunque lingua omnibus æquè notis & SS. tres Personas eôdem modô exprimentibus proponeretur.

Subjectum Baptismi est omnis & 20.
solus homo viator nondum baptizatus, etiam parvulus, *c. Majores 3. pr.* ut contra varios Hæreticorum & quorundam etiam Catholicorum errores à S. Synodo Trident. *Sess. 7. can. 12.* &c. est definitum. Quæ Catholica veritas in sacris Peginis præfigurata est Circumcisione, teste Apostolo ad Colos. *cap. 2. v. 11.* Undè cùm ista in veteri Testamento ministrata sit infantibus, Genes. *cap. 17. v. 10.* & Levitici *cap. 12. v. 3.* hi capaces etiam erunt Baptismi, ut rectè arguit Innocentius III. *pr. cit.* ipsis omnium maximè necessarii ad salutem, juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. *cap. 3. v. 5.* quibus verbis infantes non minùs quàm adultos comprehendi, communis sensus est Ecclesiæ PP. ac DD. parvulos sine baptismô realiter susceptô vel Martyriô cælum ingredi posse, passim negantium: & pro ipsis, sine hoc Sacramento decedentibus, sacrificia offerri, eósque sacrâ humô tumulari non permittentium. Novi etiam Testamenti tabulis doceмur, simul baptizatas integras domos seu familias, Actorum *cap. 16. v. 15. &* 1. Corinth. *cap. 1. v. 16.* quæ, cùm non adultis duntaxat, sed etiam parvulis constarent, hos quoque Baptismi lavacrô regenerari,

neratos, ac proinde ejus capaces fuisse, est necesse. Eadem veritas Orthodoxa SS. PP. Testimoniis, Decretis Conciliorum, & omnium, ipsi etiam Ecclesiæ nascenti proximorum, seculorum constanti usu comprobatur à Bellarmino *de Baptismo cap. 9.* & Gonzalez *in c. Majores cit. pr. n. 4.* & firmatur ratione; quia Sacramentum hoc ad salutem necessarium est omnibus obnoxiis peccato Originali, Joan. *v. 5. cit.* quod cùm etiam parvuli ipsâ in utero conceptione contrahant, capaces etiam erunt Baptismi; ne culpæ vis & efficacia major quàm gratiæ sit. Unde

Dubium oritur, an baptizari etiam valeant amentes. Quod generaliter asseri videtur *can. Qui recedunt, 26. q. 6.* ubi relati Concilii Arausicani decretum est; *Amentibus quæcunque pietatis sunt conferenda.* In specie, Baptismi lavacrò ipsos regenerari posse, suadet ratio; quòd ad id non desideretur voluntas suscipientis; cùm enim baptizari valeat infans, qui nec judicium nec voluntatem habet, *l. 1. C. de Falsa moneta*, & furioso comparatur §. *Furiosus 8. Instit. de Inutil. stipul.* cur baptizari nequeat amens & furiosus? Sed hoc generaliter verum non est: & plurimùm refert, an rationis usum, qui eò nunc caret, aliquando habuerit, aut secus; cùm eum, qui ratione nunquam usus fuit, illius Sacramenti non minùs quàm infantem sacri hujus lavacri capacem, *can. Qui recedunt cit.* textus & ratio omnino evincat. Illum etiam, qui aliquando habuit usum rationis: &, cùm istâ uteretur, Baptismum petiit, eó ablui etiam amentiæ & furoris, aut somni postea supervenientis tempore posse, *c. Majores cit.* §. *Verùm*, decisum & ratio est; quòd in eadem voluntate perseverare præsumatur, S. Thomas 2. 2. *q. 80. art. 8.*

22. Aliter res se habet cum eo, qui cùm sanæ mentis esset, baptismum admittere renuit, aut etiam nunquam petiit, vel ejus suscipiendi propositum non habuit; ei enim Baptismum validè non conferri, S. Thomæ *3. p. q. 68. art. 12.* & aliorum TT. certa sententia est; cùm talis censeatur instar adulti sive utentis ratione: cui ad Baptismi valorem necessarius est voluntarius consensus sive intentio eum suscipiendi, ut cum S. Augustino *Lib. 4. de Baptismo cap. 24.* docet Innocentius *c. cit.* §. *Item quaritur:* non quidem actualis: sed saltem moraliter perseverans, sive ante existens & non retractata, *citt.* Suarez *in 3. p. disp. 24. s. 1. concl. 1.* Laiman *cap. 6. n. 2.* & Palao *p. 7. n. 2.* Ubi

Dubium aliud est de baptismo, susce- 23.
pto metu. Si, qui hunc patitur, omnino invitus sit, Baptismum ei collatum valore destitui, constans sensus DD. & decisum est §. *Item quaritur cit. V. Illi verò*, ad ejus valorem in homine rationis usu prædito requirente consensū. Si verò ter- 24.
roribus & suppliciorū intentatorū metu in Baptismū consenserit, pro valido discrtè habetur §. *& V. cit.* ubi laudatus Papa, illò ita collatò, characterem, qui ejus validè suscepti effectus est, imprimi, ait; cùm enim coacta voluntas, sit voluntas, *l. Si Mulier 21. §. 5. ff. Quod metûs causâ gest.* Baptismus ita susceptus voluntariò & liberò consensu, ad eum requisitò ac sufficiente, non destituetur.

Multò magis, quàm adultis metu coactis Sacramentum hoc validè administratur infantibus Infidelium, ad eos Baptismo offerendos coactorum, imò omnino invitorum, ut cum S. Augustino *Epistol. 23.* & S. Thoma 2. 2. *q. 10. art. 12.* tradunt *citt.* Suarez *disp. 25. s. 1. concl. 2.* & Vasquez *disp. 155. cap. 6.* Ratio est, quia ad hujus Sacramenti infantibus ministrandi valorem ultra debitam Materiam & Formam atque ministri intentionem nihil desideratur; cùm locò consen-

fûs necessarii in adultis, in infantibus succedat voluntas Christi, ut luculenter docemur usu Ecclesiæ, Baptismum ob paternæ, maternéve voluntatis defectum reiterari nunquam permittentis; quòd piè credat parvulos, sicut non proximi parentis, sed solius Adæ voluntate Originalem maculam contraxerunt, ita solô secundi Adam sive Christi consensu ab ea expiatos ad vitam æternam regenerari.

25. Dubium tertiò est, an infidelium infans licitè baptizetur, utrôque parente invitô. Alterô, etiam patre invitô, dummodo alter etiam mater velit, illum licitè baptizari, desumitur ex *can. Judei 28. q. 1. & c. fin. de Convers. infid.* & ratio est; quia in educandis, retinendisque & regendis liberis, quoad ea, quæ ad salutem necessaria sunt, æquale jus est utriusque parentis; ut illam spectans pia unius, ab ea avertentis alterius impiæ voluntati ob specialem Religionis Christianæ & animæ favorem præferatur, *citt.* Suarez *disp. 25. s. 3. §. Duo*, & Laiman *cap. 6. n. 10. §. Tertiò.*

26. Eosdem, utrôque parente invitô, licitè baptizari voluit Scotus *in 4. dist. ult.* & suader ratio; quòd illi proles suas Baptismo offerre, Divinô & Naturali etiam Jure teneantur; ac proinde hunc ipsis ministrare volentes prohibere non valeant, nec patiantur injuriam collatione actuali. Sed non apparet, quâ potestate ejusmodi infantes Baptismo offerri valeant; cùm Ecclesiasticæ infideles non sint subjecti, *c. Gaudemus 8. de Divortiis:* Secularis autem tota Politica sit & finem Reipublicæ temporalem spectet. Unde Ordinariè ejusmodi infantibus Baptismum, parentibus invitis, licitè conferri, cum S. Thoma *3. p. q. 68. art. 10.* & aliis meritò negant *citt.* Suarez *s. 3. concl. 1.* Vasquez *cap. 2. à n. 10.* Laiman *n. 10. concl. 2.* & Barbosa *in can. Judæorum, 28. q. 1. n. 2.* Ratio est; quia parvuli baptizati separandi sunt à consortio parentum infidelium, *can. cit.* ne contumeliæ Creatoris suæque perversionis & Apostasiæ manifesto periculo exponantur: parentibus autem auferri nequeunt sine violatione Justitiæ; cùm liberorum, præsertim rationis usu adhuc carentium, tutela eósque educandi & regendi potestas parentibus etiam infidelibus competat; ac proinde inviti eâ spoliari non possint.

Dixi, *Ordinariè*, imprimis propter 27. Turcarum aliorúmque Infidelium infantes captos bellô aliôve modô redactos in servitutem Christianorum; cùm enim in tales potestas sit penes dominum, ab illo, invitis parentibus, sicut auferri & dominis aliis donari, sic etiam Baptismo poterunt offerri, *citt.* Suarez *s. 4.* Laiman *n. 10. §. Porro.* Secundò, propter ejusmodi infantes constitutos in articulo mortis vel perpetuò amentes aut quacunque ratione abstractos à parentibus; ut eos his reddendos, spes non appareat: quorum priores propter extremam eorum necessitatem: posteriores verò Baptismo offerri possunt; quòd id sine parentum injuria fieri queat, Laiman *cit. n. 10. à §. Dixi*, & Palao *disp. unic. cit. p. 5. à n. 14.*

28. Sacramentum hoc validè administrari potest etiam à laicis, tam fœminis quàm viris: imò etiam à non baptizatis, ut ex *c. 1.* ibi *A quocúnque collatum proficit ad salutem, de Summa Trinit. can. A quodam Judæo cit. can. Mulier 13. Dist. dist. cit.* ex Concil. Florent. §. *Primum, ex* Ecclesiæ Traditione & universali consuetudine luculenter constat. Extra casum tamen necessitatis ejus administratio jure Ordinariô competit Episcopis, & per illorum communicationem Presbyteris non quibuscunque, sed Parochis iisque similibus curatis, *can. Interdicimus, 16. q. 1.* aliis ve-

aliis verò non niſi ex delegatione ſive commiſſione Epiſcopi vel Parochi: qui rationabili, puta ſuæ abſentiæ causâ, ejus adminiſtrationem etiam ſolennem Diacono committere poſſunt, *can Diaconos 13. diſt. 93.* Ex privilegio Sedis Apoſtolicæ hujus Sacramenti adminiſtrationem quidam, & nominatim Societatis noſtræ Religioſi obtinent pro terris infidelium, fundatas parochias non habentium, ut *Tit. 29. n. 11.* eſt dictum.

29. Extra eundem neceſſitatis ſive mortis caſum Baptiſmus ſine ſolennitate & conſuetis Eccleſiæ ritibus: uti etiam extra Eccleſias, in quibus ſunt fontes Baptiſmales, in Aulis vel Cameris & privatis domibus adminiſtrari graviter prohibetur: & Parochos ſecus facere præſumentes ſeverè & ad aliorum exemplum caſtigare Epiſcopi jubentur *Clement. Unicâ, hâc Rubr.* Quâ Conſtitutione, cùm Regum duntaxat ac Principum &, ſecundùm Gloſſam *ibi V. Regum*, aliorum notabilem & Regiæ dignitati comparandum potentatum, ſive dominatum habentium Magnatum filii ac nepotes excipiantur: & cum debita ſolennitate in Aulis baptizari ſoli permittantur, non ſatis aſſequor, quâ ratione, an per ſanctionum Eccleſiaſticarum contemptum vel ignorantiam, Parochi multò inferioris, & tantùm non plebeiæ conditionis parentum prolibus Sacramentum hoc in privatis ædibus ità facilè adminiſtrent, præſertim; cùm *Clement. cit.* transgreſſores à mortalis peccati reatu præcipui nominis TT. non excuſent apud Vaſquez *diſp. 147. cap. 5. n. 3.* & Palao *Tract. 19. diſp. unic. p. 9. n. 6.*

Baptiſmi validè ſuſcepti tres præci- 30.
puè: & primus quidem effectus eſt Gratia remiſſiva peccati Originalis in parvulis, & in adultis etiam actualis cujuscunque, *can. Firmiſſimè 2. &c. diſt. 4. de Conſec. c. 1. & Clement. Unic. de Summa Trinit. c. Majores 3. pr. hâc Rubric.* & Trident. *Seſſ. 5. Decretô de Peccato Orig. can. 5.* Secundus Remiſſio totius pœnæ æternæ & temporalis, peccatis promeritæ, ut colligitur ex *cit. can. 5.* & clariùs traditur *Seſſ. 6. cap. 14.* S. Thomas *cit. q. 68. art. 5. & q. 69. art. 2.* Tertius, Character indelebilis animæ inhærens: ratione cujus Baptiſmi Sacramentum ſemel ritè ſuſceptum iterari ſine ſacrilegio non poteſt, ſecundùm Trident. *Seſſ. 7. de Baptiſmo, can. 12.* & tradita *Lib. 1. Tit. 16. n. 4.*

TITVLVS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

SUMMARIUM.

1. *Baptiſmus reipſa ſuſceptus infantibus:*
2. *In voto ſaltem, adultis ad ſalutem neceſſarius,*
3. *Januáque eſt ad cætera Sacramenta:*
4. *Ut iſta ſine Flaminis,*
5. *Imò vero Fluminis Baptiſmo invalidè ſuſcipiantur.*

6. *Et nec Conjugium Sacramentum sit, nec Eucharistia sumptio fructuosa.*
7. *Institutus à Christo ante suam Passionem,*
8. *Et diversus est à Baptismo Joannis.*
9. *Non baptizatus invalidè ordinatur.*
10. *Itáque exercet actus Ordinum susceptorum.*
11. *Baptizatus ordinandus non est ante Confirmationem.*

1. BAptismum medium ad salutem necessarium esse, definitum est à Conciliis Milevitano *can. Placuit 151. dist. 4. de Consecrat.* relato, à Florent. *in Decreto Fidei* §. *Primum*, & Trident. *Sess. 7. can. 5.* & ab Innocentio III. *c. Majores 3. de Baptismo*; ut in Nova Lege infantes & alii etiam, rationis usum non habentes, sine eo reipsa susceptô; quòd ejus Voti capaces non sint, ad cœlum non perveniant, extra casum Martyrii, sive, cùm in odium Fidei occiduntur, secundùm S. Augustinum *Lib. 3. de Anima cap. 9.* Bellarminum *Lib. 1. de Baptismo cap. 4.* Suarez *in 3. p. Tom. 3. disp. 25. s. 1.* & cæteros DD. Catholicos omnes.

2. Adultis tamen ratione utentibus, Baptismi reipsa suscipiendi non habentibus copiam, vel se baptizatos, cùm revera non sint, bonâ fide credentibus, ad æternam salutẽ consequendâ ejus suscipiendi Votum sufficere, non obscurè decisum est ab eodem Trident. *Sess. 6. cap. 4.* ibi, *Translatio in statum gratiæ post Evangelium sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Ratio clara est; cùm enim quis ante Baptismum susceptum, eliciendô actum Contritionis sive dilectionis Dei super omnia, gratiam consequi valeat; ut, si post ejusmodi actum moriatur, ad vitam æternam perveniat, *c. Debitum 4. de Baptismo & ej. Apostolicam 2. hâc Rubr.* & in ejusmodi Contritionis ac dilectionis actu, omnia præcepta Divina servandi, ac proinde etiam Baptismum suscipiendi votum contineatur, Baptismus reipsa susceptus ad salutem simpliciter necessarius non est adultis, ejus suscipiendi non habentibus copiam, aut bonâ fide existimantibus eum aliquando susceptum, ut cum S. Augustino *l. cit. & Lib. 8. de Civitate*, S. Bernardo *Epist. 77. ad Hug. de S. Vict.* & aliis tradunt *cit.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 2. cap. & n. 6.* & Palao *Tract. 19. disp. unic. p. 8. n. 2.*

Sicut Baptismô ad cœlum, sic etiam ad cætera Sacramenta via aperitur; cùm, sicut ad illud & salutem anima spiritualem, *c. Majores cit. pr. V. Cæterè*, sic ad Ecclesiam & Ecclesiastica Sacramenta janua sit, *cann. Si quis 53. & 60. &c. 1. q. 1.* ut, qui per eum ingressus non est Ecclesiam, ad Ecclesiasticos Ordines & cætera Sacramenta ascendere non possit: ut ex unanimi DD. Orthodoxorum sensu observat S. Thomas *3. p. q. 35. art. 3.*

An autem ad Ordines & cætera Sacramenta percipienda necessarius sit Fluminis, vel sufficiat Flaminis Baptismus, fuêre olim, qui in dubium & quæstionem vocarent Primò; quòd homo non solùm per Sacramentum Fidei, sed etiam per Fidem & desiderium Sacramenti fiat membrum Christi: qui est fundamentum, cui *Sicut salutifera opera, sic etiam qualibet Ecclesiastica Sacramenta, possint superædificari*, textus est *c. fin. V. Porro.* Secundò; quòd, ut ibidem habetur, à non baptizatis Matrimonii & Eucharistiæ Sacramenta recipi possint. Cur non etiam alia & sacræ Ordinationis. Tertiò; quòd ista etiam non necessarid supponat Fluminis Baptismum; cùm hunc præsc-

præcesserit in Apostolis, à Christo Domino ante suam Passionem Sacerdotiô initiatis in ultima Cœna, Matth. *cap. 26. v. 26.* Marci *cap. 14. v. 22.* & Lucæ *cap. 22. v. 19.* ubi eis consecrandi sive Eucharistiæ Sacramentum conficiendi potestas collata est, teste Trident. *Sess. 23. cap. 1.* baptizatis autem primùm post gloriosam Resurrectionem, cùm Christus ipsis diceret, *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Matth. *cap. 28. v. 19.* ut Rupertus *Lib. 4. in verba, Posthac venit JESUS &c.* Joan. *cap. 3. v. 22.* Theophylact. & alii in eadem verba volunt.

5. Huic tamen expositioni & rationum ternario prævalet decisio Innocentii III. *c. fin. cit. V. Quia verò*, ponderatis illis rationibus secuti sensum *c. 1.* relati Concilii apud Compendium sive in Caroli Regis Palatio celebrati: & eum, qui in Presbyterum ordinatus se non baptizatum deprehendit, baptizari atque iterum ordinari præcipientis, luculentô indiciô Ordinum ante invalidè collatorum; quia Ordo validè collatus in anima imprimit Characterem; ideóque iterationi obnoxius non est, ex definitione Conciliorum Florent. §. *Primum cit.* & *Trident. Sess. 7. can. 9. de Sacram.* Ratio est; quia verus Fluminis Baptismus reliquorum Sacramentorum fundamentum & janua est, & disertè nuncupatur *can. Per Catechismum 2. de Cognat. Spirit. in 6.* & ab eodem Trident. *Sess. 14. cap. 2.* quòd, sicut totum ædificium innititur fundamento, *can. Cùm Paulus 1. q. 2.* sic ipse supponatur ad cætera Sacramenta: & sicut janua ad interiora, sic ipse viam aperiat ad Ecclesiam & cætera Sacramenta. Quæ etiam ratio est, cur inter ista primô locô in eodem *Fidei Decreto*, à Trident. *Sess. 7. can. 1.* à Doctore Angelico *3. p. q. 65. art. 2.* & aliis DD. Orthodoxis referatur.

Neque, Flaminis Baptismum sufficere, evincunt pro eo allatæ rationes. Prima; quia, esto per ipsum sive fidem & desiderium Sacramenti quis membrum Christi fiat quoad internam conjunctionem cum illo per gratiam: non tamen ejus membrum fit quoad conjunctionem externam cum eo & toto corpore Ecclesiæ: cujus membra sacrô aliquô & sensibili sive externô signô in unum corpus colligantur, & Charactere per illud signum animæ impresso jus ad cætera Sacramenta & communia Ecclesiæ bona acquirunt, Gonzalez *in c. fin. cit. n. 4.*

Altera; quia sine Fluminis Baptismo initum matrimonium non est verum Novæ Legis Sacramentum, sed contractus merè Civilis: Eucharistia etiam ante illum de facto tantùm, non de Jure & licitè sumi potest; sicut enim Populus Israël ante transitum maris Rubri non potuit manducare Manna & de Petra bibere, sic ante Fluminis Baptismum, marî illo præfiguratum, Eucharistia sive Christi Corpus & Sanguis sumi licitè & fructuosè non potest, ex doctrina S. Basilii, qui Homil. 13. *Panem*, inquit, *Angelorum ille* Populus Israël *post Baptismum*: sive maris Rubri transitum *Manducavit*: *tu autem quomodò viventem comedes panem, nisi sumptô prius hôc* Baptismi *Sacramentô.* 6.

Tertia; quia, licet non dogma Fidei, ut moderni quidam existimant, doctrina tamen S. Augustini *in Joan. Tract. 15.* à S. Thoma *in 4. dist. 3. q. 1. art. 5.* Suarez *cit. Tom. 3. disp. 19. s. 1. concluſ. 1.* & aliis TT. recepta est, Baptismi Sacramentum à Christo ante suam Passionem & Mortem fuisse institutum. Ratio, quâ nituntur, solida est; quia veri Baptismi usus sive actualis baptizatio & baptizandi potestas supponit & probat ejus 7.

bat ejus institutionem: verum autem Baptismum à Christo per discipulos suos ante Passionem jam collatum, patet ex illo, *Posthæc venit JESUS & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis & baptizabat*, Joan. *cap. 3. v.* 22. ubi imprimis Baptismum à Christo non per seipsum, sed per discipulos collatum ab eodem Evangelista clarè explicatur verbis, *Audierunt Pharisæi, quòd JESUS plures discipulos facit & baptizat quàm Joannes: quamquam JESUS non baptizaret, sed discipuli ejus*, Joan. *cap.*
8. *4. v. 1. & 2.* Deinde à discipulis collatum, non Joannis, sed Christi Baptismum fuisse, indubitatum est; quòd, si non eô, quem Christus instituit, sed Joannis Baptismô usi fuissent, istius discipuli non tam conquerendi, ut ab ipsis factum Joan. *cap. 3. v.* 26. quàm gaudendi & gratulandi causam habuissent; quòd Magistri sui Baptismum à Christo viderent approbatum & receptum. Demum, à Christo per discipulos collatum, diversum à Joannis Baptismo fuisse, S. hic illius Præcursor luculenter testatur, cùm se *In aqua*: Christum autem *In Spiritu sancto & igni*, eô scilicet, quô in Nova lege utimur, & gratia sanctificans confertur, baptismô baptizaturum prædixit, Matth. *cap. 4. v.* 12. & Joan. *cap. 1. v. 33.* Unde

9. Aliud dubium oritur de valore consecrationum Eucharistiæ, Absolutionum & similium actuum, gestorum à Presbytero non baptizato. Et eos quidem actus, qui ab Ordine verè suscepto, ac proinde à Baptismo ex Divina institutione non pendent, si ille pro Presbytero, eos exercendi potestate prædito, communi errore habeatur, propter utilitatem publicam subsistere, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Præt. & §. Veruntamen*, post *can. Infames 3. q. 7.* dictum est *Lib. 2. Tit. 1. art. 3. ad finem.* An etiam, quando actus Jure Divino à Sacramentis illis, ut Consecratio & Absolutio, pendet, DD. variè: verè autem, meô quidem judiciô, illi sentiunt, qui eos pro irritis habent, cum Panormit. *in c. Apostolicam 2. n. 1.* Decio *in c. fin. de Constit. n. 64.* & Paludano *in 4. dist. 17. q. 6. art. 1. n. 6.* quòd ad eorum valorem necessariorum Sacramentorum defectus ab Ecclesia suppleri & circa Sacramentorum substantialia aliquid immutari non possit, ut colligitur, ex Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Sacram. Eucharistiæ.* Quæ, licet etiam S. Thomæ sententia sit, apud Sylvestrum tamen *V. Baptismus 6. n. 3.* piè credi posse existimat, summum Sacerdotem Christum defectum suppleturum quoad ultimos effectus Sacramentorum: neque permissurum id diu occultum fore; ut inde magnum Ecclesiæ periculum imminere possit. Sed pia hæc credulitas in sacris Paginis aut sacris Canonibus fundata vix reperitur, ut probè advertit Sotus *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. §. Ad tertium.*

Ipsi etiam baptizati sacris Ordinibus, & primâ etiam Tonsurâ, initiari ante susceptum Confirmationis Sacramentum prohibentur ab eodem Trident. *Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* Non; quòd Sacramentum hoc instar Baptismi necessarium sit ad valorem Ordinationis; cùm, ad istam Confirmationis Characterem necessariò supponi, nuspiam habeatur: sed; quòd baptizatum plane perficiat eique ad spiritualem pugnam conferat auxilium & robur; *can. 1. & can. De his 2. dist. 5. de Consec.* quô Clericos præ cæteris fidelibus convenit muniri. Unde *cit. cap. 4.* sicut Ordinantibus, sic etiam Ordinandis, ne primâ etiam Tonsurâ ante confirmationis Sacramentum susceptum initientur, impositum præceptum graviter obligare,

obligare, cum Tannero *de Sacram. disp. 4. q. 4. n. 88.* & aliis censet Pontius *de Sacram. Confirm. cap. 3. n. 6.* cùm; quòd sit in materia gravi; cùm Confirmatio ex speciali institutione Christi plurimùm conferat ad conservandam Fidem & Charitatem: quibus virtutibus Clerici præ aliis fidelibus excellere debent: tum verò; quòd Prælati Clericorum Ordinationi diligentem inquisitionem de ejus Sacramenti prævia receptione soleant præmittere & sollicitè cavere; ne istô non receptô Ordines & prima etiam Tonsura recipiantur. Alii tamen, seclusó contemptu & speciali necessitate, ejus omissionem venialiter solùm peccaminosam censent cum Laiman. *Lib. 5. Tract. 3. cap. 5. n. 4.* Palao *Tract. 20. disp. unica p. 8. n. 6. in fine* & Barbosa *de Offic. Episcopi alleg. 2. n. 15.* Videantur dicta *Lib. 1. Tit. 11. n. 49.*

TITVLVS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. *Eucharistia pro moribundorum Viatico,*
2. *Aliorúmque fidelium solatio & necessitatibus:*
3. *Et pro delatione in publicis ac solennibus Processionibus,*
4. *In loco conspicuo tutóque,*
5. *Sub custodia Sacerdotis,*
6. *Accensâ coram ea lampade adservanda,*
7. *Et ad ægros decenti habitu deferenda est.*
8. *Ipsa etiam Oratoria, in quibus adservatur, decenter ornanda.*

1. CUm multis & sæpe inopinatis casibus infantibus primùm in lucem editis Baptismum, & aliis fidelibus infirmis sacrum Viaticum & extremam Unctionem ministrari sit necesse, sanctissima Eucharistia & sacrum Chrisma pro illorum necessitatibus semper parata adservari debent.

Præter hanc causam idem SS. Sacra- 2.
mentum adservari in Ecclesiis consuevit Primò; ut Christum, etiam quoad humanitatem suam, Fideles semper haberent præsentem juxta ipsius promissionem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. *cap. 28. v. 20.* Henriquez *Lib. 8. cap. 1.* & Fagundez *de Præcept. 4. Eccles. Lib. 1. cap. 1. n. 4.* Secundò; ut deferretur ad Monachos & Moniales, vitam solitariam agentes in eremis: cujus rei meminit S. Basilius *in Epist. ad Cæsariam Patritiam* & Imp. Novell. *123. cap. 36. V. Feminú autem.* Tertiò; ut in Viaticum dari posset peregrè proficiscentibus: ex qua causa SS. Eucharistiam à Satyro fra-

tre suo acceptam &, ortâ in mari tempestate, è collo fuisse suspensâ, perhibet S. Ambrosius *de ipsius Obitu cap. 7.* Quartò; ut Fidelium vitâ functorum ori vel pectori impositum eis consepeliretur, ut videre est apud Amphilochium *Vitæ S. Basilii cap. 6.* & S. Gregorium *Dialog. Lib. 1. cap. 4.* qui mos in Ecclesia aliquamdiu toleratus fuit, partim; ut à Fidelium sepulchris fugarentur dæmones: partim; ut superstitio Gentilium, defunctorum ori inserentium trientem, Charonti ipsorum animas per Acherontem, Stygem & Cocytum ad inferos trajecturo persolvendum, facilius extirparetur; si sacro illo pignore munitorum Fidelium animas ad cælestem patriam multò securiùs intelligerent pervenire, Raynaudus *Heteroclit. Spirit. p. 2. s. 1. p. 10. n. 7.* Unde etiam, superstitioso illo Gentilium ritu sublatò, Eucharistiam mortuis consepeliendi mos antiquatus est à Concilio Altisiodor. *can. 12.* Carthag. III. *can. 6.* Synodo VI. in Trullo *can. 63. &c.* Pontius *Quæst. 2. Scholast. cap. 4.* & Raynaud. *ibid. n. 4.* Quintò asservari aliquando consuevit pro iis diebus, quibus, ut olim Quadragesimæ plerisque, Missæ sacrificium non peragebatur, Balsamon apud Gonzalez *in c. 1. n. 7.* Sextò pro Presbyteris & Diaconis primùm ordinatis; ut per quadraginta dies à sua Ordinatione ejus particulas sumerent: cujus antiqui usûs meminit Hallierius *de Sacris Elect. cap. 7. art. 2.* Et demum; ut in templis collocata super altari, & in supplicationibus seu Processionibus publicis à Sacerdote circumlata exhiberetur populo Christiano, & ab isto solennitate, lætitiâ & devotione maximâ adoraretur: quòd jam ante tempora Urbani IV. à quo SS. Corporis Christi speciale Festum institutum, & à Clemente V. confirmatum est, *Clement. 1. de Reliq. & Venerat. Sanct.* in pluribus Ecclesiis usitatum fuisse, patet ex Concilio Turonensi II. *can. 2.* & Bracarensi III. *can. 5.* eúmque Latriæ cultùm Venerabili illi Sacramento piè ac Religiosè exhiberi, contra obtrectatores Hæreticos definit S. Synodus Tridentina *Sess. 13. cap. 5.* Suarez *Tom. 1. de Relig. Lib. 2. cap. 7. n. 3.* & aliis DD. relatis Gonzalez *in c. 1. cit. n. 7. in fine.*

3. Ut autem in hos usus & Fidelium solatium asservato SS. Sacramento debitus honor & veneratio exhiberetur, antiquissimâ Ecclesiarum Consuetudine introductum, & variis Conciliorum & SS. Pontificum Sanctionibus saluberrimè cautum est; ut non temere aut quovis communi, sed conspicuò tutóque loco depositum custodiretur: & primis quidem Ecclesiæ seculis in Sacrario seu Pastophorio, secundùm S. Clementis *Constitut. Lib. 8. cap. 20.* quò nomine Tabernaculum significari, notat S. Hieronymus *in Isaiæ cap. 22.* postea quorundam locorum & Ecclesiarum, præsertim Gallicanarum, usu in Columbis aureis vel argenteis super altare appensis reconditi, ut colligitur ex querimonia clericorum & Monachorum Antiochenorum contra Severum relata VI. Synodi *Act. 1.* & II. Synodi Nicænæ *Act. 5.* apud Baronium *Anno Christi 57. n. 152.* aliquando in vasculis aureis, ad solis rutilantis effigiem efformatis, ad indicandum SS. Sacramenti splendorem totô orbe coruscantem, Saussay *Panoplia Sacerdot. p. 1. Lib. 9. cap. 4. §. de Columbis:* aliquando in turriculis seu parvis turribus aureis vel argenteis super altari repositum asservabatur, apud Gregorium Turonens. *Lib. 1. de Gloriâ Martyrũ cap. 86.* & Flodoardum *Histor. Rhemens. cap. 18. & Lib. 2. cap. 6.* Demum hodie in pixide benedicta seu, ut vocamus, Ciborio argenteo inaurato;

aurato, & quandoque gemmis distincto, sub Cruce Domini in conspicuo & præcipuo Altaris loco & Tabernaculo decenter & honorificè exornato ad fidelium Synaxin & Viaticum infirmorum deponitur, Gretserus *cit. cap. 21.* Sausfay *cit. cap. 4. §. de Ciboriis* & Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5.*

5. Ne autem inde periculum sit alicujus irreverentiæ & injuriæ SS. Sacramento inferendæ, eóve aut sacrô Chrismate ad nefaria opera abutendi ansam homines scelerati acciperent, Concilii Lateranensis PP. sub Innocentio III. statuerunt; ut Eucharistiam & sacrum Chrisma sub clavi & fideli custodia habeat sacerdos: quem, si in eorum custodia negligens fuerit, trimestri suspensione plecti, aut etiam, si per ejus incuriam nefandum aliquid acciderit, gravioris pœnæ ultioni voluit subjacere *c. 1. hâc Rubr. & c. Sanè 10. de Celebrat. Miss.* Generalis istius Constitutioni consonant varia Nationalia vel Provincialia, & ex hujusmodi Germaniæ nostræ Conciliis Wormatiense *can. 5.* Colonienſe III. *p. 7. cap. 16.* Salisburgense, celebratum temporibus Martini V. *cap. 18.* & Frisingense celebratum Anno Christi 1440. quod *Præcipiendo mandavit; ut secundùm Constitutionem Lateranensis Concilii*, relati *c. 1. cit. Eucharistia & Oleum sub fideli custodia & reverentia debita, clavibus adhibitis conserventur; ne possit ad illa temeraria manu* impiorum ac facinorosorum hominum *extendi, ad aliqua horribilia & nefaria exercenda:* ut etiam Concilium Ravennatense II. sub Clement. V. celebratum *Rubr. 7.* saluberrimè cavit, apud Gonzalez *in c. 1. cit. n. 4.*

6. Ante Altare autem sive tabernaculum, in quo SS. Sacramentum depositum ita custoditur, pendula & accensa lampas diu noctúque ardere generali Ecclesiarum usu & aliquarum etiam statutis solet; cùm propter ejus reverentiam: tum verò; ut Ecclesiam ingressi sciant, quô potissimùm locô adoranda sit præsentia Salvatoris; monet enim lumen, adesse ibi candorem lucis æternæ, & assiduè sollicitat ad pietatē ejúsque venerationē, Navarrus *de Oratione cap. 18. n. 67.* & Possevinus *de Offic. Curati cap. 12. n. 68.*

7. Cùm eô reficiendi & sacrô viaticô muniendi sunt infirmi, ad ipsos à Paracho, ejúsve sacellano vel cooperatore, decenti habitu & superpelliceo induto in vase argenteo vel calice, sericô cooperto, deferenda est cum omni reverentiâ & devotione, præcedente lumine, tintinnabulô sonante, & si fieri potest cum cantu; ut eo admoniti fideles genua flectant & sub speciebus panis latentem Deum adorent, Fuscus *de Visit. Lib. 1. cap. 5. n. 10.* Piasecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. n. 24.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 22. n. 4. & 5.* monens, non unam tantùm, sed duas hostias consecratas deferendas ad ægrotum, ut iste earum unâ reficiatur: alteram, à populo adorandam, ad Ecclesiam reportet.

8. Non ipsum duntaxat Venerabile Sacramentum decenter & honorificè adservandum custodiendúmque: sed ipsæ etiam Ecclesiæ, Oratoria & Altaria Divinis mysteriis deputata, ad decorem domui Dei convenientem exornanda, curandúmque Sacerdotibus & cæteris Ecclesiæ Ministris est; ut vasa, vestimenta & ornamenta sacra munda & nitida conserventur, *can. Vestimenta 41. can. Vasa 43. &c. dist. 1. de Consecrat.* cùm; ne, iis negligenter habitis, sacrorum, ut assolet, neglectus & contemptus inducatur: tum verò; quòd nimis absurdum videatur, in sacris sordes negligi, & admitti, quæ dedecent & non tolerantur in prophanis, *c. fin. hâc Rubr.*

TITVLVS XLV.

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1. *In Ecclesiis asservantur Reliquiæ Sanctorum:*
2. *Quorum Canonizatio propria Papæ,*
3. *Et nunquam communicata Episcopis fuit.*
4. *Ad Sancti Canonizationem non sufficiunt Miracula:*
5. *Sed insuper Excellentiæ vitæ probatio requiritur:*
6. *Nisi in Sanctorum numerum Martyr referatur.*
7. *Non canonizatus pro Sancto coli publicâ,*
8. *Non etiam privatâ, devotione prohibetur.*
9. *Vendi nequeunt Sanctorum Reliquiæ:*
10. *Nisi juxta ornamentorum æstimationem:*
11. *Quam, si pretium excedat, fere venditio,*
12. *Et aliquando etiam ostensio Reliquiarum Simoniaca est.*
13. *Ad Reliquiarum de novo repertarum cultum necessaria est Episcopalis,*
14. *Et aliquando Apostolica authoritas:*
15. *Quam aliqui exigunt ad Reliquiarum translationem.*
16. *Verius ad hanc sufficit Episcopalis:*
17. *Si ea ex justâ causa & cum Capituli consensu fiat.*

Sicut Eucharistia, Chrisma &c. in Ecclesiis custodiuntur, *c. 1. de Custodia Eucharist.* ita custodiri in iis & publicæ venerationi exponi solent Reliquiæ Sanctorum: imò, in quovis altari Reliquiarum aliquid reconditum asservari, est necesse, *can. Placuit 25. dist. 1. de Consec.* Ne autem Fideles in Reliquiis & Sanctorum cultu facilè decipiantur, salubriter hîc caveturr

Primò; ne quis defunctorum, etiam in Odium Fidei occisorum, pro Sancto publicè colatur: nisi canonizatus, hoc est, à summo Pontifice solenniter & canonicè, sive diligenti inquisitione super vita & miraculis præmissâ, *c. Venerabili 52. de Test. & attest.* Sanctorum Catalogo fuerit adscriptus, *c. 1.* Quod statuendi ratio fuit primò; quia Canonizatio est una ex causis Majoribus, quæ inter Christianos moveri possunt, Glossa *in c. Unic. V. Sedis in 6.* ac proinde Sedi Apostolicæ reservatis, *c. Majores 3. tit. de Baptismo*; ne, si Episcoporum examini & discussioni permittatur, Fideles obnoxii sint deceptioni & confusioni: & facilè contingat; ut alii colant pro Sanctis, qui ab aliis tanquam reprobi damnantur: sicut qui in potatione & ebrietate occisus refertur *c. 1. cit.* Secundò; quia in Canonizatione faciendum est diligens examen Miraculorum, *c. Venerabili*

Venerabili cit. in quibus præ cæteris Virtutibus operatur Fides, juxta illud Christi, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit: & nihil &c.* Matth. *cap. 17. v. 19.* & illud Apostoli, *Si habuero omnem fidem ita; ut montes transferam,* 1. Corinth. *cap. 13. v. 2.* Fidem autem examinare præcipuè ad sedem Apostolicam spectat, *can. Quoties 24. q. 1. & pr. cit.* Tertiò, quia Sanctus per Canonizationem proponitur Fidelibus universis: quibus omnibus cùm præsit solus Papa, *cann. cuncta 17. & 18. & can. fin. 9. q. 3.* Sanctorum Canonizatio ad eum solum pertinebit: non etiam ad Episcopos, quibus plerique fideles impunè non parent, *arg. c. Ut animarum 2. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.* Sylvester *V. Reliquiæ q. 3.* Bellarminus *Lib. 1. de Sanctorum Beatitud. cap. 10.* Maluisius *de Canonizat. Sanct. dub. 2. n. 5.* Suarez *3. p. Tom. 1. disp. 55. s. 2.* & Fagnanus *in c. 1. cit. n. 20.*

3. Neque adversatur *pr. dist. 3. de Consecrat. & c. fin. de Feriis* verba, *Caterisque solennitatibus sive festivitatibus, quas Episcopi in suis diœcesibus cum clero & populo duxerint solenniter venerandas:* quibus congruebat vetus mos Ecclesiarum pro Sanctis colentium, quos Episcopi cum clero & populo publicæ veneration proposuerunt. Non inquam doctrinæ illi hæc adversantur; quia imprimis Episcopi quidem indicere possunt Festa: sed non nisi de Sanctis à sede Apostolica aliquando approbatis; cùm, licet à Papa Canonizati omnes colendi sint, non tamen omnium & singulorum festa in omnibus Ecclesiis colantur, ut *in c. 1. cit.* cum Hostiensi *n. 8.* & Joan. Andr. *n. 6.* adnotarunt Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 43. à n. 9.* & Fagnanus *n. 23.* Deinde; quia, pro Sanctis colendi, etiam olim publicè propositi ab Episcopis sunt cum sedis Apostolicæ approbatione, habente vim tacitæ Canonizationis, Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 8.* Demum; quia, licet olim aliquos publicæ veneration sine sedis Apostolicæ authoritate exposuerint, ea tamen expositio non vera Canonizatio, sed solummodo publicum quoddam, non tamen infallibile, de hominis sanctitate testimonium fuit; cùm eos quasi Sanctos coli Episcopi solummodo permitterent: non veros Sanctos aut Beatos esse decernerent, antequam eos Sanctos declarari & Universali Ecclesiæ à summo Pontifice proponi vel saltem recipi: eáque declaratione, propositione receptationéve (quæ aliquando sine novo & solenni processu fiebat) verè canonizatos cernerent, ut eruditè ostendit Gonzalez *in c. 1. cit. n. 7.* Ratio autem, cur Episcopis defunctum (non solùm verè canonizandi; quia hæc ipsis nunquam competebat) sed etiam publicæ veneration simpliciter exponendi potestas, quæ olim competebat, cum tempore omnino adempta sit, ea fuit; quòd, cùm eâ Episcopi non semper ita providè cautéque, ut rei gravitas poscebat, uterentur, aliquando etiam homines mali pro Sanctis publicé colerentur: quod incommodum indéque ortum scandalum ut tolleretur, Sanctum aut Beatum cælo receptum publicæ veneration exponendi potestas sedis Apostolicæ omnino infallibili & nulli errori obnoxio judicio est reservata, ut notat idem Gonzalez *n. 8.* Ubi

4. Dubium est, an ad aliquem canonizandum sufficiat, quòd de eo constet & probetur excellentia vitæ, hoc est, Fidei, Virtutum aliorúmque meritorum. Certum est, non sufficere Miracula, partim; quia cùm ista iísve similia prodigia aliquando faciant mali & peccatores, *can. Teneamus 1. q. 1.* quod *ibi* Glossa *V. Magi* luculenter demonstrat exempiô magorum Pharaonis, Judæ aliorúmque repro-

borum: quorum inanis querela in Judicio olim erit, *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus &c.* Matth. *cap. 7. v. 22.* & ipsius Antichristi, quem talia patraturum, docet S. Thomas *2. 2. q. 17. art. 1.* partim verò; quia, ut dictum, in Miraculis præ aliis virtutibus operatur Fides, & quidem aliquando sine Charitate, ut insinuat S. Paulus *1.* Corinth. *cap. 13. v. 2.* dicens, *Si habuero omnem fidem ità; ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:* Fides autem sine Charitate ad sanctitatem non sufficit in adultis, teste eôdem Apostolô & S. Jacobô *cap. 2. v. 14.* Ne ergo à fidelibus pro Sancto colatur, qui non est, meritò constare etiam debet de excellentia Vitæ, hoc est, Virtutum & meritorum, Fagnanus *l. cit. à n. 5.*

5. An autem hæc sola sufficiat, dubitandi ratio est; quòd plus non exigatur, ut quis Sanctus sit apud Deum, juxta illud, *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*, Apocalyps. *cap. 2. v. 10.* Sed, etsi hoc sit verissimum, nihilominus; ut quis Sanctus habeatur, & ut talis solenniter proponatur hominibus in Ecclesia Militante, etiam miracula exiguntur, *c. Venerabili cit.* quia Ecclesia in testimonium excellentium meritorum apud Deum, præter alia indicia, etiam ipsa vult accedere, ut patet ex *Constitutione* Gregorii IX. quæ incipit *Cum dicat Dominus, editâ 1. Julij 1232.* cujus tenorem refert Fagnanus *in c. 1. cit. n. 14.*

6. Excipiendi tamen sunt Martyres: in quorum Canonizatione non necessariò exiguntur, nec specialis inquisitio fit in Sanctitatem vitæ, quæ requiritur in Canonizatione Confessoris; sed sufficit; quòd constet de patratis Miraculis & causa Passionis; quòd scilicet mortem oppetierint propter Fidem, leges Dei aut Virtutē aliquam, ut *in Summa* notat Hostiens. *n. 3.* exponens processum Canonizationis, Azor *p. 2. Instit. lib. 5. cap. 6. q. 7. in fine* & Fagnanus *l. cit. n. 16.*

Dubium secundò est, de alicujus cum sanctitatis publica existimatione defuncti, sed in Sanctorum & Beatorum numerum Apostolicâ authoritate nondum coopti, cultu merè privato. Quem etiam ipsi negare aliquibus visus est Panormit. dum *in c. 1. cit. n. 3.* ait, non licere aliquem, etiam Miraculis in vita & post mortem editis illustrem, pro Sancto colere sine Romani Pontificis authoritate. Eum tamen non malè alii intelligunt de cultu publico, eique totius Ecclesiæ nomine exhibito: qualis esset, si ejus imagine in Ecclesiis, Sacellis, altaribus aliisve locis propositâ, commemoratione in Officio Divino in & extra chorum, vel in sacrificio Missæ, invocatione in Litaniis & similibus Precibus factâ coleretur; cujusmodi cultum, sicut prohibitum ex *c. fin.* verbis, *Nemo publicè venerari præsumat*; sic ejus honorem & cultum merè privatum permissum, argumentò à contrario ex iisdem verbis ducto, cum Glossa *in c. Unic. V. Sedis in 6.* inferunt Innocent. *in c. fin. cit. n. 1.* Ant. de Butrio *ibid. n. 6.* Sylvester *V. cit. pr.* Azor *p. 1. lib. 5. cap. & q. 8. in fine* & Bellarminus *cap. 10. cit.* Quare virum, qui cum eximiæ Virtutis & Miraculorum fama decessit, & pro talis nobis habetur, privatim Sanctum & Beatum nominare, invocare, ejus effigiem, reliquias in cubiculo aut etiam Oratorio privato venerari non prohibemur, ut cum relatis aliisque DD. docet & rem hanc accuratè explicat Sanchez *cit. cap. 43. à n. 4.*

7. Secundò; ne Sanctorum lipsana seu Reliquiæ exponantur venales, ab Innocentio III. sancitum est in Concilio Lateranensi *c. fin.* relatô & *l. Nemo 3. C. de SS. Eccles.* Ratio clara est; quia Reliquiæ Sanctorum æstimabiles tantùm sunt propter re-

pter relationem ad animam Sancti, qui fuit templum Spiritus sancti; ac proinde annexæ sunt spirituali: cujusmodi res pretii æstimationem non recipiunt, *l. Sacra 9. §. 5. ff. de Rer. divis.* &; quia venditio sine pretio non consistit, *l. Inter 2. §. 1. ff. de contrah. empt.* vendi nequeunt sine aperta labe simoniæ, *arg. c. Cùm in Jure 16. de Jure Patronat. & æ. Querelam 15. de Simonia*, Glossa *in c. fin. cit. V. Simonia*, ubi Hostiens. *pr.* Ant. de Butr. *n. 8.* & Vivianus *pr.*

10. Sed, sicut hoc omnino certum est, cùm eæ ratione sanctitatis defuncti, ratione benedictionis aut alicujus fructûs spiritualis ex ipsis percipiendi simpliciter vel majori pretiô venduntur: ita pariter certum est, simoniacam non esse earum venditionem vel pretii auctionem ratione auri, argenti, gemmarum, quibus eæ sunt ornatæ: ratione antiquitatis vel in earum asportationem aut ornatum factarum impensarum, Sanchez *cit. cap. 43. n. 29.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 10.*

Non solùm ratione ornamentorum impensarúmque, sed, his seclusis, vendi emíque Sanctorum Reliquias posse, evincere videntur Historiæ de Tunica inconsutili Christi, de Reliquiis S. Ignatii M. de Ossibus S. Ecclesiæ Doctoris Augustini ab infidelibus & barbaris pretiô pecuniariô: & de Sanctorum Orientalium lipsanis, à Saladino 52000. Byzantinorum redemptis, apud Baronium *ad Annos Christi* 52. 111. 725. & Matth. Paris. *Historiæ Angliæ* 1191. & multò magis comparationes Lanceæ, quâ Christi latus perforatum est, aurô & magnâ parte Sueviæ: Brachii S. Joan. Baptistæ centum & quadraginta libris argenti & alterius Brachii S. Augustini integrô auri & centum argenti talentis inter Orthodoxos celebratæ, apud Raynaudum *Heteroclyt. Spirit. p. 1. s. 3. p. 8. n. 20.* & Gonzalez *in c. fin. n. 7.* Sed, re accuratiùs expensâ, exempla hæc Sanctarum Reliquiarum emptionem à simoniæ labe non absolvunt; quia ab Infidelibus, Hæreticis iisque similibus & injustis detentoribus eæ non tam emptæ, quàm ab injuria & sacrilega contrectatione sunt vindicatæ: & pro iis adnumerata pecunia non tam pretium quàm instrumentum fuit redemptionis ab injusta vexatione: cujusmodi redemptionem à simonia immunem esse, *arg. c. Dilectus 28. de Simonia* communis sensus est DD. Inter Catholicos autem pretiô facta earum comparatio aliquando heteroclita & invincibili ignorantia & sanctâ simplicitate fundata pietas fuit: aliquando pro iis data pecunia fuit non in vim pretii, quod extra controversiam simoniacum foret: sed antidori, sive animô liberali ejusmodi retributione testandi gratitudinem pro insigni munere accepto, ut rectè observat Raynaudus *cit. n. 20*

11. Tertiò antiquæ Reliquiæ è capsa seu loculo, quô reconditæ sunt, extrahi & populo ostendi prohibentur *cit. c. fin. V. Ne in posterum*, ad evitandum periculum; ne suppositis Reliquiis falsis decipiatur populus & Christianæ Religioni detrahatur. Quod vel maximè eveniret, si inde extraherentur gratiâ quæstus; ut largiores eleemosynæ sive oblationes fiant; cùm eô factô vilescerent Reliquiæ, & clerici avaritiæ à laicis insimularentur. Imò, si Oblationes deducerentur in pactum, aut principaliter intenderentur tanquam pretium ostensionis, ista simoniaca foret.

12. Quin, earum exhibitionem istius labe etiam infici, quidam volunt, cùm largiores eleemosynæ etiam tanquam retributio gratuita intenduntur. Quod licet verum sit, quando eleemosynæ & largitiones illæ ante Reliquiarum exhibitionem exigerentur, aut postea solvendæ essent vi præviæ conventionis; cum ita præstitæ

præstitæ oblationes exhibitionis compensatio & palliatum pretium esse videantur: probabiliùs tamen simoniaca non foret, si absque exactione & prævia tacitâ vel expressâ conventione præcisè tanquam donum gratuitum reciperentur & sperarentur vel intenderentur, *arg. can. Quampio 1. q. 2. & c. Dilectus 30. in fine, de Simonia*; quia ita factæ eleemosynæ & oblationes non habent rationem pretii, sine quo non datur emptio & venditio, *l. Inter 2. §. 1. ff. de Contrab. empt.* ac proinde nec simonia, si spectemus istius definitionem à Glosla *in Summam V. Quidam 1. q. 1.* & S. Thoma 2. 2. *q. 100. art. 1.* traditam, & à cæteris DD. receptam.

Quartò, *c. cit. V. Inventus* ab Innocentio Papa interdicta est publica veneratio Reliquiarum de novo inventarum: nisi prius approbatæ sint authoritate Papæ.

13. Hac tamen in re locus est distinctioni inter Reliquias omnino novas, & antiquas alicujus Sancti de novo inventas: quarum licet priores publicæ veneration exponi sine sedis Apostolicæ authoritate nequeant: posteriorum tamen expositio ejus authoritatem non requirit, si, eas alicujus Sancti antiquitus approbati esse, ex scriptura vel instrumento authentico cum ipsis reperto, vel aliunde certò constaret. Secus, si hoc esset dubium; quia, si hoc non tolleretur, locus esset dispositioni *c. cit.* ut *ibi* cum Joan. Andr. *n. 3.* & Panormit. *n. 1.* notat Fagnanus *n. 5.*

14. Neque distinctionem istam evertit, & hodie contra *c. cit.* dispositionem priorum sive omnino novarum Reliquiarum pro publica veneratione approbationem non amplius sedi illi reservatam, sed Episcopi approbationi permissam, evincitur ex decreto Tridentini *Sess. 25. de Invocat. & Reliq. SS.* novas Reliquias sine Episcopi recognitione & approbatione recipi & publico cultui, exponi vetantis; quia ad evitandam non necessariam correctionem Jurium id ad Reliquias Sanctorum Canonizatorum noviter inventas est restringendum; quòd si ad non canonizatorum Reliquias extenderetur, ejusque vi omnino novæ sive defuncti non canonizati Reliquiæ ad publicam venerationem approbari ab Episcopo possent, ille indirectè Sanctum Canonizare in sua diœcesi valeret, contra text. *c. 1. cit.* & Unanimem sensum DD.

Neque refert; quòd Tridentini decretò ex una novæ Reliquiæ conjungantur novis Miraculis, & idem asseratur de utrisque: ex altera verò parte, id de Miraculis etiam à non canonizato editis intelligendum, S. Congreg. Cardd. Interpp. declarârit ad instantiam & apud Barbosam *in c. fin. cit. n. 4.* quia nihilominus decreti Conciliaris, sicut ad non canonizati nova miracula extensionem, sic etiam ad novas Reliquias Sancti jam canonizati restrictionem suadet diversitas rationis; cùm inquisitionem & receptionem talium super alicujus non canonizati miraculis Episcopo permittat Jus commune, *arg. c. Venerabili cit.* non etiam Reliquiarum noviter inventarum pro publica veneratione approbationem: imò ad hanc Apostolica authoritas diserte exigatur *c. 1. cit.* Accedit; quod hodie Episcopi, licet alicujus cùm sanctitatis existimatione defuncti Miracula recognoscere & approbare valeant, eum tamen publico cultui exponere non possint: sed negotium instructum ad sedem Apostolicam transmittere debeant, ex *decreto* Urbani VIII. *edito 13. Martii 1625.*

Dubium hîc à DD. movetur, an Cor- 15.
pora & Reliquiæ Sanctorum ab una Ecclesia ad aliam transferri ab Episcopo valeant sine sedis Apostolicæ authoritate. Posse, antequam corpora tradita sint sepultur-

pulturæ, *arg. l. Si necdum 10. C. de Relig. & sumpt.* cum Glossa *in can. Corpora 37. V. Principis, dist. 1. de Consec.* & Sylvestro *V. Reliquiæ cit. n. 1.* facilè consentiunt pleríque.

Perpetuæ autem sepulturæ jam tradita transferendi potestatem eis competere, cum Glossa *cit. Principis*, hoc est, ut ipsa exponit, Papæ, vult Hostiens. *in Summa n. 2. arg. l. fin. C. de Relig. & sumpt.* Principis authoritatem ad id exigentis.

16. Sed verius, etiam tales transferendi potestatem Episcopis cum Angelo *V. Reliquiæ n. 1.* Sylvestro *eôdem V. n. 3.* & aliis adstruit Fagnanus *in c. fin. cit. n. 15.* eô & ut ipse ait, irrefragabili permotus fundamentô, desumptô ex Regula, Episcopo in sua diœcesi generaliter tribuente, quæcunque Canonis conditor sibi expressè non reservavit; ac proinde etiam Sanctorum Reliquias transferendi potestatem; cùm ista authoritati Apostolicæ reservata non reperiatur.

Verùm, quia hanc ipsam eive similimam Regulam laudatus Interpres falsitatis arguit & latè convincit *in c. Pernitiosam 1. de Offic. judicii Ordin. à n. 54.* fragile, non irrefragabile est, quod ei innititur fundamentum. Unde melius ea ratio redditur; quòd Reliquiarum translatio non sit de causis Ecclesiæ Majoribus; ut Episcopis, in partem sollicitudinis vocatis, à Papa concessa non debeat censeri: imò ipsis non obscurè concessa videatur *can. Corpora cit.* ad eam Episcopi licentiam exigente, satis luculentô indiciô, opus non esse Apostolica authoritate, præsertim cùm *can. cit.* nomine Principis non veniat Papa aliáve Ecclesiastica, sed potestas secularis: cujus non quidem authoritate jussúve; cùm Translationis actus sit spiritualis & rei annexæ spirituali, de qua authoritativè disponere non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, *can. 1. §. Cúmque lecta, dist. 96. c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judic. &c.* sed consiliô duntaxat, cum quo fieri *can. Corpora cit.* jubetur, præsertim; cùm Sancti Reliquiæ donô aut cooperatione Principis Ecclesiæ obvenerunt: & de Jure potest; cùm, qui consilium petere, non hôc ipsô etiam id sequi teneatur, *c. Cùm olim 7. de Arbitr.* Glossa *in c. Cum in veteri 52. V. Expectatum, de Elect.*

Neque Episcopis obstat S. Synodi Trident. *Sess. 25. Decretum de Invocat. & Reliq. Sanct. &c.* quia istô illorum authoritati nihil detractum: sed potiùs, quoad recognoscendas & approbandas de novo inventas Sanctorum antè canonizatorum Reliquias ea, quæ Jure communi non ita clarè competebat, potestas confirmata & aucta est, ut rectè observat Fagnanus *in c. fin. cit. n. 5. & 23.*

Episcopo tamen ad Sanctorum Re- 17.
liquias saltem notabiles, ab una Ecclesia ad aliam transferendas, necessaria est justa causa & consensus Capituli; cùm; quòd hoc *can. corpora cit.* nomine Synodi venire existimet Turrecremata & alii *arg. can. Placuit, 12. q. 2.* ubi idem Capitulum, sive majoris Ecclesiæ clerici congregati, Concilium nuncupantur: tum verò, & multò magis; quia ipsarum translatio est species quædam alienationis, præter justam causam etiam ejusmodi clericorum, sive Capituli consensum exigentis, *can. Sine exceptione q. cit. c. 1. &c. de iis, quæ à Prælat.* Fagnanus *in c. fin. cit. à num. 30.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 12.*

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

SUMMARIUM.

1. *Majoribus Festis præmittitur Vigilia cum Jejunio.*
2. *Jejunium vel est Naturale,*
3. *Vel Morale, aut omnino Liberum,*
4. *Vel Ecclesiasticum, exigens*
5. *I. Delectum Ciborum:*
6. *Non etiam potûs, cibum admixtum non habentis.*
7. *Præcipuè exigit abstinentiam à carnibus,*
8. *Et iis, quæ sementinam carnis originem habent.*
9. *Hæc tamen in multis locis:*
10. *Et quorundam animalium carnes ubique conceduntur.*
11. *II. Refectionem unicam:*
12. *Cujus brevi interruptione,*
13. *Et modicissimi cibi sumptione jejunium non solvitur*
14. *III. Solam Canationem:*
15. *Quæ sumi hodie solet prandij tempore:*
16. *Quod tempus sine justa causa nequit præveniri,*
17. *Hodie etiam permittitur collatio Vespertina,*
18. *Quoad quantitatem & qualitatem moderata,*
19. *Et sine justa causa causa non præmittenda:*
20. *Variis anni diebus jejunium observatur,*
21. *Et cum vigilia aliquando anticipatur.*
22. *Die Dominica Jejunium olim vetitum:*
23. *Hodie licitum: non tamen etiam in Quadragesima,*
24. *Et istius quatuor primis diebus Mediolani usu receptum est.*
25. *Certis diebus præceptæ est sola abstinentia à carnibus:*
26. *Nisi in eos incidat Festum Nativitatis Domini:*
27. *Quò ad jejunium in dubio non tenetur, obstrictus verò jejunandi feriâ sextâ.*
28. *Legem jejunii violans ferè graviter peccat:*
29. *Nisi eum ætas vel infirmitas:*
30. *Necessitas vel labor corporalis vel devotio:*
31. *Consuetudo legitimè præscripta,*
32. *Vel dispensatio excusat.*

MAjoribus Domini nostri & Sanctorum Festivitatibus, ad excitandam Fidelium devotionem & ampliorem gratiam promerendam, præmitti Ecclesia præcepit Vigilias & Jejunium, *c. Consilium 2.* sive abstinentiam non tantùm ab iniquitatib⁹ & voluptatib⁹ illicitis; quod generale, & perfectum jejunium nuncupat S. Augustinus relatus *can. Jejunium 24. dist. 5. de Consec.* sed etiam à cibis, sive moderatio-

deratiónem & parſimoniam victûs in quantitate & qualitate. Quomodo, & non tantùm metaphoricè, ſed propriè acceptum Jejunium ex communi aliorum ſenſu Laiman *Lib. 4. Tract. 8. cap. 6 n. 1.* dividit in Naturale, Morale, Liberum & Eccleſiaſticum.

2. Naturale dicitur abſtinentia ab omni cibo potúque in ſtomachum transmiſſo; cujusmodi jejunium ab exactæ noctis hora duodecima ad celebrationem Miſſæ & dignam ſumptionem SS. Sacramenti Euchariſtiæ exigitur à Conciliis, Carthaginenſi III. relatô *can. Sacramenta 48. diſt. 1. de Conſec.* Matiſconenſi II. *can. 6.* Bracarenſi I. *can. 16.* Altiſiodorenſi *cap. 19. &c.* & antiquiſſimâ, atque ab ipſis Apoſtolis derivatâ conſuetudine eſt receptum, teſte S. Auguſtino *Epiſt. 118. cap. 9.* & Iſidoro *de Divinis Offic. cap. 8.*

3. Morale conſiſtit in abſtinentia ſive moderatione cibi potúsque, ſecundùm leges Prudentiæ, in illis mediocritatem ſectantis; ut plus non ſumatur, quàm vitæ & valetudinis conſervatio requirit: cujusmodi quotidianum jejunium & abſtinentia omnibus virtutis Temperantiæ Studioſis commendatur *can. Non dico 17. cann. Sint tibi 19. & 18. diſt. 5. cit.*

Liberum vocari poteſt jejunium, quod ſecundùm rectam rationem ex motivo alicujus Virtutis ſine præcepti obligatione ſuſcipitur: cujusmodi à cibi potúsque ſumptione & delectationibus abſtinentiæ modi pro hominum id ſuſcipientium varietate varii ſunt & referuntur ab Irenæo apud Euſebium *Lib. 5. Hiſt. cap. 24.*

4. Eccleſiaſticum denique Jejunium appellatur abſtinentia à cibo ſecundùm Ordinationem vel conſuetudinem Eccleſiæ: conſiſtítque in abſtinentia à carnibus, iísque, quæ à carnibus originem trahunt, puta à lacte, caſeo, ovis, *can. fin. V. Par autem eſt, diſt. 4.* & ſubtractione prandii, & poſt cænam cujuslibet cibi usque ad diem ſequentem, Panormit. *ad Rubric. n. 1.* Sylveſter *V. Jejunium n. 3.* Azor *p. 1. Inſtit. lib. 7. cap. 8. q. 1.* & Laiman *cit. n. 1.* juxta quam explicationem

Ad jejunium Eccleſiaſticum præſenti Rubricâ propoſitum tria: & primò quidem requiritur delectus Ciborum. 5.
Non etiam Potûs; quia iſte per ſe non ad alendum corpus, ſed ad cibi diſtributionem & refrigerationem ſanguinis ordinatur: &, licet aliquando nutriat, id tamen per accidens contingit; neque obeſt jejunio, prout inſtitutum aut ſaltem hodie receptum eſt ab Eccleſia, id quod per ſe alit & in cibum atque alimentum ſumitur, reſpiciente. Unde vini quâcunque diei horâ moderata ſumptio licita hodie eſt. Immoderata non ſolius Jejunii Eccleſiaſtici, ſed Temperantiæ quoque legi adverſatur, *cit.* Azor *cap. 8. q. 7. §. Sciendum* & Fagundez *de Quarto Eccleſ. Præcepto cap. 2. n. 7. Hodie*, inquam; quia primis Eccleſiæ ſeculis Chriſtianos diebus jejunii, præſertim Quadrageſimalis, etiam à vino abſtinuiſſe, luculenter docent SS. Clemens *Conſtit. Apoſtol. cap. 17.* Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſi 14.* Baſilius *Homil. 1. de Jeiunio* & S. Auguſtinus *Serm. 64. de Tempore &c.* 6.

Alia quàm vini, ratio eſt lactis, juſculorum, & quarundam aliarum potionum, quæ cibum admixtum & nutriendi vim magnam habent; ideóque in alimentum potiùs quàm potum & ad levandam ſitim adhibentur; tales enim potiones diebus jejunii extra cænam prohibentur, ut cum Paludano *in 4. diſt. 15. art. 4. concl. 3.* rectè advertit Azor §. *cit.*

Delectus autem cibo um præcipuè ſitus eſt in abſtinentia à carnibus, *can. Statuimus 6. diſt. 4. & can. De eſu 10. diſt. 3. de Conſec.* quæ ſemper in Eccleſia ob- 7.

servata, & de jejunii essentia præcipuè esse censetur: eámque ob causam illi, cui ratione infirmitatis judiciô Medici aut vi privilegii vel dispensationis licitus est esus carnium, etiam comestionem cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus aliàs prohibiti sunt, & secundam atque ulteriorem refectionem permissam, cum Cajetano 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. & aliis, probabiliùs existimant *citt.* Azor *cap.* 10. *q.* 3. §. *Arbitror.* & Fagundez *cap.* 2. *n.* 5. *in fine*; quòd, sublatâ jejunii Ecclesiastici essentiâ, ejus præceptum, & ab isto pendens obligatio cessat, *arg. c. Accessorium 42. in 6.*

Neque obstat; quòd ei, cui speciali ejusmodi jure refectio secunda aut aliorum ciborum, diebus jejunii prohibitorum, comestio permissa est, non hôc ipsô etiam esus carnium licitus sit, Azor paulò antè §. *cit.* cùm; quia semper major causa exigitur; ut esus carnium, quàm aliorum ciborum prohibitorum aut secunda refectio permittatur: tum verò; quia ex communi Fidelium sensu ei, cui permissa est refectio secunda, jejunium commutatum censetur in abstinentiam Ecclesiasticam, carnium esum excludentem.

8. Præter carnes animalium etiam aliorum, quæ sementinam carnis originem trahunt, ut lactis, butyri, casei, ovorum comestio prohibetur: non quidem, ut aliqui volunt, *can. Presbyter 5. dist. 82.* quia eô non agitur de Ecclesiastico: sed de severiori jejunio, præter alias gravissimas pœnas præscripto sacerdoti lapso in fornicationem: sed à Gregorio *can. fin. V. Par autem est, dist. 4.* saltem in Quadragesima secundùm Synodi Trull. *can. 56.* & S. Thomam 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. Consuetudine tamen, propter piscium & olei penuriam recepta in Germaniæ nostræ Provinciis plerisque, ova, butyrum & cætera lacticinia prohibita non censetur.

Non desunt, qui in locis, in quibus istorum comestio consuetudine vel privilegiô licita est, etiam sagimine & pinguedine è lardo expressâ, anserum aliorumve animalium adipe & sanguine veluti permissum, velint cum Glossa *in can. Presbyter cit. V. Sagimine*, Panormit. *in c. Consuluit 7. de Judæis n.* 2. Sylvestro *V. Jejunium n.* 16. & aliis, Regulæ instar tuentibus, cui conceditur usus ovorum, casei &c. intelligitur etiam concessus usus sagiminis seu lardi, *arg. can. cit.* quem refert Fagundez *cit. cap.* 2. *n.* 20. & comprobat Diana *p.* 1. *Tract.* 9. *resol.* 21. eâ præcipuè inductus ratione; quòd pinguedo & similia, licet carni affinia, caro tamen non sint, secundùm Aristotelem *Lib.* 2. *de Generat.* perinde ut ova & lacticinia; ac proinde non prohibita illi, quibus ista sunt permissa. Sed Regula hæc non ita, ut in Physicis, expedita est in Moralibus; cùm in his & jejunio præsertim Ecclesiastico spectanda sit consuetudo: quâ ovorum & lacticiniorum usus introduci potuit, quin permissa sit comestio sanguinis, sagiminis & aliorum, quæ inter lacticinia cum Philosopho Medici recensent. In Germaniæ certè nostræ provinciis potioribus, sicut illa licita, sic ista prohibita docemur Magistrô usu perquàm rationabili; quòd, si lardô alióve animalium adipe & sagimine vesci liceret, non leve periculum foret; ne hominum gula ad sanguinis & cætera farcimina ac jusculà carnium paulatim extenderetur, maximô scandalô & jejunii Ecclesiastici detrimentô, ut probè advertit Laiman *Lib.* 4. *Tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 5. Unde

Dubium oritur, quorum animalium 9
carnes prohibeantur. Sunt enim, qui Regulam statuant & solas carnes terrestrium, sive eorum, quæ diu extra aquam vivere

vivere poſſunt, prohibitas: non etiam aquatilium ſive eorum, quæ extra aquam diu vivere nequeunt; hæc enim piſcium nomine cenſeri, eorúmque comeſtionem jejunii & aliis abſtinentiæ Eccleſiaſticæ diebus licitam, volunt. Sed Regula hæc fallit in limacibus, imò teſtudinibus: quæ, licet extra aquam diu vivant, diebus illis ſine ſcrupulo comeduntur: uti etiam in fulicis & ſimilibus animalibus extra aquam non diu viventibus, quibus ſine jejunii violatione nemo veſceretur. Quare hac in re præ oculis habenda eſt Eccleſiæ, carnium uſum vetantis mens, quæ carnes prohibendò fidelibus ſubtrahere intendit alimenta multùm nutrientia, hominúmque vires admodum reficientia. Deinde communis hominum exiſtimatio & uſus, qui teſtudinum, imò & limacum comeſtionem permittit: non etiam fulicarum & ſimilium animalium, quæ ut plurimùm in aquis degunt.

11. Alterum jejunii requiſitum eſt unica Refectio ſive comeſtio moraliter continuata: quæ non tam *can. Quadrageſimæ 15. diſt. 5. de Conſec.* in hanc rem ab aliquibus allegari ſolitò, alióve canone præcepta; cùm, qui ejus clarè meminerit, non extet: quàm univerſali & Apoſtolis coævâ conſuetudine recepta eſt, ut cum Sylveſtro *V. Jejunium n. 9.* obſervant *cit.* Azor *cap. 9. q. 1.* & Leſſius *Lib. 4. de J. & J. cap. 2. n. 9.* Rationem reddit S. Thomas *q. cit. art. 6.* quòd jejunium introductum ſit ad domandum, non deſtruendum corpus: quod omnino contingit, ſi cibum bis ſumere ſolitus, eum ſemel duntaxat in die ſumat; cùm corpus non domaretur, ſi eum ſumeret bis: &, ſi nihil ſumeret, deſtrueretur.

Eâ autem unicâ refectione die jejunii aliquantò plus cibi ſumi, intra Temperantiæ tamen limites, poſſe in cœna, quàm alio tempore ſingulis refectionibus conſuevit, communis ſenſus eſt DD. Et, ſi limites illi, ſicut bibendò, ſic etiam comedendò excederentur, contra Temperantiam & ferè venialiter, non graviter contra Eccleſiaſtici jejunii legem delinqui, cum Innocent. *ad hanc Rubr.* ſentiunt antè laudati Leſſius *num. 10.* & Laiman. *cap. 1. n. 5.* quòd ita excedens revera refectione unicâ ſit contentus; ac proinde præceptum jejunii non violet: licet agat contra iſtius finem ſive domationem & mortificationem carnis; quia finis præcepti non cadit ſub præceptum.

12. Morali etiam refectionis continuationi non obeſt, quantumvis à cœna nondum finita quis ſurgat ad conficiendum occurrens negotium, vg. ad vini, cereviſiæ, mercium venditionem: eóque confectò poſt modicum tempus vg. unius quadrantis aut etiam dimidiæ horæ intervallum ad illam perficiendam revertatur; quia ita refectio in communi hominum æſtimatione non interrupta, ſed eadem cenſetur: niſi jam ſufficienter refectus à cœna ſurrexiſſet animò non revertendi: aut etiam ſine tali animo ſurgens poſt interpoſitum notabile vg. horâ longius tempus amplius comeſturus reverteretur; quia communi hominum judiciò pro duabus, non una refectione habetur; Navarrus *Manual. cap. 21. n. 12. citt.* Azor *cap. 9. q. 1. in fine* & Laiman, *n. 6.*

13. Eadem refectio iterata etiam non cenſetur Primò in Monaſteriis à Lectoribus & Miniſtris menſæ, ſi modicum cibi vg. juſculum ſumant, cùm; quia hoc ad Officium illud meliùs obeundum conducit: tum verò; quia ſumptio illa prævia eſt quædam inchoatio cœnæ, intercedentis ſervitii præſtatione moraliter non interrumpendæ, *citt.* Navarrus *n. 13.* Azor *q. 1.* & Laiman, *n. 6.* Secundò, præ-

dò, præguſtationem ciborum, etiam diebus jejunii prohibitorum, ſumendorum ab ægrotis aut appoſitorum menſæ Principis; quia id non ad refectionem, ſed ex officio Charitatis aut muneris ratione fit; ne quid malè præparatum æger, aut toxicum cibis admixtum Princeps ſumat, Fagundez *cit. Lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 2. Tertiò, ſumptione modici cibi vg. boli panis, cùm quis extra cœnæ tempus quacúnque de cauſa bibit; quia id fierit ſolet, ne noceat hauſtus; ac proinde rationem medicinæ potiùs, quàm cibi habet, etſi per accidens etiam nutriat, *cit.* Laiman, *n.* 7. Quartò, ſumptione medicinæ quocúnque diei tempore adhibitâ: imò etiam modici electuarii, aromatis, confectionis ex ſaccharo ad debilis ſtomachi confortationem, conſervationem vocis, aut ex alia ſimili cauſa; quia principaliter, ut medicamenta, ad naturæ confortationem potiùs, quàm nutrimentum corporis, ut cibus, ſumi conſuevit, S. Thomas *q. cit. art.* 6. *citt.* Leſſius *n.* 10. & Laiman. *n.* 7. *Modici* inquam; quia magnâ quantitate ſumptũ cibi potiùs quàm medicinæ rationem habere, & jejunii violationem inducere, eorundem & aliorum DD. communis ſententia eſt.

Addunt aliqui modici cibi ſumptionem, in gratiam hoſpitis aut amici invitantis & rogantis; ne, ſi non obſequatur, videatur inurbanus & offendat. Eam tamen; quòd ab accurata jejunii obſervantia alicujus notæ aut amicitiæ dirimendæ periculum non ſit, culpâ ſaltem veniali non vacare, alii volunt apud *cit.* Fagundez *n.* 3. & Dianam *p.* 1. *Tract.* 9. *reſol.* 29. ipſam ab hujusmodi etiam culpa abſolventes.

14. Tertium Jejunii requiſitum eſt; ut unica refectio cœna ſit, non prandium, juxta antiquum Eccleſiæ morem & modum loquendi VV. PP. ac DD. Jejuni explicantium per prandii ſubtractionem. Cœna autem iſta non ſemper eâdem horâ ſumebatur: & olim quidem extra Quadrageſimam Nonâ, quæ noſtræ tertiæ pomeridianæ reſpondet; in Quadrageſima autem veſpertinâ ſive inclinante jam die & ſolis occaſu, ipsáque noſtæ jam appropinquante peragebatur, ut ex can. *Solent* 49. *diſt.* 1. *de Conſec.* S. Benedicti *Reg.* 41. & Ivone Carnot. *p.* 4. *Decret. cap.* 45. oſtendunt *citt.* Azor *cap.* 11. *q.* 2. *§. Mihi* & Laiman. *n.* 8. Poſterioribus ſeculis conſuetudine ad nos propagatâ introductum eſt; ut refectio illa anticipata ſumeretur ſub meridiem & ipſum prandii tempus horâ undecimâ diei: & nihilominus, quaſi veteri prandii ſubtractione remanente, Cœnæ nomen retineret. Cujus anticipationis ratio fuit; quòd, humani corporis viribus cum tempore decreſcentibus, debilitate atque infirmitatibus ingraveſcentibus, homines ſine refectione tamdiu ægerrimè perſeverarent, & perferendis conſuetis laboribus, functionibúsque obeundis non eſſent pares. Unde

Dubium oritur, an hoc cœnæ tempus Conſuetudine ita determinatum ſit, ut nequeat præveniri. Ratio dubitandi eſt; quòd ultra id &, jejunió ad ipſam noctem extenſô, differri cœna ſive refectio illa pro cujusque arbitratu poſſit, ex Navarri *Manual. cap.* 20. *n.* 27. Sylveſtri *V. cit. n.* 14. & hoc teſte unanimi ſententiâ DD. ejúsque dilationem laudabilem piámque cenſet *cit.* Fagundez *cap.* 3. *n.* 5. Cur non etiam illa diei hora valeat præveniri? Sed alia ratio eſt dilationis, quàm præventionis; quia per illam acceditur ad primævam Jejunii inſtitutionem, & ipſe ejus inſtitutionis finis magìs obtinetur; cùm refectionis dilatione inedia & corporis afflictatio pro-

ductior

ductior & gravior evadat ſecùs, quàm accidit per præventionem. Unde uſu præſcriptæ horæ præventio, abſque juſta cauſa facta, culpâ nequaquam vacat: imò, ſi notabilis vg. duarum aut unius etiam horæ eſſet, graviter peccaminoſa foret, ex mente *citt.* Azor *q. 4. in fine* & Fagundez *n. 4.* à peccato eum duntaxat abſolventium, qui ante præſcriptam horam cœnaret ex juſta cauſa vg. itineris, adventûs aut diſceſsûs hoſpitis, habendæ Concionis vel Lectionis aut negotii conficiendi.

17. Occaſione Conſuetudinis, quâ anticipari Cœna & ipſo prandii tempore ſumi cæpit, etiam introducta eſt Collatio ſive refectiuncula veſpertina; quòd homines, ſi poſt refectionem tam maturam totô reliquô die ab omni cibo eſſet abſtinendum, difficulter noctu caperent ſomnum & periculum eſſet; ne potus, quem ſitis levandæ & ſanguinis refrigerandi neceſſitas poſceret, valetudini fa-
18. cilè noceret. Ea tamen Collatio, ne ad cœnam propiùs accedat, valde moderata eſſe debet; & in quantitate ita eſſe ſolet; ut, licet in omnibus modica, in frigidioribus tamen major quàm in calidioribus regionibus concedatur: & ipsâ jejunium non violari exiſtimetur; cùm cibi eâ ſumpti quantitas ordinariæ refectionis partem quartam notabiliter non excedit: quod Regulæ inſtar cum Reginaldo *Prax. Tom. 2. Lib. 14. n. 185.* tradit *cit.* Laiman. *n. 9.* Unde ulteriùs nec malè infertur, ſicut in Cœna non eandem quantitatem omnes exigunt & obſervant, ſic in Collatione illa quibusdam vg. debilioribus majorem quantitatem ſumere ſolitis aut frigidiores regiones incolentibus plus: aliis, puta valentioribus, aut calidiores terras incolentibus minus licere. In Pervigilio Nativitatis Domini amplius aliquid & ferè refectiuncu-
lam duplicatam permittit uſus introductus; quòd eâ nocte Fideles omnes vigilarent, & in templo intereſſent Officiis Divinis. Idem in quibusdam provinciis receptum eſt in Pervigilio Paſchatis propter Dominicæ Reſurrectionis ſolennitatem, quæ olim & alicubi hodie quoque mediâ nocte celebratur, *citt.* Azor *cap. & q. 8.* Fagundez *cap. 4. n. 19. & 20.* & Diana *p. 5. tract. 5. reſol. 12.*

DeQualitate Cajetanus *V. Jejunium, cap. 1. in fine,* non referre, ait, quid quisque ſumat, ſi modum non excedat. Sed contra communem Fidelium perſuaſionem & ſenſum aliorum DD. non indiſcriminatim quoscúnque, ſed præter fructus arborum herbas aliósque leviores cibos permittentium panem & bellaria: quibus Azor *cit. cap. 8. q. 7.* piſciculum parvum ſuperaddit. Non etiam placentas aliósque cibos ſolidiores. Caſeum tamen in Germania noſtra aliísque regionibus Septentrionalibus ob minorem bellatiorum copiam permittit Conſuetudo.

Dubium hîc DD. movent, an or- 19.
dine mutatô collatio ſive refectiuncula illa circa meridiem, cœnâ ad occaſum ſolis dilatâ, ſumi poſſit. Exigente aut ſuadente juſtâ cauſâ, vg. itineris aut alicujus negotii conficiendi & præſertim ſuperioris authoritate accedente eam mutationem licitam, omnes: aliqui etiam, ejusmodi cauſâ ceſſante, permiſſam volunt; quòd, cùm jejunium Eccleſiaſticum hodie unicâ cœnâ & unicâ collatione conſtet, eâ mutatione ejus ſubſtantia non mutetur. Frequentiori tamen & ſaniori calculô alii talem ejus Ordinis mutationem à veniali culpa non excuſant; quòd, ſicut collatio, ſic etiam ejus ſumendæ tempus approbatum ſit Eccleſiæ conſuetudine ferè univerſali: à qua ſine juſta & rationabili cauſa factus receſſus à temeritatis vel levitatis nota; ac proinde

ab omni

ab omni culpa immunis non censetur, *citt.* Lessius *n.* 12. Fagundez *cap.* 4. *n.* 16. & Laiman. *n.* 10.

20. Porro, quibus anni diebus jejunium Fidelibus ab Ecclesia præceptum sit, desumendum potissimum est ex usu seu Consuetudine: quâ ferè Magistrâ Primò à carnibus &c. & secundâ refectione tota ferè Ecclesia abstinet à feria quarta Cinerum usque ad Sabbathum sanctum inclusivè, diebus duntaxat Dominicis (non etiam aliis Festivitatibus) exceptis: Feriâ quartâ, sextâ, & Sabbathô quatuor Temporum; in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, SS. Apostolorum (præterquam SS. Philippi & Jacobi ac S. Joannis Evangelistæ) S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii M. & Sanctorum omnium, *citt.* Laiman *cap.* 2. *à n.* 1. & Fagundez *cap.* 5. & 6.

21. Secundò Jejunia Vigiliarum, cum hæ incidunt in diem Dominicam, non istâ, sed Sabbathô antecedente observantur, juxta *c.* 1. Quin Vigiliam S. Mathiæ Apostoli, cùm in feriam secundam vel tertiam Quinquagesimæ incidit, in præcedentis Sabbathi diem transferendi potestatem Episcopo cum *cit.* Laiman. *cap.* 3. *n.* 8. *in fine*, adstruit Engel *ad hanc Rubr. n.* 1. si, id feriis illis à paucis observandum, prævideret. Unde

22. Dubium oritur, an ergo jejunium die Dominicâ illicitum sit. Per se id illicitum non esse, constat *arg. c. fin.* ubi volentibus, imò & voventibus, ac proinde tanquam majus bonum quàm carnium comestio est, abstinentia ab illis (cur non etiam jejunium?) eâ die permittitur. Per accidens autem id vetitum olim fuisse, luculenter docent textus *can. Post Pascha* 10. *dist.* 76. *can. Placuit* 8. *can. Ne quis* 14. &c. *dist.* 3. *de Consec.* & *can. Quadragesima* 15. *dist.* 5. *de Consec.* Ratio prohibitionis fuit partim lætitia concepta ex memoria Resurrectionis Domini, à qua illa dies nomen accepit; neque enim cum festivæ illius diei publica hilaritate, jejunio se macerantium squalor & pœnitentia videbatur convenire, ut Petr. Damiani *Opusc.* 55. *cap.* 5. & post eum S. Thomas *cit. q.* 147. *art.* 5. advertunt: partim verò & præcipuè; ne Ecclesia communicare aut saltem idè sentire videretur cum Hæreticis, ex quibus die Dominicâ Montanistæ ex superstitione: Manichæi ex errore; Arriani ex contemptu jejunabant, ut insinuatur *can. Si quis tanquam* 7. & *can. fin. dist.* 30. *can. Sacerdos* 26. *q.* 7. &c. Barbosa *in can. Si quis cit. n.* 2. Unde, Hæresibus illis cum tempore extinctis, & sublatô cum ipsis scandalô Fidelium, ea Ecclesiæ prohibitio cessat; ut, sicut à quibusdam Regularibus abstinentia à carnibus, ita saltem privata devotione etiam jejunium observari hodie possit, ut *arg. c. fin. cit.* cum Bellarmino *Lib.* 2. *de Bonis Operibus in particulari cap.* 3. vide set Laiman. *cit. cap.* 2. *n.* 9.

Tertiò, si non ante & in tota Ecclesia, saltem à temporibus S. Ambrosii, Quadragesimam eâque præscriptum jejunium Mediolanenses inchoant à prima ejus Dominica, exclusô quatriduô eam præcedente teste, ipsomet & illo Ecclesiæ Doctore *Serm.* 34. qui est *de Quadragesima.*

Quartò feria sextâ ob memoriam Passionis Domini & Sabbathô in honorem B. Virginis, & in quibusdam locis etiam tribus diebus Rogationum à solis carnibus, & diebus Dominicis in quadragesima ab iisdem & aliis cibis, quorum esus vernô illo jejuniô interdictus est, non etiam à secunda refectione abstinemus, Laiman. *cit. n.* 1. & 8.

Quintò in Festo Nativitatis Dom. ni, etiam

ni, etiam cum feriâ ſextâ vel Sabbathô occurrit, carnibus veſci conſuevimus, more ab Honorio III. *c. fin.* approbatô, propter excellentiam Feſtivitatis & diei omnium feliciſſimæ, quâ Verbum Caro factum ex B. Mariæ Virginali utero prodiit, & orbem univerſum novæ lucis & optatæ pacis ſerenitate æternæque ſalutis ſpe de cœlo recreavit, Gonzalez *in c. 1. cit. n. 1.* Unde

Dubium oritur, an vovens jejunium die Veneris id obſervare etiam teneatur, quando in hunc diem incidit Feſtum Nativitatis Domini. Cujus Reſolutio, meô quidem judiciô, pendet ab intentione voventis: qui, cùm ad jejunium illud votô ſe obligare potuerit, ut clarè ſupponitur *c. fin.* prout intentione ſuâ id comprehendit vel excluſit, ad jejunium eô die obligabitur, vel ab eo immunis erit.

27. In dubiô autem de intentione voventem à jejunio eô die cum Joan. Andr. *in c. fin. cit. n. 4.* illum abſolvunt Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 272. n. 3.* Azor *p. 1. Inſtit. Lib. 2. cap. 20. q. 3. cit.* Fagundez *cap. 6. n. 6.* Diana *p. 1. Tract. 9. reſol. 22.* & alii, eâ permoti ratione; quòd, cùm de voventis intentione non conſtat, votum interpretationem accipiat ab uſu ſeu moribus Eccleſiæ, ex doctrina Suarez *Tom. 2. de Relig. Lib. 4. cap. 7. n. 9.* Eccleſiæ autem moribus feriâ ſextâ, cùm in eam Natalis Domini incidit, neque jejunium neque à carnibus abſtinentia obſervetur, *c. fin. cit.* Quæ Opinio non parùm confirmatur paritate voti jejunandi pridie alicujus Sancti: cujus dies pridianus, cùm Dominicus eſt, vovens non iſtô, ſed præcedente Sabbathi die jejunat, juxta morem Eccleſiæ & textum *c. 1. hâc Rubr.* Accedit; quòd in generali promiſſione in dubio contineri non cenſeantur, quæ, ſi alicui ſpecialiter fuiſſent propoſita, veriſimiliter non promiſſa, ſed excepta fuiſſent, *c. fin. de Offic. Vicar. in 6. & l. Obligatione 6. ff. de Pignoribus:* quod de ſic vovente in dubio præſumi poteſt.

Neque adverſatur; quòd vovens nunquam veſci carnibus, his veſci etiam nequeat die Nativitatis, ſecundùm Gloſſam *in c. fin. cit. V. Voto*, idque conſtet ex praxi Minimorum, cùm dies Nativitatis Domini feriâ ſextâ occurrit; quia tales ad abſtinentiam à carnibus ultra Eccleſiæ morem obſervandam ſe ſpecialiter obligâſſe cenſentur. Accedit; quòd non deſint Religioſi alii, qui Natalis Domini die in Dominicam incidente comedant carnes, quibus aliàs vi Regulæ totâ vitâ non veſcuntur.

Diebus autem ab Eccleſia præceptis usûve receptis Fideles quidem ad Jejunium ex unanimi ſententia DD. graviter & ſub peccato mortali (niſi eos materiæ parvitas excuſet) eô tamen rigore non obligantur; ut ab ejus obſervatione ex variis cauſis non eximantur. Cujusmodi ſunt Primò Ætas tertiò ſeptenniô ſive vigintî & unô annis minor, ſecundùm S. Thomam *q. cit. art. 4.* & Ordinariè nonô ſeptenniô ſive ſexaginta aut ſaltem ſeptuaginta annis maior, ſecundùm communiorem ſententiam, teſte *cit.* Azor *cap. 17. q. 4.* 28. 29.

Secundò corporis Infirmitas, *can. Quadrageſima cit.* ibi, *Niſi quem infirmitas impediverit* & *c. Conſilium 2.* ratione cujus Jejunii Lege ſoluti ſunt non ſolùm, qui ex morbo decumbunt aut graves dolores patiuntur, ſed etiam convaleſcentes & alii, qui debili ſunt complexione vel ex ſtomachi vanitate laborant vertigine, aut ſomnũ capere non poſſunt. Uti etiam prægnantes, lactentes &, qui medici judiciô cibô fortiori aut frequentiori refectione opus habent, ſecundùm S. Thomam *in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2.*

quæstiunc. 4. Navarrum *Manual. cap.* 21. *n.* 16. *citt.* Azor *q.* 5. & Fagundez *cap.* 8. *n.* 12.

50. Tertiò Necessitas, proveniens ex paupertate, *c. Consilium cit.* ibi, *Propter inopiam carnes comedere sunt coacti:* ratione cujus jejunii legibus non adstringuntur, qui victum colligunt ostiatim mendicandò & universim, quibus non suppetit cibus sufficiens ad unicam congruam refectionem: ut qui non habent nisi duos vel tres seviores cibos, vg. offam cum olere vel pulmento, S. Thomas & Navarrus *ibidem, cit.* Azor *q.* 6. & Laiman. *n.* 3.

Quartò Labor corporalis: ratione cujus à jejunio excusantur agricolæ, fabri ferrarii & lignarii, scriniarii, cursores viatores & alii, quorum opificium, ars, functio aut iter graviorem exigit laborem, Sylvester *V. Jejunium, n.* 23. *citt.* Navarrus *n.* 19. & Azor *q.* 8.

Quintò Pietas, sive exercitium operis Misericordiæ corporalis vel spiritualis: quæ ab accurata observatione jejunii eximit infirmarios, concionatores ter aut sæpius in hebdomada ad populum dicentes, Professores Scholarum inferiorum: & superiorum etiam, quando lectiones & alias exercitationes literarias, ut in Universitate nostra Professores Jurium in hebdomade sæpius habent. & alii, obeuntes officia, quæ vi ingenii & assiduò labore perficiuntur, Laiman. *cit. cap.* 2. *n.* 3. §. *Quarta* & Tamburinus *in Decalog. Lib.* 4. *cap.* 5. §. 7. *n.* 26.

51. Sextò Consuetudo, ut pluries est insinuatum; cùm ea non tantùm certò aliquò tempore vel die novum jejunium induci, & ante inductum indictúmve in diem vel tempus aliud transferri, sed mitigari aut omnino abrogari valeat, ut *in c. Consilium cit.* Glossa *V. Consuetudinem,* Panormit. *n.* 5. & Hostiens. *in Summa n.* 5. advertunt. Unde tamen non rectè infertur, Consuetudine omnino abrogari posse Quadragesimale & alia jejunia solennia; cùm enim ista ad exemplum Christi in deserto, ad veteris legis Patrum imitationem aut ex alia simili gravissima & in legis Evangelicæ doctrina fundata causa ab ipsis Apostolis instituta aut generalis observantiæ stabili usu recepta sint, non apparet, quâ ratione ad eorum omnimodam abrogationem tendens consuetudo esse possit rationabilis: quod ad hanc omnium maximè exigitur *c. fin. de Consuetud.*

52. Septimò demum Absentia à loco jejunii, *arg. c. fin. de Constit. in 6.* & Dispensatio, non tantum à Papa, sed etiam ex justa causa ab Episcopo vel Capitulo sede vacante, & ex utriusque commissione à Vicario generali & Parocho impetrata. Uti etiam à confessariis aliisque viris doctis, munitis dispensandi privilegiò vel commissione; cum sine his nullam dispensandi, sed solummodo, an lex jejunii certò aliquò casu obliget, vel dispensationis petendæ justa causa adsit, declarandi habeant potestatem. Qua de re latè *citt.* Azor *cap.* 18. *à q.* 2. Fagundez *cap.* 9. & Tamburinus §. 7. *à n.* 52.

Dixi, *Ex justa causa:* quam, ut eum, quocum in Jejunii lege dispensatur, in conscientia tutum reddat, veram aut saltem rationabiliter existimatam esse, est necesse, per tradita *Lib.* 1. *Tit.* 2. *à n.* 166. Quantumvis etiam minor & privata sufficiat; ut cum uno vel paucis; major tamen & publica causa exigitur; ut cum tota aliqua communitate in lege illa dispensetur, ut rectè observat Laiman. *Tract. cit. cap.* 3. *n.* 8. *in fine.*

(o)

TITU-

TITVLVS XLVII.

De Purificatione post Partum.

SUMMARIUM.

1. *Præcepta hæc fuit in Lege veteri,*
2. *Ex devotione à B. V. Maria,*
3. *Et mulieribus Christianis observata.*
4. *Præceptum ejus Ceremoniale:*
5. *Non tamen Typicum & Mortiferum est.*
6. *Purificari mulieres fere solent in Parochialibus:*
7. *In Regularium tamen Ecclesiis non prohibentur.*

1. EX præcipuis legibus Ceremonialibus veteris Testamenti fuerunt Purificationes à variis immunditiis, præsertim mulieris puerperæ: quæ, si masculum quadraginta, si feminam peperisset, octoginta diebus immunda censebatur, Levitici *cap.* 12. *v.* 2. Dierum tamen non omnium immunditia æqualis fuit; cùm mulier, si masculum septimô, si feminam peperisset, decimô quartô à partu diebus, juxta numerum dierum separationis menstruæ, à domesticorum & ipsius etiam viri consuetudine separata: à cæteris verò triginta tribus masculum, & sexaginta sex feminam enixæ immunditia non tam gravis, neque tam rigida separatio fuit: sed in purificatione tantùm sanguinis sive, donec à sanguinis fluxu perfectè purgaretur, à Sanctuario remota domi se continebat: & septem. vel quatuordecim illi separationis; isti verò triginta tres vel sexaginta Purificationis dies erant, ut in Levitici *cap. cit.* notat Cornelius *in fine v.* 2. & *v.* 5.

His autem Purificationis diebus expletis, puerpera ingressa & consistens in atrio immundorum deferebat agnum anniculum, Deo offerendum in holocaustum, & pullum columbæ vel turturem pro peccato, sive liberatione ab immunditia Legali: à qua purificata offerebat infantem Deo, eúmque redimebat, secundùm Levitici *cap.* 12. *cit.* & Cornelium *ibi v.* 8. *in fine.*

Quâ Purificationis Lege, licet B. V. Maria non comprehenderetur; quòd ejus partus purissimus & ab omni sorde atque immunditia fuerit immunis: ex devotione tamen & humilitate se ipsi sponte subjecit: occasionémque dedit imprimis institutioni Festivitatis, quâ ejus memoriam annuâ veneratione solenniter recolimus: dein devotioni mulierum, post partum ab Ecclesiæ ingressu Divinisque mysteriis abstinentium, donec per consuetas Orationes & ritus Ecclesiasticos fuerint purificatæ, juxta *c. Unicum hâc Rubric.* de cujus rescripti, eam mulierum devotionem culpâ vacare decidentis, Justitia dubitandi ratio non levis est; quòd lex Purificationis mulie-

2.

3.

4. rum post partum sit Ceremonialis : inter cujusmodi & Judiciales veteris Testamenti leges illud præcipuè discrimen interceſſit ; quòd istæ solùm Mortuæ ; cùm , licet obligandi vim morte Christi omnem amiserint , observari tamen licitè , & earum observantia Ecclesiasticâ , ut *cc.* 1. *de Homicid. Adult. & Injuriis &c.* factum ; imò Civili etiam lege præcipi possit: ut ex pœna dupli, Exodi *cap.* 22. *v.* 4. §. *Pœnam* 5. *& §. fin. Instit. de Oblig. quæ ex delicto* confirmata & in fure manifesto duplicata luculenter constat; illæ verò sive Ceremoniales leges , insuper sint Mortiferæ , earúmque observatio peccaminosa.

Sed hoc non universale ; ac proin. de memoriâ repetenda est in Procœmio *n.* 44. tradita distinctio inter veteris Legis Ceremonialia præcepta ; cùm , quæ Religiosa duntaxat , non etiam Typica sunt: & Religionis virtutem cultúmque Divinum sine venturæ Veritatis præfiguratione spectant , sicut id de quo agimus , Purificationis , uti & Decimarum Primitiarum atque Oblationum præcepta, devotione privatâ observari &, Ecclesiasticâ authoritate resuscitata, præcipi perinde ut Iudicialia valeant , ut patet ex *c. Unico cit. & c.* 1. *de Decimis* & ratione ; quia eorum observantia nihil mali

5. continet. Ea verò , quæ insuper Typica , hoc est , aduentùs Christi tanquam veri Messiæ & Legis Gratiæ præfigurativa sunt , ut Circumcisio , Immolatio agni Paschalis & pleraque alia, non Mortua solùm, sed Mortifera etiam sint ; cùm eorum observantia præjudicet Veritati Fidei Christianæ , Messiam venisse & legem Gratiæ jam introductam : non ut Ceremoniæ typicæ cum illo primùm venturo hanc introducendam docentis ; ac proinde neque devotione privatâ neque publicâ authoritate ad usum reduci possint ; ac umbra cum sole, & cum Ecclesia Synagoga conjungatur , & populus Christianus Deum colendo Judaizet , S. Thomas 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. Covarruvias *Lib.* 1. *Var. cap.* 17. *n.* 1. & Barbosa *in c. Unic. cit. n.* 6.

Dubium etiam movetur , ad quem pertineat Purificatio mulierum post partum. Eam soli Parocho adstruit Lauret. de Franchis *Controvers. inter Epis. & Regul. p.* 2. *q.* 69. *n.* 1. quòd in ea fieri soleat oblatio cerei : ad oblationes autem , quæ intra Parochiæ limites à Parochianis fiunt, percipiendas Parochus jure communi fundatam habeat intentionem , *c. Pastoralis* 9. *de lis , quæ à Prælat.* ut cum Panormit. *in c. cit. n.* 2. docent Socinus *de Oblation. Libell.* 13. *n.* 49. & Barbosa *de Offic. Paroch. cap.* 24. *n.* 22. Cùm ergo conveniens non sit, ab uno sacerdote peragi ritum Purificationis: ab alio verò percipi in ea factam Oblationem, sicut ista, sic etiam illa ad Parochum pertinebit, ut arguit *cit.* de Franchis *n.* 1.

Sed, ut idem *n. cit. in fine* prudè advertit , hac in re præcipua ratio habenda est consuetudinis legitimè præscriptæ, *c. fin. de Consuet.* Quâ seclusâ, mulieres ad Purificationem etiam à Regularibus in suis Ecclesiis admitti posse, melius censet & Congreg. Cardd. Trid. Interpp. declaratione firmat Pasqualigus *in Observat. ad citt. Controvers. q.* 69. *n.* 4. Ratio est ; quia Purificatio in novo Testamento non necessitatis sive præcepti, sed devotionis actus est , *c. Unic. cit.* qui propterea expediri valet etiam à Regularibus , præsertim cùm recipere possint Oblationes , quæ in ipsorum Ecclesiis fiunt, *c.* 1. *de Statu Monach. & c. Nimis iniqua* 16. *de Excess. Prælat.* Panormit. *in c.* 1. *cit. n.* 4. & Barbosa *n.* 2.

TITU-

TITVLVS XLVIII.

De Ecclesiis Ædificandis & Reparandis.

UT Divinus cultus decenter peragatur & Ecclesiastica Sacramenta Fidelibus commodè ministrentur, Ecclesiæ, præsertim Parochiales, Deo consecrandæ ædificantur instruuntúrque & collapsæ ruinosæque reparantur. Quô id modô, ad Rubricam hanc est declarandum.

ARTICULUS I.

De Ecclesiarum, præsertim Parochialium Ædificatione.

SUMMARIUM.

1. *Nova Ecclesia in loco exempto sine Papæ,*
2. *In non exempto sine Episcopi consensu,*
3. *Saltem tacitò non erigenda:*
4. *Ejúsque erectio sine justa causa,*
5. *Vel cum alieno præjudicio non permittenda est.*
6. *Nova parochia ob difficultatem accedendi veterem:*
7. *Non ob solam populi multitudinem erigenda est.*
8. *Ejus Erectio exigit I. Consensum Capituli:*
9. *Si ad eam Episcopus Ordinariò:*
10. *Non etiam, si Delegatô jure procedat.*
11. *II. Competentem numerum parochianorum.*
12. *III. Congruam dotem, ab Ecclesia Matrice,*
13. *Vel ab aliis assignandam,*
14. *Pro necessariis usibus Ecclesiæ & Rectoris sustentatione.*
15. *IV. Citationem Rectoris Ecclesiæ Matricis.*
16. *V. Requisitionem consensûs Patroni.*
17. *VI. Ut competens bonos Ecclesiæ Matrici,*
18. *VII. Et istius Rectori jus Patronatûs reservetur:*
19. *Nisi Ecclesia erigatur in fundo alieno.*
20. *Novam Parochiam erigit Episcopus, Appellatione remotâ.*
21. *Ecclesiæ fere esse solent oblongæ,*
22. *Earúmque summa Altaria respicere Orientem.*

ECclesiarum eôdem, quô supra *Tit.* 40. sensu acceptarum sive templorum supremi æterníque Numinis Majestati, & ad istius cultum ac Sanctorum venerationem per Missarum solennia cæteráque Divina Officia peragenda consecrandorum ædificatio, licet 1.

tio, licet sanctissimum maximéque commendandum opus sit, non cuivis tamen libera est, sed Ecclesiasticæ authoritatis interventum, *can. Nemo 8. dist. 1. de Consec. c. Ad hæc 4. de Relig. domib. c. Olim 14. V. Insuper, de Privileg. & Novell. 131. cap. 7.* & consensum Papæ, si in exempto, *c. Authoritate 4. V. Inhibemus, de Privileg. in 6.* si verò in non-exempto sive Episcopali jurisdictioni subjecto loco extruenda sit, Episcopi diœcesani, *pr. c. cit.* per se vel alium in ejusmodi loco Crucis Dominicæ figentis signum, atriúmque designantis, & lapidem primarium ponentis exposcit, *can. Nemo cit.* junctâ Glossâ *V. Veniat* & *Novell. 67. cap. 1.* Glossa *in can. 1. V. Dotem, 1. q. 2.* Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. q. 4.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 1.*

2. Neque refert; quòd privatum Oratorium in domo sua extruere, Episcopô non requisitô, quivis possit, *can. Unicuique 32. & can. Si quis 34. dist. cit.* quia, licet id pro privata cujusque devotione Jura permittant, non tamen in extructo ejusmodi privato Oratorio celebrari valent Missæ: nisi Episcopalis consensus accedat, *can. Unicuique cit.* & Trident. *Sess. 22. in Decreto de Celebrat. Missæ V. Neminem.*

3. Etsi verò hæc ita sint, necessarius tamen ad novæ Ecclesiæ ædificationem non est consensus Episcopi expressus: sed sufficit tacitus sive; quòd is Ecclesiam extrui sciverit & non impediverit, nec contradixerit, cùm sine incommodo posset, *citt.* Azor *q. 6.* & Barbosa *n. 2.* idque ob specialem favorem piæ intentionis: propter quem, si Episcopus istius extructioni absque ulla justa causa resisteret, vel, quæ sui in ea muneris sunt, per se aut alium præstare renueret, recurri ad superiorem & istius authoritate compelli posset, *arg. c. Nullus 17. de Jure patronat. cit.* Azor *q. 8.* Piasecius *Praxis Episc. p. 1. cap. 2. art. 4. pr.* & Barbosa *cit. n. 2.* ubi probè advertit, multò minùs, quàm novæ extructioni, sine rationabili causa se opponere Episcopum posse ejus jam extructæ & sufficienter dotatæ dilationi, & per adjecta nova ædificia exornationi, *arg. c. fin. de Testament.* cùm id cedat in divini cultûs incrementum, & in ejusmodi amplitione ferè cessent rationes, propter quas novarum Ecclesiarum ædificatio aliquando justè impeditur: quod à Rota decisum, testis est Barbosa *l. cit.*

4. Causæ autem novæ Ecclesiæ extructionem impediendi rationabiles & justissimæ sunt; quòd ei non attribuatur & deficiat necessaria dos, *can. Nemo cit.* vel non tam devotionis & Divini cultûs, quam quæstûs cupiditate fiat, *can. Si quis Basilicam 9. dist. cit.* quòd vicinatum ædium officiat luminibus, ad eásve accessus impediatur, aut alteri Ecclesiæ præjudicium inferator; his enim casibus ferè locus esset novi operis nuntiationi, *arg. c. 1. & c. Cùm ex injuncto 2. de Novi oper. nunt.* quia Religionis favor, etsi summus sit, ad normam tamen justitiæ debet revocari, Vallens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 5.*

5. Præ aliis autem novarum ædificationem impediendi causis justa est præjudicium Ecclesiæ Parochialis antiquius constitutæ, *can. Ecclesia 45. &c. 16. q. 1.* ideóque intra istius fines novæ Ecclesiæ Parochialis erectio permittenda non est; nisi ex justa eáque, propter præjudicii magnitudinem, gravi causa: qualis præcipuè, imò unica est magna difficultas Ecclesiam parochialem adeundi pro percipiendis Sacramentis & Divinis officiis audiendis, *c. Ad audientiam 3. pr.* & Trident. *Sess. 21. cap. 4. de Reformat.* vel; quòd villa seu locus habitationis Parochianorum ab Ecclesia sua ita remotus sit; ut hyemô aliôve simili tempore ad eam sine magno

magno incommodo confluere: vel, cùm infirmantur, pro conſuetis Eccleſiæ Sacramentis ad eam in tempore recurrere non poſſint, *citt. cap. 4. & c. Ad audientiam, ubi* Panormit. *in Summa* textûs & *n. 3.* & Anton. de Butr. *n. 3.* vel; quòd inter ejusmodi locum & Eccleſiam decurrat flumen vel torrens, qui pontem non patiatur & vadô tranſiri ſæpe non poſſit, Fagnanus *in c. cit. n. 19.* vel; quòd Parochianorum plures familiæ extra, Eccleſia autem Parochialis intra mœnia Civitatis, iſtiúsque portæ noctu clauſæ ſint; ut illæ manè ad officia divina accedere, aut repentinæ infirmitatis caſibus Sacramenta & neceſſaria animæ ſubſidia habere quandóque non poſſint, *cit.* Fagnanus *n. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 6.* ad quã cauſam revocatur neceſſitas leproſorũ: quorum ſi alicubi plures congregati ſimul degant, Eccleſiam cum cæmiterio ſibi conſtruere & proprium presbyterum, absque præjudicio tamen Eccleſiæ Parochialis, ſibi conſtituere permittuntur *c. Cùm dicat 2. hâc Rubr.*

7. Pro juſta novam Parochiam erigendi cauſa, cum Gloſſa *in can. Nulli 2. diſt. 99.* aliqui etiam habent, multitudinem Parochiarum ita excreſcentium; ut unus presbyter non ſufficiat univerſis, *arg. can. cit. & can. Præcipimus, 16. q. 1.* Sed veriùs ſola hæc cauſa inſufficiens &, cùm Populus adeò numeroſus eſt, ſpiritualibus ipſius neceſſitatibus ſuccurrendum eſt remediô, quod S. Synodus Tridentina ſuggerit *cit. cap. 4. pr.* ubi ab ejus PP. Eccleſiarum Parochialium Rectores, qui cultui Divino peragendo & Eccleſiaſticis Sacramentis populo miniſtrandis ob iſtius numerum ſoli non ſufficiunt, ab Epiſcopis compelli jubentur; ut tot Sacerdotes coadjutores ſibi adjungant, quot ad illud munus rite obeundum exiguntur. Ita, allegatt. S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratione & Rotæ deciſione, Barboſa *Jur. Eccleſ. Lib. 2. cap. 2. n. 10.* & Fagnan. *in c. cit. n. 24.* cùm ex doctrina Lapi *alleg. 66.* ab eadem Congreg. approbata monuiſſet, iis etiam caſibus, quibus Parochia ob nimiam diſtantiam, flumen aut mœnia interjecta adiri difficulter poteſt, ad novæ erectionem non neceſſariò deveniri, ſi illius Rector parochianis ab ea remotis aut aliter excluſis in vicina & acceſſu facili capella Divina Officia peragat & Sacramenta neceſſaria miniſtret per deputatum à ſe, & ab Ordinario approbatum Sacerdotem.

Præter juſtam cauſam ad novæ Parochiæ intra alterius fines erectionem requiritur Primò Capituli conſilium: imò conſenſus, *arg. c. Paſtoralis 7. in fine de Donationibus.* Ratio eſt; quia ſpecies quædam eſt alienationis rerum & jurium Parochiæ antiquæ; cùm per eam iſta, & ad hanc pertinentes reditus diminuantur: ad alienationem autem rerum Eccleſiaſticarum procedi ab Epiſcopo non poteſt ſine Capituli conſenſu, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. &c. de Iis, quæ à Prælat.* quod non parùm confirmat paritas cum duarum Eccleſiarum Unione; cùm enim ad hanc, quòd alienationis rationem habeat, neceſſarius ſit conſenſus Capitularis, hunc etiam exiget Parochiæ diviſio, ac proinde novæ intra alterius fines erectio, *arg. c. 1. de R. J.* 8.

Sed, licet hoc communi & antiquiori omnino expeditum, noviſſimè tamen Jure S. Synodi Tridentinæ *cit. cap. 4.* quô novas Parochias, cùm neceſſitas poſtulat, erigere Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati poſſunt, opus eſt diſtinctione inter Parochias, intra quarum fines nova erigitur. Et quidem, ſi illæ non exemptæ ſive jurisdictioni Epiſcopi Ordinariæ ſubjectæ ſint, ad novam Parochiam intra earum fines erigen- 9.

erigendam, ut antiquô, sic modernô Jure necessarius est consensus Capitularis; cùm ista erigatur Jure Episcopi Ordinario: quô, sicut ad unionem, sic etiam ad novæ Parochiæ erectionem sine Capitulo procedere Episcopus non potest; cùm circa hunc casum Jus antiquum à
10. Tridentino non sit immutatum. Si verò Parochiæ sint exemptæ, ad novam intra earum fines excitandam procedere Episcopus, Capituli consensu aut etiam consiliô non requisitô, potest; cùm tali casu eam erigat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, & id agendô gerat vices Papæ, ad ejusmodi consensum aut consilium requirendum non adstricti, *arg. l. 1. §. 1. ff. de Eo, cui mandata*, Ægid. Bellamera *decis. 54.* Marian. Socinus *in c. Sicut unire 8. de Excess. Prælat. Art. 6. pr. conclus. 14. n. 104.* & Fagnanus *in c. cit. n. 53.*

Neque posteriori huic distinctionis membro obstat; quòd *cit. cap. 4.* decretô Episcopi ita, sive jure delegatô, novas Parochias constituere disertè permittantur, *Juxta formam Constitutionis Alexandri III. c. Ad audientiam cit.* relatam; ac proinde servatâ formâ Juris antiqui, ad earum constitutionem Capituli consensum exigentis; quia *c. cit.* Papa ne verbô quidem attingit consensum Capitularem: sed solummodo agit de causa erectionis novæ Parochiæ, de constitutiône & sustentatione Rectoris ei præficiendi, & debito honore servando Ecclesiæ Matrici.

11. Secundò ad ejus erectionem requiritur competens numerus Parochianorum, de quo actum est *Tit. 29. n. 4.*

12. Tertiò congrua Dos, *can. Nemo cit.* quæ, si ex aliena liberalitate supperat, res plana & expedita est. Sin, de Jure assignanda est ex reditibus Ecclesiæ Matricis, iis abundantis, *c. Ad audientiam & cap. 4. citt. Abundantis*, inquam, ita ut, eorum parte detractâ, Matricis Rectori competens sustentatio remaneat, *can. Bona 12. q. 2. & can. Quicunque, 16. q. 1.* quia, si ad unius tantùm congruam sustentationem sufficerent, istius Rectoris potior causa & major ratio habenda foret, *arg. canu. citt. & c. 1. de Parochiis*; ne discooperiatur unum altare, ut alterum cooperiatur, Hostiens. *in c. Ad audientiam cit. n. 3. ubi* Ant. de Butr. *n. 10.* & Fagnanus *n. 4.* Quare, si Ecclesia Matrix ultra reditus ad fabricam rémque Divinam decenter peragendam & Rectoris sustentationem necessarios non habeat, ad congruæ vitæ subsidia novæ Rectori constituenda contribuere debent subditi ejus Parochiani, *arg. c. Cùm sit. 10. de Simonia* & ex mente Trident. *Sess. 24. cap. 13. V. In Parochiali, de Reformat.* decernentis, illos ad id opportunis remediis posse compelli. Si Parochianos inopia excuset, congruæ sustentationis ei assignandæ onus incumbit Abbati vel Præposito & similibus, quibus Parochia subjecta est in temporalibus, *can. fin. §. Licet V. Si qua, dist. 70. & c. Extirpandæ 30. pr. V. Cùm igitur, de Præb. & dignit.* quibus etiam deficientibus ipsi aliunde &, si aliter nequeat, de Mensæ suæ reditibus providere Episcopus debet, *c. Inter cætera 15. de Offic. Ord. & c. fin. hâc Rubr.* &, hôc non valente, novus Rector artificiô vel manuum labore victum quærere debebit, *can. Clericus 2. & dist. 91.* Ita *in c. Ad audientiam cit.* Hostiens. *n. 3.* Panormit. *n. 7.* Joan. Andr. *n. 7.* & S. Congreg. declarat. *allegg.* Fagnanus *à n. 5.*

Dos autem Ecclesiæ Parochialis novæ tanta esse debet, ut ex ea non solùm luminaria cæteráque ad sacrum ministerium necessaria haberi; sed etiam Rector cum ministro clerico (hodie passim laico) ipsi

ео) ipſi ſerviente in Eccleſia & illius cuſtodiam habente commodè ſuſtentari, jura Epiſcopalia perſolvi, in pauperes liberalitas & in peregrinos aliósque hoſpitalitas exerceri & ſimilia onera ſupportari valeant, *can. Placuit 2. q. 1. c. 1. de Præb. & dignit. & c. Statuto 2. §. Ubi autem, de Decimis utrobique in 6.* Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 12. q. 15.* & Barboſa *de Offic. Parochi cap. 1. n. 40.* cùm enim, qui altari ſervit, de altari vivere debeat, *can. Ex his 12. q. 1. c. Cùm ſecundùm 16. pr. de Præb. & dignit.* Eccleſiarum Rectoribus neceſſaria alimenta in earum erectione utique conſtituenda erunt ab Epiſcopo, cujus authoritate eriguntur, juxta *cc. citt.* Imò iſtè in Eccleſiæ indotatæ erectionem conſenſum præſtare non poteſt: &, ſi eum præſtet, atque Eccleſiam ſine dote conſecret, congruam ei dotem aſſignare de proprio tenetur, *c. Cùm ſicut 8. de Conſecrat. Eccleſ.* Lambert. *de Jure Patronat. Lib. 1. p. 1. pr. q. 5. art. 10. n. 4.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 70. n. 29.*

Quartò requiritur citatio Rectoris
15. Parochiæ Matricis, intra cujus fines nova eſt erigenda; etſi enim cùm juſta cauſa exigit, ad novæ Parochiæ erectionem, eò invitô & propter populi ac redituum diminutionem contradicente, procedi non à Papa ſolùm, ſecundùm Gloſſam *fin. in can. Nulli 2. diſt. 99.* ſed etiam ab Epiſcopo queat, ut *l. citt.* Hoſtienſ. *V. Obventiones*, Panormit. *n. 6.* & Joan. Andr. *n. 7.* volunt, & *c. Ad audientiam cit.* clarè traditur ab Alexandro III. ad eam procedi jubente *Appellationis*, à perſona Matricis Eccleſiæ interpoſitæ, obſtaculô ſublatô, & Trident. *Seſſ. 21. cap. 4.* ibi, *Etiam invitis Rectoribus*: ejus tamen citatio neceſſaria eſt, *arg. can. Multis, 16. q. 1.* adeò; ut, eô non vocatô & requiſitô, non illicita duntaxat, ſed etiam invalida & nullius ſit momenti, ut poſt *citt.* Gloſſam *fin.* La-pum *Alleg. 66. n. 3.* eadem S. Congreg. cenſuit apud *cit.* Fagnanum *n. 30.* præter Rectorem omnes alios, quorum intereſt, citandos monentem *n. 30.*

Quintò conſenſus Patroni, ſaltem ſi 16.
nova Parochia dotanda ſit de reditibus dotatæ ab eo Eccleſiæ Matricis; quia ejus intereſt; cùm, redituum parte in novam translatâ, antiquæ ſive Matricis Parochiæ beneficium minùs reddatur æſtimabile, & minùs grati futuri ſint clerici ad id præſentati. Unde, quod ipſum tangit, ab ipſo quoque erit approbandum, *arg. Reg. Quod omnes 29. in 6.* At, licet propter hanc rationem cum aliis, quorum intereſt, citandus ſit Patronus ejúsque conſenſus requirendus, tamen cum novæ Parochiæ erectionem juſta cauſa exigit, ad eam, ipsô invitô, poterit procedi, *arg. c. Ad audientiam cit.* novæ Parochiæ erectionem permittentis, invitô Rectore Eccleſiæ Matricis: cui ejus erectione & redituum ſuorum diminutione magis præjudicatur, quàm Patrono. Unde, quod iſte patitur, non minùs quàm Rectoris præjudicium Parochianorum incommoditati & ſalutis periculis cedit.

Sextò; ut competens in ea honor 17.
pro facultate loci Matrici Eccleſiæ ſervetur, *c. Ad audientiam cit.* vel per ſolutionem annuæ penſionis, Epiſcopi arbitriô moderandæ: non quidem in ſignum ſubjectionis, ut in *c. cit.* voluit Gloſſa *V. Honor*; quia eam, quæ noviter erecta eſt, Matrici ſubjectam eſſe, in Jure fundamentum non habet, ut rectè advertit Panormit. *in c. cit. n. 8.* ſed in recognitionem originis ab ea ductæ, & in ſe translatorum jurium: vel per recurſum ad eam pro Baptismo aut ſepultura: vel per præſtationem aliorum jurium in erectionis limine illi reſervatorum, *citt.* Hoſtienſ. *n. 3. V. Proinde*, Panormit. *num. 6.* & Joan. Andr. *n. 10.*

18. Septimò; ut Patronatûs sive clericum præsentandi jus Ecclesiæ Matricis Rectori reservetur, per *c. Ad audientiam cit.* textum, ibi, *In ea Sacerdotem ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris instituas*; cùm enim ille in capella in Ecclesia constructa & ab alio dotata cum ejus constructore & dotatore jus patronatûs acquirat, per tradita à Panormit. *in c. cit. n. 11.* & Lambertino *Tract. cit. Lib. 2. p. 1. pr. q. 2. art. 15. n. 3.* idem jus cum istis consequetur in nova Parochia erecta intra fines suæ: quantumvis in eam de suis reditibus nihil contulerit, ut generaliter & indistinctè volunt Innocentius *in c. Cùm Venerabilis 6. de Exceptionib.* Joan. Andr. *in c. 1. de Capell. Monach. in 6.*

19. Sed malè; cùm id non desumatur ex *c. Ad audientiam cit.* quia istò pro congrua sustentatione assignata est pars redituum Ecclesiæ Matricis: & ex *c. Cùm dicat. 2.* in cujus casu Matricis Ecclesiæ Rectori Patronatûs jus in nova Ecclesia non adstruitur: nec de Jure erat adstruendum; quia id ex tribus solùm causis, Fundatione, Constructione, Dotatione acquiritur, secundùm Glossam ab omnibus receptam *in can. Pia, V. eôdem, 16. q. 7.*

Neque adverlatur; quòd à Rectore acquiratur in capella ab aliis constructa & dotata in Ecclesia, aut etiam in alio fundo, cujus proprietas ad Ecclesiam spectat; quia ad eam solum sive fundum confert Ecclesia, cujus administratio ad ipsum pertinet, quantumvis ea sit Patronata; quia Ecclesiæ res administrare & jura exercere; ac proinde ipsius nomine præsentare, de Jure ad ejus, non Patronum, sed Rectorem spectat, *can. Nullus laicorum, 16. q. 7. & arg. c. Præterea 23. de Jure Patronat. & c. fin. de Offic. Ordin. in 6.*

Quare, licet in Parochia de novo erecta Patronatûs sive præsentandi jus competat Ecclesiæ Matrici, quando illa in istius fundo aut ex ejus proventibus constructa, aut dote instructa est: casu tamen, quò illa liberalitate alienâ fundata, constructa & dotata est, clericum in eo instituendû præsentandi jus non ad Rectorem Ecclesiæ Matricis, à qua in eam nihil collatû est, sed ad illûm solûm cujus liberalitate &, si ex Ecclesiæ quidem Matricis proventibus dotata, sed in alieno solo & ab alio collatis sumptibus constructa est, ad illius Rectorem & istos simul pertinebit, juxta Regulam traditam à Glossa *in can. Pia cit. V. eôdem*, & dicta supra *Tit. 38. à n. 24.*

His cum justa causa concurrentibus, ad novæ Parochiæ erectionem tuto & *Remotô appellationis obstaculô* procedere Episcopus potest, *c. Ad audientiam cit.* &, si procedat, more ab ipso naſcentis Christianitatis primordio recepto, teste S. Clemente *Lib. 3. Constit. Apostol. cap. 30.* ejus Ecclesiam eriget in forma navis oblongâ, ea, cui non solùm particularis, sed ipsa etiâ Universalis Ecclesia comparatur, *can. Non turbatur, 24. q. 3.* quòd in hoc mundo tanquam procelloso mari fluctuantes, ejus tanquam navis tutissimò sinu defensi, per occurrentia tempestatum pericula ad æternæ salutis portum pertingamus, Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. q. 12.*

In ejus etiam erectione id observabit; ut principale sive summum ejus Altare collocetur versus Orientem; quem situm ex Apostolica Traditione, in augustioribus præsertim templis observatum fuisse, cum *cit.* S. Clemente perhibet Isidorus *Etymolog. Lib. 15.* licet non desint exempla veterum Ecclesiarum, quarum altaria diversam ab Orientali plagam respiciebant; ideòque id nequaquam necessarium &, in illarum ædificatione ad commoditatem loci & fabricæ decentiam potiùs, quàm certum mundi cardinem attendendum, cum Steph. Durant. *de Ritibus Eccles. Lib. 1. cap. 3.* moneat Fran-

ces de

ces *de Eccleſ. Cathedr. cap. 5. à n. 14.* Rationes ejus Apoſtolicæ Traditionis DD. varias & Archidiaconus *in can. Eccleſiaſticarum 5. diſt. 11.* integrum earum octonarium refert. Præaliis congrua eſt; quod Paradiſus à Domino Deo, iſtiúsque ſupremæ Majeſtati templum Orientem verſus conſtitutum à Salomone: & Chriſtus cælos cælorum aſcenderit ad Orientem: à quo etiam ſpectandum ſe exhibuit in ligno Crucis, teſte S. Baſilio *Lib. de Spiritu ſancto cap. 13. & 27.* & venturus ad judiciũ expectatur Matth. *cap. 24. v. 27.* eásque ob cauſas in veteri, Daniel cæteríque Judæi, ſecundùm Gloſſam *in can. cit. V. Orientem verſus*, & in Novæ Legis primordio Chriſtiani Orationes ſuas ad Deum dirigere ſoliti ſunt verſus Orientem, teſte Baronio *ad Annum Chriſti 57. v. 103.* apud *cit.* Frances *à n. 21.*

ARTICULUS II.

De Congrua Suſtentatione Parochi, & de Vicarii Portione.

SUMMARIUM.

23. *Parochis congrua ſuſtentatio debita,*
24. *Et ex ipſis parochiarum proventibus,*
25. *Arbitriò Epiſcopi aſſignanda eſt:*
26. *Et ex illis deficiens ſupplenda aliunde.*
27. *Vicariis perpetuis congrua portio à decimatoribus,*
28. *Arbitriò Epiſcopi, præſtanda eſt.*
29. *Aliquando Eccleſiæ proventus omnes Vicariis relinquuntur:*
30. *Eáque portio fere rerum pretio accommodatur.*
31. *In eam non imputantur reditus incerti:*
32. *Niſi ad certam Summam valeant reduci.*
33. *Portio non mutatur ob qualitatem perſonæ Vicarii:*
34. *Sed ob ſolam ordinariam inſufficientiam ad ſuſtentationem.*
35. *Portionis cauſa Eccleſiaſtica eſt:*
36. *Niſi ſuper illius ſpolio laicus conveniatur.*
37. *Judex fere loci Ordinarius eſt:*
38. *Etiam cum ſuper ea Exempti conveniuntur.*
39. *Ejus cauſa Summariè,*
40. *Et, Appellatione remotâ, pertractanda eſt.*

COngruam ſuſtentationem Parochiarum Rectoribus deſignandam, dictum eſt *à n. 12.* cùm; quòd ii ex officio ſuo, populo Chriſtiano, adminiſtrandô Sacramenta ſeminent ſpiritualia, & verbi Divini prædicatione annuntient Evangelium: illa autem ſeminans carnalia metere, & ad humanæ vitæ uſus neceſſaria accipere: & hoc annuntians de eo vivere debeat, *1. Corinth. cap. 9. v. 11.* cùm dignus ſit operarius cibô ſuô, Matth. *cap. 10. v. 10.* tum verò; ne Parochi, aliàs victui quærendo intenti, animarum curam deſerere, & mendicare vel ſordidum aliquem quæſtum exercere cogantur, Gratianus *Diſcept. Forenſ. cap. 399. n. 13.* & Barboſa *Prax. Penſion. p. 2. q. 13. n. 5.* 23.

Atque hæc procul dubiò cauſa eſt, cur ipſis Parochiarum ſuarum proventus & obventiones, *c. Paſtoralis 9. pr. de Iis, quæ à Prælat.* & fructuum, intra illarum fines provenientium, Primitiæ ac Decimæ ab Eccleſia ſint aſſignatæ *c. 1. c. Cùm contingat 29. & c. Cùm in tua 30. de Decim.* cur iſtarum in extraneos, præſertim 24.

laicos, translationi fortiter & cum edicto vetante resistat, *c. Prohibemus 19. de Decimis &c. 1. de Præscript. in 6.* cur uniones, quibus Parochiæ, quoad temporalia & decimales præsertim fructus, Dignitatibus, Monasteriis, Studiosorum Seminariis, Hospitalibus, aliisque piis locis & causis, etiam authoritate Apostolicâ incorporantur, fieri non soleant: nisi congruâ portione earum Rectoribus reservatâ, *c. Exposuisti 33. de Præb. & dignit.* cur beneficia parochialia, quorum reditus annui centum ducatorum summam secundùm verum valorem annuum non excedunt, ullis pensionibus vel reservationibus fructuum non valeant gravari, ex decreto Trident. *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.* &, cùm ejusmodi beneficiis, summam illam excedentibus, pensiones imponuntur, centum ducati sine ulla diminutione vel gravamine debeant relinqui, ut ex Garcia *p. 1. de Benef. cap. 5. n. 375.* notat & Rotæ *dicis.* firmat Barbosa *in c. cit. cap. 13. n. 13.* ne congrua sustentatio Parochis facilè subtrahatur: cur demum ex communi DD. sensu non valeat consuetudo, vi cujus decimæ quoad congruam sustentationem à Parochis in extraneos transferantur; quòd Parochis eatenus debitæ sint Jure Naturali & Divinô, ex recepta doctrina S. Thomæ 2. 2. *q. 87. art. 1.* Consuetudo autem juribus illis prævalere nullâ ratione possit, *c. fin. de Consuet.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 17. n. 6. & 8.* Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 21. num. 51.*

25. Quantum verò ad Parochi congruam sustentationem exigatur, licet expressum videatur à Tridentino: quod, dum beneficiis Parochialibus, centum ducatorum summam non excedentibus, pensionem imponi vetat *cap. 13. cit.* non obscurè insinuat, minoris valoris reditus annuos ad congruam sustentationem, Parocho præstandam non esse sufficientes: à DD. tamen passim & meritò relinquitur arbitrio Episcopi, qualitates personæ, quam Parochia exigit, eique incumbentia onera, amplitudinem Parochiæ & Parochianorum numerum, varietatem temporum & locorum præsertim diversitatem consideranti, Panormit. *in c. Ad audientiam 3. n. 14.* Rebuffus *de Congrua portione n. 84.* & Surdus *de Aliment. Tit. 4. q. 23. n. 43.*

26. Ubi Parochialium Ecclesiarum fructus seu reditus annui adeò exigui sunt; ut ex iis illarum Rector congruam sustentationem habere & debita onera supportare nequeat, id quod ipsorum sustentationi & Ecclesiæ necessitati deest, S. Synodus Tridentina ab Episcopis suppleri voluit per unionem beneficiorum Secularium non curatorum & talium; ut Parochus præter animarum curam etiam Missarum obligationi his incumbenti satisfacere queat, Zypæus *ad Tit. de Parochiis, Consult. 4. pr.*

Si unioni locus non sit, defectum supplendum decrevit assignatione primitiarum & decimarum, provenientium ex fundis sitis intra fines Parochiarum; quòd eæ pro istarum necessitatibus & Rectorum sustentatione in veteri Divinâ & in novo Testamento Ecclesiasticâ Ordinatione specialiter deputatæ sint: &, cùm ad extraneos transferuntur, à deputatione illa nunquam ita eximantur; ut pro illorum sustentatione, aliunde deficiente, ad eas recurri non possit, *arg. can. 1. §. In diœcesi, 13. q. 1. c. Sicut 2. de Suppl. neglig. c. De Monachis 12 de Præb. & dignit. c. fin. de Paroch. c. Suggestum 9. &c. de Decimis, Clement. 1. de Jure Patronat. cit.* Rebuffus *n. 4.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 17. n. 6. in fine* & Barbosa *in c. De Monachis cit. n. 6.*

Si supplementum illud à decimis haberi nequeat, deveniendum ad collectas: & alia

& aliâ, ſi quæ appareat, ratione eis de congrua ſuſtentatione erit providendum, ex decreto Tridentini *cap. 13. cit.* Zypæus *l. cit. n.* 1. Hæc de Parochiarum Rectoribus.

27. Vicariis earum perpetuis providendum de congrua ſuſtentatione per penſionem ipſis annuatim præſtandam ab iis, qui decimas & alios Parochiæ proventus percipiunt, puta à patronis, à Monaſteriis, Hoſpitalibus, Seminariis &c. quibus eæ per unionem quoad temporalia ſunt incorporatæ, ab aliis decimarum poſſeſſoribus, etiam laicis: etſi patroni non ſint, per *text. cc. citt. c.* 1. *de Præb. & dignit. in 6. & Clement.* 1. *de Jure Patronat.* & rationem pro Parochis allatam. Qui, ſi plures ſint, ad eam portionem pro rata, ſive parte fructuum ſibi obvenientium, præſtandam tenentur & conveniri ſimul omnes poſſunt, *arg. l. Soleant 3. ad fin. ff. de Aliment. & Cibar. leg.* Rebuffus *Tract. cit. n. 50.*

28. Quantitas autem Penſionis, portionem Vicariis congruam conſtituentis, non eadem ſemper fuit; olim enim in quibusdam provinciis ita tenuis erat; ut eam quartæ quartam, hoc eſt, decimam ſextam fructuum partem non exceſſiſſe, Innocentius III. meritò quereretur, eámque; ut Vicariis ad ſuſtentationem ſufficeret, augeri juberet *c. Extirpandæ 30. pr. de Præb. & dignit.* aliàs Trebellianicæ inſtar quarta, aut iſtâ aliquantò major minorve portio fuit, teſte *cit.* Rebuffo *n. 82.* Amplius Vicariis tribuit Tridentinum, eis fructuum & proventuum Parochialium partem tertiam aut majorem vel minorem, arbitriò Ordinarii aſſignandam, decernens *Seſſ. 7. cap. 7. de Ref.* quod S. Synodi decretum & Ordinariorum arbitrium Pius V. *Conſtitutione*, quæ incipit *Ad exequendum, Cal. Nov. 1567. editâ* ita reſtrinxit; ut eis nec centum ſcuta excedere, neque infra quinquaginta deſcendere in aſſignatione liceret, & tam exceſſus quàm defectus non valeret; ne neceſſaria vitæ ſubſidia deeſſent Vicariis, & Monaſteria cæteræque piæ cauſæ, quibus parochiæ quoad temporalia unitæ ſunt, plus æquò gravarentur, & congruâ portione Vicariis præſtitâ oneribus, quorum intuitu uniones factæ ſunt, impares redderentur, Zypæus *cit. Conſult. 4. pr.*

29. Excipiendus tamen eſt imprimis caſus, quò Eccleſiæ unitæ fructus quinquaginta ſcuta ſecundùm verum annuum valorem non excederent; tali enim caſu omnes relinquendi eſſent Vicario; quòd ejus, utpote curam animarum actu gerentis, cauſa in defectu potior ſit, quàm Monaſterii aut alterius cauſæ piæ, cui unio facta eſt, Zypæus *ad Tit. de Parochiis Reſp. 3. n.* 10. *in fine*, cùm; quia fructus, ex quibus ei portio eſt aſſignata, priùs erant patrimonium Eccleſiæ, cui ipſe ſervit & fidelibus eam frequentantibus Sacramenta miniſtrat: tum verò; quia ipſe tanquam curatus pro ſe habet Jus commune, *c. Paſtoralis 9. de Iis, quæ à Prælat.* & Eccleſiæ unio etiam à Papa non fit, niſi reſervatâ congruâ portione, *c. Expoſuiſti 33. in fine de Præb. & dignit.* ac proinde ſub conditione ejus remanentis Vicario, *arg. l. Ab emptione 58. ff. de Pactis*: cui prius providere, poſtea verò reliquos fructus Monaſterio, Seminario aut alteri cauſæ piæ, cui Eccleſia unita eſt, donare intendit; ne diſcooperiatur unum altare, ut alterum cooperiatur, Panormit. *in c. De Monachis cit. n. 3.* Henric. de Boich. *in c. Expoſuiſti cit. n. 5.* & Rebuffus *Tract. cit. à n. 101.*

30. Deinde excipiendus eſt caſus, quò in provincia aliqua rerum ad victum, veſtitum cæterósque humanæ vitæ uſus neceſſariarum pretium ita augeretur; ut

iis parandis & aliis oneribus supportandis centum scuta ordinariè non suffectura constaret ; tali enim casu, eam scutorum quantitatem excedentem portionem Vicariis assignanti Ordinario, Pii V. *Constitutio* utique non obstaret ; cùm istâ, centum scuta ad Vicarii congruâ sustentationem indubitatè sufficere, supponatur. Quod confirmatur ; quia seculô decimô sextô, quo in congruæ portionis assignatione centum scuta excedere, & infra quinquaginta descendere Ordinarii à Pio V. prohibiti sunt, rerum ad sustentationem necessariarum quantitas major centum scutis, quàm nostrô hoc nuper inchoatô centum aureis, parabilis fuit. Unde, sicut portio illô in quantitate fructuum assignata ; nostrô tempore congruam excedit : ita, quæ illô in pecunia assignata fuit, nostrô tempore ad congruâ sustentationem non ascendit : eámque ob causam hodie pauci parochiarum unitarum Vicarii sunt, quorum annui proventus summam à Pio V. definitam non excedant : & sub ipsum nuper exacti seculi initium Vicarios perpetuos cum assignatione fructuum, quæ nec major centum, nec quinquaginta aureis minor sit constitui Antuerpiæ potuisse, S. Congreg. Cardd. Interpp. ad postulationem Episcopi ejus Civitatis declaravit, apud Zypæum *Analysis Tit. de Parochiis n.* 12.

31. Dubium nunc est, quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus & decimis congrua portio Vicario perpetuo est assignanda. Qua in re aliqui Regulæ instar statuunt, eô non venire fructus incertos, quos Altaris pedem vocant ; quòd venter, cui eâ portione providetur, ab incerto non debeat pendere : & propterea, in portionem eam imputari posse, negant oblationes, distributiones, mortuaria & emolumenta, quæ proveniunt ex celebratione Missarum ; quòd sint incerta & non tam Ecclesiæ, quàm personæ sive præstiti ab ea ministerii, intuitu acquirantur : & accenseantur bonis clericorum quasi patrimonialibus, obnoxiis eorum liberæ & in quascunque etiam prophanas causas inter vivos & per ultimam voluntatem faciendæ dispositioni, secundùm S. Thomam 2. 2. q. 185. *art.* 1. Panormit. *in c. Cùm esset* 10. *de Testament. n.* 26. Covarruvias *in c. Cùm in Officiis* 7. *eâdem Rubr. n.* 7. & tradita supra *Tit.* 25. *n.* 20.

Sed, esto hæc ita sint, oblationes tamen, distributiones, aliósque similes etiam, ut vocamus, Stolæ proventus, quando reduci possunt ad certam summam seu æstimationem, quâ notabiliter majores minorésve esse nunquam solent, Ecclesiæ proventuum, in portionem Canonicam imputandorum, nomine venire posse, cum Felino *in c. Ad aures §. de Rescript. n.* 14. censet *cit.* Rebuffus *n.* 87. quòd paria sint, certum esse per se vel per relationem ad aliud certum, *l. Ait Prætor* 5. *§.* 1. *ff. de Rejudicata.* Cui Sententiæ non leve pondus addit *cit. Constitutio* Pii V. portionem eam assignandam asserentis, *Computatis omnibus etiam incertis emolumentis & aliis obventionibus communiter percipi solitis*, neque requirentis ; ut emolumenta ista & obventiones percipiantur jure Ecclesiæ Parochialis, ut notat Zypæus *cit. Resp.* 2. *n.* 11. *§. At verò.* 32

Dubium secundò est, an portio semel constituta mutetur pro varietate clericorum ; ut, si Vicariam obtineat clericus Nobilitate vel Gradu literario præcellens, ei major portio sit assignanda. Suadere id videtur ratio ; cùm enim hujusmodi personæ sustentatio plus exigat, portio, quæ aliis ; non etiam ipsi congrua erit. Nihilominus eam, si in se congrua &, legitimè constituta sit, sicut ad

instantiam

inſtantiam vg. Prælati, cujus Monaſterio parochia unita eſt, non facilè diminuitur, *arg. c. Adhæc 3. de Offic. Vicar. & c. Avaritiæ 10. de Præb. & dignit.* ſic etiam ad petitionem Vicarii; quòd ipſi ratione Nobilitatis vel Gradûs literarii, ad ſuſtentationem plus exigentis, non ſufficiat, augenda non eſt; quia contrariorum eadem eſt diſciplina, *arg. l. 1. ff. & pr. Inſtit. de His, qui ſui vel vel alien.*

Quare clericus Nobilis vel Doctor, cui ejus, quam obtinet, Vicariæ portio propter ejusmodi qualitatem congrua non eſt, ſibi imputare; quòd illam acceptârit: & ex ſuo patrimonio vel induſtria vivere debebit, per tradita à Panormit. *in c. Ex præſentium 3. de Pignoribus n. 6.* & *cit.* Rebuffo *n. 92.* qui tamen
34. *n. 93.* rectè excipit caſum, quô portio ſemel ritè aſſignata bellicâ aut aliâ clade interiiſſet aut eſſet diminuta; ut aliis etiam clericis congrua amplius non ſit: quô tamen caſu opus eſt aliquâ diſtinctione: & quidem, ſi fructus ad portionem redintegrandam ſufficientes remaneant apud patronum vel Monaſterium aut Seminarium, cui parochia unita eſt, pro ejus redintegratione agi ex Canone, hoc eſt, *c. De monachis 12. de Præb. & dignit. & c. 1. eâdem Rubr. in 6.* Siverò apud illos nihil remaneat, redintegratio peti poterit à parochianis, juxta decretum Trident. *Seſſ. 21. cap. 4. de Reform.* cùm enim his Sacramenta cæteráque Divina miniſtrandô Vicarius in ſpiritualibus ſerviat, temporalia ad ſuſtentationem neceſſaria, cùm aliunde deficiunt, ab ipſis recipere debebit. Ita *cit.* Rebuffus *n. 94.* & Card. de Luca *Theatr. V. & I. Tit. de Parochis, diſc. 18. n. 11.*

35. Dubium tertiò eſt de judice, coram quo congruæ portionis aſſignatio & ejus ita diminutæ redintegratio eſt petenda. Quem non Secularem, ſed Eccleſiaſticum & loci Epiſcopum eſſe, cum *cit.* Rebuffo *n. 55.* & aliis tradunt Barboſa *Prax. penſion. p. 2. q. 13. n. 3.* & Zypæus *cit. Reſp. 2. n. 8.* quia congruæ ſuſtentationis & portionis aſſignatio & judicium de ea negotium merè Eccleſiaſticum eſt; cùm concernat beneficium, quod ſpirituali annexum eſt: & perſonam Eccleſiaſticam, cui congrua ſuſtentatio aſſignatur aut redintegratur: Eccleſiaſtica autem negotia authoritativè tractare, in iſsque ſe intromittere non Secularis, ſed Eccleſiaſticæ eſt poteſtatis, *c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judiciis c. Si judex 12.* ibi, *Quia de re Spirituali & Eccleſiaſtica eſt, de Sent. excom. in 6.*

Excipiendus tamen eſt caſus, quô 36.
Vicarius in portionis ſibi aſſignatæ perceptione turbaretur, aut eâ ſpoliaretur à laico; hûnc enim illius Retinendæ vel Recuperandæ Poſſeſſoriô convenire poſſet coram judice Seculari: ſicut coram iſto ejusmodi Poſſeſſorium, ſuper decimis aut alio ſimili jure intentatum, agitari poteſt, per tradita *Lib. 2. Tit. 12. & Lib. 3. Tit. 30. n. 122.*

Sicut Epiſcopum, ſic etiam Con- 37.
ſervatores Apoſtolicos, ſuper aſſignatione & adjudicatione congruæ portionis adiri poſſe, ſuóque tempore conſueviſſe, teſtis eſt *cit.* Rebuffus *n. 58.* cùm *n. 57.* eam, vacante ſede, à Capitulo aſſignari & adjudicari poſſe, ſtatuiſſet cum Pavino *de Offic. & Poteſt. Capit. ſede vac. p. 1. q. 7. in fine* quòd ejus aſſignatio & adjudicatio Epiſcopo competat ratione jurisdictionis Ordinariæ, *c. De Monachis cit. c. Statuto 2. §. Ubi autem, de Decimis in 6. & Clement. 1. de Jure Patr.* vacante ſede penes Capitulum reſidentis, *c. His quæ ii c. Cùm olim 14. de Majorit & c. 1. eâdem Rubr. in 6.*

Neque refert; quòd ratione ejus 38.
portionis

portionis conveniatur Prælatus Monasterii exempti & imediatè subjecti Papæ; quia etiam exempti ratione congruæ portionis conveniri possunt coram Ordinariis locorum, per textus *Clement. cit. in fine c. 1. V. Nos itaque, de Præb. & dignit. in 6.* & Trident. *Sess. 7. cap. 7. de Reform.* ac proinde, sede vacante, coram Capitulo; quia in casibus, quibus ratione suæ jurisdictionis Ordinariæ Episcopus, istâ vacante, Capitulum contra exemptos procedere potest, ex mente Panorm. *in c. Cùm olim cit. n. 2.* & *ibid.* Felini *n. 37.* Qua de re tamen contrarium statui *Tit. 9. n. 15.*

39. Procedendum autem in congruæ portionis causis est *Summariè & Appellatione remotâ*, ut vult Zypæus *cit. Resp. 2. n. 9. & 14.* contra *cit.* Rebuffum *n. 60. & 79.* neutrô tamen locô id firmiter negantem. Sumariè quidem; quia est causa alimentorum, tangens decimas aliósque proventus beneficii sive Ecclesiæ parochialis, cui Vicarius servit, atque ab ea sustentationem sufficientem seu congruam portionem petit: in alimentorum autem, saltem futurorum & præsentium decimásque & beneficia Ecclesiastica quoquô modô tangentium, causis summariè sive simpliciter, de plano sine strepitu & figura judicii procedi potest, *Clement. Dispendiosam 2. de Judiciis & arg. l. fin. ff. de His, qui sui vel alieni jur.* Maranta *Prax. aureæ p. 4. n. 168. & 174.* quòd mora seu litis super iis motæ protelatio damnosa sit & periculosa; ideóque exi-
40. gat celerem expeditionem. Appellatione autem remotâ, ex decreto Concilii Trident. *cit. Sess. 7. cap. 4. & 7.* quoad effectum tamen, non devolutivum, sed suspensivum duntaxat; ne, sententiæ super congrua latæ executione per appellationem suspensâ, negligatur animarum cura & debitis obsequiis Ecclesia defraudetur.

ARTICULUS III.

De Ecclesiæ Ædiúmque Parochialium Reparatione.

SUMMARIUM.

41. *In hac servandæ est loci consuetudo & conventiones.*
42. *Dein superflui reditus fabricæ,*
43. *Parochorum & beneficiatorum ad reparationem impendendi.*
44. *Iis deficientibus, ad hanc tenentur patroni:*
45. *At non, nisi aliquos Ecclesiæ reditus percipiant.*
46. *Decimatores à reparationis onere absolventium,*
47. *Et ad illam obligantium veriór Opinio.*
48. *Ii tamen æquô plus non gravandi,*
49. *Et decimæ diversimodè conferendæ sunt.*
50. *Demum ad reparationè tenentur ipsi parochiani,*
51. *Etiam nobiles & aliàs exempti,*
52. *Secundùm aliquos capitum:*
53. *Secundùm alios & verius facultatum habitâ ratione.*
54. *Reparanda Ecclesia est in capite & membris:*
55. *Et ipsæ etiam ædes Parochiales.*
56. *Qua in re tamen varia praxis diœcesium est.*

CUm Ecclesiæ Parochiales vetustate aut casu aliquô sunt collapsæ vel minitantur ruinam, ad earum reparationem concurrent & necessarios sumptus vel operas conferent populus aut alii, quibus id onerì recepta loci consuetudo vel particularia statuta 41

ſtatuta aut conventiones imponunt, ut in *c. 1.* notant Hoſtienſ. *n. 1.* Panormit. *n. 3.* Barboſa *n. 3.* & Vallenſ. *ad hanc Rubr. §. & n. 2.*

42. His autem ſecluſis, illarum reparatio facienda eſt de portione proventuum ſive redituum fabricæ deputata, *can. Decernimus 10. q. 1. & can. Unio 3. ibid. q. 3.* Lambertin. *de Jure Patronat. Lib. 3. q. 7. art. 2. n. 2. & 7.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 64. n. 1.*

43. Si proprios aut ad conſuetum cultum Divinum non neceſſarios proventus Fabrica non habeat, de reditibus, qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, contribuere ad eam debet Eccleſiæ Rector & alii ejus beneficiati, *c. 1. & c. De his 4.* quorum textuum diſpoſitio innovata eſt à S. Synodo Trident. *Seſſ. 21. cap. 7. de Ref.* Epiſcopos monente, *Ut Parochiales Eccleſias collapſas refici & inſtaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad easdem quomodocunque pertinentibus:* quales cùm etiam ſint, quos Rector cæteríque beneficiati iparum intuitu percipiunt, ad earum refectionem de bonis, quæ ab Eccleſia percipiunt & congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, contribuere tenentur, *c. De his cit.* ibi, *Si eis ſuperſint. Suſtentationi*, inquam, non *Conſervationi* aut *incremento Statûs*; quia beneficiorum Eccleſiaſticorum fructus non ad fovendam attollendámque ſtatûs conditionem & mundanos titulos, ſed ad ipſorum ſuſtentationem & alendos de ſuperfluis pauperes & inſtituendũ promovendúmque cultum Divinum clericis ſunt deputati, Lambert. *cit. n. 7.* Riccius *in Praxi Neapol. p. 4. deciſ. 293.* Comitolus *Lib. 1. Reſponſ. q. 82. n. 2. concl. 3.* & Barboſa *in c. De his cit. n. 3.*

Si beneficiorum fructus adeò tenues ſint; ut ad Rectoris & beneficiatorum ſuſtentationem duntaxat ſufficiant, iſtáque deductâ, quod ad Eccleſiæ reſtaurationem conferant, non ſuperſit: vel, quod ſupereſt, in eam collatum non ſufficiat, *Patroni & omnes alii, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt*, ad eam tenentur & compelli poſſunt, ex decreto *cap. 7. cit.* Unde 44.

Dubium oritur, an ad Eccleſiæ reparationem teneantur Patroni ex fundatione, conſtructione & dotatione. Quod non obſcurè decretum videtur relatis verbis Tridentini, deficientibus Eccleſiæ reditibus, ad eam generaliter & ſine ullæ diſtinctione obligantibus patronos. Idipſum ſuadet ratio, cùm; quia eis incumbit Eccleſiæ à ſe fundatæ cura: quæ ejus non tantùm conſervationem, ſed etiam reparationem exigit: tum verò; quia etiam ipſi percipiunt aliquos fructus Eccleſiæ à ſe fundatæ; cùm ipſis competat præſentatio clerici ad eam vacantem & præcedentia ſive prærogativa in ſede, proceſſionibus, thurificatione: &, cùm ad inopiam vergunt, ab Eccleſia alimenta percipere poſſint, per tradita ſupra *Tit. 38. à n. 69.* Ita Belletus *Diſquiſit. Clericat. p. 1. Tit. de Clerico debitore §. 14. n. 10.* & Leo *Theſaur. Fori Eccleſ. p. 2. cap. 16. n. 17.*

Sed meliùs Lambertinus *cit. Art. 2. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 20.* ad Eccleſiarum reparationem hujusmodi patronos obligari, negant: niſi aliquid percipiant de Eccleſiæ bonis, vg. penſionem annuam in fundationis limine reſervatam, juxta *c. Præterea 23. de Jure Patronat.* partim; quòd ab ipſis patronatûs jus plenè acquiſitum ſit ex prima fundatione, *c. Nolis 25. de Jure patron.* quâ factâ præſtititerunt, quod à Jure inductũ & ad ejus acquiſitionem eſt requiſitum: partim verò; quòd S. Synodi Trident. PP. cùm Patronos ad Eccleſiarum refectionem obligant ratione fructuum, quos 45.

ex Ecclesiis percipiunt, nomine fructuum intelligunt reditus seu proventus temporales & ad illarum refectionem conducentes: cujusmodi cùm non præsentatio & præcedentia, sed tantùm reditus seu annui proventus sint, qui istarum nullam partem percipiunt, ad refectionem non tenebuntur, *arg. cap. 7. cit.*

Si patronus pensionem annuam vel decimas provenientes ex prædiis, intra Parochiæ à se fundatæ fines sitis, percipiat, ad Ecclesiæ reparationem concurrere eum teneri, clarè desumitur ex decreto *cap. 7. cit.* & ratio est; quia utique æquum est; ut, qui percipit Ecclesiæ commoda & proventus, etiam subeat onera, eíque laboranti succurrat. Unde

46. Dubium oritur de decimatoribus, qui patroni non sunt: quos ad Parochialis Ecclesiæ reparationem concurrere non teneri, cum Zœsio *ad hanc Rubr. n. 5.* tradit *cit.* Pirrhing *n. 18.* partim; quòd id onus decimarum possessoribus impositum nuspiam reperiatur: partim verò; quòd decimæ, postquam privilegiò Apostolicò vel præscriptione, præsertim immemoriali, à Parochia legitimè abstractæ & ad alium pium usum vel ad Monasterium aut Ecclesiam extraneam translatæ sunt, inter prioris Ecclesiæ fructus & proventus recenseri ampliùs non possint; ideóque verè dici queat, ab hujusmodi decimatoribus nihil percipi de proventibus Ecclesiæ Parochialis. Confirmatur; quia, si ad illarum reparationem concurrere tenerentur ejusmodi decimatores omnino extranei, ad eandem etiam adstringerentur decimarum possessores laici: quos tamen, teste Zypæo *ad Rubr. de Parochiis, Consult. 4. n. 2.* plerique alii DD. ab illo, & Parochorum etiam alendorum onere eximunt &, ab iisdem possessas decimas omnino liberas esse, pronuntiant; quòd eæ tanquam bona patrimonialia, eâdemque, quâ cætera hujusmodi bona, immunitate possideantur; Molinæus *de Consuet. Paris. pr. n. 104. & §. 68. n. 24.* Neque laicos duntaxat, earum possessores: sed istorum etiam successores clericos, sive Ecclesias, Altaria, Monasteria, Capitula &c. ad quæ pro Religiosorum sustentatione, pro Anniversariorum, Missarum, eelemosynarum &c. fundationibus decimas contulerunt, à contributione ad Ecclesiarum Parochialium refectionem, ratione ejusmodi decimarum facienda exemptos, idem Zypæus censet *n. 3.*

Sed, licet hanc rationem ita roboratam minimè contemnendam, ei tamen, pro qua allata est, præferendam censeo Opinionem Peckii *de Reparat. Eccles. cap. 14.* Guttierez *Practic. Q. Lib. 1. cap. 17. n. 4.* & Laiman. *Lib. 4. Tract. 3. cap. 13. n. 10.* qui Ecclesiæ Rectore & beneficiatis ultra sustentationem, &, quod ad reparationem conferant, non habentibus vel non sufficientibus, decimatores obligant, propter textus *c. De his & cap. 7. citt.* quorum priori Ecclesiæ reparatio ita decimæ dicitur de ejus bonis: posteriori ad eam compelli jubentur, qui percipiunt aliquos fructus ex eis provenientes: bona autem & fructus ab Ecclesiis provenientes sunt decimæ; quia hæ vi suæ institutionis & Jure communi spectatò debentur parochiæ, ex cujus prædiis proveniunt, *c. Cùm sint 18. c. Tua 26. pr. c. Cùm contingat 28. &c. de Decimis*; ut in ejus ministrorum sustentationem, cultum Divinum & fabricæ constructionem tuitionémque impendantur, *c. Statuto 2. §. Ubi autem, ad fin. de Decimis in 6.* Peckius *l. cit.*

Quam rationem & Opinionem non parùm firmat Consuetudo plurium locorum, in quibus decimatores ad Ecclesiarum

ſarum reparationem adſtringuntur, ut ipſe non ſemel obſervavi, & advertit Pirrhing *cit. n. 18. in fine*, eámque ob cauſam Zypæus ſuæ doctrinæ, quâ Eccleſias, Monaſteria &c. ratione decimarum, à laicis ad ſe reverſarum, à contributione ad reparationem eximit, propter praxin contrariam à judicibus non multùm tribuendum veretur *cit. n. 3. in fine.* Imò in *Analyſi hâc Rubr. n. 2.* ſumptibus aliunde deficientibus, diſertè docet, ſubſidium petendum ab omnibus decimis, etiam ad naturam primigeniam ſive à laicis ad Eccleſias, Monaſteria &c. reverſis, & feudali alióve nexu adſtrictis: imò etiam in manu laicâ exiſtentibus: dummodo ipſas ab ea, de cujus reparatione agitur, Eccleſia profectas, doceri poſſit. Unde

In contrarium allata facilè diluuntur; quia decimæ inſtitutæ ſunt; ut ex ipſis perpetuò & ſtabiliter proſpectum eſſet parochiarum Rectoribus de ſuſtentatione, & Eccleſiis de neceſſariis ad earum conſervationem, §. *Ubi autem cit.* ideóque ad quoscunque poſſeſſores cum onere eáque conditione tranſeunt; ut ad illorum ſuſtentationem & iſtarum reparationem neceſſaria, ſi aliunde deficerent, ex ipſis habeantur, Maximil. Fauſtus *Conſil. pro*
48. *Ærario Claſſ. 12. conſil. 16.* Qua in re tamen cavendum eſt; ne dècimatores reparationibus unô eodémque tempore nimium, aut ita graventur; ut ſuſtentatio perſonis vg. Religioſis, in quarum alimenta vel neceſſaria ad cultum divinum proſequendum decimæ deſtinatæ ſunt, non ſubtrahatur ab Eccleſiis, in quarum dotem collatæ olim fuerunt.

49. Subiicere his ſubet, quæ *cit. Conſult. 4.* traduntur à Zypæo, notante Imprimis ex decimis, intra parochialis Eccleſiæ fines provenientibus, in illius reparationem & parochorum ſuſtentationem præ aliis applicandas, quæ proveniunt ex novalibus; quòd eæ magis propriæ ſint parochorum, *c. Quoniam 13. de Decimis, n. 5.* Deinde ex aliis decimis priùs conferendas, quæ poſt alias ſive ultimô locô à parochia ſunt avulſæ, per ea, quæ in *l. Si mater 7. C. de Inoffic. Donat. & §. Item ſi quis in fraudē 6. Inſtit. de Actionibus tradunt DD.* ſcilicet ex pluribus rebus diverſo tempore inofficiosè donatis aut in fraudem creditorum alienatis ante alias repetendas, quæ ultimô locô ità donatæ ſunt vel alienatæ, *n. 6.* Demum poſtremô locô recurrendum ad eas, quæ ſunt in manibus laicorum; quòd hæ, ſi ab onere illo non omnino immunes, ſubſidiariæ tantùm ſint, & ad ſuſtentationem Rectoris Eccleſiæ iſtiúsque refectionem, non niſi in aliunde deficientium ſubſidium vocari poſſint, *n. 2.*

In defectum Rectoris & aliorum, 50.
qui fructus ab Eccleſia percipiunt, ad parochialium Eccleſiarum reparationem tenentur parochiani, qui ab ea percipiunt Sacramenta, *cap. 7. cit.* Cujus ordinis ſive, quòd iſti poſt Rectorem &c. teneantur, ea ratio eſt; quòd ſit opus Eccleſiaſticum: ad quod laici ſolummodo in ſubſidium clericorum ſive, cùm iſtorum bona, congruâ ſuſtentatione deductâ, non ſufficiunt, tenentur: ſicut contrà ad fontium, viarum, pontium & hujusmodi operum prophanorum conſtructionem reparationémque clerici poſt laicos, & tum demum obligantur, cùm deficiunt vel non ſufficiunt iſtorum facultates, *c. Non minus 4. & c. Adverſus 7. de Immunit. Eccleſ.* Guttierez *Alleg. 10. n. 4.*

Tenentur autem in defectum cleri- 51.
corum parochiani omnes, ſecundùm *cap. 7. cit.* hoc eſt, non ſolùm plebeii: ſed etiam Nobiles & aliàs exempti; quia Eccleſiarum reparatio eſt opus publicum &

concernens communem omnium utilitatem ac necessitatem: ad cujusmodi opera cum plebeiis tenentur Nobiles & aliàs exempti, ut nemo excusetur, *arg. l. Ad instructiones 7. C. de SS. Eccles.* Riccius *Neapol. decis. p. 4 decis. 15. n. 4.* Gutierez *l. cit. n. 5.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 64. n. 7.* Unde

52. Dubium oritur de modo contributionis, pro reparatione faciendæ à parochianis; hanc enim per capita hominum vel domorum dividendam, nonnemo suadet ratione; quòd, cùm Ecclesiastica Sacramenta cæteráque Divina omnibus æqualiter sine acceptione personarum ministrentur: nec minorem in ea locum habeat pauper, quàm dives, plebeius quàm nobilis, ab omnibus æqualiter concurrendum videatur, per tradita à Baldo *in l. Omnium 6. C. de Vectig. & Commiss. n. 3.* Sed ratio hæc intentum non persuadet; imò supponit falsum; cùm usu compertum & palam notum sit, à Nobilibus & opulentis parochianis primas & magis conspicuas sedes in Ecclesia, prima loca in processionibus & oblationibus faciendis obtineri, eósque præ aliis decenti sepulturâ honorari: à plebeiis, autem & pauperibus ferè postrema & humiliora sedilia, vel extra ista pavimentum & angulos occupari: ipsam etiam Sacramentorum administrationem aliásque functiones parochiales plerumque majori promptitudine, decentiâ & apparatu illis, quàm his ministrari.

53. Quare ad reparationem illam contributio non per capita personarum aut domorum, sed per libram & æs, sive à parochianis, ipsorum non numerô, sed facultatibus attentis facienda, & in eam plus conferendum erit ab opulentis, quàm à pauperibus aut mediocris fortunæ hominibus; quia est opus publicum; cùm publicam utilitatem & communem usum concernat: ad operis autem publici constructionem loci incolæ pro rata patrimonii concurrere debent, *l. Omnes 12. C. de Operib. publ.* quia onera ejusmodi utilitatem & usum concernentia, ordinariis & merè realibus æquiparantur, *l. Omnes 5. C. de Annona & Trib.* ad quæ collectæ non secundùm numerum personarum, sed patrimonii seu bonorum quantitatem & æstimationem fieri debent, *l. 1. V. Hoc etiam C. de Apoch. publ. ubi* Glossa *V. Inopes, Bartol. n. 8.* & Fran. Leo *Thesaur. Fori Eccles. Lib. 2. cap. 16. n. 75.*

54. Reparanda autem à prædictis parochialis Ecclesiæ collapsæ aut ruinosæ fabrica est in Capite & Membris; ut non solùm ipsius interiora cum parietibus, tecto & ad Missarum celebrationem & reliquum cultum Divinum in ea peragendum necessaria suppellectile; sed etiam sacristia, turris cum campanili & cæmiterium tanquam partes illi accessoriæ reficiantur, *arg. Reg. Accessorium 40. in 6.*

55. Imò ipsæ etiam ædes Rectoris habitationi destinatæ, ut cum Lambertino *cit. q. 7. art. 3. à n. 1.* passim notant DD. & à S. Congreg. declaratum, testis est Barbosa *de Offic. Paroch. cap. 13. n. 12.* quia ejusmodi ædes accessoriæ sunt Ecclesiæ & Sacerdotum Ministerio, *can. Revertimini 16. q. 1.* ac proinde, sicut cæteris alimentis, sic etiam habitatione pro ipsis indiget; quia alimentorum nomine non solùm cibus & potus vestitus & similia ad usum vitæ necessaria: sed etiam habitatio venit; cùm sine ista homo vivere regulariter non possit, *l. Legatis 6. ff. de Aliment. leg.* Beroius *Lib. 2. Consil. 44. n. 11.* Surdus *de Aliment. Tit. 4. à q. 1.* & Menoch. *Lib. 4. præsumpt. 57. n. 27.*

56. Cæterùm in hujusmodi ædium perparatio-

paratione ante omnia obſervanda ſunt pacta & conventiones, & his ceſſantibus ſtatuta vel conſuetudines diœceſanæ: vi quorum Jurium particularium alicujus in aliquibus Germaniæ noſtræ diœceſibus Parochi & alii beneficiati quot annis Parochialium & aliorum redituum beneficialium portionem aliquam vel certam pecuniæ ſummam vg. decem florenos in ædium Parochialium Reparationem impendere, vel, cùm neceſſitas exigit, impendendam pendere debent.

TITVLVS XLIX.

De Immunitate Eccleſiarum, Cœmiterii & Rerum, ad eas pertinentium.

UT Eccleſiæ ad cultum Dei & Divinorum frequentationem ſuâ dignitate Fideles invitarent, non tantùm ad formam & ſplendorem Dei domui convenientem extrui & reduci ſemper conſueverunt: ſed inſuper munitæ ſunt privilegiis geminæ Immunitatis: Localis, quæ ipſarum venerationem: & Realis, quæ rerum ad eas & perſonas Eccleſiaſticas pertinentium tuitionem ſpectat.

ARTICULUS I.
De Immunitate Locali.

SUMMARIUM.

1. *Immunitatis definitio ac diviſio.*
2. *Localis in duobus privilegiis conſiſtit.*
3. *Primò ab Eccleſiis excluduntur I. Judicia Secularia,*
4. *Eccleſiaſticis permiſſis.*
5. *II. Contractus & negotiationes, præſertim nundinarum.*
6. *III. Concilia ſeu conventus Seculares.*
7. *IV. Ludi, choreæ, muſicæ &c. prophanæ.*
8. *V. Rerum prophanarum depoſita.*
9. *VI. Hoſpitandi & ſimilia onera.*
10. *Alterò ad Eccleſiam confugientes proteguntur.*

IMmunitas in genere eſt Exemptio ſive libertas à munere vel onere communi, *l. 1. ff. de Jure immunit.* In ſpecie autem Immunitas Eccleſiaſtica eſt Jus, quò Loca, Res vel Perſonæ Eccleſiaſticæ à communi onere ſive obligatione liberæ ſunt & exemptæ, Panormit. *in Rubric.* Sylveſter *V. Immunitas 1. pr.* & Covarruvias *Lib. 2. var. cap. 20. pr.* *Res*, inquam, *Loca vel Perſonæ* in numerò plurali; quia particularis alicujus rei, loci vel perſonæ Eccleſiaſticæ privilegium, vel ſpecialis exemptio Eccleſiaſticæ immunitatis nomen non meretur: ſed ſola exemptio, quæ convenit toti ſtatui vel generaliter omnibus ejusmodi Locis, Rebus vel Perſonis, ut cum Panormit. *in c. Noverit 49.* 1.

verit 49. de Sent. excom. n. 2. & aliis notat Laiman *Lib. 4. Tract. 9. cap. 8 n. 1.*

Est autem ea Immunitas triplex. Personalis, quâ Clerici & aliæ personæ Ecclesiasticæ gaudent. Localis, quæ Ecclesiis cæterisque Sacris & Religiosis locis: Realis, quæ rebus, ad ejusmodi loca & personas pertinentibus, est concessa: quarum primæ explicationē dedimus *Lib. 2. Tit. 2. à n. 108.* Posteriores *ad hanc Rubricā* sunt declarandæ.

2. Localis complectitur duo privilegia. Primum est, quòd ob singularem reverentiam loci ad cultum Dei & Sanctorum venerationem per consecrationem vel benedictionem deputati, exerceri in Ecclesia prohibeantur non solùm homicidia & alii actus peccaminosi: sed etiam prophani & merè seculares:

3. Et primò quidem Judicia Secularia, tam Civilia quàm Criminalia, *c. 1. c. Cùm Ecclesia 5.* & præsertim *c. Decet 2. in 6.* cujus *pr.* Gregorius X. *Omnis*, inquit, *in Ecclesiis secularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ibi causa per laicos, criminalis maximè agitetur: sint loca eadem à secularibus cognitionibus aliena.* Quæ, ut ab ipsis efficaciùs excluderentur, instituti in ipsis processus & latæ sententiæ ipsō Jure irritantur, *c. Decet cit. §. fin.* & judicia Criminalia in iis exercere præsumentes anathematis sive excomunicationis cominatione abstinere jubentur, *c. Cùm Ecclesia cit.* Ratio est; quia Ecclesia est locus à seculari jurisdictione exemptus; ideóque *In ipsius territorio* quidem, at non *De territorio* esse, dicuntur à Castro *in l. Si quis in hoc 10. C. de Episc. & cleric.* & aliis apud Tuschum *Practic. V. Ecclesia, conclus. 5. à n. 10, arg. l. Nullus 2. in fine C. de Summa Trinit.* ubi Imp. Episcopis Orthodoxis omnes Ecclesias Catholicas totius orbis restituit; quia locus ab alicujus jurisdictione exemptus, extra territorium ejus sito æquiparatur: in loco autem à sua jurisdictione exempto & extra territorium sito sive in eo, qui de territorio non est, jus dicenti, quasi jus non dicenti, impunè non paretur, *c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict. omn. judic. Judicia*, inquam, *& Secularia.* Prius; quia prohibitum in Ecclesiis non est exercitium jurisdictionis Voluntariæ, vg. dispensatio, electio, præsentatio; etiam secularis, ut & manumissio, *l. 1. C. de His, qui in Eccles. manumitt.* collatio Doctoratūs, etiam Scientiæ prophanæ & authoritate Regiā facta, Suarez *Tom. 1. de Relig. Tract. 2. lib. 3. cap. 4. n. 13. & 15.* Posterius; quia etiam judicia & exercitium jurisdictionis 4
Contentiosæ Ecclesiasticæ, licet ex consuetudine fieri soleant extra Ecclesias, speciatō tamen communi Jure scriptō in ipsis exerceri validè & licitè posse, cum Glossa *in c. Decet cit. V. Secularium* & Panormit. *in c. Cum Ecclesia cit. n. 4.* docet Azor *p. 2. Instit. lib. 8 cap. 9. q. 1.* & colligitur ex *can. fin. 2. q. 2.* Ratio est partim; quia Ecclesia est locus Ecclesiastici judicis jurisdictioni subjectus; ac proinde, sicut in loco & territorio suo proprio quilibet alius, sic ipse jus dicere in Ecclesia potest præsertim; cùm id nullō Jure prohibitum reperiatur: partim; quia judicia Ecclesiastica fere cum minori strepitu, quàm secularia exerceri solent & citiùs expediri. Cui non obstat; quòd hujusmodi etiam judicia exerceri nequeant tempore sacrō, vg. die Dominicâ, *c. 1. & c. fin. de Feriis*; quia tali tempore ea prohibendi specialis ratio fuit; ne populum Christianum & ipsos etiam clericos actus forenses abstrahant à Divinis Officiis: quibus celebrandis tempus illud specialiter deputatur, Suarez *cit. Lib. 3. cap. 4. n. 11.*

5. Secundò in Ecclesiis prohibentur Contractus & Negotiationes, præsertim nun-

tim nundinarum, *c. Decet cit.* In cæmiterio tamen vel ipſius Eccleſiæ aditu Jure non prohibitæ: uſu etiam permiſſæ ſunt venditiones cereorum & ſimilium rerum ſervientium fidelium devotioni: dummodo eæ fiant ſine ſtrepitu & contentione de pretio cum Divinorum Officiorum & fidelium ipſis præſentium perturbatione, Suarez *de Euchariſt. diſp. 81. ſ. 7. V. Secundò* & Palao *Tract. 11. diſp. unica, p. 4. n. 3.*

6. Tertiò univerſitatum & ſocietatum quarumlibet Concilia, Conciones, Parlamenta publica, *c. Decet cit.* intellige cum Joan. Andr. *ibi n. 7.* quibus res & negotia merè prophana & Politica pertractantur; quia Synodi & Concilia Eccleſiaſtica, aliíque tractatus de rebus ad Religionem, Pietatem, ſtatum clericorum morúmque reformationem pertinentes in Eccleſiis inſtitui non prohibentur, Navarrus *de Orat. & Horis Canon. cap. 5. n. 32. & 37. & cit.* Suarez *cap. 4. n. 16. & cap. 6. n. 5.* Prophani etiam ejusmodi conventus & tractatus, etſi illiciti, Jure tamen irritati non ſunt, Gloſſa *in c. cit. v. Perſonas* & Panormit. *in c. Cum Eccleſia cit. n. 6. & 7.*

7. Quartò Ludi theatrales, monſtra larvarum, & hiſtrionum geſticulationes: choreæ, cantus & muſicæ omnes, quibus aliquid laſcivum, impurum aut leve admiſcetur: ſeculares actiones, confabulationes, vanáque & prophana colloquia, multóq; magis deambulationes, ſtrepitus, & clamores, *can. 1. diſt. 92. c. Cum ad decorem 12. de Vita & honeſt.* & Trident. *Seſſ. 22. decreto de Obſervand. in Miſſa, V. In Eccleſiis.* Honeſta tamen & ad devotionem comparata ſpectacula & piæ repræſentationes in Eccleſiis fieri permittuntur, *can. Semel Chriſtus 50. diſt. 2. de Conſec.* Barboſa *Juris Eccleſiaſt. Lib. 2. cap. 3. à n. 15.*

8. Quintò ſuppellectilia & aliæ res prophanæ, tam clericorum quàm laicorum, in Eccleſiis deponi, iísque recipi prohibentur: niſi id exigat incurſus hoſtilis, incendii ſubitò exorti vel ſimilis neceſſitatis alii caſus, *c. fin. de Cuſtod. Euchariſt. ubi* Barboſa *n. 2. & cit. cap. 3. n. 25.*

9. Sextò Eccleſiæ, uti & Monaſteria eorúmque & clericorum domus immunes ſunt ab onere hoſpitandi; ut in ipſis domini ſeculares, eorum legati, comites, miniſtri, famuli, milites, hoſpitium ſibi vendicare etiam prætextu conſuetudinis non poſſint, ex decreto Joannis IX. in Synodo Ravennat. *can. 11. c. 1. hâc Rubr.* relato, & privilegio à Conſtantino M. Clericis indulto *l. 1. C. de Epiſc. & Cleric.* Ratio hujus eſt; quia Eccleſia & Eccleſiaſtici, tam quoad perſonas quàm quoad bona & res ſuas, à poteſtate ſeculari & oneribus, quæ ab ea etiam pro communi Reipublicæ bono imponuntur, utroque Jure eximuntur, ut infrà *à n. 187.* oſtendetur, Panormit. *in c. 1. cit. à n. 3.* Azor *p. 2. Inſtit. lib. 9. cap. 9. q. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. à n. 9.* excipientes Patronum vel alium benefactorem, qui in fundationis aut beneficii recognitionem locô cenſûs hoſpitii jus cum Epiſcopi conſenſu ſibi reſervavit, *arg. can. Eleutherius, 18. q. 2.*

10. Alterum Localis Immunitatis privilegium conſiſtit in Jure Aſyli, Eccleſiis cæteríſque Sacris & Religioſis locis competente & *ad hanc Rubricam* accuratiùs explicando.

ARTICULUS II.

De Aſyli Sacri Origine & Sanctitate.

SUMMARIUM.

11. *Etymon & natura Aſyli:*
12. *Quod confugia Templa & Ara Gentilium,*

13. *Regum palatia signáque castrensia,*
14. *Sex Refugii Civitates,*
15. *Et Templum Hierosolymitanum in V. T. prabebant.*
16. *Asyla Sacra damnantium,*
17. *Eáque tuentium vera Opinio.*
18. *Constituta sunt favore Religionis:*
19. *Reipublicæ nequaquam noxia,*
20. *Nec per se occasio sunt delinquendi.*
21. *Sacra Asylia non Naturali,*
22. *Vel Divinô Novi Testamenti:*
23. *Sed Romanô aliarúmque Gentium Civili,*
24. *Et Ecclesiasticô præsertim Jure constituta,*
25. *Firmatáque sunt Gregorii XIV. Constitutione:*
26. *Cui ansam prabuerunt ejus Prædecessorum Indulta:*
27. *Quibus à Gregorio derogatum,*
28. *Et excepta sunt octo Crimina:*
29. *Istorum reos ex asylo extrahendi modus præscriptus,*
30. *Et pœnæ in Asyli violatores sunt statuta.*

11. ASylum Græcè ἄσυρον vel ἄσυλον sic dicitur à particula privativa ἀ & verbo σύρειν, quod *Trahere* vel *Extrahere*: vel συλᾶν, quod *Vi rapere, Sacrilegè prædari, Diripere* significat, Schrad. *Lexic. V. Asylum* & Tholosan. *Syntag. Lib. 33. cap. 21. n. 5.* estque quasi Templum Misericordiæ sive locus privilegiatus, confugientibus securitatem contra vim præstans; quòd Dei Numine vel alicujus hominis Majestate defendantur, Beyerlinck *V. Asylum.* Ipsum verò Jus Asyli sive, ut vocatur, Asylia est Securitas sive privilegum immunitatis ab extractione & omni alia violentia externa, quam ejusmodi locus ad se confugientibus præstat. Securitas autem ista, licet aliquando à merè prophanis, præcipuè tamen à Sacris & Religiosis locis præstatur; quibus competens & hôc locô propositum

Asyli jus perantiquum & apud plerasque Gentes, quæ Aris Templisque honorem aliquem tribuerunt, usu receptum fuisse, sacræ prophanæque Literæ testantur; illud enim Neptuni Fanum in Tænaro, in Papho Veneris, & Jovis templa apud Stratonicenses & Ithacenses, ejusque Olympii simulacrum, & Pergami ædes Æsculapii confugientibus præbebant. In Canopo Herculis, Osiridis in Ægypto tota, Delphici Apollinis & Dianæ Ephesiæ templa Religione suâ præsidio ac salúti miseris & nocentibus fuêre. Athenis *Ignoto* dicata *Deo* commune omnium confugium fuit Ara Misericordiæ, cujus meminerunt Apostolorum Acta *cap. 17. v.* 23. Neque templa solùm & Aræ Diis immortalibus consecratæ, sed ipsæ quoque Domus Regum, Tiberii aliorúmque Cæsarum statuæ in urbibus, & in castris Aquilæ, signáque pœnæ exortes reddebant, qui ad illas confugissent, aut ista arripuissent, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 2.*

Innumera sacræ prophanæque Gentilitatis exempla prætermitto. Divini veri æterníque Numinis jussu sex Civitates in homicidarum & fugitivorum præsidium constitutæ sunt, Numer. *cap. 35. v. 6.* & Josue *cap. 20. v. 2.* Ipsum etiam Templum Jerosolymitanum reorum Asylum constitutum, non obscuro indicio sunt verba, *Constituam tibi locum, in quem fugias,* Exodi *cap. 21. v. 13.* scilicet Tabernaculum & Altare. Unde Demetrius Rex, gentem Judaicam sibi conciliare studens, opportunè inter cætera in ejus gratiam concessa, Templum etiam Hierosolymitanum confugis, etiam Regi obnoxiis, esse voluit pro Asylo, Machab. *Lib. 1. cap. 10. v. 43.*

Hanc

16. Hanc Asyli sacri vetustatem vel ignorârunt, vel non ponderârunt ex Catholicis, præsertim Justitiæ in criminosos administris aliqui, cum superiorum temporum Novatoribus querentes, Ecclesiam fieri speluncam latronum & fomentum criminosorum, quos immunitate suâ invitat ad delinquendum, maximô utique damnô Reipublicæ, cujus interest, delicta non manere impunita, *c. Ut famæ 35. de Sent. excom. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. V. Ejusdem, ff. ad L. Aquil.* cùm, sicut præmia bene meritis, ac Virtuti, sic peccatis pœnæ & supplicia nocentibus debeantur, Cicero *de Natura Deor. Lib. 2.* ut peccantium coërceatur licentia & insontes contumeliâ non afficiantur. Unde Magistratûs cura inter primas illa esse debet, *Ne maleficos patiatur vivere*, juxta præceptum Dei, Exodi *cap. 22. v. 18.* cujus supremæ Æternæque Majestati à Justitiæ Sacerdotibus *Majus Sacrificium* & pinguior hostia *offerri non potest, quàm si, qui in suam & aliorum perniciem debachantur, competenti vigore compescantur*, Pelagii Papæ rescriptum est *can. Quali nos, 23. q. 5.*

17. Ita isti, Ultionis & in speciem etiam Justitiæ zelô majori, quàm Religionis & Christianæ Pietatis, ut rectè adnotavit Gonzalez *in c. Inter alia 6. n. 11.* quia, sicut prisci Rerumpublicarum legúmque Conditores & Divino jussu Moyses, sic Romani tam Impp. quàm Pontifices Sacris & Religiosis locis Asyli privilegium concesserunt. non; ut favorem præstarent delinquentibus ac delictis, hominésque improbos ad peccandum redderent audaciores: sed intuitu Religionis & Fidei Christianæ, cujus favor publicus, *c. fin. Qui filij legit.* & præcipuè attendendus est, *l. Sunt personæ 43.* ibi, *Summa est ratio, quæ facit pro Religione, ff. de Relig. & sumpt. fun.* & ob honorem Dei, BB. Cælitum cultum, ob venerationem & reverentiam locorum ipsis dicatorum: imò etiam; ut imitarentur ipsum, quem Templis & Altaribus colunt, Dominum Deum, cujus *Miserationes super omnia opera ejus sunt*, teste Regio vate, *Psalm. 144. v. 9.*

18. Audire hac de re lubeat clarissimum Ecclesiæ Lumen & Doctorem maximum S. Augustinum *Serm. 5. de Dedicat. Eccles.* ubi, cùm monuisset, *Grandem injuriam Religionis & Divinitatis offensam esse, qualemcunque fugientem ad Domum Dei à sacris liminibus, id est, de sinu matris evellere & Arcam communis expugnare perfugii*, ad confutationem eorum, qui de Christianorum sacra Asylia minùs piè sentiunt, & non satis reverenter loqui non verentur, *Sed fortè*, inquit, *aliquis dicet, locus Sanctus criminoso patere non debet. Non est ita; hæc enim intractabilis animi argumenta non recipit Christus, qui pro impiis mortuus confugientibus ad se claudi aditum Misericordia non permittit: qui Latroni fidem confitenti Paradisi claustra patefecit, reum à sacris adytis non vult excludi.* Et profectò, si apud Gentiles, qui ad mortem deposcebantur ob scelus, cùm ad Aram fugissent, cùm tenuissent simulacrum, cùm Principum statuas, aquilas, signáque Castrensia fuissent amplexi, se Religione tutabantur: eósque inde per vim abstrahere piaculum fuit, æquissimum omnino est, à violentia defendi confugas ad Templa & Altaria Christianorum; ne ab his, minùs venerationis impendi vero æternóque Numini, quàm vanissimis commentitiisque Diis à Gentilitate tributum videretur, in quem sensum ad *Consulta Bulgarorum* respondit Nicolaus I. *cap. 95.*

19. Neque Asyli sacri inviolata sanctitas noxiosa Reipublicæ est, cùm; quia istius tranquillitas felicitásque non exigit; ut nullum unquam delictum sit impunitum;

aliàs enim Asyla constituere & peccantium misereri Deus non potuisset, vel id malò publicò fecisse dicendus esset: quod utique est blasphemum: tum verò; quia rei Christianæ plurimùm interest, Ethnicorum Aras, statuásque Templis & Altaribus vero Numini Sacratis non videri potiores. Accedit; quòd Magistratus secularis malefactores extra Ecclesiam & privilegiata loca deprehensos pro meritis valeat punire: &, quos ob criminum enormitatem extremo supplicio non subtrahi, publicè interest, Asylo sacro non defendantur, & ad hoc profugi tradantur Curiæ seculari, *can. Sicut antiquitus 17. q. 4. c. Inter alia 6. c. fin. hâc Rubr. c. 1. de Homicidio & c. 1. in 6. & Constit. Gregoriana*, paulò post referendâ. Imò, quod à JCT.o Romano Vindicis Justitiæ Ministris non ita pridem responsum est, in non excepti, atrocissimi tamen & omnino notorii criminis reos Asyli sacro sinu receptos propositis infamiæ, proscriptionis & bonorum omnium confiscationis pœnis procedere Curia secularis possit.

20. Occasio delinquendi, quam ex Asylia sacra hominum malitia aliquando sumit, per accidens est; eam enim, licet Ecclesia justa ex causa aliquando permittat, adeò tamen non intendit; ut potiùs, quantum in ipsa est, ullum à quoquam crimen non perpetari desideret, ut rem hanc *cit.* Del bene *de Immunit. cap. 16. dub. 2. à n. 9.* & Ranbeck *Panoplia Libert. & Immunit. Eccles. disp. 2. cap. 2.* declarant. Quin, si cum tempore Asyli fiduciâ & veniæ impunitatisque facilitate crimina invalescere, malò publicò animadverteretur, haud dubiè ad compescendam facinorosorum licentiam ab Ecclesia sacri Asyli privilegia angustioribus terminis circumscripta restringerentur ac diminuerentur, ut *cc. citt.* à Nicolao I. Innoc. III. & IV. à Gregorio IX. & XIV. factum.

A Vindicis Justitiæ ministrorum rigore hactenus confutato nonnulli aquæ 21.
cit. Del bene *dub. & n. 2.* adeò necessere, ut sacram Asyliam non solùm providè sanctéque, sed ipso Jure Naturali crederent constitutam; quòd nisi, ut dicari Deo templa, & Aras consecrari, sic ista miseris præsidio & saluti esse voluisset, nunquam tot, támque variæ & rerum primordio tam vicinæ Gentes in ea conspirássent.

At meliùs, Asyliam illam Jure solùm Positivò constitutam, cum plerisque alicujus nominis ac notæ DD. affirmant Covarruvias *cit. cap. 20. n. 2.* & Suarez *Tract. 1. de Relig. lib. 3. cap. 8. n. 3.* partim; quia, esto ad Jus Naturale pertineat cultus Dei, illud tamen Jus non dictat, reos ad templa & altaria ejus Numini consecrata confugientes, vi inde non abstrahendos: &, si hoc dictaret, facinorosis omnibus æquè semper & ubique tutus & non pro temporum ac locorum varietate varius ad illa receptus foret, *arg. §. Sed Naturalia 11. Instit. de I. N. G. & C.* contrà quàm usuvenisse scimus: parum verò; quia extractio rei, ut promeritas pœnas luat, ex natura rei neque in Dei neque in loci sacri contemptum cedit; ac proinde ex se & intrinsecè mala non est: atque insuper referri potest ad honestum finem, scilicet ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ: qui finis cùm sit honestus, ad eum relata extractionis violentia specialem contrahet honestatem casu, quò lege Positivâ non prohibetur.

Controversia tamen inter DD. est de 31
Jure Positivo, quòd Asyla sacra sint constituta; Divinò enim id factum, asserunt Decius *in c. Ecclesia 10. de Constitut. n. 14.* Tuschus *Practic. V. Ecclesia, concl. 8. n. 4.* & Farinacius *in Appendic. de Immunit. cap. 2. n. 9.* definitúmque existimant à S. Synodo Trident. cùm *Sess. 25. cap. 20. de Ref.* Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum Im-

tum Immunitatem *Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus* constitutam, ait.

Sed in rem præsentem ex *cit. cap.* 20. plus non evincitur, quàm Asyla ad imitationem Legis Divinæ veteris, aut instinctu Dei, acceptáque ab eo potestate constituta. Imò non desunt, qui *cap.* 20. *cit.* non de Locorum sacrorũ Asylia: sed de Ecclesiasticarũ personarũ ad eásque & Ecclesias pertinentium rerum immunitate agi, censeant; atque idcirco differentiam agnoscant inter terminos *Immunitas Ecclesiastica Immunitas Ecclesiarum*, & *Ecclesiastica Libertas*: qui, licet sæpe confundantur, propriè tamen primus Immunitatem, quæ locis: alter eam, quæ rebus: postremus eam denotat, quæ competit Ecclesiasticis personis, de qua præcipuè & secunda Immunitatis specie Tridentinos PP. loqui, ex Mario Italo & ipso Farinacio *cap.* 1. *n.* 5. notat Jordanus *Lucubrat. Lib.* 11. *tit. & n.* 3. ubi monet, hanc differentiam bene observandam propter Censuras; quòd contra unius violatores latæ ad alios non porrigantur: nisi de ferentis mente constet.

Quare, Asyla sacra in Nova lege Divinò Jure constituta, meritò negant *citt.* Covarruvias *n.* 2. Suarez *n.* 11. & Decianus *Tractat. Criminal. Lib.* 6. *cap.* 25. *n.* 2. quòd in Nova Lege non extet ullus textus, vel ab Apostolis accepta Traditio, quibus Asyli jus introductum aut, quod Ceremoniali vel Judiciali Veteris Testamenti lege constitutum & Christi morte extinctum erat, *c. Translato* 3. *de Constitut.* resuscitatum, & ad nostra tempora porrectum esse, ostendatur.

23. Constituta itaque in Novo Testamento Asyla sacra immediatè sunt Jure solùm humanò, tam Imperiali quàm Ecclesiasticò.

Illò quidem *toto tit. C. de His, qui ad Eccles. confug.* cui consonant Regium Jus Francorum Hispanorúmque, apud *cit.* Gonzalez *n.* 9. Legésque Longobardorum & Capitularia Caroli M. apud *cit.* Tholosan. *cap.* 21. Gothorum apud Joan. Magnum *Lib.* 23. *Histor. Goth. cap.* 21. & 22. Anglorum, conditæ ab Eduardo II. apud Polydor. Virgil. *Lib.* 1. *Histor. Anglic. in Henrico*, Saxonum Occidentalium ab Ino Rege latæ & relatæ *Tom.* 17. *Concil. Reg. edit. l.* 4. verbis, *Si quu rei Capitalis reus ad templum confugerit, vitam potitor &c.* aliarúmque Gentium & Rerum publicarum sanctiones.

Istò verò, sive Ecclesiasticò Jure Asyla constituta aut confirmata, jam legimus 24.
à Concilio Arausicano, celebrato Anno Christi 341. diserte statuente, eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non oportere, sed loci sancti reverentiâ & intercessione defendi, *can. Eos qui* 6. *dist* 87. Aurelianensi I. celebrato Annò 514. *can. Id constituimus* 17. *q.* 4. à Nicolao Papa I. *can. Sicut antiquitus* 5. *q. cit.* à Gelasio, qui floruit sub annum Christi 492. *can. Frater* 9. *q. cit.* à summis PP. & Conciliis aliis, *can. Miror* 7. *can. Reum* 8. *can. Nullus clericorum* 19. *can. Si quis contumax* 20. *&c. q. cit. c. Inter alia* 6. *c Ecclesiæ* 9. *&c. hâc Rubr.* quæ aliáque ejusmodi Jura Antiquiora roboravit, & ad unam formam reduxit Gregorius Papa XIV. primò Pontificatûs sui annò editâ Constitutione, cujus tenor est

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cùm aliàs nonnulli Prædecessores 25.
nostri, & præsertim felic. record. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V.

am V. sancto Zelo ducti, diversas facultates & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam, à Jure non permissis, ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus secularibus Principibus, eorúmque Curijs, & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis pleniùs continentur. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diversimodè, etiam latiùs, quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cæperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, Libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem: alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populis inveteratâ erga Ecclesias reverentiâ devotis & assuetis, scandali potiùs, quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumerò secutum est, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modò Juris, sed etiam litterarum penitus ignari & imperiti, dum quasi Potestates, & Ministri Curiæ secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo Jurisdictionem exercebant, facultatum & indultorum hujusmodi limites longè excesserint, eáque suo arbitratu in sensus minùs rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit, attentare præsumpserint, in grave Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, Locorum & Personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso
26. nobis à Domino Pastoralis Officij munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnémque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucidâ declaratione submovere, abusus tollere, &, ne Ecclesiastica Jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster, iisdem de causis matus, statuere decreverat, licèt, morte preventus, hoc adimplere nequiverit; itaque motu, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda eorum facinora, ultra id, quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congruâ moderatione adhibitâ, permittamus. Hâc itaque nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Eium V. quam alios quoscunque nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedémque Apostolicam, ejúsque Legatos, super abducendis vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & Secularibus, Locisve Sacris, aut Religiosis, aliisque in casibus Jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis debitoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex causis urgentissimis ac necessariis, & æquipollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, litterásque Apostolicas sub plumbo aut in forma Brevis, seu aliàs quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expressis, ac ad verbum inserris, sublatâ penitùs omni

omni differentiâ, ita ad unam tantùm formam reducimus, & moderamur; ut
27. Laicis ad Ecclesias, Locáque Sacra & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, publicásque strâas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earúmve Cœmiteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsusmet Principis rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis, tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia Loca supradicta Sacra seu Religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorúmque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & Officialibus Curiæ sæcularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.
28. Ne autem Curia sæcularis Ministri prædictâ facultate illos per se & propriâ auctoritate extrahendi & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributâ & per præsentes revocatâ abutantur, Volumus, dictáque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejúsque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locísque Sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus suprà dictis sine expressa licentiæ Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eô casu, quô ipse Episcopus, & dictæ Personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusârint, túncque Reverentiæ Ecclesiæ, & Locis Sacris debita memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent. Quódque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis locisque sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ, datâ illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognitô priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint: túnc-que demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum curiæ sæculari, quâcunque appellatione sepositâ consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad Forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia sæcularis se quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne 29.
contra Ecclesiasticas personas, sæculares, aut cujusvis Ordinis vel Militiæ, etiam

S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos Juris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illásve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Locísque Sacris aut Religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs quàm de Jure & per privilegia eisdem Ordinibus, aut Militiis concessa permittitur, quomodolibet præ-
30. sumant. Quòd si quis, quacunque dignitate & auctoritate prædictus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter, aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto Censuras & pœnas easdem incurrere, quæ contra Libertatis, Juris & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorúmque Prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ. Sícque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa & instantia judicari, & definiri debere; nec non irritum decernimus & inane, si secùs super his per quoscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V. quàm aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum Litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusve personis, etiam Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorúmve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliísque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus & urgentioribus causis, tam illorum motuitu & contemplatione, sive ad eorum preces & instantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa scientia, déque Apostolicæ Potestatis plenitudine, ac pro modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractûs, & Fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibuvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriarum derogatoriis, aliísque validissimis, & efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expressè, quòd illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter facta derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quàm superiùs expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superiùs descripta duntaxat reducimus, & nolumus, euiquam de cætero suffragari, & quâlibet aliâ dicta Sedis indulgentiâ generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentes litteræ &c.

Datum Romæ in monte Quirinali Anno Incarna-

Incarnationis Dominicæ mill. quingent. nonag. primô, nonô Calendas Junii, Pontificatûs nostri annô primô.

ARTICULUS III.

De Gregorianæ Constitutionis &c. Obligatione & Interpretatione.

SUMMARIUM.

31. *Constitutione Gregorii XIV. hodie standum,*
32. *Ex mente Doctorum, eâ posteriorum:*
33. *Eáque observanda est in provinciis omnibus:*
34. *Licet Romæ tantùm fuerit promulgata.*
35. *Eâ sublatæ etiam sunt Consuetudines, derogantes Immunitati,*
36. *Quin tamen illis vis contra hanc adempta sit in futurum:*
37. *Dummodo alicubi introductæ probentur.*
38. *Canones Immunitatis dubios interpretatur Lex:*
39. *Clari tamen præ ista in Romanæ Ecclesiæ,*
40. *Et Imperii etiam terris observantur.*
41. *Juris Asyli interpretationem strictam:*
42. *Et huic latam præferentium Opinio:*
43. *Quæ consentanea est Juri utrique,*
44. *Et meliori nititur ratione.*

31. RElatæ Constitutionis dispositione, tanquam Asyli Jure novissimo, hodie in utroque foro standum, *arg. c. 1. de Constitut. in 6. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* communis sensus est DD. ejus editione posteriorum fere omnium, qui cum Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3.* Jordano Lucubrat. *Lib. 11. tit. 3.* Bonacina *disp. 3. de I. Decalogi præcepto q. 7.* Palao *Tract. 11. disp. unica à p. 5.* Diana *p. 1. & 6. tract. 1. utrobique toto,* Delbene *de Immunit. cap. 16.* Zypæo *in Analysi Consult. & Respons. Canonic. ad hanc Rubr.* Fagnan. *in c. Inter alia 6. Rubr. cit.* Haunoldo *Tom. 6. de I. & I. tract. 1. à n. 139.* Sperello *Decis. 22. 23. 50. 101. 185. &c.* & Pignatello *Tom. 1. Consult. 175. n. 7. Tom. 2. Consult. 37. à n. 5. Tom. 9. Consult. 17. à n. 18. Consult. 18. à n. 1. &c.* suas de Locali Ecclesiarum Immunitate lucubrationes & doctrinam relatæ Constitutioni conformare studuerunt, manifestô indicio, istam pro Jure communi Ecclesiastico ab omnibus haberi. 32.

Quare in propositâ Immunitatis materia ea præcipuè habenda præ oculis, & in occurrentibus casibus præ aliis consulendi sunt DD. illius editione posteriores: quíque Commentarios suos novissimo ejus Juri & uniformi Regulæ conformare studuerunt. Quod exemplô suô posteritati luculenter testatus est Prosper Farinacius, famigeratus ille Urbis quondam, nunc Orbis totius ICTus, dum, quæ *Praxis suæ Criminal. q. 18.* indefessâ industriâ & accuratione maximâ antiqui Juris Regulis conformavit; ne, à Justitiæ semita recessisse ipse, & alios abducere voluisse, videri posset, operosiùs accuratiúsque cõegit *in Appendicem de Immunitate*, Practicæ suæ Operi adjectam: quâ Sacrorum & Religiosorum locorum Immunitatem secundùm normam Constitutionis Gregorianæ ad publicam utilitatem felicissimè explicavit.

Non desunt tamen, qui hanc Gregorii XIV. Constitutionem non in omnibus provinciis locum habere existiment. 33.

In quem

In quem sensum abducuntur tergeminâ ratione.

Prima est; quod ad ea duntaxat loca se extendat, in quibus aliqua indulta, privilegia & gratiæ, Immunitati derogantia priùs à Sixto V. & Pio etiam V. concessa viguerunt, ut contendit Guttierez *Practic. Civil. Lib. 3. q. 1. n. 36.* & colligi videtur ex eo; quòd Gregorius Papa solùm intenderit occurrere incommodis, ortis ex varietate & usu facultatum & indultorum à memoratis Prædecessoribus concessorum, ut dictæ Constitutionis initiô insinuatur.

Verùm hæc ejus interpretatio non solùm contraria est communi sensui DD. qui post dictam Constitutionem scripserunt: sed falsitatis apertè convincitur ex ipso ejus tenore, quô laudatus Papa diserte profitetur, se absurdis & scandalis, quæ oriebantur ex diversitate & differentiis Curiarum ac tribunalium circa Immunitatem obviare, & differentias hujusmodi ad uniformem Regulam reducere: & postea subdit, se circa Immunitatem *Ad terrorem delinquentium & cöercenda eorum facinora aliquid permittere ultra id, quod prisca illa majorum disciplina & vetus SS. Canonum norma præscripserat.* Unde colligitur, ejus mentem fuisse, circa reos aliquid permittere ultra sacros Canones, quorum statuta omnes obligant, *c. 1. de Constitut.* & præscribere Regulam uniformem ab omnibus observandam, Farinac. *cit. Appendic. cap. 2. n. 8.* & Palao *cit. p. 5. n. 1.*

34. Altera; quòd leges, tam Ecclesiasticæ quàm Civiles, non obligent: nisi fuerint promulgatæ, §. *Leges* post *can. Insistis 3. dist. 4. & l. Leges 9. C. de LL.* Constitutio autem Gregoriana non ubique, & fortassis in sola Italia & Romæ tantùm fuerit promulgata. Sed etiam hæc ratio vim non habet; quia Constitutiones Apostolicæ per se obligant, postquam in Curia Romana publicatæ, & in acie campi Floræ atque ad valuas Basilicæ BB. Apostolicorum sunt affixæ, & pro publicatis habentur in Cancellaria; ut pluribus explicatum est *Lib. 1. Tit. 2. à n. 68.*

Tertia; quòd dictæ Constitutioni & aliis juribus, sacram Asyliam spectantibus, derogatum sit Consuetudine, qui Ecclesiis competens Asyli Jus alicubi sublatum, *cit.* Tholos. *cap. 22. n. 3.* & id passim restrictum, Clarus §. *fin. q. 30. n. 3.* testes sunt. Sed non majores omni justâ exceptione; cùm enim illius Constitutionis ignarum utrumque fuisse, tempus, quô vixêre, & posteritati relicta Monumenta satis prodant, de contraria illi consuetudine testimonium perhibere neuter potuit.

Quin, dictæ Constitutioni Con- 35
suetudine derogari posse, negant Speculus *Decis. 105. n. 45.* Guttierez *Practic. Civil. Lib. 1. q. 1. n. 12.* & plures alii, tâ persuasi ratione; quòd ipsô illius tenore, sicut privilegia, indulta & gratiæ, sic etiam Consuetudines Immunitati derogantes sublatæ videantur; cùm *Sublatâ penitus omni differentiâ* omnia Jura *ad unam tantùm formam*, ab omnibus ad unguem observandam *reducantur.* Ubi ponderandum est verbum *Sublatâ*, quô omnis alia forma, sicut privilegiis & indultis, sic etiam locorum praxi & Consuetudine introducta excluditur. Idem cum DD. *citt.* Diana *p. 1. tract. & resol. 1. n. 5.* desumit imprimis ex verbis, *Quod si quis quacunque dignitate & auctoritate præditus præmissorum*, hoc est privilegiorum, indultorum & gratiarum, *& quovis alio*, etiam Consuetudinis, *prætextu quidpiam præter aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare pre-*

re præsumpserit. Dein ex §. *Quare pro commisso* verbis, *Omnem dubitationem submovere, abusus tollere, &c.* decrevimus.

36. Verùm, etsi hinc, sicut privilegia &c. sic etiam Consuetudines eô tempore existentes omnes sublatas, rectè desumant: probabiliùs tamen immunitatem in posterum non solùm privilegiis & indultis: sed Consuetudine quoque, sicut augeri, sic etiam diminui, ac restringi posse, docent Laiman. *Lib. 4. Tract. 9. cap. 30. n. 2.* Guazzinus *Defens. Reor. 1. cap. 34. n. 1.* & Barbosa *cap. 3. cit. n. 82.* ubi, in præsenti materia Consuetudinis vim magnam esse, ait. Quod etiam patet ex usu, quô reos olim hodiéque, prælatis Ecclesiarum non contradicentibus, ad carceres abstrahi, licet quadraginta aut triginta passibus non distent, contra textus aut saltem communem intellectum *can. Sicut antiquitus 6. can. Quisquis 21. & can. Definivit. 17. q. 4.* & alicubi simplices etiam fures Immunitate non gaudere, contra Constitutionem Gregorianam cum *cit.* Barbosa testis est Palao *cit. p. 5. n. 5.* Ratio est; quòd Constitutioni illi derogari valeat per legem: &, Canonicis sanctionibus Immunitatem statuentibus à se derogatũ, fateatur ipsemet Gregorius, dum *Aliquid*, inquit, *permittimus ultra id, quod à prisca illa Majorum disciplina & à SS. Canonibus est præscriptum.* Cur non etiam Consuetudine? cui legis vis adstruitur, *l. Diuturna 33. ff. de LL.* cùm tanquam corruptela non reprobetur: & circumstantiarum loci, temporis &c. mutatio, quæ legem, etiam Consuetudinem rationabilem & communitati utilem reddere possit.

Neque obstant, quæ Consuetudini Asyli juri deroganti opponit Ranbeck *Panopliæ Immunit. disp. 4. cap. 3. n. 6.* se præcipuè fundans in Concilio Tridentino, cujus PP. dum *SS. Canones, Concilia generalia omnia & alias sanctiones Apostolicas, in favorem Ecclesiasticarum personarum & libertatis Ecclesiasticæ contra ejus violatores editas, exactè* observari præcipiunt *Sess. 25. cap. 20. de Reformat.* Consuetudines illis contrarias videntur annullare: & in authoritate Urbani Papæ VIII. annullantis, reprobantísque & nullas ac reprobas semper fuisse declarantis omnes Consuetudines, contra immunitatem Ecclesiasticam militantes, *Constitutione*, quæ incipit *Romanus Pontifex, edita 5. Junij 1641.* Hoc enim ejus fundamentum solidum non est; cùm neque allegatum decretum Synodale, juxta dicta *n. 22.* neque memorati Papæ Constitutio de Immunitate Locali, ejúsque per reorum ad Ecclesias & Monasteria confugientium extractionem violatione agat: sed de Personali solùm & Reali, Ecclesiasticas personas earúmque & Ecclesiarum res, bona & jura respiciente, ut utriusque textum expendenti planiùs constabit.

Rectè tamen hôc locô Delbene *cap. 16. cit. dub. 7. n. 4.* notat, Consuetudinem post & contra Constitutionem Gregorianam in dubio non præsumi introductam; cùm sit quid facti ratione introductionis: factum autem regulariter non præsumatur, nisi demonstretur aut probetur *l. 1. C. de Probat. & c. Cùm in Jure 31. de Offic. deleg.* Parisius *vol. 1. Consil. & n. 14. & vol. 4. Consil. & n. 14.* 37.

Dubium est de Gregorianæ Constitutionis & aliorum Jurium sacram Asyliam spectantiũ interpretatione. Quam, cùm illis proditum Ecclesiæ Jus clarum non est, ex Imperialis legibus desumendam, satis convenit inter DD. quòd sacrorum & Religiosorum locorum immunitas Imperiali etiam Jure constituta sit sub *Rubrica C. de His, qui confugiunt ad* 38.

Eccles. & leges, quibus ea constituta est, sanctionibus Ecclesiasticis disertè approbatis *constituimus 36.* ibi, *Quod Ecclesiastici Canones decreverunt & lex Romana constituit 17. q. 4. & c. Inter alia 6.* ibi, *Juxta sacrorum Canonum statuta & traditiones legum Civilium, hâc Rubr.*

39. Casu, quô hujusmodi leges à sacris Canonibus divertunt, hos in locis dominio Ecclesiæ temporali subjectis: illas verò in terris Imperii & Seculari saltem foro observandas, rati sunt Angelus *de Maleficiis V. Quod fama, n. 59.* & Alciatus *de Præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 33. n. 5.*

40. At meliùs, sanctionibus Ecclesiasticis ubique, & in utroque foro standum, & occurrentes controversias secundùm eas decidendas, defendunt melioris notæ DD. plerique cum Alberico *in Rubr. C. cit.* Alexandro *Lib. 7. Constitut. 45. n. 2.* Boerio *decis. 109. n. 3. in fine* & Farinacio *Appendic. cap. 2. n. 28.* Ratio perspicua est; quòd dicta Constitutio & aliæ sanctiones Canonicæ localem immunitatem spectantes sint jus concernens honorem Dei & venerationem Ecclesiarum: cujus Constitutio Ecclesiasticæ potiùs est potestatis quàm Secularis, *arg. c. Quæ in Ecclesiarum 7. & c. Ecclesia 10. de Constitut.* imò leges Civiles, Ecclesias earúmque & personarum Ecclesiasticarum immunitatem spectantes, vim potissimùm habeant, quatenus Ecclesiis sunt favorabiles & à sacris Canonibus non discordant, per ea, quæ à DD. *in cc. citt.* & tradita sunt Differt. Procem. *n. 155. & 156.*

41. Qualis autem interpretatio abhibenda sit casu, quô dubitatur, an reus gaudeat Asylô, minùs convenit inter DD. Et Covarruvias quidem *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 4.* Decianus *Tractat. Criminal. Lib. 6. cap. 25. n. 14.* & novissimè Card. de Luca *Theatri V. & l. de Immunitate disc. 2. n. 6. & disc. 10. num. 10.* præferunt strictam: cujus suæ Opinionis rationem reddunt Primò ipsam frequentiam & vicinitatem Ecclesiarum & domorum Regularium in Civitatibus ac locis frequentatis, facinorosos homines oblatâ tutelâ facilè animantium ad delinquendum. Secundò, intentionem legislatoris, ad sacra & Religiosa loca confugientibus concedentium immunitatem: quorum mens utique non fuit, indulgere hominibus truculentis ac sceleratis; sed iis duntaxat securitatem præstare, qui humanâ fragilitate aut casu aliquo crimen committunt. Tertiò, quòd in concursu boni publici ac privati præferendum illud; ac proinde in dubio locorum illorum immunitas, quod publici boni ratio exigit, restringenda potiùs sit, quàm ob deinquentium favorem privatum extendenda. His tamen non obstantibus

Sicut in cæterorum, sic etiam in 42
Jurium Immunitatem spectantium expositione à verborum propria & communi usu recepta significatione non facilè recedendum: in dubio autem Sacris & Religiosis locis ad eáque fugâ se recipientibus favorabili ac benignæ interpretationi locum esse, Marii Itali *Lib. 1. de Immunit. cap. 2. n. 21.* Barbosæ *Jur. Eccles. Lib. 3. cap. 3. n. 90.* Deciani hac in re sibi non constantis, *Lib. 3. Consil. 80. à n. 19.* & aliorum præcipui nominis DD. frequentiori calculô approbata, Jurisque & rationi magis consentanea doctrina est.

Juri quidem partim; quia, licet in 43
odiosis Ecclesiæ nomine ex communi DD. sensu apud Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 15. à n. 2.* interius duntaxat ejus corpus sive spatium, muris lateralibus, pavimento & fornice seu tabulato, pariete, qui post aram summam est, & huic opposito

posito concluſum, veniat: in materia tamen Immunitatis, tanquam ipſi loco & confugis favorabili, Eccleſiæ nomen accipiendum eſt latè; ut confugas fabrica etiam exterior, eique conjunctæ domus, horti, atria, porticus interioris templi vice tueantur, per expreſſos textus *can. Si quis contumax 16. can. Id conſtituimus 29. &c. 17. q. 4. & l. Pateant 3. C. de His, qui confug. ad Eccleſ.* Imò, ſeclusâ Conſuetudine, illi extra hæc loca ad triginta vel quadraginta paſſuum ſpatium per circuitum progredi, neque inde abſtrahi valeant, ſecundùm communem multorum intellectum *can. Sicut 5. & can. Definivit 28. q. 4. cit.* partim; quia ex antiqui Juris Regula ad Eccleſias profugi earum Immunitate generaliter defendebantur omnes: caſus autem, quibus iſtâ non gaudent, à Regula illa ſunt exceptiones: quæ minùs favorabiles ſunt, quàm ipſa Regula; ut in dubio iſti inhærendum, pro eâque pronuntiandum ſit; cùm, qui Regulam pro ſe habet, intentionem habeat fundatam & probandi onus transferat in adverſarium, qui ſtat pro exceptione: &, ſi iſta plenè non probetur, vincat per ea, quæ *arg. c. fin. de Reſtitut. ſpoliat. in 6. l. Ab ea parte 5. ff. de Probat. & l. Illud 9. C. de SS. Eccleſ.* tradunt Felinus *in c. Quoniam 5. Ut lite non conteſt. n. 4.* Jaſon. *in l. Cætera 40. ff. de Legat. 1. n. 4.* Tuſchus *Practic. V. Regula, concluſ. 92. à n. 1.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 12. n. 2.* & Menoch. *Recuperand. remed. 14. n. 32.*

44. Rationi verò; quia Immunitatis cauſa eſt pia & favorabilis; cùm à Romanis tam Impp. quàm ſummis PP. Eccleſiis conceſſa ſit non tam intuitu criminoſorum ad eas fugientium, quàm ipſius loci, Divini Numinis Majeſtati conſecrati, Religionisque & Fidei Chriſtianæ, *l. Præſenti 6.* ibi, *Ipſis ſervatâ locis reverentiâ, C. de His, qui confug. ad Eccleſ. can. Reum 8.* ibi, *Ut honor Eccleſiarum conſervetur, q. 4. cit.* ideóque ejus per confugæ extractionem violatio non tam perſonæ extractæ, quàm *Sancti loci & Religionis injuria Divinitatisque offenſa* nuncupetur à S. Auguſtino *Serm. 5. de Dedicat. can. Frater 9. can. Si quis 16. &c. q. 4. cit.* Jurium autem cauſas pias & favorabiles, præſertim honorem Dei, iſtius cultui dicatorum locorum reverentiam, Religionis Chriſtianæ æſtimationem immediatè concernentes, ſpectantium interpretationem latam ſtrictæ præferendam, Orthodoxorum nemo eſt, qui inficias eat; cùm honor Dei, Eccleſiarum reverentia, æſtimatióque Fidei Chriſtianæ favor publicus, *l. fin. Qui fil. legit.* præcipuéque attendendus ſit, *c. fin. de Converſ. infid.* & *Summa ratio ſit, quæ facit pro Religione, l. Sunt perſonæ 43. ff. de Relig. & ſumpt. fun.*

Confirmatur hæc ratio; quia Eccleſiaſtica Immunitas eſt ſpecialis favor & beneficium ſummi Principis Reipublicæ utriusque, atque inſuper conceſſa per modum legis, inſertáque Corpori Juris communis: cujusmodi favores, beneficia & privilegia latam interpretationem recipere, ex *c. Quia 22. de Privileg. c. Olim 16. de V. S. & l. Beneficium 3. ff. de Conſtitut. Princip.* deſumunt Sylveſter *V. Privilegium q. 3.* Suarez *Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 3.* & Salas *de LL. diſp. 17. ſ. 6. n. 44.* Unde, quæ pro immunitatis reſtrictione allata ſunt, planè corruunt.

Primum; quia, cùm Eccleſiarum & domorum Regularium frequentia & vicinia non faciat, ut ipſis, &, cujus cultui dicata ſunt, Divino Numini minùs reverentiæ & honoris debeatur, conceſ-

sam ipsis sacram Asyliam & hanc concernentia Jura non minuet aut restringet.

Alterum ; quia ex legislatorum mente Asylia ista non eos tantùm, qui casu, sed eos etiam, qui culpâ dolóve deliquissent, aliquando defendi, planum reddunt Jura, quibus ea est constituta.

Postremum; quia, ut jam dictum, Immunitas non tam privatus delinquentium, quàm Ecclesiarum & Religionis Christianæ publicus est favor, per *cann. & l. citt.* cùm ex ea proveniens Divinitatis cultus, reverentia Ecclesiarum & Christianæ Religionis æstimatio publicè plus prosit, quàm obesse queat, pœnæ criminis Ordinariæ (quod conjugum, liberorum, hospitum, familiarium gratiæ, aut cognatorum supplicantium precibus non rarò tribuitur) aliquando subtrahi nocentem.

ARTICULUS IV.

De Locis sacrâ Asyliâ gaudentibus.

SUMMARIUM.

45. *Immunitate gaudent loca Sacra & Religiosa, ut sunt*
46. *I. Ecclesiæ consecratæ:*
47. *Imò necdum consecratæ,*
48. *Et necdum perfectè constructæ.*
49. *II. Monasteria & domus Regularium:*
50. *Ecclesiæ &c. nomen, cùm de Pollutione &c. strictè,*
51. *Cum de Immunitate agitur, latè sumendum est;*
52. *Ut totum ejus ædificium seu fabricam:*
53. *Portam, scalam & tectum,*
54. *Hortos, areas, domos familiarium &c. comprehendat.*
55. *Asyli jure non gaudent Monasteriorum domus separatæ,*
56. *Nec templi sive parietis pars exterior.*
57. *Eò tamen gaudet Ecclesia interdicta.*
58. *Et diruta, si spes sit readificationis.*
59. *III. Cœmiteria contigua Ecclesiis,*
60. *Et ab his etiam separata.*
61. *IV. Oratoria, publicâ & Episcopali:*
62. *Non privatâ authoritate constructa.*
63. *V. Hospitalia eâdem Episcopi authoritate erecta.*
64. *VI. Venerabile Sacramentum Eucharistiæ.*
65. *Non tamen, postquam sumpta est à Fideli.*
66. *Immunitate non gaudet Oleum sacrum.*
67. *VII. Secundùm aliquos eâ gaudet Ara Portatilis.*
68. *Verùs Immunitatis privilegium ei;*
69. *VIII. & S. Cruci extra Ecclesiam erectæ denegatur.*
70. *IX. Immunitate gaudet Palatium Episcopi,*
71. *Etiam ab Ecclesia separatum.*
72. *X. Eandem aliqui Cardinalium palatiis,*
73. *XI. Et rubro Galero adstruunt.*
74. *XII. Uti & statuis ac palatiis Regum &c.*

REgula generalis est, Asyli jure gaudere quævis loca Sacra & Religiosa, sive ædes ad cultum Dei & SS. Veneration[em], ad Missæ sacrificia aliique officia Divina per Consecrationem: & Religiosa ad eundem cultum veneration[em]que, ad Pietatis & Misericordiæ opera exer-

cenda

cenda Episcopali aliáve Ecclesiasticâ authoritate deputata, ut colligitur ex constitutione Gregorii XIV. reorum ad ea confugientium extractionem violentam Jure vetitam, tertiò exprimentis. Cujus Regulæ vigore Asyli jus competit

48. Primò omnibus Ecclesiis & Sacellis, solenni Missæ celebratione aliisque ritibus Ecclesiasticis ad publicam Sacrificii celebrationem & Sacramentorum usum atque administrationem ab Episcopo Deo consecratis: imò etiam nondum consecratis, in quibus Divina mysteria sunt celebrata, *c. Ecclesiæ 9.* quò textu Gregorius IX. Episcopo Astoriensi rescribens, *Ecclesia*, inquit, *in qua Divina mysteria celebrantur, licet nondum extiterit consecrata, nullo Jure privilegium immunitatis adimitur; quia obsequiis divinis dedicata nullius est temerariis ausibus prophananda.* Ubi

Dubium est, an Ecclesia non consecrata immunitate gaudeat, si in ea divina mysteria celebrata nondum sint. Quod cum Glossa *in c. cit. V. Celebrantur*, negant *in c. cit.* Ant. de Butrio *n. 3.* & Decianus *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 24. n. 24. arg.* à contrario ductô ex verbis, *In qua divina mysteria celebrantur:* quibus accedit mandatum Clementis IV. effractores capellæ nondum consecratæ perinde, ac si consecrata fuisset, excommunicatos denuntiari præcipientis; quòd in illa jam celebrata sint Divina, ut refert Hostiens. *in c. & V. celebrantur cit.* Unde eôdem argumentô à contrario infertur, Immunitatis & similibus privilegiis Ecclesias non gaudere, si in ipsis Divina mysteria nondum celebrentur.

Imò, teste Covarruvia, *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 4.* & Tuscho *Practic. V. Ecclesia, concl. 9. n. 19.* non desunt, qui Asyli jus non concedant, & plurium locorum praxi concedi negent, si in ea SS. Eucharistiæ Sacramentum non asservetur.

Sed, quidquid sit de hac praxi, de qua alicubi existente, aut saltem post Constitutionem Gregorii XIV. vigente, alii nihil sciunt, spectatô Jure, verius est, Ecclesiam, postquam divinis est deputata, hôc privilegiô gaudere; etiamsi in ea actu non celebrentur divina, neque SS. Eucharistia asservetur, ut cum eodem Hostiense *c. cit. pr.* & Covarruvia *cit. n. 4.* & aliis, consuetudinem pro se etiam allegantibus, tradunt Farinac. *Append. cap. 17. n. 254. & n. 258.* Fagnan. *in c. Ecclesiæ cit. n. 9.* & Del bene *de Immunit. cap. 16. dub. 9. n. 7.* Ratio est; quia causa illis concessæ Immunitatis non est continua Sacramentalis præsentia SS. Corporis & sanguinis Christi, vel Divinorum mysteriorum celebratio actualis: sed; quia Authoritate Episcopi, primum lapidem ibi ponentis & defigentis Crucem, constructa vel saltem construi cæpta, atque divinis obsequiis dedicata, sive ad ea destinata est, ut patet ex textu *c. Ecclesiæ cit. & arg. c. Ad hæc 4. de Relig. domib.* ubi hospitale solâ Episcopi destinatione ad pios usus dicitur effici locus Religiosus. Confirmatur; quia talis Ecclesia casu, quô polluitur, indiget reconciliatione, *c. fin. de Eccles. consec.* Unde, eam locum sacrum esse & sacri loci privilegiis gaudere, cum Glossa *in c. cit. V. Consecrata* infert Haunold. *Tom. 6. tract. 1. n. 146.*

47. Neque vis est argumenti ab & in contrarium desumpti ex verbis, *In qua Divina mysteria celebrantur*; quia exaudienda non sunt de celebratione actuali: sed, quòd in ea celebrari possint, sive Ecclesia apta sit ad celebrationem ob jam factam ab Episcopo deputationem: quam potiùs, quàm actualem celebrationem spectandam, constat ex dictis & *in c. Ecclesia cit.* notant Hostiens. *V. Celebrantur* Panormit. *n. 5.* & Fagnanus *n. 8.* Unde

48. Infertur, Immunitate gaudere Ecclesiam, etsi nondum perfectè sit constructa; quia, ex quo ab Episcopo primus lapis positus, & locô Altaris atque atriô designatô defixa Crux est, jam evasit locus divinis obsequiis dicatus, & ad prophanos usus redire non debet, *arg. can. Nulli liceat 12. q. 2. & Adhæc cit.* Panormit. *in c. Ecclesiæ cit. n. 5.* & Farinac. *Append. cap. 17. n. 261.*

49. Secundò, Asyli jus competit Monasteriis, Conventibus, & Collegiis Regularium, ut patet ex Constitutione Gregoriana ibi, *Super abducendis vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus Regularibus & Secularibus &c.* cùm sint loca Divinis obsequiis deputata: propter quam potissimùm causam Ecclesiis nondum consecratis immunitas adstruitur *c. Ecclesiæ cit.* Ubi

50. Dubium est de acceptione nominum *Ecclesiæ & Monasterij*; hujus enim & illius nomina aliqui accipienda existimant strictè; ut solùm corpus ejus interius, sive spatium inter laterales parietes à pavimento usque ad fornicem vel tabulatum: & ab eo, qui est post aram summam usque ad parietem huic oppositum, includat. Ratio esse potest; quòd Ecclesiæ nomen ita accipiatur, quando agitur de ejus violatione, ut dictum *Tit. 40. n. 43.*

51. Sed, cùm agitur de immunitate, Ecclesiæ (& Monasterii) nomen accipiendum latè, prout non solùm ejus corpus & spatium sive ambitum templi interiorem, sed totam ejus fabricam eique exteriùs conjuncta & ad id spectantia ædificia omnia complectitur, clarè expressum est Jure utroque: Civili quidem *l. 3. C. de His, qui confug. ad Eccles.* quâ relati Impp. Theodos. & Valentin. rescripti tenor est, *Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria & Oratorium &c. Sed quidquid fuerit interiacens sive in cellulis sive in domibus, hortulis, balneis, aulis atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur &c.* Imperiali Rescripto consonat Decretum Clotarii ad Legem Salicam *l. 13. Nullus latronem vel quemlibet culpabilem de atrio Ecclesiæ extrahere præsumat.* Canonicô verò *can. Id constituimus, 17. q. 4.* ibi, *Ab Ecclesiæ atriis &c. eos abstrahere non liceat*, & *can. Si quis contumax 20. q. cit.* ibi, *Si quis fugientem de atrio Ecclesiæ vel de porticibus quôlibet modô adhærentibus per vim abstraxerit.* Ratio est; quòd ea, quæ Religiosis adhærent, Religiosa reputentur, *l. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* denominatione à principali ad accessoria extensâ, *arg. Reg. Accessorium 41. in 6.* Tuschus *V. Ecclesia cit. conclus. 9. n. 3. & 7.* & Ambrosinus *de Immunit. cap. 10. n. 6.*

Neque in contrarium urget ratio pro strictâ Ecclesiæ acceptione allegata, quia, ut *cit. Tit. 40. n. 43.* monui, *Ecclesiæ* nomen aliter, cùm de ejus violatione sive pollutione: & aliter, cùm de privilegio Asyli loquimur, est accipiendum; cùm enim illa quasi pœnalis & odiosa: hoc autem gratiosum & favorabile sit, Ecclesiæ nomen cùm de pollutione strictè; latè verò accipiendum est, cùm agitur de privilegio Asyli; ut posteriori hoc casu omnia ei annexa & adhærentia complectatur, ut rectè advertunt Sperellus *Decis. 63. n. 10.* Delbene *cit. cap. 16. dub. 9. s. 4. n. 6.* Ex hactenus dictis

Infertur primò, Immunitate gaudere §. reum non solùm, si in ipsum templum, sed etiam, si se recipiat in sacristiam, turrim, atrium, porticus vel ambitus; quia hæc omnia pertinent ad Ecclesiæ fabricam eique sunt annexa; ut locus sit Regulæ *l. Pateant cit. & can. Si quis contumax cit.* Farinac. *cap. 17. cit. n. 268.* & Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3. à n. 64.*

Infertur secundò, eâdem gaudere §. reum

reum confugientem ad Ecclesiæ scalas vel portam, licet clausam; quia sunt aliquid Ecclesiæ adhærens, ad eámque spectans: & multò magis evadentem supra ejus tectum; quia hoc est illius pars; ædes enim secundùm Leges ex duabus saltem rebus, solò & superficie, *l. Eum qui 23. pr. ff. de Usucap.* vel secundùm Dialecticos ex tribus, fundamentò, pariete & tectò constat; ut tectum aliò, quàm Ecclesia Jure non debeat censeri, Glossa *in l. cit.* & Sperell. *Decis. cit.*

54. Infertur tertiò, eâdem gaudere non solùm conventus sive domos & cellas ipsorum Religiosorum: sed etiam hortos, areas & domos familiarium, stabula animalium & quæcunque intra Monasteriorum sepia continentur, Rodriquez *Tom. 2. QQ. Regular. q. 75. art. 2.* Portell & Lezana *V. Immunitas, n. 3.* Atque hæc Asyli amplitudo & commoditas procul dubio causa præcipua est, cur rei frequentiùs ad Monasteria, quàm ad Ecclesias aliáve loca privilegiata confugere videantur.

55. Idem *cit.* Rodriquez affirmat de domibus, quas Religiosi ab Ecclesiis & Conventibus suis separatas in villis (vel urbibus) recreationis vel alterius honesti usûs causâ habent. Sed minùs verisimiliter; quia immunitas non quibuscunque Regularium, sed Regularibus tantùm domibus, sive destinatis ad Regularium habitationem sub Regula & clausura concessa est, Barbosa *cit. cap. 3. n. 77.* & Lezana *V. cit. n. 3. ad finem.*

56. Inferunt quartò Riccius *in Praxi tom. 3. resol. 560. n. 8.* & Novar. *in Summa Bullar. de Immunit. n. 16.* eâdem gaudere reum, amplectentem vel tangentem partem templi exteriorem. Neque id solùm; quòd talis adhæreat Ecclesiæ ac proinde locus sit *arg. l. 1. ff. de R. V. & c. Si super 9. de Offic. deleg. in 6.* sed etiam multóque magis, quod id, de quo agimus, Ecclesiarum privilegium ad confinia, hoc est, à majori seu Cathedrali quadraginta, à capellis & Ecclesiis inferioribus triginta passibus per circuitum extendatur, *can. Sicut antiquitus 6. & can. Definiit 17. q. 4.* saltem si spatium in eòque intra dictos passus contenta ad Ecclesiam, & non ad extraneos spectent, Albericus *in l. Fideli 2. C. de His, qui confug. ad Eccles.* & Marius Italus *de Immunit. Lib. 1. cap. 4. §. 2.* &, si Ecclesia sita sit extra muros oppidi vel civitatis, ut notat Glossa *in can. Sicut cit.* Verùm ex *cann. citt.* id clarè non infertur, sive eorum textus sive usus spectetur; quia imprimis textus quadraginta passus concedere videntur tantùm reo progredienti ex Ecclesia, quâ jam fuit receptus, ut probè advertit Haunoldus *Tract. 1. cit. n. 152.* id desumens ex verbis, *Sit licitum in triginta passus ab Ecclesiæ januis progredi, can. Definivit cit.* cui consonat Concilium Toletanum XII. *can. 10.* ita statuens, *His ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum in triginta passibus ab Ecclesiæ januis progredi, in quibus triginta passibus cujuscunque Ecclesiæ in toto circuitu defendatur.* Deinde hæc Immunitatis Ecclesiæ competentis ad 30. vel 40. passus extensio contrariâ consuetudine passim sublata est, teste Claro *§. fin. q. 30. n. 2.* & Covarruvia *Lib. 2. var. cap. 20. n. 5.*

Eâdem Consuetudine interprete ad Ecclesiam confugisse, in eáve aut loco ei annexo vel adhærente existere non videtur, qui exteriorem ejus parietem tantùm attingit vel amplectitur contrà, quàm dicendum esset de evadente in Ecclesiæ murum vel in hoc consistente; sicut dictum est de reo, ad illius januam vel scalas confugiente. Contrarium tamen sicut valde pium, sic in praxi observandum, censet Delbene *cit. cap. 16.*

Dubium secundò est, an immunitate 57. etiam

etiam gaudeat Ecclesia interdicta. Ratio dubitandi est; quòd tempore Interdicti in ea celebrari nequeant divina, *c. Non est 11. de Sponsal. & matr.* & fideles sepeliri, *c. Quod in te 11. de Pœnit. & remiss.* Sed statuendum est, Immunitatem ab Ecclesia Interdicti tempore non amitti: sicut Fori & Canonis privilegia à Clericis interdictis, suspensis & excommunicatis non amittuntur, Panormit. *in c. Ecclesia cit. n. 8.* & Fagnan. *n. 12.* Ratio est; quia Ecclesia, uti & Deus, in cujus honorem immunitas concessa est, non deliquit; atque idcirco neque illa privilegiò sibi concessò, neque iste sibi debito honore est privandus.

58. Idem DD. ferè sentiunt de Ecclesia diruta; quia saltem ratione soli, in quo constructa fuit, non desinit esse locus sacer, *l. Æde sacra 73. ff. de Contrah. empt. & l. In tantum 6. §. 3. ff. de Divis. Rer.* Nisi diruta aut destructa esset authoritate superioris & sine spe reædificationis; tunc enim, sicut sacer & Religiosus locus esse desineret, sic etiam amitteret privilegium Immunitatis, Clarus §. *fin. q. 30. n. 6.* Barbosa *in c. Ecclesia cit. n. 5. & ibi* Fagnanus *n. 14.*

59. Tertiò, Asyli jus Cæmiteriis competere, patet ex *Rubrica & c. fin.* quod jam pridem statuerat Innocentius II. Synodi Romanæ *can. 14.* cujus tenor est, *Sancimus; ut in eos, qui ad Ecclesiam vel cæmiterium confugiunt, nullus manum mittere audeat: quod si fecerit, Anathema sit.* Et quidem, si cæmiterium Ecclesiæ contiguum sit, id ex supra dictis est indubitatum.

60. Casu autem, quò ab illa separatum est, aliqui apud Decianum *Tract. Crim. Lib. 6. cap. 28. n. 28.* hoc privilegium ei negant: nisi aliunde constet de consecratione vel deputatione ejus ad fidelium sepulturam, authoritate Episcopi facta, *arg. can. Solennitates 15. dist. 1. de Consec.* Rationem reddunt; quòd privilegium immunitatis concessum sit locis sacris & Religiosis: Sacer autem & Religiosus locus non fiat sine consecratione vel deputatione Episcopali, Glossa *in can. Ecclesiastica, 13. q. 2.* ubi *Terra*, inquit, *sit Sacra aut Religiosa authoritate Pontificis; non ex eo; quòd mortuus inferatur.* Cùm ergo consecratio & deputatio illa sit quid facti, quòd in dubio non præsumitur, *arg. c. Cùm in jure 31. de Offic. deleg. & l. 1. C. de Probat.* cæmiterium ab Ecclesia separatum Asyli Jure non gaudebit: nisi de Consecratione vel deputatione Episcopali constet.

61. Quartò Asyli jure gaudent Oratoria quæcunque authoritate Episcopali erecta & cultui divino perpetuò destinata; quia loca Sacra sunt vel Religiosa, *arg. c. Adhæc 4. de Relig. domib.* & super eorum subjectione visitationéque Episcopus Jure communi fundatam habet intentionem ac præsumptionem, *can. Omnes Basilicæ 18. q. 7. c. Constitutus 6. de Relig. domib. & c. 1. §. Liceat, de Censibus in 6.*

62. Aliud de Jure obtinet in Oratoriis non publicâ Episcopi, sed privatâ authoritate erectis, ut sunt multæ capellæ in ædibus privatorum, & aliquando Oratoria Confraternitatum; talia enim, licet in ipsis de licentia Episcopi in altari mobili sive, ut vocant, Portatili Missæ celebrari possint, Asyli jus non habere, cum Innocentio *in c. Inter 8. de Donationib. n. 2.* & Sylvestro *V. Immunitas 3. n. 1.* & aliis defendunt Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 3. cap. 9. n. 10.* Barbosa *cap. 3. tit. n. 67.* Del bene *cap. 16. cit. dub. 9. s. 12. n. 2.* & Pignatellus *Tom. 1. Consult. 92. n. 2.* pro se allegantes declarationes S. Congreg. Episc. & Regul. *in una Marsicen. 17. Novembr. 1617.* & S. Congreg. Immunit. *in una Perusina 9. Novemb. 1631.*

Ratio

Ratio est; quod immunitas indulta solummodo sit locis Sacris & Religiosis, *c. Ecclesiæ 9. c. fin. & Constitutione Gregoriana*, hisque conjunctis & adhærentibus, *can. Si quis contumax 20. can. Id constituimus 17. q. 4. & l. Pateant 3. C. de His, qui confug.* cujusmodi loca non sunt Oratoria privata, etiam ea, in quibus de Episcopi licentia quandoque Missæ super Altari Portatili celebrantur.

63. Quintò eadem Immunitas competit Hospitalibus, authoritate Episcopali erectis cum Altari ad celebrandum. Ratio est; quia sunt loca Religiosa & ad prophanos usus converti non possunt, *c. Ad hæc cit.* & propterea omnia privilegia concessa Ecclesiis ad ipsa porriguntur, *l. Omnia 35. C. de Episc. & cleric.* Archidiacon. *in can. Definivit, 17. q. 4. n. 1.* Panormit. *in c. Ecclesiæ cit. n. 6.* & *ibi* Fagnanus *n. 17.*

64. Sextò idem Asyli privilegium cum Sylvestro *V. cit. n. 1.* & aliis, Farinac. *cap. 17. cit. n. 275.* & Barbosa *cap. 3. n. 69.* extendunt ad SS. Sacramentum Eucharistiæ; ut reus perinde, acsi ad Ecclesiam se recepisset, à Justitiæ ministris tutus sit, quando ad ejus Tabernaculum, vel ad Sacerdotem sacrum Viaticum ad ægrum deferentem fugit, aut se miscet populo illud comitanti; quòd hi cum Sacerdote, augustissimum illud salutis Pignus gestante, constituant Ecclesiam animatam, *arg. l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest.* ibi, *Quia & ipsi pars corporis nostri sunt*, Sperell. *Decis. 44. n. 6.* Panormit. *in c. Sanè 10. de Celebrat. Miss.* & Clarus *cit. q. 30. n. 24.* pro se allegantes partim consuetudinem; quæ, cùm Pietatem foveat & augeat devotionem in Venerabile Sacramentum, perquam rationabilis est; partim rationem; quòd ipsis Ecclesiis immunitas præcipuè concessa sit propter destinationem ad celebranda Divina, inter quæ primum locum facilè obtinet SS. Missæ sacrificium, in quo substantia panis & vini in Christi corpus & sanguinem transmutatur, ut colligitur ex *c. Ecclesiæ cit.* Unde locus esse videtur axiomati. *Propter quod unum quodque tale & illud magis tale*, Engel *ad hanc Rubric. n. 12.* Accedit; quòd præsentia Christi sub speciebus Sacramentalibus videatur facere locum Sacrum & Religiosum; *Si enim*, inquit Del bene *cit. s. 16. n. 9.* ubi *Papa, ibi Roma est seu Curia Romana, cur non ubi præsens est SS. Corpus Christi, ibi etiam locus Sacer sit aut Religiosus?*

Dissentit Glossa *in can. Quæsitum 13. q. 2.* eique non obscurè favet Covarruvias *cap. 20. cit. n. 6.* cùm; quòd SS. Eucharistiæ Sacramento Asyli jus competere, non sit expressum Iure: & istò indultum privilegium ad non expressa non sit trahendum: tum verò; quòd aliàs asyli jus etiam competeret fideli Eucharistiam intra os habenti: quod unanimiter DD. negant, teste Farinacio *l. cit. n. 276.* Sed utrumque hoc argumentum leve est. Prius; quia privilegium favorabile ultra casum expressum extendi potest ex rationabiliter præsumpta voluntate concedentis, præsertim quando extensio conducit ad finem ab illo intentum, & firmatur consuetudine, cujus in præsenti materia vim magnam esse, est dictum *n. 36.* Posterius; quia id Consuetudine non est 65. receptum: & Eucharistia non sumitur, ut in sumente colatur: sed; ut sumens eâ tanquam spirituali animæ cibo reficiatur, *cit.* Delbene *n. 6.*

Multò minùs à secularis Curiæ mi- 66. nistris tutus est reus fugiens ad Sacerdotem, sacrum oleum deferentem ad infirmum, cùm; quòd huic neque Jus faveat, neque Consuetudo: tum verò; quòd ad eum, SS. Viaticum deferentem, confugientis securitas non tam Sacerdotis,

quàm SS. Sacramenti sit favor, Diana *p. & tract.* 1. *resol.* 29. Sperellus *Decis.* 49. *n.* 4. & Barbosa *cit. cap.* 3. *n.* 69.

67. Septimò Asyli jus Aræ mobili sive altari Portatili, ut vocamus, competere sustinet Quintanaduennas *Singular. Theolog. Moral. Tract.* 4. *Singul. ultimò n.* 7. valde probans extemporaneam Resolutionem Curionis castrensis, qui ad ejusmodi aram confugientem militem sacrâ Asyliâ defendi, pronuntiavit & evicit; quòd istâ ipsa quoque altaria ornata sint, *c.* 1. *de Homicid.* Neque id immeritò; cùm ad privilegium illud Ecclesiis concedendum Canonum conditores præcipuè permoverint ipsa Altaria, tremendis mysteriis & immaculati agni incruentæ immolationi per consecrationem specialiter deputata; ac proinde locus sit axiomati *Propter quod unum quodque tale & illud magis tale:* cujus argumento ad SS. Eucharistiam confugientes à Justitiæ ministris esse tutos, paulò ante est dictum.

Sed, licet Axiomati isti locus sit in SS. Sacramento & Aris fixis in Ecclesiis, perperam tamen trahitur ad Aras mobiles seu Portatiles; cùm id nec expressum Jure, nec receptū sit consuetudine: neque etiam, ut Christus sub speciebus Sacramentalibus præsens, sic illæ quoque Sacrum aut Religiosum locum efficere videantur.

68. Quare omnino indubitatè statuendum est, ejusmodi Aram manibus apprehendentem vel deferentem immunitate non gaudere. Ratio solida est; quòd Immunitas Divini cultûs & Religionis Christianæ intuitu indulta sit, non quibuscunque rebus consecratione vel benedictione aliquâ affectis & ad ea, quorum intuitu concessa est, habentibus relationem: sed solummodo locis Sacris & Religiosis hisque conjunctis & adhærentibus, *can. Si quis, can. Id constituimus, c. Ecclesia, l. Pateant citt.* &, si non his tantùm, sed aliâ quoque rebus ad Divina mysteria per consecrationem vel benedictionem deputatis indulta esset, multò magis quàm ad Aram Portatilem, ad hierothecam, quâ Venerabile Sacramentum publicæ veneration̄i & populi Adorationi exponitur, ad Sacrum calicem vel patenam, ubicunque & pro refectione in aurifabri officina existentem, ad ipsa etiam linteamina, quæ his substernuntur &c. extra Ecclesiam confugiens immunitate protegeretur; cùm hujusmodi sacra vasa & linteamina sub panis & vini speciebus absconditum Christum Dominum immediatè & propiùs quàm ara Portatilis contingant.

Octavò idem Ecclesiarum privilegium sive Asyli jus Urbanus II. ad imagi- 69.
nem S. Crucis, ubicunque in viis etiam publicis propositæ, extendit in Synodo Claromontana *can.* 29. & *can.* 30. quibus proditarum Sanctionum prioris tenor est, *Si quis ad aliquam Crucem in via persequentibus inimicis confugerit, sit liber ac si in ipsa Ecclesia permaneat:* posterioris autem, *Quod si quis pro securitate Ecclesiæ vel Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum reddatur Justitiæ.* Verùm, quia canones isti neque in Jus relati, neque usu recepti sunt, à Cruce, extra Sacra aut Religiosa loca erectâ, reum sine Immunitatis violatione abstrahent ministri Curiæ secularis: à quibus insequentibus tutus etiam non est, qui fuga se recipit ad Sacras reliquias Sanctorum, ut cum Sperello & Diana *l. citt.* rectè notat Ranbeck *Panopl. Immunit. disp. & cap.* 4. *n.* 21.

Nonò Asyli privilegium ab Ecclesiis 70.
extenditur ad domum seu Palatium Episcopi, *can. Id constituimus cit.* etiamsi Episcopus sit absens, Marius Italus *de Immunit. Lib.* 1. *cap.* 4. §. 9. *n.* 4. Exquidem, si

dem, si palatium Episcopale sit intra Cathedralis Ecclesiæ fines aut quadraginta passibus ab ea non distet: vel etiam, si ab ea distans habeat Capellam vel Oratorium, ut fere solet, Immunitatem ei stabiliunt plerique tam VV. quàm RR. Casu verò, quò ampliùs distans Capellam non
71. habet, dissentiunt. Veriùs tamen Jure spectatò, hoc etiam casu Asyli jus ei competere, cum Glossa *in can. cit. V. Vel domo*, & Panormit. *in c. Ecclesiæ cit. n. 9.* defendunt Navarrus *Manual. cap. 25. n. 18.* Suarez *cit. Lib. 3. cap. 9. n. 9.* Palao *Tract. 11. disp. unic. p. 6. n. 22.* & Fagnanus *in c. Ecclesiæ cit. à n. 29.* Moventur partim; quòd Immunitatis privilegium domui Episcopali generaliter & sine limitatione restrictionéque concedatur *can. cit.* partim verò; quòd hoc privilegium Palatio Episcopali non concedatur intuitu officiorum Divinorum in eo peragendorum vel connexionis cum Ecclesia: sed ob reverentiam & honorem ipsius Ordinis & dignitatis Episcopalis: propter quam ejusdem familiares privilegiò Fori gaudere, multorum sententia est, apud *citt.* Delbene *de Immunit. cap. 4. dub. 9. n. 4.* & Fagnanum *n. 30.*

72. Decimò idem privilegium multi adstruunt Palatiis S. R. E. Cardinalium, etiam eorum, qui Episcopi non sunt. Non quidem de Jure; quia tale non extat: sed ex privilegio vel Consuetudine, ob prærogativam dignitatis principalis in Ecclesia, non minùs ipsis, quàm Episcopis tribuente. Eam tamen Consuetudinem, si aliquando viguit, à Gregorio XIII. & Sixto V. sublatam, tradit Farinac. *cit. Appendic. cap. 27. n. 274.* Privilegii etiam, si quo eorum dignitas honorata fuit, rationem in Urbe non habitam multis annis, quibus ipse in talibus Palatiis habitârat, Pax Jordanus *Lucubr. Lib. 11. tit. 3. n. 206.* & delinquentes ex iis ad carceres & supplicia abstractos, Guazzinus *Defens. reor. 1. cap. 36. n. 26.* testantur. *In Urbe*, inquam; ne ob locorum Asyli jure gaudentium frequentiam delinquentes punitioni commeritæ omnino subtraherentur. Extra Urbem autem ei à summis Pontificibus memoratis & consuetudine non derogatum, censent Tuschus *V. Ecclesia cit; concl. 9. n. 12.* & alii à Guazzino & Jordano *l. citt.* relati.

Undecimò Asyli jus DD. aliqui ad- 73.
struunt ipsis Cardinalibus; ut reus ad supplicium ductus, si ei obviam factus Cardinalis galerum sive biretum rubrum imponat, à morte liberetur, Ita cum Baldo *in l. Addictos 29. C. de Appell.* Clarus *§. fin. q. 95. n. 5.* & Germonius *Lib. 3. cap. 6. n. 52.* Horum tamen DD. prior, id practicari à se nunquam visum, & in reo alicujus criminis atrocissimi vg. læsæ majestatis, Proditionis, locum non habere: posterior verò, in alterius etiam criminis reo non procedere, ait, si isti non casu, sed datâ operâ occurreret Cardinalis.

Duodecimò Asyli jus statuis Princi- 74.
pum tribuunt Anchoran. *in c. Ecclesiæ cit. n. 4.* Hostiensis *ibid. n. 2.* & Tholosan. *Syntag. Lib. 33. cap. 22. à n. 11.* id desumentes ex *l. Capitalium 28. §. 7. ff. de Pœnis & l. Unica C. de His, qui ad statuas confug.* Verùm alii, statuas illas præsidio iis solùm fuisse, existimant, qui injuriâ oppressi eò se conferebant: sceleratos autem & qui injuriam intulissent aliis, inde vi ad carceres & supplicia abstrahi à Justitiæ ministris potuisse, putant apud Barbosam *in l. Unic. cit. n. 1.* & *cit.* Farinac. *n. 279.* ubi ipse, Statuarum, si quæ olim competebat, immunitatem propter varios abusus sublatam, & fortassis in usum nunquam deductam, testatur cum Claro *§. cit. q. 30. n. 27.*

Quin, etsi hæc Statuarum immunitas alicubi hodie vigeret, huc tamen non

pertineret; cùm Politica solùm & Civilis non Sacra foret: sicut etiam ea, quâ Imperatoris, Regum, aliorúmque Principum supremorum palatia, & ob eorum, quos repræsentant, reverentiam, Oratorum domus gaudent, ut probè advertit Delbene *cit. cap. 16. f. 15. n. 21.* quòd vel non Ecclesiastica, sed Politica solùm authoritate: vel non ob Divinæ Majestatis ejúsque supremo Numini dicatorum locorum reverentiam sit constituta.

ARTICULUS V.

De Personis ad Loca Sacra & Religiosa confugientibus.

SUMMARIUM.

75. *Ex asylo extrahi nequeunt fideles laici,*
76. *Et infideles, Baptismum seriò petentes:*
77. *Non conversionem solummodo simulantes.*
78. *Asylô defenduntur etiam excommunicati & interdicti,*
79. *Rei fugientes ex carcere,*
80. *Et elapsi ex manibus ministrorum:*
81. *Etiam dum ad supplicium,*
82. *Et per Ecclesiam ducerentur.*
83. *Eôdem gaudent banniti seu proscripti.*
84. *Et à dominis suis profugi.*
85. *Debitores pecuniarios aliqui ex asylo excludunt,*
86. *Meliùs alij ad hoc eos admittunt:*
87. *Etiamsi debitores sint tributorum,*
88. *Aut ad ratiocinia obligati.*
89. *Fraudulentos decoctores Asylô defendi negantium,*
90. *Et asserentium verior Opinio.*
91. *Latronibus decoctores comparantur: reipsa non sunt.*
92. *De rebus ab iis Asylo illatis.*
93. *Asylô clerici contra Seculares:*
94. *Secundùm aliquos etiam contra Ecclesiasticos judices defenduntur.*
95. *Verius ab hîs ex illo extrahi possunt,*
96. *Jure Rationeque,*
97. *Et præsertim consuetudine spectatâ.*
98. *Eôdem non defenduntur Religiosi.*

REgula est, tutum ad Asyla receptum patere fidelibus, saltem laicis, nullâ sexûs, ætatis, statûs & conditionis habitâ ratione, *can. Si quis contumax &c. 17. q. 4. c. Inter alia 6. hâc Rubr. & Constitutione Gregoriana* relata *n. 25.* qui textus omnes generaliter, sicut loquuntur, sunt exaudiendi. 75.

Dubium est primò, an etiam infideles sive Pagani & Judæi; hos enim Asylô sacrô defendi, cum Glossa *in c. Inter alia 6. V. Extrahendus ibid* asserunt Hostiens. *n. 1.* Barbosa *n. 50.* & Fagnanus *n. 60.* allegatâ S. Congregationis declaratione. Moventur *can. Si quis contumax cit.* generalitate: &; quòd Asyli privilegium favorabile & Locale sit, non Personale. Negant autem Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 6.* Clarus §. *fin. q. 30. n. 17.* & Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 11.* eâ ducti ratione; quòd par non sit, Ecclesiæ privilegiô defendi & beneficiô frui, qui ejus gremio, tutelæ, Fidei se non committit.

Inter oppositas mediam viam tenent alii beneficiô distinctionis; vel enim, inquiunt, Judæus aut Paganus ad Ecclesiam fugiens pro se habet præsumptionem, quod seriò desideret Fidem Christianam amplecti? qualem præsumptionem pro eo stare, Farinacius Append. *de Immunit. cap. 51.*

cap. 5. n. 83. censet, si ante admissum crimen, ante ejus diffamationem & conceptum timorem judicis aut fugam animum ad conversionem pronum ostendit, & Asylo receptus Baptismum petit: vel pro eo ad Ecclesiam fugâ se recipiente non stat præsumptio seriæ conversionis; quòd ad Baptismum se pronum ostendat & offerat primùm post diffamationem criminis, indéque conceptum timorem judicis & pœnæ ab eo infligendæ?

76. Priori casu eum immunitate defendi, cum *cit.* Farinacio docent Tuschus *Practic. V. Ecclesia concl. 10. n. 28.* Gutierez *Practic. Civil. Lib. 1. q. 7. n. 51.* & Palao *Tract. 11. disp. unic. p. 7. n. 8.* id desumentes ex Rescripto Impp. Arcad. & Honorii *l. 1. C. de His, qui confug. ad Eccles.* cujus tenor est *Judæi &c. qui simulant se Christiana legi conjungi; ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur.* Unde à contrario inferunt, non excludi eos, qui Christianam Fidem non fictè & simulatè, sed seriò amplectuntur. Rationem reddunt; quòd æquum & pietati valde conveniens sit, ab Ecclesia defendi eos, qui per veræ conversionis propositum ejus Fidem legémque amplectuntur. Atque hanc doctrinam coram Carolo V. Imp. in Judæis ad Asyla sacra confugientibus observatam, testatur Marius Italus *Lib. 1. de Immunit. cap. 3.*

77. Posteriori verò casu eum Asylo non gaudere, cum DD. *citt.* verisimiliùs sustinet Azor *p. 2. Instit. Moral. Lib. 9. cap. 8 q. 9.* id desumens ex recitato textu *l. 1. cit.* propter præsumptionem simulationis: quam Juris & de Jure esse, & directam probationem in contrarium non admittere, cum Panormit. *in c. cit. n. 6.* plures existimant apud *cit.* Farinacium *cap. 5. n. 84.* non malè dissentientem.

Neque obstat; quòd Immunitatis privilegium Locale sit; & concessum indistinctè; quia Canones id concedentes accipiendi sunt de personis Ecclesiæ jurisdictioni subjectis seu fidelibus; cùm istorum tantùm curam & gubernationem B. Petro ejúsque successoribus Christus commiserit verbis, *Pasce oves meas*, Joan. *cap. 21. v. 17.* non Judæorum & Paganorum, de quibus Apostolus, *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt judicare?* 1. Corinth. *cap. 5. v. 12.*

Dubium secundò est de fidelibus excommunicatis & interdictis; hos enim ex Asylo sacro excludit Felinus *in c. Nobis 2. de Except. n. 5.* Excommunicatos quidem; quòd non solùm Ecclesiæ favore tanquam contumaces & rebelles indigni, sed insuper privati sint fidelium communione. Interdictos verò; quòd tanquam Ecclesiæ ingressu prohibiti ad eam se recipiendò contra ipsam Ecclesiam delinquant, atque idcirco frustra ejus auxilium implorent, *c. fin. hâc Rubr. & c. Quia frustra 14. de Usuris.* 78.

At meliùs eos, licet vitandi sint, Asylò recipi & defendi, docent Sylvester *V. Immunitas 3. q. 3.* Clarus §. *cit. q. 30. n. 18.* Navarrus *Manual. cap. 25. n. 19.* & Tuschus *cit. concl. 10. n. 26.* Ratio est partim; quòd talibus censuris irretiti non priventur Ecclesiæ ingressu & fidelium in ea communione solùm Materiali: sed Formali, sive ad audienda & participanda cum cæteris fidelibus Officia Divina: partim; quòd excommunicationis & interdicti censuras non violent, qui ad vitandam gravem pœnam corporalem ad Ecclesiam se recipiunt eo tempore, quò in ea congregati sunt fideles & Divina Officia celebrantur; cùm ad censuras cum tanto incommodo & periculo observandas non teneantur, Bonacina *Tom. 2. disp. 3. q. 7. p. 5. n. 2.* & Palao *p. 7. cit. n. 21.* Accedit; quòd Ecclesia nuspiam

expresserit, se excommunicandô vel interdicendô tam graviter punire intendere delinquentes: & excommunicatio cæteræque censuræ pœnæ solùm Medicinales sint, non Mortales, *c. 1. de Sent. excom. in 6.* qualis tamen esse videtur exclusio rei ad Asylum confugientis.

Atque ex his planè corruit ratio Felini. Neque interest; quòd, ut ait, censurati Ecclesiæ favore sint indigni; esto enim, hoc ita sit, spectatâ præcisè ipsorum personâ: eô tamen indigni non sunt, si Ecclesiæ Pietas & loci Deo dicati Sanctitas consideretur, Del-bene *de Immunit. cap. 16. dub. 10. s. 3. n. 5.*

79. Dubium tertiò est de reo, à seculari potestate jam apprehenso & carcere detento: qui, si disruptis vinculis & effractô carcere ad Ecclesiam fugiat, an istius privilegiô defendatur, dubitandi ratio est; quòd talis jam actu subjectus sit potestati Curiæ secularis: quàm ita fugiendô spoliat. Unde, ne Ecclesia Injustitiis & violentiæ patrocinari videatur, Curia illa ante omnia restituenda, *c. 1. &c. de Restit. spoliat.* & confugæ immunitas deneganda videbatur Tholosano *Syntag. Lib. 33. cap. 22. n. 2.* idque Praxi in Gallia observari, testis est Cassaneus apud Jordanum *Lucubrat. Lib. 11. Tit. 3. n. 224.*

Sed veriùs, illam non restituendam, & immunitatem huic non denegandam, cum Panormit. *in c. Inter alia 6. n. 32.* & Navarro *cap. cit. n. 19.* defendunt Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 13.* dictam praxin improbans, Boerius *Decis. 110. n. 8. & 9.* Clarus §. *fin. q. 30. n. 13.* in favorem rei contra eandem praxin in Senatu Burdegalensi & Mediolanensi judicatum asserentes, Decianus *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 28. n. 29. cit.* Guttierez *Lib. 3. q. 4. n. 10.* Farinac. *Append. cap. 15. n. 197.* referentes casum, quô ex TT. & Canonistarum consilio tanquam Immunitatis violatores excommunicati sunt, qui falsarium monetæ ex lectorum manibus ad vicinam Ecclesiam profugum, indéque vi extractum ultimô supplicio affecerunt: & Haunold. *Tom. 6. de I. & I. Tract. 1. n. 164.* asserens, idem fere accidisse Ingolstadii, ubi reus ex effracto carcere fugiens ad Monasterii cœmiterium se recepit: indéque ab insequentibus custodibus vi abstractus, Ecclesiastici judicis mandatô restitutus fuit, non obstante Regula de spoliati restitutione; quòd ab ista præter alios excipitur casus, quô factâ restitutione infertur damnum irreparabile: sicut contingit, quando agitur de periculo animæ, corporis & membrorum, *arg. c. Literæ 13. in fine, de Restitut. spoliat.* Menoch. *Recup. remed. 1. n. 208.* Ratio Resolutionis est; quia sacrâ Asyliâ proteguntur fideles præter casus Jure exceptos: qualis non est effractio carceris & fuga; quâ ad locum tutum se recipiens uti Jure suo; & contra Justitiam graviter delinquere non videtur, Palao *p. 7. cit. n. 19.*

Ob eandem rationem Asyli privilegiô gaudet, qui jam captus aut per sententiam condemnatus è ministrorum, ipsum ad carcerem vel supplicium ducentium, manibus elabitur, & ad Ecclesiam fugitus ex dictis inferunt *citt.* Decianus *Lib. 1. cap. 28. n. 29.* & Farinac. *cap. 28. n. 196.*

Dubium quartò est de eo, qui à Justitiæ ministris vinctus ad carcerem vel supplicium per Ecclesiam vel cœmiterium ductus, inde exire recusat, & provocat ad Asylum; hunc enim inde vi extrahi sine Immunitatis violatione posse, existimant *citt.* Tuschus *conclus. 12. n. 14.* Covarruvias *cap. 20. n. 17.* & Guttierez *q. 6.* eâ persuasi ratione; quòd non ipse ad Ecclesiam vel cœmiterium fugerit, prout exigere videntur *Rubric. & textus*

c. de

C. de His, qui confug. ad Eccl. can. Reum 8. can. Frater 9. &c. 17. q. 4. c. Inter alia cit. c. fin. & ipsa Constitutio Gregoriana ibi, *Laicis ad Ecclesias locáque sacra &*

82. *Religiosa prædicta confugientibus.* Quæ Opinio, licet Dianæ, Juris rigore spectatô, probabilis videatur p. 1. Tract. 1. resol. 30. magis tamen pia & in praxi tenenda est Opposita: quàm Fagnanus *in c. Inter alia cit. n. 86.* spectatô Jure veriorem nec immeritò vocat; quòd *can. Sicut antiquitus q. cit.* nullam fugæ mentionem faciente non obscurè: & perspicuè tradatur *can. Definivit q. cit.* quô locô, sicut *Ad Ecclesiam confugientibus* sic *In loco sancto residentibus*, hoc est, in eo existentibus, *Vis aut quodcunque nocibilitatis vel damni inferri* prohibetur: neque attenditur, quâ intentione quis ad Ecclesiam se contulerit: sed satis est, quòd in ea existens gaudere velit ejus immunitate, & sponte non exeat cum Justitiæ ministris.

83. Sicut hunc, sic propter crimen non exceptum bannitum sive proscriptum, etiam qui in seculari territorio repertus, occidi impunè potest, sacrô Asylô defendi: indéque vi extractum restitui jussum à Senatu Mediolanensi, asserit Clarus *q. cit. n. 22.* propter Juris textuum, de Asylo & ad hoc confugientibus loquentium, generalitatem.

84. Dubium quintò est, de servo, an à domino ad Ecclesiam fugiens, restituendus sit; ne illi debita servitia subtrahantur. Verùm, ne his dominus facilè privetur, satis cautum est ab Innocentio III. *c. Inter alia cit.* ubi Scotiæ sive, ut aliqui apud Gonzalez *in c. cit. n. 1.* legunt, Conatiæ, quæ Hiberniæ Insula est, Regi rescribens ait, *Si servus confugerit ad Ecclesiã, postquam de impunitate sua dominus ejus Clericis juramentum præstiterit, ad servitium domini sui redire compellitur, etiam invitus; aliquin à domino poterit occupari.* Similia habentur *can. Metuentes 38. can. Id constituimus, 17. q. 4. & l. Præsenti 6. §. 5. C. de His, qui ad Eccles. conf.* ubi cum Glossa DD. notant, servos ad Ecclesias confugientes à Prælatis Ecclesiasticis non restituendos: nisi juratoriâ aliáve cautione idoneâ præstitâ.

Dubium sextò est, de debitoribus 85.
pecuniariis, qui solvendo non sunt; hos enim Asylô sacrô non defendi, existimant Jason *in l. Virum 22. ff. de Reb. credit.* & Curtellius *de Immunit. Eccles. Lib. 1. q. 32. à n. 26.* Moventur primò; quòd Ecclesia immunitatem concedendô reis loqui solùm videatur de delinquentibus, *can. Reum 9. can. Id constituimus, 17. q. 4. c. Inter alia, c. fin. citt. & Constitut.* Gregorii XIV. *àn. 25.* relatâ. Secundò; quòd immunitas solùm sit; ne reus luat pœnam corporalem, *can. Id constituimus cit. can. Definivit 25. q. 4. & c. Inter alia cit.* non autem; ut non laboret & serviens satisfaciat creditori; neque enim præjudicare debet juri tertii, *can. Metuentes cit.* ubi servus ad Ecclesiam fugiens ob sævitiam domini, acceptâ securitate, huic redditur; ne sibi debitô servitiô privetur. Tertiò; quòd debitores ad Asyla fugientes sæpe suspecti sint de fuga: quales cùm capi & incarcerari valeant à judice aliàs incompetente, & die festo, ut tradit Covarruvias *cit. cap. 20. n. 14.* capi & incarcerari etiam poterunt in loco sacro, argumentô à Tempore ad locum ductô, *l. Vinum cit. & l. Ratio 3. §. 4. ff. de Action. empti.*

Sed, etiam his Asyla patere, cum 86.
Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 12.* defendunt Covarruvias *cit. cap. 20. n. 14.* Guttierez *Practic. Civil. q. 1.* Farinac. *Appendic. cap. 3. n. 57.* Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3. n. 46.* & alii, ab his magnô numerô relati. Ratio est; quia

ad Ec-

ad Ecclesias receptus etiam his concessus est Jure Civili, *l. 1. & l. Præsenti 6. C. de His, qui ad Eccles. conf.* quâ Leo Imp. ex Ecclesiis Orthodoxæ Fidei extrahi aut expelli vetuit confugas, præscriptô modô procedendi circa eos, qui debitorum causâ eò se recipiunt. Cùm ergo Ecclesia legum Civilium traditiones, immunitati à se concessæ non præjudicantes, sed ei potiùs faventes, disertè approbet *can. Frater 10. can. Id Constituimus 36. pr. q. 4. cit. & c. Inter alia cit.* ejusmodi debitoribus de Jure etiam Canonico locus erit in Asylo.

Neque, ad hoc perfugium ipsis denegandum, in contrarium deducta evincunt. Primum; quia, licet reorum nomine venire videantur soli delinquentes, eô tamen in materia favorabili, præsertim ad Civile Jus cum Ecclesiastico conciliandum, etiam debitores pecuniarii intelliguntur; cùm reus sit, qui in judicium pro aliqua re petitur, *c. Forus 10. V. Reus, de V. S.* sive Civiliter sive criminaliter conveniatur, Haunold. *Tract. 1. cit. n. 180.*

Secundùm; quia immunitas constituta est non solùm ad reum defendendum à pœna capitali: sed etiam; ne carcere & vinculis vexetur, *arg. can. Definivit cit.* Ne autem receptus ad Asylum præjudicet creditoribus, poterit debitor inde citari; ut se saltem per procuratorem defendat: &, si hoc non faciat, in ejus bonorum possessionem creditor immitti: his etiam deficientibus, in eum ferri sententia condemnatoria &, sicut in servum, procedi poterit; quin tamen creditori tradatur in servitutem, *citt.* Panormit. *n. 22.* Delbene *dub. 11. s. 3. n. 2.* & Haunold. *n. 182.*

Postremum; quia debitoris suspecti fuga aliâ viâ vg. appositâ custodiâ potest impedîri; ideóque ejus extractione Ecclesiastica immunitas violatur. Neque firmum est argumentum à tempore ad locum; quia reus die festo puniri: imò de Jure Civili latrones die festo tormentis subiici, *l. Provinciarum 10. C. de Feriis* & secundùm Glossam facinorosi Reipublicæ noxii ultimô supplicîô affici possunt, quin propterea id fieri queat in loco sacro, *citt.* Farinac. *n. 57.* & Haunold. *n. 182.*

Dubium septimò est de debitore Tributorum: cujus ex Ecclesia extractionem cum permittat Civile, ea Canonico etiam Jure non inhibita videtur, hôc ipsô; quòd istô Civile Jus sit approbatum, *can. Id constituimus can. Definivit & c. Inter alia citt.* Verisimiliùs tamen, sacrâ Asyliâ etiam hujusmodi debitores defendi, cum Covarruvia *l. cit.* defendunt Ambrosin. *Immunit. Eccles. cap. 13. n. 2. cit.* Farinac. *cap. 7. n. 61.* & Laiman. *Lib. 4. Tract. 9. cap. 3. n. 5.* Ratiô est; quòd Ecclesiastica immunitas fundetur non in sola legum Imperialium approbatione: sed etiam & præcipuè in eo; quòd Ecclesia tutos esse velit ad loca sacra & Religiosa confugientes reos & delinquentes quoscunque, nonnullis duntaxat casibus exceptis: quos inter cum Civilium debitorum rei non sint, sacrâ Asyliâ hi quoque defendentur. 87

Dubium octavò est de obligatis ad ratiocinia ratione alicujus administrationis: de quibus dubitandi ansam præbet *can. Uxor 17. q. 4.* Sed hôc textu sermo non est de homine libero, sed de servo; quem præstitâ impunitatis securitate domino restituendum, jam est dictum. Quamre, eô non obstante, *cit.* Farinacius *n. 63.* ad ratiocinia obligatum sacrâ Asyliâ multò magis quàm tributorum debitorem defendi, docet; propter eandem concessionis generalitatem & exceptionum, per particulam *Tantùm* factarum, restrictio- 88

ſtrictionem, *Conſtit. Gregorianâ àn. 25.* relatâ.

89. Dubium nonò eſt de fraudulento decoctore & negotiatoribus, qui ſplendidè lautéque vivendò plures miſerrimè fallunt, & vulgò Falliti ſeu Bancaroti nuncupantur; hos enim ex Eccleſiis, ad quas fugâ ſe recipiunt, licitè extrahi, cenſent Guttierez *cit. Lib. 3. q. 1. n. 4. & 15.* & Fagundez *de Præcepto Eccleſ. 2. Lib. 4. cap. 4. n. 53.* quod propter maxima damna, quæ inferunt Reipublicæ, iſtius hoſtes cenſeantur & Latronibus publicis, Conſtitutione Gregorianâ exceptis, æquiparentur à Pio V. *Conſtitutione* de ipſis editâ, teſte Delbene *dub. 11. cit. ſ. 6. n. 3.* Accedunt his legato Apoſtolico Neapolitano juſſu Clementis VIII. ſcriptæ literæ: quibus Regularium ſuperioribus ſub privationis Officii aliiſque pœnis arbitriò Papæ infligendis præcipitur; ne Fallitos, Bannitos, fures, decoctores iiſque ſimiles in Conventibus ſuis recipiant: quò reſcriptò cùm Conſtitutione Gregorianâ poſterius ſit, ei derogatum eâmve declaratam, exiſtimat Marius Italus *de Immunit. Lib. 1. cap. 5. n. 16.*

90. Sed, etiam his ſacram Aſyliam prodeſſe, verius eſt, & cum Navarro *cit. cap. 25. n. 19.* defendunt Marius *l. cit.* Farinac. *Appendic. n. 64.* Diana *p. 1. tract. 1. reſol. 32.* id S. Congreg. declaratione confirmans, & Fagnanus *in c. Inter alia cit. n. 58.* aſſerens, id hodie omnino exploratum, propter Conſtitutionem Gregorianam Pii V. Bullâ poſteriorem, & huic etiam quoad fraudulentos decoctores apertè derogantem.

91. Neque obſtat; quòd hujusmodi decoctores æquiparentur latronibus; quia, licet his propter mala & incommoda, quæ afferunt Reipublicæ, comparentur, latrones tamen propriè non ſunt; & proptérea in hos ſtatuta Immunitatis privatio ad ipſos, cum Sacrorum & Religioſorum locorum præjudicio, extendenda non eſt, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* præſertim, poſtquam Gregorii XIV. Conſtitutione Indultis à Pio V. conceſſis expreſsè eſt derogatum.

Non magis urgent Clementis VIII. juſſu expeditæ literæ, partim; quia legis Eccleſiaſticæ vim & formam non habent; cùm Bononiam tantùm & Neapolim directæ: in cæteris autem Provinciis & Romæ etiam nunquam ſint publicatæ, ut rectè obſervat Delbene *cit. ſ. 6. n. 14.* partim verò; quia literis illis ſolùm cavetur; ne mercatores, falliti & decoctores Monaſteriis recipiantur, ſed expellantur: non etiam, ut tradantur Curiæ ſeculari, Farinac. *l. cit.*

Quantumvis autem hæc ita ſint, caſu tamen, quò fraudulentus decoctor ſe reciperet ad Monaſterium cùm rebus ſuis & bonis illatis, eum non diu tolerandum, aut ſaltem res & bona illata ſeculari Curiæ petenti conſignanda, vel in loco non immuni deponenda, à S. Congreg. Epiſcop. & Regular. pluries reſponſum, teſtes ſunt Diana *p. 6. Tract. 1. reſol. 17.* Barboſa *cap. 3. cit. n. 47.* & Delbene *l. cit. à n. 16.* 92.

Dubium decimò eſt de Clericis: quos, ſi in Majoribus conſtituti ſint, uti & Religioſos, etiam extra Sacra & Religioſa loca conſtitutos, à ſecularis Curiæ miniſtris Fori Eccleſiaſtici privilegiò defendi, res explorata &, *Lib. 2. Tit. 2. à n. 108.* declaratum eſt. In Minoribus autem conſtitutos caſu, quò fori illius privilegiò non gaudent, ex decreto Concilii Trident. *Seſs. 23. cap. 6. de Reformat.* laicorum inſtar cenſeri & ſacrâ Aſyliâ adverſus Curiam ſecularem defendi, tradunt Farinac. *Appendic. cap. 2. n. 35.* & Delbene *cit. cap. 16. dub. 10. ſ. 11. n.* 93.

11. n. 3. asserens, id à S. Congreg. Cardd. Tridentini Interpp. declaratum.

An eâdem clerici quicunque defendantur contra judices Ecclesiasticos; ut ab his, extra casus exceptos, extrahi ex Ecclesiis nequeant, dubium & inter DD. in utramque partem magnô numerô euntes agitata controversia est; eos enim etiam contra hos Ecclesiarum privilegiô defendi, cum Claro §. fin. q. 30. n. 16. asserunt citt. Tuschus V. Ecclesia concl. 9. n. 17. Guttierez Lib. 3. q. 3. n. 1. Diana p. 1. Tract. 1. resol. 24. Barbosa in c. Inter alia cit. à n. 16. Fagnanus in c. cit. à n. 78. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 35. Moventur Jure & ratione

94. Illô quidem; quòd, cùm sacri Canones, reos ex Asylo extrahi vetantes, inter Clericos & Laicos non distinguant, & certorum duntaxat criminum reos excipiant, can. Sicut antiquitus 17. q. 4. c. Inter alia 6. c. fin. hâc Rubr. &c. exaudiendi sint generaliter, & non restringendi ad laicos, arg. can. 1. dist. 19 & can. Consuluisti 2. q. 5. præsertim ad excludendum aliquem ex Asylo, patente omnibus, quibus ad id perfugium Canones Ecclesiastici non denegârunt.

Istâ verò sive ratione partim; quia sacræ Asyliæ privilegium Locale potiùs est quàm Personale; cùm non intuitu personarum, sed honoris ac reverentiæ, quæ locis Sacris & Religiosis debentur, concessum sit l. Præsenti 6. ibi, *Ipsis servatâ loci reverentiâ*, C. de Hiis, qui ad Eccles. confug. can. Reum 7. ibi, *Ut honor Ecclesiarum conservetur*, can. Frater 10. ibi, *Limina sacræ veneration deputata & ad injuriam Sanctorum locorum prosiliviſſe probantur*, can. Si quis contumax 20. ibi, *Si timorem Dei vel reverentiam Sanctarum Ecclesiarum non habuerit*, can. Definivit 35. ibi, *Ecclesiæ reverentia defendatur* 17. q. 4. Cùm ergo privilegium Locale extendatur ad omnes personas in loco privilegiato existentes, & specialiter non exceptas, ex doctrina Bartoli in l. 1. C. de Summa Trinit. & Baldi in l. Si non speciali 9. C. de Testam. in Ecclesiis à judice quocunque tuti erunt non minùs clerici, quàm alii. Partim verò; quia Prælati Ecclesiastici defendere tenentur omnes ad Ecclesiam confugientes, & præ aliis clericos, quorum specialem curam gerunt; cùm non conveniat, impugnari aliquem ab eo, qui ipsum defendere tenetur, Glossa fin. in c. Unic. de Natis ex lib. ventr. Confirmatur; quia clerici ad Ecclesias profugi defendi à Prælatis debebant ante assumptum clericatum. Cùm ergo privilegia, quibus ante gaudebant, per istius assumptionem non auferantur; quia aliàs, istô assumptô, fierent conditionis deterioris, imò pejoris, quàm sunt excommunicati aliique censurati, ad Ecclesias profugi defendi debent post assumptum clericatô, neque ex ipsis extrahi inviti.

Verius tamen, clericos etiam non excepti criminis reos, Asylo sacro non protegi, cum Panormit. in c. Inter alia cit. n. 13. & Sylvestro V. Immunitas 3. n. 17. sustinent Azor p. 2. Instit. Lib. 8. cap. & q. 9. Rodriquez Tom. 2. Regular. q. 50. art. 41. Bonacina Tom. 2. disp. 3. q. 7. p. & n. 5. citt. Palao disp. unic. p. 7. n. 17. Delbene dub. 10. s. 12. à n. 1. & Haunold. Tract. 1. n. 168. pro se allegantes ab ipsis adversariis agnitam praxin judicum Ecclesiasticorum, clericos ex Ecclesiis ad carceres & vincula abstrahentium, nec deferentium eorum provocationi ad immunitatem. Quæ praxis Juris Interpres potiùs esse, quàm correctoria videtur; cùm Immunitas adversùs solam Curiam secularem indulta sit Jure Civili, reorum ex Ecclesiis extractionem vetandô, non attingente clericos; imò de

imò de his & adversus Judices Ecclesiasticos nihil statuere valente, *can.* 1, *dist.* 96. & *c. Ecclesia* 10. *de Constitut.* Ecclesiasticum autem Jus, licet inter confugarum & judicum statum expresè non distinguat, ad laicos tamen solos referendum, non obscurè indicetur *c. Inter alia cit.* verbis, *Rectores Ecclesiarum debent sibi obtinere membra & vitam*, hoc est, impetrare à potestate Seculari; ne ipsos condemnent ad mortem vel aliam pœnam temporalem: quæ verba respectu confugarum clericorum verificari nequeunt in Magistratu seculari; cùm ab istius jurisdictione illi planè sint exempti, *c. At si clerici 4. de Judiciis c. Nullus* 2. *de Foro compet. &c.* Neque in Ecclesiastico; quia iste sanguinis pœnam ulli infligere non potest, *c. Clericis 5. & c. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi*; ac proinde exaudienda verba illa sunt de solo Magistratu seculari respectu laicorum: quibus solis adversus Magistratus suos seculares immunitatem firmat *à n.* 25. relata Constitutio Gregoriana, quâ etiam laicorum duntaxat, tam judicum quàm confugarum, mentio fit: confugæ autem clerici, eósque ex Ecclesiis extrahentes judices Ecclesiastici non exprimuntur; ut proinde Constitutione illâ non afficiantur; hoc ipso; quòd ex duabus speciebus oppositis, ut Laici & Ecclesiastici sunt, assumptâ unâ, altera exclusa intelligatur, *arg. l. Si inter* 15. *ff. de Except. rei judic.* Glossa *in Clement.* 2. *V. Directè contrariis, de Test. & attest.*

Pro eadem sententia melior ratio stat; quia imprimis Ecclesiarum privilegiò Ecclesiasticæ jurisdictioni non derogatur partim; quia judex Ecclesiasticus in Clericum delinquentem sententiam criminis declaratoriam aut condemnatoriam ad pœnam proferre in ipsa Ecclesia potest, *can. Præceptum* 2, *q.* 2. & *c. Decet.* 2. junctâ Glossâ *V. Secularium in 6.* partim verò; quia immunitas Clericorum Personalis non impedit, quô minùs clericus delinquens puniri valeat à judice Ecclesiastico: ergo nec Localis; cùm ista minor sit eâ, quæ competit personis, utpote quæ secundùm Apostolum, *Templum Dei vivum* existunt, 2. Corinth. *cap.* 6. *v.* 16. Deinde; quia, si clerici delinquentes à propriis judicibus extrahi ex Ecclesiis non possent, id cederet in magnum Ecclesiæ dedecus ac præjudicium; cùm enim illi sæpe in ædibus Ecclesiæ adsitis & immunitate gaudentibus degant, eorum delicta frequenter manerent impunita; etsi hæc laicorum excessibus sint graviora, eáque ad tollendam offensionem & scandalum pusillorum puniri publicè plurimùm intersit, ut rectè adnotavit Panormit. *l. cit.* Demum; quia judicium Ecclesiasticum Medicinale & Spirituale potiùs est quàm Vindicativum & Temporale; cùm in eo non procedatur ad pœnam Capitalem: ad quam evitandam præcipuè Asyli sacri jus est introductum, *c. Clericis c. Sententiam citt. &c.*

Ex his planè corruit in contrarium 97.
ex Jure deductum fundamentum; cùm, legibus Imperialibus laicos duntaxat afficiat, sit exploratum: ad eósque sacrorum Canonum generalitatem Consuetudo & ipsa etiam Constitutio Gregoriana, antiqui Juris optimæ Interpretes, apertè restringant.

Non magis urgent rationes. Prior; quia immunitas quidem loco, sed in ordine ad illas tantùm extractiones concessa est, per quas illi irreverentia infertur: qualis ea tantùm est, quæ à non superiore sive laico, non quæ à superiore Ecclesiastico infertur; cùm enim iste reum punire valeat in Ecclesia, ex ista reum extrahendô debitam illi reverentiam con-

servare potiùs quàm violare censetur. Posterior; quia, esto Prælati clericos defendere teneantur adversus jurisdictionem secularem, eos tamen defendere non tenentur contra Ecclesiasticam: contra quam, statu Ecclesiasticô assumptô, Immunitatis jus, quô antè fruebantur, respectu Curiæ Ecclesiasticæ amitti, satis docet Praxis & Constitutio Gregoriana. Neque propterea clerici conditionis deterioris sunt, quàm fuerunt ante clericatum, cùm; quia, sicut post clericatum assumptum Ecclesiasticus, sic ante illius assumptionem secularis judex eos in suo territorio existentes potuit punire: tum verò; quia assumptô clericatu contra Curiam secularem, tam in, quàm extra Ecclesiam sunt tuti. Accedit; quòd in statu clericali (extra casus Degradationi obnoxios) contra eos delinquentes paternis potiùs & Medicinalibus, quàm Vindicativis: Mortalibus verò & Sanguinis pœnis procedi non soleat, *c. Clericis & c. Sententiam citt.*

Neque criminis non excepti reis clericis efficax patrocinium præstat declaratio S. Congreg. Episcop. & Regular. *in Una Tropiensi 29. Jan. 1617.* cùm; quia anni sequentis *die 17. Aprilis* ab eadem clericos extra casus Degradationi obnoxios ex Ecclesiis extrahi non posse, declaratum perhibet *cit.* Delbene *s. 12. n. 14.* Quod si ita est, extrahi etiam non poterunt aliquot casibus Constitutione Gregorianâ exceptis; cùm excepti non omnes obnoxii sint degradationi: & hæc imposita sit aliquibus casibus illâ non exceptis: tum verò; quia de declaratione illa satis non constat: & non exceptorum criminum reorum clericorum extractionem permittit Consuetudo, quæ Juris dubii optima est interpres, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.*

98. Multò minùs, quàm clericos, sacrô Asylô Religiosos defendi, præter ea, quæ de illis dicta sunt, persuadet textus *Clement. 1. §. Quibus etiam. V. Si quis verò, de Privileg. & c. Non solum 2. de Regular. in 6.* quibus locis Religiosi in Monasteriis delinquentes pœnis, pro gravioribus culpis infligi solitis, puniri jubentur: & ratio; quia aliàs Religiosi & Moniales propter delicta in Monasteriis commissa, quantumcunque ea gravia sint, extra casus exceptos nunquam incarcerari: neque contra eos processus formari & ferri sententiæ possent, contra quàm docet Praxis & à summis Pontificibus tacitè approbata Consuetudo; cùm enim, inquit Delbene *cit. dub. 10. s. 15. n. 9.* pœnè quotidie videant à superioribus Regularium contra suos subditos ad Urbem appellandô provocantes super delictis in Monasteriis commissis formari processus, & sententias ferri: idque non improbent, probare videntur, Religiosis contra Prælatos suos non prodesse privilegium Asyli, Monasteriis de Jure competens, quò minùs inde extracti secundùm sacrorum Canonum rigorem valeant puniri.

ARTICULUS VI.

De Criminibus, quorum Rei Sacrô Asylô non proteguntur.

SUMMARIUM.

99. *Immunitate gaudet reus cujuvis criminis non excepti.*
100. *Excipiuntur I. Latro publicus.*
101. *Quis latro Publicus propriè sit.*
102. *Asylo defenditur fur etiam qualificatus,*
103. *Prædationem clam aut in via solùm privata.*

104. *Vel*

104. *Vel in publica ſine effectu, vel ſemel tantùm exercens.*
105. *Et, qui Latro ſpeciali tantùm, non communi Jure Cenſetur.*
106. *II. Publicus Graſſator viarum:*
107. *Qui latronis nomine latè,*
108. *Non propriè accepto etiam in Jure venit.*
109. *III. Depopulator agrorum Nocturnus antiquò:*
110. *Modernò Jure etiam Diurnus.*
111. *IV. In Eccleſia vel Cœmiterio homicidium vel mutilationem,*
112. *Secundùm aliquos quodvis grave crimen Immunitatis fiduciâ committens.*
113. *Verius Aſylò privatur in ita cujusvis injuſti,*
114. *Et ſolius homicidii vel mutilationis commiſſæ reus:*
115. *Licet extra Eccleſiam exiſtens in ea exiſtentem,*
116. *Vel ex ea extra Eccleſiam exiſtentem occidat:*
117. *Vel in ea exiſtentem occidi mandet.*
118. *Probabiliùs tamen cædem in ea &c. ſolùm mandans,*
119. *Et in Eccleſiæ atrio, ſcala &c. occidens Aſylò defenditur.*
120. *V. Proximum ſuum proditoriè occidens.*
121. *VI. Reus criminis Aſſaſſinij,*
122. *VII. Vel Hæreſeos aut Apoſtaſiæ,*
123. *Si iſtorum: non etiam, ſi aliorum criminum ratione conveniatur.*
124. *Immunitate non gaudent hæreticorum receptatores &c.*
125. *VIII. Reus læſæ majeſtatis in perſonam Principis,*
126. *Sive alicujus ſuperiorem, ſaltem in temporalibus, non recognoſcentis.*
127. *Si poſitivam actionem in ejus perſonæ offenſam,*
128. *Etiam non ſecutâ effectu exerceat.*
129. *Eíque ratione Originis vel domicilij ſubditus ſit*
130. *IX. Secundùm aliquos reus cujuſvis criminis, exceptis gravioris.*
131. *Sed veriùs non exceptorum rei in Aſylo tuti ſunt:*
132. *Niſi ex iſto extrahi permittantur à Papa,*
133. *Vel generali Conſtitutione editâ excludantur.*

REgula eſt, Sacrorum & Religioſorum locorum immunitate defendi reos quoscunque, Jure ſpecialiter non exceptos, ut clarè deciſum eſt *c. Inter alia 6.* ubi relatus Innocentius III. de reo ad Eccleſiam confugiente, *Quantumcunque*, inquit, *gravia maleficia perpetraverit, non eſt violenter extrahendus.* Excipiuntur autem & ſacrâ Aſyliâ non proteguntur 99.

Primò, Latrones publici, *can. Sicut antiquitus 17. q. 4. c. Inter alia cit. & Conſtitutione* Gregorii XIV. *à n. 25.* relata. Latrones autem dicuntur, qui vias & ſtratas publicas, flumina aut maria publica obſident, & viatores vel prætervigantes ex inſidiis aggrediuntur ac deſpoliant, Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 5.* Ambroſin. *de Immunit. cap. 2. n. 6.* & Jordanus *Lucubrat. Lib. 11. tit. 3. n. 314.* 100.

Publici autem cenſentur latrones, quando latrocinia palam & in via vel ſtrata publica, ut piratæ ſolent, in mari aut flumine exercent, aut habentes arcem vel caſtrum diſrobant, hoc eſt, vi aggrediuntur vel ſpoliant, aut etiam occidunt, Panormit. *l. cit.* Barboſa *Juris Eccleſ. Lib. 2. cap. 2. n. 79.* & alii, notantes; ut latrones Publici reputentur, de latrocinio conſtare debere vel per notorietatem Juris; quòd de eo in judicio ſponte confeſſi vel legitimè convicti vel per ſententiam condemnati ſint: vel per notorietatem Facti; quòd latrocinia palam com- 101.

missa sint, & ullâ exceptione vel tergiversatione excusari vel declinari non possint, ut infrà dicetur *Lib. 5. tit. 1. à n. 3. c. Vestra 7.* junctâ Glossâ *V. Non diffitetur, de Cohabit. cleric. & mul. & c. Cùm olim 24. de V. s.* Unde

102. Inferunt DD. sacro Asylo recipi ac defendi Primò, furem simplicem, imò etiam qualificatum, si non adhibeat violentiam; quia non est Latro, neque etiam, ut paulò post patebit, Grassator: quos, dum sacri Canones excipiunt, Regulam firmant in casibus non exceptis, Hostiens. *in c. Inter alia cit. n. 4.* & Diana *p. 6. tract. 1. resol. 15.* Verùm quidem est, teste Claro *§. fin. q. 3. n. 14.* & Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 14.* fures etiam simplices alicubi vi Consuetudinis ex Asylo extractos ante Constitutionem Gregorianam. Sed, quia istâ Immunitati contrariæ Consuetudines omnes sublatæ sunt, Asylo sacro hodie fures quoque protegentur: nisi, quoad ipsos constitutionis illius Juri novissimo derogatum constet rationabili & legitimè præscripta consuetudine recentiori, Farinac. *Appendic. de Immunit. cap. 6. n. 94.* Guazzinus *Defens. reor. 1. cap. 37. n. 59.* & Gonzalez *in c. Inter alia cit. n. 7.*

103. Secundò eum, qui aliquem per insidias clam in via privata est deprædatus; quòd non sit latro Publicus, sive Jus antiquum sive Constitutio Gregoriana spectetur, *citt.* Ambrosin. *cap. 2. n. 3.* & Farinac. *cap. 10. n. 151.*

Tertiò eum, qui in via & strata etiam publica hominis deprædationem solùm attentavit; quia in pœnalibus & odiosis, præsertim quæ cedunt in præjudicium Ecclesiarum, actus perfecti esse debent & consummati, Delbene *de Immunit. cap. 16. dub. 11. n. 11.* & alii ab eo relati.

Quartò eum etiam, qui hominem palam in via publica deprædatus est tantùm semel; quòd vox *Publica* denotet frequentiam: &, sicut ex unica fornicatione *Meretrix publica*, & ex unico actu usurario *Publicus usurarius* non dicitur, sic nec *Latro nec grassator Publicus* dicetur ex unica aggressione vel deprædatione, *arg. l. Quid sit 17. §. 14. ff. de Ædilit. edicto* præsertim; cùm frequentiam denotet ipsum nomen latronis, Panormit. *in c. 1. de Judiciis n. 24. citt.* Barbosa *n. 82.* & Farinacius *n. 164.* contra Marcham *de Jurisdict. p. 2. cap. 51. n. 2.* ex unica deprædatione in via publica commissa aliquem latronem Publicum censeri, asserentem.

Quintò eum etiam, qui deprædationis actum in loco privato, vel in publico unicum duntaxat exercet, vel solummodo attentat in loco, cujus speciali statuto vel usu talis, ut latro Publicus punitur, ut cum Peguera *Decis. 40. n. 7.* docent *citt.* Guazzinus *cap. 38. n. 37. in fine* Ambrosin. *cap. 30. n. 7.* & Sperellus *Decis. 103. n. 23.* Ratio est partim; quòd summi Pontifices delicta, quorum reos Asylo defendi noluerunt, secundùm propriam, communi Jure & DD. usu approbatam potiùs quàm specialis alicujus loci usu receptam significationem acceperint, ut notat Farinac. *Lib. 1. Consil. 76. n. 8.* partim verò; quòd, si in delictorum qualitatibus spectanda essent statuta particularia, jus Immunitatis ad unam formam & uniformem Regulam reducere laudatus Papa nec quicquam conatus fuisset, ejúsque restrictio & extensio penderet à potestate Seculari: quæ delictorum qualitates definiendò, & plures delictorum species ad crimina à Gregorio XIV. excepta trahendò, sacram Asyliam magna ex parte tollere & diminuere posset.

Secundò, Asylò sacrò non defen- 104
duntur publici Grassatores viarum, Con-

fluentium

stitutione Gregoriana cit. quales dicuntur, qui quasi cum impetu gradiuntur; ut viatores, quibus in viis & stratis publicis insidiantur, despolient, *cit.* Farinac. *cap.* 12. *n.* 161. & Palao *Tract.* 11. *disp. unic. p.* 9. *n.* 6. Ubi

Dubium est, an & quomodo differant à Latronibus. Differre ab his, licet non multùm absint, liquet ex *l. Capitalium 28. ff. de Pœnis*, cujus §. 10. dum dicitur, *Grassatores, qui prædæ causâ id faciunt, proximos latronibus haberi*, apertè supponitur, inter hos & illos intercedere differentiam. Quænam autem ista sit, variant DD.

107. Mihi in proposita materia *Publici Latronis* nomen Jure Ecclesiastico non eôdem semper modô: sed aliquando largè, aliquando presè sumi videtur; ut eô quidem latiùs acceptô veniant, quicunque in viis & stratis publicis viatores aggrediuntur & spoliant, abstrahendô, an id cum vel sine cæde fiat: strictè verò & magis propriè sumptô intelligantur ii tantùm, qui illos aggredi & despoliare solent interveniente cæde, sive hominis interemptione, Haunold *Tom. 6. de J. & J tract. 2. n. 356.* Priori modô accepti publici latrones ab ejusmodi grassatoribus non distincti videntur *can. Sicut Antiquitus & c. Inter alia citt.* quibus textibus latrones habentur, *Qui itinera frequentata & publicas strata obsident aggressionis insidiis*, nullâ cædis habitâ consideratione aut factâ mentione, Panormit. *in c. cit. n. 5. citt.* Ambrosin. *n. 6.* & Jor-
108. danus *n. 314.* Posteriori verò modo sumi & à grassatoribus distingui videntur *can. Cùm homo 23. q. 5. l. Capitalium cit. §. 10. & 15. l. Si ut allegas 4. C. ad L. Cornel. de Sicar.* imò & *Constitutionis* Gregorianæ verbis, *Si fuerint publici Latrones viarúmque Grassatores:* quibus subjecta verba, *Qui itinera frequentata & publicas strata obsident & viatores ex insidiis aggrediuntur*, quando hæc fiunt interveniente hominis interemptione aut vulneratione, ad Latrones: quando verò sine ista fiunt, ad Grassatores referenda videntur.

Tertiò Depopulatores agrorum Noc- 109.
turni, *c. Inter alia cit. & Constitut. Greg.* sive, qui de nocte agrorum segetes & vinearum fructus destruunt ibi se abscondendò, illos devastandô vel incendendô, Hostiens. *in c. cit. V. Depopulatores* & Fagnanus *ibid. n. 28.* ut depopulatoris nomine veniat non solùm, qui animô lucrandi aufert, sed etiam, qui ob vindictam aliúmve malum finem datâ operâ agros, segetes, vineas &c. devastat, Jordanus *cit. Tit. 3. n. 322.* Neque necesse est; ut ejusmodi vastatio fiat publicè: sed quomodocunque facta ex Asylo excludit, si legitimè fuerit probata, *cit.* Palao *p. 9. n. 4.*

Ratio autem istorum & publicorum Latronum ac Prædonum potiùs, quàm aliorum, etsi fortassis deteriorum malefactorum, extractionem ex Asylo permittendi, ea reddi solet; quòd illos præ aliis puniri interest, qui pluribus exitium cogitant, *can. Est injusta 23. q. 4.* & Reipublicæ quietem ac tranquillitatem graviter perturbant, *l. fin. C. Quando liceat sine jud.* Glossa *fin. in c. fin. cit.* Fagnan. *in c. Inter alia cit. n. 28. in fine*, & Guazzinus *Defens. reor. 1. cap. & n. 38.*

Dubium est de agrorum Depopula- 110.
tore Diurno: cui antiquô Decretalium Jure Asylum patuisse, liquet ex *c. cit.* particulâ specificante *Nocturnus*: cujus expressione, Diurno asylum patere, tacitè insinuabatur, *arg. l. Si inter 15. ff. de Except. rei judic.*

Hoc illum etiam post *Constitutionem Gregorianam* protegi, censent *citt.* Delbene *dub. 17. n. 5.* & Palao *n. 4.* eâ ducti ratione; quòd in dubio Jus antiquum

firmatum

firmatum potiùs, quàm correctum debeat censeri, *l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* atque idcirco Gregorius XIV. cùm *Diurni* non meminerit, cum Jure antiquô *Nocturnum* solùm excludere voluisse, sit existimandus, præsertim in materia odiosa & restringente favorem Ecclesiarum. Sed veriùs modernô Jure etiam Diurnum excludi, cum *citt.* Farinac. *n. 161.* & Barbosa *cap. 3. n. 87.* defendit Haunold. *Tract. cit. n. 194.* quòd laudatus summus Pontifex, particulam restrictivam *Nocturnus* omittendô, satis expresserit, ex asylo excludi depopulatorem agrorum quemcunque, sive noctu sive interdiu agros vastârit; præsertim cùm *Constitutione* sua insinuârit, casus aliquos antiquô Jure exceptis superaddi.

111. Quartò, asylô sacrô non recipiuntur & proteguntur, *Qui homicidia & mutilationes in ipsis Ecclesiis earúmve cœmeteriis committere non verentur*, tenor est *c. fin.* cui ut quoad sensum congruat *Constitutio Gregoriana*, eô expressa particula *Et* disjunctivè pro *Vel* est exaudienda, *arg. l. Sæpe 59. ff. de V. S.* quòd aliàs in Ecclesia sine mutilatione occidenti Immunitas contra totius Ecclesiæ sensum & Praxin esset adstruenda, Lezana *V. Immunitas n.* 11. Quid autem proprie mutilatio sit, statuetur *Lib. 5. tit. 12. à n. 7.*

Ratio hujusmodi homicidii aut mutilationis perpetratæ reos ex asylo sacro excludendi *c. fin. cit.* ea redditur; quòd Ecclesiæ & cæmiterii privilegiô, & ipsius legis auxiliô se reddant indignos; *Cùm in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat: & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, c. Quia frustra 14. de Usuris & l. Auxilium 37. in fine, ff. de Minoribus.* Unde

112. Dubium oritur, an propter omne & solùm homicidium & mutilationem, vel propter alia etiam crimina in Ecclesia vel cœmiterio commissa, reus ex asylo excludatur; fuêre enim magni nominis DD. qui generaliter quoscunque gravis delicti in iis commissi reos immunitate privari, & *c. fin. cit.* homicidia ac mutilationes exempli duntaxat gratiâ expressa, cum Panormit. *in c. cit. n. 9.* & Claro *§. fin. q. 30. n. 15.* existimarent; quòd *c. cit.* expressa ratio gravia crimina generaliter omnia complectatur; atque idcirco locus sit *arg. l. Regula 9. §. 5. V. Et licet ff. de J. & F. J.* cùm credibile non sit, Ecclesiæ privilegium in ipsa mutilantibus denegari à Papa, id concedente ibidem committentibus furta, raptus, adulteria, stupra &c. Consentit Guttierez *QQ. Civil. Lib. 3. q. 1. n. 17.* qui tamen exigit; ut delictum in Ecclesia vel cœmiterio commissum sit sub spe impunitatis; quòd istius fiduciâ in illis delinquentes coërcere Papæ intentio fuisse videatur. Qua in re

Censeo primò cum *citt.* Covarruvia *n. 20.* Barbosa *n. 104.* Fagnano *in c. fin. cit. n 28.* & Haunoldo *n. 202.* cædis vel mutilationis in Ecclesia vel cœmiterio commissæ reos asylô sacrô non defendi, licet illas neque fiduciâ impunitatis neque ex proposito, sed in rixa subitò coorta perpetrârint. Ratio est; quia, esto Papa ad hos ex asylo excludendos specialiter motus sit ab iis, qui in Ecclesiis vel cœmiteriis sub tali spe mutilant vel occidunt, inde tamen non infertur, non alios, quàm sub tali spe occidentes vel mutilantes excludi; cùm nonnunquam ratio non universalis moveat ad condendam legem universalem: &, id *c. fin. cit.* factum, deformatur tam ex generalitate textûs, ejusmodi homicidas indistinctè privantis immunitate, quàm ex *Constitutione Gregoriana* cædis aut mutilationis in Ecclesia commissæ reos eâdem privante absolute & indistinctè, ut rectè observat Delbene *cit. dub. 19. §. 4. n. 6.*

111

Censeo

114. Censeo secundò, Constitutionis Gregorianæ novissimô & modernô Jure solius homicidii & mutilationis in Ecclesia vel cæmiterio perpetratæ, non etiam aliorum criminum in iis commissorum reos, immunitate privatos, prout etiam docent *citt.* Farinac. *n. 208.* Jordanus *n. 338.* Del-bene *dub. 19. n. 10.* & alii, quibus apertè favet *declaratio* S. Congreg. Immunitatis, furti in Ecclesia commissi reum immunitate gaudere, judicantis *18. Novemb. 1631.* Ratio est; quia memoratâ Constitutione disertè cavetur; ne rei laici ex Ecclesiis extrahantur, præterquam in casibus eâ exceptis: quos inter homicidium & mutilatio in Ecclesia vel cœmiterio commissa referuntur, omissô omni aliô crimine in ea perpetratô: quod etiam factum est *c. fin. cit.* non obscurô argumentô, aliorum criminum ibidem perpetratorum reos inde extrahi invitos non posse. Et profectò, si Papa homicidium & mutilationem solius exempli gratiâ expressisset, Ecclesiarum Prælatis graviter errandi dedisset occasionem; cùm paucioribus verbis, *In Ecclesia delinquentes*, excipiendô mentem suam planiùs exposuisset, ut rectè advertit *cit.* Haunold. *n. 198.* cum *cit.* Farinacio *n. 227.* immunitate privari negans eum, qui in Ecclesia etiam cum magna effusione sanguinis alium vulnerat: si inde mors & mutilatio non sequatur: imò etiam, si hæc per accidens sequatur, vg. ex negligentia vel imperitia chirurgi.

Neque generaliter, quosvis criminis in Ecclesia commissi reos ejus immunitate privatos, evincit generalitas rationis, cùm; quia à Gregorio XIV. fortassis ad antiqui Juris declarationem, est omissa: tum verò; quia, licet immunitate privari potuissent quicunque in Ecclesia graviter delinquentes, id tamen de facto factum non est. Neque ex ea ratione in occidentes vel mutilantes statuta privatio ad alios casus extendi potest; cùm pœnalis sit & odiosa, Fagnanus *in c. Inter alia cit. num. 55.*

115. Quartum hunc immunitate privatorum casum DD. variè extendunt, vel potiùs declarant; ut comprehendat Primò eum, qui extra Ecclesiam existens sclopô, jaculô, lapide &c. in ea existentem occidit vel mutilat, ut cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 71.* & *cit.* Covarruvia *n. 15.* docent Laiman *Lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 6.* Guazzinus *Defens. reor. 1. cap. 3. n. 21.* & Lezana *V. Immunitas, n. 11.* Ratio est; quia talis revera occidit in Ecclesia; licet enim occisio initium habuerit extra, executionem tamen & consummationem (quæ in delictis maximè attenditur, Bartol. *in l. Libellorum 3. ff. de Accusat. n. 7.*) habet in Ecclesia, in qua accidit læsio inducens vitæ privationem. Ex

116. qua ratione contrarium infertur de eo, qui intra Ecclesiam existens sagittâ, sclopô, lapide &c. extra eam in prophano loco existentem occidit; quia reipsa & propriè loquendo non in Ecclesia: sed ex ea occidit, & delictum extra eam consummatur, Bonacina *Tom. 2. disp. 3. q. 7. p. 4. n. 8.* Del-bene *dub. cit. s. 5. n. 2.* & Haunold. *tract. cit. n. 207.* In praxi tamen damnanda non est Opinio Panormit. *in c. fin. cit. n. 11.* Covarruviæ *cit. n. 15.* & Guazzini *n. 20.* talem stylo defendi, negantium; quòd mortis vel mutilationis causam necessariam in Ecclesia vel cœmiterio ponat.

117. Secundò eum, qui in Ecclesia vel cœmiterio existentem occidi mandat; quòd talis verè reus sit homicidii vel mutilationis sacrilegæ, *arg. c. Mulieres 6. S. fin. de Sent. excom. & l. Utrum 6. ff. ad L. Pomp. de Parricidis.* Cujus ulterior ratio est partim; quia, *Quod quis facit per alium, per seipsum facere censetur, Reg 72.*

in 6. & actus mandanti potiùs tribuitur, quàm exequenti, *c. Ut famæ 35. de Sent. excom.* partim; quia mandans aliquem ab Ecclesia extrahi, incurrit pœnas latas *Constitutione Gregoriana.* Ergo etiam mandans in ea occidi privatur immunitate, *citt.* Laiman *n. 6.* Barbosa *cap. 3. n. 6.* & Farinac. *n. 230.*

118. Non minùs tamen, quàm isti, probabiliter ejusmodi mandatô Immunitatis privationem non incurri, defendunt *citt.* Ambrosin. *cap. 5. n. 9.* Lezana *n. 11.* Jordanus *n. 339.* Haunold. *n. 210.* & alii; quòd immunitatis privatio hôc casu expressè statuta solùm sit in occidentem in Ecclesia vel in ea mutilantem; mandans autem aliquid fieri, non rectè ipse dicatur fecisse: nisi in lata & extensa significatione, & quando hoc Jura expressè fingunt; & propterea leges pœnales latæ in facientem, quando id non exprimunt, mandantem non comprehendant, *arg. Reg. Odia 15. in 6.*

Neque urget in contrarium deducta ratio prior; quia, ut dictum, mandans homicidium propriè & realiter non occidit. Posterior; quia *Constitutione Gregoriana* pœnæ latæ sunt non in solos exercentes, sed in omnes, qui aliquid agunt contra Immunitatem: privatio autem Asyli non cuicunque contra Ecclesiæ reverentiam aliquid agenti imposita est: sed solumodo in ipsa occidenti vel mutilanti: qualis spectatâ verborum proprietate is tantùm est, qui verè & realiter occidit.

119. Tertiò eum, qui cædem vel mutilationem committit prope Ecclesiam, in ejus atrio, scalis &c. saltem, si post crimen perpetratum ad Ecclesiam fugâ se recipiat. Ita cum Hostiensi *in Summa hic §. 4. n. 13. citt.* Navarrus *n. 22.* Covarruvias *n. 25.* Guttierez *q. 1. n. 15.* & Barbosa *n. 116.* Moventur; quòd ante fores & prope Ecclesiam delinquens in ea delinquere censeatur, *can. Sicut antiquitus 6. can. Si quis in atrio 7. can. Quisquis 17. q. 4.* cùm generatim appellatione *domûs* etiam ostia cæteraque domibus conjuncta contineantur, *arg. l. Si aqua 47. §. l. Licet 48. ff. de Contrab. empt.*

Sed meliùs, prope Ecclesiam & in ejus atrio occidentem Asylo defendi, docent *citt.* Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 18.* Lezana *n. 11.* Suarez *de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. n. 9.* & alii primi nominis ac notæ DD. Ratio est; quia tam *c. fin. cit.* quàm *Constitutione Gregoriana* ad immunitatis privationem exigitur; ut homicidium vel mutilatio *In ipsis Ecclesiis earúmve cæmeteriis* perpetretur: quòd homicidiô vel mutilatione prope Ecclesiam, in istius atrio vel scalis commissô non sit; cùm particula *In* ablativo juncta idem significet, quod *intra*, locúmque interiorem duntaxat demonstret, *arg. l. Ait Prætor 1. §. 11. ff. de Eluminibus.* Particula autem *Ipsis* personalissima sit, & interioris spatii ad oculum demonstrativa, Stephan. Gratian. *Discept. Forens. cap. 104. n. 13.* Confirmatur; quia, si in ejusmodi locis adhærentibus effundatur sanguis aut semen humanum, non polluitur Ecclesia per tradita *Tit. 40. n. 43.* ex ratione; quòd impedimentum pollutionis quasi pœnale sit & odiosum: cujusmodi cùm etiam sit privatio immunitatis, ista non incurretur per homicidium vel mutilationem, in scalis vel atrio Ecclesiæ & prope hanc factam. Unde corruit ratio in contrarium deducta.

Quantumvis autem hæc Opinio Juri magis consentanea, minimè tamen damnanda est Praxis contrariæ: imò hanc præferrem, si constaret de fayente ei declaratione Clementis VIII. à Farinacio allegata *cap. 16. n. 210.* & hanc non limitata casûs vel circumstantiæ particularis, sed universaliter factam.

Quòd

120. Quintò, Ecclesiarum immunitate non defenduntur homicidæ Proditorii, *c. 1. de Homicid.* & clariùs *Constitutione Gregoriana* ibi, *Qui proximum suum proditoriè occiderit.* Proditoriè autem occidere dicitur, qui proximum, non præcisè per insidias & dolum: sed sub specie amicitiæ, vel nullius existentis, vel præcedentis inimicitiæ per reconciliationem sublatæ, aut promissionis seu fidei datæ de non offendendo, incautum nihilque mali prævidentem aut suspicantem ferrô venenô &c. occidit: sicut à Joabo Principe exercitûs David Abner Princeps militiæ Israel, simulandô amicitiam: & Abner Princeps exercitûs Juda, exosculandô &, *Salve mi frater*, dicendô interfecti perhibentur *Reg. Lib. 3. cap. 2. V. 28. & 32.* per tradenda *Lib. 5. ad Rubric. de Homicidio*, ad quam hic casus latè discutietur *Art. 8. & 9. totis.*

121. Sextò, eâdem non proteguntur rei criminis Assassinii, *Constitutione Gregoriana cit. & c. 1. de Homicidio in 6.* vel potiùs istius textûs interprete consuetudine: quæ *c. cit.* verba, *Sit etiam à toto populo Christiano diffidatus*, etiam ad Immunitatis privationem refert. *citt.* Suarez *cap. 11. n. 13.* & Guttierez *q. 7. àn. 50.* Assassini autem hodie dicuntur, quicunque pecuniâ aliáve re promissâ Christianum non præcaventem alterius mandatô occidunt, aut etiam occidi mandant, per tradenda eôdem *Lib. 5. ad Rubric. de Homicidio Art. 10. totô.*

122. Septimò, eôdem Ecclesiarum privilegiô non gaudent rei criminis Hæreseos *Constitut.* Gregorii XIV. *àn. 25.* relatâ: imò ante hanc editam ex Orthodoxæ Fidei Ecclesiis exclusi fuêre ex consuetudine, teste *cit.* Covarruvia *cap. 20. n. 6.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 28. n. 68.* Eadem, imò major ratio est Apostatarum à Fide Christiana; quia hujusmodi Apostasia Hæresin includit: & istius pœnæ omnes in illius reis locum habent, Panormit. *in c. 1. de Apostat. n. 3.* & *cit.* Farinac. *n. 169.* Imò & Schismaticorum, quando eorum Schisma cum Hæresi est conjunctum.

123. Dubium est, an hæretici immunitate etiam non gaudeant quoad crimina ab hæresi distincta, ut homicidium, furtum, adulterium &c. sunt. Ratio dubitandi est; quòd allegata *Constitutione* hæresis reis ad Ecclesias perfugium absolutè & indistinctè denegetur. Nihilominus illos quoad hujusmodi crimina immunitate defendi, cum Sylvestro *V. Immunitas 3. q. 3.* docent *citt.* Guttierez *q. 1. n. 28.* Farinac. *n. 172*, Delbene *n. 7.* & alii ab his relati. Rationem reddunt partim; quòd in hæretico, propter homicidium, adulterium, furtum & alia crimina non excepta ad Ecclesiam confugiente, hæresis se habeat per accidens: partim verò; quòd Jus, hæreticum ex Asylô excludens, accipiendum sit in sensu formali & reduplicativo, sive quatenus reus est hæresis, & pœnam ejus ratione infligendam fugit: quod confirmat Praxis Germaniæ, in qua aliorum criminum aut debitorum reis hæreticis Ecclesiæ tutum perfugium præstant, Haunold, *cit. Tract. 1. n. 161.*

124. Dubium deinde est de Hæreticorum receptatoribus, fautoribus, defensoribus &c. Quos Asylô sacrô non defendi, docent *citt.* Palao *p. 9. n. 41.* Barbosa *n. 124.* Haunold, *n. 230.* idque sacri Tribunalis Inquisitionis praxi semper observatum, testantur *cit.* Farinac. *cap. 13. n. 175.* & Diana *p. & tract. 1. resol. 38.* Non quidem ratione receptationis, favoris, auxilii &c. sed ratione criminis hæreseos: cujus justam suspicionem præbent: utque eâ se purgent, vel de crimine convicti & condemnati plectantur, ex Ecclesiis extrahi & sacri illius Tribunalis vel alterius

judicis Ecclesiastici examini subjici solent.

125. Octavò, sacro Asylo non protegun-
tur rei criminis læsæ Majestatis humanæ in ipsam Principis personam; hujus enim violatores, sicut effectu etiam non secutô infami morte perire, eorúmque aboleri memoriam, Impp. voluerunt, *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest.* sic miserorum ac nocentium communi perfugiô privandos, censuit Gregorius XIV. *Constitutione n. 25.* relata 27.

126. Principis autem nomine hoc locô ex communi DD. sensu veniunt non solùm Papa, Imperator, Reges: sed etiam S.R.E. Cardinales Archi-& Episcopi, præsertim Germaniæ nostræ, tanquam S.R.J. Principes, Magni Equitum Melitensium & Teutonicorum Magistri in Ecclesiastica: & in Seculari Republica S.R.J. Electores, Archidux Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Hetruriæ, Sabaudiæ, Parmæ aliíque ejusmodi, & Venetæ ac Januensis Rerumpublicarum Duces, Marchiones & Comites, non indiscriminatim quicunque, sed plenum jus in territorio suo obtinentes, & superiorem in temporalibus non recognoscentes, *citt.* Farinac. *cap. 14. n. 188.* Bonacina *q. 7. §. 6. n. 2.* & Delbene *dub. 23. s. 1. n. 35.*

127. Quare, quisquis memoratorum eíque similium Principum alicujus personam, positivam aliquam actionem in ejus damnum vel offensam exercendo, vg. occidendô, vulnerandô, percutiendô, conjurandô, machinandô, hostiliter insequendô, eum hostibus prodendô, vel tales actiones mandandô, consensu vel consilio promovendô, eásve exercentibus auxilium & favorem præstandô lædit, secundùm *citt.* aliòsque DD. Ecclesiasticæ im-
128. munitatis suffragiô privatur. Quod verum est, etiamsi ejusmodi actionem positivam effectus, vg. cædes, vulneratio, percussio, captivitas non sequatur; quia his etiam non secutis, in Principem actio positiva ad ejus personæ læsionem tendens exercita, ac proinde læsæ Majestatis crimen in ipsius personam est commissum, Clarus §. *Crimen læsæ Majest. n. 16.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 112. n. 91.* & Delbene *cit. s. 1. n. 3.*

Dubium est, an immunitatis suffra-129.
gium Jure ademptum sit ei, qui ejusmodi actione Principis non sui personam offendit. Dubitandi ratio est; quòd læsæ Majestatis reus generatim sit, quisquis Principis personam offendit, *l. Quisquis cit.* licet alias ejus subditus non sit; cùm ipsâ ejusmodi actione illi subjiciatur, ejúsque forum sortiatur ratione delicti, *c. fin. de Foro compet. & Auth. Si qua C. Ubi de crim. agi oport.* imò delictî forum potentius sit eô, quod ratione Originis vel Domicilii sortimur, *c. Postulâsti 14. de Foro compet. c. 1. de Raptorib. & c. 1. de Privileg. in 6.*

Sed, esto quis, ubi deliquit, plectatur, & extraneus in Principis non sui personam machinari ausus stabile præsidium ab asylo sperare in Praxi nequeat, inde tamen spectatô Jure extrahi nequit, tanquam reus læsæ Majestatis; quòd ad hoc crimen Jure exigatur; ut quis Principi, cujus personam offendit, ratione originis vel domicilii sit subjectus, *Clement. Pastoralis 2. de Sent. & re judic.* cujus §. *Rursus* Clemens V. declarat, Robertum Siciliæ Regem criminis læsæ Majestatis, in Henricum Imp. commissi, reum non esse: ejúsque declarationis ea ratio redditur; quod ille Imperatori huic nec originis nec domicilii ratione fuerit subjectus, prout etiam sentiunt Clarus *§. cit. n. 7.* Farinac. *q. 112. cit. n. 140.* Gomez *Tom. 3. de Delictis cap. 2. n. 10.* & Diaz *Pract. cap. 119. n. 1.* Unde Judæus vel Paganus in necem Papæ aliquid machinatus, & huicratione originis vel domicilii non subjectus, reus non

reus non est læsæ Majestatis. Extrahi tamen hujusmodi Infideles ex Asylo possent jussu Papæ, legem ab Antecessore suo Gregorio IV. latam relaxantis: sicut non rarò aliorum enormium, non tamen exceptorum, criminum rei inde extrahi ab eo permittuntur, per tradita à Farinac. *cit. cap. 22. n. 346.*

Neque obstat subjectio ratione delicti; quia hæc delictum sive machinationem in principem non antecedit, prout exigit læsæ Majestatis crimen. Unde talis plecti quidem in delicti loco potest: non tamen incurrit privationem Immunitatis, latam in reos violatæ Majestatis.

130. Octo criminibus hactenus declaratis & Constitutione Gregorianâ expressis Gambacurta *Lib. 5. de Immunit. cap. 18.* & Portell. *Dub. Regular. V. Ecclesiæ Immunitas, n. 15.* addenda existimant quævis alia, *Constitutione* illâ enumeratis graviora. Ratione moventur eâ; quòd lex etiam pœnalis ad similes & graviores casus extensionem admittat, quando in his etiam militat ratio expressa in ipsa ejus dispositione. Ita *citt.* & nonnulli alii DD. Sed contra torrentem aliorum, quibuscum *citt.* Farinac. *cap. 22. n. 235.* Palao *p. 10. n. 4.* Del-bene *dub. 24. s. 1. n. 1.* Haunold. *n. 235.* Fagnanus *in c. Inter alia cit. n. 34.* & Sperellus *Decis. 22. n. 8.* ad Ecclesias perfugium octo duntaxat memoratorum criminum reis Jure ademptum, docent. Moventur; quòd antiquo Decretalium non nisi expressè exceptorum criminum reis Immunitatis suffragium denegetur, *c. Inter alia cit.* verbis, *Quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus:* quibus proditam Regulam subjecti & expressè excepti casus in cæteris non exceptis casibus firmant, *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. V. Denique ff. de Fundo instructo.* Novissimo autem Jure, Immunitatem octo duntaxat relatorum criminum reis non prodesse, planè liqueat ex *cit.* Gregorii XIV. *Constitutione*: quâ imprimis omnibus juribus ad unam formam redactis octo illorum rei Curiæ seculari repetenti consignari jussi: deinde indulta & privilegia, præter alia reorum extractionem pluribus permittentia, revocata & sublata: & demum adempta est facultas, expressos & specialiter exceptos octo casus per interpretationem ad quoscunque alios non expressos extendendi, ut præter DD. *citt.* advertit Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 13. n. 27.*

Quare vanum est, cui Opinionem suam adversarii superstruunt, fundamentum; quia legem pœnalem ejúsque pœnam ob solam paritatem, identitatem, & majoritatem etiam rationis, regulariter ab expressis ad personas casus & causas non expressas extensionem non admittere, cum Glossa *in Reg. In pœnis 49. in 6.* tradunt Castro *de Lege Pœnali cap. 7. docum. 1.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 3. n. 5.* Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 42. à n. 30.* & Salas *de LL. disp. 21. s. 5. n. 11.* Unde 131.

Infertur propositæ immunitatis suffragium; cùm ad Ecclesias fugâ se recipiunt, non denegari simplicis, imò & qualificati, specialiter tamen non excepti, homicidii, furti & adulterii reis & raptoribus virginum: quibus ad illas perfugium præclusum quondam erat Jure Civili, *Novell. 17. cap. 7.* Blasphemiæ item non hæreticalis, Simoniæ, Sodomiæque etiam frequentatæ reis, incendiariis & spoliatoribus ipsarum etiam Ecclesiarum: nec non reis procurati abortûs, falsatæ monetæ & aliorum etiam atrocium criminum: nisi eorum alicujus vel plurium extractionem Consuetudo, introducta post Constitutionem Gregorianam, 132.

tianam, aut istâ recentius privilegium Apostolicum cohoneſtet: vel reos, ut in casibus particularibus Romæ frequenter solet, ex Ecclesiis vel Monasteriis, ad quæ fugâ se receperunt, extrahendi licentia à Papa sit impetrata.

133. Quodsi in Provincia aliqua crimen pessimô publicô frequentari & invalescere, ad Sedē Apostolicam referretur, ista pro maximo zelo, quô vitia extirpare & facinorosorum hominum licentiam coërcere semper solita est, procul dubio ejus reos ex Asylo sacro extrahendi licentiam stabilem concederet indultô speciali, vel promulgatâ nova Constitutione, ad Christiani Orbis provincias omnes se extendente: qualem ad extrahendos homicidii præmeditati reos concedi, optat Eminentiss. de Luca *Theatr. V. & I. p. 4. Lib. 14. disc. 9. n. 7.*

ARTICULUS VII.

De Reorum ad Sacra & Religiosa Loca fugientium Privilegiis.

SUMMARIUM.

134. *I. Reus ex Asylo neque excludi à Prælato,*
135. *II. Neque à judice vi extrahi,*
136. *Vel ab alio ita extractus,*
137. *Vel ad egrediendum gravi metu coactus,*
138. *Vel dolosâ impunitatis promissione, nomine judicis factâ, inductus capi potest.*
139. *Secus est, si fugæ spe sibi factâ deceptus egrediatur.*
140. *Cautione de impunitate receptâ antiquô,*
141. *Non etiam modernô Jure extradi à Prælato?*
142. *Aut sacræ Asyliæ renuntiandô in sui extractionem consentire potest.*
143. *Confugam vi extrahentibus resisti,*
144. *Aliter tamen ab ipso, aliter ab Ecclesia potest.*
145. *III. Auferri eidem nequeunt res illatæ Asylo:*
146. *Nisi injustè detineantur.*
147. *IV. Violenter extracti restitutio facienda est,*
148. *Spoliata vel alteri Ecclesiæ,*
149. *Vel Episcopo ejusque Vicario Generali.*
150. *V. In Ecclesia &c. reus nec vinciendus neque incarcerandus est:*
151. *Etiam donec constet de Criminis qualitate.*
152. *VI. Subtrahi eidem nequeunt alimenta:*
153. *Quæ, si necessitas poscat, ministranda ab Ecclesia,*
154. *Et huic à reo compensanda sunt.*
155. *VII. Condemnari in Asylo existens nequit ad pœnam corporalem.*
156. *De injuria tamen & damno satisfacere tenetur.*
157. *Duo hac in re notatu digna.*

IMmunitatis effectus sive Sacrorum & Religiosorum locorum, ad eáque fugâ se recipientium reorum privilegia non pauca nec contemnenda sunt.

Primò enim rei ad ea confugientes 134
recipiendi sunt, nec repelli possunt juxta illud, *Pateant summi Dei Templa timentibus, l. 2. pr. C. de His, qui ad Eccles. confug. can. Definivit 17. q. 4. & c. Inter alia 6. hâc Rubr.* quô textu, dum Ecclesiarum Rectores confugarum *Vitam & membra* servare jubentur, aditum ipsis ad illas præcludere, eósque repellere citra omne dubium prohibentur, Del-

bene de

bene *de Immunit. cap. 16. dub. 24. f. 4. n. 1.* & Haunold. *Tom. 6. de I. & I. Tract. 1. n. 272.*

135. Secundò criminis non excepti rei quicunque, Asylo recepti, extrahi ex eo inviti & extradi prohibentur, *l. cit. l. Fideli 2. l. Præsenti 6. C. Rubr. cit. can. Definivit cit. can. Frater, can. Reum q. 4. cit. & c. Inter alia cit. & Constitutione* Gregorii XIV. *à n. 25.* relata.

Imò capi & violenter abstrahi ex Ecclesiis &c. nequeunt, quando ex iis ad triginta passus, ob cibi vel somni capiendi vel aliam corporis necessitatem, reversuri egrediuntur, per *can. Definivit cit.* verba, *Sed in hoc triginta passuum numero progredientes &c. ad requisita naturæ usum debitis exeant locis.* Ratio est; quòd ita ex Ecclesia ad vitandam omnem ejus irreverentiam exiens, illam deserere moraliter non censeatur, Diana *p. & Tract. 1. resol. 26.* Unde

136. Dubium oritur primò, an reum, ex Asylo sacro per vim ab aliquo extractum, ad carceres & vincula abstrahere valeat ejus violentiæ non conscius judex secularis. Quod huic permissum, sine dubio affirmat Suarez *Tom. 1. de Relig. Lib. 3. cap. 13. n. 17. in fine.* Sed melius negant Valentia *Tom. 3. disp. 6. q. 15. p. 1. ad 2.* M. Ant. Genuens. *in Praxi cap. 17. n. 6.* & Palao *Tract. 11. disp. unic. p. 11. n. 2.* Ratio est; quia Jura confugas in Ecclesiis ita securos esse volunt; ut inviti earum immunitate privari à nullo possint: & propterea, si eâ quacunque vi de facto priventur, eâ de Jure non excidant; cùm extractio inviti non solùm illicita, sed ipsò Jure nulla & irrita sit, per *Constitutionis Gregorianæ* verba, *Nec non irritum decernimus & inane, si secus super his per quoscunque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Unde sic corporaliter extractus, moraliter pro non extracto: sed in loco sacro existente, habetur; atque idcirco judex eum extra hunc repertum apprehendendò & detinendò, moraliter eum extrahere, vel injustam extractionem ab alio cæptam continuare censetur.

Idem fere DD. sentiunt de eo, qui 137. gravi & injusto vg. occisionis aut violentæ extractionis metu ex Asylo fugiens est interceptus; cùm moraliter extractus vel expulsus potiùs sit, quàm egressus, Farinac. *Append. de Immunit. cap. 2. n. 53. citt.* Del-bene *dub. 24. f. 4. n. 1.* & Haunold. *n. 241. can. Id constituimus 17. q. 4.* verba, *Si reus timore actus ab Ecclesia discesserit, à Clericis non quæratur*, de timore, non ab alio injustè incusso, sed propriâ apprehensione concepto exaudientes.

Dubium secundò est de reo, ad egressum blandis ac dolosis verbis inducto, 138. & apprehenso à Curia seculari. Quem Ecclesiæ restituendum affirmandò & negandò, sibi adversantium DD. Opiniones facilè conciliantur auxiliò distinctionis; vel enim ejusmodi verbis & dolosâ impunitatis promissione ab ipso judice istiúsque authoritate, vel ab alio vg. fugam expeditam aut aliud quiddiam mentiendò prætendente, ad egressum inductus est?

Si prius, Ecclesiæ est restituendus; quòd sub impunitatis conditione & obligatione ab Ecclesia dimissus aut ipse egressus censeatur; atque idcirco suâ promissione judex stare & securitatem præstare egresso teneatur: &, si renuat, ad id compelli censuris possit, Navarrus *Manual. cap. 25. n. 22.* Azor *p. 2. Instit. Lib. 8. cap. 9. q. 11.* Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3. n. 54.* & M. Ant. Genuens. *cap. 17. cit. n. 5.* testificans, ita in Curia Archiepiscopali Neapolitana judicatum: & eum, qui impunitatis à judice promissæ fiduciâ

fiduciâ ex Asylo fuit egressus, restitui aut sine sanguinis aliáve simili corporali pœna dimitti jussum, 1598.

Si posterius, ad ejus restitutionem judicem non obligant *citt.* Navarrus *n.* 21. Suarez *cap.* 13. *n.* 2. & Farinac. *cap.* 19. *n.* 302. quòd talis dici nequeat passus violentiam & extractus: quod potissimùm Jure prohibetur, *can. Miror, 8. can. Frater* 10. *can. Si quis contumax* 20. *can. Definivit* 35. *q.* 4. *cit. c. Inter alia & Constit. Gregoriana citt.* Confirmatur; quia precibus & blandis ac mendacibus verbis inductus, suâ potiùs imprudentiâ, quàm alienâ fraude circumventus videtur, *arg. c. Cùm dilectus 6. de Iis, quæ vi met. causâ*, cujus textus habet, *Nec obstante dolô, quô se proponebant fuisse seductos; cùm talis dolus non tam ad circumventionem, quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri.* Satis tamen probabilis est Opinio Dianæ existimantis, etiam talem, saltem si hominis aliàs fide digni mendaci asseverationе ad exeundum inductus fuisset, Ecclesiæ restituendum, cùm; quòd talis viri dolosa verba æquiparentur violentiæ: tum verò; quòd hæc Opinio favorabilis sit Immunitati.

140. Dubium tertiò est, an ad Ecclesiam confugiens seculari Curiæ reposcenti tradi valeat ab Ecclesiæ Prælato. Qua in re locus, imò opus est distinctione inter Jura; quantumvis enim cujusvis criminis reus ab Ecclesiæ Prælato, juratâ aliáve cautione receptâ de immunitate à mortis aliáve pœna corporali, tradi permissus fuerit antiquo, *can. Reum 9. can. Id constituimus 36. q. 4. & c. Inter alia citt.*

141. Moderno tamen Jure Curiæ seculari reposcenti consignari criminis non excepti reus invitus non potest; quòd *Constitutione Gregorianâ* reos extradendi facultas solùm concedatur in criminibus exceptis: eáque, dum Prælati horum duntaxat reos *Ministris & Officialibus Curiæ secularis absque irregularitatis nota &c.* tradere & consignare posse dicuntur, clarè insinuatur, reos criminum non exceptorum tradi non posse absque nota irregularitatis, si traditorum mors aut mutilatio sequatur. Quare hodie non excepti criminis rei Curiæ seculari consignari nequeunt sine licentia Papæ aut alterius, ab eo habentis potestatem ejusmodi licentiam concedendi; cujusmodi potestas fieri solet Apostolicis ad Christianos Principes & provincias gubernandas Legatis pro casibus, quibus extractionem permittendi justæ & rationabiles causæ esse ipsis videbuntur, testibus Deciano *Tract. Criminal. Lib. 9. cap.* 22. & Guazzino *Defens. reor.* 1. *cap.* 29. *n.* 3.

142. Dubium quartò est, an ex Asylo extradi valeat reus consentiens. Ejus enim extractione Immunitatem à seculari Curia non violari, *in can. Frater* 10. *q.* 4. *cit.* notârunt Archidiaconus *V. Reluctantem* & Turrecremata *V. Eôdem, n.* 2. At meliùs alii, licet reis exitum, aut saltem eorum sponte exeuntium & extra Asylum deprehensorum apprehensionem Curiæ seculari permissam, concedant, extractionem tamen ex ipso Asylo illicitam & invalidam censent; quòd immunitas non tam reorum ad Ecclesias & Monasteria confugientium privatus, quàm ipsorum sacrorum & Religiosorum locorum privilegium & Religionis intuitu concessus publicus favor sit, *can. Reum 9. can. Frater* 10. *can. Definivit* 35. *q.* 4. *cit. & l. Præsenti 6. C. de His, qui ad Eccles. confug.* juri autem & favori publico privatorum pactionibus & cessionibus nequeat renuntiari, *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis citt.* Palao *p.* 11. *n.* 5. & Del-bene *dub.* 26. *n.* 7.

Dubium

143. Dubium quintò est, an & quomodo Curiæ seculari, criminis non excepti reum ex Asylo vi extrahere volenti, valeat resisti. Resisti ei posse, communissima sententia & ratio perspicua est; quòd ex una, Curia secularis injustam vim inferat Ecclesiæ & reo istâ recepto: ex altera verò parte, se defendere & injustam vim vi repellere à Jure sit permissum, *l. Ut vim 3. ff. de I. & I. & l. Scientiam 45 §. 4. ff. ad L. Aquil.* etiam, cùm vim infert Justitiæ minister; quia etiam huic injustè exequenti resistere licet, *arg. l. Prohibitum 5. C. de Jure Fisci.*

144. Quantumvis autem reus laicus vim vi repellere & securitatis suæ jus propugnare, si necesse sit, etiam armis possit; quòd ita defendere se potiùs quàm offendere videatur, Del-bene *cit. dub. 32. n 2.* & Ecclesia, etiam fores occludendô, & alia ad externam vim impediendam idonea & ab Ecclesiastico statu non aliena media absque aggressione adhibendô, Immunitatis suæ jus valeat tueri, statui tamen suo & Juri, *can. Convenior 20. &c. 23. q. 8.* conformiùs aget, & scandala, quæ ex violentia & armata defensione nasci solent, evitabit, si externam vim repellat, suæque fidei ac tutelæ commissum confugam & privilegium suum tueatur comminatione Censurarum Ecclesiasticarum, *Juxta can. Sicut antiquitus 5. can. Miror 8. can. Frater 10. &c. 17. q. 4.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 18. in fine* Laiman. *Lib. 4. Tract. 9. cap. 3. n. 14.* & Haunold. *Tract. 1. cit. n. 250.*

145. Tertiò, reus Asylô sacrô receptus spoliari nequit bonis suis in Ecclesiam illatis, *can. Sicut antiquitus cit.* ibi, *Qui autem &c. bona ejus subtraxerit, can. Definivit cit.* cujus verba sunt, *Nullus audeat quodcunque nocibilitatis, damni vel spolii* propriorum bonorum *residentibus in loco Sancto inferre.* His accedit S. Congreg. super Controvers. Juridictional. à qua adversus eos, qui confugarum bona atque etiam arma auferunt, sicut adversus Immunitatis violatores procedendum esse *13. Jan. 1632.* declaratum, perhibet *cit.* Del-bene *dub. 30. n. 1. Suè,* 146. inquam, & *Justè possessis:* non alienis & detentis injustè; talia enim ipsis auferri non prohibentur, saltem cum licentia Ecclesiastici Prælati, teste eodem *n. 4.* Ratio est; quia hujusmodi bonorum rerúmque ablatione nihil nocibilitatis, damni vel spolii patitur; cùm ei solummodo peccandi occasio seu materia auferatur: &, ne ab eo illatâ & continuatâ injuriâ damnum patiantur alii, caveatur, *citt.* Covarruv. *n. 11.* Suarez *n. 3.* & Palao *n. 10.*

Quartò, rei criminis non excepti ex 147. Ecclesiæ vel Monasterio extracti cum bonis inde abstractis sunt restituendi, *can. Miror & can. Sicut antiquitus citt.* ubi, qui personam hominis vel bona inde subtraxit, *Quousque* per restitutionem *emendet, & quod rapuerit, reddat,* excommunicari jubetur. Rationis locô est generalis Regula de Spoliato ante omnia restituendo, *c. Item cùm 6. c. Conquerente 7. &c. de Spoliat. restit.* Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 35.* Tuschus *Practic. V. Ecclesia, concl. 10. n. 20.* Barbosa *in can. Sicut cit. n. 2.* & Fagnanus *in c. Inter alia cit. n. 10.* Quod adeò verum est; ut reus etiam propter crimina post extractionem, dum in Curiæ secularis manibus esset, commissa à Curia ista nequeat puniri; quòd pro ipso & pro Ecclesia, ipsum sine omni ejus nocibilitate vel damno detinendi jure spoliatis, tradita & ab omnibus recepta Regula stet, M. Ant. Genuens. *cap. 17. cit. n. 5,* & Diana *p. 6. Tract. 1. resol. 32.*

Neque ab hac rei violenter extracti

restitutione secularis Curia excusatur, si juratoriâ vel aliâ cautione Ecclesiam securam reddat de morte aliáve corporali pœna ipsi non infligenda; quia Ecclesiæ priùs satisfactio exhibenda est pro injuria illata per spoliationem, & restitutionem exposcente, *citt. can. Sicut, can. Miror, citt.* Panormit. *n. 35.* & Farin. *n. 50.*

148. Dubium est, cui Ecclesiæ restitutio sit facienda. Ei, è qua violenter extractus est, faciendam: nec sufficere; quòd Ecclesiæ vel Monasterio alteri fiat, censet Diana *p. 6. cit. Tract. 1. resol. 29.* junctâ Glosâ *V. Possessionem, de Offic. deleg.* spoliata autem sit Ecclesia, à qua violenter est extractus. Sed, etsi hoc verum sit casu, quô, restitutione alteri factâ, rei extracti saluti & commodis minùs esset prospectum, casu tamen, quô rei extracti aut Ecclesiæ violatæ id specialiter non interest, restitutionem alteri Ecclesiæ vel Monasterio, vel Episcopo aut ejus Officiali seu Vicario generali fieri posse, censent *citt.* Farinac. *cap. 2. n. 48.* Bonacina *q. 7. p. 3. n. 14.* Palao *p. 11. n. 13.* & Haunold. *n. 252.* Ecclesiæ alteri; quia privilegium Immunitatis omnium unicum est; ut, sicut injuria per violentam rei extractionem uni illata, sic etiam satisfactio reique extracti restitutio omnibus sit communis. Episcopo aut

149. ejus Vicario; quia facta illi, sive immediatè sive mediatè per istum, facta censetur Ecclesiæ, quam specialiter repræsentat, *can. Scire debet 7. q. 1. & c. 1. de In integ. Restit. in 6.* M. Ant. Genuens. *cap. 22. n. 7.*

150. Quintò, reus Sacro aut Religioso loco receptus vinculis in eo constringi, aut carceri includi nequit à Curia seculari, *l. Præsenti cit. & can. Definivit cit.* quo illi nihil *Nocibilitatis vel damni* inferri prohibetur; ne ex Asylo fiat carcer, & à seculari Curia jurisdictio exerceatur in loco ab ipsa exempto, contra *c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict. citt.* Covarruv. *n. 17.* Tuschus *Concluss. 10. n. 12.* & Farinac. *cap. 19. n. 297.*

Dubium est, an vinculis & carcere constringi aut alio modo, ne elabatur, custodiri reus valeat saltem, donec, an Immunitate gaudeat, ab Episcopo pronuntietur. Ratio dubitandi est; quòd interea dubium sit, cujus jurisdictioni reus subiiciatur: & ne, antequam, eum Immunitate non gaudere, pronuntietur, elabatur fugâ: ad quam præcludendam suámque jurisdictionem indemnem conservandam constringi, & arctiùs custodiri posse videtur.

Nihilominus reum ita constringi & 151.
custodiri posse, magno consensu DD. negant propter textus *l. & can. citt.* Rationem reddunt partim; quòd Ecclesiæ sacro sinu receptus confuga existat in loco, extra secularis potestatis territorium sito, vel extra hoc existenti æquiparato & ab illa exempto: partim verò; quòd tali casu Ecclesia sit in possessione vel quasi ipsius rei recepti; atque idcirco eâ possessione non deiicienda, donec de veritate & qualitate criminis legitimè constet. Ita Decianus *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 29. n. 2.* Peregrinus *de Immunit. cap. 16. n. 29. citt.* Farinac. *cap. 19. n. 297.* & Bonacina *p. 3. n. 5.* ne autem reus interea elabatur, fuga ei præcludi potest & solet à custodibus vel militibus, qui ejus egressum non in ipsa Ecclesia vel cœmiterio, sed extra ista in prophano loco præstolentur, Haunold. *cit. Tract. 1. n. 234.*

Neque, eum in ipsa Ecclesia constringi & custodiri posse, asserentibus favet *Constitutio Gregoriana*, in hujusmodi dubio casu laicos delinquentes *Sub turo carcere & opportuna custodia data, si opus fuerit, per curiam secularem detineri jubens*, do-

bens, donec ab Episcopo, *An verè crimina excepta commiserint*, cognoscatur; quia Gregorius Papa non loquitur de reo existente in Ecclesia, vel de custodia aut alligatione illius in ista: sed de eo propter crimen exceptum à Curia seculari vi extracto: quem restituendum &, donec causa decidatur, non in ipsa Ecclesia, sed extra istam in carcere Ecclesiastico: &, si iste tutus non sit, per secularis Curiæ ministros vult custodiri, ut à S. Congreg. Episc. & Regul. *30. Septemb. 1616.* declaratum, testis est *cit.* Delbene *dub. 27. n. 9.*

152. Sextò, reo, dum in Asylo est, victus, vestimenta aliáque vitæ necessaria inferri possunt & permitti debent, *can. Definivit & l. Præsenti citt.* Ratio est; quia reo alimenta in locum Sacrum vel Religiosum inferri prohibentes ipsum indirectè vel inde extrahunt, aut exire compellunt, vel in Asylo perimunt, juxta illud S. Ambrosii *Lib. de Officiis*, *Si non paveris, fame occidisti*, *can. Pasce 21. dist. 86.* ut *in c. Inter alia cit.* notant Hostiens. §. *Si liber* & Joan. Andr. *n. 5.* ubi uterque & ex ipsis Fagnanus *in c. cit. n. 20.* observat, circa Imunitatem à seculari Curia graviter delinqui, si reo requiem, vestes aliáque victualia denegandò aut inferri prohibendò eum vel egredi vel fame mori compellant, contra *l. & can. citt.*

153. Dubium est, à quo reus in Asylo sit alendus. Qua in re à DD. recepta est distinctio; vel enim habet bona propria, ex quibus alatur, vel iis caret? Si prius, ex propriis ei præstanda sunt alimenta: quæ si præsto non sint, & ab Ecclesia suppleantur, huic ad compensationem est obstrictus, Sylvester *V. Immunitas 3. q. 3.* Ratio est; quòd tali casu Ecclesia præsenti solùm necessitati subvenire: non absolutè donare præsumatur, per tradita à D. Thoma *Quodlib. 5. art. 7.* Si posterius, ad ejus sustentationem tenentur consanguinei &, horum subsidiò deficiente, Ecclesia, Panormit. *in c. Inter alia cit. n. 28.* Sylvester *l. cit.* & Azor *p. 2. Instit. Lib. & cap. 9. q. 13.* Ratio est; quia, cùm confuga se committat tutelæ ac protectioni Ecclesiæ, ad quam fugit, æquum omnino est; ut hæc pro sua in miseros pietate eum, necessariis vitæ subsidiis aliunde destitutum, non derelinquat & seculari Curiæ se permittere compellat. Ita cum DD. *citt.* Hau- 154.
nold. *Tract. 1. cit. n. 247.* ubi ipse & Ranbeck *Panopl. Immunit. disp. 4. cap. 5. n. 43.* monent, hujusmodi reum cogi posse ad serviendum Ecclesiæ, & in istius commodum laborandum, saltem si hoc possit & aliàs solitus sit: cùm; ne immunitas ipsi occasio sit otiandi: tum verò; quòd, cùm Ecclesia ipsi subministret alimenta, æquitas exigat, hæc labore aliáve ratione compensari.

Septimò, Asylò sacrò receptus à 155.
seculari Curia ad mortem aliámve gravem corporalem vg. mutilationis, fustigationis, triremium, servitutis, exilii, carceris &c. pœnam nequit condemnari, *can. Reum can. Id constituimus c. Inter alia citt.* Tuschus *cit. Concl. 10. n. 5. 8. 14. & 86. citt.* Farinac. *cap. 21. n. 335.* Bonacina *q. 7. §. 5. V. Quartus* & Palao *p. 11. n. 9. Corporalem*, inquam, *& Gravem.* Prius; quia pro damno & injuria illata offenso exhibitâ pecuniâ alióve modò satisfacere tenetur, per *can. Reum cit.* verba, *Tamen legitimè componat.* id est, pecuniariter satisfaciat, *Quod iniquè fecit*, Glossa *in can. cit. & can. Id constituimus cit.* quò confugæ *A morte, debilitate securi esse* jubentur, *ita tamen, ut ei, cui fuerit criminosus*, sive damnosus & injuriosus, *de satisfactione conveniat.* Posterius; quia, si in 156.

bonis non habeat, de quo pecuniariam aliámve similem satisfactionem præstet ei, cui obnoxius est, corporali, sed mitiori & non graviter afflictivâ pœnâ affici possit, juxta vulgatum, *Qui non habet in ære, luat in cute*; cùm tali casu non per se, sed per accidens tantùm in corpore puniretur, *citt.* Del. bene *dub. 31. n. 7.* & Haunold. *n. 248.*

157. Notatu tamen digna hìc duo sunt. Primùm ex Fagnano *in c. Inter alia cit. n. 20.* ab Ecclesiarum Prælatis non rarò delinqui, cùm ad Ecclesias & Monasteria sua confugientes, quantumcunque gravium criminum reos, de liberatione magis quàm de emendatione aut satisfactione læsis præstanda solliciti, in totum salvare nituntur ita; ut omnino nullam etiam pecuniariam & moderatam pœnam subeant, contra *c. cit.* dispositionem & ipsam Justitiam. Alterum; quòd, teste Claro §. *fin. q. 30. n. 23.* & Farinacio *q. 28. n. 77. in fine*, Consuetudine alicubi receptum sit; ut, cùm delinquens in casibus non exceptis ad Ecclesiam fugit, Curia secularis contra eum per inquisitionem citationémque procedat: & in non comparentem juxta delicti legitimè probati qualitatem proferat sententiam: quæ tamen, si Capitalis sit, executioni mandari, Immunitate Ecclesiasticâ obstante, non potest.

ARTICULUS VIII.

De Cognitione, an Reus gaudeat Immunitate, & istâ privatorum ex Asylo Extractione.

SUMMARIUM.

158. *Capita quæstionis, an reus gaudeat Immunitate, tria sunt.*
159. *Cognitionem de qualitate loci vel personæ, Seculari;*
160. *Et Ecclesiastica Curia adstruentium vera Opinio:*
161. *Sive de iis Juris,*
162. *Sive Facti quæstio sit.*
163. *De qualitate Criminis cognitionem quidam Seculari,*
164. *Aliqui ei simul & Ecclesiastico judici,*
165. *Melius alii huic soli vendicant.*
166. *Causa Immunitatis non Prælati, sed Ecclesiæ propria,*
167. *Et non Mixti, sed Ecclesiastici Fori est.*
168. *De ea judex secularis simpliciter tantùm se informare:*
169. *Verè & judicialiter cognoscere potest Episcopus,*
170. *Sede vacante Capitulum,*
171. *Et utriusque Vicarius Generalis.*
172. *Reus criminis exceptis sine cognitione Ecclesiastica,*
173. *Et persona Clericalis intervenit extrahi ex Asylo non potest.*

158 FRequens in praxi dubitatio & inter Ecclesiasticas ac Seculares Curias concertatio est, an reus sacrò vel Religiosò locò receptus ejus gaudeat Immunitate: eáque inde nescitur; quòd non constet de qualitate, vel ipsius loci, ad quem reus confugit, an Sacer, Religiosus aut prophanus sit: vel personæ eò receptæ, an laicalis vel clericalis, & Fori privilegiò extra Asylum tuta sit adversus curiam secularem, aut secus: vel criminis à confuga perpetrati, an aliquod ex octo exceptis & ad Asylum præcludentibus aditum, & istius suffragium adimentibus, vel aliud sit. Quò casu, cùm in dubio locus Sacer aut Religiosus, persona Clericalis aut Religiosa, & crimen, quod commissum est, exceptum,

ceptum, ſive ſpeciali qualitate aſyli ſuffragium adimente affectum eſſe, non præſumatur *arg. c. Cùm in Jure 31. de Offic. deleg. & c. fin. de Præſumpt.* opus eſt cognitione judiciali de loci, perſonæ & criminis qualitate. Unde

159. Dubium & controverſia non levis eſt de judice, reſpectu hujusmodi cognitionis de Iure competente.

Et quidem, ſi dubium ſit de qualitate loci vel perſonæ, non deſunt, qui cum Caſtro *de Manu Regia p. 1. cap. 10. n. 1.* & Olibano *de Jure Fiſci cap. 11. n. 12.* eam adſtruant Curiæ ſeculari, eáque ratione moveantur; quòd cujusvis judicis ſit cognoſcere, an ſua ſit jurisdictio: prout de Ordinario ex *l. Si quis ex alieno 5. ff. de Judiciis l. Ex quacunque 2. ff. Si quis in Jus vocat. &c.* de Delegato autem patet ex *c. Paſtoralis 14. & c. Super literis 20. in fine, de Reſcript.*

160. Sed melius, ejus dubii cognitionem ad judicem Eccleſiaſticum pertinere, cum Ant. de Butrio *in c. Cæterùm 5. de Judic.* defendunt Covarruvias *Practic. cap. 33. àn. 1.* Steph. Gratianus *Diſcept. Foreſt. cap. 190. à n. 11.* duo Barboſæ, Petrus *in l. Titia 34. ff. Soluto matrim n. 28.* Auguſtinus *de Offic. & Poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 12. n. 34.* & Oliva *de Foro Eccleſ. p. 1. q. 26. n. 21.* aſſerens, hanc communem fere omnium ſententiam, propter expreſſum textum *c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *Dubitationis*, inquit, *an ſit, qui repetitur, clericus, ad judicem Eccleſiaſticum cognitio pertinebit.* Rationem Papa reddit; quia de re ſpirituali & Eccleſiaſtica eſt: de qua (ſive de perſona & rebus ſpirituali annexis, vg. de Eccleſia, Altari, calice aliisque rebus, conſecratione vel benedictione ſpeciali affectis & Divino cultui dedicatis) ſive principaliter ſive incidenter in judicium deducatur, ſecularis judex cognoſcere non poteſt, *c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judiciis, c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Lator 5. c. Cauſam 7. Qui filij legitimi &c.*

Quare vim non habet pro iſto judice deducta ratio; quia in dubio, an ſua ſit jurisdictio, æſtimare ſecularis judex ſolummodo poteſt, quando materia temporalis & prophana, reúsque conventus laicus eſt, ut dictum *Lib. 2. tit. 2. n. 15.* cùm tali caſu in materia & perſona fundatam intentionem habeat & jurisdictionem: non etiam, quando materia ſpiritualis aut reus conventus Eccleſiaſticus eſt; horum enim reſpectu ſolus judex Eccleſiaſticus intentionem ſuam Jure fundatam habet, *c. Si judex c. Quantò &c. citt.* Martha *de Jurisdict. p. 2. cap. 5. n. 16. & p. 4. caſu 145. à n. 14.*

Atque hæc Reſolutio procedit non 161. ſolùm, cùm de perſona vel loco Juris, ſive de Ordinationis vel profeſſionis Religioſæ, vel conſecrationis, benedictionis & ad divina factæ deputationis valore: ſed etiam, cùm de ipſis facti quæſtio eſt, vg de perſona, an, quò locò Ordines majores vel minores ei collati, vel profeſſio edita ſit, an beneficium habeat, vel habitum ac tonſuram clericalem detulerit: & de loco, an, quando & à quo Epiſcopo conſe- 162. cratus, cujus Eccleſiaſticâ authoritate ad divina deputatus ſit: ut de Perſona dictum *Lib. 2. tit. 2. à n. 108.* de Loco verò inde liquet;, quòd ad effectum; ut ex eo reus extrahi valeat, non ſufficiat conſtare vel probare ejus conſecrationem, benedictionem vel ad Divina deputationem factam: ſed neceſſarium ſit, ut conſtet vel probetur validitas conſecrationis, benedictionis & deputationis ad divina; cùm, ſi locus quidem conſecratus, benedictus aut deputatus ad divina de facto: non etiam de Jure ſeu validè & legitimè ſit, ejus ſuffragiò confuga adverſus ſecularem Curiam non defendatur; ac proinde cogni-

tio, an locus, ad quem reus fugit, securitatem ei præstet, non solius Facti sed Juris etiam quæstionem involuat: judex autem secularis de quæstione Juris, sive de consecrationis, benedictionis, ad Divina deputationis valore cognoscere nequeat. Unde de ea etiam verè & judicialiter cognoscere Ecclesiastici judicis est partim; ne causæ continentia dividatur, contra Regulam *l. Nulli 10. C. de Judiciis & c. 1. de Causa poss. & propr.* partim verò; quòd, cùm facti quæstio ad eum, de quo agitur, effectum non sufficiat, de ea frustra cognoscat & pronuntiet judex secularis, *arg. l. Ad probationem 21. C. de Probat. & c. Dilecti 8. de Except.* Jason *in l. Quoties 3. C. de Judiciis n. 8.* & Baldus *in Auth. Et qui jurat C. de Bonis auth. jud. possid. n. 27.*

163. Si verò dubium sit, an crimen, quod Sacrô vel Religiosô locô receptus laicus perpetravit, sit exceptum, ejus cognitionem seculari Curiæ adstruunt nonnulli JCTi. ab Orthodoxa Fide alieni vel Ecclesiasticæ jurisdictioni apertè infesti, eô ducti fundamentô; quòd nemo judex competens sit in propria causa, *can. Inter querelas*, junctâ Glossâ *V. Propriæ 23. q. 4. & l. Unica C. Ne quis in sua causa jud.* Causa autem Immunitatis propria sit Prælati Ecclesiastici, ad cujus Ecclesiam reus se recepit, propter specialem conjunctionem, quam cum ista habet, *c. Inter corporalia 2. & c. Licet 4. de Translat. Episc.*

164. Alii cum Remigio de Gonny *de Immunit. q. 1. n. 6.* & Castro *de Manu Regia p. 2. cap. 50. n. 41.* de ejusmodi dubio ab utroque tam Seculari quàm Ecclesiastico judice cognoscendum volunt, moventúrque geminâ ratione; Prima est, quòd de causa Mixti fori, qualem in dubio de qualitate criminis agi volunt, simultanea cognitio diversorum judicum valde conveniens, & in Jure fundata sit, per textus *Auth. Si verò C. de Judiciis*, ubi ad simultaneam cognitionem Archi- vel Episcopo adjungitur judex secularis: & *c. Per hoc 17. de Hæret. in 6.* ex cujus dispositione de crimine Hæreseos convenientiùs simul cognoscunt Inquisitor Apostolicus generaliter delegatus & Ordinarius. Alterâ; quòd in tali dubio agatur de præjudicio utriusque Curiæ, Ecclesiasticæ & Secularis, respectu jurisdictionis; cùm Curia ista prætendere valeat delinquentem immunitate non gaudere: illa verò asserere contrarium: atque idcirco valde conveniens Jurísque consentaneum sit; ut de eo uterque simul cognoscat, *arg. Regulæ, Quod omnes tangit 29. in 6. & l. In concedendo 7. ff. de Aqua pluvia arc.*

Sed Juris omnino explorati est, ejus- 165
modi cognitionem soli Ecclesiastico judici competere, ut cum Boërio *Decis. 109.* Guttierez *Pract. Lib. 3. q. 1. n. 5.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 28. n. 76.* Guazzino *Defens. reor. 1. cap. 31. n. 3.* Augustino Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3. n. 155.* plerique docent. Eorum fundamenta sunt imprimis textus Juris *can. Metuentes 32. can. Ad Episcopum 17. q. 4. & arg. c. Si judex cit.* Deinde supra *n. 25.* relata *Constitutio Gregoriana*, ibi, *Nisi cognitô priùs per Episcopum vel ab eo delegatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint &c. Curia secularis consignari possint.* Demum ratio; quia causa, in qua agitur de Immunitate, est Ecclesiastica ad Religionem spectans; cùm sit jus annexum spiritualibus, scilicet sacris & Religiosis locis, ob quorum honorem & reverentiam est introducta, *l. Præsenti 6. C. de Hæ, qui ad Eccles. conf. can. Reum 9. can. Frater 10. can. Definivit, 17. q. 4.* ideóque ejus violatio in Sacrorum & Religiosorum locorum injuriam cedere dicatur *can. Definivit cit.* Ecclesiasticorum autem causarum cognitio Ecclesiastico judicis soli

dici soli competat, *c. Decernimus*, *c. Quantò c. Tuam c. Si judex citt.* Confirmatur paritate legum spectantium Immunitatem: quas cùm condere solius Ecclesiastici judicis sit & à seculari conditæ propter defectum jurisdictionis vim non habeant, nisi quatenus SS. Canonibus approbatæ sunt, Glossa *in c. Inter alia 6. V. Publicus latro*, ob ejusdem jurisdictionis defectum de Immunitatis causis cognoscere non poterit Secularis, sed Ecclesiastici judicium erit expectandum, ut arguit *cit.* Oliva *q. 27. n. 17.*

166. Neque in contrarium facit primæ Opinionis fundamentum; cùm enim *Propria causa ea sit, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet*, definitio est *can. Biduum 29. §. Dies, V. Palam 2. q. 6.* honor autem & reverentia, quæ per Ecclesiasticæ Immunitatis observantiam exhibetur, & injuria, quæ per ejus violationem & violentam rei extractionem committitur, directè exhibeatur aut inferatur Ecclesiæ, & non Prælato, causa Immunitatis Ecclesiæ potiùs quàm Prælati propria erit, nihilque obstabit, quò minùs iste, sicut in aliis suæ Ecclesiæ, sic etiam in Immunitatis causa judex competens sit, secundùm receptam Glossam *in can. Si quis erga 16. V. Privetur 2. q. 7. & in c. 1. V. Punitur, de Pœnis in 6.*

167. Neque fortiores sunt rationes Opinionis secundæ. Prima; quia propositi dubii cognitionem Mixti fori esse, nullâ lege vel ratione evincitur: &, si Mixti Fori esset, non ad judicem utrumque, sed ad eum duntaxat pertineret, qui prævenisset per tradita *Lib. 2. tit. 2. n. 94.* non obstantibus textibus *citt.* nam Inquisitor Apostolicus & Ordinarius, de quibus sermo est, uterque judex Ecclesiasticus est: Archi. Episcopus autem & Episcopus, licet Ecclesiastici judices sint, tamen quando simul cognoscunt de causa suspicionis propositæ contra judicem secularem, *Auth. Si vero cit.* id non faciunt tanquam ministri Potestatis Ecclesiasticæ, sed Secularis & ex commissione Imperatoris vel alterius Principis, ut rectè notat *cit.* Oliva *p. 1. q. 28. n. 5.* Posterior; quia apertè convellitur textu *c. Si judex cit.* ubi de negotio utramque, tam Secularem quàm Ecclesiasticam Curiam concernente agitur, & tamen cognitio soli Ecclesiasticæ adstruitur; *Quia de re Ecclesiastica & spirituali est:* Secularis autem interest, non; ut judicet: sed; ut de suo jure tanquam pars dicat, ut colligitur ex textu. Unde Regulæ *Quod omnes tangit cit.* in præsenti dubio locus non est; quòd in materia spirituali & Ecclesiastica jurisdictionem fundatam habeat solus judex Ecclesiasticus, *c. Decernimus, c. Quanto c. Si judex &c. citt.*

Quantumvis autem vera & judicialis cognitio, discussio, definitióque quæstionis, de criminis exceptione motæ, competat judici Ecclesiastico soli, secularis tamen neganda non est aliqualis cognitio per viam Facti pro informatione; ut scire possit, an crimini à reo perpetrato annexa sit qualitas adimens immunitatem: sicut ad hunc finem *cit. Tit. 2. n. 123.* permissa ei est simplex ejusmodi informatio super clericatu rei, quem captivum detinet; ut sciat, an statim facienda sit vel differri queat ejus remissio ad Ecclesiasticum Magistratum, ut observat *cit.* Oliva *q. 27. num. 21.* 168.

Ex judicibus autem Ecclesiasticis cognitionem de criminis exceptione de Jure Episcopis, non inferioribus Prælatis, seclusâ delegatione competere, planum est ex *can. Ad Episcopos 11. can. Si quis contumax 17. q. 4. & Constitutionis Gregorianæ* verbis, *Nisi cognitô priùs per Episcopum seu ab eo deputatum &c.* 169.

An sede vacante Capitulo, istiús-

que &c.

que & Episcopi Vicario generali eadem cognitio competat, aliqui in dubium vocant. Sed Jure satis exploratum est, eam competere utrique.

170. Capitulo quidem; quòd *Lib. 3. tit. 9. n. 4.* Regulæ instar traditum sit, Sede vacante ei competere omnem administrationem & jurisdictionem Episcopalem Ordinariam: nisi specialiter prohibita reperiatur, *c. His quæ 11. & c. Cùm olim 14. de Maiorit. & obed. &c.* cognitio autem de criminis exceptione ad Episcopum non ratione Ordinis, neque ex delegatione Apostolica vel privilegio, sed jure Ordinario competat, *cann. & Constit. citt.*

171. Vicario autem Generali; quòd ipse quoq; vi commissionis suæ & mandati generalis expedire negotia & cognoscere valeat de causis omnibus, pertinentibus ad jurisdictionem Episcopalem, exceptis duntaxat, quæ speciale mandatum requirunt: ita quidem; ut, si aliquò Iuris textu habeatur, aliquid ad Episcopi vel diœcesani potestatem pertinere, id etiam pertineat ad Vicarium Generalem: nisi ad id specialem commissionem exigi ex Iure scripto, vel ex consuetudine aut aliunde constet, Mandos. *ad Reg. 24. Cancell. q. 6. n. 3.* Garcias *de Benef. p. 5 cap. 8. n. 65.* & Laiman *in c. Licet 2. de Offic. Vicar. in 6. n. 1.* ut ad *hanc Rubricam* dictum est *n. 36.* Cùm ergo ejusmodi cognitio de Iure pertineat ad Episcopum, *cann. & Constit. citt,* & ad eam speciale mandatum ullò jure non exigatur: imò *Constitutione Gregorianâ* de criminis exceptione cognoscere *Episcopum ab eóque deputatum* & laicum delinquentem in casu excepto extrahendi licentiam dare *Episcopum & ejus Officialem* posse, asseratur, omissâ voce *specialiter*, & nullò aliò terminò specialis mandati necessitatem importante appositò; eadem cognitio vi commissionis generalis competet Vicario generali, in ipso Episcopi tribunali & jurisdictionem indistinctam exercenti, *c. Non potuimus 2. de Consuet. in 6. & c. Romana 3. de Appell. in 6.* Si tamen alicubi ejusmodi cognitio accenseretur causis Arduis, aut generali mandatò commissa non censeretur ex Consuetudine, ab hac in Praxi non esset recedendum

172. In dubium etiam & quæstionem vocatur, an confuga, excepti criminis reus, extrahi ex Ecclesiis valeat sine licentia Episcopi, Capituli sede vacante & utriusque Vicarii generalis. Ratio dubitandi est; quia criminis excepti reus nullâ gaudet immunitate, sed obnoxius est punitioni Curiæ secularis: à qua proinde, quando de qualitate criminis constat, apprehendi statim poterit sine cognitione Episcopali, aut ejusmodi qualitatis probatione; cùm notorium regulariter relevet ab onere probandi, *arg. c. Vestra 7. de Cohab. cler. & mul. c. Evidentia 9. de Accusat. & l. 1. ff. Ex quibus caus. major.*

173. Sed, quidquid sit de antiquo, *Gregorianæ Constitutionis*, novissimò & hodie observandò Iure, etiam hujusmodi reum sine dicta licentia Episcopali extrahi ab Ecclesia posse, DD. magnò numerò negant; quòd *Constitut. cit.* ad legitimam extractionem & incarcerationem licentia Episcopalis & personæ Ecclesiasticæ interventus expresè requiratur §. *Volumus* §. *Occurrente* §. *Quòdque delinquentes.* Unde inferunt, dictam licentiâ & hujusmodi personæ interventum pertinere ad justæ extractionis formam; ac proinde, illis non intervenientibus, extractionem legitimam modernò Iure non esse, licet de qualitate criminis constet; M. Ant. Genuens. *Prax. cap. 18. n. 5.* Jordanus *Lucubrat. Lib. 11. tit. 3. n. 72.* *citt,* Farinac. *cap. ult. n. 358.* Bonacina §. 7. n. 3.

§. 7. n. 3. Zypæus *Analys. ad hanc Rubric. n.* 12. *&c.*

ARTICULUS IX.

De Pœnis violantium Immunitatem, earúmque Relaxatione.

SUMMARIUM.

174. *Rei extractione ex Asylo committitur Sacrilegium,*
175. *Severè castigatum à Deo,*
176. *Et gravibus pœnis Civili,*
177. *Et Canonicô Jure subjectum.*
178. *Eâ contrahitur Excommunicatio major:*
179. *Quæ hodie lata sententia est.*
180. *Et à mandante & attentante extractionem rei,*
181. *Istúmque in Asylo occidente incurritur.*
182. *Relaxatur autem per solam Absolutionem.*
183. *Secundùm aliquos reservatam Papæ.*
184. *Probabiliter permissam inferioribus Prælatis:*
185. *Licet pro ea ad Papam tutiùs recurratur.*

174. REorum Asylô sacrô receptorum extractione &c. gravissimum Sacrilegii peccatum committi, patet *ex can. Miror 7. can. Frater 9. §. Sacrilegium* post *can. Si quis 16. can. Quisquis 17. &c. 17. q.* 4. Ratio manifesta est; quia violentæ extractiones & Ecclesiasticæ Immunitatis violationes sunt contra sanctitatem, honorem & reverentiam debitam Ecclesiis consecratis, & locis Divino cultui & obsequio dicatis, juxta illud Gelasii Papæ, *Qui ad injuriam sanctorum locorum prosiluisse probantur, can. Frater cit.* cui consonant textus *can. Si quis cit. can. Reum 9. can. Definivit 35. &c. q. 4. cit. l. Præsenti 6. C. de His, qui ad Eccles. confug.* & S. Augustinus, ejusmodi extractionem *Grandem injuriam Religionis & Divinitatis offensam* appellans, *Serm. 5. de Dedicat.*

175. Quare meritò Ecclesias earúmque immunitatem temerariâ confugarum extractione violantium impietas, sicut cælô vindice læpe & gravissimè castigata est, apud Tholos. *Syntag. Lib. 33. cap. 20. n. 3.* Baronium *ad Annum Christi 465. à n. 2.* & Fran. Leon. *Thesaur. Fori Eccles. p. 1. cap. 13. à n. 35.* sic à terrena etiam potestate, decretis in violatores gravibus pœnis, vindicata est utroque Jure.

176. Imperiali *l. Fideli 2. & l. Præsenti 6. pr. C. de His, qui ad Eccles. confug.* quorum textuum priori læsæ Majestatis crimine tenentur: posteriori capitali & ultimi supplicii animadversione plecti jubentur.

177. Canonicô verò Jure constituta in eos Imprimis est pœna pecuniaria, aliquando nongentorum solidorum, *can. Si quis contumax 20.* aliquando triginta librarum auri examinati purissimi, *can. Quisquis 21.* pro qualitate delicti & delinquentium conditione judicis arbitriô varianda & Ecclesiæ læsæ applicanda pro satisfactione, *can. Si quis in atrio 7. q. 4. cit.* Deinde Pœnitentia publica, quâ arbitrio Episcopi multari jubentur *can. Miror 8. can. Nullus 19. & can. Si quis contumax 20. q. cit.* Demum in eosdem decreta & læpius repetita est omnium, quas Ecclesia habet, gravissima pœna excommunicationis, *can. Sicut antiquitus 6. can. Miror cit. can. Frater 10. can. Definivit 35. can. Id constituimus 36. &c. q. 4. cit.* Quam tamen Censuram secundùm hos textus ferendæ, non ipso Jure

178.

latæ sententiæ esse, cum Sylvestro *V. Immunitas 3. q. 8.* docent Zerola *in Praxi V. Immunitas V. 2.* & Suarez *Tract. 2. de Relig. lib. 3. cap. 3. n. 3.*

179. An ea excommunicatio ferendæ sententiæ sit secundùm Jus modernum, dubium & controversia est inter DD. Id enim negat Socinus *in c. Nuper 29. de Sent. excom. n. 5.* & alii apud Farinacium *Append. de Immunit. cap. 20. n. 311.* Ratione eam reddunt; quòd *Constitutione Gregoriana* antiqui Iuris pœnæ, quæ omnes per sententiam infligendæ erant, renovatæ sint sine mutatione Iuris quoad modum, quò contrahuntur. Sed contra mentem Gregorii Papæ XIV. & expressum tenorem publicatæ ab eo *Constitutionis*, cujus verba sunt, *Declaramus, eum ipsò factò Censuras & pœnas easdem incurrere*; quæ, si excommunicatio hodie sententiam condemnatoriam requireret, planè essent otiosa; cùm expressa plus non operarentur, quàm omissa, Farinac. *cap. 20. cit. n. 313.* Lezana *V. Immunitas n. 21.* Marius Ital. *de Immunit. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 29.* Palao *Tract. 11. disp. Unic. p. 12. n. 3.* & Haunold. *Tom. 6. de J. & J. tract. 1. n. 256.* pro se allegantes Clementis VIII. & Pauli V. *Declarationes.*

180. Atque has pœnas incurrunt, tam mandans quàm exequens, etiam effectu sive actuali rei extractione non secutâ: dummodo intervenerit attentatio ejus propinqua, vg. si quis secularis Curiæ mandatò manus admoveat loci sacri januæ vel confugæ, cum conatu illam violenter aperiendi, aut hunc extrahendi; licet ob resistentiam illam aperire, vel hunc extrahere non possit, Glossa *in l. Fideli cit. V. Tentaverit*, Decianus *Tract. Criminali Lib. 6. cap. 27. n. 5.* Diana *p. & tract. 1. resol. 15. citt.* Farinac. *cap. 20. n. 321.* & Palao *p. 12. cit. n. 5.* Ratio est; quia tali attentatione jam exercetur actio sub dictis pœnis prohibita, scilicet attentatio & conatus externus, *Si quis quidquam præter vel contra hujus Constitutionis nostræ tenorem attentare præsumpserit.*

181. Eædem pœnæ etiam incurruntur ab eo, qui, omissâ extractione & istius attentatione, confugam in ipso Sacro vel Religioso loco occidit, ut ex communi DD. sensu tradunt Del-bene *de Immunit. cap. 16. dub. 37. n. 1.* Novarius *Tract. de Elect. Fori p. 2. q. 14.* Haunold. *tract. cit. n. 260.* & Squillante *Tract. de Oblig. cleric. p. 3. dub. 14. n. 90.* sic in facti contingentia, testificans judicatum. Ratio peripicua est; quia pœnæ illæ Jure latæ sunt in violatores Immunitatis, quam reis Ecclesiæ præbent: in his autem occidens verè violat earum Immunitatem; cùm vi illius confugis necessaria vitæ subsidia non deneganda, *l. Præsenti cit. Quidquam nocibilitatis aut damni* non inferendum, *can. Definivit cit.* & *A morte, debilitate & omni genere pœnarum* corporalium securitas præstanda sit, *can. Id constituimus cit.* Accedit; quòd à Gregorio XIV. pœnæ, quæ contra Immunitatis violatores per sacros Canones promulgatæ sunt, ipsò factò incurri asserantur ab iis, *Qui præter vel contra* Bullæ *tenorem aliquid attentare præsumpserint*; quod utique vel maximè facit, qui reum in ipso Sacro vel Religioso loco per se vel per alios occidit,

182. Porro, ut violatæ sacræ Asyliæ rei ab excommunicatione, sacrilegio illo contracta, liberentur, facienda ante omnia est restitutio confugæ violenter extracti, & Ecclesiæ istius extractione læsæ exhibenda satisfactio: quibus demum præstitis censura illa per absolutionem relaxatur, *arg. c. Quâ fronte 25. de Appellat. & c. Cùm desideres 15. de Sent. Excom.* Ubi

183. Dubium & controversia inter DD. est, quis ab excommunicatione illa absolutionem

lutionem ei valeat impertiri; illam enim Papæ absolutioni reservatam, docent Farinac. *cap.* 20. *cit. n.* 315. Mar. Ital. *cap. 6. cit.* §. 2. *n.* 3. Barbosa *Jur. Ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 167. Thesaur. *in Praxi V. Immunitas cap.* 1. & Diana *p.* 6. *tract.* 1. *resol.* 34.

Fundant se primò *in Extravag.* 3. *inter com. de Pœnit & remiss.* quâ à Paulo II. sedi Apostolicæ reservatis casibus accensetur *Offensa Libertatis Ecclesiasticæ.* Sed fundamentum hoc solidum non est; quia nomine Libertatis Ecclesiasticæ propriè acceptô Personarum duntaxat Ecclesiasticarum: non etiam Sacrorum & Religiosorum locorum Immunitas venit, ut jam monui *n.* 22. & ipsimet Mar. Ital. *l. cit. n.* 6. Farinac. *cap.* 1. *n.* 5. adnotârunt.

Secundò in Decreto Clementis VIII. à Paulo V. innovato, & Confessariis quibuscunque inter cætera prohibente absolutionem à sex casibus: quos inter est violatio Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis *Constitutionis Gregorianæ.* Sed etiam hoc fundamentum satis firmum non est; quòd decretum illud spectare videatur Sacerdotes inferiores: qui absolutionem à dictis & aliis casibus ab Ordinario reservatis, vi privilegiorum à sede Apostolica concessorum, sibi arrogabant. Unde ab istis ad Episcopos porrigi nequit; quia tali extensione factâ Episcoporum potestas, quam Papa firmare intendit, diminueretur ac restringeretur; cùm decretô illô etiam prohibeatur absolutio à casibus dubiis Bullæ Cænæ, & ab excommunicatione contracta percussione clerici etiam levi: à qua tamen ante decretum illud absolvere Episcopi potuerunt, *c. Pervenit 17. de Sent. excom.* & *Extravag. Joan. XXII.* quæ incipit *Perlectis* à Covarruvia *in c. Almap.* 1. § 9. *n* 2. relatâ

Tertiò in *Constitutione Gregoriana* supra *àn.* 25. relata, quâ in sacri Asyli violatores decernuntur censuræ, contrà Libertatis, juris & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones & Conciliorum Generalium suorúmque Prædecessorum Constitutiones, adeóque etiam per Bullam Cænæ, promulgatæ. Cùm ergo Bullæ istius excommunicationes omnes Papæ reservatæ sint, reservata etiam erit contracta asyli violatione. Sed ad hoc etiam satis expedita responsio est; quia *Constitutio Gregoriana*, renovandô censuras latas in Bulla Cænæ eísque sacri asyli violationem subjiciendô, non meminit reservationis: quæ facta non censetur, nisi exprimatur, *c. Nuper cit.* §. *In secundo, citt.* Palao *p.* 12. *n.* 7. & Del-bene *dub.* 38. *n.* 7.

Quare ejus, de qua agimus, excommunicationis absolutionem locorum Ordinariis sive Episcopis competere, cum DD. *citt.* probabiliter defendunt M. Ant. Genuens. *Prax. cap.* 22. *à n.* 3. Naldus *V. Casus reservatus n.* 1. Bonacina *Tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *p.* 11. Zypæus *in Analysi hâc Rubr. n.* 13. & alii. Ratio est; quia Episcopis regulariter competit potestas absolvendi ab excommunicatione, Jure latâ & non reservatâ; cùm *Conditor Canonis, qui absolutionem sibi specialiter non retinuit, eô ipsô facultatem aliis,* scilicet Episcopis *videatur concessisse*, textus est §. *In secundo cit.* & doctrina Panormit. *in c. Grave 29. de Præbend. n.* 13. Navarri *Manual. cap.* 27. *n.* 39. & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 1. Cùm ergo sacri asyli violatione contracta excommunicatio neque à Gregorio XIV. neque ab ejus successoribus reservata sit, relaxari per absolutionem poterit ab Episcopo, sede vacante à Capitulo, & ab utriusque Vicario Generali, aliísque Prælatis obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, & ab aliis etiam Confessariis de licentia ipsorum. 184.

185. Sed, ut hæc sententia probabilis, in Praxi tamen tutior est contraria: pro qua, præter deductas rationes, stat imprimis declaratio S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. apud Farinacium *cit. n.15.* Dein Curiæ Romanæ Praxis & Stylus S. Pœnitentiariæ. Demum *Responsum* ipsius S. Congregat. Immunitatis *1632.* redditum Vicario Generali Capuano, & relatum à *cit.* Del-bene *dub.38.s.2.n.12.*

ARTICULUS X.

De Ecclesiarum Immunitate Reali.

SUMMARIUM.

186. *Ecclesiastici obnoxii sunt exactionibus Prælatorum.*
187. *Exempti ab oneribus Personalibus, quæ à laicis imponuntur,*
188. *Præsertim à militia & excubiis:*
189. *Nisi sine ipsis patria ab Infidelibus &c. nequeat defendi.*
190. *Laicorum exactionibus obnoxia non sunt res Ecclesiastica,*
191. *Affecta consecratione vel benedictione:*
192. *Obtenta titulo spirituali,*
193. *Et cætera bona locorum,*
194. *Et personarum Ecclesiasticarum:*
195. *Ex quibus etiam Vectigalia non debentur,*
196. *Ab exactionibus tamen illis exempta non sunt bona Feudalia,*
197. *Concessa cum reservatione Jurisdictionis,*
198. *Et alia, ex quibus pensiones &c. debitæ ex contractu:*
199. *Non vi jurisdictionis impositæ sunt.*
200. *Sublevanda ex iis gravis & publica necessitas,*
201. *Quatuor conditionibus observatis.*
202. *Ecclesia non tenentur ad reparationem viarum & pontium:*
203. *Nisi reparatio ipsarum prædia aquè principaliter tangat.*
204. *Tempore famis Ecclesiastici ad frumenti venditionem cogi,*
205. *Eorúmque granaria visitari à laicis non possunt.*
206. *Nisi casu omnino extraordinario.*
207. *Hâc Immunitate gaudent omnes Ecclesiastici.*
208. *Nisi conjugati sint vel exerceant negotiationem.*
209. *Immunitatem hanc Divini Juris esse, asserentium,*
210. *Et negant ium Opiniones,*
211. *Distinctionis fœdere conciliantur.*

186. Ecclesias & Personas Ecclesiasticas obnoxias esse exactionibus aliisque oneribus, quæ à propriis ipsarum Prælatis ex justa causa imponuntur, extra controversiam est, patetque ex *c.1.& c.Cùm Apostolus 6.§.Prohibemus, de Cens.Exact.& Procurat.* Unde sibi competentis Immunitatis Realis vi solummodo eximuntur ab oneribus, quæ imponuntur à potestate seu Magistratu Seculari.

187. Et imprimis quidem à Capitatione sive exactionibus, quæ à personis fiunt absque respectu ad ipsarum bona: imò etiam, si ab ipsis bona immobilia non possideantur, *l. Unica C. de Capit. Civium* à Muneribus & functionibus omnino vilibus, vg. cloacæ aut stabuli purgandi, fodiendæ arenæ, calcis coquendæ; quæ personis Ecclesiasticis imponi jure etiam Civili severè prohibentur, *l. Placet 5. C. de SS. Eccles. & l. Omnis 2. pr. C. de Episc. & cleric.* quòd eorum dignitati & statui honorifico repugnent usque adeò, ut à sordidis ejusmodi muneribus eorum etiam familiam oporteat esse immunem, *l. Omnis*

Omnia cit. §. 1. & l. 1. Rubr. cit. ut ibi Bald. *n.* 1. & alii notant. Ab Angariis & Perangariis sive aliis servitiis, quæ per se suósve implere aut propriis vel alienis sumptibus præstare coguntur, textus & Glossa *in c. Non minùs* 4. *V. Angariis* à Militia sive bello; ut adversus hostes propriâ manu pugnent: ad quod ipsos inhabiles reddit Clericatus, *c. Ex multa 9. §. fin. de Voto.* Ratio omnium est; quia hujusmodi onera imponi solent personis subjectis jurisdictioni, Seculari potestati in personas Ecclesiasticas non competenti, Laiman. *Lib. 4. Tract. 9. cap. 6. n. 6.* rectè excipiens onera & præstationes ipsis rebus seu possessionibus antiquitus impositas ratione feudi vel contractûs: quæ cùm inhæreant ipsis rebus, cum istis transeunt ad Ecclesias & Ecclesiasticas personas, *arg. c. Ex literis 5. de Pignoribus.* Unde

188. Dubium nascitur, an belli tempore Clerici teneantur ad vigilias & custodiam murorum Civitatis. Cui occasionem præbent textus Juris in speciem sibi adversantes; cùm, sicut ad eam Clerici compelli jubentur, *c. Pervenit* 2. sic *can. Reprehensibile 23. q. 8.* Clericorum custodia etiam contra piratas marinos adhibita à Nicolao Papa valde reprehendatur ex ratione; quòd militum Christi sit servire Christo: militum autem seculi seculo. Sed Jura hæc in concordiam haud ægrè reducuntur auxiliô distinctionis inter casus & vim belli; quantumvis enim, cùm ista non admodum urget & repelli à laicis potest, clericos ab excubiis & custodia murorum status ratio omnino

189. excusat: casu tamen valde magnæ necessitatis publicæ, ut, cùm civitati grave periculum imminet ab infidelibus aut hæreticis, & mœnia à laicis solis absque ope clericorum satis defendi non possunt, etiam hos ad excubias & murorum custodiam obligat textus *c. cit.* & ratio ipsa; quia tali necessitate urgente cessare videtur privilegium exemptionis; cùm æquum omnino sit; ut periculum, quod omnibus imminet, communibus omnium laboribus propulsetur, & omnibus communis patria ab omnibus defendatur, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Omnes*, advertit Panormit. *n. 6.* qui tamen *n. 3.* rectè monet, tali casu clericos ad mœnium custodiam non per Laicam, sed Ecclesiasticam potestatem compellendos.

Deinde Ecclesiæ & Personæ Eccle- 190.
siasticæ exemptæ etiam sunt à tributis, collectis, exactionibus, quæ ratione rerum sive bonorum à seculari potestate imponuntur, *c. Non minùs cit. c. Adversus 7. hâc Rubr. c. 1. c. Clericis 3. in ibid. 6. & Auth. Item nulla C. de Episc. & Cleric.* quos iisque consonas Constitutiones alias Bulla Cœnæ *can. 18.* & Urbanus VIII. *Constitut.* quæ incipit *Romanus, edita 23. Septemb. 1641.* declaratas innovavit & confirmavit. Cujus assertionis veritas & sensus ut luculentior sit, ejusmodi rerum sive bonorum quatuor genera distinguere juvabit.

Primò enim quædam per consecra- 191.
tionem vel benedictionem ad cultum Deo exhibendum immediatè sunt deputata, ut Templa cum adjunctis Cœmiteriis, Sacella, Oratoria, Monasteria, vasa & vestimenta sacra cæteráque Divini cultûs instrumenta: quæ ab exactionbus & oneribus à laicis impositis omnino exempta esse, Orthodoxi DD. omnes facilè consentiunt, cùm; quia sunt res Sacræ & Religiosæ ad Divinum cultum specialiter deputatæ: quæ extra commercium humanum existunt, §. *Nullius 7. Instit. de Rer. divis.* & ad prophanos usus revocari prohibentur, *can. Quæ semel 19. q. 3. can. Ligna 37. dist. 1. de Consec. & c. Adhæc 4. de Religios. domib.* tum ve-

rò; quia sunt res omnino infructiferæ; cùm proventum temporalem usúmve pretiò æstimabilem non afferant, Suarez *Tom. 1. de Relig. Lib. 3. cap. 9. n. 2 & 8.* & Laiman. *Lib. 4. Tract. 9. cap. 6. n. 1.* ubi cum Innocentio *in c. Non minùs cit.* iis accenset areas, domos, hortos juxta Ecclesias positos & fundos, ex quibus panis aut vinum pro sacra Eucharistia conficienda & aliis rebus ad cultum divinum necessariis colligi debet, per *can. Sancitum 23. q. 8. c. 1. de Censib. & arg. Reg. Accessorium 42. in 6.*

192. Secundò aliæ res & bona sunt, quæ Ecclesia obtinet titulò spirituali, ut Decimæ, Primitiæ, Oblationes: uti etiam res & bona ipsorum clericorum Ecclesiæ vel ministerii Ecclesiastici cujuscunque intuitu quæsita, ut fructus beneficiales, distributiones quotidianæ, reditus stolæ &c. quæ ab iisdem immunia esse, latìs concors est sententia eorundem; quia sive titulum sive personam intueamur, seculari potestati non subiiciuntur; cùm titulus, quò ea quæsita sunt, sacer & spiritualis: personæ autem, quarum ea sunt, à jurisdictione seculari sint exemptæ, *c. Ecclesia 10. de Constitut. c. Noverit 49. de Sent. excommunicat. c. Quamquam 4. de Censibus c. fin. hâc Rubr. in 6.* & Trident. *Sess. 25. cap. 20. de Reformat.*

193. Tertiò sunt res & bona temporalia ipsarum Ecclesiarum Monasteriorum & similium locorum mobilia & immobilia, à fidelibus oblata; ut ipsa vel eorum proventus in cultûs Divini conservationem & augmentum, templorum & altarium ornatum, reparationem fabricæ, sustentationem Religiosorum, salaria ministrorum & pauperum alimenta impendantur. Quæ etiam bona à tributis & similibus oneribus à secularibus impositis exempta esse, S. Thomæ *2. 2. q. 99. art. 3.* Laiman. *cit. n. 1. §. Alterum*, aliorúmque TT. & Canonistarum concors est doctrina, & apertè traditur *c. Non minùs c. Adversus* aliisque textibus supra *cit.* Non minùs, quàm isti, clara est ratio; quia tales res & bona eò ipsò; quòd à fidelibus, quorum plenò jure fuerunt, ad cultum & honorem Dei in Prælatorum Ecclesiasticorum manibus oblata sint, tanquam Patrimonium Christi sive ut *can. 40. Apostol.* vocantur, *Res Dominica* juxta piam offerentium intentionem in alios quam prædictos usus convertenda non sunt, *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati*: eorúmque administratio, dispositio & applicatio ad Ecclesiarum Prælatos, non ad seculi Magistratus spectat. Confirmatur; quia hujusmodi res & bona obnoxia sunt exactionibus & oneribus, quæ ex justa causa summus Pontifex & aliquando etiam Episcopi imponunt, *c. Cùm Apostolus 6. §. Prohibemus, de Censibus.* Unde, si iis gravari etiam possent à potestate seculari, conditionis multò deterioris forent, quàm bona secularium; cùm secus quàm ista, contra Juris & æquitatis Regulas duplici onere gravarentur, ut cum Hieronymo Albano *de Immunit. cap. 65. &c.* probè advertit *cit.* Laiman. *n. 2.*

Neque cum hac doctrina pugnat *can. Si tributum 11. q. 1.* ubi S. Ambrosius, *Si tributum*, inquit, *petat Imperator, non ei negamus, agri, Ecclesiæ solvunt tributum*; quia istò & *can. Convenior 23. q. 8.* relatò textu S. Ecclesiæ Doctor tributum, à Justina Arriana Valentiniani adhuc pueri matre Ecclesiis impositum, non tanquam justum approbavit, sed ad majus malum & ipsorum fundorum Ecclesiasticorum invasionem usurpationémque evitandam prudenter tolerávit, ut ipse luculenter declarat subjectis verbis, *Si agros desiderat Imperator, possessam*

teſtatem habet vindicandorum, tollat eos, ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego, Suarez *de Defenſione Fidei Lib. 4. cap. 21. n. 12.* & Barboſa *in can. Si Tributum cit. n. 1.*

Minùs urgent *l. Placet 5.* ibi, *Præter Canonicam illationem, & l. Sacroſancta 8. V. Nec extraneorum C. de SS. Eccleſ.* cùm; quia privilegiis Eccleſiæ antè & veriſimiliter jam à Conſtantino M. conceſſis & revocationi non obnoxiis contrariæ & Eccleſiarum libertati inimicæ ac proinde invalidæ fuerunt: tum verò; quia, ſi valuiſſent, per Conſtitutionem Friderici Imp. *Auth. Item nulla cit.* relatam fuiſſent abrogatæ, Suarez *cit. cap. n. 16. & cap. 24. n. 11.*

Difficilior in ſpeciem eſt ſententia Urbani I. de exterioribus ſuis ab Eccleſia tributum reddi, diſertè aſſerentis *can. Tributum 23. q. 8.* Sed in ſpeciem duntaxat; quia accuratiùs expenſa rerum Eccleſiaſticarum immunitati etiam ipſa non adverſatur; quia eâ Papa locutus eſt de more & uſu temporis ſui, quô Impp. adhuc Gentiles & Idololatræ fuerunt; ac proinde Eccleſiarum à tributis &c. immunitas nondum fuit conſtituta, ut rectè obſervat laudatus Suarez *cap. 21. n. 14. & in can. cit.* Barboſa *n. 3.*

194. Quartò demum ſunt res & bona Clericorum Patrimonialia, mobilia & immobilia, quæ ad ipſos pervenerunt titulô merè temporali; quòd hæreditariâ ſucceſſione, legatô, donatione, emptione propriâ induſtriâ &c. ſint comparata. Quæ etiam à tributis & aliis oneribus, non merè Realibus, ſive inhærentibus ipſis fundis, exempta eſſe, cum Panorm. *in c. Eccleſia cit. n. 21.* Sylveſtro *V. Immunitas 1. n. 9.* Navarro *Manual. cap. 17. n. 203.* & aliis ſacri prophaníque Juris Interpp. ac DD. *cit.* Suarez *cap. 24. n. 4.* deſumit ex *c. Adverſus cit. Clement. Unica hîc c. Quamquam cit.* & ſimilibus textibus Canonicis, clericos eximentibus à Laicorum exactionibus quibuscunque: & ex generalitate *Auth. Item nulla cit.* proximæ ſubjectæ & aliis *ll.* Civilib⁹ libertati Eccleſiaſticæ adverſantib⁹, derogantis. Ratio reddi ſolet; quòd ex una, tributi exactio & præſtatio ſignum ſit ſubjectionis, teſte Apoſtolo Roman. *cap. 13. v. 6.* ubi cum dixiſſet, *Subditi eſtote*, ſubjecit, *Ideo enim tributum præſtatis:* ex altera verò parte, clerici aliæque perſonæ à ſeculari jurisdictione juxta dicta ſint exemptæ. Confirmatur; quia res & bona acceſſoria ſunt perſonis, ac proinde has ſequuntur, & à tributo Laicæ poteſtati exhibendo cum iſtis ſunt immunes, *arg. Reg. Acceſſorium cit. & l. Quæ Religioſis 43. ff. de R. V.* quâ Religioſa cenſentur, quæ Religioſis adhærent; quòd magis dignum ad ſe trahat id, quod eſt minùs dignum, *c. Quod in dubiis 3. de Conſec. Eccleſ.*

Eædem Eccleſiarum, Monaſteriorum & Perſonarum Eccleſiaſticarum res & bona exempta etiam ſunt à vectigalibus ſeu præſtationibus teloniorum, *c. Quamquam cit. Clement. fin. de Cenſibus & Auth. Item Nulla cit.* quâ relatâ Friderici Imp. Conſtitutione nomine *Exactionum* teloniorum præſtationes veníre, DD. notant. Ab his immunitatem iisdem bonis luculenter tribuit Imp. Sigismundus apud Goldaſtum *in ejus vita p. 1. Conſtit. Imperial.* ubi à vectigalibus immunes pronuntiat einen Prieſter/ einen Ordensmann / darumb daß ſie deſſen Diener ſeynd / von deme vnſer Freyheit kombt: & uſu obſervant Principes ac Status Imperii etiam Acatholici, teſte Knipſchild ſcriptore Heterodoxo & *Lib. 2. de Jurib. & Privileg. Imp. Civitat. cap. 18. n. 18.* gloriante, ſuæ Sectæ addictos in hoc Italis, vectigalia ab 195.

galia ab Ecclesiasticis & Secularibus indiscriminatim exigentibus, Religiosiores esse.

196. A generali tamen hac rerum & bonorum, ad Ecclesias & personas Ecclesiasticas pertinentium, exemptione excipiuntur, & à tributis, vectigalibus aliisque ejusmodi oneribus immunes non sunt Imprimis res & bona, quæ Ecclesiæ, Monasteria & clerici in feudum obtinent à Principe vel alio domino seculari; cùm enim hujusmodi bonorum dominium directum penes talem feudi dominum sit, ratione eorum, sicut coram isto conveniri possunt *c. Ex transmissa 6. c. Verùm 7. de Foro compet.* sic etiam ei contribuere Ecclesiæ & clerici perinde, ut vasalli laici, debent, Panormit. *in c. Dilectus 34. de Præb. & dignit. n. 4.* & Laiman. *cit. Tract. 9. cap. 5. n. 2.*

197. Deinde res & bona non-feudalia, à Principe vel alio domino seculari Ecclesiæ vel Monasterio in prima fundatione vel postea non omnino liberè, sed cum reservatione jurisdictionis & pristini juris contributiones imponendi donata; talem enim conditionem tanquam justam observandam; ac proinde ejusmodi bona tributis & similibus oneribus à fundatore vel alio donatore laico imponendis obnoxia vi conventionis seu pacti manere, *arg. c. Verùm 4. de Condit. appos.* censent *citt.* Suarez *cap. 14. n. 13.* & Laiman. *n. 4.*

198. Simili modò omnia tributa, census & pensiones ab Ecclesiis, Monasteriis & clericis præstari debent de bonis, quæ antequam ad eos per emphyteuticum vel alium contractum inter privatos initum aliúmve justum titulum pervenirent, bonis imposita jam fuerunt; cùm enim nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet, per *Reg. 79. in 6.* is, qui non omnino liberè, sed ex contractu seu conventione bona tributo, censui vel alteri simili oneri obnoxia possidet, ea in alium non nisi cum annexo ejusmodi onere transferre potest; quia notissimi juris est, rem cum onere ipsi inhærente ad quemcunque possessorem transire, *c. Ex literis cit.* Unde, si ejusmodi res & bona donatione, contractu aliove justo titulo in Ecclesiam Monasterium vel personam Ecclesiasticam transferantur, ad tributum, censum &c. præstandum etiam istæ obligantur; quia ob favorem Ecclesiæ vel alterius causæ piæ ordo justitiæ inverti, & jure, quòd in bonis in se translatis vi pacti vel conventionis habet, alius privari non debet, Ita cum Glossa *in can. Tributum 12. V. De exterioribus 23. q. 8.* & Panormit. *in c. Non minùs cit. n. 15.* docent iidem Suarez *cap. 20. n. 6.* & Laiman. *cap. 6. n. 9.*

Hinc tamen legitimè non infertur, 199
res & bona quæcunque à laicis possessoribus ad Ecclesias, Monasteria vel personas Ecclesiasticas translata ributis, & exactionibus Principum, in quorum territorio sita sunt, obnoxia manere; quòd, sicut ad possessores alios, sic etiam ad Ecclesias &c. transeant cum onere; quò affecta antè fuerunt, secundùm Regulam *c. Ex literis cit.* nam Regulæ huic locus duntaxat est in tributis aliisque oneribus, originem ducentibus à partium expressa conventione: non etiam in iis, quæ indicuntur lege publicâ & potestate Jurisdictionis; quia per hanc indicta onera non inhærent rei præcisè ratione rei, sed ratione personæ; cùm rei seu bonis imponantur propter personam Principis vel Magistratûs jurisdictioni subjectam & ab ista impositi oneris capacem. Unde, si bona, ex quibus tributa &c. Principi solvebantur, transferantur in personas & possessores ab illius jurisdictione exemptos, à tributi & exactionum, quæ lege seu-

ge seculari & jurisdictionis potestate indicuntur, oneribus eximuntur, juxta Regulam, *Si persona est exempta, ejus etiam res seu bona sunt exempta*; cùm enim res accessoriæ sint personæ, mutatô istius statu etiam illarum status & conditio mutatur, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6.* Panormit. *in c. Qualiter 17. de Judiciis n. 8.* Guttierez *Practic. Lib. 1. q. 3. num. 15. cit.* Suarez *n. 12.* & Laiman. *n. 4.*

200. Demum excipiendus est casus valde gravis necessitatis vel maximæ utilitatis publicæ, quæ æquè principaliter & directè tangit statum Ecclesiasticum quàm Secularem: ut vg. cùm superioribus annis in Germania Hæretici & sub nuper feliciter confecti belli Turcici initium Turcæ, aliíque barbari & infideles terris Catholicorum imminerent; ad talem enim necessitatem sublevandam æquitas postulat; ut in subsidium laicorum contributiones etiam ab Ecclesiasticis fiant, ut clarè desumitur ex *c. Non minùs c. Adversus citt. & Extravag. Unica inter Communes, hâc Rubr.* Ubi tamen ad licitam clericorum contributionem quatuor
201. conditiones exiguntur. Prima; *Ut laicorum non suppetant facultates* sive; ut ad magnam & communem ejusmodi necessitatem propulsandam laicorum propriæ vel saltem communes Reipublicæ facultates solæ non sint sufficientes. Secunda; ut contributionem decernat *Episcopus simul cum clero*, universo totius diœcesis, ut Panormit. *in c. Non minùs cit. n. 5.* vel, ut satis probabiliter existimat Suarez *cit. cap. 26. n. 16.* cum canonicis Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis, qui clericorum nomine aliquando soli veniunt in Jure, ut *c. 1. c. Cùm Apostolica 7. c. Tua 8. de Iis, quæ à Prælat.* Tertia; ut *Romanus Pontifex consulatur*; ne per inferiorum Prælatorum conniventiam & laicis inconsultè deferentium nimiam facilitatem Ecclesiæ nocumentum ac præjudiciũ patiantur. Quarta; ut contributio, dictô modô ab Episcopo decreta, & à summo Pontifice approbata, fiat *Absque ulla coactione vel exactione laicorum*, sive; ut contributio legitimè imperata à clericis conferatur & *à laicis humiliter & cum gratiarum actione recipiatur.*

Dubium hinc oritur, an clerici con- 202.
tribuere teneantur ad reparationem viarum publicarum acpontium & ad murorũ civitatis refectionem. Non quidem, si eo nomine contributiones in quantitate, expensas ad tale opus necessarias multùm excedente, pro conservatione statûs, dom⁹ aut familiæ splendore &c. exigantur; ab his enim Ecclesias & personas Ecclesiasticas, *c. Quamquam, Clement. fin. & Auth. Item nulla citt.* eximi, jam vidimus.

Sed, si exigantur in quantitate moderata & necessaria ad refectionem: ad cujusmodi contributionem Ecclesiæ, ac proinde etiam clerici adstringuntur, *l. Ad instructiones 7. C. de SS. Eccles. & l. fin. C. De quibus munerib. & præstat.* Id ipsum suadet ratio; quia hujusmodi contributiones neque exiguntur à Principe in suæ potestatis & superioritatis, neque in suæ subjectionis signum ab Ecclesiis & clericis præstantur: sed solummodo pro necessitate vel utilitate communi & clericos non minùs quàm laicos afficiente: quam spectantia onera communiter ab omnibus ferenda, naturalis ratio & æquitas dictat.

Nihilominus etiam à publica ejusmodi refectione, reparationeque Ecclesias & clericos eximit sententia communis, quam cum Joan. Andr. *in c. Non minùs cit. n. 4.* Panormit. *in c. cit. n. 18.* & aliis Interpp. defendunt Sylvester *V. Immunitas 1. n. 20.* Azor *p. 1. Instit. Lib.*

5. cap. 13. q. 8. Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 672. n. 4.* Suarez *cit. cap. 26. à n. 12.* Laiman. *cit. cap. 6. n. 6.* propter *c. cit.* ibi, *Sive fossata sive expeditiones sive qualibet alia & c. Adversus cit.* textus, à tributo, pro communibus necessitatibus & utilitatibus imposito à laicis, clericos & Ecclesias eximentes, & vim, si quam habuissent, adimentes *citt.* aliísque *ll. Imperialibus* in contrarium solitis allegari, & jam correctis *Auth. Item cit.* eosdem ab angariis & perangariis, communem utilitatem concernentibus, absolvente. Neque id immerito; cùm clerici ad has & contributiones illas non adstringantur lege seculari; quia eâ non ligantur, *c. Ecclesia cit.* neque ex contractu seu mutua conventione inter ipsos & laicos; quia de hac inita non constat: neque etiam ex beneficio, quod publicis viis & pontibus utendò percipiunt; quia sumptus, quos in eorum refectionem reparationémque faciunt, laicis abunde compensantur; quòd bona Ecclesiastica in fabricam & ornatum templorum, conservationem cultûs Divini & alios usus in laicorum utilitatem cedentes specialiter impendantur; ac proinde, sicut milites & Magistratus, sic etiam clericos à contributionibus ad ejusmodi opera temporalia immunes esse conveniat; cùm ad jus publicum etiam ipsi pertineant, *can. Jus publicum* 11. *dist.* 1. *l.* 1. §. 2. *ff. de I. & I.* &, quod in contrarium allata ratio naturalis & æquitas postulat, satis superque impleant commune bonum alio & nobiliori modò promovendò.

203. Sed, etsi hæc ita sint, quando communis necessitas utilitásve & eam spectans opus directè & proximè Rempublicam; ac proinde Ecclesiasticos tantùm in consequentiam tanquam ejus membra spectat: aliter tamen res se habet, quando illa principaliter & proximè tantùm respicit particularia quædam prædia; ut propter emolumentum, quod ex opere illam spectante percipiunt, solis istorum dominis sit contribuendum: cujusmodi sunt, si vermes agros depascantur, aut istorum ripæ adversus vim fluminis muniendæ: si aperienda fossa, in quam confluentes aquæ aliò deriventur, vel ducendus rivus, quò prata irrigentur: si effodiendus communis puteus aut fons per canales ad prædia ducendus: si via ante singulorum domos sternenda lapide, aut ad sylvam, pascua &c. omnibus communia reficienda; cum enim horum & similium operum emolumentum principaliter & proximè sit ejusmodi prædiorum, istorum domini ad ea pro rata contribuere debebunt, sive laici sive Ecclesiastici sint, Panormit. *in c. Non minùs cit. n.* 20. Molina *cit. disp. 672. n. 4. concl. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 7.* qui tamen rectè monent, ad ejusmodi contributionem clericos prædiorum dominos non per seculares sed Ecclesiasticos superiores compellendos.

Dubium secundò est, an tempore 204
famis & caritatis annonæ ad frumentum aliáque victualia justò pretiò vendenda cogi clerici possint à potestate seculari. Cogi ad id laicos posse, nemo facilè inficias ibit. De clericis idem affirmant aliqui; sed non magni nominis & notæ DD, siniſtrò potiùs affectu ducti, quàm Jure aut ratione; quia istorum coactioni, *c. Non minùs c. Adversus citt.* & similes textus alii cum supra allegata Urbani VIII. *Constitutione* & Bullæ Cœnæ *can.* 12. apertè & justissimè adversantur; cùm clericos cæterásque personas Ecclesiasticas Principum aliorúmque Magistratuum jurisdictioni, præsertim coactivæ nequaquam subiici, Juris sit omnino explorati, *c. Ecclesia 10. de Constitut. c. fin. de*

205. *fin. de Reb. Eccles. alien. &c.* Eadem ferè, quæ coactionis, ratio est violenti ingressûs & visitationis horreorum & granariorum, præsertim intra Ecclesiarum & Monasteriorum ambitum sitorum; cùm Ecclesiæ & Monasteria locis extra territorium sitis, ut *n. 3.* dictum, æquiparentur, & ipsorum res laicorum dispositioni non subiiciantur. Quare, seclusô speciali Privilegiô Apostolicô, cùm, tali necessitate urgente, frumentum & alia victualia aliunde haberi non possunt, seculari potestati recurrendum est ad Episcopos aliósque superiores Ecclesiasticorum, per quos isti ad ea justô pretiô vendenda compelli possunt, Belletus *Disquisit. Clericat. p. 1. Tit. 5. §. 2. n. 9.* Mad. *de Sacris Ord. cap. 14. §. 38.* Guazzinus *Reorum defens. 20. cap. 9. n. 10.* & Del-bene *de Immunit. p. 1. cap. 9. dub. 14. n. 1.* quocum tamen

206. Excipiendus est, si quando eveniat, casus, quô urgentis maximæ necessitatis tempore clerici à pauperibus rogati frumentum & alia victualia vendere, eósque à seculari debitô modô requisita potestas Ecclesiastica compellere per sordidiem recusaret, aut hæc adiri in tempore non posset; tali enim casu Magistratus secularis, potestate extraordinariâ, non Jurisdictionis; quia hanc in Ecclesiasticos non habet: sed justæ defensionis adversus periculum, quod communitati ex fame imminet, frumentum ex Ecclesiasticorum horreis extractum indigentibus justô pretiô vendere posset, ut in simili casu docent Sotus *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1.* & Molina *Tract. 1. de I. & I. disp. 31. n. 10.*

207. Dubium tertiò est de iis, qui hactenus declaratâ Reali immunitate gaudent. Qua in re inter DD. satis convenit Imprimis, eâ de Jure gaudere Ecclesias, Monasteria, cæteráque Sacra & Religiosa loca, uti & Regulares utriúsque sexûs omnes, & Clericos quoscunque, etiam in minoribus Ordinibus constitutos, primáque solum tonsurâ initiatos & destitutos conditionibus, quas in ipsis, ut Ecclesiastici fori privilegiô gaudeant, requirit S. Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* quia illæ Conciliari hoc decretô ad Fori duntaxat privilegium retinendum hodie exiguntur: &, quia odiosæ sunt, sicut ad Canonis juxta dicta *Tit. 1. n. 20.* sic ad alia quoque clericorum privilegia non extenduntur, secundùm *cit.* Molinam *disp. 671. n. 5.* & Barbosam *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 39. §. 5. n. 15.* Deinde inter eos- 208.
dem convenit, eâ non gaudere primò Clericos conjugatos, *c. Unic. de Cleric. conjug. in 6.* ubi his, si cum una eáque virgine contraxerunt & clericalem habitum deferant, Canonis duntaxat, & in Criminalibus Fori privilegia relicta: cætera verò, ac proinde etiam clericorum bonis concessa, disertè sunt adempta. Demum alios etiam clericos Negotiatores: qui pro rebus subjectis negotiationi & per hanc acquisitis eâ, de qua agimus, immunitate privantur, ut ad sequentem Rubricam pluribus statuetur.

Controversia hoc loco est de colonis sive laicis, quibus Ecclesiarum & Ecclesiasticorum bona locantur, vel conceduntur precariò, aut in emphyteusin: quos à tributorum & vectigalium solutione absolventium, ad eámve obligantium DD. contrariæ Opiniones aliqui in concordiam non malè reducunt ope distinctionis: &, licet colonos perpetuos sive ruricolas, glebæ seu fundo colendo perpetuò adscriptos, ab iis generaliter: partiarios verò sive eos, qui pro certa parte fructuum agros colunt, saltem quoad partem fructuum, Ecclesiæ præstandam, à tributis, vectigalibus &c. eximant;

quòd tales fructus non tam coloni, quàm ipsius Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ sint: ab iis tamen immunes esse negant quoad portionem fructuum, quæ ex conventione remanet ipsis colonis seu conductoribus agrorum; quia posteriores hi fructus sunt ipsorum colonorum nullô Jure exemptorum, Menoch. *de Arbitr. casu 562. n. 21. & 33.* & Barbosa *cit. §. 5. n. 30.* quorum doctrina usu recepta est, teste Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 88.* & Juri etiam consona videtur: dummodo ratione illius tributi Ecclesiæ &c. directè vel indirectè non graventur, contra Bullam Cœnæ *can. 18.*

209. Dubium quartò est de Jure, quô Ecclesiarum & clericorum Realis Immunitas est introducta. Qua in re magna dissensio est DD. nonnullis, eam Divinô, aliis Humanô Jure constitutam, asserentibus. Quorum illi præcipuè moventur luculentis textibus *c. Quamquam cit.* quô *Ecclesia Ecclesiasticaq; Personæ acres ipsarum non solùm Humanô Jure, quin & Divino à secularium personarum exactionibus immunes* pronuntiantur: & Tridentini, *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei Ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutã*, asserentis, *Sess. 25. cap. 20. de Ref.* quô decretô S. Synodus & *c. cit.* Bonif. VIII. procul dubiô respexerunt verba Christi, *Ergo liberi* à tributo & censu *sunt filii*, Matth. *cap. 17. v. 25.* hoc est, regum & multò magis Dei: qualis non solùm Christus, sed ejus etiam familiares Clerici sunt, juxta illud, *Ego dixi, Dii estis & filii excelsi omnes*, Psalm. *81. v. 6.* Confirmatur; quia, si immunitas ista non Divinô, sed humanô tantùm Jure prodita fuisset, lege vel Consuetudine contrariâ tolli posset, contra communem sententiam primi nomi-

210. nis TT. & Canonistarum. Istorum, sive, eam humanô Jure introductam, asserentium unicum fundamentum est; quòd in Nova Lege ne jota quidem extet, quô res & bona Ecclesiastica à laicorum jurisdictione, exactionibus &c. eximantur: Imò, in primitiva Ecclesia ea his obnoxia fuisse, indubitatè constet ex generalibus & omnes afficientibus verbis Christi, *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, hoc est, numisma censûs & tributum, Matth. *cap. 22. v. 21.* à quibus, si Ecclesia & Clerici Jure Divinô essent exempti, hæc ipsorum exemptio sive immunitas non posset auferri vel restringi.

Mihi, sicut in Personali *Lib. 2. Tit. 21. 2. n. 115.* sic in Reali hac immunitate cum Palao *Tract. 12. disp. unica p. 1. n. 5.* Opinioni utrique aliquid tribuendum & ea secundùm Decretum Tridentini *cit.* constituta videtur Ordinatione Dei & Canonicis sanctionibus, Illâ; quòd Ecclesias & Clericos, tanquam loca & personas Deo specialiter consecratas, cum rebus suis à seculari potestate eximendas, Divinum, imò Naturale Jus dictet: eâque ad veteris & à se conditæ Legis exemplum in nova eximendi potestas Papæ collata sit à Deo. Istis verò; quòd exemptionis privilegium immediatè à Papa & Impp. constitutum sit, ut cum Innocentio *in c. Si quis 2. de Majorit. & Obed.* tradunt Covarruvias *Practic. cap. 31. n. 2.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 33. n. 28. & 30.* Molina *Tract. 1. de I. & I. disp. 31. n. 6. & 7.* & alii RR.

Neque contrarium probant verba Christi Matth. *cap. 17. v. 25.* quia solum ipsum, tanquam naturalem Dei æterni Regis filium, & ex speciali privilegiô B. Petrum, tanquam ejus in terris Vicarium spectant: non etiam reliquos Christi discipulos & clericos universos; ut quid enim Christus in ore piscis inventum staterem pro solo se & Petro, &

non pro

non pro reliquis discipulis omnibus dari jussisset, si Divinô Jure à tributo seu censu immunes omnes fuissent

Non majorem vim habet confirmatio; quia consuetudo dubium quidem de immunitae Jus interpretandi, *arg. c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* non etiam clarum & liquidum abrogandi sive derogandi vim habet; quia non apparet, quomodo illud abrogans sive derogans consuetudo esse queat rationabilis partim; quia Ecclesiæ gravamen apertè inducit, contra *c. 1. de Consuet.* & adversatur Juri secundùm legis Divinæ & Naturalis rationis dictamen condito; ut locus sit, *arg. c. fin. de Consuet.* partim; quia Ecclesia ipsi apertè resistit, ut *cit. Tit. 2. n. 116.* est dictum.

TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant.

SUMMARIUM.

1. *Sensus Rubricæ.*
2. *Varietas negotij Secularis.*
3. *I. Vetita Ecclesiastici est Negotiatio:*
4. *Cujus tres species sunt.*
5. *Licitè illi emunt necessaria & superflua vendunt.*
6. *Illicitè res emunt & non mutatas cariùs:*
7. *Imò & mutatas solius quæstûs causâ distrahunt:*
8. *Ex alia causa immutatas vendere non prohibentur.*
9. *Eadem fere ratio est Conductionis prædiorum.*
10. *II. Agitatio judicij Sanguinis.*
11. *III. Ordinatio acici & pugna cum hoste:*
12. *Quæ Minoribus etiam clericis & Religiosis est interdicta:*
13. *Licet alio fine honesto castra sequi non prohibeantur.*
14. *IV. Exercitium Chirurgiæ:*
15. *Nisi pietatis causâ suscipiatur.*
16. *V. Procuratio laicorum in & extra Judicium.*
17. *VI. Officium Tabellionis.*
18. *Quin tamen Instrumenta à tabellione Ecclesiastico confecta irritentur.*
19. *VII. Officium Vicecomitis & Gubernationis secularis.*
20. *Vetitum sub censura, Episcopos non afficiente.*
21. *VIII. Legum & Medicinæ studium publicum Religiosis,*
22. *Et nonnullis clericis non permissum.*
23. *Favore studij sacræ Theologiæ:*
24. *Cujus favore statuta fere etiam Jus Canonicum spectant.*
25. *Physicam & Civile Jus docere,*
26. *Et Civile Jus Canonico jungere Ecclesiastici non vetantur communi,*
27. *Et speciali Jure passim permittuntur.*

1. SIcut in Ecclesiis, quòd Dei domus sint, prophani actus exerceri, sic à Personis Ecclesiasticis, quòd in sortem Domini vocatæ sint, prophana & secularia negotia tractari non debent, secundùm propositam Rubricam, & illud Apostoli, *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, 2. Timoth. *cap. 2. v. 4.*

2. Secularia autem negotia secundùm Panormit. *in Rubric. cit.* aliquando vocantur in latiori sensu omnia, quæ Seculum, hoc est, mundum & carnem, sive carnalem concupiscentiam magis sapiunt quàm Spiritum sive dictamen rectæ rationis: cujusmodi complura referuntur *c. 1.* quorum licet pleraque omnibus, præ aliis tamen Clericis & Religiosis propter statûs excellentiam sunt vitanda: aliquando in strictiori & magis proprio sensu ea, quæ ad Reipublicæ statum Secularem seu Politicum potiùs quàm Ecclesiasticum pertinent; eámque ob causam, licet secundùm se licita sint, personis tamen Ecclesiasticis, scilicet Clericis & Religiosis generaliter interdicuntur: qualia *Rubricæ huic* subjectis textibus permulta recensentur, & præcipuè sunt

3. Primò Negotiatio: quæ illis vetita est *can. Consequens 2. can. Negotiatorem 9. &c. dist. 88.* sub excommunicatione, *c. Secundùm 6. hâc Rubr.* Prohibitionis ratio justa fuit partim; quòd aliena sit à ratione vitæ propriæ Clericorum & Religiosorum, vi Ordinationis ac Professionis suæ specialiter obligatorum ad conversationem cum Deo, exhibendum ipsi cultum & obeunda mysteria Divina: quibuscum negotiatio minimè cohæret; cùm eâ mens in infinitas partes distrahatur & inutilium desideriorum ac sollicitudinum profundo quodammodo absorbeatur: partim verò; quòd suspicionem præbeat avaritiæ, & obnoxia sit multis periculis fraudum, injuriarum, perjuriorum &c.; quorum etiam specie abhorrere Clerici & Religiosi debent, juxta monitum ejusdem Apostoli *1. Thessal. cap. 5. v. 22.*

Ne autem *citt.* textibus ipsis generaliter etiam rerum emptio, venditio & 4.
huic affines contractus omnino omnes interdicti videantur, distinctio facienda est inter triplicem Negotiationem: quarum primâ, latissimè & impropriè acceptâ, res necessariæ vel utiles emuntur, & superfluæ pretiò, quò eò tempore valent, venduntur. Alterâ, propriè & strictissimè sumptâ, lucri seu quæstûs faciendi causâ res vg. vinum, frumentum, victualia & merces aliæ emuntur, aliòve titulo onerosò comparantur; ut non mutatæ sive in aliam formam redactæ cariùs vendantur. Tertiâ, minùs quidem propriâ sed tamen etiam lucri causâ institutâ, res emuntur; ut arte vel industriâ & labore in aliam formam mutatæ aut meliores redditæ per se aut alium vendantur: sicut fit, cùm emitur hordeum & lupuli; ut cervisia: lana, ut pannum: ferrum; ut gladii, secures, vomeres ex iis fiant & distrahantur: cùm emuntur boves & pabulum; ut istô saginati cum lucro vendantur. Quarum

Prima Clericis & Religiosis non mi- 5.
nùs quàm laicis permissa & nequaquam obnoxia est incommodis Negotiationis interdictæ *cann. & c. Secundùm cit.* cùm necessariarum & utilium rerum emptio, & non necessariarum aut superfluarum distractio animum per se non distrahat, neque impediat, quò minùs Deo & Divinis vacare possit. Unde Clericus ejus, quod pro sua suorúmve necessitate emit, residuum, vel si eò ex quacunque causâ uti non valeat aut velit, vendere etiam majori pretiò eò tempore currente non prohibetur. Quia, si hoc non liceret, Clerici & Religiosi sæpe res suas perdere aut abjicere,

abjicere, magnô suô damnô deberent. Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 342. n. 14.* & Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 9. num. 16.*

6. Secunda indubitatè prohibita est *cann. & c. citt.* usque adeò; ut imprimis pro rebus Negotiationi subjectis & per eam acquisitis vectigalia & portoria solvere, perinde ut laici, teneantur, *Clement. fin. & c. Quamquam 4. de Censibus in 6.* Deinde omnia bona per hujusmodi Negotiationem acquisita, quæ post ipsorum obitum extant, tanquam spolia ad fiscum Ecclesiæ sive Cameram Apostolicam pertineant ex *Constitutione* Pii V. quæ incipit *Decens, edita Nonis Novemb. 1560.* Azor *p. 2. Instit. lib. 8. cap. 2. q. 8.* Demum ipsi Clerici & Religiosi negotiatores obnoxii sint excommunicationi per sententiam infligendæ, *c. Secundùm cit.* & amissioni privilegii Clericalis, si post trinam vel unam peremptoriam admonitionem ab ea non desistant, *Clement. 1. de Vita & honest.* Panormit. *in c. Secundùm cit. n. 1.* Molina *disp. cit. n. 1.* & Fagnanus *in c. cit. n. 9.* rectè excipiens casum necessitatis: ad quam propulsandam clerico priùs ad artificium vel laborem manuum quàm ad negotiationem recurrendum, *arg. cann. Clericus 2. & 3. dist. 91. & can. Nunquam 32. dist. 5. de Consec.* docet S. Thomas *2. 2. q. 187. art. 3.*

7. Tertiam etiam, quâ res lucri seu quæstûs causâ emptæ & immutatæ vel meliores redditæ cariùs venduntur, Clericis & Religiosis, extra casum necessitatis interdictam, docet *cit.* Molina *n. 6.* Laiman *Lib. 3. Tract. 4. cap. 17. n. 40.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 4.* propter eosdē textus & rationem; quia ad negotiationem propriè
8. dictam proximè accedit. *Lucri*, inquam, *causâ*: & non solùm propriorum agrorum & fundorum fructus utiliter impendendi vel distrahendi: sic enim Clerici & Religiosi, suorum prædiorum & beneficiorum fructus in loco, ex quo proveniunt, vel aliò translatos distrahendô: ex hordeo vel tritico ex iis collecto decoctam cerevisiam, vinum ex propriarum vinearum uvis expressum, animalia empta & ex propriis prædiis proveniente pabulo saginata eorúmque partus vendendo, illicitam & relatis pœnis obnoxiam Negotiationem non exercent; quia hujusmodi rerum venditarum pretium istiúsque incrementum non tam prioris emptionis, quàm naturæ eíque accedentis industriæ est fructus, Molina *cit. n. 6.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 13. à n. 10.* & Palao *cit. n. 16.* Simili modò Clerici & Religiosi licitè emunt res necessarias ad artificium, non sordidè & mero lucri studiô, contra text. *c. 1. hâc Rubr.* sed, ut olim Monachi, texendô retia, corbes, storeas & ut S. Paulus scenofactoriam exercendô Actor. *cap. 18. v. 3.* ad victum parandum, otium fugiendum, castigandum corpus, eleemosynas faciendas &c. talíque fine iis horis, quibus à spiritualibus functionibus remittunt, elaborata vendunt, ut cum S. Thoma *cit. art. 3.* docet Fagnan. *in c. Secundùm cit. n. 10.* & *cit.* Pirrhing *n. 7.* quia sic non exercent Negotiationem ipsis interdictam, & copulativè exigentem duo: scilicet emptionem rei ejúsque non immutatæ vel etiam in aliam formam redactæ venditionem: &, ut emptio illa rem cariùs vendendi animô fiat gratiâ lucri seu quæstûs, ut notat Barbosa *l. cit. num. 11. in fine.*

Postremæ huic negotiationis speciei affinis & Clericis ac Religiosis prohibita 9.
est Conductio alienorum prædiorum & fundorum, *can. Placuit 21. q. 3. & c. Secundùm cit.* non quidem ad sui suorúmque sustentationem, quando ex propriis fundis collecti fructus ad eam sufficientes non sunt: sed lucri causâ, *can. Pervenit, q. cit.*

q. cit. sive; ut ex illis collectos fructus vendant, indéque lucrum reportent; quia etiam hujusmodi conductio animum distrahit & avaritiæ suspicionem non minorem quàm negotiatio præbet, Panorm. *in c. Secundùm cit. n.* 2. Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 13. §. 3. n. 4.* & Fagnanus *in c. cit. n.* 11.

10. Secundò prohibita clericis est Agitatio judicii Sanguinis, *c. Clericis 5.* & *c. Sententiam 9.* quibus locis Clerici (eadem ferè ratio Religiosorum est) mortis vel mutilationis sententiam dictare vel proferre, eandem exequi vel exequentibus assistere sub excommunicatione & honoris & loci sive, ut *in c. Clericis cit.* Panormit. & Gonzalez *n.* 2. notant, beneficii & officii privatione; ac proinde verbali depositione prohibentur. Imò, si ex tali ipsorum facto sequatur mors vel mutilatio, contrahunt irregularitatem, *Lib. 5. Tit. 12. à n. 9.* declarandam.

11. Tertiò, Ordinatio aciei, & directio militum pugnantium, & multò magis consertio manuum cum hoste in pugna: quæ iisdem prohibita est *can. Eos qui 20. q. 3. can. Quicunque 3. &c. 23. q. 8.* & *c. Sententiam cit.* ibi, *Nec ullus ruptarius vel ballistarius aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.* Ratio est; quia Clerici & Religiosi per sacram Ordinationem & Professionem specialiter adscripti sunt Militiæ Christi, ab alieni sanguinis effusione ita remoti; ut pro ipsorum salute effuderit suum, S. Thomas 2. 2. *q. 40. art.* 2. Suarez *de Bello, disp. 13. s. 3. n. 5.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 108. n.* 12. Unde

12. Dubium oritur de Clericis constitutis in Ordinibus minoribus ac Religiosis laicis: ad quos prohibitionem illam non extendi, cum Covarruvia *in Clement. Si furiosus p. 2. §. 3. n.* 2. existimant aliqui, pro se allegantes Consuetudinem, quâ *cc. citt.* interpretationem potiùs quàm correctionem inducì docent; quòd hæc odiosa, &, si manifestum Jus aut ratio aliud non persuadeat, non sit admittenda, *c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6.* & *l. Præcipimus 32. C. de Appellat.* Sed magnopere ambigo, an extra casum gravissimæ necessitatis, quò patria adversus Fidei aut Religionis hostes sine Ecclesiasticorum auxilio defendi nequit, Consuetudine receptum sit; ut clerici ordines ducant aut contra hostes armati pugnent. Unde verius censeo, ejusmodi necessitate non urgente, relatis Sanctionibus Canonicis etiam affici; Religiosos laicos & clericos Minores saltem beneficiatos & Fori privilegium atque in clericatu perseverandi animum retinentes, cùm; quòd *cann. & cc. citt.* inter Clericos & Monachos non distinguant; ac proinde locus sit, *arg. can. Confuluisti*, ibi, *quod SS. PP. documentò sancitum non est, superstitiosa inventione non est præsumendum:* tum verò; quòd etiam ipsi sint milites Christi, à quibus Christo, non Seculo serviendum & militandum, *can. Reprehensibile q. 8. cit.* generaliter statuitur, extra casum gravissimæ necessitatis Reipublicæ, specialiter exceptum, *c. Pervenit 2. de Immunit.*

13. Aliis etiam casibus Religiosi & Clerici in Sacris constituti bello piè & laudabiliter intersunt; ut militibus celebrent sacrificium Missæ, Sacramenta Ecclesiastica & cætera Divina administrent, eósque consolentur: &, si bellum justum sit, etiam animent ad pugnandum: dummodo eos expressè & specialiter non incitent ad occisionem vel mutilationem hostium, quos servare sine suo discrimine possunt; quia eorum statui etiam Ecclesiastico non adversatur, ut aliunde constat ex *can. Omnis 8. can. Hortatu 10. &c. q. 8. cit.* quibuscum ne pugnet rescriptum Innocentii III, Sacerdotes, qui ad

consilium

conflictum milites incitarent, deponendos secundùm Veterum canonum rigorem, asserentis *c. Quod in dubiis 5. de Pœnis*, exaudiendum est de incitatione ad pugnam injustam & ad determinatarum hostilium personarum occisionem vel mutilationem, Glossa *in c. cit.* Suarez *de Censuris disp. 47. s. 6. n. 10.* & Gonzalez *in c. fin. de Homicid. n. 14. in fine.*

14. Quartò exercitium artis Chirurgicæ per incisionem vel adustionem: quod Religiosis *c. Tua nos 19. de Homicidio:* Clericis in Sacris constitutis interdictum est *c. Sententiam cit.* cujus textûs argumentô, id etiam clericis Minoribus, beneficiû ad sustentationem sufficiens obtinentibus, illicitum, cum Panormit. *in c. cit. n. 22.* & Navarro *Comment. 4. de Regular. n. 28.* tradit Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 15.* ubi eos dictam artem ex pietatis causâ exercentes à culpa: &, si mors sequatur, ab irregularitate non excusat cum Panormit. *in c. Tua cit. n. 5.* & Ant. de Butrio *in idem c. n. 4.* Unde

Dubium oritur, an Clerici illi & Religiosi chirurgiam exercere saltem valeant sine incisione vel adustione. Affirmat id Covarruvias *in Clement. Si furiosus p. 2. §. 4. n. 2. V. Sic &;* quòd nullô Jure prohibeantur: imò *c. Ad aures 7. de Ætat. & qualit.* canonicus Colonienſis, licet mulier sumptâ, quam ei præbuerat, medicinâ, mortua fuerit, ab irregularitate immunis pronuntietur; quòd ipse peritus artis Medicæ, & medicina juxta ejus artis præcepta parata fuerit. Nihilominus Chirurgicæ & Medicæ artis exercitium prædictis Clericis & Religiosis generaliter interdictum, censent Sylvester *V. Medicus, q. 2.* Navarrus *Manual. cap. 15. n. 110.* Suarez *s. cit. n. 18.* & Palao *cit. disp. 4. p. 13. §. 2. n. 3.* quòd earum exercitium pertineat ad negotia secularia ipsis generaliter prohibita, *c. Clerici 15. de Vita & honest. Rubr. & c. 1. hîc:* præterquam, si absque incisione & adustione erga personas miserabiles & cognatas exerceatur causâ pietatis: ex qua causa susceptum artium illarum exercitium, cùm seculare negotium non sit, Clericis & Religiosis permissum, cum iisdem advertunt *citt.* Sanchez *n. 14.* & Palao *n. 4.* 15.

Neque id ex aliis etiam causis permissum *c. Ad aures cit.* decisio evincit; quia eâ canonic⁹ ab irregularitate absolvitur, non; quòd artes illas cum incisione vel adustione exercere Clerici & Religiosi generaliter pemittantur: sed; quòd eas exercere potiùs propter indecentiam, quàm mortis aut mutilationis periculum prohibeantur, ut rectè advertunt DD. *citt.*

Quintò, Procurationes in rebus laicorum in & extra judicium: quæ uti & administrationes villarum & jurisdictiones seculares Religiosis & Clericis, saltem constitutis in Sacris & Minoribus, beneficia ad sustentationem sufficientia obtinentibus *c. Sacerdotes 2. & c. Sed nec 4.* prohibentur; quòd per eas negotiis secularibus contra præsentem Rubricâ implicentur. Cui non adversatur; quòd primis Ecclesiæ seculis causæ temporales inter laicos controversæ ad Episcopalem audientiam per viam appellationis & in prima etiam instantia sint delatæ, *can. Quacunque 8. &c. 11. q. 1. & can. Sæpe 23. q. 8.* quia iis temporibus id ex optimâ ratione receptum erat; ut fideles retraherentur à tribunalibus Paganorum, & ab his quandoque imminente periculo perversionis: quô cum tempore & ipsâ Fidei propagatione sublatô, quod Christianorum judicum copia ubique esset, Ecclesiastici ab ejusmodi causarum cognitione cæperunt abstinere: nisi ab ipsis Principibus specialiter committerentur, ut *in c. Sacerdotibus cit.* eruditè observat Gonzalez *n. 6.* 16.

17. Sextò, Officium Tabellionis: quod Clericis in Sacris constitutis & aliis, competens beneficium habentibus, disertè & severè prohibetur *c. Sicut te 8.* & Religiosis interdictum desumitur ex *c. Ut officii 11. §. Verum, V. Ad conscribendas, de Hæreticis in 6.* ubi id favore Fidei tanquam aliquid omnino speciale permittitur Religiosis, qui Tabellionis officium in seculo habuerunt. Prohibitionis ratio solennis est; quòd tabellionum officium sit publicum & seculare; ideo enim instrumenta ab eis confecta publica & forensia nuncupantur, *Novell. 44. & 73.* forensibus autem & publicis negotiis Clerici & Religiosi misceri non debeant, *can. Reprehensibile, eâdem & c. 1. hâc Rubr.*

18. An ab ejusmodi Clerico & Religioso præsertim, qui in seculo tabellio fuit, confecta instrumenta valida sint, in dubium aliqui vocant: & à Religioso quidem sine Prælati sui licentia confecta, cum Decio *in c. Decernimus 2. de Judiciis à n. 70.* nullitatis arguit Covarruvias *Practic. cap. 19. n. 8. V. Monachus:* etsi ab ipso, quæ in seculo inchoavit, aut breviter & succinctè in Protocollo conscripsit, post Religionis professionem compleri posse, haud ægrè concedat, *arg. l. Alienationes 13. ff. Famil. hercis.* Alii tamen satis frequenti calculò ab eo etiam post professionem inchoatis & cum debitâ solennitate perfectis instrumentis tanquam validis plenè probandi vim tribuunt, cùm; quòd nullò Juris textu irritata, ac proinde pro validis habenda sint præsertim; cùm eorum ita confectorum nullitas non conficienti, sed partibus, inter quas gestum negotium continent, sint damnosa, Panormit. *in c. Sicut cit. n. 11.* Sylvester *V. Tabellio q. 3. d. 5.* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 13. n. 48.* qui tamen excipiunt casum, quò Religioso vel alteri clerico in sacris vg. Sacerdoti tabellionis officium interdictum & ademptum esset publicè, vg. per edictum solenniter promulgatum; post hujusmodi enim publicationem ab eo confecta instrumenta propter defectum potestatis in conficiente pro nullis meritò habent DD. *citt.*

Septimò *c. Clericis 5. V. Iubemus,* Sacerdotibus prohibetur officium Vicecomitis & Præpositi secularis sive Gubernatoris alicujus provinciæ vel civitatis & Præsidis Curiæ sive Cancellariæ Principis sub interminatione excommunicationis post monitionem Canonicam ipsò factò contrahendæ, ut ex Verbo *subjaceat*, hominis ministerium non exigente sed prohibitionis transgressionem censuræ illi definitivè subjiciente cum Glossa *fin.* & Panormit. *in c. cit. n. 14.* colligunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 117.* & Suarez *de Censuris disp. 23. s. 3. n. 22.* 19.

Eâdem Censurâ etiam cæteros clericos in Sacris affici & *c. cit.* nomine *Sacerdotis* venire, notant Panormit. *ibi n. 8.* & Sylvester *V. Excommunicatio 9. n. 28. arg. can. De crimine 15. q. 5. & c. Si quis 2. de Cohabit. cleric. & mul.* quorum textuum posteriori nomine *Sacerdotis* etiam diaconum & subdiaconum comprehendi, in terminis habetur; prioris principiò Diaconus, & sub finem Sacerdos idem clericus nuncupatur. Sed lata hæc ejus nominis acceptio rara & in Jure pœnali usu recepta vix est extra casus expressos. 20.

Quare, licet sicut Sacerdos, sic & cæteri Clerici majores & vel maximè Episcopus ejusmodi gubernationes sine dispensatione Papæ illicitè gerant: tamen neque iste neque illi, ea etiam post monitionem gerendò, excommunicationem ipsò factò incurrunt: Episcopus quidem quia generali Constitutione ejusmodi Censuram infligente non afficitur, nisi ipsius expressa mentio habeatur, *c. Quia periculosum 4. de Sent. excommunicat. in 6.* Cæ-

in 6. Cæteri autem Clerici majores & beneficiati; quia *c. Clericis cit.* nomine *Sacerdotis* solum Presbyterum denotari, satis insinuat Papa priori ejus parte & prohibitione; ne sanguinis judicium agitent, clericis in sacris vetans generaliter: posteriori autem, Vicecomitis officium insuper habitâ monitione gerere præsumentes excommunicationi subjiciens, expresè solum Sacerdotem nominat; ac proinde eô latam censuram ad hunc solum restringunt Suarez *cit. s. 3. num.* 21. Henriquez *Lib.* 12. *cap.* & *n.* 5. & Barbosa *in c. cit. num. 6.*

21. Octavò *c. Non magnopere 3.* severè cavetur; ne Religiosi ad Physicam, hoc est, Medicinam & Leges *Mundanas* sive Civiles legendas sive, ut vocem hanc excommuni DD. ferè omnium sensu intelligit Barbosa *in c. cit. n. 5.* publicè audiendas è claustris egredi permittantur. Egressi verò, si intra duos menses non revertantur, excommunicationem Jure latam ipsô factô incurrunt. Quod Alex-
22. andri III. statutum Honorius III. *c. fin.* repetiit & *V. Quia verò* ad Archidiaconos, Decanos, plebanos & similes clericos dignitatem vel personatum obtinentes & presbyteros extendit. Extensionem verò Bonifacius VIII. ita confirmavit, ut excideret Rectores Parochiarum *c. 1. in 6.* nisi istæ sint plebaniæ sive Ecclesiæ habentes sub se capellas minores, quibus vicarii perpetui præficiuntur; tales enim, uti & cæteri Parochiarum Rectores, si dignitatem vel personatum ex dispensatione obtineant, leges audire etiam ipsi prohibentur. Non quidem ratione suarum Ecclesiarum parochialium, sed ratione dignitatis vel personatûs, secundùm Glossam *in c. cit. V. Ratione.*

Porro, ut *cc. citt.* lata excommunicatio à Religioso incurratur, duo concurrere est necesse. Primum est egressus è Monasterio eâ intentione factus; ut leges vel Physicam sive Medicinam audiat, vel saltem aliâ vg. amicum invisendi eúmve honorandi intentione egressus, postea disciplinis illis addiscendis operam navandi animô extra Monasterium perseveret, Panormit. *in c. Non magnopere cit. n 8.* Suarez *de Censur. disp. 23. s. 3. n. 15.* & Palao *Tract. 29. disp. 3. p. 31. n. 4.* Alterum; ut postquam ex illo est egressus, aut aliâ intentione egressus voluntatem mutavit & ad disciplinarum illarum studium animum adjecit, intra duorum mensium spatium ad Monasterium suum non sit reversus, Panormit. *in c. fin. cit. n. 8.* Suarez *s. cit. num. 16.* & Bonacina *de Censur. disp. 2. q. 8. p. 7. n. 11.*

Ratio prohibitionis duplex refertur. Una ab Alexandro III. ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involuantur: & in interioribus eô ipsô deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus, hoc est, temporalibus providere, ut habet à Gonzalez relata plenior lectio *c. Non magnopere cit.* Altera ab Honorio III. ut Theologiæ stu- 23.
dium amplietur & fides Catholica circumcincta sit murô inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex diverso, sive, à quibus ea Divinarum scripturarum authoritate contra Hæreticos defendatur, *c. fin. cit.* cùm enim Lotharius II. eúmque secuti Impp. alii statuissent; ut abrogatô Longobardorum Jure, Romanæ Leges sive Jus Civile observaretur in tribunalibus & in Academiis publicè prælegeretur, ejus professio in magna æstimatione cepit esse, ut videre est apud Poslevinum *Biblioth. Lib. 13. cap. 17.* & contrà Sacræ Theologiæ studium vilescere & negligi; cùm fere omnes profiterentur studium Juris Cæsarei propter honores, & propter opes Physicæ seu Medicinæ, juxta tritum,

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores.

Unde laudati summi Ecclesiæ Antistites sacræ scientiæ Theologicæ necessitatem utilitatémque maximam præ oculis habentes, relatas Constitutiones ipsius favore publicârunt, Barbosa *Decis. Voto 88. n. 24.*

24 Theologiæ autem nomine *c. fin. cit.* etiam Jus Canonicum venire, cum Panormit. *in c. cit. n. 7.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 35.* quòd sanctiones Canonicæ ex Novi & Veteris Testamenti authoritatibus processerint, *c. Qualiter 25. pr. de Accusat.* de summa Trinitate, Fide Catholica, Sacramentis Ecclesiasticis & aliis materiis Theologicis agant: Ecclesiarum Pastores & Rectores ad earum gubernationem instruant & Fideles dirigant ad cultum Dei, Justitiam Christianam conservandam & æternam salutem consequendam, ut in *Dissert. Proœm. n. 79.* est dictum: & propterea Canonica scientia pars Divinæ, *c. 1. de Juram. Calumn.* & *Theologia Practica* nuncupetur à Sylvestro *V. Doctor n. 5.* Pelagio *Lib. 2. de Planctu Eccles. art. 20.* Cano *Lib. 8. de Loc Theolog. cap. 8.* Jordano *Lucubrat. Prælud. 13. n. 2.* & Pignatello *Tom. 1. Consult. 147. n. 8.*

At, licet hoc ita & ratio sit, cur S. Synodus Tridentina ad Prælaturas, dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica, quæ Magistris vel Licentiatis in Theologia committi voluit, Doctores & Licentiatos Juris Canonici pariter admittat *Sess. 22. cap. 2. Sess. 23. cap. 18. Sess. 24. cap. 8. 12. & 18. de Reformat.* usque adeò; ut, sicut officium Vicarii Generalis Theologo, qui sacrorum Canonum quidem nec Doctor nec Licentiatus, peritus tamen est, committi posse dictum, *Lib. 1. Tit. 28. n. 29.* sic ad Præbendam Theologalem sacrorum Canonum tùm Doctorem aut Licentiatum admitti ab Episcopo posse, à Congreg. Cardd. Trident. Interpp. multoties sit declaratum, testo Pignatello *cit. Consult. 147. à n. 1.* licet, inquam, hoc ita sit, magnopere tamen hæreo, an *c. fin. cit.* Honorius III. etiam sacrorum Canonum studium comprehenderit: non quidem; quòd hoc excludat ratio defensionis Fidei Catholicæ contra Oppugnatores; quia ad hoc, sicut sacrarum Literarum & Theologicam plùs, quam scientiam Canonicam conferre, ita hanc valde utilem esse Magister usus luculenter docet; sed propter specialem necessitatem eo tempore promovendi studium SS. Theologiæ præsertim Parisiense, quod eò tempore studiosis, etiam Clericis ac Religiosis maximô numerô in Italiam ad Leges, & aliquando etiam ad Medicinam audiendâ confluentibus, minus frequentari cœpit; ut periculum esset; ne maximô Ecclesiæ damnô omnino negligeretur, ut cum DD. *citt.* etiam advertit Gonzalez *in c. fin. cit. n. 2.* Ubi

Dubium est primò, an *cc. citt.* dicti Clerici & Religiosi etiam prohibeantur Physicam & Leges docere. Quod cum Hostiensi *in c. fin. cit. n. 3.* affirmat Sylvester *V. Excommunicatio 9. n. 16.* Rebuffus *de Nominat. q. 5. à n. 18.* Menoch. *de Arbitr. casu 425. n. 33.* & alii propter *c. Non magnopere cit.* verba, *Ne ad Physicam legésve mundanas legendas permittantur exire:* & rationem ipsam; ne spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur: quæ æque militant contra docentem quàm contra discentem.

Sed leve est, quod ex *V. Legendas* desumitur argumentum; quia eò *addiendas* vel *Discendas* denotari, jam dictum est, & clarè desumitur ex *c. fin. cit. pr.* ubi Honorius Papa allegans literarum

tutum Concilii Turonensis *c. Non magnopere cit.* relatum, disertè ait, eo prohibitum exitum è claustris ad audiendas Leges vel Physicam: quod verum non esset, si priori textu verbum *Legendas* non alium sensum, quàm sonum haberet, & non discendò, sed docendò legentes denotaret. Non magìs urget *c. cit.* ratio partim; quia leges docens actionibus secularibus minùs involvitur quàm discentes; cùm ad illud faciendum non, sicut plerumque illi malò; ut fori negotiis implicentur: sed bonò zelò ad scientiam per se bonam & ad Reipublicæ rectam gubernationem necessariam aliis communicandam moveantur: partim verò; quia exitus ad Physicam & præsertim Leges audiendas eò tempore frequens: ad docendum autem rarissimus erat, & esse poterat; ut proinde hunc speciali lege prohiberi vel adversus illum conditam præsertim pœnalem constitutionem ad ipsum extendi, non fuerit necesse, *arg. l. Non ad ea 5. & l. Jura 8. ff. de LL.*

Quare veritati magìs consona & recepta est Negativa: quam cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 16.* defendunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 116.* Suarez *cit. disp. 23. s. 3. n. 17.* Barbosa *cit. Voto 88. à n. 7.* Fagnanus *in c. cit. n. 41.* & Gonzalez *in c. Non magnopere cit. n. 5.* Ratio est, quòd Jure communi Leges & Physicam docere Clerici & Religiosi non reperiantur prohibiti: neque propter infrequentiam casûs appareat specialis ratio prohibendi; ac proinde locus sit, *arg. can. Consuluisti 2. q. 5. & can. fin. 31. q. 1.* Accedit; quòd prohibitio leges docendi non ampliet studium Theologiæ, sicut hoc ampliat prohibitio audiendi; quia hoc frequenter & in multis: illud vix unquam contingere potest; cùm, qui Legum scientiam ad docendum sufficientem privatò studiò comparet in Religione, vel antè comparatam ad hanc ferat, vix reperiatur, ut probè advertit Fagnanus *l. cit. n. 43.*

Dubium secundò est, an *cc. citt.* prohibitio & pœnæ porrigantur ad auditionem Legum, quæ fit ad sacros canones meliùs intelligendos. Quod aliqui simpliciter affirmant propter *citt.* textuum, dictis Clericis auditionem Legum, & Religiosis ad eas audiendas egressum è claustris indistinctè prohibentium, generalitatem. Alii cum Hostiensi *in c. fin. cit. n. 3.* & Panormit. *l. cit. n. 3.* Lud. Gomez *in Reg. de Non toll. jure quæst. q. 3. in fine,* negant; ac proinde illis sacrosanctæ Theologiæ vel sacrorum Canonum studio in publica Universitate operam dantibus ingressum scholarum ad leges eò fine audiendas à Censura immunem, imò licitum esse volunt. Moventur; quòd, cùm ex una, ad sacrorum Canonum perfectam intelligentiam comparandam plurimùm conferat, imò necessaria sit scientia legum juxta vulgatum, *Leges sine canone valent parùm, Canones sine lege nihil:* illud Baldi *in Proœmio Decretal.* scribentis, Juris Canonici sanctiones Juris Civilis subtilitate decorari, & famigeratum Lucii III. rescriptum, *Sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ità sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur, c. 1. de Novi Oper. nunt.* ex altera verò parte, sacrorum Canonum scientia Clericis & Religiosis valde conveniens, imò necessaria, ejúsque studium permissum sit: atque idcirco ipsis etiam permissum videatur audire Leges; ut scientiam sacrorum Canonum facilius comparent. Quæ ratio, sicut Clericis & Religiosis sacris Canonibus addiscendis cum superiorum suorum licentia operam dantibus privatum legum studium licitum esse evincit, sic dubiam relin- 26.

quit publicæ earum auditionis honestatem.

27. Quidquid autem sit de Jure scripto, nostræ huic Electorali & permultis aliis Universitatibus Privilegia à sede Apostolica indulta sunt, vi quorum quibuscunque studiorum causâ ad eas se conferentibus Juri etiam Civili operam dare est permissum: ut de Salmantina, Pisana, Pictavienſi Gonzalez *in c. Non magnopere cit. n. 4.* de Lovanienſi Zœsius *ad hanc Rubr. n. 4.* de Salisburgenſi Lud. Engel *Rubr. cit. n. 6.* de aliis Studiorum Universitatibus alii perhibent. Cujusmodi privilegiô si Germaniæ nostræ Universitates Catholicæ reliquæ munitæ non sunt, id quod Privilegiorum vi in memoratis, in istis Consuetudine introductum & receptum videri potest; cùm in utriusque Juris studiosorum numero Clerici & Religiosi ubique passim censeantur.

Dubium tertiò est, an hujusmodi privilegiis secluſis excommunicationem *cc. citt.* latam Religiosus ad Leges aut Physicam audiendam à Monasterio egressus etiam incurrat, si disciplinis illis operam non det propter interveniens impedimentum. Talem certè à censura illa cum Cajetano *in Summa V. Excommunicatio cap. 50.* excusat Filliucius *Tract. 14. cap. 8. q. 2.* eâ ductus ratione; quòd è Monasterio egressus Religiosis inhibitus sit non propter se, sed propter legum aut Physices sive Medicinæ studium; ac proinde sine istarum scientiarum alterius studio *cc. citt.* lata excommunicatio non incurratur. Sed contra communem sententiam aliorum talem Religiosum à censura ista non excusantium; quòd sub ejus contrahendæ pœnâ Religiosis prohibitus sit egressus è Monasterio animò scientiis illis operam navandi, si intra bimestre non revertantur: quod totum de Religioso in proposito casu verificatur, saltem si intra duorum mensium spatium scientiis illis operam dandi voluntatem non mutavit, *citt.* Suarez n. 14. Bonacina *n. 6.* & Palao *n. 4.* à censura illa talem Religiosum eò solùm casu absolventes, quò, voluntate intra duorum mensium spatium mutatâ, scientiarum illarum studium ordiendi vel prosequendi animum deposuit.

Libri III. Institutionum Canonicarum FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th 3
4797


WIESTNER
Institut: Canon:
Lib III